Z IV-3

Ja-6-4

3
7-24

Z IV-3

J-a-6-4

3
7-24

R. 15321

BEATI THEODORETI, CYRENSIS EPISCOPI, THEOLOGI VETVSTISSIMI, OPERVM

TOMVS ALTER.

CVM INDICE VERBORVM RERVMQVE MEMORABILIVM LOCVPLETISSIMO.

Quid hoc tomo ſecundo & vltimo contineatur pagina poſt indicem ſignificabit.

COLONIAE AGRIPPINAE
PTIBVS VIDVAE ET HAEREDVM IOANNIS STI
ANNO SALVTIS M. D. LXXIII.

Cum Gratia & Priuilegio.

DE THEODORETO.

THEODORETVS ſiue THEODORITVS (vtramque enim ferunt exemplaria Græca lectionem) natione Syrus, Cyrenſis vrbis, quam Stephanus, Κυρρήστλιν, Perſæ, Cyrecbatam vocant, Epiſcopus, octingentarum Eccleſiarum paſtor, tot enim parochias tunc habebat ea ciuitas, à Cyro quondam Perſarum Rege in extremis Perſiæ finibus condita, Attica vir eloquentia celebris, & ſanctorum voluminum explanatione clariſsimus, hæreticorum quoque impugnator acerrimus, à quibus etiam lapides pro fidei Catholicæ defenſione ſuſtinuit. Poſt multos vitæ labores in extrema ſenectute à Dioſcoro, Epiſcopo Alexandrino, anathemate notatus eſt, & ab Epiſcopatu iniuſtiſsimè depoſitus, eò quòd Flauiano, Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, in damnatione Eutychianæ hæreſeos conſenſiſſet. D. Ioannem Chryſoſtomum, quem ſibi quaſi primarium exemplar ſumſit imitandum, in multis explanationibus compendio quodam expreſsit. Claruit hic ſanctus vir tempore concilij Epheſini, D. Cyrillo ſynchronos, cum quo etiam altercationes habuit de actis eiuſdem Synodi, peruenitque vſque ad tempora Leonis eius nominis primi, Pontif. Max. ad quem ſcripſit epiſtolam pro ſua ad epiſcopatum reſtitutione deprecatoriam. A quarto Chalcedonenſi generali Concilio vt honorabile Eccleſiæ membrum ſuſceptus eſt ac reſtitutus. Mortuus eſt circa annum à Chriſto Nato, quadringenteſimum quinquageſimum. Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſua ſancta. Et Beſſarion Cardinalis in declaratione, quam latinè adiecit orationi, ad Græcos in concilio Florentino pro vnione habitæ.

DE EODEM THEODORETO ALIVS.

SYRVS natione, Theodoretus, in rebus ſacris inter primos locum obtinet. In rerum explicatione & tradenda doctrina breuis & dilucidus, in dicendo iucundus, in argumentando ſubtilis, in monendo acris. Rationibus cùm opus fuit nemo validiùs hoſtes oppugnauit, vt non crebrò etiam ſuo ipſos gladio iugulet. Authoritatibus ſi certet, vix vllus vel omni exemplorum genere, vel ſumma non cœleſtis tantùm doctrinæ, ſed totius antiquitatis cognitione acriùs inſtat. Multa ſe ſcripſiſſe ipſemet in epiſtola ad Leonem Epiſcopum Romanum eius nominis primum narrat. Marciano Imperatori gratus fuit, circiter annum Domini quingenteſimum & quinquageſimum.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVAE HOC SECVNDO TOMO OPERVM BEATI THEODORETI

continentur, summa cura & accurata industria in ordinem Alphabeticum digestus. Quem quò Lector faciliùs assequatur, nouerit numerum priorem, paginam: posteriorem, citatæ paginæ versum designare: singulasque paginas in duas partes diuisas; quarum priorem A. posteriorem B. sibi vendicat.

A.

Abdiæ virtutes. 613.62.
Abimelech, pietas. 613.41.b
abimelech salutem quomodo consecutus. 31.63.a
Abrahæ filij qui sint. 105.3.b
abrahæ sacrificium, typus passionis Dominicæ. 346.29.b
abrahæ semen Christus est. 106.1.a.299.15.a.299.17.b.363.33.a
abraham ante legem latam natus. 16.45.a
abraham ex fide iustificatus. 105.2.b.15.56.b
abrahami virtus. 621.32.b
ab Abrahamo vsque ad Seruatorem nostrum Christum generationes Matthæus Euangelista quot enumeret. 322.13.a
Abraames vbi natus. 452.5.a
abraamis virtus. 458.23.b
abraamis vitæ institutum. 451.61.b
Abstinentiæ leges Ecclesia quas habeat. 416.20.b
Acacius ab Eusebio Magno, Beroeæ episcopus ordinatus est. 276.26.b
acacius Beroeæ Ecclesiam rexit. 289.44.b
acacius Cesareæ Episcopatum quo tempore gesserit. 242.15.b
Accusatio vnius, est eius, quod deest, confirmatio. 358.41.a
accusationem conscientia comparat. 23.16.b
Acepsamas quam egerit vitam. 450.23.b
acepsamæ frugalitas. ibid.
acepsamæ obitus. 451.6.a
Achabi malitia. 613.57.a
Acragas, Siciliæ ciuitas. 481.36.b
Adam ante transgressionem nullum habuit metum mortis. 23.33.a
adam morti cur traditus. 624.54.b
adam patris nomine quando appellatus. 345.51.b
adam, post cœli & terræ opificium, quo die formatus. 322.7.a
adam, typus Christi. 19.8.a
ab Adam vsque ad Abrahamum generationes quot transierint. 322.10.a
Adamitarum hæresis. 371.14.a
Adrianistæ vnde orti. 363.6.b
Adrasta vnde dicta. 524.32.b
Aduentum Domini amare quis dicatur. 193.8.a
aduentus Domini signa quis noscat. 145.44.a
Aduersa fortiter ferenda. 140.54.a
aduersarij qui sint. 169.21.b
Adulatores sibi ipsis exitium adferunt. 67.5.a
adulatorum quid proprium. 66.64.b
adulatorum verba quibus aperta. 141.11.b
Adulteram lex quam appellet. 22.21.a
Aegyptij circuncisionem vnde acceperint. 481.4.a
egyptiorum idololatria. 499.4.a.500.9.b.505.36.b.534.41.b
egyptios suillis carnibus abstinere Deus cur iusserit. 534.60.b
Aequalitatem ostendit cognitio. 51.42.b
Aeris natura quæ. 581.60.a
Aetij fastus & iactantia. 244.7.b
Aetij hæresis. 386.46.a
Aetium Eunomius Dei hominem nuncupat. 244.56.b
Aetius à quibus abdicatus. 244.27.a
Aetius, Eunomij magister, in Diaconorum numerum quando ascriptus. 241.61.a
Aetius à Constantino Imperatore in exilium cur missus. 243.24.b
Agapetus cuius fuerit successor. 289.37.b
Agar vbi habitauerit. 108.9.b
agar, typus veteris testamenti. 347.42.b
Agricultura quàm necessaria. 602.47.a
Agrorum fructus qui referant. 531.4.a
ἀγιῶν quid significet. 397.52.a
Alexander, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, mortem quando obierit. 222.3.b
alexander, faber ærarius, vitam suam quomodo instituerit. 295.29
Alexandria ciuitas qualis. 200.27.a
alexandria errore in simulachris colendis cuius opera liberata. 287.25.a
Alimenti purgatorium quod sit. 600.49.a
alimenti receptaculum quod. ibid.
Amantium proprium quid sit. 426.31,b.& 460.30.a
Amaritudinis radix quæ sit. 174.49.a
Ambrosij, Episcopi Mediolanensis, in iurgando libertas. 283.11.b
ambrosij, Mediolanensis Episcopi, ordinatio. 259.40.a
Amicitiæ definitio. 477.11.b
amicitiæ expertes qui sint. 11.13.a
amicitiæ veræ indicium quodnam. 39.22.a
Ammonius Philosophicæ vitæ quando se tradiderit. 529.28.b
Amor Dei erga genus humanum. 622.58.a
amor diuinus nunquam satiatur. 471.44.b
amor quomodo conseruetur. 572.22.b
amoris principium quod sit. 572.21.b
Anathema quid sit. 31.24.a
anathemata quæ dicantur. 30.32.a

ἀνάστασις quid sit. 407.40.b
Anaxagoras Dei cognitionem vbi adeptus. 491.28.a
Ancyræ Ecclesiæ gubernacula post Marcellum quis susceperit. 242.22.a
Angeli, Dei sunt ministri. 147.17.b
angelicas mentes Deus vnde formauerit. 506.35.a
angeli incorporei sunt. 396.64.a
ab Angelis Deus quomodo visus. 183.3.a
angelorum conuersatio quibus maximè conueniat. 488.21.a
angelorum linguæ quæ. 72.27.a
angelorum ministerium, Dei est laudatio. 398.53.a
angelorum munus quod. 546.47.a
angelorum natura. 154.34.
angelorum vitam quisimitentur. 506.59.a
Anima corpore præstantior. 313.8.b
anima cui rei similis. 519.20.a
anima hominis vbique est. 333.63.a
anima humana immortalis est. 25.38.a.313.9.b.340.13.a.406.6.a
de Anima inter Philosophos quæ discordia. 516.32.b
anima non patitur cum corpore. 360.43.b
anima sapientia non proficit. 324.43.a
de Anima variæ opiniones. 484.14.b
anima videri non potest. 519.24.a
anima virtute & vitio potentior. 518.24.a
anima vnde creata. 400.46.b.397.21.a
animæ id est fides, quod in corpore oculus. 37.62.b
animæ irrationales, interitui obnoxiæ. 359.18.a
animæ labes vnde proficiscantur. 479.43.b
animæ præputium damnum quibus adferat. 136.14.a
animæ quæ propria. 322.46.b
animæ visu principaliorem Philosophi in qua corporis parte collocent. 517.23.a
Animal, nomen homonymum. 291.56.a
Animale corpus quodnam. 79.57.b
animalium ratione carentium vsus. 596.6.b
animam Deus quam susceperit. 324.45.a
animam Philosophi quomodo diuidant. 516.58.b
animam rationalem Plato diuinam vocat. 518.53.b
animarum quænam faciat maximum lucrum. 88.46.b
animarum medicus, Deus est. 178.29.b
animarum medici officium quod. 515.45.a
animas Deus quas adiuuet. 80.39.b
animas humanas Deus vnde creârit. 514.17.b
animi alacritas quare conseruanda. 189.15.a
animi perturbationum vexatio nobis natura inest. 20.43.b
animi subita mutatio quorum propria. 118.46.b
animo pio nihil firmius. 613.26.b
Anni circulum vnde discamus. 579.51.b
anni partes quot sint. 580.9.a
ex quatuor Anni partium successionibus quæ vtilitas. 580.46.a
anni partium vegetatissima ver est. 610.51.a
anni quomodo perficiantur. 107.48.a
annorum hebdomadas seruare quis iusserit. 107.50.a
Antichristi conatus. 148.29.a
antichristum Paulus defectionem appellat. 148.38.a
antichristus ad exitium quos perducturus. 411.28.b
antichristus filius perditionis. 114.46.a
antichristus in quos imperium habiturus. 149.4.a
antichristus, peccati homo cur appellatus. 148.41.a
antichristus, perditionis filius cur dictus. 148.43.a
antichristus quando venturus. 410.11.b
antichristus quæ facturus. 411.33.a
Antiochenam Ecclesiam quis administrauerit. 292.9.a
antiochenum concilium contra Meletium quid statuerit. 246.52.a
antiochiæ, tempore Theodosij Imperatoris, quæ seditio suscitata & exorta. 285.39.a
Antiochus, Eusebij sororis filius. 263.54.b
Antitactarum hæresis. 374.59.a
antitactæ, malorum inuentores. 374.8.b
Apes. 593.2.b
apes quas vitæ leges sectentur. 593.58.b
Aphraatis monachi virtus. 272.8.a
Aphrates ex quibus parentibus ortus. 438.39.b
aphrates miracula quæ ediderit. 439.15.b
aphratis vita. 439.15.b
Apollinaris hæresis. 315.11.b.388.35.a
Apollinaris Laodicensis nouatio. 275.13.b
Apollo Daphnæus. 250.26.b
Apostoli ad quos primi missi. 9.1.a
apostoli de Deo humilia cur dixerint. 312.8.b.
apostoli leges hominibus quomodo tulerint. 546.37.a
apostolorum leges, Dei leges sunt. 59.49.a
apostoli plerunque legem seruare cur sustinuerint. 104.50.a
Apostolicæ doctrinæ participes qui fuerint. 307.44.a
apostolicam doctrinam Beatus Paulus à quo acceperit. 101.48.a
apostoli salutarem prædicationem quando aggressi. 529.21.b
apostolis Spiritus sancti gratia diuersas linguas cur dederit. 8.25.b
apostolorum doctrinæ vis quanta. 547.27.b
Apostolorum & Euangelistarum doctrina eiusdem spiritus. 298.63.b
apostolorum leges quantam morum mutationem inuexerint. 548.1.a
apostolorum opinio de Deo ante passionem quæ fuerit. 7.54.a
Apostolorum pedes cur speciosi appellati. 34.45.a

Aposto-

Apostolos Deus diuinitatis doctrinam quomodo docuerit. 392.25.a
Apri quomodo capiantur. 595.19.a
Aranean filа ducere Deus cur docuerit. 594.46.b
Arbores alimenta vnde percipiant. 568.19.a
Arca, typus Christi. 309.35.a
Arcadij Imperatoris pietas. 289.19.b
Arcæ tabernaculum cur perpetuum prædicatum. 309.37.b
Archonticorum hæresis. 372.50.b
Ariana secta Samosati vrbi quàm infesta. 263.42.b
arianæ factionis antistites quinam maximè fuerint insignes. 277.31.b
arianæ sectæ fautores qui sint. 260.42.a
ariani Constantinopoli quid fuerint 271.39.a
ariani quomodo condemnati. 209.55.a
arianorum hæresis vnde cœperit. 199.23.b
arianorum nequitia. 231.63.b
Arij aduersarij qui sint. 206.63.a
arij dogma in concilio Niceno damnatum. 208.21.b
arij hæresis. 201.25.a.& 32.b.206.39.a.257.49.b.261.39.a.281.17.a.315.19.a. & 9.b.362.33.a.402.9.b
arij mors. 215.58.a
Armonius, Bardisanis filius. 375.45.a
Aristarchum Beatus Paulus concaptiuum cur appellet. 139.44.a
Aristippus ad Philosophiæ cognitionem quomodo peruenerit. 560.51.b
Aristippus cognomen vnde contraxerit. 560.54.b
Arius in errorem quomodo deductus. 385.12.a
arius qualem vitæ exitum sortitus. 385.51.b
Arrogantem Apostolus quem appellet. 194.48.b
arrogantes qui sint. 11.1.a
Artemonis hæresis. 315.4.b.380.31.a.402.7.b
Artenicum Iulianus cur obtruncauerit. 253.46.b
Arteriæ, spiritus vasa sunt. 586.8.a
arteriarum fons. 585.19.b
Artes non accusandæ, sed homines ijs non rectè vtentes. 574.18.b
artium comparatio. 591.15.b
Ascalonorum impietas & crudelitas. 249.9.b
Asclepij vita. 463.26.a
Ascedrupitarum hæresis. 372.38.b
in Asia Episcopi qui fuerint clarissimi. 273.12.b
Asia quot habeat antistites. 289.59.b
Assimilatio quid significet. 301.38.a
Astronomiæ inuentores primi qui fuerint. 481.45.a
inter Astronomos de Sole quæ sit disceptatio & discordantia. 486.25.b
Athanasij de Concilio Ariminensi epistola. 240.47.a
athanasij mors. 266.12.b
athanasio Ariani quas insidias struxerint. 222.1.b.& 223.6.a
athanasium Iulianus in exilium cur miserit. 250.50.a
athanasius Alexandriam quando reuersus. 225.42.a
athanasius Ecclesiæ Alexandrinæ lumen fuit clarissimum. 306.47.b
athanasius in exilium tertiò cur relegatus. 233.25.a
athanasius Sebastiani, cuiusdam Arianæ sectæ fautoris, manus quomodo effugerit. 233.38.a
athanasius doctrinam suam quomodo confirmauerit. 306.50.b
Atheniensibus leges qui tulerint. 546.6.a
atheniensium idololatria. 539.3.b
Athletam robustum quid efficiat. 65.19.a
Atomum quid sit. 60.45.a
Atropon quid sit. 324.23.b
Auari diuitias tanquam Deum colunt. 137.12.b
auari semper cruciantur. 94.31.b
Auaritia fugienda. 186.16.a
auaritiam Apostolus adulterium vocat. 143.50.b
auaritia quid sit. 10.57.b
auarorum natura. 99.43.b
Aucupia. 594.59.b
Audacia quid sit. 598.60.b
Audæi hæresis. 388.21.b
Audianorum hæresis. 260.52.a
audianorum hæresis sectatores ab Ecclesiasticis conuentibus cur segregati. 260.11.a
Auditui fides quomodo fiat. 417.26.
auditui quod officium commissum. 600.61.a
auditus potentia. 588.29.b
Auiti temperantia. 430.4.a
Auium obseruationes primi qui inuenerint. 481.47.a
Auxentius à patribus concilij Ariminensis condemnatus. 239.48.b

B.

Baptismatis vtilitas. 407.63.a
Baptismum vnum tantùm cur percipiamus. 20.7.b
baptismus, mortis & resurrectionis Dominicæ typus. 20.21.a.77.4.a.161.46.a
baptismus, futurorum typus est. 135.51.b
Baradati vita. 468.39.b
Barbeliotarum hæresis. 373.32.a
Bardisanes quando floruerit. 375.51.b
bardisanes vnde oriundus. ibid.
bardisanis error. 160.12.a
Barnabas vbi ordinatus. 94.2.a
Basilides quos habuerit Prophetas. 370.2.b
basilidis error. 160.12.a.315.2.b.370.15.a.402.63.a
Basilij, Cæsariensis Episcopi, animi fortitudo. 265.35.b

Constantini erga congregatos Nicæa numero decem & octo supra trecentos liberalitas & humanitas. 212.35.a
Constantini matris in extruendo templo studium. 217.54.a
Constantini matris humilitatis exemplum. 217.47.a
Constantini abitus 225.12.b
Constantini pietas. 215.30.b
Constantini studium in extinguenda Ariana blasphemia. 207.45.a
Constantinus quando baptizatus. 295.15.a
Constantinus à recta fide quomodo deductus. 226.37.a
Constantinus mortem vbi obierit. 247.38.b
Contumeliosi qui sint. 10.61.b
Cor, arteriarum fons. 585.10.b
cor, naturalis caloris fons. 584.57.b.& 600.51.a
cor præstantissima humani corporis pars. 585.12.b
corde canere quis dicatur. 121.8.a
cordi alimenti materiam quid exhibeat. 585.25.b
corpore mortuo nihil abiectius. 79.57.b
corporis exustione nullum supplicium grauius. 72.63.a
corporis membra Paulus quæ appellet. 173.3.b
corporis ratio habenda. 672.60.a
corporis quæ propria. 322.50.b
corporis partes quæ ignobiles. 71.54.a
corporis vires, ossa sunt. 354.31.b
corporum resurrectio docetur. 407.35.b.& 618.55.a
corporum voluptatem quid sequatur. 471.43.b
corpus ab anima separatum, rationis expers est. 314.12.b
corpus ætate proficit. 324.42.a
corpus animale quodnam. 79.57.b
corpus non malum, sed boni Dei opificium est. 21.6.a
corpus Christi post consacrationem panis est. 327.40.b
corpus humanum animi perturbationes quando susceperit. 24.62.a
corpus humanum vnde formatum. 397.20.a. 519.46.b
corpus infirmum & sanum ex aqua cur corpus appelletur. 326.26.b
corpus in pueris quomodo crescat. 586.16.b
corpus, non anima, nutrimentum appetit. 322.30.b
corpus non accusandum, sed mens, quæ id malè ducit. 21.16.b
corpus quodnam inutile. 71.39.a
corpus quomodo curandum. 572.9.b
corpus quomodo enutriatur. 586.8.b
corpus solum, anima verò non, mortis supplicium cur subeat. 340.39.a
corpus spiritale quodnam. 79.58.b
corpus vitam vnde accipiat. 340.1.b
corpus vnà cum anima iudicabitur. 409.2.a
Costianus vnde exortus. 372.7.b
Creatura noua propriè ea, quæ post mortuorum resurrectionem est futura, mutatio. 111.13.a
Credentium caput, Christus est. 67.40.a
credere, quorum proprium sit. 8.35.b.& 337.5.a
credere & splendide decertare, Dei dona sunt. 126.46.a
creduli & fideles salutem quomodo consecuti. 7.63.b
Cretenses cur mendaces appellati. 195.24.a
Crura ex quot membris constituta. 586.40.b
Cultus diuini genera quot & quæ sint. 8.40.a
Cupiditas, omnium malorum fons & origo. 65.16.b.186.45.a
cupiditas sobrietati contraria. 195.37.b
cupiditatis moderatio, ad res honestas est adiutrix. 24.8.b
Curarum signa & iudicia quæ. 612.15.a
Cyra vbi nata. 470.5.a
Cyræ frugalitas & abstinentia. 470.56.a
Cyræ vita. 470.7.a
Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ gubernacula quando tenuerit. 292.4.a
Cyrillus, filius sororis Theophili. ibid.
Cyrus ab Antiochia quàm longè distet. 427.64.a
Cyrus Cambysæ filius, Theologiæ mysteria à quo perdoctus. 483.54.a

D.

Dæmones erant ex bonis ordinibus, sed propter improbitatem ab illo ordine exciderunt 122.8.b
dæmones mundi principes cur appellati. 122.13.b
dæmones quam naturam sortiti. 507.21.a
Dauidica melodia, psallentium choro in duas partes diuiso, alternis canenda primi qui tradiderint. 241.20.b
Debitum exoluere quibus conueniat. 8.27.b
debitum redditio multiplicat. 40.21.b
Dei aduentum quis amet. 193.8.a
dei benignitas quanta. 90.29.a
dei caro in vtero virginis formata. 352.63.b
dei caro post passionem immortalis cur facta. 365.64.a
dei caro vnde consolata. 310.62.b
dei domum vocat Apostolus eos, qui credunt. 169.27.a.182.38.b
dei doctrina in anima semper circumferenda. 138.34.a
dei & Angelorum secundum humanitatem differentia quæ sit. 154.38.b
dei filij qui sint. 26.25.b
dei humanitas. 23.22.b

dei ignorationem Apostolus tenebras nuncupat. 119.33.
dei incarnatio, bonorum conciliatrix est. 29.37.b
dei longanimitas. 557.28.b
dei manus quæ sit. 399.47.b
dei miracula. 623.37.a
dei natura æterna. 154.35.a
dei natura circumscribi non potest. 115.4.a.& 164.48.b
dei natura duplex. 333.2.a
dei natura immutabilis. 298.57.a.& 362.24.a
dei natura videri non potest. 300.48.a
dei præstantia & excellentia. 676.37.a
Deliciæ immodicæ rationem obtundunt. 184.4.b
Deo familiares quomodo efficiantur. 170.41.a
deo nihil difficile. 513.64.b.& 578.20.b
deo nihil est occultum. 141.57.b.& 185.11.b
deo nihil impossibile. 298.46.a.619.30.b
dei osores qui sint. 10.60.b
dei potentiæ signum quodnam maximum. 88.35.a
dei regnum perpetuum est. 154.41.a
deo quæ odiosa, & quæ contrà iucunda. 568.35.b
deo quis carus. 569.15.b
deo semper gratiæ agendæ. 148.25.a
deo soli confidendum. 48.26.a
Deprecatio quid sit. 179.9.b
Desiderium nostrum in Deum quid accendat. 18.20.a
Detrectatores qui sint. 10.59.b
Deum Esaias quomodo viderit. 327.16.a
deum quis imitetur. 568.32.b
deum quomodo imitari debeamus. 569.37.b
deum Stephanus quomodo viderit. 364.20.b
deus à creatura quid differat. 231.1.a
deus ab Angelis quomodo visus. 300.45.b.& 301.60.a
deus ab hominibus quid differat. 347.53.b
deus ab hominibus quid requirat. 321.32.b
deus affectuum expers. 9.28.b
deus Angelis quomodo inferior. 153.21.b
deus animam cum corpore suscepit. 404.2.b
deus carnem vnde habeat. 332.21.a.& 339.31.b
deus corpus & animam ratione præditam cur acceperit. 402.63.b
deus cuncta quomodo procreârit. 512.24.b.& 514.6.b
deus cur immortalis dictus. 496.30.a
deus cur inuisibilis. ibid.
deus cur λόγος nuncupatus. 153.13.a.394.41.a.496.42.a
deus cur pontifex dictus. 158.52.b.& 162.57.a
deus cur vitis appellatus. 310.38.a
deus cur vnigenitus appellatus. 346.63.a
deus Dauidis filius cur nominatus. 7.2.a.405.2.a
deus diuina & humilia quomodo loquatur. 331.38.& 65.b
deus filium hominis seipsum cur appellet. 566.6.b
deus, infinitus cur dicatur. 496.28.a
deus in mundo quomodo sit, & quomodo venerit. 154.18.a
deus in quibus habitet. 114.7.a
deus inter homines cur versatus. 205.39.a
deus mortem cur subierit. 105.50.b.88.27.b.167.30.a.116.41.a
deus mortem quomodo subierit. 342.48.b.624.51.341.2.a
deus natura primogenitus. 133.41.a
deus naturam humanam cur assumpserit. 23.44.b.162.36.a.165.44.a.178.9.b.196.21.a.347.43.b.402.54.b
deus naturam humanam perfectam num susceperit. 404.53.b
deus naturam humanam vnde assumpserit. 309.61.b
deus nobis quid pollicitus. 158.43.b
deus nobis quomodo coniunctus. 53.59.b.317.14.a
deus non tam factum, quàm facti institutum videt. 72.3.b
deus, nostrum caput est, quo ad humanitatem. 67.48.a
deus omnium opifex & creator. 151.27.322.3.a.395.49.b.514.5.b
deus omnium rerum curam gerit. 531.23.b
deus passionem quomodo sustinuerit. 20.25.a.331.45.b.349.33.a.353.28.a.366.10.a.361.64.
deus patre quomodo minor. 358.16.b
deus peccare cur nolit. 341.48.b
deus post passionem ianuis clausis in medio discipulorum cur steterit. 334.12.a
deus peccatum quomodo profligauerit. 25.27.b
deus per essentiam vbique est. 78.26.b
deus perfectionem quam habeat. 165.9.a
deus post vnionem circumcisus. 363.33.b
deus quam habeat animam. 313.33.b
deus quam naturam suscitauerit. 405.39.b
deus quid pollicitus. 469.87.a
deus quomodo caro factus. 298.24.a.& 47.b
deus quomodo glorificetur. 330.47.b
deus quomodo dicatur patibilis & impatibilis. 331.43.a
deus quomodo ouis factus. 624.35.a
deus quomodo vnctus. 402.49.& 311.63.b
deus quorum peccata sustulerit. 168.3.a
deus, semen Abrahæ cur appellatus. 405.2.a
deus secundum carnem vnde ortus. 159.29.b.398.32.a.405.29.a.& 18.b
deus secundum humanitatem, eiusdem nobiscum est substantia. 179.6.a.& 133.46.b

Deus secundum humanitatem primogenitus appellatus. 28.18.b
deus serui formam vnde acceperit. 317.15.a
deus, sub aspectum non cadens, hominibus quomodo visus. 300.39.b
deus sub lege factus. 330.13.a
deus vnde factus. 396.49.b
deus vt est omnium creator, ita omnium erit iudex. 11.60.b
Dextra Paulus quæ appellet. 91.14.a
Diaboli munitiones quæ sint. 95.33.b
diaboli iustè an puniantur à Deo. 399.2.a
diaboli puniendi. 398.57.b
diaboli sibi quos subigant. 507.31.b
diabolo mos est diuina imitari, & aduersus Prophetas pseudoprophetas producere. 97.51.a
diabolo quæ causa fuerit, vt caderet. 399.36.a
diabolus imperium in quos habeat. 114.26.a
diabolus, mortis pater. 345.7.b
diabolus, vitiorum magister. 341.35.a
Dicacitas quid pariat. 120.52.a
Dicentis fructus, auditorum est. 74.41.a
Diei autor quis. 578.48.b
dies vnde procedant. 135.57.a
Dij cur beati. 530.64.a
Dilectio, cognitione præstantior. 61.41.b
dilectio in Deum accenditur diuinarum rerum contemplatione. 172.5.a
dilectio, legis est perfectio. 40.46.b
dilectionis filius, Deus est. 133.5.a
dilectionis tempus semper est. 193.7.a
dilectione in proximum nullum donum præstantius. 72.11.a
Diocletiani impietas & tyrannis. 294.52.b
diocletianus mortem quando obierit. 294.58.b
Diodorus à Meletio Tarsensis pastor ordinatus. 276.2.b
Discipulorum alacritas præceptorem excitat. 8.9.b
Diuinæ incarnationis mysterium quibus venerabile. 5.30.
diuina natura impatibilis. 141.34.a.& 364.38.b
diuina natura sub aspectum non cadit. 364.19.b
diuinarum rerum cognitio, maximũ est bonum. 568.42.a
diuinis nihil adijciendum; quæ autem scriptæ sunt, explicare; & quæ latet, sententiam aperire, & pium & sanctum est. 352.50.a
diuinitas Angelis quomodo minor. 155.13.b
diuinitatem Christi negant Artemon, Theodorus, Sabellius, Paulus Samosatensis, Marcellus, Photinus. 315.4.b
diuinitatis calceamentum quod sit. 310.46.b
diuinitatis natura vna est. 26.57.a
Diuites cur non soli iusti. 602.39.b
diuitiæ & paupertas sunt tanquam instrumenta. 599.53.b
diuitiæ & paupertas omnibus sunt communes. 602.23.a
diuitiæ hominibus cur datæ. 616.40.a
diuitiæ non malæ sunt, sed earum abusus. 401.45.b. 599.63.b
diuitiæ non omnibus cur datæ. 600.31.a
diuitiæ virtutis hostes. 599.9.a
diuitiarum possessio incerta. 187.8.a
diuitum & pauperum par conditio. 601.53.a
Docere alios, quibus conueniat. 487.44.a
docere, præceptorum est. 185.47.b
Doctores Paulus quos nominet. 118.30.b
doctoris recordatio quid denotet. 143.3.a
doctrina placidè & leniter quibus tradenda. 195.43.a
doctrina salutem procurauit. 71.43.b
doctrinæ peregrinæ quæ dicantur. 175.58.b
doctrinæ pharmacis qui indigeant. 584.47.a
Dolor immodicus prohibitus. 144.54.a
dolor passionem consequitur. 361.17.a
Domini corpus, humanum corpus est. 404.5.a
domini dies sicut fur in nocte veniet. 145.40.a
Dominicam cœnam Paulus Sacramentum Dominicum appellat. 68.48.a
Dominicæ vitæ institutum. 470.20.b
Domum Dei vocat Apostolus eos, qui credunt. 169.27.a.182.38.b
Dona quæ donantur, varia sunt, vnus tamen eorum omnium fons est. 69.56.b
dona spiritus operationes cur dicantur. 70.4.a 4.a
donationem Paulus πλεονεξίαν nuncupat. 99.41.b
Donatistarum hæresis. 387.30.b
Donorum fons quis. 70.9.a
donorum qualitatem Deus, non quantitatem respicit. 604.3.a
donum, quod offertur, ante sacerdotis inuocationem, & panis & vinum, post sanctificationem verò, corpus & sanguis Domini. 327.40.b
Dormientes Apostolus quos appellet. 145.38.b
dormientium primitias Paulus Deum vocat. 329.3.a
Dorsi spina. 387.38.a
Dorystolorum nefanda facinora. 249.42.b
Duliani vnde dicti. 387.61.a

E.

EBionis hæresis. 379.33.a
de Ebionitis alijs. 379.51.a
Ebrietas petulantiæ mater, litis & contentionis magistra. 41.16.a
Ecclesia, cœtus fidelium. 114.57.b
ecclesia, corpus Christi. 114.58.b
ecclesia, Dei templum est. 148.55.a
ecclesia, etsi partibus in multa & diuersa loca distributa sit, vno tamen spiritu, id est, diuino consilio fouetur. 205.28.a

ecclesiæ caput, Christus. 70.51.b
ecclesiæ corpus salutis materiam vnde accipiat. 136.56.b
Egenus quis dicendus. 602.54.a
Edicta diuina Apostoli & Prophetæ quibus primis attulerint. 558.12.b
El quid significet. 395.25.b
Elcesai errorem suum vnde composuerint. 380.36.b
elcesai vnde dicti. 380.34.b
elcesaorum hæresis. 38.39.b
Eldad & Medab suffragium humanum non sunt assecuti. 3.46.
Electi qui appellentur. 303.4.b
Elementa exordij sermonum Dei quæ sint. 160.51.a
elementa delectant simul & affligunt. 581.42.b
elementa in cuius vsum facta. 113.15.b
elementa mundi Apostolus dierum obseruationes appellat. 136.55.a
elementa suos fines tuentur. 513.47.a
Eloi quomodo interpretetur. 395.26.b
Eloth, quomodo interpretetur. 395.24.b
Emesarum impietas. 249.37.b
Encratistæ ducem suarum hæresum quem habeant. 375.4.a
encratistæ nomen vnde habeant. 375.7.a
encratistarum Seuerianorum hæresis. 375.3.a
Epaphræ laus. 132.18.b
Ephesijs prædicationem salutarem primum quis tradiderit. 111.36.
Episcopi iam sunt, qui olim nominabantur Apostoli. 181.17.a
episcoporum Illyricorum epistola ad ecclesias Dei & episcopos diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ. 260.32.b
episcopos Apostolus presbyteros vocat. 124.22.a.& 181.10.a
episcopus qualis esse debeat. 124.37.a.181.33.a
episcopus vnius vxoris vir esse debet, quomodo intelligendum. 181.48.a
epistola secunda Pauli ad Timotheum vbi & quando scripta. 193.59.b
epistola Pauli ad Romanos quando scripta. 4.15.
Eraniستes seu Polymorphus, hoc est, emendicator, seu forma multiplex Theodoreti libri nomen, & quare. 296.1.
Erat, Dei verbum proprium. 202.41.a
Errantium proprium quid. 303.31.b
Esaias propheta non vidit ipsam Dei substantiam, sed quandam visionem suæ facultati conuenientem. 327.19.a
Esau benedictionem cur vendiderit. 174.55.a
Essentia quid sit. 297.48.a
Euangelij fructus, 132.56.a
euangelij scopus. 64.44.b
euangelij spem Paulus vocat resurrectionem, & vitam immortalem & regnum cœlorum. 134.37.a
ex Euangelio viuendum. 64.7.a
euangelistæ Euangelia quando scripserint. 321.10.b
euangelium, gloriæ prædicationem Paulus cur appellet. 178.35.a
Euchitarum hæresis. 400.40.b
Eudoxij Germanicensis rabies. 242.12.a
eudoxius in Antiochia vrbis episcopatum vt aper inuasit. 242.13.a
Eunomiani cur Trogloditæ appellati. 387.30.a
eunomiani quæ de causa recesserint ab Arianis. 244.55.b
eunomianorum baptizandi modus. 386.44.b
eunomianorum secta vnde exorta. 386.32.b
eunomij doctrina quomodo patefacta. 245.26.a
eunomij hæresis. 281.17.a.315.9.b 362.33.a.386.34.b.& 40.a.402.9.b
eunomij res gestæ. 245.2.a
eunomius hæresim suam quomodo in vulgus distulerit. 386.63.a
de Euphrata & Vincentio episcopis, & illis Antiochiæ paratis insidijs. 231.44.b
Eusebianorum fraus, quam Eustathio paraunt, quomodo detecta. 219.57.b
de Eusebianorum fraudulentis contra sanctum Eustathium Antiochenum episcopum consilijs. 219.21.a
eusebij animi tranquillitas. 433.29.b
eusebij Cæsariensis de fide Nicæa exposita. 212.31.b
eusebij magni vita. 453.16.b
eusebij Nicomedensis nequitia. 218.49.b
eusebij Samosatensis fortitudo admirabilis. 262.7.a
eusebij Samosatensis episcopi in Orthodoxa & Apostolica fide constantia. 247.21.b
eusebij philosophia. 432.27.b
eusebij virtus bellica. 433.17.a
eusebij vita. 431.30.a.432.37.a
eusebius Nicomedensis in præsulatum Constantinopolitanum quomodo inuaserit. 218.4.a
eusebius tyrannicæ crudelitatis minister. 218.47.a
Eustathianæ factionis princeps quis. 249.6.a
eustathiani vnde dicti. 219.54.b
de Eustathij hæreticis successoribus Antiochiæ. 219.37.b
Eutychis hæresis. 390.16.b
eutychistæ vnde orti. 369.6.a
Excitare mortuos, Dei est. 360.99.a
Exemplar, artis natura, 584.26.b
Exhortari, parentum est. 185.47.b
Exhortatio à doctrina quid differat. 184.12.a
exhortatio medicamentis lenibus similis. 192.14.b
Expugnabiles qui sint. 47.3.a
Exuperatio detrimentum procreat. 401.61.b

F.

FAbricandi ars. 315.56.b
Facilitas quomodo pariatur. 601.27.b
rectè Facta vnde proficiscantur. 97.49.b

Felices qui sint. 530.64.a.542.63.b. 561.26.b
Feras Deus cur condiderit. 597.5.a
Fermentum quid Paulus vocet. 56.33.a
Ferrum in quem vsum hominibus concessum. 599. 65.b
Fide qui maximè indigeant. 14.21.b
fidei Catholicæ confessio, quam Damasus Papa misit ad Paulinum vrbis Macedoniæ Episcopum. 282. 8.a
fidei formula in concilio Nicæno edita. 213. 1.b
fidei formula peruersa, Nicæa Thraciæ edita. 239. 20.a
fidei oculis quibus in rebus maximè indigeamus. 487. 59.a
fidei opus quod sit. 140.42.a.147.58.b
fidei partus quid requirat. 194.45.a
fidei potentia. 171.40.a.& deinceps.
fidem Aristoteles scientiæ iudicatorium vocat. 486. 33.a
fidem Paulus cur legem appellet. 15.46.b
fides à lege quid differat. 105.22.b
fides ad salutem non sufficit, sed conuenit benefactorem in omnibus colere & obseruare. 89.11.b.& 196.48.b
fides, auctoritate Apostolica Nicæa stabilita, tenenda. 240.24.a
fides cognitione indiget. 486.48.a
fides cognitionem præcedit. 486.49.a
fides & cognitio quam inter se habeant seriem. 486. 48.a
fides gentibus bonorum causa fuit. 33. 21.a
fides in Deum salutem conciliat. 135.15.a
fides, mentis oculus. 485.62.a
fides lege antiquior. 105.58.b
fides mentem illuminat. 177.27.b
fides quàm necessaria. 485.3.b
fides quibus conueniat. 487.18.a
fides quid significet. 142.64.b
fides quid sit. 73.65.a.486.38.a
Figura quid. 38.62.a
figura superuacanea est, veritate ablata. 363.26.b
figuras Paulus vocat ea, quæ sunt præsentis sæculi: res, ea quæ sunt futura. 38.37.a
Filij carnis qui. 30.59.
filij Dei qui sint. 565. 63.b
filius patri consubstantialis. 213.51.b
filius vnigenitus, sicut & Pater, & Spiritus sanctus, immutabilis est. 298.17.a
fines rectæ doctrinæ qui sint. 195.49.b
Flauiani libertas. 241.3.b
flauiani pietas. 271.42.b
flauianus & Diodorus quasi quædam turres fluctus illatos frangebant. 271.17.b
flauianus & Diodorus psallentium choro in duas partes diuiso primi instituerunt hymnos Dauidicos alternis decantare. 241.20.b
Florini hæresis. 375.69.a
florinus hæresis suæ initium vnde ducat. 375.57.a
Fœmina ad quid vtilis. 397.49.b
Fontes. 582.60.a
in Forma Dei & serui esse quid sit. 332.5.b
forma quid significet. 38.61.a
Fornicatio fugienda. 414.7.b
fornicatio quàm execrabilis. 57.42.b
fornicatio quid sit. 174.57.a
Fortitudo quid sit. 598.57.b
fortuna quid sit. 524.55.b
Fraternam caritatem vocat Paulus liberalem pecuniæ erogationem. 144.19.a
fratris delicta ferenda. 140.47.a
fratrum infirmitas ferenda, & omnia pro illorum salute procuranda. 43.56.b
Frigiditatem homo vnde habeat. 400. 45.a
Fundamenti signaculum quodnam. 190.19.b
Furtum, species malæ operationis. 119.55.b

G.

GAinæ postulatio. 290.5.b
Gainas coacto exercitu in Thracia multa loca vastauit. 291.1.a
gainas Ioanni Chrysostomo longo interuallo obuiam procedit, & manum ipsius oculis suis apposuit, & liberos suos illius pedes complecti coegit. 291. 18.a
gainas, vir Scythicæ gentis, animo tyrannico, Ariana labe aspersus. 290.6.b
Gaudere & sufferre quomodo differant. 621. 56.b
gaudere qui soliti. 39.6.a
Gazrum impietas & crudelitas. 249.9.b
Genealogiam diuina scriptura vnde computet. 31. 7.a
Gentes salutem quomodo consequutæ. 559.36.b
gentes super Christi fundamentum ædificatæ. 194. 36.b
gentibus bonorum causa quæ fuerit. 33.21.a
Georgij, Arianæ sectæ fautorsi, nefaria facinora Alexandriæ patrata. 233.23.b
Georgij crudelitas in virgines & Episcopos. ibidem.
Germanicia cuius ditioni subiecta. 242. 11.a
Germanicia vbi sita. ibid.
Gladiatorias pugnas Romæ quis sustulerit. 289. 4.b
Gloriæ diuitias Apostolus honoris magnificentiam nuncupat. 134.34.b
Gloriationem Paulus quam appellet. 64.29.a
Γνωσιμοὶ qui vocati. 187.10.b
Gororanes filius Isdigerdis, patre defuncto vnà cum regno bellum aduersus pietatem suscepit. 293.49.b
Gororanis crudelitas. 293.53.b
Gortheni vnde orti. 369.6.b
Gothi in Arianam hæresim quomodo inciderint. 274. 25.b
Gothorum Ecclesia ab errore ad salutis viam à quo, & quomodo reducta. 290.22.a

Græcis

Græcis Aegyptiorum mysteria quis tradiderit. 496. 32.b
Græcorum error. 500.10.b
Græcorum infidelium Theologia à quo composita. 496.35.b
Græcos Paulus quos appellet. 11.41.b
Grammatica. 592.26.b
Gratia, lege perfectior. 21.38.a
gratia per fidem datur. 38.23.b
gratia quibus suppeditetur. 70.25.a.& 123.28.b
gratia quos viuificet. 86.44.a
gratia supra legem quid habeat. 26. 12.b
gratiæ auxilium Deus quibus ferat. 58. 35.b
gratiæ testes qui sint. 14.63.b
Gratiani pietas. 275.29.a
Gratiani obitus. 282.2.a
Gratianus quibus parentibus ortus. 275. 19.a
Gregorius Nazianzenus & Nyssenus duo Episcopi clarissimi. 273.12.b
Gregorius Nyssenus frater Basilij magni fuit. 273. 14.b

H.

HAereses vnde exortæ. 382.15.
Hæretici post vnam & secundam correptionem vitandi. 197.1.a
hæretici seipsos veritatis decretorum authores existimant. 296.45.b
hæretici veteri instrumento infesti sunt. 22. 46.a
Helena Constantini Imperatoris mater quando mortua. 217.57.a
Helenæ diligentia circa sacri templi ædificationem. 217.55.a
Heraclea, Europæ ciuitas. 230.34.a
Heracleon vnde exortus. 372.8.b
Hercules qualem vitæ exitum sortitus. 539.32.b
Heri iniqui. 608.38.a
Hermogenis hæresis. 374.43.b
Herodes alienigena ex patre quidem erat Ascalonites, ex matre autem Idumæus. 304.4.a
Himarmene quid sit. 524.9.b
Homines cur peccent. 13.19.b
homines Dei cognati sunt, quoad corpus. 310. 26.a
homines ex quo nati. 310.39.b
homines gratia filij dicuntur, Christus verò filius natura. 155.50.b
homines vnde natos Poetæ existiment. 516.1.a
hominibus Deus quomodo coniunctus. 317. 14.a
hominibus quæ manifesta. 141.56.b
hominis definitio. 322.56.b
hominis natura quàm vilis & abiecta. 55. 30.a
hominis noui propria quæ sint. 119.21.b
hominis statura. 586.35.b
hominum curam Deus semper gerit. 6.4.
hominum diuersa ac varia studia. 523.23.a
hominum iniquitas cur augeatur. 529.59.a
hominum natura à luto quid differat. 32. 20.a
hominum primi qui fuerint. 499.3.a
hominum sedes quæ. 532.31.b
omnium Hominum vna est natura. 438. 44.b
homo à quo formatus. 399.35.b
homo caliditatem vnde habeat. 400.45.a
homo, Dei imago cur appelletur. 67.15.b
homo, Dei seruus. 338.59.a
homo, nomen homonymum est. 297.3.b
homo nouus quis dictus. 119.13.b
homo pro hominibus Pontifex cur creetur. 159. 39.b
homo quam habeat animam. 314.16.a
homo quot habeat animas. 314.8.a
homo vetus quis appellatus. 119.10.b
homo vnde constet. 313.40.b.314.30.b.322. 53.b.340.17.a.365.4.a.400.44.a.403.1.a
Honorius Imperator. 289.1.b
Hospitem Paulus quem appellet. 4.61.& 39.59.a
Hostium natura quæ. 418.31.
Humanam naturam Deus vnde assumpserit. 309. 61.b
humani corporis fabrica. 584.30.a
humani corporis pars quæ præstantissima. 585. 12.b
de Humani generis constitutione inter Philosophos atque Historicos quæ contentio. 516.10.a
humani generis infirmitas. 516.20.a
humanitatem Christi negant, Simon, Menander, Marcion, Valentinus, Basilides, Cerdo, Manes. 315.1.b
Humanus dies quis dicatur. 54.39.a
Hydroparastatæ ducem suarum hæresum quem habeant. 375.3.a
hydroparastatæ nomen vnde habeant. 375.6.a
Hypostasin hæretici pro substantia vsurpant. 230. 25.b
Hypostasis quid sit. 297.49.a.& 37.b

I.

IAcob ex quo natus. 163.10.b
Iacobi mansuetudo. 421.31.b
Iacobi Magni vita. 421.6.a.455.42.a
Iacobus Cleophæ filius, Domini autem consobrinus: habuit enim matrem matris Domini sororem. 103.6.b
Iacobus Domini frater qua ratione dicatur. 352.62.a
Iacobus quæ miracula ediderit. 421.51.a
Iacobus quam vitam egerit. 421.10.a
Iacobus vnde oriundus. 421.9.a
Iberi ad veram pietatem quomodo traducti. 220.13.b
Idiotam Paulus quem appellet. 74.60.a. & 44.b

Iciu-

Ieiunium verum perpetua est indigentia. 428. 47.a
Ieße, pater Dauidis. 305.40.a
Iesus quomodo interpretetur. 402.25.b
Iezabelis impietas. 613.57.a
Ignatius & Irenæus Apostolorum contemporanei 312.14.b
Ignatius pontificatus gratiam per magni Petri dexteram suscepit, & cùm Antiochenam Ecclesiam rexißet, martyrij corona redimitus est. 308.17.a
Ignis natura. 578.20.a
Ignominia gloriæ contraria. 91.6.a
Ignoratio inæqualitatem ostendit. 51.43.b
ignorationem Dei Apostolus tenebras nuncupat. 119. 33.a
Illyrici Concilij libellus Synodicus de fide. 260. 32.b
Imago quas res complecti debeat. 204.39.b
Imbecilla Paulus quæ appellet. 164.36.a
imbecillorum cura gerenda. 66.64.a
imbecillitas potentiæ vt contraria opponitur. 311. 65.a
imbecillitatis est, Non poße. 311.63.a
Imbrem Apostolus metaphoricõs doctrinam appellat. 161.6.b
Immisericordes qui sint. 11.16.a
Immutabile, Trinitatis commune nomen est. 298. 11.a
Immutabilis dialogus immutabilem Dei vnigeniti filij diuinitatem docet. 296.30
Impatibilis dialogus impatibilem, & ab omnibus perturbationibus paßionibusque remotam Seruatoris nostri diuinitatem docet. 296.32.
Imperatores suarum dignitatum nomina suis scriptis præponunt. 8.22.a
imperatorum Valentiniani, Valentis, & Gratiani epistola ad Episcopos diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Catophrygiæ, Pacatianæ. 295.50.b
Impietas iniustitiæ fundamentum est. 10.55.a
impietatis disciplina qualis. 119.2.b
impietatis fundamentum quod sit. 179.42.a. 378.40.
impiorum conuictus contagiosus. 186.7.a
impios Plato quos appellare solitus. 563.29.b
Improborum consortium fugiendum. 120.31.b
Impudentia quorum propria. 128.6.b
Incarnatio ab vnione quid differat. 321.15.a
incarnatio Dei Seruatoris nostri inenarrabilium bonorum conciliatrix est. 29.37.b
incarnatio per quam mutationem facta. 322.32.a
Incompositi qui sint. 11.11.a
Inconfusus dialogus inconfusam Domini Christi diuinitatis & humanitatis vnionem ostendit. 296.30.
Increpatio medicamentis austerioribus similis. 192. 13.b
Indi diuinæ cognitionis lumen quando & quomodo percepernt. 220.6.a
indi Persis sapientiores. 522.2.a
indos Christianæ fidei quis adiunxerit. 220.6.a
Infelices qui dicendi. 527.26.b
Infidelem linguarum diuersitas admiratione adficit. 74.28.b
Infirmus quis. 41.52.a
Ingenij ratio, corporis viribus quantum præstet. 595.12.b
Ingenitus, Patris nomen proprium est. 297.55.b
Ingredi, pedum proprium est. 344.58.a
per Iniquitatis mysterium quid intelligendum. 148. 34.b
ex Iniustitia quæ vitia promanent. 10.39.b
Innocentio Romano Episcopo quis succeßerit. 293. 55.a
Inobedientiæ filij qui sint. 114.28.a
Inopia, bonæ valetudinis mater. 601.9.b
inopiæ neceßitas hominem ad labores excitat. 599. 8.b
Insipientes Paulus quos appellet. 8.3.b.& 11.9.a
Insulas Deus cur condiderit. 583.31.b
Intemperantiæ species multæ sunt. 143.31.b
intemperantiam quid inducat. 24.10.b
Interpellatio quid sit. 179.10.b
Interpretatio in linguis id est, quod in tuba signum bellicum. 74.24.a
Inuidia, cædis causa. 10.53.b
Ioannes Chrysostomus mortem vbi obierit. 291.26.b
ioannis Chrysostomi corpus iuxta monumentum Basilici martyris depositum. 291.28.b
ioannis Chrysostomi in loquendo libertas. 289.48.b
ioannis Chrysostomi ordinatio. 289.19.b
ioannis Chrysostomi prouidentia, quam habuit pro Scythis. 290.41.a
ioannis Chrysostomi reliquias Constantinopolim quis traduxerit. 292.50.a
ioannis Chrysostomi responsio ad Gainæ postulationem. 290.37.b
Ioannis Magni nomen in Ecclesiæ tabulis ad reliquos Episcopos aßcribi primus quis curauerit. 292. 47.a
Ioannis vita. 461.42.a
Ioseph Abrahæ pronepos, Iacobi filius. 610.48.a
ioseph patri cur charißimus. 610.45.a
ioseph Ismaelitis mercatoribus venditus. 610.13.b
iosephi virtutes. 610.20.b.& fol. sequentibus.
Iouiani Imperatoris pietas. 257.10.a
iouiani obitus. 258.34.b
ad Iouianum Athanasij ac reliquorum Episcoporum, qui nomine omnium Aegypti, Thebaidis & Lybiæ Episcoporum in vnum conuenerunt, epistola de seruanda fide Nicæa exposita tanquam Apostolicis dogmatibus consentanea. 257.22.b
iouianus Imperator quando creatus. 256.57.a
iouianus Cæsar creatus quas leges tulerit. 257.63.a. & 358.21.b
Iracundum Paulus quem appellet. 194.49.b
Iræ indicium quid sit. 612.12.a
iræ vasa. 32.57.a
iram Paulus Dei supplicium appellat. 9.27.b.& 18.58.a
Isidori hæresis. 370.9.b
aduersus Isidori hæresin qui scripserint. 370.11.b

Isdiger-

Isdigerdes persecutionem contra Ecclesiam cur concitauerit. 293.9.b
Israel iustitiam cur non aßecutus. 33.32.a
israelem secundum carnem Paulus quem appellet. 66.25.a
israelitæ clari vnde euaserint. 30.1.b
italis leges primus quis tulerit. 545.12.b
Iudaicæ fabulæ quæ sint. 195.37.a
iudæi canes dicti. 128.14.b
iudæi diuina gratia cur priuati. 10.56.a
iudæi genus vnde ducant. 104.61.a
iudæi increduli fracti rami nominantur. 86. 36.a
iudæi iustitiæ finem quem existiment. 129. 37.b
iudæi sponte salute priuati sunt. 34.15.a
iudæorum error. 10.29.a
iudæorum patriarchæ vnde orti. 304.3.a
iudæorum rex vltimus quis fuerit. 613.34.b
Iudicem quem expectemus. 566.54.b
Iudicij tribunal Plato quod constituat. 562. 29.a
de Iudicio. 560.51.a
Iuliani Imperatoris crudelitas & tyrannis. 250.6.b. & 253.51.a
iuliani expeditio contra Persas. 254.40.b
iuliani iniquitas. 249.36.a
Iuliani monachi prophetia. 255.26.b
iuliani obitus. 427.38.b
iuliani pietas. 247.49.b.423.41.b.426. 40.b
iuliani pueritia. 247.48.b
iuliani Sabæ vitæ institutum. 423.53.a
iuliani temeritas & amentia. 255 59.b
iuliano Sabæ epulum laut issimum in deserto fuit assidua cum Deo conuersatio. 423.18.b
iulianus ab vno ciue Beræa victus. 255.26.a
iulianus Imperator aduersus Christianos quas leges tulerit. 255.34.a
iulianus Imperatoris auunculus impietatis suæ pœnas quas dederit. 251.19.b
iulianus in impietatem quomodo prolapsus. 248. 9.a
iulianus sacra vasa quomodo confiscauerit. 251. 52.a
iulianus vitæ exitum qualem sortitus. 256.19.a
Iustina Valentiniani Magni coniunx filium suum Valentinianum ad Arianam hæresim quomodo perduxerit. 282.14.a
Iustitia ex fide donum Dei est. 16.23.a
iustitia peccato contraria. 21.55.a
iustitia qui fruantur. 15.58.a
iustitia quid sit. 598.61.b
iustitia quibus reueletur. 9.8.a
iustitiæ arma quæ sint. 91.9.a
iustitiæ corona quæ. 192.59.b
iustitiæ fons quis. 619.65.a
Iuuenibus quæ disciplinæ proponendæ. 501. 11.b
Iuuenilia desideria quæ sint. 190. 59.b
Iuuentius propter veram religionem à Iuliano tyranno quo mortis genere affectus. 252.61.b

K.

Κοινωνικοι qui dicantur. 187. 25.a

L.

Labores cuius causa suscipiantur. 604. 51.a
labores neceßarij sunt. 607.18.a
laborem Deus, non opus respicit. 52.51.b
ad Laboris studium neceßitas excitat. 599. 8.b
laborum consuetudo facilitatem parit. 601. 27.b
Lac Paulus quid appellet. 160.38.b
lac mammillæ quibus iniucundum, & contrà quibus aptum. 106.28.b
lac nutricis quibus inutile. 129.7.a
Lacedæmonijs leges primus quis tulerit. 545.28.b
Lachesis vnde dicta. 524.20.b
Lachrymæ, hominis propriæ sunt. 358.24.a
Lætari quorum proprium. 100.46.b
Laodicea, Phrygiæ metropolis. 131.49.b
Laudis sacrificium, Deo acceptum. 176.48.a
Laus hominum quàm perniciosa. 616.4.b
laus maledicto contraria. 91.7.a
sine Lege peccato nullus est locus. 23.28.a
sine Lege qui sint. 64.16.b
legem Deus cur ferat. 14.14.b
legem quid consequatur. 60.1.b
leges Apostolorum & Philosophorum quomodo differant. 550.63.a
leges Apostolorum quàm sint firmæ. 546. 49.a
leges quàm sint neceßariæ. 605.40.a
legis imbecillitas. 168.28.a
legis impositio per Spiritum sanctum facta. 26. 39.
legis neceßaria quæ sint. 104.4.4.b.& 178.28.a
legis plenitudo quæ. 40.46.b
legis propria quæ sint. 104.16.b
legis scopum quis adimpleat. 33.17.b
legis scopus quis. 178.4.a
legis superflua corporea sunt. 105.43.a
legis superuacanea quæ sint. 478.30.a
legum neceßitas peccato introducta. 605.29.a
legum tabulas Mosi vbi dederit. 437.46.a
Leontij Antiocheni Episcopi versutia. 241.10.a
Leontinus Arianam hæresin cur occultauerit. 241. 50.a
Leontius à Flauiano & Diodoro quomodo reprehensus. 241.64.a
Leontius honores ecclesiasticos quibus detulerit. 241. 58.a
Leontius testiculos sibijpsi cur execuerit. 241. 15.a

Leontius, pastor Galatiæ. 289.46.b
Leporeg quomodo capiantur. 595.19.a
Lepra qua in re versetur. 105.45.a
Leteij Melitinensis Ecclesiæ Episcopi pietas. 260.62.b
Leui ex quo natus. 163.10.b
Leuitas quorum propria. 118.46.b
Lex à fide quid differat. 105.22.b
lex ad Christum nos deduxit. 35.16.b
lex, bonorum magistra. 14.50.b
lex diuina quid exigat. 12.9.a.& 63.b
lex Domini quæ sit. 39.64.a
lex Euangelica quid vetet. 400.43.a
lex execrationem quibus attulerit. 106.42.a
lex Mosaica quid vetet. 406.42.a
lex nobis cur data. 12.3.a
lex, peccati accusatio. 22.8 b.23.9.a
lex peccati magistra. 24.4.a
lex quibus superuacanea. 110.11.a.& 178.16.a
lex quibus vtilis & conueniens. 166.24.b.& 177.56.b
lex quid exigat. 105.37.b
lex quid doceat. 24.47.a.108.64.a
lex quid iubeat. 105.26.b
lex quos execretur. 105.40.b
lex quos puniat. 17.1.& 5.a.86.43.a
lex sacerdotio coniuncta. 163.42.b
lex vetus quid prohibeat. 406.9.b
lex vetus vnde data. 108.8.b
Liberij laudatissimi Romani Episcopi colloquium cum Imperatore Constantino. 235.61.a
liberius in exilium cur missus. 236.12.b
liberius Romanam Ecclesiam quando rexerit. 235.58.a
Liberorum susceptio, matrimonij fructus est. 122.42.a
Libertate qui priuati. 25.60.b
libertatem Paulus viuendi rationem extra legem nuncupat. 104.7.a.& 108.49.b
Libertus quis appellandus. 60.15.a
Libidinis species multæ sunt. 143.31.b
Linguæ vis & potentia. 600.42.a
linguarum differentia sublata, linguæ inutiles sunt. 73.18.a
linguarum diuersitas infidelem admiratione afficit. 74.28.b
linguarum dono ad vtilitatem vtendum. 47.51.
linguarum interpretatio, spiritale donum est. 70.24.b
Linus Magni Petri successor. 193.42.b
Literarum inuentores qui sint. 481.51.a
Locrensibus leges primus quis tulerit. 545.21.b
Loquacitas quorum propria. 150.20.a
Lucernæ lumen quando splendidissimum. 86.22.b
Luciferiani vnde dicti. 294.27.a
Lucij Arianæ sectæ fautoris scelera Alexandriæ patrata. 267.2.a
lucij blasphemia in Deum. 268.16.b
Lucis arma quæ sint. 41.1.a
Lucrum laboris æternum est. 11.19.b
Lumbi veritate succingendi. 122.44.b
Luna quid officium sortita. 531.44.b
è Luto Deus quot homines formauerit. 506.31.a
Lux oculis malè affectis infesta. 85.28.b
lux quæ arguat. 120.29.b
lux quibus tenebræ. 39.36.a
Lysidices pudicitia. 573.31.b

M.

Macedoniani vnde exorti. 281.21.a
Macedonianorum hæresis. 387.15.b
Macedonij corpus vbi sepultum. 449.39.b
macedonij hæresis. 227.4.b
macedonij monachi in loquendo libertas. 285.33.b
macedonij vitæ institutum. 445.27.a
macedonius ab episcopatus gradu cur deiectus. 227.3.b
macedonius nomen vnde habeat. 447.11.a
macedonius quæ miracula ediderit. 448.41.a
Madiæ terram quis deuastauerit. 172.33.b
Mæsymæ vitæ institutum. 450.6.a
mæsymas quæ miracula ediderit. 450.32.a
Magistratus & heri iniqui. 608.38.a
magistratus institutio. 601.55.b
Magnetis vis quæ sit. 515.6.a
Magos Persæ quos appellent. 293.44.b
Mala cur producenda. 530.33.b
mala quæ dicenda. 518.46.b
Malarum & bonarum rerum discernendarum facultas quorum propria. 23.6.b
Malignos Paulus quos nominet. 10.56.b
Malitiæ vtilitas. 530.23.b
malitiam Paulus beluinam mentem vocat. 10.46.b
Malorum causa ad quem referenda. 518.50.b
malorum inuentores qui sint. 11.4.a
malorum consuetudo fugienda. 190.30.b
per Malos dies quid intelligendum. 120.52.b
Malum quid sit. 530.38.b
malum sæculum non vocauit Paulus elementa, vt stupidius sensit Manichæus, sed præsentem vitam. 102.28.a
Manci qui habendi. 408.41.b
Manetis hæresis. 160.12.a.402.1.b
aduersus Manentis blasphemiam qui scripserint 377.37.b
Manentis hæresis. 376.11.b
manentis obitus. 377.25.b
Manes virginitatem colendam cur voluerit. 412.7.a
Manetis hæresis. 315.3.b
Manibus à Deo quæ vis concessa. 600.47.a
Manichæi infausta sua decreta vnde emendicarint. 296.2.
manichæorum opinio. 298.33.a
manichæorum hæresis à quo inuenta. 295.36.

Manus Christi mirifica. 300.34.b
manus Dei quæ sint. 399.47.b
manus quomodo diuisa. 590.16.b
manuum impositio prædicatores constituit. 34.28.a
manuum vsus. 591.14.a
Marana vbi nata. 470.5.a
maranæ frugalitas & abstinentia. 470.56.a
maranæ vita. 470.7.a
Maranatha quale vocabulum, & quid significet. 81.45.b
Marcelli, Apameorum Episcopi præclarum factum. 286.57.a
marcelli hæresis. 315.6.b.381.15 b
contra Marcellum quis scripserit. 381.31.b
Marci Arethusij pro vera religione miserabilis interitus. 250.12.a
marci hæresis. 372.11.b.& 397.47.a
Marciani in diuinis perfectio. 430.64.a
marciani miraculorum affectio. 428.62.b
marciani obitus. 431.10.a
marciani vita. 428.1.a
marcianus genus suum vnde duxerit. 427.64.b
Marcion blasphemiæ occasionem vnde ceperit. 375.3.b
marcionis hæresis. 160.12.a.316.2.b.375.34.b.402.1.b
marcionis secta in quot & quæ dogmata diuisa. 376.42.a
Marcionistarum opinio. 298.33.a
marcionistas Ioannes Chrysostomus quomodo insectatus. 290.41.a
Marcus Arethusius quos cruciatus propter orthodoxam ac catholicam fidem perpessus. 249.50.a
marcus vnde exortus. 372.8.b
Marcos vnde dicta. 225.26.b
Maris & guttæ differentia. 324.51.b
maris & guttæ conuenientia. 324.56.b
D. Maris frugalitas. 454.42.b
D. Maris obitus. 276.50.b
D. Maris vitæ institutum. 454.7.b
Maritus, vxoris caput est. 58.50.a
Maronis vita. 451.4.b
Martyres quales fuerint, & quo loco orti. 544.2.b
martyres quomodo honorandi. 541.60.a
martyrium, quàm admirabile. 309.13.b
martyrum ἐγκώμιον. 543.23.a.& fol. sequentibus.
martyrum primus quis fuerit. 70.41.a
martyrum sedes, cœlum est. 541.11.b
Masbothei vnde otri. 369.6.b
Materiæ author, Deus est. 396.17.b
Matrimonij author, Deus. 22.35.a.& 413.25.a.& 414.2.a
matrimonij fructus quis sit. 122.42.a
matrimonij leges. 412.60.b
matrimonium, Dei donum est. 58.52.b
matrimonium, diaboli doctrinam primus quis nominauerit. 370.8.a
matrimonium Encratistæ scortationem vocant. 375.11.a
Maximi tyrannis. 282.7.a
Maximianus propter religionem Apostolicam à Iuliano tyranno, quo mortis genere affectus. 252.61.b
Maximus tyrannus à quo occisus. 282.36.b
Medendi ratio tum animæ, tum etiam corpori congruit. 479.42.a
Medicandi lex. 315.44.b
Medici qui laudandi. 532.5.b
Medicina quæ conueniens. 316.13.a
medicinæ autor Deus est. 481.54.a.& 592.40.a
Medicorum cura quibus opus. 584.37.a
Medicus carnalis & spiritalis vnus est. 308.1.b
Mediocritatis exuperatio peccatum generat. 18.36.b
in Mediolanensi concilio quæ fuerint acta. 234.6.b
Medullarum thesaurus quis. 600.50.a
Melchisedech, gentium pontifex. 318.39.b
melchisedech quid significet. 162.24.b
melchisedech typus Christi. 162.28.b
Melchisedechianam hæresim quis inceperit. 380.31.b
melchisedechianorum hæresis. 380.26.b
Meletiani vnde emanarint. 209.25.b
meletianorum schisma in Aegypto quomodo constatum. 388.15.a
Meleti Magno in præsulatu Antiocheno quis successerit. 287.11.b
meletij pia in Deum affectio. 276.30.a
contra Meletium Aegyptium quæ acta. 206.24.b
Membra diuinis legibus vt inseruiant, quid efficiat. 21.13.a
membra, peccati arma quomodo fiant. 21.23.a
quæ Membra maximè necessaria. 71.50.a
Membranas appellat Paulus volumina, Romani verò ita membranas appellabant. 193.48.a
Memoria. 523.2.a
Menandri hæresis. 160.12.a.315.1.b.369.12.b
contra Menandrum Samaritanum qui scripserint. 369.25.b
Mendacij semitæ variæ & multiplices sunt. 489.20.b
mendacium varium, est. 576.35.b
Mendicum Hebræi quo nomine appellent. 379.32.a
Mens, artium inuentrix est. 590.57.b
mens, hominis gubernatrix. 598.53.b
mens, homo interior. 25.13.a
Menses quomodo perficiantur. 107.48.a
mensis, nomen vnde habeat. 579.42.b
Mentis humanæ infirmitas. 621.13.a
mentis rectè facta præstantiora sunt signis. 99.60.a
Messaliani Græcè & οὐχήτου, & ἐνθουσιαστὰ nuncupantur. 260.34.& 37.b
messalianorum hæresis. 289.16.a
messalianorum hæresis principes qui sint. 260.50.b
messalianorum hæresis quando cœperit. 260.32.b
à Militibus duces quid postulent. 109.22.a
Ministerium Paulus prædicandi munus appellat. 38.54.b

Miniſtrantium proprium quid ſit. 183.11.b
Miracula Dei. 623 37.b
miraculum, Dei operatio eſt. 54.33.b
Miſeri qui dicendi. 527.26.b.542.62.b
Miſericordiæ ſignum quodnam. 39.4.b
Monaſtica vita ex libera animi voluntate ſuſcipienda. 416.31.a
Montaniſtarum hæreſis. 383.16.a
aduerſus Montaniſtas quis ſcripſerit. 383.39.a
Montes in quem vſum conditi. 582.42.a
Morbi vtilitas. 391.36.
morbus multiplex. 315.24.b
Morienti ſpes optima quæ. 571.24.a
Mors initium vnde ceperit. 23.46.b
mors in naturam cur inuecta. 53.33.b
mors nemini parcit. 601.55.b
morsnon timenda. 89.6.b.&543.40.a
mors omnibus æqualis. 604.10.b
mors peccati ſtipendium eſt. 21.49.b
mors peccati condemnatio eſt. 403.34.a
mors quorum pœna. 25.63.b.& 345.21.b.& 340 33.a
mors vitæ priuatio. 311.64.a
Mortale eſſe homini commune eſt. 298.14.a
mortalium cuſtodes & auxiliares Heſiodus quos appellet. 542.26.b
Mortem Deus cur ſubierit. 105.50.b.88.27.b. 167.30.a.196.41.a
mortem peccati operatio peperit. 114.15 a
mortem peccatum introduxit. 340.26.a
mortis corpus quodnam. 25.37.a
mortis mater quæ ſit. 345.6.b
Mortui quo corpore venturi. 408.55.a
Moſen Paulus legis nomine appellat. 18.58.b
moſes à Deo quid differat. 169.39.b.& 156.49.b
moſes cur Dei nomine appellatus. 317.24.a
moſes quorum Sanctorum res geſtas ſcripſerit. 420. 46.a
moſes, Theologiæ Oceanus. 493.22.b
moſes Troianis temporibus quanto antiquior. 493. 34.a
moſes, typus veri legislatoris fuit. 311.12.b
moſis monachi ordinatio. 272.5.a
Mulier, gloria viri eſt. 67.20.b
mulier propter virum creata eſt. 67.31.b. 412.64.b
mulier vnde effecta. 67.42.a.&604.40.b
mulieris effingendæ materiam ex viro Deus cur deſumpſerit. 520.47.a
mulierum non eſt docere. 67.33.a
Mundi nomine Paulus quid appellet. 111. 25.a
mundi triſtitia quæ ſit. 92.36.a
de Mundo variæ opiniones. 509 49.a
mundum Deus quibus tradiderit colendum. 368.24.
mundum Deus vnde crearit. 511.34.a
mundum Paulus creaturas vocat. 114.19.a
mundus. 583.18.a
mundus à quo factus. ibid.
Muſæ Syrenibus præferendæ. 537.58.a
Muſicæ officium. 593.46.a
Mygdoniam Syri & Aſſyrij quomodo appellent. 207. 9.b
Myſterium quid ſit. 36.38.b.80.33.a

N.

NArium officium quod. 600.41.a
Natalium diem obſeruationem qui inuenerint. 481.46.a
Natura diuina æterna eſt. 392.59.b
natura diuina circumſcribi non poteſt. 329.55.a
natura diuina, gloria cur dicatur. 114.51.a
natura diuina immortalis. 167.1.b.& 365.34.a
natura diuina impatibilis eſt. 76.40.b.& 154. 18.b.& 326.6.b.& 344.55.b.& 359.2.a
natura diuina ſimplex eſt. 152.30.a.364.65.a
natura diuina ſub aſpectum non cadit. 28.14.b.& 392.41.a
natura humana, à corruptione & interitu aliena effecta, promiſſis bonis fruetur. 80.29.a
natura humana ad Dei ſimilitudinem fabricata. 285. 39.b
natura humana immortalitatem quando induat. 111. 17.a
natura humana incorruptionem quomodo aſſequatur. 113.32.b
natura humana multarum rerum cur indiga. 528. 20.b
de natura primus quinam ſcripſerit. 481.34.b
natura vnde procedat. 408.9.a
natura vtrique ſexui quæ munera diſtribuerit. 548. 12.b
naturæ diuinæ cognitio, bonorum fundamentum eſt. 37.57.b
naturæ negatio, paſſionum peremptio eſt. 316. 13.b
naturam humanam Deus vnde aſſumpſerit. 7. 30.a
Nauati hæreſis. 383.46.b
aduerſus Nauatum qui ſcripſerint. 384.27.a
inter Nauim & domum quæ ſimilitudo. 606. 33.a
nautica ars. 591.32.a
Nazoræi qui dicti. 379.34.b
nazoræorum hæreſis. ibid.
Neocæſarea vbi ſita. 207.17.b
Neophytus quis dictus. 182.11.a
Neopolis, vrbs Thraciæ. 4.48.
Nepotis hæreſis. 384.36.a
Neronem appellat Paulus leonem, vt qui fuerit Imperator crudeliſſimus. 193.15.b
Neruorum quid proprium. 344.57.a
neruorum radix in corpore quæ ſit. 136 53.b
Neſtorij hæreſis. 390.28.a
neſtorius vnde oriundus. 389.32.b
in Nicæno concilio quæ geſta. 207.43.a
Nicænam ſynodum coegit Conſtantinus, in quo fuit numerus Epiſcoporum congregatorum decem & octo ſupra trecentos. ibid.
nicæni concilij epiſtola ad Alexandrinam eccleſiam. Nicolai-

Nicolaitarum hæreſis vnde conflata. 382.40.a
Nicopolis, Thraciæ oppidum eſt, finitimum Macedoniæ. 197.8.a
Nilus cur non eodem tempore, quo cæteri fluuij, extra alueum inundet. 513.35.b
Niſibis ciuitas qualis. 241.6.a
niſibis, quæ ab aliquibus Antiochia Mygdoniæ appellatur, ſita eſt in finibus Perſarum ac Romanorum imperij. 245.23.b
niſibis vrbs à Perſicis copijs obſeſſa, ab obſidione quomodo liberata. 245.34.b
Noctem Paulus ignorantiæ tempus vocat. 40. 57.b
Noctes vnde procedant. 135.57.a
noctis vtilitas. 579.31.a
Noe pietas. 475.26.b
Noeti hæreſis. 383.54.a
Nomadum ſolertia. 522.4.a
Non poſſe, imbecillitatis eſt. 311.63.a
Nouatiani digamiam tanquam ſcortationem accuſant. 61.3.b
Nouati hæreſis. 108.35.a
Noui teſtamenti præſtantia. 164.1.b.165.21.b
Nox & dies quomodo perficiantur. 107.46.a
nox & dies veluti ſorores ſunt. 578.52.b
nox nocti ſcientiam quomodo annunciet. 589.46.a
nox quietem quibus conciliet. 391.35.
nox, temporis menſura eſt. 579.21.
Nudos Paulus quos vocet. 89.30.a
Nugæ, otioſorum propriæ. 150.29.a
Nuptiæ ſecundæ non reijciendæ. 414.59.a

O.

OBedire quorum proprium. 109.29.a
Oblata ſuſcipere, Dei eſt. 163.1.a
Occidentalium partium propter Paulinum ſeditio. 287.23.b
Occulta noſſe qui deſiderant, ijs fide opus eſt. 485. 51.a
Oculorum natura quæ ſit. 588.47.a
oculorum vſus. 600.39.a
Offendere qui ſoleant. 33.43.a
Opera mortua quæ ſint. 160.43.b.& 167.15.a
opera per corpus peragimus. 16.1.a
Operationis varietas in quot corporis membra diuiſa. 600.28.b
Operum laudabilium formæ quæ ſint. 195. 48.b
Optio animi quid efficiat. 518.36.a
Opus bonum, ſpecies virtutis. 94.61.b
Orationis organum primarium quod ſit. 592. 46.b
Oris officium. 590.42.a
Ornatus verus quis ſit. 180.11.b
Orpheus Troianis bellis vna generatione antiquior fuit. 493.56.a
Oſij, Corduba Epiſcopi, commendatio. 234.49.b
Oſſa, corporis vires ſunt. 354.31.b
Otioſam agere vitam, turpe eſt. 144.45.a
Otioſi Deum cur accuſent. 22.64.a
otioſorum propriæ nugæ ſunt. 150.20.a
otium, nequitiæ parens. 181.4.a
Oues infirmæ curandæ. 415.37.a
ouium paſtor magnus quis ſit. 176. 23.b
Oxyrinchum, Aegypti oppidum. 264.29.a

P.

PAcis erga Deum qui participes. 26.2.a
Pædagogus quibus ſuperuacaneus. 129.6.a
Pedotribæ munus quod. 192.2.a
Palladij abſtinentia. 438.32.a
palladius quæ ediderit miracula. 438.36.a
Panis morbos quibus adferat. 401.60.b
Parentibus non obedire maximum eſt vitium. 11. 7.a
Parere quorum proprium. 149.16.b
Paſſio quid ſit. 352.59.b
paſſio quorum propria. 352.1.a
paſſio ſoli carni tribuitur. 365.28.b
paſſionem Deus quomodo ſuſtinuerit. 20.35.a
paſſionem dolor conſequitur. 361.17.a
paſſionum negatio, ſalutis eſt peremptio. 316. 9.b
paſſionum peremptio quid efficiat. 316.14.b
Paſtor magnus ouium, Deus eſt. 176.23.b
paſtores Paulus quos appeller. 118.29.b
Patientia quando maximè indigeamus. 132.30.b
Pater ſolus ingenitus eſt. 202.48.a
Pati per conſenſum quid ſit. 361.14.a
Patres corporales vnde dicti. 117.6.b
patris nomine propriè quis appellandus. 117.4.b
contra Patroclum quis ſcripſerit. 383.45.a
Pauli Conſtantinopolitani obitus. 227.43.a
Pauli Apoſtoli epiſtola ad Epheſios vbi & per quem ſcripta. 131.19.b
pauli epiſtola ad Coloſſenſes vbi & per quos ſcripta. 139.61.b
pauli epiſtola ad Corinthios ſecunda vbi & per quos ſcripta. 101.11.b
pauli epiſtola ad Hebræos vbi & per quem ſcripta. 176.63.b
pauli epiſtola ad Romanos vbi ſcripta. 4.58.& 47. 26.b
pauli epiſtolæ ad Romanos ſcopus quis. 3.29.
pauli epiſtola ad Theſſalonicenſes prima vbi ſcripta. 146.43.b
pauli epiſtola ad Theſſal. ſecunda vbi ſcripta. 150.34.b
pauli epiſtola ad Timotheũ prima vbi ſcripta. 187.30.b
pauli epiſtola ad Timotheum ſecunda vbi ſcripta. 187. 33.b
pauli epiſtola ad Titum quando ſcripta. 4.45.
pauli euangelium quid annuncier. 7.4.a
Paulini cũ Apolinari Laodicenſi contentio. 276.2.a
Paulinus in Epiſcopum Antiochenum à quo electus. 249.8.a
Pauls Samoſateni hæreſis. 381.51.a.315.5.b
Paulo Apoſtolo Spiritus ſancti gratia à Deo cur data. 44.16.b
Paulus à Deo quid acceperit. 76.14.a

paulus doctrinam à quo acceperit. 76.12.a
paulus, fidelium magister. 316.61.b
paulus genus suum vnde ducat. 128.42.b
paulus prædicare quando cœperit. 120.58.a
paulus prædicationis ministerium vnde susceperit. 6.24.b
paulus quorum fuerit constitutus Apostolus. 151.2.
paulus seipsum seruum Iesu Christi cur appellet. 6.43.a
paulus, spiritalis pater fuit. 117.10.b
paulus Titum cur fratrem nominet. 85.3.b
Pauper quis dicendus. 602.54.a
pauperculæ partus facilior, quàm diuitis. 601.26.b
pauperes facilius morbos sustinent, quàm diuites. 603.6.b
paupertas diuitiarum materia. 602.18.b
pauperte & diuitiæ omnibus sunt communes. 602.23.a
paupertas fugienda. 561.57.b
paupertas, philosophiæ coadiutrix. 599.49.a
paupertas, virtutum parens. 599.63.b
paupertatem Deus cur susceperit. 93.65.a
pauperum cura gerenda. 69.33.a
pauperum & diuitum par conditio. 601.53.a
pauperum & diuitum valetudo. 603.12.a
Pax pietate conseruatur. 289.57.a
pax semper retinenda. 140.43.a
Peccantium differentia. 575.25.a
Peccata per sanctæ Trinitatis inuocationem remittuntur. 57.30.a
peccati causa quæ sit. 18.36.b
peccati cognitionem hominibus lex indidit. 14.46.b
peccati confessio, ipsa est perpetratio. 556.34.b
peccati iucunditas quæ sit. 172.29.a
peccati operatio mortem peperit. 114.15.a
peccati operationem in hominibus quid perficiat. 22.10.b
de Peccatis dolere, veram salutem comparat. 92.35.a
peccato homines quando potentiores erunt. 102.35.a
peccatorum mortem Deus cur habuerit. 90.2.b
peccatorum remissionem quomodo simus consecuti. 15.17.a
peccatorum venia hominibus per sanctum baptisma data. 536.21.a
peccatum Deus quomodo profligauerit. 25.27.b
peccatum, mortem conciliat. 24.6.a
peccatum mortis sententiam in nos tulit. 136.48.b
peccatum non naturæ est, sed malæ electionis, maliq; instituti. 299.19.a.363.48.b
peccatum originale per Adam. 345.34.b
peccatum vnde proficiscatur. 522.53.b
Pecuniæ contemptus, vitæ æternæ conciliatrix est. 94.63.a
Pedestrium species quæ sint. 297.64.a
Pedibus quæ potentia à Deo concessa. 600.46.a
pedum quid proprium. 344.56.a
Pelagij temperantia. 261.38.a
Pepromene quid sit. 524.7.b
Peratæ vnde dicti. 374.13.b
peratarum hæresis. 374.14.b
Percussorem Paulus quem appellet. 194.50.b
Perfecti ab imperfectis quomodo discrepent. 160.17.b
perfectionem prædicationis doctrina largitur. 134.49.b
perfectionem quando simus consequuturi. 118.39.b
perfectionis recta executio quæ in re sita. 116.28.a
Perperam agere quid sit. 72.31.b
Persarum in Christianos crudelitas. 547.45.b
persarum lasciuia. 506.45.b
Petitio quotuplex sit. 149.9.b
Petri Athanasij successoris excubatio. 266.34.b
petri miracula. 442.18.a
petri vita. ibid.
petrus martyrij coronam quo tempore consecutus. 220.22.a
Pharao, Diaboli typus. 68.44.a
Pharaoni tam varias ac multiplices pœnas Deus cur intulerit. 526.61.a
Philosophi quem hominis finem statuant. 561.27.a
philosophi veri qui sint. 482.63.a
philosophia quid sit. 475.6.b.& 542.51.a
philosophiæ ἐγκώμιον. 475.62.a
philosophiæ materia. 475.3.b
philosophus, Dei amator est. 475.13.b
philosophus qua in re versari debeat. 482.1.b
Philoteræ pudicitia. 573.33.b
in Phœnicia simulachrorum sana quis deiecerit. 290.6.a
Photini hæresis. 281.24.a.315.6.b
photinianorum hæresis. 402.7.b
contra Photinum quis scripserit. 381.31.b
Pietas, vitæ æternæ conciliatrix est. 186.15.a
pietatis exercitium. 183.34.b
Piorum merces quæ. 616 19.b
Piper Medici potentia calidum cur nominent. 8.54.b
Piscatio. 595.24.a
Pithon blasphemiæ occasionem vnde ceperit. 376.52.a
Placillæ imperatricis pietas. 284.63.b
Plantandi ars. 315.47.b
Platonis leges. 548.55.a.& foliis sequent.
Πλεονεξία vnde nascatur. 175.23.b
Pœna ædificat. 100.39.b
Pœnitentiæ leges Ecclesia quas habeat. 415.25.a
Poeta. 576.36.a
poetarum leges de mundi opifice. 491.4.b
poetarum mendacia. 140.58.a
poetarum primus quis. 493.36.a
Polemij hæresis. 388.6.b
Pontica quot habeat episcopos. 290.2.a
Pontificatus munus primus quis susceperit. 165.25.a
pontificis appellatio Deo quatenus conueniat. 156.6.7.& 25.b
pontificis proprum quid sit. 165.43.a
in Ponto Episcoporum qui extiterint clarissimi. 273.12.b
Populum concitare, quorum proprium. 193.59.a
Posithiani vnde orti. 369.5.b
Postulatio quid sit. 179.7.b

Potentia

Potentia & imbecillitas quibus sint eadem. 50.62.a
Potestates cœlestes quæ sint. 126.64.b
potestates terrestres quæ sint. 126.65.b
Potitus blasphemiæ occasionem vnde ceperit. 376.52.a
Præcepta hominibus Deus cur det. 14.15.b
Præceptorem discipulorum alacritas excitat. 8.9.b
Præco verbi diuini quas leges sequi debeat. 199.6.b
prædicandi munus præstantius est, quàm baptizandi. 49.38.b
prædicatio salutaris nobis per quos tradita. 116.6.b
prædicatio salutaris salutem quibus procuret, & quibus exitium adferat. 85.33.b
prædicatio, vitæ æternæ conciliatrix est. 127.38.b
prædicationem salutarem Paulus primis quibus attulerit. 47.31.
prædicationem suam Paulus Euangelium cur appellauerit. 7.2.a
prædicationis doctrina perfectionem largitur. 134.49.b
prædicationis fructus quis. 43.41.a
prædicatores electio & manuum impositio constituit. 34.28.a
Præsentia, futurorum vmbræ sunt. 73.40.a
Præstigiatoribus ad fraudem faciendam simulatio nunquam deest. 201.12.a
Prepone blasphemiæ occasionem vnde ceperit. 376.52.a
Principes huius mundi Paulus quos nuncupet. 51.42.a
principatus à Deo cur ordinatus. 40.59.a
principatus dispensatio à Dei electione procedit. 40.24.a
principatus vtilitas quæ. 40.43.a
principibus quibus in rebus mos gerendus. 196.59.a
de Principio rerum variæ sententiæ. 489.33.b.508.11.b
principium vniuersorum vnum est. 391.47.a
Prodici hæresis. 371.15.a
Promissiones Dei quæ sint. 84.31.a
promissionis filij qui dicantur. 30.61.b
Prophetarum chori, templa Dei sunt. 560.30.b
prophetarum quid proprium. 27.23.b
Propitiatorium verum Christus est. 15.28.a
Προσκύνης quis sit. 296.25.
Protogenes in exilium à Valente missus pueris docendis operam dedit. 263.26.a
de Prouidentia. 576.
prouidentiæ abnegatio ad iniquitatem res est paratissima. 529.62.a
prouidentiæ demonstratio ab humani corporis fabrica. 584.33.a
prouidentiæ demonstratio ab imperio quod homini in bruta & belluas commissum est. 593.19.a
prouidentiæ demonstratio ex aere. 581.59.a
prouidentiæ demonstratio ex terra. 582.30.a
prouidentiæ demonstratio ex fontibus. 582.60.a
prouidentiæ demonstratio ex thermis. 582.20.b
prouidentiæ demonstratio ex mari. 583.49.a
prouidentiæ demonstratio ex insulis. 583.29.b
prouidentiæ demonstratio ex manibus humanis & inuentis artibus. 589.4.a
prouidentiæ demonstratio ex cœlo. 577.64.b
prouidentiæ demonstratio ex sole. 577.56.b
prouidentiæ demonstratio ex sole & luna, & reliquis stellis. 578.22.b
prouidentiæ demonstratio ex die & nocte. 578.51.b
prouidentiæ demonstratio ex anno, & anni partibus. 579.51.b
Proximi vtilitas procuranda. 48.11.b
Prudentia carnis, mors est. 25.62.b
Psatyrianorum hæresis. 387.42.a
psatyrianós Antiocheni quomodo nominent. 387.45.a
Publicæ diuina in loquendo libertas. 254.2.a
Publij vita. 435.36.b
Pusillanimes qui sint. 145.64.b
Pythagoræ sententia de animabus. 370.41.b
pythagoras circumcisionem acceptam à quo subierit. 481.3.a
pythagoras Dei cognitionem vbi adeptus. 491.28.a
Pythius Lycurgo quas leges dictarit. 553.10.a

Q.

QVæ causa Eunomianos & Arianos diremerit. 244.55.b
Quæstiones sine disciplina quales. 191.9.a
Quibus mortuis honores deferendi. 642.5.a
Quibus peccatis venia detur. 575.13.a
Quietes tres sunt vocatæ in diuina scriptura, & prima quidem dies septimus, in quo Deus impleuit creationem: secunda, terra promissionis: tertia, regnum cœlorum. 158.1.a
Quorum cura præcipuè agenda. 110.37.b
Quorundam capita velamento pilorum destitui Deus cur permiserit. 589.53.b

R.

RAab, typus Ecclesiæ. 172.10.b
Raab meretrix salutem per fidem consecuta est. 172.5.b.626.59.a
Raptorum quid proprium. 127.27.a
Ratio Deum imitandi. 569.37.b
ratio, hominis gubernatrix. 599.27.a
rationis expertium species quæ sint. 297.59.a
Redargutio, sectioni similis. 192.12.b
Redditio debitum multiplicat. 40.21.b
Reges qui laudandi. 532.14.b
Regnum à tyrannide quid differat. 20.31.b
regnum cœlorum quibus daturus. 162.27.a.& 196.40.b.365.9.b
regnum cœlorum quomodo concilietur. 42.19.b
regnum Dei perpetuum est. 154.41.a
Renes vbi siti. 122.36.b
Rerum bonarum & malarum discernendarum facultas quorum propria. 23.6.b
rerum confusionem peccatum introduxit. 605.33.a
rerum diuinarum cognitio, maximum est bonum. 568.42.a
rerum genitarum differentia. 530.20.a

BIBLIOTECA GRANADA

rerum humanarum natura quæ sint bona, & quæ mala. 401.5.b
rerum imaginem Paulus Euangelicam institutionem appellat. 168.11.a
Resurrectionis nostræ mysterium in quo absconsum. 137.48.a
Retributio cui conueniat. 79.31.a
Reuelationes Deus ex quorum viribus metiatur. 301.31.a
Risum immoderatum quid pariat. 120.51.a
Romanæ Ecclesiæ sedem post Petrum quis tenuerit. 193.43.b
romanorum autorum inuenta prudentiora sunt, quàm Græcorum. 522.19.a
Romanus vbi natus. 445.61.a
romanus virtutis certamina prima vbi ostenderit. 445.63.a
Rosus, Ciliciæ oppidum. 444.24.a

S.

SAbbata seruare quis iusserit. 107.48.a
sabbati obseruatio qua in re versetur. 105.44.a
sabbatismum Apostolus quietem cur appellet. 158.44.a
Sabellij hæresis. 281.16.a.315.19.a.& 5.b.381.3.b
contra Sabellium quis scripserit. 381.12.b
Sacerdotes sacrificia pro quibus offerre soliti. 164.21.a
sacerdotij dignitas. 163.34.a
sacerdotio fungi hominis est. 163.1.a
sacerdotum proprium quid sit. 303.19.a
sacerdotum quis legitimus censendus. 159.17.b
sacerdotum radix, bonorum fundamentum est. 163.26.a
Sacrificia Deo ingrata. 535.60.a
Saddai quid significet. 395.31.b
Saculorum creator quis sit. 379.14.b
sæculum quid sit. 152.7.b
Salamani vita. 454.26.a
Salem pacem significat. 162.26.b
Salus hominum, Euangelij scopus & institutum est. 64.44.b
Salutem doctrina procurauit. 71.43.b
salutem qui consequantur. 15.44.b.& 32.56.b.& 403.41.b
salutem veram quid comparet. 92.35.a
salutem quid conciliet. 135.15.a
salutis peremptio quæ sit. 316.10.b
Samosatensium fides. 262.58.a
Sanctorum animæ quos fructus percipiant. 542.17.a
sanctorum deprecatio, commune omnium morborum remedium est. 451.24.b
sanctus quis dicendus. 116.60.a.124.21.a.131.1.b
Sanguis Domini ante & post sacerdotis inuocationem quomodo appelletur. 327.48.b
sanguis in quot colorum species mutetur. 388.63.a
Sani qui appellandi. 498.37.b
Sapientes qui sint. 8.28.b.50.3.a
sapientia huius mundi quæ sit. 53.28.b
sapientia & potentia quibus eadem. 50.64.a
sapientia & stultitia quibus eadem. 50.62.a
sapientiæ sermo quis sit. 70.37.a
sapientiæ thesauri in quo absconsi. 135.10.a
Sarra cur sterilis. 171.38.a
sarra typus cœlestis ciuitatis. 108.11.b
Satanæ iniurias Paulus angelum appellat. 99.7.a
Saturitas rerum, turbarum parens est. 583.14.b
Saturni tyrannis. 501.52.a
Saturnili hæresis. 369.40.b.412.9.a
Saturnus cur Chronos dicatur. 502.1.a
Scapha vbinam primò compacta. 481.56.a
Scientia, Dei donum est. 54.32.b
scientiæ donum quibus datum. 488.16.b
scientiæ principium quod. 485.51.b
Scire, Dei proprium est. 337.5.a
Scribam Paulus quem appellet. 50.4.a
Scriptura diuinitus inspirata quæ sit. 192.24.a
scriptura, quæ sola vtilitatem in se continet, quæ sit. 77.20.a
scriptum, verborum indumentum est. 359.47.b
Sebastæ Deo impietatis & iniquitatis pœnas quas dederint. 249.30.b
sebastarum impietas & sæuitia. 249.15.b
Secundini hæresis. 397.47.a
Secundum carnem Paulus quæ appellet. 97.17.b
Sedechiæ impietas. 613.37.b
Seleucia, vrbs Thraciæ. 242.4.b
Semei homo obscurus & illiberalis ex sua aduersus Dauidem insolentia celeberrimus euasit. 295.34.
Semen Dauid quis. 303.10.b
Senectus, mortis præludium est. 608.18.a
senectuti quid maximè conueniat. 193.10.b
Sentiendi facultatis fons quis sit. 119.13.a
Sermonis organum, principium vnde ducat. 584.23.b
Serpens quibus exitium adferat. 347.57.a
Serui forma in homine nihil mendicius. 311.46.b
serui formam Deus vnde acceperit. 317.15.a
per Serui formam quid intelligendum. 127.34.a
serui ingenui. 608.60.b
seruitus herili potestate iucundior. 606.11.b
seruitus seruis ingenuis quantum profuerit. 609.8.a
seruitus vtilis & necessaria. 606.12.a
seruitutis iugum quod sit. 108.50.b
seruitutis origo & causa. 605.59.b
Sethi nomen vnde habeant. 374.9.a
sethiani serpentem cur adorent. 374.30.a
sethianorum hæresis. 371.18.b
contra Seuerianos qui scripserint. 375.33.a
Siccitatem & humiditatem homo vnde habeat. 400.46.a
Siculis leges primus quis tulerit. 545.12.b

Simon

Simon hæreticas spinas seminare quando cœperit. 189.54.b
simon Magus quorum dogmatum inuentor. 367.12.
simonis Magi hæresis. 189.55.b.315.1.b.369.13.a
Simulachrum, ars naturæ est. 584.27.b
Sinistra Paulus quæ appellet. 91.15.a
Sobrietas iuuentuti summo est ornamento. 195.36.b
Socrates duas habuit vxores. 573.11.a
socrates pueritiæ tempore vitam suam quomodo instituerit. 482.8.a.& 573.29.a
socrates quem habuerit patrem. 481.52.b
socratis lasciuia. 573.8.a
Soloculis imbecillis inimicus est. 87.59.b
sol quibus lux sit. 50.65.a
sol quibus tenebræ. 50.1.b
sol, radiorum & splendoris author. 394.18.a
de Solis magnitudine apud Philosophos quæ disceptatio. 509.45.b
solis natura. 513.42.b
Solomon gratia cur priuatus. 37.24.a
solomon pacem quomodo assecutus. 37.23.a
Somniorum visa Messaliani prophetias nominant. 260.48.b
Spartarum idololatria. 539.3.b
Spei confessio quæ sit. 169.50.a
Spiritale corpus quodnam. 79.58.b
spiritale medicamentum cur comparatum. 80.7.b
spiritales benedictiones quæ sint. 113.10.a
spiritales Paulus quos appellet. 75.15.b
Spiritum Paulus gratiam vocat. 105.41.a
spiritus à quibus extinguatur. 39.32.a
spiritus Angelici cur hagij dicti. 506.44.a
spiritus inquinamentum Paulus idolorum communionem vocat. 91.11.b
spiritus ministrationem Paulus quomodo consecutus. 87.12.b
spiritus naturam Paulus ipsum spiritum appellat. 27.3.a
spiritus fructus. 109.63.b
spiritus pro anima. 91.11.b
Spiritus sancti dona quæ sint. 48.44.b
spiritus sancti dona cur ministrationes appellentur. 69.62.b
spiritus sancti dona nobis à quo data. 113.6.a
spiritus sancti dona, nostra militiæ arma sunt. 05.24.b
spiritus sancti dona per quos distributa. 45.29.a
spiritus sancti dona varia atque diuersa sunt. 26.43.b.419.45.b
spiritus sancti gladius quis sit. 123.9.a
spiritus sancti gratia quibus data. 28.28.a
spiritus sancti gratiam per baptismum accepimus. 18.19.a
spiritus sancti operatio quæ sit. 123.10.a
spiritus sanctus æternus est. 167.21.a
spiritus sanctus, Deus est. 53.21.b.74.54.b.149.38.b
spiritus sanctus & Deus honore sunt æquales. 87.15.a
spiritus sanctus substantiam suam vnde habeat. 51.60.b.304.24.b
spiritus vnus est. 26.43.b
spirituum pater quis dicatur. 173.51.b
Splendor vnde sit. 152.40.b.& 153.34.a
splendoris causa. 153.5.b
splendoris natura. ibid.
Stellas Deus in quem finem condiderit. 580.22.b
Stephani Manichæi cuiusdam nefaria facinora Alexandriæ patrata. 234.6.a
B. Stephanus Deum quomodo viderit. 364.20.b
B. Stephanus Martyrum primus fuit. 70.41.a
B. Stephanus quando lapidatus. 320.60.a
Stoicorum secta à quo defluxerit. 517.64.a
Stultiloquium quid pariat. 20.52.a
Stultitia vera quæ sit. 50.32.
Stultum Paulus quem appellet. 79.41.a
Substantia ab hypostasi quid differat. 297.47.a
ex Substantia esse quid significet. 213.23.b
substantia quid significet. 297.48.a.& 37.b
Superbi qui sint. 10.63.b
superbia, mentis motus est. 38.10.b
Superstitioni qui seruiunt, dæmonibus sacrificia offerunt. 66.34.a
Susurrones qui sint. 10.58.b
Syluester Romanæ Ecclesiæ gubernaculum quando tenuerit. 200.13.b
Symeonis frugalitas. 464.62.b
symeonis obitus. 468.43.a
symeonis vitæ institutum. 463.28.b
Synodicus libellus aduersus Apolinarem & Timotheum à Damaso Episcopo Romano conscriptus. 280.8.b

T.

TAtiani hæresis. 412.9.a
Tatianus hæresin suam vnde formauerit. 374.60.b
Telemachus Romæ lapidibus obrutus est. 289.14.b
Temperantia quid sit. 598.48.b
temperantiam quis consequatur. 599.13.a
Templa Dei sancti sunt. 560.39.b
Temporis mensuras nouisse cur necessarium. 579.35.a
temporis plenitudo quid sit. 113.1.b
tempus cur Chronos dictum. 524.14.b
tempus hibernum in quem vsum conditum. 580.59.a
tempus per elementa consistit. 107.52.a
Tenebrarum opera quæ sint. 40.64.b

tenebra-

tenebrarum potestas, diaboli dominatus est. 133. 4.a
Terra, hominum sedes est. 531.31.b
terræ partes inferiores Paulus mortem vocat. 118. 3.b
terræ situs ac species. 582.36.a
terram Deus quomodo fundauerit. 526. 55.b
terram herbas germinare Deus quare iusserit. 592. 64.a
Terrestris domus quæ sit. 89.10.a
Testamenti veteris & noui vnus est dator. 406. 43.b
testamentum vetus ex Hebraica lingua in Græcam à quo translatum. 379.46.a
Testimonium Paulus Dei prædicationem nuncupat. 48.50.b
Thalassij mansuetudo & morum simplicitas. 460. 62.a
thalassius miracula quæ ediderit. 460.37.b
Thalæus vitam quomodo traduxerit. 469 34.a
Theodoreti oratio de charitate. 471.33.b
theodoretus vt in octingentis ecclesijs pastor esset, sortitò obtigit. 630.23.
theodoretus absens calamo iugulatus, cum nec in ius vocatus esset, nec præsens iudicatus. 630.7.
theodoretus à nefandis hæreticis lapidibus impetitus fuit, & multa in Orientis ciuitatibus certamina suscepit. 630.26.
theodoretus, cùm ad Leonem Romanum Episcopum scriberet, viginti sex annos Ecclesiam rexerat. 630.18.
theodoretus plus quàm mille animas liberauit à morbo Marcionis, multosque alios à secta Arrij & Eunomij Christo adduxit. 630.21.
Theodori confessoris constantia. 251.11.a
Theodorus Mopsuestiæ Episcopus diem supremum quando obierit. 295.7.a
Theodosij in Deum fiducia. 445.28.a
theodosij imperium. 277.16.b
theodosij obitus. 445.57.a
theodosij pietas. 248.12.b
Theodosij iunioris pietas. 292.58.a.& 23.b
theodosij vita institutum. 444.31.a
theodosium Gratianus Imperatorem designauit, tradidit que illi sceptra Valentis regni. 277.12.ll
theodosius iunior ex pietatis seminibus quem fructum perceperit. 292.51.b
theodosius vbi natus. 277.17.a
Theodoti pietas. 435.33.b
Theodotianorum hæresis. 402.6.b
Theologia in Græcum idioma quis transtulerit. 496. 24.b
Thessalonica. 281.45.a
thessalonicensium commendatio. 140.45.b
Thessarescædecatitarum hæresis. 383.11.b
Thracia in quot Episcopatus diuisa. 289.58.b
Tibiarum inuentores qui sint. 481.49.a
Tigris vnde erumpat. 255.1.a
Timor. 604.63.b
timor quibus præcipuè congruat. 515.12.b
Titulum principis Christiani verè & perfectè qui tueantur. 1.38.
Titus quam vitam duxerit. 197.16.a
Traditiones rerum diuinarum & humanarum quantum virtutis insitum habeant. 545.48.a
Traiani ductoris exercitus Valentis Imperatoris in loquendo libertas. 274.18.a
Transgressio & obseruatio legi coniuncta. 17.6.a
transgressio supplicium inducit. 32.29.b.412. 38.a
Tributum quid sit. 40.12.b
Trinitatis natura, vna est. 496.61.a
Turpis lucri spectator quis sit. 182.49.a
Tyrannorum natura. 551.49.a
tyrannos Deus cur patiatur. 526.9. b
Tyriorum idololatria. 539.8.b

V.

VAlens Episcopos quos fecerit extorres. 261. 32.b
valens impietatis pœnas quomodo persoluerit. 274. 16.b
valens Valentiniani Imperatoris frater in Arianam hæresim quomodo dilapsus. 261.60.a
Valentiniani pietas. 253.5.a
Valentini hæresis. 160.12.a.315.2.b.171.47.a. 397.47.a.402.55.a
valentiniani Imperatoris & Valentis de Consubstantiali epistola. 259.51.b
valentiniani commendatio. 258.59.b
valentiniani imperium. 258.53.b
Valentinianus iunior ad pietatem paternam quomodo reductus. 282.31.b
Valentis obitus. 274.16.b
bona Valetudinis mater quæ sit. 601.9.b
Vanitatem Paulus corruptionem & interitum appellat. 27.56.a
Vectigal quid sit. 40.13.b
Velamen quibus imponatur. 86.65.b
Velum, charo Christi. 301.12.b
Venæ, aquæ similitudinem referunt. 586.2.a
venæ sanguinis canales. 600.52.a
Venatio. 595.17.a
Veneficium, animæ, non corporis proprium est. 109. 55.b
Venter, alimenti receptaculum. 600.48.a
Ver, anni partium vegetatissima. 610.50.a
Veritas & veritatis coniectura inter se quid differant. 491.2.a
veritas, simplex est. 576.35.b
veritatis inuentores qui sint. 483.27.a
vestes corpori calorem nullum præbent, sed seruant cooporis calorem. 471.22.a
Veteribus plures habere vxores cur concessum. 413. 28.a
Vetus testamentum, sacra scriptura Dei promissionem Abrahæ factam vocat. 105.12.a
Via bona, Christus est. 558.17.b
Viatores à via regia deflexi quid facere soliti. 297. 12.a

Victoria qua reconstet. 289.59.a
Viduæ veræ quæ sint. 184.51.a
Vigilantes Paulus quos appellet. 145.37.b
Vinolentum Paulus quem appellet. 194.50.b
Vinum hominibus cur datum. 600.9.a
vinum morbos quibus adferat. 401.60.b
Vir caput vxoris. 67.42.a
Virginitas cur bona. 412.33.a
de Virginitate legem Deus nullam cur tulerit. 412. 11.a
virginitate nullum bonum præstantius. 60. 95.a
virginitatem Saturnilus & Tatianus, diaboli matrimonium vocant. 412.9.a
virginitatis lucrum. 412.59.a
virginitatis scopus. 60.61.b
virginitatis vsus. 412.9.b
Viris & mulieribus eadem leges cur latæ. 520. 51.a
virorum & mulierum vna eademque est natura. 58. 41.a
Vittus, bonorum causa est. 617.18.a
virtus nulli domino subiecta. 529.38.a
virtus quando perficiatur. 28.38.a
virtutes futuri sæculi quæ. 161.37.a
virtutes quomodo assequantur. & 22.b
virtuti sua est retributio. 617.28.a
virtutis ἐγκώμιον. 475.62.a
virtutis, non naturæ cognationem Deus quærit. 30. 50.b
virtutis opes per diuinum auxilium reguntur. 93. 1.a
virtutis perfectæ officium. 39.14.b
virtutis possessio necessaria est. 89.16.b
Vsui quod officium commissum. 600. 59.a
Vita æterna, Dei donum est. 21.60.b
vita ad Dei leges instituenda. 568.53.a
vita humana vnde constet. 60.52.b
vita immutabilis est. 356.3.b
vita iniqua, impietatis fundamentum. 378. 40.
vita non omnibus damnosa. 102.44.a
vita pauperum perfectissima est. 550.56.b
vita praua, impietatis fundamentum est. 179. 42.a
vitæ humanæ breuitas. 60.48.b. 304.46.a 102.53.a
vitæ exitus in bello maximè & præcipuè incerti. 248. 4.b
vitæ quæ propria. 358.24.a
vitam ex lege qui constituit, gratiam contemnit. 105. 1.a
vitam præsentem Paulus malum sæculum nuncupat. 102.38.a
Vitij ablatio veram salutem procurat. 136. 17.a
vitis fructus mysticè Domini sanguis nominatur. 302. 19.a
viuendi rationem extra legem Paulus libertatem vocat. 104.7.a
Vna omnium origo. 604.33.b
Vnctio, humanitatis est, non diuinitatis. 154. 41.a
Vngues Deus cur fecerit tenues. 590.36.b
Vngularum vsum homo vnde adsciscat. 591. 3.a
Vnio est inconfusa. 363.49.a
Vnus omnium est opifex. 15.41.b
Vocare, Dei proprium est. 109.29.a.& 149.19.b
Volucrum species. 297.66.a
Voluntas Dei hominum salus est. 168.63.a
voluntates Dei duæ sunt. 359.18.b
Voluptatem corporum quid sequatur. 471.43.b
Vxorum cura gerenda. 121.53.a

Z.

ZEbinæ modestia & simplicitas. 462. 32.b
Zebinæ vita. 461.18.b
Zenonis Eleatis constantia. 543.20.b
Zenonis vitæ institutum. 445.64.b
Zosimus, Bonifacij successor. 293.56.a

FINIS INDICIS TOMI SECVNDI OPERVM THEODORETI.

CATA-

CATALOGVS BEATI
THEODORETI OPERVM, QVAE IN HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

In Epistolas Pauli, ad	Romanos.	6.
	Corinthios, priorem.	48.
	Corinthios, posteriorem.	82.
	Galatas.	101.
	Ephesios.	112.
	Philippenses.	124.
	Colossenses.	132.
	Thessalonicenses, priorem.	140.
	Thessalonicenses, posteriorem.	147.
	Hebræos.	152.
	Timotheum, priorem.	177.
	Timotheum, posteriorem.	187.
	Titum.	194.
	Philemonem.	197.

Ecclesiasticæ Historiæ libri quinque.	199.
Eranistes, seu Polymorphus.	296.
Hæreticarum fabularum libri quinque.	268.
Diuinorum decretorum epitome.	391.
Θεοφιλής, id est, Religiosa Historia.	420.
De Euangelicæ veritatis ex Græcorum atque Gentium philosophia cognitione, siue de Græcarum affectionum curatione, libri duodecim.	479.
De Prouidentia sermones decem.	576.

HENRICO VALESIO
FRANCORVM REGI CHRISTIANISSIMO GENTIANVS HERVETVS
S. D. P.

DIV apud me dubitaui Christianissime Princeps, hósne pulcherrimos Theodoreti in epistolas Pauli Commentarios, à me nuper Latinè versos, sacro sancto tuo nomini dedicatos in lucem auderem emittere. Ac primum quidem mihi nonnunquam veniebat in mentem subuereri, ne nimiæ audaciæ ac potius temeritatis iure possem argui, qui nec genere, nec eruditione, nec virtute non modo nobilis, sed ne notus quidẽ, imò verò planè terræ, vt ita dicã, filius, ad te Regem omnium totius Europæ principum sine controuersia maximum & nobilissimum scribere auderem. Deinde verò ne ei, ad quem tanti regni gerendæ reip. summa diuinitus delata est, hoc scriptorum genus minimè fortasse conueniret. Sed omnẽ omnino timorem mihi tãdem excussit, & vt audacter ad te scriberem incitauit, summa tua, quæ ab omnibus prædicatur, atque adeò laudibus in cœlũ effertur, humanitas. Ita enim cœpi apud me cogitare. Quidni ad eum scribã principem, qui in summa omnium rerum potestate ita modũ tenet, vt amplissimum & maximum regnũ adeptus, ne tantillo quidem sit factus insolentior: qui quę sibi à Deo data est potestate ita vtitur, vt priuata publicis postponens, cõmunibus cõmodis sua contineri existimet, & Regis officio ita se demũ rectè functurum verè sentiat, si totius populi bonum sibi proponens, singulorũ quoque, quoad eius fieri potest, rationẽ habendam esse ducat; qui se Regem ita à Deo constitutum esse sciat, vt se eius ministrum agnoscens, procurandã eorum quibus præest vtilitatem, malis afferendum terrorẽ, & bonis dandã esse laudem, intelligat. Qui autẽ ita in principatu vitam suam instituit, minimè timendũ est, ne is vllum ex suis propter obscuritatem aut generis humilitatẽ habeat despicatui, & ne quæ sibi bona ac sincera mente dicuntur, non patienter & non ęquo animo audiat. Iam verò quod scriptorũ genus & magis conuenire potest, qui quibusuis superbissimis Regũ & Imperatorum titulis longè augustius ac magnificentius hæreditarium Christianissimi cognomen, tot iã sæculis, iustissimis de causis, à maioribus per manus traditũ accepit, q̃ eorum quæ diuinum ipsius Christi spiritum apertè nobis exprimũt & referunt? Iactent & magnificè ostentent Romani suos Coriolanos, Numidicos, Africanos, Creticos, Asiaticos, & cæteros, qui ex vrbium ac populorũ cladibus & incommodis, ad laudem, vt sibi visi sunt, insignia nomina peperere. Alij Augustos, victores perpetuo felices, & triumphatores dici præclarũ ac gloriosum existiment. Alij de Ptolemæorum, & si velint etiã Sultanorum hæreditarijs in regno suo titulis sibi placeant. Francorũ Regibus vnum semper satis fuit & erit Christianissimi cognomen, q̃ reliquis certè tanto antecellit, quãto Christus, à quo denominantur, in quo sunt absconsi omnes scientiæ thesauri, non quibuslibet solum mundi imperijs, sed vel cœlestibus ipsis dominationibus, thronis & potestatibus longè est superior. Hunc autem pulcherrimũ Christianissimi titulum ij demum verè & perfectè tuentur, qui q̃ sit Christiani Principis officiũ in memoriam reuocantes, omnes suas actiones, omnia cõsilia, omnẽs deniq; suas cogitationes eò tanquã ad scopum dirigunt. Nemo verò quod sit Christiani Principis munus vnquam satis intelliget, qui non ab ipso Christo, diuinissimis, inquam, eius scriptis, & eorũ quos post se tanquam per se locuturos, imò verò in quibus ipse loquebatur, reliquit, ipsum Christum acceperit: hauserit, &, quãtum homini datum est, expresserit. Quo fit vt doctorum virorum in sacros libros cõmentarios, quibus ad eos intelligendos facilior dari possit aditus, non modo te non indignos, sed tibi etiam in primis cõuenire arbitrer. Quod te ipsum quoque sentire eo facilius adducor, q̃ vt patris tui summi viri, & omnium suę ętatis principum, absit verbo inuidia, facile principis imperio successisti: ita maximas eius virtutes hęreditario quoque iure ad te peruenisse non dubito. Inter cæteras autem eius laudes, quæ sunt præclarissimæ, & nullis sæculorum curriculis delendæ, tres fuerunt meo iudicio præcipuæ, à multis quidem iã celebratæ, sed à nullo eorum qui viuunt aut victuri sunt, satis pro dignitate laudandæ. Nempe summæ doctrinæ coniuncta in viros doctos summa liberalitas, & quod Regi Christianiss. conueniebat, vehementissimum tuendę religionis studium. Atq; incredibilem quidem eius doctrinam omnes ij satis norunt, qui in eius aula versati de quacunq; re proposita eum admirabiliter differentem audiuere. Summam autem eius in viros doctos munificentiã, quæ est regio tam barbara, quæ tantis locorum interuallis à nobis disiuncta, quæ non vel audierit, vel aliqua etiã ex parte senserit; cùm hoc ei esse vnum propositum videretur, vt doctorum hominũ ingenia quacunq; posset ratione incitaret, adiuuaret, promoueret? Vt omittam q̃ Lutetię eruditissimis trium linguarum & omnium bonarum artium delectis professoribus honestissima stipendia constituit, & luculentissimam librorum supellectilem sumptibus planè regijs vndiq; conquisitam, ad omnium iuuanda studia, dum eos à typographis in lucem edendos curat, exprompsit. Quam quidem in viros doctos beneficentiam, & summum literarum amorem, cùm statim ab inita re-

gni tui administratione te apertissimè ostendisse, & hic constans fama fit, & id esse verissimum vir in primis prudens ac doctus Michael ab Hospitali, qui tuus erat in Concilio legatus mihi affirmauerit, non possum non id laudare, suspicere, & admirari, & nobilissimi tui regni reipublicæ, imo verò & tibi ipsi eo nomine gratulari. Quid dicam de eius summa in tuenda ac conseruanda religione constantia? quæ quidē est eo magis suspicienda, quòd his calamitosis ac turbulentis tēporibus vix relictus est vnus aut alter princeps, qui non vel omnino defecerit, vel non in pietate aliquantisper refrixerit. Nam vt omitttam cùm ab impijs hominibus sacræ aliquoties violatæ essent imagines, peractis publicis lustrationibus ac supplicationibus scelus nefarium expiandum esse duxerit; cùm in sacrorum rituum prophanatores & ecclesiæ desertores mitissimus alioqui princeps grauissima supplicia constituerit: Quo tempore per omnes totius Galliæ ciuitates vno & eodem momento in omnibus ferè templorum valuis, triuijs, & compitis affixi sunt execrandi libelli, qui de diuino altaris sacrificio, & ecclesiasticis omnibus sacramētis, furiosissimè detrahebāt, quanta, bone Deus, fuit Regis optimi, & ab omnibus prædicanda in Christum, cuius causa tunc agebatur, pietas? Qui non satis habuit, nudo capite, cereum manu gestans, lustrationi quæ pro expiando fiebat scelere, cum tota sua familia interesse, & de impijs hominibus, sceleris inquam authoribus, multitudini interim parcens, supplicium sumi iubendo, quid animi haberet ostendere, nisi etiam conscenso suggestu, eloquentissima habita oratione, improbos à rerum nouarum cupiditate deterreret & bonos in officio contineret. In qua quidem, vox illa planè regia, & Christiano Principe verè digna, ab omnibus exaudita est, se ab execranda illa secta adeò abhorrere, vt si alteram ex manibus huic tam nefario sceleri affinem esse sciret, eam sibi ipsi altera audacter præcideret. Hinc certè effectum est, vt vehementissimum, quod mox erupturum, & omnia occupaturum videbatur, incendium, tanta Principis maiestate & à Deo inspirata dicendi facultate si non omnino extingueretur, saltem coerceretur, & vtrunq; comprimeretur: Tale ac tantum Christianissime Princeps est tibi propositum domesticum exemplar ad imitandum, quod te non solum assequuturum, sed etiam longo interuallo superaturū, si paululum adnitaris, nemo est qui non speret, nemo tuorum qui non optet. Declarauit quidem sæpius præstantissimus pater tuus quàm pio & quàm Christiano esset animo, cùm eorum, qui à fide orthodoxa deficiebant, audaciam suppliciorum grauitate deterruerit, & ne in apertum bellum exiret prohibuerit: sed vt insidiæ, quæ clàm comparabantur, de medio tollerentur, & diu exoptata in religione pax ac concordia in regnum saltem suum introduceretur, id verò efficere non potuit. Enimuerò ea laus diuino quodam iudicio Princeps Christianissime tibi est reseruata. id vnum tibi restat faciendum, quod si Christo duce effectum reddideris, maximam regno tuo, quod propter has de religione controuersias mirè est perturbatum, trāquillitatem afferes. Id ardentious votis à te omnes tui exposcunt, quo perfecto, lux quædam Christianæ reip. affulgere videbitur. Sed, quomodo, inquies, potest hoc à nobis fieri? Dicam tua humanitate fretus liberè quod sentio, quod in bonam partem accipias velim. Non quidem prudentia & ingenio adeò abundo, vt me tanto Principi consilium posse dare existimem. sed memineris oportet eius quod vulgo dicitur, etiam olitorem quandoque opportuna dicere. Nihil quidem afferam reconditum, nihil ex abstruso sapientiæ thesauro expromptum, sed quod vel in cuiusuis paulo consideratioris ex vulgo ore versatur. Prudenti autem & circunspecto Principi non quis dicat, sed quid dicatur, attendendum est. Lutherani & cæteri, qui à rectè sentiente ecclesia defecere, hoc nobis in primis obijciunt, quòd summi ecclesiastici Magistratus & præcipuæ rerum sacrarum procurationes indignis passim mandentur. Quod vtinam falso dicerent, & non hæc querela viris bonis ac pijs esset cum eis communis. Nemo est enim verè Christianus, qui non tantam indignitatem non sine magno animi dolore deploret. Ei autem rei si quod par est remedium afferatur, non dubito quin hæc pacis componendæ & concordiæ inducēdæ prouincia sit tibi facilis & expedita futura. Non multis ab hinc annis, recténe an secus, non est meum statuere, sed diuina quidem certè permissione factum est, vt à sanctæ memoriæ Leone Pontifice maximo ecclesiasticæ electiones ad felicis recordationis Francisci Regis patris tui arbitrium nominando deferrentur, sibi tamen instituendi ac confirmandi reseruata potestate. Eius autem acerrimo iudicio & Leo ipse, & Clemens, & Adrianus, & qui eos secutus est Paulus tertius Pontifex maximus meritò semper tantum tribuerunt, vt quem ille dignum iudicasset, is eis sua sententia semper instituendus & comprobandus visus sit. In quo quidem eligendi negotio quàm præclarè se gesserit, testantur permulti pij & docti Episcopi, qui & Tridenti & Bononiæ fuere in Concilio. testantur etiam aliquot alij, qui in suis diœcesibus agentes, munus suum integrè & innocenter obeunt. Nonnunquam tamen (ignosce mihi quæso ò pia & sancta anima) vel gratia, vel precibus, vel officijs victus, non ad illam exactam electionis normam omnes examinauit. Huic eligendi muneri, tu, vt cæteris omnibus, Princeps Christianissime successisti, in quo si te ita gesseris, vt quæ in patre iure fortè desiderata sunt, in te minimè requirantur, summa certè omnia videbere consecutus. Hoc autem præclarè facies, si apud te constitues in ecclesiasticis mandandis Magistratibus nec gratiæ, nec precibus, nec vllis animi propensionibus locum esse debere. Vetus est prouerbium amicum esse oportere, sed vsque ad aras. Quod profectò ad hoc nostrum eligendi negotium optimè transferri potest. Amico quidem gratificandum est, sed si id fieri non potest, sine ecclesiæ, quæ est templum Dei, atque adeò corpus Christi, detrimento, quid dubitas potius amicum quàm Deum offendere?

Quanquam quis se iure læsum esse conqueratur, si id ei non concedatur, quod concessum & non rectè administratum, ei animæ exitium cum plurimorum cōiunctum pernicie afferet? Ab hac autem ambientium & rogantium molestia te facilè liberabis, si hanc tibi ipsi legē constitueris, quæ vtinam vbique terrarum fixa & firma esset, vt ecclesiasticū nulli mandes magistratum, qui eum vel per se vel per alium ambierit. Id autem si feceris, & virtutis & doctrinæ, addo etiam ætatis, in primis esse habendam rationem duxeris, bone Deus, quis bonorum & doctorum virorum prouentus breui in Gallia futurus est? Tantus certè, vt cum ecclesiasticum munus, aut vt melius cum Paulo dicam, opus vacauerit, ex eis dubites quisnam sit potissimum eligendus. Et certè si nunc, cum nulla aut admodum tenuia virtutiac doctinę sint proposita premia, plurimi tamen sua sponte, ducti bonitate naturæ, egregiam rebus diuinis nauant operam: quid tandem futurum putas, si suam quandoque eruditionem sperent futurā reip. vtilem? Dolendum profecto, & maximè dolendum est, quòd cum sit Lutetię celeberrimum omnis generis doctrinæ, & maximè Theologię emporium: qui in eo quidem aliquandiu operam literis gnauiter dederunt, in externis aliquot regionibus ad summos ecclesiasticos honores facile peruenium: in media autem Galliæ luce in situ & puluere miserè delitescunt. Non possum tamen ire inficias, & vtinam tam possem quàm lubenter vellem si possem, à summis etiam principibus & ipsis Apostolorum coryphæis in mandandis Magistratibus non semper ecclesiasticam exactè seruari regulam. Sed tuum est, tuum, inquam, hoc est principis & nomine & re Christianissimi non ex aliorum erratis tuam vitam instituere, sed tuo potius exemplo ad ecclesiasticam, quam, vt leuissimè dicam, alicubi lapsam esse negari non potest, erigendam & suo loco restituendam disciplinam inuites. Ad hoc efficiēdum nemo tibi melius consilium dare potest, quàm sanctissimus Paulus, qui perfectissimū Christiani Episcopi exemplar in suis epistolis pulcherrimè describit. Quod si tibi sequendum proposueris, quoties de creando Episcopo agetur, non solum tua sanctissima electio in nullius reprehensionem incurret, sed etiam spes est fore vt respub. Christiana, in amplissimo regno tuo, euulsis omnibus sectarum & hæreseon stirpibus, in summam concordiam & tranquillitatem deducatur. His ego impulsus Christianiss. Princeps, non sum veritus Theodoreti Cyrensis Episcopi in D. Pauli Epistolas commentarios tuæ maiestati dedicare. Quos vt ab eo profectos, qui vt te Christiano Principe dignis opibus & virtutibus perpetuo augeat, à Christo quotidie supplex petat, non grauatè accipias, & in tuorum librorum numero habeas, vehementer rogo & obsecro.

Vale Princeps Christianissime. Pridie Cal. Iul. M D LI.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS QVATVORDECIM SANCTI PAVLI EPISTOLARVM INTERPRETATIO,

A Gentiano Herueto Aurelio Latinè versa.

TOMVS SECVNDVS.

SCIO quidem fore, vt dum diuini Paùli doctrinam interpretari conor, maledicorum ac detractorum linguas non possim effugere, quin etiam me fortè arrogantiæ ac temeritatis ab eis accusatū iri, quòd post hunc & illum, qui sunt totius orbis lumina, audeam Apostolicā interpretationem aggredi. Aggrediar tamen, non meis quidem viribus fretus, sed diuinam orans gratiam vt Apostolicæ sapientiæ profunditatē ostendat, & ablatis literæ velamentis, aperiat, vt ijs, qui illius participes esse volunt, paratum lucrū offeram. Eos autem, qui vt alienos labores reprehendant sibi possunt in animum inducere, adhortor, vt diuinam scripturam perfectè ediscant. Multa enim eiusmodi exempla inuenient. Etenim Eldad & Medab suffragium quidem humanum non sunt assecuti, nec in septuaginta Iudicū numerum relati. Quinetiam magnus ille Moses ipsos cum reliqua populi multitudine reliquit. Diuina tamen gratia dignati, & donum Propheticum assecuti sunt. Samueli quoq; Prophetæ, cùm esset adhuc adolescentulus, ne postremum quidem ministerium à sacerdotibus obire permissum est. Immatura enim ętas eum à munere obeundo arcebat: tamen vt ei Deus apparet et assecutus est; diuinæque visionis fructum percepit; & Domini Dei vocem auribus accepit, cùm quid Deus esset nondum didicisset. Quinetiam Helias, qui se solum esse relictum Prophetā existimabat, audiuit tamen relicta esse septē millia à cultus idolorum errore aliena, & quæ Deo quē par est cultum exhibebant. Innumerabilia autem eiusmodi, quæ in scripturis narrantur, possunt inueniri.

Num. 11.

Reg. 1. Cap. 3.

3. Reg. 19.

Non est ergo alienum, vt nos quoque, tanquã quidam culices, vnà cũ illis apibus per prata Apostolica bombũ edentes circumuolemus. Dominus enim & diuites & pauperes efficit: humiliat, & exaltat, è terra pauperem excitat, & è stercore mendicum erigit. Vt sedere eum faciat cũ Principibus populi & throno gloriæ. Et Dominus cæcos illuminat, & sapientes retrorsum cõuertit, & eorum consilium stultum efficit. Quamobrem vt intelligentis lucis radiũ assequar precatus, interpretationẽ aggredi audebo: & ex puris ac diuinis patribus ea quę ad id cõferent colligam. Breuitatis autẽ quàm maximam potero curam geram. Scio enim breuitatẽ eos etiam, qui se otio totos dedunt, ad legendum adhortari. Ac primũ quidem Apostolicarum Epistolarũ temporis ordinẽ conabor ostendere. Quatuordecim quidẽ epistolas scripsit beatus Paulus. Quem aũt habent in libris ordinẽ, eum minimè ab eo factũ esse existimo. Sed quemadmodũ sacros quidem Psalmos diuinus Dauid suscepta sancti spiritus operatione conscripsit: eos autẽ quidam alij postea vt voluerunt inter se concinnarunt: & spiritalem quidẽ bonum odorem emittunt, sed tẽporis ordinem non habent: ita etiã has epistolas Apostolicas fuisse compositas inueniri potest. Quę enim à diuinissimo Paulo ad Romanos scripta est epistola, primum quidẽ locum sortita est. Vltima aũt omnium, quę ex Asia, & Macedonia, & Achaia missæ sunt, scripta est. Primam enim scriptam esse existimo priorem ad Thessalonicenses. Eã enim misit Athenis diuinus Apostolus, vt ad eos scribens docuit. In medio enim epistolæ sic dicit. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis. & misimus Timotheũ fratrem nostrum, & fidelẽ ministrum Dei & cooperatorem nostrũ in Euangelio Christi, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestra. Rursus autẽ cùm non multum temporis præterijsset, ijsdem scripsit secundã. Ab Actuũ autem historia docemur, quòd diuinus Paulus relictis Athenis Corinthũ venit, illic autẽ plurimo tempore versatus est. Post eas aũt scriptã esse existimo priorem ad Corinthios. Eã autem scripsit cùm Ephesi tunc tẽporis ageret. Et hoc ipse declarauit. Dicit enim circa finẽ epistolæ. Permaneo autem Ephesi vsq; ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarij multi. Venit autem Ephesum postquã prædicasset Macedonibus, & Athenienſibus, & Corinthijs, vt docet historia Actuum Apostolorum. Secundam quoque ad Corinthios post eam scriptã esse existimo. Cùm enim, vt erat pollicitus, ad eos veniret, & aliquantũ temporis in Macedonia ageret, illinc misit. Et hoc rursus in eadẽ epistola declarauit. Cùm enim quas in Asia & in Troade subijsset, afflictiones narrasset, dicit in medio, Etenim cũ nos venissemus in Macedoniã, nullam qui etẽ habuit caro nostra. Sed omnem tribulationem passi sumus. Foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos in aduentu Titi. non solum autẽ in præsentia ipsius, sed etiam in consolatione qua consolatus est in vobis. Et rursus, Notam autem vobis facimus fratres gratiã Dei datam ecclesijs Macedoniæ. Et rursus, Ne cùm venerint mecũ Macedones. Quintã scriptam esse existimo priorẽ ad Timotheũ. Post procemiũ enim dicit. Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi, cũ irem in Macedoniam. Docet aũt nos etiam Actuum historia, q̃ quando primum venit in Macedoniam, nondũ quidem Ephesum venerat. Prohibiti enim, inquit, fuerant à spiritu loqui verbũ in Asia. Erat aũt etiam vnà cum eo Timotheus. Nã hoc quoque apertè docet Actuum historia. Nam cũ Iudæi ex Thessalonica Berrhœam venissent, & multitudinem ad seditionẽ concitassent, diuinus quidẽ Apostolus Athenas nauigauit. Manserunt autem, inquit, Silas & Timotheus illic. Et rursus cùm quæ Corinthi acta sunt scriptor narraret, & doceret quomodo diuinus Apostolus in Synagoga in omni sabbato docuerit, & quòd Iudęis & Græcis persuaserit, subiunxit, Postquã autem venerunt ex Macedonia Silas & Timotheus, instabat verbo Paũlus testificans Iudæis Christũ Iesum. Clarũ est ergo, q̃ quando secundo ex Ephesо venit beatus Paulus in Macedoniã, tunc illic optimũ Timotheum reliquit, vt eorũ curam gereret, qui salutarẽ prædicationem susceperant. Post hanc, eam esse scriptã existimo quæ ad Titũ missa est. Cũ enim in ijs adhuc locis Paulus ageret, iussit Tito, vt ad se veniret. Sic aũt dicit, Cũ misero ad te Artemã, vel Tychicũ, festina ad me venire Nicopolim. Ibi enim statui hyemare. Dicũt autẽ Nicopolim esse vrbẽ Thraciæ, & esse Macedoniæ propinquã. Septimam misit ad Romanos. Post eas enim omnes se hanc scripsisse docet. Sic aũt dicit, Nunc igitur proficiscor in Hierusalẽ ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationẽ aliquam facere in pauperes sanctos qui sunt in Hierusalem. De his autem pecunijs dicit etiam in prima ad Corinthios epistola, Ne quando venero, tunc collectæ fiant. Quando autem venero, quos per epistolas probaueritis, eos mittam ad deferendam gratiam vestram in Hierusalem. Quòd si dignum fuerit vt ego quoque proficiscar, mecum proficiscentur cum ijs pecunijs in Hierusalẽ. Soluens Mileto dicit Ephesiorũ senioribus, Non amplius videbitis faciem meã vos omnes, per quos transij prædicans regnum Dei. Quod ita euenit. Mox enim Hierosolymis accusatus quòd contra leges faceret, & illud maximũ periculũ perpessus, per Tribunũ quidem militum à Iudaicis manibus liberatus est: appellatione aũt vsus, sub Festo Romam venit. Quòd aũt Corinthi scripserit epistolam ad Romanos, ipse nos finis docet. Primũ enim Phœben cõmendat, dicens eam esse ministrã ecclesiæ quæ est Cenchreis. Cenchrę aũt sunt regionis Corinthiorũ. Pręterea aũt hæc quoq; dicit, Salutat vos Caius hospes meus, & totius ecclesiæ. Hospitem aũt eum appellat qui hospitio excipit. Quòd aũt Corinthius erat Caius, ex priore ad Corinthios epistola facile licet intelligere. Ipsis enim sic scribit. Gratias ago Deo meo, q̃ neminẽ vestrũ baptizaui nisi Crispũ & Caiũ. Vltima ergo omniũ quę ex Asia, & Macedonia, & Achaia missę sunt scripta est ad Romanos epistola: & locũ habent septimũ, vt ex scriptis Apostolicis docuimus. alias enim Roma misit. Et primã quidẽ scriptam

Psal. 113. & Reg. 1. ca. 11.
Prima.
1. Thes. 3.
Secunda.
Tertia.
1. Cor. ca. 16.
Quarta.
2. Cor. cap. 7.
Quinta. Cap. 8. Cap. 9.
1. Timoth. 1.
Act. 16.
Act. 18.
Ibidem.
Sexta.
Ad Tit. 3.
Septima.
Ad Rom. 15. Cap. 15.
1. ad Cor. 16.
Act. 20.
Act. 21. & 25
Ad Rom. 16.
1. ad Cor. 1.

scriptam esse existimo ad Galatas. Antequã enim in Macedonia peregrinaretur, peruasit Phrygiam, & Galatiæ regionem, prædicans euangelium. Deinde cùm aliquantum temporis in Macedonia, & Achaia, & etiã in Asia esset versatus, profectus est quidem in Iudæam. illinc autem post Ephesum Romã venit. & cùm intellexisset, quòd quidã pietatis decreta confunderent, illis ex scripturis petitam medicinã adhibuit. Et Philippensibus post eos Roma scripsit. & id finis declarat epistolæ. Salutant enim, inquit vos qui sunt de domo Cæsaris. Iam verò etiam Ephesijs & Colossensibus eodẽ scripsit tempore, vtriusque epistolæ vno vsus tabellario. Dicit enim in fine vtriusque, Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater & fidelis minister in Domino, quẽ misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. In epistola autem ad Colossenses Onesimi quoq; meminit. Cum Onesimo enim, inquit, fideli & dilecto fratre, qui est ex vobis, omnia quę hic aguntur nota facient vobis. Ante has itaque duas collocetur ea quæ scripta est ad Philemonem. In illa enim hortatur vt recipiatur Onesimus vt qui in carcere ortum spiritalem ceperit. Hic autem eum etiam inter ministros collocat. Post hos autem ad Hebræos quoque scripsit, vt finis docet. Salutant, inquit, vos qui sunt ex Italia. Omnium autem vltimam scripsit secundam ad Timotheum. & hoc rursus ex eius scriptis facile sciri potest. Ego enim, inquit, iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Hinc quoque sciri potest, quòd ad Ephesios & Colossenses epistolas Roma misit. Tychicum enim, inquit, misi Ephesum. Hic est ergo ordo epistolarũ, quod ad tempus quo scriptæ sunt attinet. Epistolam autem ad Romanos præposuerunt, vt quæ in se omnis generis doctrinam & accuratam copiosamque dogmatum pertractationem contineat. Quidam autem dicunt, vt Vrbem, quæ vniuerso orbi præerat, & imperij sceptra tenebat, honoraret, eam, quæ ad illos scripta est, epistolam, primam collocasse. Mihi autem, quod prius dictum est, videtur esse verius. Sed aliarum quidem epistolarum argumenta, conuenienti, si Deo visum fuerit, tempore scribemus: & vnicuique præponemus. In præsentia autem epistolæ ad Romanos institutum ac scopum summatim dicemus.

Octaua.
Nona.
Decima.
Vndecima.
Ad Colos. 4.
Duodecima.
Tredecima.
Quatuordecima.
2. Tim. cap. 4.
Cap. eodem.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD ROMANOS.

VAriam quidem & omnis generis doctrinam per hæc scripta exhibet Apostolus. Hic est autem vniuersus epistolæ scopus. Diuinæ incarnationis mysterium, ijs quidem, qui pure ac sincerè crediderunt, est venerabile valdeque adorandum. Dei enim benignitatem & in homines amorem nos euidenter docet. Qui autem sunt infidelitatis caligine circumfusi, & lucis intelligentis nondum splendorem suscepere, ea rident quæ ne Angelorum quidem populi possunt pro dignitate laudare. Et hoc diuinus Apostolus ad Corinthios scribens apertè docuit, Verbum enim crucis, ijs quidem, qui pereunt, stultitia est, ijs autem qui salui fiunt, Dei virtus est. Ad Romanos itaque scribens, hanc salutarem prædicationẽ ostendit esse necessariam, & omnibus hominibus tam Græcis quàm Iudæis vtilem ac conducibilem. Quamobrem ante alios omnes, Græcos redarguit, vt qui bonorũ ac malorum djudicationem, quæ ab eo qui nos creauit, natura insita est, corripuerint, & naturæ leges transilierint: deinde Iudæos, qui diuinarũ quidem legũ doctrinam scriptis mandatã acceperunt, nihil tamen ex ea vtilitatis accipere volucrunt, sed eò maioribus supplicijs fuere obnoxij. Postea autẽ dicit Deum & seruatorem nostrũ, non ad eorum, qui contra legem fecerunt ac peccauerunt, condemnationem iudiciumque apparuisse, sed ad donandam peccatorum remissionem mortisque promissam dissolutionem, & ad æternam vitã quæ fuit annunciata. Quia autem sciebat quidem Iudæos legem nimis amlecti, eos autem qui Marcionis & Valentini hæresi laborant, & etiam Macnichæos, eam nimis accusare: sicut præstantissimus aliquis Imperator ab hostibus vndique circumsessus, & hos, & illos inuadit, eisq; victis trophæum erigit: ita diuinus Apostolus hæreticorum cateruas, & Iudæorum phalanges diuina gratia frangit ac fundit? Quid enim facit. Neque legem nimis extollit propter Iudæorum impudentiam: neque impijs hæreticis eius accusandi præbet occasionem. Sed eam quidem ostendit id quod opus est docuisse, & iustitiæ

1. Cor. cap. 1.

 doctrinam

doctrinam attulisse. Sed eam recte se gerere non potuisse, propter eorum quibus data fuerat imbecillitatem. Deinde docet, quòd fides, legis scopum in opus deduxit. Quæ enim illa voluit quidem efficere, sed non potuit, hæc perfecit per sancti spiritus gratiam. Per hæc autem omnia intelligimus, quòd hominũ quidem perpetuò curam gessit Deus qui nos fabricatus est. Primum enim in natura posuit bonorum & contrariorum dijudicationem. Deinde per opificium ac creationem eos qui voluerunt deduxit ad pietatem. Etsi enim non omnes voluerunt videre veritatem, qui tamen eam desiderarunt, ea quæ voluerunt assecuti sunt. Ad hæc autem hoc quoque nos docet, quòd non pœnitentia quadam adductus creator omnium, venit ad hanc salutis rationem, sed eam multis retro sæculis per diuinos Prophetas prædixit. Docet etiam Iudæorum reiectionis causam, & eos qui ex gentibus crediderunt hortatur ne aduersus eos efferantur, admonens illos in prædicatione præcessisse. Porro actiuæ quoque virtutis doctrinam orationi dogmaticæ admiscuit, simul & veritatem docens, & mores componens. Hoc est itaque argumentum Epistolæ. Interpretatio autem nos omnia sigillatim docebit melius ac perfectius.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS EPISTOLAE
AD ROMANOS INTERPRETATIO.

PAVLVS seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus.

Imperatores quidem, & Principes, suarum dignitatum nomina suis scriptis preponunt, supercilia attollẽtes, & propter authoritatem magnos spiritus excitantes & de se magnificè ac præclarè sentientes. Diuinus autẽ Apostolus se abortiuũ nominat; & primum peccatorem appellat: & se apostolatu indignũ esse dicit. Epistolas tamen scribens, quę illi à gratia impositę sunt, appellationes, ad eorum, qui illas accipiunt literas, vtilitatem, præponit. Cùm enim scirent qua esset dignitate & authoritate præditus is qui scribebat, maiore studio promptiusq; & alacrius eas accipiebant. Ac primũ quidem seipsum Paulum vocat, non vt qui eam appellationem ab initio à parẽtibus accepisset, sed post vocationẽ ea dignatus esset, vt Simon, Petrus, & filij tonitrui, filij Zebedæi, & Iacob, Israel, & Abraam. Deinde seruũ Iesu Christi, quem omnes increduli mortuum & crucifixum, & fabri filium appellabant: sed tamen eius seruitutem plus quàm quoduis regnum amplectebatur, & pluris faciebat. Deinde seipsum vocatum appellat, quæ è superis facta fuerat vocationem innuẽs. Porro autem Apostoli quoque nomen adijcit, se hoc etiam à Deo assecutum esse docens. Postquã enim Dominus duodecim illis hanc appellationem imposuit, hanc quoque ponit diuinus Apostolus, quam non ipse arripuerat, sed ab ipso Domino acceperat. *Vade* enim, inquit, ad ipsum, quia ad gentes procul mittam te. Et hoc declarat per ea quæ sequuntur. Act. 22.

Segregatus in Euangelium Dei.

Non à me ipso quidem, inquit, sed ab ipso Deo electus prædicationis ministerium suscepi. Segregauit autem ipsum & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et quòd Pater quidem ipsum segregauerit, ipse docet in Epistola ad Galatas, *Cùm* autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem ipsum in gentibus. Quòd autem etiam vnigenitus filius hoc ipsum fecit, rursus dicit Apostolus in Actibus, quòd sibi quidem visus est Dominus in templo: iussit autem vt festinaret, & exiret vtpote quòd Iudæi prædicationem non admitterent, & adiecit, *Vade* quia ad gentes procul mittam te. Hoc ipsum autem dixit etiam Ananiæ recusanti. *Vade* quoniam vas electionis est mihi iste: vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus & filijs Israel. Porro autem beatus Lucas nos docet, quòd cũ Prophetæ, Antiochię Domino ministrarent, & ieiunarent, dixit Spiritus sanctus, *Segregate* mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod adsumpsi. Hinc itaque etiã manifesta est trinitatis æqualitas. Ac Dei quidem Euãgelium hic appellauit. Paulo pòst autem dicit hoc esse filij. Sic enim dicit, Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangeliũ filij eius. Hæc autẽ non temere adnotaui, sed vt ostenderem cp̃ citra vllum discrimen eadẽ aliquando quidem Patri, aliquando autem

Ad Galat. 1.
Act. 22.
Act. 9.
Act. 13.

autem Filio adscribunt veritatis Doctores. Prædicationem autem Euangelium appellauit, vt quòd multorum bonorum suppeditationem promitteret. Feliciter enim annunciat Dei reconciliationem, Diaboli dissolutionem, peccatorum remissionem, mortis cessationem, à mortuis resurrectionem, vitam ęternam, & regnum cœlorum. Cùm autem dixisset diuinus Apostolus se fuisse segregatum in Euangelium Dei, eius statim ante omnia antiquitatem ostendit, ne stultus fortè quispiam id recentius reputans reijceret, & dicit:

Quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis.

Plenum est enim vetus testamẽtum ijs quæ à Deo prædicta sunt. Illud autem, *Sanctis*, non temere posuit. Sed primum quidem vt doceret se etiam veterem agnoscere scripturam: Deinde etiam vt omnem alienam scripturam secerneret ac separaret. Ea enim sola scriptura, quæ à Deo est inspirata, vtilitatem in se continet. Iam verò dicit etiam promissi speciem.

De filio suo qui factus est ex semine Dauid secundum carnem.

Per omnes, inquit, Prophetas Deus pater prædixit quæ de filio futura erant, qui quanuis ab eo, natura erat genitus ante sęcula, filius tamen Dauid appellatus est, vt qui ex semine Dauid humanam naturam acceperit. Cùm autem Dauid meminisset, necessario addidit illud, *Secundum carnem*, ne natura quidem filius Dauid existimaretur Dei autem gratia. Illa enim adiectio, *Secundum carnem*, innuit quod Dei & Patris verè est filius secundum diuinitatem. Neque enim in ijs, qui id sunt solum quod videntur, est inuenire adiectum illud, *Secundum carnem*. Testis est beatus Matthæus Euangelista. Cùm enim dixisset, Abraam genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, & cùm omnẽ deinceps genealogiam esset persecutus, nusquam addidit illud, *Secundum carnem*. Neque enim ijs, qui erant ipsi homines, eiusmodi conueniebat appellatio. Hic autem, quoniam non solum homo est, sed & Deus ante sæcula qui homo factus est verbum Dei, cùm seminis Dauid meminisset diuinus Apostolus, illud *Secundum carnem*, necessario addidit, nos apertè docens quomodo est Dei quidem filius, quomodo autem filius Dauid dictus sit. Matth. 1.

Qui prædestinatus fuit filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.

Ante crucem quidem & passionem Dominus Christus non solum alijs Iudæis, sed ipsis etiam Apostolis non videbatur esse Deus. Offendebantur enim rebus humanis, cùm eum comedentem, & bibentem, & dormientem, laborantemque viderent. & ne eius quidem miracula eos ad hanc opinionem adducebant. Iam enim cùm primum illud quod in mari factum est miraculum vidissent, dicebant: *Quis* est hic homo? Nam & mare & venti ei obediunt. Et propterea Christus eis etiam dicebat: Luc. 8.

Habeo multa vobis dicere, sed nõ potestis portare modo. Quando autem venerit ille Spiritus veritatis, ille vos deducet in omnem veritatem. Et rursus, *Sedete* hic in hac ciuitate donec induti fueritis potẽtiam ex alto, cùm venerit Spiritus sanctus in vos. Ante passionẽ ergo, habebant eiusmodi de eo opiniones. Postquam autem resurrexisset, & ad cœlos ascendisset, & sanctus Spiritus venisset, & omnis generis miracula venerabili eius nomine inuocato efficerent, sciuerunt omnes qui crediderant eum esse Deum, & vnigenitum Dei filium. Hoc ergo hic quoque docuit diuinus Apostolus, quòd qui filius Dauid secundum carnem dictus est, definitus & demonstratus est Dei filius per potentiam, quæ à sancto Spiritu exercebatur, postquam Dominus noster Iesus à mortuis resurrexisset. Ioan. 16. Luc. 24.

Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obedientiam fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.

Ipse enim nos prædicatores constituit, omnium gentium nobis mandata salute, & donata ab ipso gratia quæ prædicationi responderet ac conueniret.

In quibus estis & vos vocati Iesu Christi.

Ex ijs, inquit, vos quoq; gentibus estis, quarum cultura nobis commissa est. Ne enim existimetis me aliena vsurpare, & agros, qui ab alijs possidentur, inuadere. Dominus enim me omnium gentium prædicatorem elegit.

Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis.

Et diuinis eos appellationibus honorauit: & arrogantiam repressit. Primum enim eos, non, vt qui totius orbis terrarum dominium obtinerent, ab alijs gentibus secreuit, sed alijs commiscuit. Deinde autem omnibus simul scribit, seruos miscens & mendicos, & eos, qui sibi manibus victum parant, eosq; qui propter opes nimias sibi placẽt, & eos qui magna sunt potestate præditi. Quòd enim ex his quoque aliqui credidissent, docet ipse ex Epistola ad Philippenses. Salutant enim inquit, vos, qui sunt ex domo Cæsaris. Iam verò eos quoque docuit, quòd non scribit infidelibus, sed ijs qui iam crediderunt. Vnde eos etiam vocatos & sanctos appellat, spiritalibus eos laudibus extollens, & eorum in eum qui ipsos illo beneficio affecerat desiderium inflammans. Ad Phil. 4.

Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.

Hic epistolæ inscriptionem perfecit. Paulus enim inquit, seruus Iesu Christi, omnibus qui sunt Romæ dilectis, Dei vocatis sanctis, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo. Alia autem omnia interiecit, docens à quonam prædicator sit constitutus, & quænam prædicare iussus sit, & quibusnam hæc offerre ei præscriptum sit. Eis autem precatur primum quidem Dei gratiam. Per hanc enim, quicunque crediderunt, sunt salutem consecuti. Deinde pacem: per quam omnem rectam & ex virtute actionem significat.

ficat. Cum Deo enim pacem habet, qui Euangelicam vitæ institutionem amplectitur, quique prompto & alacri animo eum in omnibus colit & obseruat. Hæc autem dona non solum Patrem, sed etiam filium suppeditare ostendit.

A Deo enim inquit, Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Per quæ nos apertè docuit Patris & filij æqualitatem.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro vobis omnibus, quòd fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.

Hoc autem non eis blandiens, sed vera dicens posuit Apostolus. Neque enim fieri poterat, vt quæ Romæ eueniebant, ea illos qui in toto erant terrarum orbe, laterent. In illa enim olim Romanorum Imperatores regiam suam habebant, & illinc emittebantur & qui gentibus præessent, & qui à ciuitatibus vectigal exigerent. Iam verò in illam quoque concurrebant omnes qui regalia profitebantur beneficia. & per hos omnes vbique significabatur, quòd ciuitas Romanorum Christi doctrinam perceperat. Hoc autem ijs qui audiebant maximam vtilitatem afferebat. Vnde & diuinus Apostolus propter hæc Dominum laudabat. Quoniam autem dixisset se quidem fuisse constitutum omnium gentium Apostolum, multum autem temporis præterierat, ex quo nec ipse ad eos venerat, nec ipsos literis ad veritatem deduxerat, necessario affert excusationem, & Dominum Deum ad suæ in eos affectionis testimonium vocat.

Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei venendi ad vos.

Multa sunt genera diuini cultus & seruitutis. Nam & is Deum colit, eique seruit qui Deum precatur, & qui ieiunio vtitur, & qui vacat diuinis eloquijs. & is etiam qui curandorum hospitum curam gerit. Diuinus autem Apostolus se dicit Deo seruire, dum filij eius gentibus præbet Euangelium. & seruire in spiritu, hoc est, in data gratia. Ita scit vnigeniti honorem Deo placere. Accuratè autem loquēs, non dixit se simpliciter iter ad eos petiuisse, sed in voluntate Dei. Si hoc, inquit, placet rerum omniū gubernatori. Si autem vbi de tot hominum myriadum salute agitur, nihil indistinctè petijt diuinus Apostolus, sed petitioni diuinam voluntatem coniunxit, quanam venia digni sumus, qui de rebus sensibilibus & differimus, & eas optamus, nec nostra omnia diuinæ voluntati permittimus, ab eaque pendemus?

Cupio enim videre vos vt impertiar aliquid gratiæ spiritualis.

Sunt hæc quæ dicta sunt plena humilitatis. Non enim dixit, vt dem, sed vt impertiar. Communico enim ex ijs quæ accepi. Et quia primus eis magnus Petrus doctrinam Euangelicam præbuit, necessario intulit,

Ad confirmandos vos.

Non aliam, inquit, doctrinam affero, sed eam quæ iam oblata est confirmare, & arbores iam plantatas irrigare volo. Deinde rursus orationem multa replet moderatione.

Hoc autem est simul consolari in vobis per eam quæ inuicem est fidem vestram & meam.

Nō solum enim volo vobis dare, sed etiam accipere. Præceptorem autem etiam excitat discipulorum alacritas.

Nolo autem vos ignorare fratres, quod sæpe proposui ad vos venire, & prohibitus sum vsque adhuc.

Et propositum ostendit, & consilium declarauit. Diuina enim, inquit, gratia me vt vult regit. Cùm autem in medio posuisset illud, *Prohibitus sum hucusque*, docet apertius quamobrem ad ipsos venire voluerit.

Vt aliquem fructum in vobis habeam, sicut & in cæteris gentibus, Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. ita quod in me promptum est vobis euangelizare.

Doctor omnium gentiū electus sum. Quāobrem debeo omnibus doctrinæ debitum, non solum Græcis, sed etiam barbaris. Propterea enim etiam diuersas nobis dedit linguas Spiritus sancti gratia. & cōuenit quidem tum ijs quibus doctrina magnos spiritus facit, tum ijs qui non sunt eloquentiæ mysterijs initiati, debitum exoluere. *Sapientes* enim eos appellat, qui propter dicendi facultatem linguæque volubilitatem efferuntur. *Insipientes* autem eos, qui ab eis qui dicuntur sapientes, propter imperitiam ita vocantur. Et quoniam non omnes Euangelij prædicationem suscipiebant, merito adiecit, *Quod in me promptum est.* Meum est enim prædicare. Est autem audientium, credere. Quoniam autem prædicationem sæpe Euangelium appellauit, hoc autem in se habebat memoriam & crucis & mortis, ijs autem, qui nondum crediderunt, hæc videbantur esse plena probri & ignominiæ, opportunè subiunxit.

Non enim erubesco Euangelium Christi. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco.

Non respicio, inquit, quę esse videtur, ignominiam, sed, quod ex ea proficiscitur, beneficium. Qui enim crediderunt, ex ea salutē colligunt. Ita etiam multa ex sensibilibus habēt suam quandam occultam operationem. Et enim piper extrinsecus quidem frigidum esse videtur, & ijs qui nesciunt nihil penitus caloris præ se fert: at qui ipsum dentibus comminuit, igni non dissimilis caloris sensum in se suscipit. Et ideo medici hoc calidum potentia nominant, vtpote quòd non videtur quidem tale, sed tale potest reddi. Ita & frumentū potest quidem esse & radix, & culmus, & spica, non tamen videtur esse tale, priusquam in terræ sulcis fuerit seminatum. Iure ergo diuinus Apostolus salutarem prædicationem Dei potentiam appellauit, vt quæ solis credentibus potētiam aperiat, & salutem largiatur. Dicit autem hoc esse omnibus propositum & Iudæis & Græcis. Græcis autem Iudæos prepo-

posuit, quoniam Dominus Christus ad eos primos misit sacros Apostolos prædicatores. Ita etiam dicit Deus per Prophetam. Posuite in testamentum generis: in lucem gentium. Genus appellans Iudęos, quoniam secundum carnem ex eis germinauit.

Esa. 42. vbi ita habetur: Ponam te in fœdus populi, atque in lucem gentium.

Iustitia enim Dei in ipso reuelatur ex fide in fidem.

Non reuelatur omnibus, sed ijs, qui habent oculos fidei. Docet autem nos diuinus Apostolus, quòd Deus ab initio nobis ita prouidit, eaque per prophetas prędixit, & ante prophetas habuit in se absconsum de ijs consiliū. Hoc etiam enim alibi dicit. Mysterium abscōsum in Deo qui omnia creauit. Et rursus. Loquimur sapientiam in Deo absconditam, quam præfinijt Deus ante sæcula in gloriam nostram. Et hic itaque non dixit, *Datur* iustitia, sed *Reuelatur*. Quæ enim prius absconsa fuerat, manifestatur credētibus. *Ex fide in fidem*, inquit. Oportet enim credere prophetis, & per illos deduci ad fidem Euangelij. Habet autem hoc quoque aliam intelligentiam. Qui enim Domino Christo credit, & sanctissimi baptismatis gratiam suscipit, & refert gratiam adoptionis filiorum, per ea deducitur vt futuris bonis credat, Mortuorum, inquam, resurrectioni, & vitæ æternæ, & regno cœlorū. Dicit autem Dei iustitiam reuelari per Euangelium, non solum quæ nobis suppeditatur, sed & quæ in ipso dispensationis mysterio apertè ostenditur. Non enim potestate nostram salutem procurauit, nec imperio ac verbo mortis potentiam fregit ac euertit: sed cum iustitia misericordiam commiscuit. Et ipsum vnigenitum Dei verbum Adæ naturam indutum, cùm se ab omni peccato immunem seruasset, eam pro nobis obtulit, & naturæ debito persoluto, commune omnium hominum debitum dissoluit. Sed diuinus Apostolus hæc nos docet apertius in ijs quæ sequuntur. Nos autem interpretationem sigillatim persequamur. Cùm itaque dixisset quòd & Iudæis & Græcis volentibus adest salus, dictum suum scripturæ testimonio confirmauit, & dicit.

1. Cor. 2.

Sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuit.

Hoc autem posuit, Iudęorum gratia, docēs eos non legalem quidem amplecti debere institutionem, sed sequi suos Prophetas. Hi enim multis retro sæculis futuram per fidem salutem prædicarunt. Hinc itaque desistens Iudæos primum accusare, omnes alios homines accusat, vt qui legem in natura ab opifice positam absque vllo metu transilierint. Eorum autem accusatio habet etiam defensionē Creatoris. Cùm enim eos fabricatus est, non permisit vt instar ratione carentium animalium viuerent, sed eos ratione honorauit, & iudicium, bonorumque ac contrariorum iudicationem indidit. Et hoc dictum suo testimonio confirmant, qui ante legem Mosaicam in virtute & pietate excelluerunt, & qui rursus iter contrarium ingressi sunt. Etenim Adam cùm statim præceptum transgressus esset, & de fructu, quem prohibuerat, gustasset, latere quidem conatus est eum vlciscente conscientia. Deinde in iudicium vocatus, nec factum inficiatus est, nec ad sui defensionem ignorantiam prætendit: sed eius de quo accusabatur culpam in mulierem transtulit. Apertè itaque hoc docet, quòd natura habuit rerum discernendarum potestatem. Ita etiam Cain fratrem quidem clanculum interfecit. interrogatus autem vbi esset frater eius, negauit, & factum celare conatus est. Conuictus verò, iustum esse supplicium confessus, & Iudicis sententiæ assensus est, & magis etiam quàm vt venia dignus esset se peccauisse dixit. Innumerabilia autem eiusmodi licet in sacra scriptura inuenire. Et ideo dixit diuinus Apostolus.

Gen. 3.

Gen. 4.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem in iniustitia detinent.

Natura enim eos vtrunque docuit, & Deum esse omnium Opificem, & fugere quidem iniustitiam, iustitiam verò amplecti. Sed datis sibi præceptoribus, non vt par fuit vsi sunt. Vnde etiam eis futurum supplicium minatus est. Conuenienter autem hic quoque posuit *Reuelatur*, nēpe quòd intentatas suppliciorum minas non credant, sed eas sunt postea veras re ipsa experturi. Iram autem Dei supplicium appellat, non quòd Deus vlla animi ratione concitatus puniat, sed vt eos, qui contradicunt ipso nomine terreat. Dicit autem eam de cœlo reuelari, vtpote cùm Deus & Seruator noster illinc sit apparituros. Hoc enim dicit etiam ipse Dominus, Tunc videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna, & maiestate.

Marc. 13.

Quia quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis.

Sed quis hanc eis dedit cognitionem?

Deus enim illis manifestauit.

Qua ratione, & quonam modo?

Inuisibilia enim ipsius, à creatione mundi, per ea quæ facta intellecta conspiciuntur, & sempiterna eius potentia & diuinitas.

Creatio enim, &, quæ fiunt in creatione, horarum mutationes, & temporum vicissitudines, noctisque & diei successiones, nubium quædam veluti parturitiones, aurę ventorum, fructuumq; & seminum productiones, & quęcunque eiusmodi, nos apertè docent & Deum esse omnium effectorem, & creationis clauum scitè ac sapienter tenere. Qui enim sola sua benignitate & humanitate adductus, fabricatus est, nunquam eorum quæ fecit curam omnem abiecerit, & absque administratione reliquerit. Et ideo non dixit diuinus Apostolus, *Inuisibile* ipsius, sed *Inuisibilia* ipsius. hoc est, eius creatio, & prouidentia, & iusta in vnoquoque sententia, rerumque administrandarum multiplices ac variæ rationes. Quamobrem veniam non merentur, qui cùm eiusmodi præceptores habuerint, ex tot disciplinis nullam vtilitatem percepere. Hoc enim subiunxit.

Ita vt sint ipsi inexcusabiles.

Res enim ipsæ propemodum clamant, non

posse vllo modo eos deprecari, vt à malis quorum minæ illis intentatæ sunt, liberentur.

Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, vel gratias egerunt.

Quòd enim Deum esse cognouerunt, ipsi quoq; testificantur. Venerabile enim hoc nomen circunferunt, bonas autem, & quas par est, opiniones de ipso habere nolunt.

Sed euanuerunt in cogitationibus suis: & obscuratum est insipiens cor ipsorum.

Stultas enim cogitationes secuti sunt: & infidelitatis tenebras sua sponte susceperunt.

Dicentes esse sapientes, stulti facti sunt.

Appellatione auxit reprehensionem. Seipsos enim nominantes sapientes, seipsos insipientes esse factis ostenderunt.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudine imaginis corruptibilis hominis.

Cùm enim noluissent intelligere omnium quæ sunt opificem esse immortalem, & ab omni interitu liberum, & ijs quæ videntur superiorem, suorum corporum imagines Deum appellauerunt. Neque enim pictores, sculptores, & statuarij, animarum quæ sub aspectum non cadunt imagines imitantur, sed corporum, quæ corrumpuntur & intereunt. Nec hoc eis ad impietatem fuit satis, sed etiam volucrum, quadrupedum, serpentium imagines adorauerunt. Oportebat autem eos videre, quòd eorum alia quidem comedunt, vt quæ sint esculenta: alia autem abhorrent vt immũda: alia autem fugiunt, vt quæ sint noxia, & eis insidientur. Adeò autem extrema fuit eorum stultitia & stupor, vt eorum quæ comedebant, & quæ abhorrebant, & quæ fugiebant & interimebant, imagines in deos referrent.

Propter quod tradidit illos Deus in desiderijs cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in seipsis.

Illud, *Tradidit*, posuit pro *Permisit*. Dicit autem quòd cùm vidisset eos nec velle per opificium ad effectorem deduci, neque vi rationis indita meliora in rebus agendis eligere, deteriora autem fugere, illos sua prouidentia priuauit: & tanquam cimbam absque rectore ferri permisit, non sinens vt ij gubernarent qui ad extremam vsque impietatem prolapsi fuerant, quæ etiam iniustam & legibus contrariam vitam peperit.

Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Impietas, inquit, fuit iniquitatis & iniustitiæ fundamentum. Propter vtrunque autem diuina gratia priuati sunt. *Dei* autem *veritatem* vocat nomen Dei: *Mendacium* autem, manu factam imaginem. Cùm enim oporteret eos verum Deum adorare, creaturę diuinum honorem tribuerunt. In easdem enim reprehensiones incidunt ij, qui vnigenitum Dei filium creaturam quidem vocant, tanquam Deum autem adorant. Oportet enim, vel si Deum existimant, eum cum creatura non coniungere, sed cum Deo qui genuit: Vel si creaturam appellant, ei diuinum honorem non exhibere. Sed eorum quæ sequuntur interpretationem aggrediamur.

Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiæ. Nam & fœminæ eorũ mutauerunt naturalem vsum, in eum, qui est cõtra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderio sui in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.

Conuenientiam quandam & proportionem inter se habent impietas & iniquitas. Sicut enim mutauerunt Dei veritatem in mendacium, ita etiam legitimũ cupiditatis vsum in iniustum & nefarium.

Et mercedem, quam oportuit, erroris sui in se recipientes.

Huius enim animi perturbationis extremum est supplicium ignominia. Quæ enim nullus vnquam hostis in eos perpetrauerit, ea lubentissimè & promptissimè amplectuntur: & quod nullus vnquam iudex in eos supplicium statuerit, ij illud in seipsos attrahunt. Et quænam malorum causa est?

Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt.

Si eum enim voluissent cognoscere, diuinas leges secuti essent. Quia autem creatorem negauerunt, illius prouidentia omnino priuati sunt. Quamobrem omne vitij genus in se auidacter suscipiunt.

Repletos omni iniquitate.

Iniquitatem, seu iniustitiam, vocat, quæ ex diametro iustitiæ est opposita. Ex ea enim quodlibet vitium ac reprehendendum genus germinat: Ipsa quoque germina prosequitur.

Fornicatione, malitia, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, arrogantes, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.

Et *Fornicationem* quidem vocat congressionem, quæ fit non in matrimonio. *Malitiam* autem, mentem beluinam. *Auaritiam* autem, plura habendi cupiditatem, & eorum quæ ad se non pertinent rapidam. *Nequitiam*, animæ ad deteriora inclinationem, & quæ ad proximi detrimentum suscipitur cogitationem. *Plenos inuidia.* Grauis animi perturbatio, & quæ felicitatem proximi ferre nequit. Ea autem & cædem gignit, & dolum concipit. Cain enim inuidia sauciatus, & doli ope vsus, fratrem in campum seduxit, cædem autem perpetrauit. *Malignos* verò vocat, qui rationis facultate ad insidias comparandas vtuntur, & proximo perniciem architectantur. *Susurrones* autem, qui in aurem loquuntur, & de præsentibus aliquibus male dicunt. *Detractores* verò, qui absentes audacter calumniãtur. *Deo osores*, qui infesto sunt in Deum animo. *Contumeliosos*, qui ad contumelias & probra ingerenda proni sunt. *Superbos*, qui ob ea, quibus sunt cæteris

teris superiores, commoda, efferuntur. *Arrogantes*, qui cùm nullam occasionem habeant vt de se præclarè ac magnificè sentiant, sine causa tamen intumescunt. *Malorum inuentores*, qui non solum mala, quæ in cõmuni vsu versantur, sed etiam alia excogitant. *Parentibus* nõ obedientes. Hoc quoque est maximum & alienissimum vitium, & quod ab ipsa natura accusatur. *Insipientes*, qui enim in vitam improbam & iniustam impegerũt, ij rationis characteres amiserunt. *Incompositos*, qui vitam improbam & ab omni societate & communicatione alienam amplectuntur. *Amicitiæ expertes*, qui amicitiæ leges nolunt discere. *Sine fœdere*, eos qui, quæ conuenerunt impudenter transgrediuntur. *Immisericordes*, qui ferarum crudelitatem imitantur.

Qui cùm iustitiã Dei cognouissent, quòd, qui talia agunt digni sunt morte, non solum ea faciunt, sed etiam ijs qui ea faciunt assentiuntur & ea comprobãt.

Ostendimus quomodo natura docet & bonorum electionem, & fugam contrariorum. Sed tamen ij, inquit, non satis ducunt hæc facere, sed etiam ijs qui similia faciunt laudes contexunt. Oportebat enim non solum aliorum iniquitatem odisse, sed etiam suam abhorrere. Deinde rursus aliter ostendit nos habere bona & mala discernendi facultatem.

CAP. II.

Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis qui iudicas.

Sed quanuis ita affecti sitis, si iudicandi potestatem ab aliquo acceperitis, eos qui leges transgrediuntur tanquam reos punitis. tantũ habetis de rebus bonis & cõtrarijs iudicium. Sciendum est autem, quòd per quæ alios qui peccant iudicatis, vos quoque ipsos eisdem sententijs subijcitis. eandem enim in vos iniquitatem suscipere audetis.

Scimus enim, quod iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.

Est autem manifestum ijs qui sapiunt, quòd qui se iniquè gerunt, diuina sententia puniuntur.

Existimas autem hoc O homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quòd tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis?

Nos quidem scimus, quòd vnicuique se iniquè gerẽti iustus iudex tempestiuè supplicium imponet. Vos autem, inquit, qui alios punitis, vestram autem iniquitatem videre non vultis, existimatis fore vt diuinum iudicium effugiatis? Sed hæc non ita habent: Sustinet enim, & diuturna lenitate vtitur, tuam expectans pœnitentiam. Hoc enim intulit.

Ignorans quòd benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit. Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis, & iustitiæ iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.

Quoniam enim dura es & indomita mente, & in improbitate perseueras, feres aduersus teipsum sententiam supplicij, quam nunc quidem Deus differt propter suam misericordiam: Sed eam reuelabit in die consummationis, operibusque conuenientes mercedes reddet. Illud autem *Thesaurizas tibi*, rectè posuit, ostendens quòd nullum nostrum dictum vel factum est obliuioni mandatum. Sed & virtutis amatores bonorum thesaurum sibi congerunt: & qui iniquitatem operantur, similiter malorum thesaurum accumulant.

Iis quidem qui per patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.

Et virtutis labores docuit, & coronas ostẽdit. Illud enim, *Per patientiam boni operis*, labores significat. Oportet enim sustinere, & rectè ac fortiter virtutem exercere, & ita eius coronas expectare. Sed labor quidem ad tempus suscipitur, lucrum verò est æternum. Illud autem *Aeternum*, non solum vitę adiungitur, sed & gloriæ, & honori, & incorruptioni. Voluit enim pluribus ostendere bonorum remunerationem.

Iis verò qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniustitiæ, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci.

Quemadmodum in altera parte, non simpliciter quibuslibet illa bona promisit, nec ijs, qui virtutem otiose & segniter persequuntur, sed ijs, qui possunt eius labores sustinere, ita & in vitio graues minas intentat, non ijs, qui casu aliquo in id prolabuntur, sed ijs qui illud magno studio aggrediuntur. Hoc enim significat illud *Ex contentione*, & *Qui* nõ parent veritati, & *Operantis malum*. Similiter autem, inquit, & Iudęos & Græcos & iniquè se gerentes puniet, & pietatis ac iustitiæ curam gerentes coronis dignabitur. Græcos autem nunc vocat, nõ eos, qui ad diuinam prædicationem accesserunt, sed eos, qui antequam Christus homo factus esset, fuerunt. Non tamen ijs vitam æternam pollicitus est qui idola adorarunt, sed ijs, qui extra legem quidem Mosaicam vitam egerunt, pietatem autem Deique cultum amplexi sunt, & iustitiæ curam gesserunt.

Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco.

Hoc autem non frustra posuit, sed vt his id quod deinceps dicitur connecteret. Est enim Iudæorum accusationem abhinc introducturus.

Non est ergo personarum acceptio apud Deum. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt, & quicunque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur.

Omnium enim, inquit, creator Deus est, erit ergo omnium iudex. Et à Iudæis quidem ex lege Mosaica rationem exiget, eos autẽ qui eam non susceperunt, eos enim vocat sine lege, & deinde peccauerunt, ex natura insita discernendi facultate iustè puniet.

Non

Non enim auditores legis iusti apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.

Non enim lex ideo nobis data est vt nostras aures demulceat, sed vt ad bonorum actionē deducat.

Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex.

Quòd lex enim diuina actionem exigit, testantur qui ante legem Mosaicam pijs quidem vsi sunt rationibus, bonis autem actionibus vitam exornauere, & sibi ipsis legem tulere.

Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum per Iesum Christum.

Ostendit legem naturæ cordibus inscriptam, & conscientiæ & accusationem & defensionem veritate ornatam. Ego autem me operæpretium facturum existimo, si quod dicitur aliquo exemplo manifestum effecero.

Gen. 43. & 44. Quando enim illum in Beniamin actum exordiebatur admirabilis Ioseph, & tanquam qui calicem à seruo suffuratus esset eum apprehēdere conabatur, fratrum veluti in igne mentem probans; aperte ostensa est cōscientiæ testimonij potestas. Tunc enim, tunc ei quidem tragœdiæ mentem nequaquam adhibere volebant, sed eius, quod ante duos & viginti annos admissum erat, sceleris recordabantur, & illi quidē dicebant fratris sui iunioris sanguinem ex manibus eorum requiri. Ruben autem sibi factarum admonitionum reminiscebatur. Conuenienter huic similitudini describamus futurum iudicium, & conscientiam eorum qui extra legem vixerunt, quæ nunc quidem se defendit & ignorantiam adducit, nunc autem culpam agnoscit, & latę sententiæ veritatem prædicat. Ita & Abimelech cùm haberet

Gen. 26. conscientiæ testimonium, Deo dicebat, *Domine* gentem innocentem & iustam interficies? Nonne ipse mihi dixit, Soror mea est, & ipsa mihi dixit, Frater meus est? In corde puro cogitaui verbum hoc. Cùm autem hæc docuisset diuinus Apostolus, conuertit sermonem ad Iudæum, & dicit.

Ecce tu Iudæus cognominaris?

Hoc enim erat olim nomen commune & venerabile, & ideo non dixit Nominaris, sed Cognominaris.

Et requiescis in lege.

Non enim laboras, vt qui extra legem versatur, quærens quid sit agendum, sed habes legem quæ te omnia apertè docet.

Et gloriaris in Deo.

Vt qui te prętulerit omnibus gētibus, quæ erant in toto orbe terrarum, vt qui magnam tui curam gerere dignatus sit, & legem dederit, & vt qui te per Prophetas instituerit.

Et nosti voluntatem eius.

Dei scilicet.

Et probas vtiliora.

Pro eo quod est, dignoscis quę inter se sunt contraria, iustitiam & iniustitiam, temperantiam & intemperantiam, pietatem & impietatem.

Instructus per legem.

Illa enim hæc te docuit.

Et confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium.

Hic ostēdit quidnàm eos elatos & arrogantes faceret, & aperuit quodnam esset eorum aduersus proselytos supercilium.

Habentem formam scientiæ, & veritatis in lege.

Eorum enim omnium characteres tibi diuina lex attulit.

Qui ergo alium doces, teipsum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris. Qui dicis non mœchandum, mœcharis. Qui abominaris idola, sacrilegium committis. Qui in lege gloriaris, per legis præuaricationem Deum inhonoras.

Ostendit eum nullam ex data sibi lege vtilitatem accepisse, sed tantum propter scripta exultare & sibi valde placere: & alios quidem conari docere, factis autem, verbis suis cōtradicere: & frustra in lege gloriari. Affert autem etiam testimonium ad suæ accusationis confirmationem.

Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.

Non solum enim causam nō dedisti vt Deus glorificaretur, sed multorum etiam linguas ad maledicta commouisti. Cùm tuam enim sceleratam & iniquam vitam viderent, eum qui te elegit blasphemijs & maledictis apertè incessebant. Cùm autem eos ita ostendisset nihil ex lege Mosaica vtilitatis cepisse, transfert orationem ad circuncisionē, & ostendit eam quoque esse inutilem, quando fuerit aliorum operum expers.

Circuncisio enim prodest si legem serues: Sin autem sis præuaricator legis, circuncisio tua præputium facta est.

Diuinus Apostolus dicta prophetica secutus est. Vniuersorum enim Deus dicit per Hieremiam prophetam. Omnes gentes incircū- Hier. 9.
cisæ carne: Domus autem Israel incircuncisi cordibus suis. Et rursus, *Circuncidamini* Deo, Hier. 4.
& ostendens quamnam dicat circuncisionem Deo placere, subiunxit. *Et circuncidamini* præputium cordis vestri durum. Ex hoc loco impulsus diuinus Apostolus ostendit circuncisionem esse superuacaneam, si non adsit animæ circuncisio. Ea enim propter ipsam data est. Si ipsa enim non adsit, nulla est alterius vtilitas. Solius enim signaculi locum obtinet. Sicubi autem habemus aurum & argentum, vel lapides pretiosos, vel vestem sumptuosam, illic solemus signacula imponere. Sed quando nihil horum est intus repositum, tunc est superuacaneum imponere sigillum.

Si ergo præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur?

Lex, inquit, factum & opus exigit. Cùm tu ergo, qui es circuncisus hoc non habeas, qui habet autem præputium hoc habeat, tu iure quidem

quidem vir habens pręputium, vt tu ei conuiciari soles, nominetur, sed potius circuncisus, vt qui animæ vitium amputauerit.

Et iudicabit, quod est ex natura præputium, legem consummans, te, qui per literam & circuncisionem es præuaricator legis.

Merito admirari debemus insignem Apostoli sapientiam. Non enim legem naturalem scriptæ opposuit, sed nomen probri ac ignominię plenum honesto ac venerabili, circuncisioni scilicet pręputium. Hoc autem, inquit, est ab accusatione liberum. non enim quis sua sponte ita nascitur, sed opifex ita fingit naturam. Quamobrem nec vllum hinc damnum ad virtutis amatores processerit. Tu autem accepisti quidem à maioribus signum circuncisionis, habes autē legem quæ indicat quid sit agendum, sed factis scopo legis resistis. Cùm autem ostendisset circuncisionem pro signo quidem datā, sed effectam postea superuacaneam, ostendit deinceps Iudæi quoque appellationem nihil habere vtilitatis.

Non enim qui in manifesto, Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne, est circuncisio, sed qui in occulto est Iudæus, & circuncisio cordis in spiritu non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Confugit hic apertè ad testimonia Prophetica quæ posuimus superius. *Circuncidamini* enim, inquit, præputium cordis vestri durum.

CAP. III.

CVm sic Iudeorum supercilium contraxisset, & ostendisset eos frustra circūcisione, & lege, & Iudæi appellatione gloriari, ne quis existimaret eos propter odium & maleuolentiam hoc facere, subiungit.

Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ est vtilitas circuncisionis?

Si alienigenarum, inquit, gentiū aliqui, pietate ac virtute ornati, ijs, quę à Deo dicta sunt, fruuntur: curnam Deus Israelem à gentibus separauit, eisque dedit circuncisionem? Iudęum autem amplius habere dicit, quòd is gentibus honore præferatur.

Multum per omnem modum.

Elegit enim eorum maiores: ab Aegyptiorum potentia liberauit: vt clara esset eorum fama, & in ore omnium versaretur, per omnis generis miracula effecit, legem ad auxilium dedit: Prophetas eis constituit. Hoc enim dicit, *Multa per omnem modum.* His autem omnibus silentio prætermissis, solam legislationem posuit.

Primum quidem quia illis credita sunt eloquia Dei.

Maximus hic honor est, cùm aliæ gentes solam discernendi facultatem ex natura haberent, eos legem quoque accepisse.

Quid enim si aliqui ex his non crediderūt, nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Absit.

Sciebat, inquit, Deus iam ab initio quinam legem essent seruaturi, & qui eam transgressuri. Qui itaque non crediderunt, nequaquam diuinis beneficijs exitium attulerunt. Etsi enim omnes homines in eum ingrati fuerint, non diminuet ingratus eorū animus Dei gloriam. Hoc enim declarauit per ea quę subiunguntur.

Est autē Deus verus, omnis autem homo mendax.

Concedamus, inquit, nullum omnium hominum Deo quam par est gloriā reddere, sed omnes ingrati animi crimine laborare. hoc enim dicit, Omnis autem homo mendax, quidnam ex eo Dei gloriæ decesserit? Hoc etiam alibi posuit beatus Paulus. *Si non* credimus, inquit, ille tamen fidelis manet. Se enim ipsum negare non potest. Hic autem etiam scripturę testimonio vtitur.

Sicut scriptum est, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudiceris. Psal. 50.

Illud autem *vt*, non reddit hic rationē, sed euentum significat. Neque enim ideo peccamus, vt Dei humanitatem, & clementiam ostendamus, sed ipse quidē beneficiorum fontes suppeditat salutem procurans omnibus. Homines autem, cùm sint libero arbitrio pręditi, hi quidem Dei cultum præferunt, illi verò contraria via ingrediuntur, & finem vitæ suæ conuenientem assequuntur. Porrò autem Deus eos etiam beneficio afficiens, iustam habet in eis iudicandis defensionem, quòd omni ratione eorum curam gerit. Sic etiam dicebat ad Israelem: Popule mi, quid feci tibi, vel Mich. 6.
qua te tristitia aut molestia affeci, respōde mihi. Deinde sigillatim beneficia commemorat. Ita & per Hiere. clamat: *Quodnam* delictum in Hier. 2.
me inuenerunt Patres vestri, quòd longe à me recesserunt, & post vana ambulauerunt, & vani facti sunt? & rursus adducit beneficiorum catalogum. Diuinus autem Apostolus, tanquam ex aduersariorū persona syllogismum inducit,

Sin autem nostra iniquitas Dei iustitiam commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus qui inferit iram? Secundum hominem dico, absit.

Necessario posuit oppositionem, quæ ab alijs affertur, & negatione quàm sit absurda ostendit. Non enim, inquit, hæc dico sed aliorum rationes adduxi. Id enim est, *Secundum hominem.*

Alioqui quomodo iudicabit Deus mundū? Si enim veritas Dei abundauit in meo mendacio in gloriam ipsius, quid adhuc ego tanquam peccator iudicor?

Est, inquit, absurdissimum hæc dicere. Iusta est enim Dei sententia nec mea iniquitas Deo clementiæ gloriam conciliat. Esset enim summa iniuria, si, qui illi gloriam conciliauerunt, ab eo punirentur, & æterno supplicio afficerentur. Hoc enim nec iniustissimorum hominum quisquam fecerit, nedū is ex quo scatent iustitiæ.

Et non sicut blasphemamur, & sicut dicunt aliqui nos dicere, Faciamus mala vt veniant bona, quorum iudicium iustum est.

Nihil, inquit, horum dicimus: sed alij nos calumniantur, qui quidem calumniæ pœnas luent. Scire autem oportet, quòd cùm sancti dicant Apostoli, *Vbi abundauit* peccatum, illic

abundauit & gratia, quidam, qui Dei cultui pietatique seruiebant, falsa in eos conferentes, illos dicere dicebant, faciamus mala, vt veniãt bona, sed non hic erat doctrinæ Apostolicæ scopus. Contrà enim decreuerunt vt ab omni iniquitate abstineretur. Sed eos, qui ad sanctã prædicationem accedebant, bono animo esse iubebant, vtpote priorum peccatorum remissione eis à Deo data. Nos autem interpretationem hic sistentes, & mentem interiecta quiete recreantes, eum, qui dedit os homini, eumque qui surdus & qui surdaster est, fecit, laudemus, & vt nos Apostolicę doctrinę intelligentiam doceat oremus. Dabit enim omnino qui dixit, Petite & dabitur vobis; quærite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Cum quo patri cum sanctissimo Spiritu gloria conuenit, & magnificentia, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 7. Luc. 11.

TOMVS SECVNDVS.

AM diximus, diuinum Apostolũ velle ostendere Deum & seruatorem nostrum Iesum Christum necessario hominem factum esse, & ea de causa & de ijs qui extra legem, & etiam de ijs, qui sub ea vixerunt, locutus est, & probauit & illos legem naturalem, & hos legem Mosaicam esse transgressos, & vltimo esse supplicio dignos, & optimum medicum imitatus est, qui docet prius grauitate morbi eius qui laborat; deinde medicamentorum auxilium adhibet: Ita enim & ipse cùm horum & illorum iniquitatem coarguisset, ipsosque & reos & supplicio dignos ostendisset, offert deinceps fidei medicamentum & diuinæ dispensationis benignitatẽ docet, & dicit.

Quid ergo præcellimus eos? Prius enim causati sumus Iudæos & Græcos omnes esse sub peccato, sicut scriptum est, Non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinauerunt, omnes inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum nõ est vsque ad vnum: sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Venenum aspidũ sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in vijs ipsorum, & viam pacis non cognouerunt. Non est timor Dei ante oculos eorum.

Psal. 5.

In ijs quoque quæ superius interpretata sunt, cùm circuncisionem cum præputio contulisset, subiunxit, *Quid ergo* amplius Iudæo est? Hic quoque volens gratiæ Euangelicæ excellentiam ostendere, ait, *Quid ergo* præcellimus eos? ostendimus enim & eos qui extra legem, & eos qui sub lege fuerunt, peccasse. Adiecit autem etiam Dauidicum testimonium, vt quòd valde proposito argumẽto conueniat. Breuitatis autem maximam curam gerens, hoc facit, alioqui omnes Prophetas ad Iudæorum accusationem vocasset, qui hæc de ijs, & his adhuc absurdiora dicunt, vnde subiunxit.

Scimus quod quæcunque lex loquitur ijs qui sunt in lege loquitur. *Post scimus, deest autem.*

Hoc autem etiam valde accuratè & exactè posuit. Non dixit enim *De ijs* qui sunt in lege, sed *ijs* qui sunt in lege. Multa enim dicit & de Babylonijs, & de Persis, & Medis, & Aegyptijs, & alijs pluribus gentibus. Sed tamen, quæ de ijs prædicta sunt, Iudæis quoque obtulit.

Vt omne obstruatur, & subditus sit omnis mundus Deo.

Illud *Vt*, rursus quodã sibi proprio loquendi modo adiecit. Non enim ideo fert legem vniuersorũ Deus, & præcepta dat hominibus, vt eos reddat peccatis obnoxios, sed ipse id facit, eorum salutis curam gerens. Qui autẽ contrarium iter ingrediuntur, ad se suppliciũ attrahunt. Deinde dona fidei ostensurus, ostendit prius omnes ea indigere, & ante alios eos maximè qui lege gloriantur, & propter illam sibi valde placent.

Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.

Legis Mosaicæ alia quidem naturæ cognitioni conueniebant, vt, *Non* Adulteraberis, *non* occides, *non* furaberis, *non* dices falsum testimonium aduersus proximum tuum, Honora patrem, & matrem, & quæcunque eiusmodi. Sciebant enim ij etiam qui eam legem nõ susceperant, vnumquodque eorum non solum esse accusationi, sed etiã supplicio obnoxium. Alia autem tulit legislator, quæ Iudæis eo solo tempore conferebant, quemadmodum circũcisionem, & sabbatum, & sacrificia, & aquiminaria ac lauacra, & quæ de leproso, & eo qui seminis fluxione laborat, cõstituta sunt, & alia his similia, quę aliorum quidẽ signa sunt, ipsa autem per se ad impleta, non sufficiunt ad eũ iustum reddendum, qui ea exequitur. Quamobrem diuinus quoque Apostolus dixit, *Quia ex* operibus legis non iustificabitur omnis caro coram ipso. Et ne quis eum legem vitupare existimaret, subiunxit,

Per legem enim cognitio peccati.

Lex, inquit, perfectiorem peccati cognitionem hominibus indidit, & vt ipsum vehementius accusaretur effecit: ad rectè autem exercendam virtutem hominibus sufficere non potuit. Cùm sic ostendisset legem esse solum bonorum honestorumque magistram, ostendit gratiæ potentiam.

Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis.

Quis Apostolicæ sapientiæ potentiã satis pro dignitate admiretur? Simul enim ostẽdit & legem cessauisse, camq; suo patrocinio gratiam defendere. Aptè autem etiam posuit illud, *Manifestata est.* Quod enim erat occultatũ dispensationis mysterium omnibus manifestum reddidit. In gratiæ autem & legis collatione victoriæ excellentiam ostendit, demonstrans legem & Prophetas esse testes gratiæ.

Iustitia autẽ Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes eos qui credunt.

Repe-

Repetijt quod prædictum fuerat, vt adijceretur quod restabat. Quia enim dixit *Iustitia* Dei manifestata est, deinde quædam interposuit, hoc dicto necessario repetito, ostendit per fidem in Dominum Christum eos illa frui, siue sint Iudæi, siue Græci, qui eam assequi desiderant. Illud enim *In* omnes, dicit Iudęos: super omnes autem, eos qui sunt ex alijs gentibus. Et pergit hoc docere apertius.

Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.

Paucis omnes reos esse ostendit & gratia egere.

Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.

Sola enim fide allata, peccatorum remissionem accepimus: quoniam veluti quoddam redemptionis pretium dominus Christus suum corpus obtulit:

Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in suo sanguine.

Propitiatorium erat lamina aurea, quæ super arcam ponebatur. Habebat autem vtrinque effigies Cherubin. Illinc autem sciebat, sacra obiens Pontifex, Deum esse propitium. Docet ergo diuinus Apostolus verum propitiatorium esse Dominum Christum. Illud enim vetus huius typum expressit. Conuenit autem ei hoc nomen tanquam homini, non tanquam Deo. Tanquam Deus enim ipse responsum reddit per propitiatorium. Vt homo autem, hãc etiam appellationem recipit, sicut & alias, vt ouis, & agnus, & peccatum, & maledictum, & quæcunq; eiusmodi. Et antiquum quidem propitiatoriũ erat sanguinis expers, quoniam erat etiam inanimatum: sanguinis autem hostiarum guttas recipiebat. Dominus autem Christus & Deus est & propitiatorium, & Pontifex, & agnus, & in suo sanguine nostram salutem procurauit, solã à nobis fidem exigens.

Exod. 25. 26. 36. Ad Heb. 9.

Ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore.

Et suam bonitatem ostendit Deus, qui diu lenis patiensque fuerit hominibus qui se inique gerebant, & legem non seruabant: & iustitiam suã omnibus manifestã reddidit. Quòd autem non sine causa eos qui delinquebant perpessus est, sed hoc eis salutis medicamentum præparans, dicit,

Vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi.

Vtrunque enim sciendum est, & quòd iustè & humanè ac clementer vniuersoum Deus nostra administrauit, & benigne nobiscum egit: & quòd quisquis Domino Christo credit, fruitur iustitia quæ est ex fide. Cùm dona gratiæ sic breuiter ostendisset, rursus ad dicendum de lege reuertitur, & ostendit eam cedere gratiæ.

Vbi est ergo gloriatio? *Post gloriatio, deest tua.*

Legendum est per interrogationem. deinde responsio.

Exclusa est.

Non dixit, Dissoluta est, sed Exclusa est, pro eo quod est, Non habet amplius locum. Gloriationem autem vocat altos Iudæorum spiritus & nimiam arrogantiam. Sibi enim placebant, & se magnificè efferebant, tanquàm soli diuina prouidentia fruerẽtur. Sed cùm diuina gratia apparuisset, & in omnes gentes diffusa esset, cessauit Iudæorum gloriatio. Compendiosam enim sibi parãdę salutis rationem Deus dedit hominibus, nempe fidem. Hoc enim etiam per eaque deinceps sequuntur docuit Apostolus.

Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei.

Non sine causa autem fidem legem appellauit, sed Hieremiæ Prophetiam in memoriam reuocans. *In diebus* enim, inquit, illis, & in illo tempore disponam domui Israel & domui Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod disposui Patribus ipsorum. Si autem lex Mosaica appellata est testamentum, & nouum rursus similiter testamẽtum nominatum est, hoc autem decernit vt Christo credatur, propheticè diuinus Apostolus appellationem legis fidei coniunxit. Deinde quod de fide dicit adtexit.

Hier. 31.

Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.

Legem hic dixit Mosaicam. Sed tamen non dicit, *Arbitramur* fide iustificari Iudæum, sed hominem, quod quidem est commune naturæ nomen. Vnde syllogisticè subiunxit.

An Iudæorum Deus tantum? Nónne autem & gentium? Imò & gentium.

Deinde tanquam certum, & cui contradici non potest, sententia confirmat.

Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificet circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.

Vnus est, inquit, omnium Deus, vnus omnium opifex, & fieri non potest vt eorum quidem curam gerat, illorum verò non gerat. Omnibus ergo qui credũt salutem præbet. Circuncisionem autem vocat Iudęos, Pręputium verò gentes. Soluit autem etiam eam quæ incidit obiectionem.

Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.

Multis enim iã retro sæculis & lex & Prophetæ fide prædixerunt. Fidem ergo suscipientes, legem confirmamus. Deinde affert horum probationes, & cùm posset plurima Prophetarum testimonia adducere, pergit ad ipsam Iudæorum radicem, & ostendit Patriarcham Abraam iustitiam per fidem acquisisse, & dicit.

CAP. IIII.

Secundũ carnem, non cũ patrem nostrum, Abraam, sed cum quid inuenisse, conjungu.

QVid ergo dicemus Patrem nostrũ Abraam inuenisse secundum carnem?

Quam, inquit, antequam Abraam Deo crederet, iustitiam eius per opera fuisse audiuimus? Secundum carnem enim dicit, eam quæ

est in operibus.quoniam per corpus opera peragimus.

Si enim Abraam ex operibus iustificatus est, habet gloriationem: sed non apud Deum.

Bonorum operum implementum,eos quidem qui operantur coronat,sed Dei benignitatem & humanitatem non ostendit. Sed fides facit vtrunque manifestum, & eius qui credit in Deum affectionem & Dei benignitatē,quoniam approbans,& amplectens fidem,eum qui illa præditus est, victorem declarat, & corona donat. Et hoc confirmat per scripturæ testimonium.

Quid enim dicit scriptura? credidit Abraam Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Non enim ex lege vitam instituens beatissimus Abraam diuinum testimonium assecutus est,sed ei qui vocauit credens, iustitiæ fructum collegit.

Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam,sed secundum debitum.

Qui est enim iustitiæ operator, mercedem postulat. Iustitia autem ex fide est donum Dei vniuersorum.Hoc enim docent etiam quæ sequuntur.

Ei vero qui non operatur, credenti autem in illum, qui iustificat impium; reputatur fides eius ad iustitiam.

Cùm sic per Patriarcham Abraam ostendisset fidem esse lege antiquiorem,alium rursus eius fide dignum testem citat,Dauid Prophetam & Regem: cui vniuersorum Deus factas Abrahæ promissiones renouauit: sicut enim Patriarchæ Abraā pollicitus est se in eius semine omnes gētes benedicturum, ita etiam
Psal. 88. dixit diuinissimo Dauid, *Semel* iuraui in sancto meo,si Dauid mentiar. Semen eius manet in sæculum, & thronus eius tanquā sol coram me, & tanquam luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Et rursus, *Foeam* in mari
Ibidem. manum ipsius,& in fluuijs dextrā eius. Et rursus. Et adorabunt eum omnes Reges terræ. Omnes gentes seruient ei,& cętera eiusmodi. Et quoniam ostendit beatum Abraam per fidem iustitiam acquisiuisse, antequam autem data lex esset,natus fuerat Abraam,ostendit necessario Dauid, qui sub lege vixit, fidei testimonium dedisse,& dicit.

Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui
Psal. 31. *Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauerit Dominus peccatum.*

Lex,inquit,ijs qui peccant supplicium intulit. Propheta autem eos beatos existimat, qui peccatorum remissionem acceperunt. Manifestum est ergo, quod nos beatos prædicat, & gratiæ dona laudat. Ostendit autem hanc esse omnibus propositam, & dicit per interrogationem.

Beatitudo ergo hæc in circuncisione, an etiam in præputio?

Deinde rursus ex Patriarcha Abraam confirmat id quod est propositum.

Dicimus enim quòd reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? Ei qui est in circuncisione, an ei qui est in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio.

Ostendit non solum lege, sed ipsa etiam circuncisione, fidem esse antiquiorem, & quòd ante circuncisionem patriarcha iustitiæ secundum fidem testimonium accepit. Vbinam ergo circuncisione opus habuerit qui ex fide iustitiam acquisiuit,hoc apertè docet.

Et accedit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ in præputio.

Non est,inquit, circuncisio iustitia,sed testimonium iustitiæ, & signaculum, & signū fidei quam ante circuncisionem acceperat.

Vt sit pater omnium credentium per præputium, vt imputetur eis iustitia & pater circuncisionis.

Sic oportet distinguere. Ostendit enim Patriarcham Abraam primum quidem patrem eorum qui ex præputio crediderunt, quoniam & ipse cùm adhuc haberet præputium,Deo fidei donum obtulit,præterea autem & Iudęorum, vt qui fuerint cum illo circuncisionis participes. Et hoc ipsum docet apertius per ea quæ inferuntur.

Non ijs tantum qui sunt ex circuncisione, sed & ijs qui sectantur vestigia fidei quæ est in præputio patris nostri Abraam.

Si quis enim ex gētibus excitus, circuncisione non accepta, illam patriarchæ fidem secutus fuerit,quam ante circuncisionem ostēderat, illius cognatione non frustrabitur. Cùm enim vniuersorum Deus, præuidisset se vnum populum ex Iudæis & gentibus congregaturum, & eis per fidem salutem præbiturum, vtrunque in patriarcha Abraam prius descripsit. Cùm enim ostendisset ipsum etiam ante circuncisionem iustitiam ex fide acquisiisse, & post circuncisionem non ex lege Mosaica vitam instituisse, sed in fidei vestigijs hæsisse, eum patrem gentium appellauit, vt ad illum & Iudæi & Græci respicientes, neque hi circuncisionem,neque illi præputium,sed vtriq; eius fidem imitentur. Neque enim circuncisionem,nec præputium,sed fidem iustitiam appellauit diuina scriptura. Cùm sic ostendisset fidem esse lege & antiquiorem & præstabiliorem,ostendit rursus legem esse promissione facta Abrahæ recentiorem, ostendens gratiam esse lege antiquiorem. De ea enim factæ sunt promissiones Abrahę. Pollicitus est autem se in semine ejus esse omnes gentes benedicturū. Per dominum autem Christum promissum fidem accepit.

Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi: sed per iustitiam fidei.

Cùm enim Deo credidisset, non autē cùm ex lege Mosaica vitam instituisset,accepit promissionem benedictionis gentium.

Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita est fides & abolita est promissio.

Si enim qui ex lege vitam instituerunt, bona promissa assequuntur, Abraam quidē frustra Deo credidit: Falsa autem sunt,& non vera, quæ illi à Deo promissa facta sunt.

Lex enim iram operatur.

Lex

Lex enim consueuit eos punire,qui eā transgrediuntur. Iram enim supplicium appellauit.

Vbi enim non est lex, nec præuaricatio.

Lex enim punit eos qui transgrediuntur: legi enim coniuncta est obseruatio & transgressio, cùm hi quidem propter virtutis studium eam lubenter seruent, illi verò propter socordiam eam securè transgredi sibi in animum inducant.

Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei solum qui est ex lege, sed & ei qui est ex fide Abrahæ, qui est pater omnium nostrum.

Iudæorum supercilium contraxit, vocans semen Abrahæ,eos qui fidem Abrahæ sunt imitati,etiamsi sint alienigenæ. Si autem lex punit eos qui transgrediuntur, gratia autem donat peccatorum remissionem, hæc confirmat Dei promissionem,donans gentibus benedictionem. Quia autem & gentiū & Iudæorum patrem vocauit Abraam, confirmat id quod dicit scripturæ testimonio.

Gens. 17. *Sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te.*

Deinde exemplo confirmat testimonium.

Ante Deum cui credidisti, qui viuificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.

Sicut enim, inquit, Deus est creator omnium, & omnium Deus & curator, ita etiam Abraam omnium patrem elegit, non solum Iudæorum, sed omnium qui credunt. Docet autem etiam quàm insignis fuerit fides Abrahæ.

Post dictum est, deest, ei. Gense. 13. Deest, Sicut stellæ cœli & arena maris. *Qui præter spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est. Sic erit semen tuum. Nec infirmatus est fide, nec postquam consideraui corpus suum emortuum, cùm esset centum annorum, & emortuam vulnam Sarræ.*

Videns enim sterilem quidem coniugem, vtrunque autem imbecilla senectute opprimi, nullamque suscipiendorum liberorum, si rationem humanam spectes, esse spem relictam, nec vllum esse antiquius exemplum, quod eum posset consolari, diuinum promissum fideliter, hoc est firmam fidem adhibendo, suscepit. *Præter* spem enim dicit, eam quæ est secundum naturam. *In spe* autem promissio Dei.

In repromissione etiam Dei non hæsitabat diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, & plenissimè sciens, quod id, quod promisit, potens est & facere.

Non enim respexit ad naturæ imbecillitatem, sed absque vlla hæsitatione eius creatori credidit.

Ideo & reputata est illi ad iustitiam.

Supple fides. Ita cùm & in ijs qui sub lege,& in ijs qui ante legem fuerunt, fidem viguisse ostendisset,ad id quod est propositum orationem conuertit.

Non est autem scriptum tantū propter ipsum, quòd reputata est ei fides ad iustitiam, sed & propter nos quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Dominum nostrum Iesum ex mortuis.

Et patriarcha, qui videbat mortuam suæ coniugis vuluam, credidit quòd facile esset Deo promissum implere, & nos audientes Iudæos vocātes Dominum nostrum mortuum, eum resurrexisse credimus. Et nos itaque fructus fidei colligamus, & iustitiam, quæ ex ea nascitur, carpamus. Non enim frustra scripta sunt quæ Dominus Deus fecit patriarchæ Abrahæ, sed vt nos illa videntes fidem similem ostendamus. Illud autem *Qui suscitauit* Dominum nostrum Christum, dixit secundum humanitatem. Qua enim passus est, ea & resurrexit. Carnis autem passio, non est, diuinitatis, quæ est ab omni passione & affectione aliena.

Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Pro nostris enim peccatis passionem subijt, vt nostrum debitum exolueret, & vt eius resurrectio communem omnium resurrectionem procuraret. per illam enim & iustificationis cōmoda accipimus; & in baptismo consepulti, peccatorum remissionē suscipimus. Cùm fidei vires sic ostendisset, & gratiæ dona aperuisset, confert suam orationem ad exhortandum, vt actiuæ virtutis cura agatur, adhortans. Quia enim exorta fide dixit legem esse otiosam, & ostendit patriarcham iustitiam ex fide acquisiisse, ne ij, qui se otio totos dedunt, hinc occasionem acciperent actiuæ negligendæ virtutis, vtpote quòd sufficeret fides ad iustificandum, moralia dicta necessario admiscet, & dicit.

CAP. V.

IVstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deū per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nūc accessum habuimus per fidem in hanc gratiam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ Dei.

Fides quidem dedit vobis remissionē peccatorum, vosque ab omni reprehensione alienos, iustosque, per lauacri regenerationem, effecit. Conuenit autē vos eam seruare pacem, quam cum Deo inijstis. Cùm enim ei hostes essemus, reconciliauit nos vnigenitus carne suscepta Dei filius. Si multatem autem illam peccatum peperit. Initam ergo pacem iustitia conseruabit. Ad eam autē persequendam nos non parum incitari conuenit, spem, quę nobis data est, reputantes, & quā nobis dandam esse gloriā Deus est pollicitus. Susceptorum enim laborum remunerationē, non mercedem, sed gloriam appellauit, ostendens quanta futura sit remuneratio. Quia autem eo tempore multas molestias sustinebant, iniurijs, contumelijs ac tormentis innumerabilibus mortis generibus affecti, iure quoque de ijs affert consolationem.

Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.

Apertè suam insuperabilem animi magnitudinem ostendit. Non dixit enim, Afflictiones sustinemus, sed *Gloriamur in afflictionibus.* Gloriamur, inquit, & de nobis magnificè ac

præclarè ſentimus, vt qui ſimus Domini paſsionum participes. Et hoc quidem non dixit apertè. Ita enim ſentire, eſt eorum, qui vt eſt eius ſententia, perfecti ſunt. Alios autem ex futuris conſolatur.

Scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit.

Quando aliqua moleſta & difficilia quempiam circumſederint, ſi fortiter ferat eorum impetus, probatus efficitur, & futurorum ſpe nititur. Illa eſt autem non falſa, & quæ quod verum eſt habet. Hoc enim dixit illud, *Non confundit*, vtpote cùm qui ſperant quidem, ſed ſpe falluntur, erubeſcant, & pudore afficiantur.

Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Sancti enim ſpiritus gratia, quam per baptiſmum accepimus, noſtrum in Deum deſiderium accédit. Deinde etiam docet cauſam amoris.

Vet. trad. habet vt quid enim &c. & legit interrogatiuè.

Chriſtus enim, cùm adhuc eſſemus ſecundum tempus infirmi, pro impijs mortuus eſt. Vix enim pro iuſto quis moritur. Nam pro bono forſitan quis audeat mori.

Cogitamus enim, quòd cùm adhuc delinqueremus, & iniquè nos gereremus, morboque impietatis adhuc eſſemus implicati, Dominus Chriſtus mortem pro nobis ſuſcepit: & hinc benignitatis & clementiæ abyſſum intelligimus. pro iuſto enim vix quiſquam mortem ſubierit. Ipſe verò propter inſignem charitatem pro peccatoribus mortẽ ſubijt. Hoc enim ſubiungit.

Commendat autem charitatem ſuam Deus nobis, quod cum nos adhuc peccatores eſſemus, ſecundũ tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

Deus autem inſignem ſuam in nos charitatem oſtendit, quòd Chriſti mors non pro iuſtis fuerit, ſed pro peccatoribus. Nunc enim oſtendit, quòd per fidem in ipſum iuſtificati ſumus, quando autem pro nobis mortem ſubiit, omni adhuc peccatorum generi eramus obnoxij. Illud autem *Secundum* tempus, pro eo quod eſt in tempore, opportunè, ac tempore conuenienti. Idem autem dicit etiam in epiſtola ad Galatas, Quando autem venit plenitudo temporis, miſit filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Gal. cap. 4.

Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.

Qui enim pro impijs & iniquis execrabilem illam mortem ſubijt, clarum eſt, quòd eos etiam, qui in illum crediderunt, à ſupplicio liberabit. Iram enim futurum ſupplicium appellat.

Si enim cùm inimici eſſemus, recõciliati ſumus Deo per mortem filij ipſius, multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius.

Si cùm inimici infeſtiq; eſſemus, tanta nos cura dignos exiſtimauit vt filium ſuum pro nobis morti traderet: quomodo fieri poteſt, vt facta reconciliatione, nos æternæ vitæ non ſimus participes? Ac rurſus quidem certè vocat filium Dominum Chriſtum, qui eſt idem Deus & homo. Clarum eſt autem, vt exiſtimo, vel maximè hæreticis, in quanam natura paſsio facta ſit.

Non ſolum autem hoc, ſed etiam gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum per quem nunc reconciliationem accepimus.

Non ſolum enim vitam immortalem expectamus, ſed etiã in vita præſenti vt Deo familiares effecti gloriamur, de Chriſto Domino cogitantes, qui interceſſor ac mediator noſter factus pacem procurauit. Ab hoc deinceps loco diuinæ diſpenſationis reuelat myſterium, & incarnationis cauſam docet.

Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.

Cùm Dominus Deus Adam fabricatus eſſet, & ratione ornaſſet, dedit vnũ præceptum ad rationem exercendam. Neque enim fieri poterat, vt qui eſſet rationis particeps, & bona ac mala diſcernendi facultatem haberet, abſq; vlla lege viueret. Is deceptus mandatum trãſgreſſus eſt. Supplicij autem comminationem legiſlator mandato coniunxit ab initio. Is itaque, cùm mortis decreto factus fuiſſet obnoxius, ita Cain & Seth & alios genuit. Hi verò omnes, vtpote ex eo geniti, habebant mortalem naturam, eiuſmodi autem natura multis indiget, & cibo, & potu, & indumentis, & habitatione, & diuerſis artibus. Eorum autem vſus ſæpe ad mediocritatis exuperationem incitat. Mediocritatis autem exuperatio peccatum generat. Dicit itaque diuinus Apoſtolus, quòd cùm Adam peccauiſſet, & mortalis propter peccatum factus eſſet, vtrunque ad genus peruenit. Ad omnes enim homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauerunt. Non enim propter primi parentis peccatum, ſed propter ſuum, vnuſquiſque mortis decretum ſuſcipit.

Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur cùm lex non eſſet.

Non, vt nonnulli exiſtimabant, eos accuſat qui legem præceſſerunt, ſed omnes ſimul. Illud enim *Vſque* ad legem, non dicit vſque ad legis principium, ſed vſque ad finem legis, pro eo quod eſt donec lex dominata eſt, habuit peccatum vires ſuas. Si enim non ſit lex, non poteſt eſſe tranſgreſsio.

Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moſen, etiam in eos, qui non peccauerunt, in ſimilitudinem præuaricationis Adam qui eſt forma futuri.

Moſen legem appellat. Hoc autem licet etiam inuenire in Euangelijs, Habent Moſen & prophetas. Ita etiam diuinus Apoſtolus in ſecunda ad Corinthios dicit. Sed vſque in hodiernum diem cùm legitur Moſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, pro eo quod eſt, lex. Regnauit itaque, inquit, mors ab Adam vſque ad apparitionem Seruatoris noſtri, Luc. 16. 2. Cor. 3.

tunc

Matth. 11. tunc enim ſuſcepta eſt. Lex enim, inquit, & prophetæ vſq; ad Ioannem prophetauerunt. A tempore autem Ioannis regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Regnauit autem mors etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudine tranſgreſsionis Adæ. Etſi enim illud mandatum nõ tranſgreſsi ſunt, alia tamen delicta commiſerunt. Adam autem appellauit Chriſti typum. Ipſum enim vocat futurum hac de cauſa, quòd ſicut ille, qui primus peccauit, mortis decreto ſubiectus eſt, & totum genus primum parentem ſecutum eſt: ita etiã Dominus Chriſtus, cùm ſummam iuſtitiam adimpleſſet, mortis potentiam diſſoluit, & qui primus ex mortuis reſurrexit, omnem naturam hominum ad vitam reducet, & quia Adam typum Chriſti vocauit, oſtendit eius excellentiam.

Sed non ſicut delictum, ita & donum.

Sed quomodo?

Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.

In pœna, inquit, Dominus Deus iuſtitiæ decretum ſeruauit, & cùm Adam peccaſſet, & morti eſſet traditus, vniuerſum genus eſt conſecutum: multo vtiq; iuſtius in Dei benignitate & clementia iuſtitiam ſeruari, & Domini Chriſti reſurrectionis omnes homines eſſe participes. Dominum autem Chriſtum hominem hic appellauit, vt Adæ typum perfectè oſtenderet, quia ſicut illic per vnum hominem mors, ita per vnum hominem hic eſt mortis diſſolutio.

Et non ſicut per vnum hominem donum, Nam iudicium ex vno in condemnationem, Gratiam autem ex multis delictis in iuſtificationem.

Superat, inquit, gratiæ munificentia iuſtitiæ decretum. Tunc enim cùm homo peccaſſet, totum genus pœnas luit. Nunc autem cùm omnes homines ſe impiè & iniquè gerant, non ſupplicium irrogauit, ſed vitam donauit.

Si enim vnius delicto mors regnauit, per vnum multo magis gratiæ abundantiam & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabũt per Ieſum Chriſtum.

Si per vnum hominem tranſgreſsio, mortis potentiam confirmauit: clarum eſt, quòd, qui copioſã Dei dona acceperunt, erunt morte potentiores, & cum Chriſto regni ab omni exitio ac interitu alieni, & vitæ æternę erunt participes.

Igitur ſicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iuſtitiam, in omnes homines iuſtificationem vitæ.

Ne dubitate, inquit, de ijs quæ à me dicuntur ad Adam reſpiciẽtes. Si enim illa vera ſunt, vt ſunt, & cùm ille tranſgreſſus eſſet, vniuerſum genus mortis decretum ſuſcepit, clarum eſt quòd ſeruatoris iuſtitia vitã omnibus hominibus procurat. Et rurſus hoc ipſum, aliter dicit, orationem varians & continuè reuoluẽs ac circumagens, vt œconomię myſterium nos apertius doceat.

Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi.

Exactè hic & in Adam & in gratia poſuit illud, *Multi*. Nam & in illis inuenimus aliquos, qui à maioribus peccatis alieni fuerunt, vt Abel, & Enoch, & Noe, & Melchiſedech, & Patriarchas, & eos etiam, qui in lege clari inſigneſq; fuere, & poſt gratiam, multi vitam iniuſtam & ſceleratam amplectuntur. Ita cùm nos ab Adam diuinę incarnationis cauſas docuiſſet, quæ incurrit dubitationem opponit, & eius ſolutionem inducit. Ea autem in legem incurrit, quæ inter Adam & Seruatoris noſtri aduentum data eſt. Et ideo dixit diuinus Apoſtolus.

Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum.

Illud autem *Vt*, non pro cauſa poſuit, ſed ex ſuo proprio modo loquendi. Vult autem dicere, quòd nec priori quidem tempore reliquit Deus homines ſua curatione & prouidentia deſtitutos. Sed Iudæis quidem legem dedit, per illorum autem ſtudium ac diligentiam pietatis quoque lumen alijs gentibus oſtendit. Propriè autem poſuit illud *Subintrauit*, quoniam promiſsi quod datum erat patriarchæ Chriſtus erat finis. In ſemine enim tuo, inquit, benedicentur omnes gentes terræ. Inter Abraam autem & Chriſtum lex media ingreſſa eſt. Ita autem exactius quidem docuit quòd peccatum malum eſt, ipſum autem compeſcere ac profligare non potuit, ſed etiam magis auxit. Quo enim plura præcepta data ſunt, eo plures tranſgreſsiones fuerunt. Sed diuinus Apoſtolus breuem ſolutionẽ intulit.

Vbi autem abundauit peccatum, ſuper abundauit gratia.

Dei, inquit, beneficentię detrimentũ non attulit: ſed inſignem eius bonitatem magis oſtendit.

Vt ſicut regnauit peccatum in morte, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Hic compleuit caput. docet autem, quòd ſicut peccatum, quod mortem peperit, regnauit in mortalibus corporibus, animi motus ad mediocritatis exuperationem incitans: ita gratia iuſtitiam per fidem credentibus largita, non habet regnum tempore peccato æquale, ſed æternum, & ſine fine. Peccatum enim corporibus imperabat, eorum autem morte à regno ceſſabat. Qui enim mortuus eſt, vt vult diuinus Apoſtolus, à peccato iuſtificatus eſt. Sed poſt reſurrectionẽ, cùm à corruptione interituque aliena & immortalia corpora facta fuerint, regnabit in eis gratia, peccato nullum deinceps locum habente, vbi enim perturbationes animi ceſſauerint, non erit locus peccato. Deinde rurſus aliam emergentem dubitationem proponit, & nullo negotio diſſoluit.

CAP. VI.

Quid ergo dicemus? manebimus in peccato vt gratia abundet? Abſit.

Negatione quàm id sit absurdum ostendit. Hoc autem posuit propter id quod iam ante dictum est: Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Non illi autem suffecit enuntiatiua negatio, sed hoc etiam alia ratione ac methodo aggreditur.

Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?

Et quomodo mortui sumus?

An ignoratis, quòd quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?

Negasti, inquit, peccatum, & mortuus illi factus es, & Christo consepultus es, quomodo ergo fieri potest, vt tu illud peccatum suscipias?

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum Christus ex mortuis suscitatus est per gloriam patris, ita & nos in vitæ nouitate ambulemus.

Ipsum baptismatis mysterium docuit te peccatum fugere. Baptismus enim habet typum mortis Domini. In illo autem tu & mortis & resurrectionis fuisti vnà cum Christo particeps. Oportet ergo te nouam quandam vitam viuere, & ei conuenientem, cuius tu resurrectionis fuisti particeps. *Gloriam* autem patris vocat diuinitatem Christi. Etenim in alia dicit epistola. *Vt Deus* Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ. Et Dominus in Euangelijs.

Ioan. 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quòd si Hæretici hanc interpretationem non admiserint, ne sic quidem vnigeniti gloriæ quidquam detrahent. Etsi enim pater eum suscitauit, suscitauit vt hominem: Vt homo enim etiam passionem suscepit.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.

Quoniam salutiferum baptismum vocauit mortis typum, nominis immutatione resurrectionem apertè innuit. Quod rectè enim plantatur, enascitur.

Hoc scientes, quòd vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt nō vltrà seruiamus peccato.

Veterem hominē non appellauit naturam, sed malam mentem. Eam autem dicit esse baptismo mortificatam, vt sit corpus otiosum peccato. Hoc enim significat illud, vt otiosum sit corpus peccati, vt peccato non amplius seruiat. Deinde hoc etiam apertius ex alia docet similitudine.

Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.

Quis enim vnquam vidit mortuum vel alienum cubile constuprantem, vel homicidio manus suas cruentantē, vel aliquid aliud turpe & flagitiosum agentem?

Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quòd etiam simul cum illo viuemus.

Oportet itaque & nos Christo consepultos peccato quidem esse mortuos, expectare autem resurrectionem. Deinde rursus ponit exemplum.

Scientes quòd Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Quòd autem viuit, viuit Deo.

Per hęc verba satis docuit, eos qui credide-runt volēs à peccato abducere. Semel, inquit, mortuus est Christus, nec vt bis moriatur fieri potest, habet enim corpus immortale, & ideo vnum etiam baptismum percipimus. Ne aliam ergo per baptismum remissionem expectes. Pulchrè autem dixit eum mortuum esse peccato. Non erat enim morti obnoxius, peccatum enim non fecerat, sed propter nostrum peccatum mortem subierat.

Ita & vos existimate, vos esse quidē peccato mortuos, viuentes autem Deo in Christo Iesu.

Et vos itaque in peccati quidem operatione vestra esse membra mortua ostendite: vitam autem secundum Christum amplectimini, per quam, vitam immortalem assequemini. Oportet itaque nos huic doctrinæ mentem adhibere, & peccati quidem insidias fugere, Christum autem, qui nos seruauit, ad auxilium vocare. Inuocatus enim præsto aderit, & suam nobis opem præbebit. Cum quo patri cum sancto spiritu gloria conuenit & magnificentia nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

TOMVS TERTIVS.

E ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.

Regnum in hoc differt à tyrannide, quòd existat quidē Tyrannis, inuitis subiectis, Regnum autē, ijs volentibus quibus imperatur. Suadet ergo, ne peccati potestati amplius assentiamur, Dominus enim humana carne suscepta eius regnum euertit, & vt qui mortalibus, & adhuc patibile corpus habentibus leges ferret, ea statuit, quæ illorum imbecillitati respondeant, & nō dicit, Ne tyrannidem exerceat peccatum, sed ne regnet. Illud enim est illius proprium, hoc verò, nostræ mentis. Animi enim perturbationum motus, & vexatio, inest nobis natura: eorum autem quæ sunt prohibita actio à nostra mente dependet. Ostendit autem etiam bellum non diuturnum futurum, corpus mortale appellans. Cùm id enim mortis terminum acceperit, cessat etiam animi perturbationum insultus. Iubet ergo nos non deponere quidem peccati tyrannidem, sed ei non cedere immodicè accendenti appetitiones corporis.

Neque exhibete membra vestra arma iniquitatis peccato.

Cùm regni mentionem fecisset, eius quoque necessario armaturam ostendit: nosque victoriæ parandæ rationem docuit. Peccatum enim nostris aduersus nos membris armis vtitur.

Sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes.

Et hoc iam dixit: Sic & vos existimate esse mortuos quidem peccato, viuentes autem Deo

Deo in Christo Iesu, pro eo quod est. Cùm Christo consepulti estis, & consurrexistis. Peccato itaque mortui estis, & aliam vitam quæritis.

Et membra vestra arma iustitiæ Deo.

Ostendit non malum esse corpus, sed boni Dei opificium. Potest enim si rectè honesteque ab anima gubernetur, Deo seruire, & suum munus obire. Electionis itaque ad id quod est deterius inclinatio, præbet membra veluti quædam arma peccato: & rursus, cognitionis in ea quæ bona & honesta sunt affectio, efficit vt membra diuinis legibus inseruiant. Sobrij enim & temperantis musici lingua offert conuenientem musicam vniuersorum Deo: Ebrij verò & desipientis, insuauem blasphemiæ vocem furiosè emittit. Ita etiam ea veris sermonibus ornatur, & falsis inquinatur. Ita etiam oculus pudicè & impudicè, torueque & humanè intuetur. Ita etiam manus & occidit, & miseretur, &, vt semel dicam, omnes corporis partes & arma iustitiæ fiunt, si mens velit: & rursus peccati, quando illa peccati potestatem amplexa fuerit. Diuinus autem Apostolus aliunde quoque ostendit victoriæ facilitatem.

Peccatum enim, inquit, non amplius vobis dominabitur,

Non amplius, inquit, natura sola luctatur, sed opem ferentē habet gratiam spiritus. Hoc enim subiunxit.

Non enim sub lege estis, sed sub gratia.

Docet enim, quòd ante gratiam lex solum docebat quid esset agendum: ijs autem, quibus ipsa imponebatur, nullum penitus auxilium afferebat. Gratia autem, præter legis impositionem, præbet etiam auxilium, & propterea lege est perfectior, quæ fit à gratia legis latio, vtpote cùm auxilium soluet difficultatem. Deinde rursus soluit occurrentem dubitationem.

Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia?

Propter eos qui sunt contentiosiores & reprehendendi cupidiores, hanc obiectionem posuit, & primum quidem negauit, rei absurditatem ostendens, & dixit,

Absit.

Deinde docet pluribus contrarium.

An nescitis, quòd cui vos exhibetis seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?

Cui seruire volueris oportet ei te iubenti parere, nō enim fieri potest vt duobus dominis simul seruias. Repugnat autem ex diametro iustitia & peccatum. Hoc etiam dixit Dominus in sacris Euangelijs. Nemo potest duobus dominis seruire. Matth. 3.

Gratias autem Deo, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in quem traditi estis typum doctrinæ.

Et eorum mutationem ostendit, & quàm hoc sit ei gratum aperuit, Deo hymnum offerens. Eratis enim, inquit, serui peccati: vestra autem sponte liberaque animi voluntate illius dominium excussistis, & spiritalem doctrinam amplexi estis.

Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.

Peccati seruitutem excussistis, iustitiæ autem iugum subijstis. Fieri ergo non potest vt cùm hoc habeatis, illius præceptis cedatis.

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.

Natura adhortationem metior. Scio enim quæ in mortali corpore mouētur animi perturbationes.

Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ ad sanctificationem.

Per hæc quoque ostendit non esse corpus accusandum, sed, quæ eum malè ducit, mentem. Nihil autem à nobis quod non præstari posit exigit, sed vt quæ peccato exhibuimus, ea sola iustitiæ præbeamus. Atqui illi quidem iniusta iubenti paruimus, huic autem si pareamus, id nobis conciliabit sanctificationem.

Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.

Illius enim solius iussa implebatis, non admittebatis autem leges iustitię. Deinde etiam aliunde ostendit differentiam.

Quem ergo fructum habuistis tunc?

Vos, inquit, dicite emolumenta peccati, imò verò est potius superuacaneum id interrogare. Etenim vos tacentes acceptum damnū confitemini, nanq; pudore suffundimini. Hoc enim subiunxit.

In quibus nunc erubescitis.

Etsi enim sit quispiam longè impudentissimus, postquam à voluptate cessauit, pudore afficitur. Adijcit autem præterea maiorem & acerbiorem fructum peccati.

Nam finis illorum mors est.

Mortem autem dicit, non hanc temporalem, sed æternam.

Nunc vero liberati quidem à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrū in sanctificationem, finem autem, vitam æternam.

In his opposuit quidem peccato Deum, pudori autem sanctificationem, æternæ autem morti vitam æternam.

Stipendium enim peccati mors est.

Quia olim quidem regnauit, nunc autem tyrānidem exercet, & arma eius membra quæ malè reguntur appellauit, meritò etiam mercedem græcè ὀψώνιον appellauit, ita enim solent appellare tesseram frumentariam militarem. Etenim dicit in epistola ad Corinthios, *Quis vnquam* militat suis stipendijs? 1. Cor. 9.

Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro amen.

Hic non dicit mercedem, sed gratiam. Est enim Dei donum vita æterna. Etsi quis enim summam & absolutam iustitiam præstiterit, temporalibus laboribus æterna in æquilibrio non respondent. Hæc cùm dixisset de eo quòd eos peccare non oporteat qui vitam ex gratia instituunt, rursus conuertit orationem

ad

ad conferendum legem cum gratia: & huius quidem ostendit potentiam, illius verò imbecillitatem, & docet quòd hac quidem exorta illa cessauit. Sic autem incipit.

CAP. VII.

AN ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quòd lex in homine dominatur quãto tempore viuit?

Vos, inquit, rectè scitis qui in lege educti estis, quòd lex ijs dominatur qui adhuc supersunt. Affert autem etiam exemplum rei propositæ conueniens, & dicit.

Post lege, desit viri.

Namq́ue sub lege est mulier, viuente viro alligata est legi. Sin autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri.

Deinde hoc docet apertius.

Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Sin autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro.

Adulteram, inquit, vocat lex, non eam, quæ post mortem coniugis alij coniungitur, sed eam quæ coniuge superstite cum alio copulatur, eam enim, vt quæ legem matrimonij iniuria afficiebat, puniri iubet. Clarum est ergo, quòd postquam vir vitam finierit, ex lege, & non contra legem facit vidua, quæ alij nupserit. Et sciebat quidẽ diuinus Apostolus, quòd lex viuentibus quoque separandi matrimonij facultatem dederit, quãdo id non gratum esset, sed dominicum præceptũ exaudijt, quod dicit Mosen hanc legẽ dedisse ad cordis Iudeorum duritiam: sed lege naturæ hæc non ita habuisse. Vnum, inquit, virum & vnam fœminam creauit Deus, in ipsa creatione matrimonij legem statuens. Et propterea illo relicto, ad legem, quæ de mortuis lata est, accessit, & subi unxit.

Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis vos alterius qui ex mortuis resurrexit.

Atqui exemplo conuenienter consequens erat dicere, Lex mortificata est, hoc est cessauit. Sed Iudæorum imbecillitatis rationem habens, legem enim valde amplectebantur: nec hæreticis, qui veteri testamento sunt infesti, eius accusandæ occasionem dare volens, non dixit legem cessauisse: sed dixit nos legi mortificatos esse per baptismum salutarem, deinde cùm resurrexissemus, alteri cõiunctos esse, qui ex mortuis resurrexit, hoc est Domino Christo. Et quoniam cõiunctionem & matrimonium nostram in Christum fidem appellauit, meritò matrimonij quoque fructum ostendit.

Vt fructificetis, inquit, Deo.

Quis est autem fructus? Vt membra nostra sint arma iustitiæ. Valde autem sapienter ostendit ipsam legem iubere vt Christo coniungamur. Non prohibitum enim, inquit, erat quominus posset mulier alij viro nubere post prioris mariti mortem. Deinde rursus ostendit differentiam.

Cùm enim essemus in carne.

Hoc est dum in legis statu ageremus. Carnem enim vocauit eas leges quæ carni datæ sunt, de cibo, & potu, & lepra, & ijs similibus.

Passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris.

Non dixit sub lege, sed per legem. Ipsa enim non operabatur peccatum, sed ipsa peccatum accusabat. Peccatum autem bono malè vsum est. Neq́ue verò membra nostra, operabantur peccatum, sed per mẽbra nostra, animæ ad id quod est deterius inclinatio, perfecit eius operationem. Quid autem ex eo euenierit?

Vt fructificarent morti.

Per hæc autem nos docuit, quòd ante gratiam, dum sub legis statu ageremus, peccati vehementiores impetus sustinebamus, cùm lex quid esset quidem agendum ostenderet, auxilium autem non ferret.

Nunc autem soluti sumus à lege.

Rursus parcè loquens in cautione perstitit: & non dixit, *Soluta est lex*, sed *nos soluti* sumus à lege, (Est aũt græcè κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, id est, Ociosi facti sumus à lege) lex scilicet nobis ociosa facta est, neque enim ex illa amplius vitam instituimus.

Et quomodo soluti sumus? mortis in qua detinebamur.

Cùm enim legi obnoxij essemus, accessimus ad baptismum. Simul autem cum Christo mortui, ac cum ipso resurgentes, legislatori coniuncti sumus, nec legitima viuendi ratione amplius opus habemus. Ipsam enim spiritus gratiam accepimus, Hoc enim etiam sequentia declarant.

Ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.

Et literæ quidem oppositum spiritum, veteri autem nouum, vt litera quidem legem ostenderet, veteri autem, eius cessationem. Nam & Deus dicit per Hieremiam *Disponam* domui Israel & domui Iudæ testamentum nouum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum, in die quo apprehẽsa ego manu ipsorum eduxi eos è terra Aegypti. Quare etiam per Prophetam ostẽsa est differentia, & cùm nouum testamentum apparuerit, oportet vetus cedere. Hęc cùm dixisset diuinus Apostolus, & prẽuideret, vtpote qui diuina esset gratia dignus habitus, quòd quidam ex hæreticis hæc ad veteris testamenti accusationẽ accepturi essent, & existimaturi veterem legem esse alicuius alius Dei, necessario quoque ponit obiectiones, earumq́ue affert solutiones. Hier. 31.

Quid ergo dicemus? Lex peccatum est?

Multa posuit in ijs quæ prius dicta sunt, quę ijs, qui legem vellent maledictis impetere, præberent occasionem ad eam accusandam, nisi afferret propositam quæstionum solutionem. *Lex enim* subintrauit, vt abundaret peccatum, & *Lex iram* operatur, & *Ex operibus* legis non iustificabitur coram eo omnis caro, & quę sunt his similia. Vnde ad solutionem posuit horum

horum ipsorum obiectionem. Ac primum quidem blasphemam & improbam esse ostendit interrogationem, & negatiuam posuit orationem.

Absit.

Deinde docet legis vtilitatem.

Sed peccatum non cognoui nisi per legem.

Non solum inquit, non est lex peccati magistra, Absit, sed contrà etiam peccati accusatrix. Neque enim cognouissem quid malum, nisi illa me docuisset.

Nam & concupiscentiam nesciebam nisi lex dixisset, Non concupisces.

Illud *Non* cognoui, & *Nesciebam*, non hic ignorationem omnino significant, sed hoc dicit, Naturalis discretionis exactiorem cepi cognitionem per legem.

Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.

Ostendit eam esse omnino ab accusatione liberam. Quia enim dixit aucta esse peccata per legis impositionem, ne quis existimaret legem illius fuisse causam, necessario illius modum ostendit. cùm enim peccatum ex lege lata pugnæ ac contentionis occasionem cepisset, imbecilliorem rationem expugnauit.

Sine lege enim peccatum mortuum erat.

Nisi sit enim lex, quæ quid sit agendum ostendat, & quod non agendum prohibeat, nõ est locus peccato. Deinde exemplo hoc manifestum efficit.

Ego autem viuebam sine lege aliquando.

Adam enim ante transgressionem non habebat metum mortis.

Sed cùm venisset mandatum, reuixit peccatum, ego autem mortuus sum.

Cùm enim Deus de arboribus statuisset præceptum, statim Diabolus per serpentem accessit ad mulierem, & fallacibus illis sermonibus vsus est. Illa autẽ inescata, cùm fructus pulchritudinẽ aspexisset, à voluptate quidem superata est, præceptum autem transilijt. Vnà autem cum Adam mortis decretum accepit. Fuerat enim ille etiam esus particeps.

Et inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.

Legem quidem & mandatum omnino defendit, peccati autem improbitatem refellit. Mandatum enim, inquit, vitam suppeditat: ad id autem quod est deterius cõuersio, mortem peperit. Propterea propriè posuit illud, Inuẽtum est, vt ostendat aliud quidem esse legis institutum, aliud verò quod propter peccatum accidit.

Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit.

Idem diuerse dixit.

Quare lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.

Legem appellat eam quæ Mosaica dicitur. mandatũ verò, quod Adæ datum est. Quamobrem ipsum quoque pluribus laudibus ornauit, vt quod à pluribus accusãretur. Qui enim otio se totos dedũt, & virtutis labores suscipere recusant, Dominum quoque Deum accusant quòd mandatum dederit. Si enim, inquit, quod erat futurum ignorabat: quomodo Deus, qui futura nõ præscit? Sin autem cùm præuideret transgressionem, dedit mandatum: ipse est causa transgressionis. Oportebat autem eos intelligere, quòd rerum honestarum malarumque discernendarum facultas est propria eorum qui sunt ratione prẽditi. Eorum enim, quæ ratione carent, natura non habet hæc discernendi facultatem. Est enim rapax lupus, leo crudiuorus, & vrsi & pardi his similia faciunt, nec habẽt sensum peccati, nec conscientiam, quæ ab ijs quæ facta sunt pungatur. Homines autem, etiãm si nullus interfit ijs quæ fiunt, erubescunt, & quæ à se suscipi ausa sunt pertimescunt. Conscientia enim accusationem comparat. Quomodo ergo fieri poterat, vt qui tali essent natura prẽditi, sine lege viuerent? Deus ergo eã ob causam mandatum statuit, vt & propriam naturam agnosceret, & legislatorem timeret. Licet autem etiam videre legislatoris humanitatem. Non enim difficilem aliquam legem tulit, sed quæ vel facillime seruari posset. Concesserat vt liceret frui omnibus fructibus, vnius autem solius esse participem vetuerat, non illi vnum inuidens: quomodo enim, qui illi omnium potestatem dederat? sed eum docens seruitutis terminos, & vt in creatorem beneuolo esset animo instituens, & rationis facultate prẽdito sui exercendi occasionem præbens. Si autem non seruato præcepto, mortis decreto subiectus est, non est hoc culpa eius qui dedit, sed eius qui transgressus est. Neque enim medicus, qui iubet ægroto vt à frigidæ potu abstineat, hoc facit ei inuidens, sed eius sanitatem procurans. Quòd si ille non seruato præcepto, frigidam aquam biberit, ipse ad se damnum attrahit: medicus autẽ nulli est culpæ affinis. Ac Dominus quidem certè Deus & Adam & totũ illius genus omni cura & studio dignatus est, & vt alijs omissis, veniam ad id quod est maximum, & omnium principalissimum: Propter illum, & illius genus, vnigenitum Dei verbum homo factum est, & mortis potentiam fregit, quæ ab illo initium ceperat: & resurrectionem pollicitus est, & cœlorum regnum parauit. Quare & illius transgressionem sciebat, & futuram medicinam parauit. Propterea ergo, diuinus Apostolus & sanctum & iustum & bonum præceptũ appellauit. Sanctum quidem, vt quod id quod oportet docuerit. Iustum autem, vt quod in transgressores rectè sententiam tulerit. Bonum verò, vt quod ijs qui illud seruant vitam prẽparet. Deinde rursus ponit dubitationẽ quæ incurrit.

Quod ergo bonum est, mihi factum est mors?

Et rursus vt solet negat,

Absit.

Et ostendit malorum causam.

Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.

Est obscurum propter nimiam breuitatem. Hoc autem dicit. Per bonum, hoc est per legem & mandatum, ostenditur mihi peccatum,

tum,ſcilicet malum & improbum. Et quomodo oſtenditur operans mortem? Ex fructu enim cognoſco arborem, & dum video mortem,illius matrem odi. Lex autem eſt horum mihi magiſtra. Non eſt ergo lex mala,quę hæc docet,ſed peccatum malum eſt, quod mortē conciliat. Ad id autem quod eſt deterius inclinatio, facit vt peccatum ſit in noſtra electione.

Vt fiat ſupra modum peccans peccatum per præceptum.

Etſi enim natura ipſum oſtendit,lex tamen nos perfectius docuit quàm ſit eius inſignis improbitas. Ei autem quod eſt Fiat, aliquid deeſt. Subauditur enim, apertum. Sic enim antea diximus.Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonū operatum eſt mihi mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. Hoc eſt,vt per mandatum manifeſtetur peccatum ſupra modum peccare, hoc eſt,eſſe malum.Deinde tanquam præſtantiſsimus pictor quiſpiam, noſtræ naturæ & peccati bellum deſcribit.

Scimus autem quòd lex eſt ſpiritualis.

Legem rurſus ornat laudibus. Quid enim hac appellatione eſſe poteſt honorabilius?Diuino enim,inquit,ſpiritu ſcripta eſt.Huius gratiæ cùm eſſet particeps beatus Moſes legem conſcripſit.

Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.

Introducit hominem ante gratiam ab animi motibus & perturbationibus obſeſſum. Carnalem etiam vocat eum, qui nondum ſpiritalem gratiam eſt aſſecutus. Illud autem venditus ſub peccato, per id quod à Prophe-
Eſa. 50. ta vſurpatur intelligamus. Ecce, inquit,peccatis veſtris venundati eſtis.Hoc etiam hic dicit, Transfugi ad peccatum, & me illi venundedi.

Quod enim operor non intelligo.

Qui enim à voluptate vel etiam ab ira vincitur,illa animi perturbatione ebrius, non habet apertam animi cognitionem. Sed poſtquam ab illa perturbatione quieuerit, mali tunc ſenſum accipit. Non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi illud ago. Hoc à lege pulchrè efficitur, nempe vt doceat quid ſit malum, & eius odium animæ inferat. Illa autem,*non volo*, & *odi*, non neceſsitatem, ſed imbecillitatem ſignificant.Non enim neceſsitate aut vi aliqua impulſi peccamus, ſed à voluptate deliniti,ea facimus,quę vt ſcelerata & flagitioſa abhorremus.

Vetus habet: Non quod volo bonū hoc ago,ſed quod odi malum, illud ago.

Sin autem quod nolo illud facio: cōſentio legi quòd bona eſt.

Illud enim odium quo in peccatum afficior,à lege accepi. Legem itaque defendo, & eā recte habere fateor.

Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

Hæc declaratione & pluribus verbis indigent. Corpus mortale effectum, poſt præcepti tranſgreſsionem, affectiones & animi perturbationes ſuſcepit. Per eas enim ea conſiſtunt quæ ad præſentem vitam pertinent. Eget enim appetitione,non ſolum nutrimenti, ſed & liberorum procreationis, & agriculturæ,& aliarum artium gratia.Si ea enim non eſſet, nihil horum conſiſteret. Ea nobis etiam ad vitam ex virtute inſtituendam conducit. Qui enim eam non deſiderat, qui pro ea ſunt ſuſcipiendi labores non tolerat. Ipſa quoque nobis diuinum deſiderium inſerit.Cupiditatis itaque commoderatio, eſt ad res bonas & honeſtas adiutrix, modum autem excedens exuperatio,intemperantiam inducit.Ea enim, vt & alijs cubilibus inſidiæ parentur, & quæ non par eſt deſiderentur,latrociniaque ſuſcipiantur,ſepulchra effodiantur,cædesque perpetrentur,& eiuſmodi alia fiant,efficit. Et ideo vniuerſorum Deus illi iram adiunxit, vt illius immodicam exuperationem reprimeret. Habet tamen ipſa quoque opus aliquo, qui eius inſatiabilitatem prohibeat. Sicut ergo ei quod eſt nimium frigidum calidum admiſcemus,& rurſus nimium calidum frigido temperamus ac caſtigamus: ita creator Deus his duabus animi perturbationibus,quæ ſunt inter ſe ex diametro contrariæ, nobis inſitis, docuit alterius per alterum nimium exceſſum corrigere. Eis enim mentem, tanquam equis aurigam,prę fecit,& ſeruitutis illis iugum impoſuit, vt æqualiter ferrent eis lege impoſita. Si autem quandoque euenieret vt cupiditas vltra modum procederet, iuſsit iram pungere, vt ea ſic concitata currum rurſus equalem ſtatueret. Quòd ſi ea rurſus nimium progrederetur,iubet rurſus cupiditatem moueri,& nimiam iræ exuperationem caſtigare. Mens itaque ſobria,ſeq; moderate & ſapienter gerens, hoc modo regit. Quòd ſi ipſa negligens euaſerit,& habenas reliquerit,vt equi quidem exiliant efficit,ipſa autem trahitur,& vnà cum ipſis in lacunas & voragines incidit.Hoc diuinus Apoſtolus hic dixit, *Nunc autem* iam non ego operor illud,ſed quod inhabitat in me malum, Peccatum appellans mentis ſeruitutem, & animi perturbationum dominationem. Et ipſe quidem non operatur, quoniam odio habet id quod agitur,animi autem perturbationum poteſtas hanc in ſe habet actionem.

Scio enim, quòd non habitat in me,hoc eſt in carne mea,bonum.

Dicit animi perturbationum dominationem,quas introduxit quidem corpus mortale effectum,auxit autem mentis ſocordia.

Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.

Ad ea enim,quæ bona & honeſta ſunt, propenſionem ac promptitudinem, à mentis doctrina accepi: ſed in actione tamen non ſatis habeo virium,cùm aliud auxilium non habeam.

Non enim quod volo bonum hoc facio,ſed quod nolo malū, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, iam non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

Apertius hoc dixit.

Inuenio ergo legem volenti mihi facere bonum.

Hic ponenda eſt diſtinctio.

Quoniam malum mihi adiacet.

Rurſus

Rurſus idem propter breuitatem obſcurè poſuit. Dicit autem,Et lex mihi bona eſſe videtur. Laudo enim quæ ab ea conſtituta ſunt vt ſerectè habentia,& ſimiliter ac ipſa, & quæ ſunt honeſta diligo, & quæ ſunt contraria odio habeo.Sed mihi tamen malū adiacet, hoc eſt peccatum, quòd habeam corpus mortale & patibile, animæque ſocordiam & imbecillitatem.Deinde mentis & animi perturbationum pugnam apertius oſtendit.

Condelector enim legi Dei ſecundum interiorē hominem.

Interiorem hominem dicit mentem.

Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati,quæ eſt in membris meis.

Legem peccati peccatum appellat. Id autē operationem exercet, quādo corporales quidem animi perturbationes exiliūt: anima autem,propter eam,quā ab initio induit,ſocordiam, eas cohibere non poteſt: ſed propriam quidem libertatem abiecit,eis autē vt ſeruiat ſuſtinet. Sed tamen quamuis ſeruiat, habet odio ſeruitutē, & laudat eum qui ſeruitutē accuſat.Hęc omnia cùm diſſeruiſſet Apoſtolus, vt oſtenderet quales eramus ante gratiam, & quales poſt gratiam, & veluti ſuſcepta perſona eorum qui ante gratiam à peccato obſeſsi ſunt, tanquam à medijs hoſtibus circūdatus, & in ſeruitutem abductus, & ſeruire coactus, & nullum aliunde videns auxilium, grauiter quidem gemit ac lamentatur. Oſtendit autem legem opem ferre non poſſe,& dicit.

Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Mortis autē corpus vocat, vt quòd ſit mortis obnoxium,hoc eſt mortale,anima enim immortalis.Solus enim,inquit, Dominus noſter Ieſus Chriſtus nos à graui poteſtate liberauit, morte quidē fuſa ac profligata, nobis autem immortalitate promiſſa, & vita laborum ac moleſtiarum belliq; & peccati experte.Atque horum quidem in vita futura fructum percipiemus,in præſentia autem ſancti Spiritus gratiā percipientes, non ſoli aduerſus animi perturbationes in acie ſtamus: ſed eā opitulatricem habentes, eas vincere poſſumus. Deinde eorum quæ dicta ſunt infert ſolutionem.

Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.

CAP. VIII.

NIhil ergo nunc dānationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu ijs qui non ſecundum carnem ambulāt, ſed ſecundum ſpiritum.

Neque enim nos nunc inuitos vincunt animi perturbationes, quoniam diuini ſpiritus gratiam accepimus.

Lex enim ſpiritus vitæ me in Chriſto Ieſu liberauit à lege peccati & mortis.

Sicut legem peccati peccatum,ita legem ſpiritus vitæ viuificum ſpiritū appellauit. Eius, inquit, gratia, per fidem in Chriſtum Ieſum, duas tibi libertates donauit. Non ſolū enim peccati potentiam fregit, ſed etiam mortis tyrannidem deſtruxit. Porrò autē oſtendit etiam quanam eam ratione deſtruxerit.

Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem.

Non eſt ergo mala lex, ſed bona quidem, verum impotens. Imbecilla autem erat, vt quæ ijs qui mortali erant induti natura iura daret. In præſentia enim per ſanctum Baptiſmum aram immortalitatis accepimus.

Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.

Non dixit, In ſimilitudine carnis, ſed in ſimilitudine carnis peccati,naturā enim humanam acceperat, ſed peccatum humanum non acceperat, & ideo quod acceptum eſt, non ſimilitudinem carnis, ſed ſimilitudinem carnis peccati appellauit. Cùm enim eandem quā nos haberet naturam, nō habuit eandem quam nos ſententiā & mentem. Dicit autem, quòd cùm lex non potuiſſet ſuum inſtitutum implere, propter eorum quibus lex dabatur imbecillitatem: habebant enim mortalē & patibilem naturam: vnigenitum Dei verbū homo factum,per humanam carnē peccatum fregit ac profligauit, cùm omnē quidem iuſtitiā impleuiſſet, peccati autem labem non admiſiſſet,& cùm peccatorum, tanquam peccator, mortem ſuſtinuiſſet,peccati iniuſtitiam coarguit,quòd corpus morti nequaquam obnoxium morti tradiderit. Verum enimuerò idem & peccatum & mortem diſſoluit. Sicut enim morti non ſubiectus, neque enim peccatum commiſerat, ea tamen per iniuſtā peccati ſententiam ſuſcepta, fuit merces redemptionis: ita etiam in mortuis liber fuit ab ijs quæ iuſtè morte detinebantur. Hoc enim etiam docuit per ea quæ ſequuntur.

Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus,ſed ſecundū ſpiritum.

Noſtrum enim, inquit, debitum exoluit, & legis ſcopum perfecit. Quis autem erat is? Vt eos iuſtos oſtenderet qui legem ſuſceperant. Si itaque Domini Chriſti diſpenſatio legis ſcopum ad opus deduxit,lex non accuſari ſed laudari meretur. Cùm autem de iuſtitia loqui eſſet aggreſſus, ad eam quoque adhortationem inducit.Et cùm dixiſſet,Ijs qui nō ſecundum carnem ambulant,ſed ſecundum ſpiritū,ſubiunxit.

Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ ſunt carnis ſapiunt:qui verò ſecundum ſpiritum ſunt,quæ ſunt ſpiritus ſentiunt.

Ita etiam alibi, Si ſpiritu ergo viuimus, ſpiritu & ambulemus. Spiritum autē hic vocat gratiam ſpiritus, & docet, quòd, qui ſeruitur, ea & facit & cogitat quæ illi placent. Qui autem carni ſeruit, hoc eſt corporis affectionibus, priuatus eſt libertate.

Nam prudentia carnis mors eſt.

Non dixit, Caro, ſed prudentia carnis, hoc eſt, perturbationum inſultus. Eorū enim qui peccauerunt mors pœna eſt.

Pruden-

Prudentia autem spiritus vita & pax.

Qui autem viuit spiritaliter, is est pacis erga Deum particeps.

Quoniam sapientia carnis inimica est Deo.

Rursus carnis sapientiam accusauit, hoc est perturbationum potentiam, & eam dicit Deo esse infestam.

Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.

Quomodo enim fieri potest, vt qui animi perturbationem susceperit, Dei cultum suscipiat, cùm peccato adhuc seruire eligat?

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

Non iubet nos esse extra carnem, sed liberari à prudentia carnis. Hoc enim docent etiam quæ sequuntur.

Vos autem nõ estis in carne, sed in spiritu, si tamen Dei spiritus habitat in vobis.

Manifestum est eos non fuisse incorporeos, qui hanc doctrinam suscipiebãt, sed dicit eos carnalibus perturbationibus esse superiores, & habere inhabitantem sancti spiritus gratiam. Ita etiam dixit Dominus Apostolos non esse ex mundo: non quòd aliunde essent, sed quòd essent mortui mundo.

Si quis tamen spiritum Christi non habet, hic non est eius.

Quoniam posuit illud *Si autem*, est autẽ hoc dubitationis, meritò subiunxit, quòd qui est huius gratiæ expers, nullam habet cum Christo societatem. Et quoniam hoc satis erat ad eos qui suscipiebant perterrendos, per ea quæ sequuntur affert remedium.

Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus verò viuit propter iustificationem.

Ea quæ dubia erant manifesta reddidit, & ostendit se carnẽ non accusare, sed peccatum. Iubet enim corpus esse mortuum peccato, pro eo quòd [illegible] Non facere peccatum. Spiritum autem [illegible] animam appellauit, vt quæ sit iam facta spiritalis. Iubet autem vt ea iustitiam persequatur, cuius fructus est, amanda & expetenda vita.

Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis: qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

Spe futurorum cõsolatus est, & eis satis animi dedit ad præsentia certamina. Propediem enim, inquit, erunt vestra corpora immortalia, & superiora illis, quæ ea molestia afficiunt, perturbationibus. Hoc autem faciet ipse Deus vniuersorum, qui nunc spiritus arram liberãter præbuit. Dedit autem etiã ipsis pignus resurrectionis, resurrectionem Christi à mortuis. Per hæc autẽ, quæ dicta sunt, etiã docuit vnam vniuersitatis naturã. Sanctum enim spiritum & Dei & Christi appellauit, nõ quoniam, vt volunt xecrandi hæretici, ex Deo per filiũ fabricatus sit: sed quia est eiusdem cũ patre & filio substantiæ, & ex patre quidẽ procedit, vt vult Euangeli doctrina: eius autem gratia ijs qui digni sunt per Christũ suppeditatur. Pergit autem docere quomodo nos oportet vincere carnis perturbationes.

Ergo debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus.* *deest, fratres.

Nam cùm à Domino Christo salutem assecuti sumus, & spiritus gratiam accepimus, seruitutem illi debemus.

Si enim secundum carnem viuitis, secundum carnem moriemini.

Hoc est, si carnis affectiones sequamini. Dicit autem mortem æternam.

Sin autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Gratia hoc habet supra legẽ, quòd hæc quidem docuit id quod fieri aut non fieri oportet: illa autem habet etiam spiritus adiuuãtem gratiam. Et hoc quidem in loco diuinus Apostolus Marcionis & Valentini & Manentis cernens blasphemiam, accuratè admodum doctrinam attulit. Non enim dixit, Corpus mortificate, sed facta corporis, hoc est prudẽtiam carnis, affectionum insultus. Habetis enim vobis opem ferentem Spiritus gratiam. Fructus enim victoriæ est vita.

Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.

Qui enim vitam spiritaliter instituunt, ij filiorum adoptionis dignitatem assequuntur. Hic autem Iudæos etiam pungit, docens non debere eos sibi valde placere seque iactare, quoniam ipsi quoque filij sunt appellati. Carent enim honore spiritus, cùm gratiam non habeant.

Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.

Cum lege rursus gratiam comparat, & appellat seruitutem vitam quę sub ea agitur. Docet tamen, quòd eam quoque scripserit sancti Spiritus gratia. Spiritum itaque seruitutis non vocat sanctum Spiritum, sed legis impositionem, quæ ipsa etiam facta est per Spiritum sanctum. Sin autem sanctum Spiritum vocat spiritum seruitutis, est alius scilicet adoptionis filiorum spiritus. Sed hæc non ita habent, est enim vnus spiritus, sed sunt diuersa ac varia eius dona & gratiæ. Alij enim per eundem spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo cognitionis secundum eundem spiritum, alij autem fides in eodẽ spiritu, & quæ deinceps consequuntur. Ostendens autẽ, quòd reuera filiorum adoptionis authoritatẽ sumus assecuti, subiunxit,

In quo clamamus Abba pater.

Etenim in mystica oratione offerenda iussi sumus Patrem vocare, & dicimus, *Pater* noster qui es in cœlis. Illud autẽ *Abba*, adiecit, eorum qui ipsum inuocant dicendi libertatem ostendens. Pueri enim maiori apud patres dicendi libertate vtentes, neque enim adhuc habent perfectam discernendi facultatem, frequentius ad eos eadem voce vtuntur: ita & nos propter inenarrabilem eius benignitatem & infinitam bonitatem, patrem quidem vocamus, vt iussi sumus, vniuersorum creatorem, nescimus autem quanta sit inter nos & ipsum differentia, nec nos ipsos perfectè scientes, & eius naturam omnino ignorantes.

Ipse

Ipse enim spiritus reddit testimonium spiritui nostro quòd sumus filij Dei.

Appellat spiritum, naturam spiritus. Spiritum autem nostrum, datam gratiam, ea enim æquiuocè appellantur. Dicit autem, quòd spiritali doctrinæ obedientes orationem offerimus. Hoc autem agentes non reprehendimur, quia legi diuinæ conuenienter facimus.

Si autem filij, & hæredes.

Non satis nobis fuit à seruitute liberari, & libertatis gratiã assequi: sed etiã filiorum adoptionis dignitate ornati sumus, & non solum appellati sumus filij, sed etiam Dei hæredes, & cohæredes Christi. Hoc enim subiunxit,

Hæredes quidem Dei, cohæredes verò Christi.

Quoniam non omnis filius est hæres eius qui eum procreauit, merito diuinus Apostolus cum filiorum adoptione hęreditatem coniunxit. Et quoniam sæpe etiam famulus accipit aliquam à Domino hæreditatẽ, non tamen relinquitur socius filij, necessario adiecit, Cohæres autem Christi, vt eius insignem, & quæ dici non potest, humanitatẽ ac benignitatem aperiret.

Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.

Non enim omnes, qui salutari baptismate dignati sunt, ijs bonis fruũtur, sed qui præterea Dominicarum quoque passionum societatem suscipiunt. Hoc autem non temere apposuit, sed ad eorũ qui martyrio afficiuntur consolationem. Subibant enim omnis generis tentationum insultus, iniurijs affecti, tormenta perpessi, & in carceres coniecti, & innumerabilia mortis genera sufferentes. Quamobrem verba etiam consolatoria adiungit, ex futuris consolans, & ad præsentia forti animo ferenda adhortans.

Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in vobis.

Superant certamina coronę, non comparantur cum laboribus remunerationes. labor enim paruus est, sed magnum lucrum speratur. Et propterea non mercedem sed gloriam vocauit ea quæ expectantur.

Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorũ Dei expectat.

Non videtis, inquit, cœlum, terrã, mare, aerem, solẽ, & omnem quæ videtur creaturam, & quæ pręterea sub visum non cadunt, Angelos, Archangelos, potestates, principatus, dominationes? Hæc omnia vestrã perfectionem expectant.

Vanitati enim creatura subiecta est, nõ volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe.

Vanitatem appellat corruptionem & interitum. Hoc enim paulo pòst docet, quòd etiam ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Docet autem, quòd omnis, quæ videtur, creatura, mortalem naturam sortita est. Quoniam vniuersorum creator præuidebat Adæ transgressionem: & in eum esse ferẽdam mortis sententiam. Neque enim erat consentaneũ, nec iustum, vt quæ propter ipsum quidem facta erant, incorruptionem acciperent, ipse verò, cuius causa ea facta erant, esset mortalis & patibilis: cùm ipse autem per resurrectionem immortalitatem acciperet, illa quoque similiter incorruptionem assequi. Dicit ergo quòd eam rerum mutationẽ expectat creatura quæ videtur. Mutabilis enim facta est, non sua sponte, sed Creatoris decretum secuta. Cùm autem videt eum nostri curam gerere, capit spem mutationis, quòd ipsa etiam creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Creaturæ autem mutationem diuinus quoq; Dauid testatur: cœli enim & terræ mentione facta, subiunxit, *Ipsi* peribunt, tu autem permanebis. *Psal. 101.*

Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Cùm ij enim esse ostendentur id quod vocantur, & per immortalitatẽ esse Dei filij declarati fuerint, illa quoque ab incorruptione liberationem omnino accipient. Hæc autem dicit, non volens significare ratione esse prędita, quę videtur, creaturam, sed vtens prosopopœia. Hoc enim est etiam Prophetarum proprium. & hic quidem dicit pinus gemere, ille verò ligna exultare, & montes exilire, & fluuios plaudere.

Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit & parturit vsq; adhuc.

Hic etiam eam quę sub visum non cadit creaturam comprehendit. Dixit enim omnis creatura. Ad perfectiorem autem loci intelligentiam vocem Euangelicam in memoriam redigam. Dominus enim dixit etiã Angelos, qui in cœlis sunt, gaudere super vno peccatore pœnitentiam agente. Si autem gaudẽt propter peccatores, qui agunt pœnitentiam, scilicet etiam tristitia afficiuntur dum vident nostra delicta. *Luc. 15.*

Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus.

Et quid mirũ si creatura propter nos sic afficitur? nam & nos ipsi, qui futurorum multa pignora accepimus, & ante omnia gratiam sancti spiritus, gemimus liberationem desiderantes. hoc enim declarant ea quæ consequuntur.

Adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.

At qui dixit quòd filiorum adoptionis spiritum accepimus, docet tamen apertius, quòd nomen nunc quidem accepimus, rei aũt tunc erimus participes, quando nostra corpora à corruptione liberata fuerint, & immortalitatẽ induerint. Per primitias autem significauit, quòd in futuro sæculo multiplicem spiritus gratiam recipiemus. Si enim quod nunc datum est, primitiæ & arrabo appellatur, clarum est illud futurum multis partibus maius.

Spe enim salui facti sumus.

Resurrectionem enim nondum assecuti sumus, sed suscepto promisso spes nos consolatur.

Spes autem quæ videtur nõ est spes: Nam quod videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.

Ne ęgrè, inquit, ac difficiliter feratis ea quę

ſunt moleſta & grauia videntes. neq; enim falſa vobis promiſſa attulimus. Diximus enim vt bonorum quibus frueremini perceptionē expectaretis. Quæ autem expectantur bona, non videntur oculis corporeis. Si enim videretur, non amplius expectarentur. Si autē expectantur: dum ea veniant opperiri oportet, & non ſpei ancoram amittere. Oſtendit ad hęc etiam aliud quod datum eſt auxilium.

Similiter autem & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram.

Habemus ſufficiens auxilium, gratiam ſpiritus.

Nam quid oremus, ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Ne poſtulate, inquit, vt ab ijs quæ moleſta ſunt liberemini. Neſcitis enim quid ſit vobis vtile, vt Deus qui gubernat. Date vos ipſos ei qui tenet clauum vniuerſi. Is enim, etſi nihil petatis, ſed tantùm gematis, pro gratia quę inhabitat operantes, veſtra ſapiēter adminiſtrat: & id quod vobis vtile futurum eſt præbebit. Hoc enim ſubiunxit,

Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus: quia ſecundum Deum poſtulet pro ſanctis.

Spiritum autem hic non dicit ſubſtantiam ſpiritus, ſed gratiā quæ data eſt ijs qui credūt. Ab ea enim excitati, compungimur, ab ea inflammati, alacrius precamur, & gemitibus inenarrabilibus Deū compellamus. Hoc autem diuinus Apoſtolus, etiam ab ijs quæ paſſus eſt commotus, ſcripſit. Petijt enim ipſe etiam liberationem à malis, & non ſemel, nec bis, ſed etiam ter, nec tamen quod petijt impetrauit.

2. Cor. 12. Audiuit enim *ſufficit tibi* gratia mea. Virtus enim in infirmitate perficitur. Sed cùm hoc dicisſet, illa ipſa lubenter amplexus eſt, à quibus vt liberaretur orabat, & dicit.

Poſt vocati ſunt ſanctī deeſt in Theod.

Lubentiſſime ergo potius gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Scimus autem quòd diligentibus Deū omnia cooperantur in bonum ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.

Non cooperatur omnibus, ſed ijs qui diligunt, & non ſimpliciter cooperatur: ſed cooperatur in bonū. Si quis enim petiuerit ea quæ non conferunt, quod petit non aſſequitur, neque enim ei vtile eſt id aſſequi. Admodum autem accuratè vocationi propoſitum adiunxit. Non enim vocat ſimpliciter, ſed eos qui habēt propoſitum. Et ideo Corinthi quidem dicit Apoſtolo, Loquere & ne taceas, populus enim eſt mihi multus in hac ciuitate. In Myſia autē loqui verbū prohibuit. In Aſia verò primum quidem prohibuit, poſtea autem iuſsit hoc facere. Et ideo Hieroſolymis quoque dixit ipſi,

Act. 22. Feſtina, & exi hinc velociter, non enim recipient tuum teſtimonium. Et ideo hic quoque dicit, Ijs qui ſunt vocati ſecundum propoſitū. Conueniunt autem & quæ ſubiunguntur.

Poſt conformes deeſt in Græco fieri.

Quos præſciuit eos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.

Non enim dixit ſimpliciter Prædeſtinauit, ſed quos preſciuit prædeſtinauit: Perfectè autem & accuratè loquens, non dixit, Cōformes filij ſui, ſed conformes imaginis filij ſui. Hoc autem apertius poſuit in epiſtola ad Philippenſes. Cùm enim dixiſſet *Noſtra autem* conuerſatio eſt in cœlis, vnde etiam ſaluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſubiunxit, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Neque enim noſtrum corpus erit eius diuinitati conforme, ſed corpori gloriæ eius. Ita hic quoque, eos, qui vocatione dignati ſunt, imaginis filij conformes nominauit, hoc eſt, corporis filij. Quia enim diuina natura ſub viſum non cadit, eſt autem corpus aſpectabile, tanquā in aliqua imagine per corpus adoratur. Ad Phil. 3.

Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.

Hoc etiā teſtatur veritas doctrinæ. Etenim primogenitus vt homo nominatur. Vt Deus enim eſt vnigenitus. Neque enim fratres habet, vt Deus: ſed vt homo, appellat fratres eos qui crediderunt. Eorum eſt primogenitus, nec tamen alius eſt quàm primogenitus: ſed idē eſt vnigenitus & primogenitus.

Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, et quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.

Quorum propoſitum præſciuit, eos ab initio prædeſtinauit: prædeſtinatos autē ac præfinitos etiam vocauit: deinde vocatos per baptiſmum iuſtificauit: iuſtificatos verò glorificauit, vt quos filios nominauerit, & ſancti ſpiritus eis gratiam dederit. Cæterū nemo præſcientiam horum cauſam eſſe dicat, non enim præſciētia eos tales effecit: ſed Deus, vt Deus, quæ futura erant procul proſpexit. Neq; enim ſi ferocem equum videns frenū mordentem, & ſeſſorem minimè tolerantem, dixerim eum præcipitio appropinquantem caſurum, deinde id quod dixi, euenerit, non ego equum inieci in præcipitium, ſed quod futurū erat prædixi, ex equi ferocia coniecturam faciens. Deus autem vniuerſorum omnia procul videt, vt Deus, non tamen huic quidem affert neceſſitatem vt virtutē exerceat, illi autem vt vitā ex vitio inſtituat. Si ipſe enim ad vtrumuis eorum vim affert, non iure hunc quidem laudat & coronat: in illum vero ſuppliciū decernit. Si autem iuſtus quidem eſt Deus, vt iuſtus certè eſt, adhortatur quidem ad ea quæ bona & honeſta ſunt, & prohibet contraria: laudat autem eos qui quæ bona ſunt faciunt, & punit eos qui ſua ſponte vitium amplectuntur.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Cùm Deum habeamus adiutorē, homines formidamus? Per illud autem *Quis*, omnia ſimul comprehendit, & Reges, & Imperatores, & populos populiq; rectores, & oratores, & totum deniq; orbem terrarum. Deinde beneficiorum colophonem in medium adducit.

Qui etiam proprio ſuo filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus eum tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

Quod maius eſt dedit, & quod minus eſt nō dabit? filium largitus eſt, & poſſeſsionibus priuabit? Scire tamen oportet, quòd vna eſt perſona filij. Humana tamē natura pro nobis à diuinitate data eſt. *Panis* enim, inquit, *quem ego* dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita, & habeo poteſtatem ponendi animam meam, & rurſus habeo poteſtatem accipiendi illam.

Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?

Cùm dixiſſet, Deo auxilium ferente, quis nobis exitium afferet? adiecit, Cùm Deus nos iuſtos declarauerit, quis poterit condemnare.

Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui & eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

Quid his maius quæris? Dominus Chriſtus pro nobis eſt mortuus, & è mortuis ſuſcitatus Patri aſsidet, & ne ſic quidem noſtri curam gerere deſijt. Sed quas à nobis accepit primitias patri oſtendens, & eas eſſe ab omni reprehenſione alienas patri demonſtrans, per illas nobis ſalutem petit. Et hoc quidem quantum ad humanitatem poſuit. Vt Deus enim, non petit, ſed ſuppeditat. Quòd ſi etiam quantum ad diuinitatem, hoc filiū facere dixerint hæretici, ne ſic quidē eius gloriam minorem eſſe oſtendent. Demus enim duos Reges eſſe honore æquales, & eadem poteſtate præditos, eſſe autem vtriſque aliquem præfectum ſeu legatum, & alterum eorum, precibus ab eo qui offendit prius auditis, petere à regni conſorte vt ei reconcilientur, hoc ne de eius qui petit dignitate detrahit? Nequaquā. Sed ne id quidem hic licet dicere. Quæ enim patri placent, etiā placent filio, & vna eſt vtriuſq; voluntas. Figurata eſt ergo ab Apoſtolo oratio volente oſtendere in ſignē quam noſtri gerit curam.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut ſcriptum eſt. Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Pſal. 34.

Eſt ijs quæ ſunt propoſita conueniens teſtimonium. Dictum eſt enim ex perſona eorum, quibus fuit idem ſcopus & inſtitutū. Sanctus enim ſpiritus per diuinum Dauid ſcripſit pſalmum de Machabæis.

Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.

Dei vniuerſorum in nos amorem his omnibus opponentes, quæ ſunt moleſta vincimus. Abſurdiſsimū enim exiſtimamus Dominum quidem Chriſtum mortem pro peccatoribus ſuſcepiſſe, nos autem pro eo occidi non valde lubenter perpeti.

Certus enim ſum, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, nec altitudo, nec profundum, neque aliqua alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Cùm omnem ſimul creaturam cum amore in Deum veluti in trutina poſitam cōtuliſſet, & ijs quæ videntur ea quæ ſola intelligentia percipiuntur coniunxiſſet, Angelos, & principatus, & poteſtates, & cum præſentibus bona quæ expectantur, & etiam ſupplicia, quorum minæ intentantur (Gehennam enim, vt puto, profundum nominat: altitudinem regnum) & præterea æternam vitam & mortem: & videret adhuc aliquid deeſſe, quærit quidem aliquid aliud adijcere. Cùm autem non inueniret, tantam & tam multiplicem creaturam oratione affingit, & hæc ne ſic quidem videt omnino exæquari charitati in Deum. Non eſt enim, inquit, amandus propter promiſſa, ſed illa propter ipſum expetenda. Neque enim qui verè ac germanè in aliquem diuitem affectus eſt, eum propter opes & facultates diligit: ſed propter ſuam in eum affectionem, res etiam, quæ ad eum pertinent, diligit. Ita etiam diuinus Apoſtolus, Nollem, inquit, habere regnum cœlorum, & quæcunque videntur, & quæ intelligentia percipiuntur, & tot tantaque alia bis & ter, ſine dilectione in Deum. Si quis autem mihi tam præſentia quàm futura moleſta & aſpera propoſuerit, & temporalem & ęternam mortem, & longiſsimum in gehenna ſupplicium cū dilectione in ipſum, lubentius & alacrius ea ſuſciperem, quàm illa magna ac præclara, & quæ rationem ſuperant, Dei dilectione fruſtratus. Hanc itaque vt habeamus & ſupplices à Deo contendamus, & omnē diligentiam & ſtudium adhibeamus, vt Apoſtoli veſtigia ſequentes, digni Apoſtolicis tabernaculis habeamur. Gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cū quo patri vnà cum ſancto Spiritu conuenit gloria & magnificentia, nūc & ſemper & in ſęcula ſęculorū. Amen.

TOMVS QVARTVS.

CAP. IX.

VOD ſit quidem neceſſaria, & inenarrabilium bonorum ijs qui credunt conciliatrix, Dei & ſeruatoris noſtri incarnatio, apertè diuinus Apoſtolus demōſtrauit. Probauit enim Iudæos ex lege lata fuiſſe maiōribus criminibus obnoxios, alioſque omnes naturæ legem tranſgredi, & cùm ſupplicij minas aperuiſſet, Euangelicæ quoq; gratiæ dona adiecit, & quæ ex fide proficiſcitur ſalutem indicauit. Vt autem nec Iudæi ęgre ferrent, legem accuſari exiſtimantes, nec hæretici, qui in vetus Teſtamentum infeſto ſunt animo, legis calumniandæ occaſionē acciperēt, ex ea collatione quæ antea facta eſt, oſtendit neceſſario legis vtilitatem, & multis eam laudibus ornauit. Quia autem rurſus Iudæi Patriarcham Abrahā in medium afferentes, & quæ illi à Deo factæ ſunt promiſsiones, conabantur oſtendere Apoſtolorum prędicationem ijs eſſe contrariam, vt quæ præter diuinam promiſsionem gentibus offerretur: neceſſario eas etiam rationes in medium adducit, & doctè admodum ſapienterque refellit, ſcripturæ teſtimonijs & exemplis opportunè

vsus, diuinorumque promissorum veritatem apertè ostendens. Iudæorum autem infidelitatem accusaturus, suum primum in eos amorem aperit, & dicit.

Veritatem dico in Christo, nõ mentior, testimoniũ mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.

Et à mendacio liberũ, & veritate ornatum, quod dicendum est, ostendit. Diuini enim spiritus gratiam vnà cum sua consciẽtia in testimonium vocauit, suadens vt suæ orationi fidem omnino adhiberent.

Quod tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.

Imperfecta quidem est orationis compositio. Adijci enim oportebat, Propter Iudæorum reiectionem, vel infidelitatẽ esse illi perpetuum dolorem. Sed parcè & cautè loquens hæc quidem verba non posuit, sed per ea quæ deinceps sequuntur hæc se sensisse docet. Sic autem dicit.

Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.

Anathema habet duplicem intelligentiam. Nam & quod Deo consecratum est anathema nominatur: & quod ab eo est alienum, habet eandem appellationem. Et secundum quidem docuit nos diuinus Apostolus in prima ad
1. Cor. 16. Cor. Si quis enim non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema. Prius autem vel cõmunis docet consuetudo. Anathemata enim appellamus quæ Deo offeruntur, &
Ios. 6. ipse vniuersorum Deus, qui vrbem Hierico anathema esse iussit. Hic quidem certè diuinus Paulus secundam posuit significationẽ, ostendens qua esset affectione in suos contribules & cognatos. Et non dixit vellem, sed optarem esse alienus à Christo, vt cognati mei secundũ carnem, cum illo familiaritate & consuetudine inita, fructum salutis assequerentur. Aptè autem admodum apposuit quoque illud *Ego ipse ea*, quæ de charitate in Christum antea dicta sunt, in memoriam reuocans, & propemodum dicens, Ego, quẽ nec vita, nec mors, nec præsentia, nec futura, nec vlla alia creatura separare poterit à charitate Dei quæ est in Christo Iesu, pro Iudæorum salute lubentissime ab ipso separarer. Clarũ est autem, quòd non eos seruatori præferens, sed suum in eos amorem & desiderium declarans, hæc dicit, omnes se submittentes, & salutarẽ prædicationem auidè lubenterq; suscipientes videre desiderans. Vt autem quod dicit confirmet, & probabile efficiat, & eorum priorem nobilitatem, & donorum diuinitus in eos collatorum diuitias ostendit, & dicit.

Qui sunt Israelitæ.

Erat enim celebre hoc nomen, à Deo quidem antiquo illius generis parenti à Deo impositum, & tanquã hæreditarium ad nepotes posterosque transmissum.

Quorum adoptio est filiorum.

Hoc quoque nomen sortiti sunt. Filius enim, inquit, primogenitus meus Israel.
Exod. 4. *Et gloria.*

Ex miraculis enim clari & insignes euasere.

Et testamentum.

Non solum enim vetus, sed etiam nouum se datum est pollicitus. Ponã enim, inquit, do- Hier. 31.
mui Israel testamentum nouũ, non secundum testamẽtum quod disposui patribus ipsorum: sed ipsi illud accipere noluerunt.

Et legislatio.

Mosaicam enim ipsis legem dederat.

Et obsequium.

Eos enim alijs gentibus præferens, legitimum sacrificandi ritum docuit.

Et promissa.

Et quæ patribus de Deo facta sunt, & quæ per prophetas oblata fuerunt.

Quorum patres.

Qui clari celebresque fuere: quorum Deus Deus est appellatus. Deinde postremum quod est omnium bonorum maximum, posuit.

Et ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen.

Et hoc quidem additamentum, *Secundum carnem*, satis erat ad declarandã Domini Christi deitatem. Sed quemadmodũ in proœmio, cùm dixisset, Facti ex semine Dauid secũdum carnem, subiunxit, qui definitus est filius Dei in potentia: ita cùm hic dixisset *Secundum carnem*, adiecit, *Qui est super omnia benedictus Deus in sæcula*. Et naturarum differentiam ostendens, & quã iusta de causa lugeret docens, quod ex ipsis quidem secundum carnem, qui est Deus in omnibus, ipsi autem à nobilitate exciderunt, & ab illa cognatione alieni facti sunt. Et mulieres quæ lugent imitatus est, quę mortuorum, eorumque qui lugentur, & corporis pulchritudinem, & ætatis florem, maiorumque nobilitatem, opes, ac potentiam suis lamentationibus adtexunt. Cùm sic itaq; suum in Iudæos amorem patefecisset, propositam sententiam incipit.

Non autem quòd exciderit verbum Dei.

Ego quidem, inquit, non solum vellem, sed etiam optarẽ esse à Christo alienus, si fieri posset vt Iudæi per meam alienationem promissa bona assequerentur, sed tamen licet & ij contradicant, nec velint salutem percipere, veræ tamen sunt, quæ patribus factæ sunt, promissiones. Quomodo?

Nõ enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ.

Non enim naturæ, sed virtutis quærit Deus cognationem. Deinde hoc docet apertius.

Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.

Dei scilicet. Hoc enim docet paulo pòst.

Sed in Isaac vocabitur tibi semen. Gen. 21.

Et cùm posuisset Dei promissionẽ, eã explicat, & interpretatione claram efficit orationẽ.

Id est, non qui filij carnis, ij filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

Vocat autem carnis quidẽ filios, qui per naturæ seriem & consequentiã geniti sunt. Promissionis autem, qui ex gratia dati sunt.

Promissionis enim verbum hoc est, secundum hoc Gen. 18.
tempus veniam: & erit Sarræ filius.

Cùm enim defessa effœtaq; esset natura, diuina munificentia pater effectus est. Hoc autem

tem dicit, quòd etiã Ismael Abrahę erat filius, & etiam primogenitus. Cur ergo te effers, ò Iudæe, & magnos spiritus concipis, tanquam solus Abrahæ semen dicaris? Si autem existimas illum tanquam semiseruum cognatione fuisse eiectum, non rectè existimas. Solet enim diuina scriptura ex patribus non ex matribus genealogiam computare. Et poterat quidem diuinus Apostolus etiam eos qui ex Chetura nati sunt in medium adducere, eosque ex libera quidem fuisse natos ostendere, sed semen Abrahæ nõ vocari. Facile erat etiam ei ostendere duodecim Iacob filios ex diuersis matribus natos, & quatuor semiseruos vniuersos quoque dici Israel, & ex matrum seruitute nihil fuisse læsos. Sed parcè probationes afferẽs, hoc quidem prætermisit, ex multa autem quæ adhuc restabat copia victoriam est assecutus. Cùm enim posuisset id quod Abrahæ à Deo dictum est, in Isaac vocabitur tibi semẽ, ostendit ne vniuersum quidem eius genus benedictionem accepisse. Eius enim filiorũ hic quidem accepit benedictionẽ, ille verò ab ea excidit. Hoc enim subiunxit.

deest illa in Græco. *Non solum autem illa, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac Patris nostri. Cùm enim nõdum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex*
Gen. 25. *operibus, sed ex vocante dictum est ei, Maior seruiet*
minori.

Gen. 25. Si existimas, inquit, propter Saram prælatũ fuisse Isaac Ismaeli, & filijs Abrahę, qui ex Chetura nati sunt, quid de Rebecca dixeris? Hic enim & vna est mater, & vnus pater, & vna conceptio. Erant enim gemini pueri. Hoc enim dixit illud, Ex vno concubitu habens, pro eo quod est, vno tempore ambos concepit. Sed tamen hic quidem Deo charus, ille vero fuit indignus cuius Deus curam gereret. & non expectauit Deus rerum experientiam, sed dum adhuc vtero gererentur, eorum differentiam prædixit. Prædixit autem, cùm eorum propositum præsciuisset. Non est enim iniusta electio, sed quæ hominum proposito conuenit. Deinde etiam propheticum testimonium adducit.

Malach. 1. *Sicut scriptũ est, Iacob dilexi, Esau aũt odio habui.*
Gen. 25. Non ergo naturam ostendit, sed solam virtutem quærit. Hoc enim pluribus confirmat.

Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit.

Nihil habet iniusti diuina sententia, sed iustitia ornatur, & cùm hoc posset ostendere & apertè docere, quòd vniuersorum Deus nõ solet naturam attendere, sed optimam mentem quærere, & eis in memoriam reuocare, quòd sæpe multis hostibus traditi sunt, nec propter maiores vlla eis venia data est, quoniam non sunt eorum virtutẽ imitati: & quòd ipsi quidem fuerunt omnes Babylonijs traditi: Abimelech autem, quamuis seruus & Aethiops, salutem propter pietatem assecutus est: hoc quidem non facit nolens eos percellere: sed ostendit diuina consilia humanam rationem longè superare: & multos quidẽ scelera perpetrare, non omnes tamen pœnas luere. Etenim plurimi in deserto vituli imaginem tãquam Deum adorarunt: non omnes tamen pœnas dederũt, sed hi quidem supplicio affecti sunt: illi verò eorum supplicio correcti sapientiores extitere. Ita puniens Pharaonem, multis per hoc vtilitatem attulit. Et hæc diuinus posuit Apostolus. Sic autem dicit.

Mosi enim dicit, Miserebor cuius misereor, & mise- Exod. 9.
ricordiam præstabo cuius miserebor.

Hæc autem dixit Deus in fabricatione vituli, necessario autem Mosis quoq; meminit, Exod. 33.
vt per eum qui dixit, & eum qui audiuit, id quod dictum est fide dignum esse ostenderet. Deinde ratiocinatur.

Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei.

Et solutionẽ non inducit: sed eorũ quę inferũtur additamento quæstionẽ magis auget.

Dicit enim scriptura Pharaoni: In hoc ipsum excitaui te vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra.

Deinde rursus infert syllogisticè.

Ergo cui vult miseretur, quem vult autẽ indurat. Exod. 9.

Hæc scripta aperta sunt, non enim aliunde collecta ea affero. Audiuisti ipsum Dominum qui dixit, *Miserebor* cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius misereor. Rursus autem eius sunt quæ de Pharaone dicta sunt. Ipse relicto Ismaele, ijsque, qui ex Chetura nati fuerant, elegit Isaac. Ipse quoque Iacob prępositit Esau, licet in eodem vtero, eodem tempore, ipsi effecti formatique fuerint. Quid ergo miraris, si nunc hoc quoque ipsum fecit, & eos qui ex nobis crediderunt, susceperit, eos autem, qui hunc radium non susceperunt, repulit? Sed hæc quidem interim non dicit, sed auget quæstionum dubitationem, & dicit.

Dices ergo mihi, quid adhuc quæritur? Voluntati Esa. 45.
enim eius quis resistit?

Si enim cuius vult misereturr, & quem vult indurat, ab eius voluntate dependet mens hominum. Quòd si ita est, iniuria ijs qui peccant supplicia statuit. Neque enim fieri potest, vt quis eis quę ipsi videntur resistat. Cùm itaque quæstionum multitudine dubitationẽ auxisset, & oppositiones omnes proposuisset, subiunxit.

O homo, tu quis es qui respondeas Deo?

Quoniam dixisti, inquit, Volũtati eius quis resistit? Dic mihi, tu quis es? non homo? Quomodo ergo respondes, & de diuino consilio tam curiosè scrutaris? Si enim tui iuris nõ esses, & non liberum arbitrium haberes, sed diuinæ voluntatis necessitati seruires, non secus ac inanimata, tacuisses, ijs quæ administrantur & dispensantur contentus. Sed quoniam ratione præditus es, ea etiam quæ tibi videntur & dicis & facis, nec ijs quæ fiunt contentus es, sed diuinorum consiliorum & administrationum causas inquiris.

Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me Hier. 18.
fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?

Respice ad lutum figuli, quod cùm non sit rationis iudicio prēditum, non contradicit ei qui fingit: sed etiamsi ad vilis probrosiq; vasis officium deputatum ac institutum fuerit, id quod fit silentio excipit. Tu autem resistis, & contradicis. Nō es ergo naturali necessitate alligatus: nec prēter tuam sententiam ac voluntatem peccas & iniustè te geris, sed iniquitatem tuā sponte complecteris, & tuo arbitratu virtutis lābores suscipis. Recta est ergo & iusta Dei vniuersorum sententia. Iure ergo punit peccatores, vt qui hoc sua sponte facere audeant. Iure etiam lenitate, & benignitate vtitur, à nobis enim accepta occasione præbet misericordiam. Nōnulli autem illud quidem, *ô homo* tu quis es qui respondes Deo, aiunt dictum esse per increpationem. Cùm enim, inquiunt, prius reprehendisset eos qui diuina curiose scrutantur, & quàm viles abiectique essent ostēdisset, à luto enim nihil differt hominum natura, ita solutionem intulit, hæc est autem solutio.

Quòd si,

Hic subdistinctio ponenda est. Dicit enim. Si hoc scire desideras, quamobrem, cùm plures peccent, hos quidem punit, illos vero per eos beneficio afficit, & cùm multi virtutem persequantur, hos quidem claros reddit, illis vero per eos futurorū spem indicat, audi quæ deinceps sequuntur.

Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, & vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quos & vocauit nos, non solum ex Iudæis, sed & ex gentibus.

Non est, inquit, Deus architectus improbitatis Pharaonis: sed ipse, vt solet, patientia vsus est: Ille autem patientiam existimauit imbecilitatē, & propter eam suam auxit contumaciam. Sed tamen sapiens vniuersorū gubernator & ei iustum supplicium intulit, & ex eius improbitate ad mala profliganda salutare medicamentū composuit, & quemadmodū medici, non ipsi fabricantur viperas, sed ex eis vtile hominibus medicamentū cōficiunt: ita etiā Deus voluit quidē Pharaonem subire supplicia: quoniā autem ille in nimiā feritatem impegerat, illi quidem omnis generis pœnas inflixit: suam aūt potentiam omnibus hominibus ostēdit. Et ideo dicit, *In hoc* ipsum excitaui te, vt ostendā in te virtutem meā: & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Illud aūt *excitaui te*, pro eo quod est, permisi tibi regnum assequi: & cū possem prohibere, nō prohibui, quæ ad alios reditura ex eo esset vtilitas, præuidens. *Vasa* aūt iræ ad interitū comparata appellat eos qui sua spōte tales facti sunt. Hoc enim scripsit etiam ad Timotheū. *In magna* autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quēdam quidem in honorem, quædam verò ad contumeliam, & docens quòd quis sua spōte & arbitratu fit hoc vel illud, subiunxit, *Si quis* ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne bonum opus paratum. Et Corinthijs sic scribit. *Si quis* autē superædificat super fundamentum hoc, aurū, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, apertè docens liberum hominum arbitrium, ita etiam vasa misericordiæ appellauit eos, qui Dei benignitate digni sunt. Illud autem, *Quæ* præparauit in gloriam, diuinā prescientiam declarat. Illud enim etiā in ijs quæ prius dicta sunt docuit, cùm dixit, *Quos* prescit, & prædestinauit conformes imaginis filij eius. Apostolo enim scopus est & institutū ostendere quòd eos qui digni sunt salute solus nouit vniuersorum Deus, nullus autem ex hominibus. Cùm autem dixisset quòd vocauit nos, non solum ex Iudæis, sed & ex gentibus, hoc confirmat scripturæ testimonio, & dicit.

Exod. 9.

2. Tim 2.

1. Cor. 3.

Sicut in Osee dicit. Vocabo non plebem meam plebem meam, & non dilectam dilectam. Et erit in loco vbi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.

Osee 2. Habetur in vet. trad. & non misericordiam consecutā, quod in græco Theod. non habetur.

Hæc autem Deus non de gentibus, sed de ipsis dixit Iudæis. Cùm enim iussisset Osee vxorem meretricem accipere, atq; adeò etiam adulteram, sic natos filios iussit appellari, hūc quidem nō populum, illā verò non dilectam, quæ Iudeis euentura erant prædicēs. Sed rursus tamen eis benignè pollicetur. *Et non* populus vocabitur populus, & non dilecta dilecta. Considerate ergo, inquit, quòd vos quoq; nō semper eadē habuistis: sed aliquando quidem populus, aliquando autem non populus, & rursus populus vocati estis: & aliquando quidem dilecta, deinde non dilecta & rursus dilecta. Nihil ergo in præsentia absurdum aut alienum factum est: Pro more enim eiecti estis: Sed & si rursus volueritis, populus & dilecta vocabimini. Nam etiam gentes, quę non erant populus, nunc populus dicuntur. Ei autem quod dixit aliud quoque testimonium adiecit.

Esaias autem clamat pro Israele. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Quia verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram.

Esa. 10. deest verbū antē consummans & abbreuiatis in æquitate.

Opportunè admodum hoc testimonium posuit, docens, quòd ab initio præuidit vniuersorum Deus & eos qui ad fidem accesserant, & eos qui infidelitatis morbo laborabāt. quia enim dicebant Iudæi paucos ex ipsis suscepisse prædicationem, alios autem omnes eam tanquam imposturam fugere: ostēdit multis iam retro seculis hęc quoq; prędicta fuisse, & quod etiam si sint innumerabiles, & maris arenæ æquentur, non omnes salutem assequentur, sed ij demum qui fide ornati fuerint. Abbreuiatum enim verbum fidem appellauit. Nā quod lex multis præceptis docuit, & perfectam prębere salutem non potuit, id Christi confessio præstitit, & fidem conciliauit. Est autem compendiosa, & quæ multis circuitionibus non eget, vt quæ & animæ affectione iudicetur, & lingua prædicetur.

Et sicut prædixit Esaias, nisi Dominus Sabaoth reliquisset

Esa. 1.

quisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & vt Gomorra similes fuissemus.

Quos superius reliquias appellauit, eos semen vocauit, propter quos, dicit Propheta nō idem euenire Iudæis, quod Sodomæ & Gomorræ accidit. Illi enim funditus interijssent. Cùm sic docuisset, vniuersorum Deum, non eam, quæ est ex natura, cognationem respicere, sed fidei societatem quærere: docet apertius quamobrem Iudæi à maiorum nobilitate exciderint, gentes verò salutem assecutę sint: & dicit.

Quid ergo dicemus?

Per interrogationem legendum, subdistinctione vtendo. Deinde per responsionem, ea quæ deinceps sequuntur.

Quod gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ est ex fide. Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.

Scias, inquit, quòd fides fuit gentibus causa bonorum. Ipsa enim, eos qui olim errabāt, & iustitiam nec habebant, nec quærere volebant, iustitia quæ est per gratiam dignata est. Israel autem, qui & legem habebat, & iustitiam, quæ est ex lege, persequebatur, à scopo excidit, & iustitiam nō est assecutus. Deinde rursus per interrogationem,

Quare?

Vis, inquit, huius rei scire causam?

Quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis.

Existimauerunt ad consequendam iustitiam sufficere vitæ suæ ex lege institutionem: & fidem contempsere. Quamobrem nec donorum fidei fuerunt participes, nec eam quæ est ex illa vitæ institutione iustitiam habuere. Deinde docet quamnam ob causam bonorum fidei fructum non percepere.

Esa. 8. 28. 1. Pet. 2.

Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum non confundetur.

Solent autem offendere, qui mentem aliò conuertunt, & viam nolunt prospicere. Idem Iudæis accidit. Ijs enim quæ sunt in lege superuacanea inhiantes, lapidem qui à Prophetis prædictus est videre noluerunt: licet illi apertè responderint, quòd, qui ei credit, sit maxima bona assecuturus. Hoc enim sibi voluit illud, *non confundetur*, vtpote cùm ij qui sperant quidem, à spe autem excidunt, pudore afficiantur. Postquam eos sic moderatè reprehendisset, rursus ostendit qua sit in eos affectione ne propter reprehensiones maleuolentiæ opinionem conciperent, maiores enim accusationes reseruauit vltimas.

CAP. X.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro Israel in salutem.

Voluntas græcè est εὐδοκία, quam hic desideriū appellauit. Cupio enim, inquit, & opto vt hi salutem assequantur.

Testimonium enim prohibeo illis, quòd habent quidem Dei æmulationem, sed non secundum scientiam.

Laudi vituperationē coniunxit, veluti quadam esca hamum cælans: vt posit orationis lucrum ab eis accipi.

Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Suam iustitiam intempestiuam legis obseruationem appellauit. Student enim eam seruare, quę iam cessauit. Dei autem iustitiam, eam, quæ secundum gratiam per fidem facta est, nominauit. Hoc enim subiunxit.

Finis enim legis Christus ad iustitiā omni credenti.

Non est enim legi contraria fides in Christum, sed etiam valde conueniens, lex enim nos ad Dominum Christum deduxit. Qui itaque credit Domino Christo, is scopum legis adimplet. Rursus autem pulchrè posuit, *omni credenti*. Omnem enim hominum naturā comprehendit. Siue enim fuerit Græcus, siue barbarus, & crediderit, salutem consequitur. Deinde docet rursus legis & gratię differentiam. Et introducit Mosen legislatorem vtrunque docentem, & dicit.

Moses enim scripsit iustitiam quæ ex lege est, quòd qui ea fecerit homo, viuet in eis.

Qui omnia quæ sunt lege edicta compleuit, is suæ obseruationis fructum vitam habet: quæuis verò transgressio inducit supplicium.

Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit.

Pro eo quod est, de iustitia autem ex fide hæc dicit, nō Moses, sed per Mosen vniuersorum Deus.

Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? Id est Christum deducere, aut, quis descendet in abyssum, hoc est, Christum à mortuis reuocare? Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo.

Deut. 30. Hier. 1.

Hæc quidem de lege dixit Deus vniuersorum, docens Iudæos, quòd sine laboribus, eorum quæ agenda erant doctrinam susceperūt, & neque ascensu in cœlos, nec descensu ad inferos indigent. *Prope* te enim verbum est. Data est enim tibi cognitio eorum quæ sunt agenda. Diuinus autem Apostolus ea assumpsit ad id quod de fide tractat, dicens non oportere de dominica dispensatione nimis curiose inquirere, vel dubitare quin vnigenitus Dei filius homo factus sit, & passione suscepta resurrectionem procurauerit: sed fide fructum salutis colligere. *Prope* te enim verbum est in ore tuo & in corde tuo. Deinde subiungit.

Hoc est verbum fidei quod prædicamus.

Quod dixit Moses de præceptis legitimis, hoc nos de fide dicimus.

Quod si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem.

Vtrisque enim opus est, & fide vera ac firma, & confessione libera, & vt coronetur fidei certitudine, & lingua clara insignisque reddatur, audacter veritatem prædicans. Deinde

inde rursus scripturæ testimonij meminit.

Esa. 22. Ioel. 2. *Dicit enim scriptura, Omnis qui credit in illum nõ confundetur.*

Interpretatur etiam illud *Omnis.*

Act. 2. *Non est enim distinctio, Iudæi aut Græci. Nam idẽ Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illũ. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluabitur.*

Per diuitias appellauit salutem hominum. Nouit enim domini benignitatem. Appositè autem cordi & linguæ testimonia adaptauit. Cordi quidem hoc, *Omnis* qui credit in ipsum non confundetur: Linguæ autem, *Omnis* qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Deinde docet, quòd Iudæi sua sponte salute priuati sunt, oblatam prędicationem nolentes admittere. Sed huius rei probationem apertè non adducit, sed alia orationis methodo id prosequitur,

Quomodo ergo inuocabunt eum in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei quem non audiuerunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?

Oportet, inquit, prius credere, deinde inuocare. Fieri autem nõ potest vt credat, qui doctrinam non perceperit, ea autem haberi non potest, si desint qui prædicent, eos autem rursus constituit electio manuúmue impositio. Cùm hæc sic tanquam ad Iudæorum defensionem posuisset, per ipsa aduersus illos accusationem adauget, &, quod est vltimum, primum posuit de prædicatorum misione, ostẽdens hæc multis retro sæculis fuisse prædicta. Consequens enim erat hæc ante illa ostendere. Oportet enim primum prædicatores eligi: deinde prædicare, deinde quæ prædicantur audire, & tunc credere. Affert itaq; Esaię prophetiam, & dicit.

Esa. 25. *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

Nam etiam Apostolis domum ingredientibus iussit Dominus dicere. Pax huic domui. Significabant enim diuinã reconciliationem, & bonorum perceptionem. Eorũ pedes speciosos appellat, vt qui pulchrum cursum peragant, vt qui à dominicis sint abluti manibus. Ita adducto de prædicatoribus testimonio, dicit per interrogationem.

Luc. 10.

Aliter legit The. quàm aut vet. interp. aut Eras.

Sed non omnes obedierunt euangelio?

Deinde per responsionem.

Esaias dicit, Domine quis credidit auditui nostro?

Ne hoc quidem, inquit, tacuit diuina scriptura, sed Deus hoc longe antea prædixit per Esaiam. Deinde syllogisticè

Esa. 53. Ioel. 31. *Fides ergo ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*

Ergo qui non credit, diuinis oraculis non credit, & qui credit verba diuina suscipiens, refert fructum auditionis, fidem.

Sed dico, Nunquid non audierunt?

Et hoc rursus interrogatiuè legendum est. Deinde per responsionem.

Psal. 18. *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Quomodo enim fieri posset vt Iudæi non audirent, cùm gentes, quæ sunt in toto orbe terrarum, audiuerint? Veritatis enim præcones ipsis primis prædicationem attulerunt. Nam ipse quoque Dominus eis dixit, Ite potius ad oues quæ perierunt domus Israel. Et in Actibus Apostolorum, Vobis primum necesse erat loqui verbum Dei. Diuinus autem Apostolus in figura perstitit, per interrogationem & responsionem efficiens orationem clariorem. Rursus enim legendum est per interrogationem.

Matth. 10. Act. 13.

Sed dico, nunquid Israel non cognouit?

Quæ autem deinceps sequũtur per responsionem.

Primus Moses dicit, Ego ad æmulationem vos adducam in non gente, in gente insipienti in iram vos adducam.

Deut. 32. Ad Tit. 3.

Nos autem insipientes appellauit, nostram, quæ erat ante fidem, insipientiam ostendens. Hoc enim diuinus quoque dixit Apostolus, Eramus enim & nos aliquando insipiẽtes, increduli, errantes, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Sic Deus Iudęos insigni molestia affecit. Neque enim tantum eis dolorem affert nec seruitus, nec dispersio, nec templi desolatio, quantum gentium in Deum religio, carumque claritas.

Esaias autem audet, & dicit, Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me non interrogabant.

Simul ostendit & futuram gentiũ Dei cognitionem fuisse prædictam, & scelus Iudæorum. Illud enim *Audet*, hoc significat. Non timuit, inquit, inuidentes Iudęos, & furore percitos, sed futuram gentium salutem eis liberè prænunciauit: prædixit autem & Iudæorum incredulitatem. Hoc enim declarant ea quæ consequuntur,

Ad Israel autem dicit, tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

Esa. 65.

Illud autem, *Tota die*, perpetuò significat. Aquila enim & Symmachus illud *Tota die*, ita interpretati sunt. Cùm sic ostendisset admirandos prophetas & Iudæos accusare, & gentium fidem prænunciare, videtur quidẽ per ea quæ sequuntur ipsis consolationem adhibere: sed auget accusationem infidelium.

CAP. XI.

DIco ergo, nunquid Deus repulit populum suum?

Deinde cùm posset ex multis hoc probare, & tria millia, quæ Hierosolymis crediderunt, adducere, & multas myriadas, de quibus dicit sanctus Iacobus, & eos, qui in toto terrarum orbe ex Iudęis prædicationem suscepere: Pro his omnibus seipsum ostendit, & dicit,

Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraam, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.

Si enim repulisset, essem & ego vnus eorum qui accusarentur. Ego enim ex illa radice germinaui:

minaui: & de parente Abraam, & de Beniamin tribus meæ authore ac parente me ortum esse lubenter prædico: & Israelitæ appellatione glorior. Rectè autẽ adiecit & illud *Quem præsciuit*, hoc est, eos qui sunt digni Dei cognitione, qui splendorem fidei susceperunt. Hoc enim docet postea.

An nescitis in Helia quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat Deum aduersum Israel? Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerũt genua ante Baal.

3. Reg. 19.

Illo etiam, inquit, tempore erant multę myriades Israel; & omnes nominabantur Israel: sed vniuersorum Deus se septem millium Deum appellauit: alios autem omnes reprobauit. *Reliqui* enim, inquit, mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Ipse autem propheta hoc ignorabat, & in se solo saluas esse pietatis reliquias existimabat. Non est ergo nouum, vel incredibile, si vos quoque ignoratis eos qui ex vobis Seruatori crediderunt, quos Deus vniuersorum appellat populum. Opportunè autem magnum etiam Heliam in medium adduxit, qui eos accusauit, quòd non solum prophetas interemerint, sed etiam altaria ex ipsis fundamentis diruerint. Demus enim eos fuisse prophetis infensos, vt qui illis tristia prædicerẽt: quid culpæ poterant in diuina altaria conferre? sed ijs quę ausi sunt, declarauerunt se hunc Deum odisse. Porrò autem diuinus Apostolus à scripturæ testimonio transit ad suum institutum, & dicit.

Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus. Alioqui gratia iam non est gratia. Si autem ex operibus, non est vtique gratia, quandoquidem nec opus iam est opus.

Quemadmodum tunc, inquit, ex myriadibus innumerabilibus septem sola millia relicta sunt ab impietate libera: ita & nunc sunt plures quidem, qui fidem non habuerũt, pauciores verò, qui crediderunt, & diuinam gratiam perceperunt, neque enim eos vitæ suæ ex lege institutio iustificauit (hoc enim sibi vult illud *Ex operibus*) sed Dei gratia seruauit, & ideo etiam salus gratia appellatur, quoniam ex diuina liberalitate ac munificentia profecta est. Hoc ipsum etiam dixit, vbi egit de Patriarcha Abraam. Operanti autem merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

Quid ergo?

Hic subdistinguendum est. Ponitur enim interrogatiuè pro eo quod est. Quid ergo sibi vult? Deinde cætera, respondendo.

Quod quærebat Israel hoc non est consecutus. electio autem consecuta est, reliqui autem excæcati sunt.

Electionem eos vocat qui ex ipsis crediderunt. Hoc autem dicit. Israel legi affixus à scopo aberrauit. Præter legem enim nunc legem seruat, & nullam iustitiam percipit: Qui autem ex eis crediderunt, eam assecuti sunt. *Reliqui autem excæcati sunt*, pro eo quod est, Infidelitas cor eorum durius reddidit. Ostendit autem hoc quoque eis fuisse prædictum.

Sicut scriptum est, Dedit eis Deus spiritum compunctionis: oculos, vt non videant: & aures vt non audiant vsque in hodiernum diem.

Illud *Dedit*, pro eo quod est, Tradidit, id est, permisit. Neque enim Deus perfecit vt ipsi non crederent. Quomodo enim fieri posset vt & ipse eis infidelitatem immitteret, & pro ea pœnas de eis sumeret? Hoc autem ipse quoque propheta apertius docuit. Incrassatum est cor populi huius, & auribus graniter audierunt: & oculos suos compresserunt. Non ergo alius eos excæcauit. Sed ipsi oculos suos clauserunt: & lucem intueri noluerunt. *Spiritum* autem *compunctionis* appellauit mentem immutabilem. Sicut enim qui laudabilem habet compunctionẽ, eam, quæ est ad deterius, conuersionem non suscipit: ita, qui seipsum vitio tradidit, mutationem in melius non eligit.

Esa. 6.

Et Dauid dicit, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurẽtur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.

Psal. 68.

Mensam autem delicias appellauit, quas in contrarium mutandas prædixit.

Dico ergo, Nunquid offenderunt, vt caderent? Absit. Sed illorum delicto salus gentibus, vt illos æmulentur.

Qui enim ex eis crediderunt, eis primis salutarem prædicationem attulerunt. Cùm autem contradixissent, nec salutem admisissent, diuinum gentibus Euangelium attulerunt. Qui autem crediderunt, salutem assecuti sunt. Hoc autem satis est ad contradicentes Iudæos incitandos, & ad æmulationem prouocandos, & salutis participationem sibi conciliandam. Vident enim eos euasisse primos, qui erant vltimi.

Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, et diminutio eorum diuitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum?

Si enim, cùm plures nõ crediderint, qui ex eis crediderunt, diuinæ cognitionis diuitias gentibus attulerunt, clarum est, quòd si omnes credidissent, maiora hominibus bona conciliassent. Omnes enim facilius crederent, si ij non cõtradicerent, sed veritatem nobiscum prædicarent. Hinc eis adhortationem adhibet qui ex gentibus crediderunt, consulens ne de se nimiũ magnificè sentiant. Duo simul moliens, vt & eis fastum ac supercilium detrahat, & vt timeant efficiat: & Iudæos ad paternæ hæreditatis societatem conuertat, sic autem incipit.

Vobis enim dico gentibus. Quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorifico, si quomodo ad æmulãdum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.

Quandoquidem Deus me gentium prædicatorem constituit, gentium salutem necessario procuro & pro eis verba facio, & diuinos pro-

Prophetas multis retro ſeculis eadem prædixiſſe oſtendo: Vt hac vtique ratione Iudæos ad æmulationem prouocem, & aliquos ex his eſſe ſalutis participes efficiam. Suam enim carnem dicit Iudæos, vt qui, quod ad ſententiam quidem attinet, ab eo ſunt alieni, ſolam autem cognationem habent cum illo communem.

Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mũdi: quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?

Si enim, cùm ij, inquit, non crediderint, gentes aſſumptæ, & à priore ignorantia liberatæ ſunt: clarum eſt, quòd ſi ij omnes credere voluerint, nihil aliud reſtabit quàm vt fiat reſurrectio mortuorum. Hoc autem dicit Dominus, Prædicabitur Euangelium hoc regni in omnes gentes in teſtimonium ipſis: & tunc veniet finis. Scire autem oportet, quòd diuinus hæc dicit Apoſtolus, certo conſilio orationem componens, & eos qui crediderunt non nimis arroganter de ſe ſentire docens, & Iudæis non credẽtibus manum præbens. Ea autem quæ conſequuntur hoc docent apertius. Matth. 24.

Quòd ſi delibatio ſancta & maſſa: & ſi radix ſancta & rami. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos.

Delibationem aut primitias vocat Dominum Chriſtum, quod ad humanam naturam attinet: *Radicem* autem Patriarcham Abraam, *Ramos* verò oliuæ Iudæorum populum, vt qui illinc germinauerint. *Oliuæ* verò *pinguedinem*, pietatis doctrinam. Eos itaque adhortatur, qui ex gentibus crediderũt, ne aduerſus non credentes Iudæos efferantur, eos enim nominat *Ramos fractos*. Conſiderate autem, inquit, quòd vos ex alia cognatione profecti, in hanc eſtis inſiti, & piæ radicis pinguedinem accepiſtis.

Quòd ſi tu gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dicis ergo, fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Bene. Propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time.

Et illos incredulitas à radice alienos reddidit, & te fides radici coniunxit: & vt eius pinguedinis eſſes particeps effecit. Oportet ergo te non nimis elatè de te ſentire, ſed timere, & contremiſcere. Quare?

Si enim Deus ramis naturalibus non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.

Si eos enim nihil iuuit naturæ neceſſitudo, quandoquidem habebant idem vitæ inſtitutum: multo magis tu non ſeruata gratia, eris à radice alienus.

Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioqui & tu excideris.

Video quomodo nunc Deus illos excidit, qui ſuorum maiorum fidem non ſunt imitati: quomodo autem te ſua benignitate dignatus eſt, & alienæ radicis participem reddidit, à quo omnino alienus fueris, ſi datum donum non ſeruaueris.

Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur.

Conuenit enim Dei iuſtitiæ, & te, qui præter ſpem illorum radice dignatus es, & deinde datam gratiam non ſeruaueris, rurſus à radice ſeparare: & eos ab incredulitate liberatos, illi rurſus coniungere. Pulchrè autem in his quoq; poſuit illud *Inſerentur*. nempe cùm incredulitas eos omnino ſeparauerit: & fides, ſimiliter ac gentes eos radici coniungat.

Potens enim eſt Deus illos rurſus inſerere.

Rei facilitatem per Dei potentiam oſtendit, & affert exemplum nec alienum nec antiquum, ſed domeſticum, & recens. Eos enim ipſos ad huius rei teſtimonium vocat, & dicit.

Nam ſi & tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam: quanto magis ij qui ſunt ſecundum naturam, inſerentur ſuæ oliuæ?

Si tu, cùm eſſes oleaſter, neque enim habebas legem quæ te coleret, nec prophetas qui te irrigarent, & purgarent, & quod conuenit tui ſtudium gererent, ab impijs quidem parentibus & cognatis ſeparatus es, fidei autẽ Abrahæ effectus es particeps: & eum gloriaris te habere radicem, & patrem, ac parentem, non lege quidem naturæ, ſed ex diuina liberalitate: multo vtique iuſtius & naturalius, ijs qui crediderunt, propriæ radici coniungentur. Hæc autem, vt paulò antè dicebam, dicit, & eos, qui ex gentibus crediderunt, modeſtos eſſe docens, & qui ex Iudæis non crediderunt, ad ſalutem adhortans. His autem conueniunt ea quoque quæ ſequuntur.

Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis vobiſipſis ſapientes.

Myſterium eſt, quod non eſt notum omnibus, ſed ijs ſolis qui contemplantur. Dicit ergo, volo vos intelligere, quod ſcimus myſterium de ijs quæ ſunt propoſita; ne vos eſſe valde prudentes rati, ideo efferamini, & vobis aliquid inſolenter arrogetis. Quod eſt autem myſterium?

Quod cæcitas ex parte contingit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.

Illud *Ex parte*, poſuit, docens non omnes fuiſſe incredulos, multi enim etiam ex illis crediderunt. Adhortatur autem vt nec aliorum ſalutem deſperent. Poſtquã enim gentes prædicationem ſuſceperint, illi etiã credent, cùm inſignis ille Helias acceſſerit, & illis fidei doctrinam attulerit. Hoc enim Dominus quoq; dicit in ſacris Euangelijs, Helias venturus eſt, & reſtituet omnia. Poſuit autem etiam prophetæ teſtimonium. Matth. 17.

Sicut ſcriptum eſt. Veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatẽ à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum. Eſa. 59.

Si ex lege adminiſtratio dat peccatorum remiſsionem: eam prædixit ſermo propheticus. Sin autẽ lex quidem punit eos qui delinquũt, Iudæis autem ſemper crimini datum eſt quòd legem tranſgreſsi ſunt: clarum eſt, quòd ea remiſsio

miſsio ſignificatur quæ datur per baptiſmum. Vocat autem Iſraelem omnes qui credunt, ſiue ſint ex Iudæis habentes naturalem cognationem cum Iſraele, ſiue ex gentibus ei fidei cognatione coniuncti.

Secundum Euangelium quidem inimici propter vos: ſecundum electionem autem chariſsimi propter patres.

Quando ad vos reſpexero, qui mihi docendi traditi eſtis, illos inimicos & infeſtos exiſtimo, qui omnia ad veſtrum damnum & incommodum faciunt. Sed poſtquam ad maiores reſpexero, & cogitauero quòd Deus illos ex toto terrarum orbe elegit, hos etiam diligo propter illos.

Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.

Hæc omnia dicit ad Iudæorum exhortationem. Quòd enim quę dat bona Deus rurſum accipit, cùm videritеos qui acceperint ingrati animi vitio laborare, teſtis eſt Saul, qui gratiam ſpiritalem percepit, & ab ea poſtea deſertus eſt. Quinetiam ſimiliter Solomon, qui pacem per diuinam benignitatem aſſecutus eſt, poſt tranſgreſsionem gratia priuatus eſt. Porro autem etiam Iudæi qui prophetas eorum curam gerentes perpetuò habuerunt, ea cura in præſentia priuati ſunt. Hoc etiam ijs qui ex gentibus crediderunt paulò antè minatus eſt. Si permanſeris inquit, in bonitate: alioqui & tu excideris.

Sicut enim & vos aliquando non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum, ita & illi nunc non crediderũt veſtræ miſericordiæ: vt & ipſi miſericordiam conſequantur.

Recordemini autem, quomodo omnes longiſsimo tempore impij fueritis, & ad longam illam & longè grauiſsimam impietatem benignus & miſericors Dominus non reſpexerit, ſed inenarrabili benignitate eos qui voluerũt dignatus ſit: & cùm ij non crediditſent, vos pro illis vocauerit. Non eſt itaque alienum, vt qui nunc contradicunt, à Deo ſuſcipiantur, ſi voluerint credere: & eandem benignitatem conſequantur. Illud autem *Vt*, rurſus ſibi familiari proprietati conuenienter poſuit. Neque enim ideo non crediderunt, vt miſericordiam aſſequerentur: ſed non crediderunt quidem propter mentis contumaciam, miſericordiam autem conſequentur acta pœnitentia.

Concluſit enim omnia Deus in incredulitate, vt omnium miſereatur.

Illud *Concluſit*, poſuit pro eo quod eſt, conuicit. Conuicit enim & gentes, quę naturalem diſcernendi facultatem acceperant, & creationẽ habuerant diuinę cognitionis magiſtram, cùm tamen nec hinc nec illinc vtilitatis aliquid acceperint. Conuicit autem etiam Iudęos, qui plus quidẽ doctrinæ erant adepti. nam præter naturam & creaturam legem quoque acceperant, & prophetas, qui eos id quod fieri oportebat docebant, & erãt etiam maioribus ſupplicijs obnoxij: ſed tamen & hos & illos, qui funditus perire meruerãt, ſalute dignatus eſt, ſi ſolùm credere voluerint. Hæc proſecutus, & diuinæ benignitatis abyſſum, eiusque, quæ comprehendi non poteſt ſapientiam contemplatus, exclamauit.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.

A principio enim hęc preſciuit: & cùm preſciuiſſet, ſapienter diſpenſauit: & diſpenſans, ſuæ benignitatis diuitias oſtendit.

Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, quàm inueſtigabiles viæ eius.

Diuini cõſilij & adminiſtrationis ratio mentis humanæ captum ſuperat: & nec inuiſibiles poteſtates Dei vniuerſorum prouidentiã poſſunt aſſequi.

Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? vel quis prior illi dedit, & retribuetur ei?

Hæc tria tribus oppoſuit, diuitijs, ſapiẽtiæ, & ſcientię. Illud quidem, *Quis nouit ſenſum Domini*, ſciẽtiæ. Hoc autem, *Quis conſiliarius eius fuit*, ſapientiæ: *Quis autem prior dedit, & retribuetur ei*, diuitijs, neque enim menſura comprehendi poſſunt eius bonitatis diuitiæ, quia etiam ijs quæ non ſunt eſſe dedit, & ijs quæ facta ſunt, vt bene ſint largitur, & non reddit, ſed dat bona. Sed cùm ſit humanus ac benignus, dationem retributionem appellat.

Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ipſe enim omnia fecit. Ipſe omnia quæ facta ſunt perpetuò regit. Omnes ad ipſum reſpicere oportet, pro ijs quæ ſunt ac ſubſiſtunt gratias agentes, eius autẽ deinceps prouidentiam poſtulantes: conueniens porro glorificatio ad eum eſt emittenda. Per hęc autem oſtendit diuinus Apoſtolus ſe non noſſe differentiam præpoſitionis *Ex quo*, & *Per quem*: & illam quidem, vt quæ aliquid maius ſignificet, patri conuenire, hanc verò, vt quæ aliquid minus doceat, filio. Ambas enim in vtraque perſona poſuit. Quam ſiue patris eſſe dixerint, qui cum Arrio & Eunomio ſentiunt, inuenient præpoſitioni Ex quo, præpoſitionem Per quem, eſſe coniunctam, ſiue filio adaptauerint, videbunt præpoſitioni Per quem, præpoſitionem quoque Ex quo eſſe coniunctam. Si autem præpoſitio quidẽ Ex quo aliquid maius ſignificat, Per quem autem minus, ambæ autem in vna perſona ſitæ ſunt, ipſe quidem ſeipſo maior propter præpoſitionem Ex quo, & rurſus minor propter Per quem, iure exiſtimari poterit. Nos autem, ijs in pręſentia miſsis, noſtrum creatorem & Seruatorem glorificemus. Cui conuenit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

TOMVS QVINTVS.

CAP. XII.

BONORVM quidẽ ſumma, & verum fundamẽtum, eſt diuinæ naturæ cognitio, in eamque fides & affectio. Quod enim eſt oculus in corpore, hoc eſt animę fides, & rerum

& rerum diuinarum cognitio. Habet tamen ea quoq; opus actiua virtute: quemadmodum oculus manibus, & pedibus, & alijs partibus corporis. Ea de causa diuinus quoque Apostolus dogmaticis sermonibus moralem etiã doctrinam adiecit, perfectißimam in nobis doctrinam construens. Per Romanos enim omnibus hominibus vtilitatem attulit. Sic autem incipit.

Obsecro itaque vos fratres per misericordias Dei.

Leges statuit, & potestatem celat, & vnà cum supplicatione doctrinam exhibet, & diuinam benignitatem in memoriam reuocat, de qua antè fuse locutus est. Quid autem nos obsecras?

Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Iam adhortatus est vt membra nostra iustitiæ arma reddamus, & nos Deo exhibeamus tanquam ex mortuis viuentes. Hic autem adhortatur vt ea quoque fiant hostia, & appellat hostiam viuentem. Non enim iubet vt mactentur corpora, sed vt sint peccato mortua, & nullam illius operationem suscipiãt. Sanctam autem, & rationalem, & Deo placentem hanc hostiam nominauit, eam cum eorum quæ ratione carent sacrificijs comparans & eam Domino Deo gratam esse ostendens. Per omnes enim, vt semel dicam, prophetas, ratione carentium animalium sacrificium reprehendit: hoc autem lege decernit. Sacrifica, inquit, Deo
Psal. 49. sacrificiũ laudis. &, Sacrificium laudis honorificabit te. Et eiusmodi alia innumerabilia inueniri possunt in diuina scriptura.

Et nolite conformari huic sæculo.

Figuras vocat ea quæ sunt præsentis sæculi, vt opes, & potentiam, nobilitatemque & generis claritatem. Res autem ea quæ futura sunt, vt quæ sint stabilia, & sufficientia. Ita etiam alibi, Præterit enim figura mundi huius. Multi enim ex summa rerum omnium copia in extremam inopiã ceciderunt. Alijs autem, qui ex pauperibus nati sunt, magni magistratus & summa imperia credita sunt. Alij autem, qui supercilium cõtrahunt, & buccas inflant, & se esse omnibus præstantiores existimant, protinus correpti puluis fœtidus facti sunt. Vult itaque diuinus Apostolus non ijs nos inhiare, nec huius vitæ figuram diligere, sed ea persequi quæ vitam æternam conciliant.

Sed reformemini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta.

Hic quoq; suadet, vt, qui ad id quod est deterius propendent, reuertantur ad meliora. Illud enim significat hoc, *Reformemini.* Docuit autem & quæ sit virtutis cũ præsentibus collatæ differentia. Ea enim figuram appellauit: virtutem autem formam. Forma autẽ res veras significat. Figura verò res est, quæ facilè dissolui potest. Porro autem liberam animi potestatem ostendit, cùm eam & rationem iussit renouare, & à deterioribus meliora discernere. Hæc enim appellat, Deũ colere. Docet autem etiam quænam ea sint: & ante alia omnia fastum exterminat, & humilitatem statuit.

Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, Non sapere plus quàm sapere oportet, sed sapere ad sobrietatem.

Et nec ipse quidẽ se hæc dicit statuere, sed per ipsum gratiã spiritus. Illius enim inquit, sum instrumentum. Modestiam autem seu moderationem Græcè σωφροσυνὴν, mentis sanitatem appellauit, docens superbiam esse morbum mentis. Suum autem Dominum est imitatus. Dominus enim in sacris Euangelijs eos qui humilitatem possederint primos esse beatos pronunciauit. Beati, inquit, pauperes spiri- Matth. 5.
tu: ipsorum enim est regnum cœlorum. Hanc autem omnibus legem statuit, & diuitibus, & pauperibus, & seruis, & dominis, & viris & mulieribus. Hoc enim significat illud, *Omnibus inter vos.* Docet etiam mensuram, ad quam vsq; de se sentire oportet.

Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.

Gratiam hoc in loco vocauit fidem. Per fidem enim datur gratia, & pro mensura fidei dona gratiæ suppeditat. Iubet autem donata gratia metiri animæ de se sententiam.

Sicut enim in vno corpore multa mẽbra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita etiam multi sumus vnum corpus in Christo. Singuli autem alter alterius membra.

Apposita similitudo doctrinæ de charitate. Vnaquæque enim pars corporis, non est sibi solum vtilis, sed communi affert vtilitatem: ita etiam conuenit eum qui aliquam gratiam accepit, apertè scire se hoc donum communis vtilitatis gratia accepisse. Corpus enim vnum sunt ij qui crediderunt, membrum autem, vsum nostrum, & id quod nobis opus est, supplet.

Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes.

Ita est intelligendum. Alter alterius membra sumus, habentes donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes. Licet enim sint hæ differentes, ad communem tamen vtilitatem à diuina gratia fuerunt suppeditatæ.

Siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in adhortando.

Pro vniuscuiusque fide gratiam dimetitur qui est bonorum suppeditator. Appellat prophetiam non solum eorum quæ futura sunt præscientiam, sed eorũ etiam quæ sint occulta cognitionem. Ministerium autem prædicandi munus. Doctrinam, diuinorum dogmatum disciplinam. Adhortationem, suasionem ad virtutem.

Qui tribuit in simplicitate.

Non aliorum captãs gloriam, sed eius, qui indiget inopiæ subueniens, nec apud se ratiocinans, an quæ habet sibi sufficiant, an nõ, sed in Deo spem ponens, eoque fretus liberalitatem suppeditans.

Qui præest in sollicitudine: qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione.

Cum

Cum quadam vehementia & amplificatione omnia statuit & curationem quidem appellat diligentem, ne sit nomen absque re. Beneficentiæ autem lætitiam adiungit, erogationis bonorumque communicationis lucrũ ostendens. Solent enim gaudere qui lucrãtur. Hoc
2. Cor. 19. etiam dicit scribẽs ad Corinthios, Non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Porro esse quoque dilectionem sinceram & germanam præcipit, & simulationis personam eijcit.

Odientes malum, adhærentes bono.

Rursus non dixit simpliciter, hoc quidem fugere, illud verò persequi. Sed vitiũ quidem vehementer odisse, bonorum autem operationi valde coniungi præcepit, affectione tanquam colla aliqua vtentes.

Fraternam charitatem inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes.

Habete ardentem & fratribus conuenientem inter vos affectionem, cedat autem vnusquisque proximo primas partes, hoc est enim veræ amicitiæ iudicium.

Sollicitudine non pigri.

Puram & sinceram animi promptitudinem ad ea quæ sunt honesta ostendentes, & socordiam omnino eijcientes.

Spiritu feruentes.

Spiritum gratiam appellauit, ei autem materiam, tanquã igni ligna, præbere, promptitudinem vocauit. Hoc autem etiam alibi di-
1. Tim. 5. cit. Spiritũ ne extinguite. Extinguitur autem Spiritus ab ijs qui sunt indigni gratia. Cùm enim purum mentis oculũ non habeant, illum splendorem non suscipiunt. Ita ijs etiam qui corpore cæcutiunt lux quoque sunt tenebræ, & in ipso meridie sunt caligini obnoxij, & ideo iubet nos spiritu feruere, & habere ardens rerum diuinarũ desiderium. Hoc enim subiunxit.

Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes.

Qui enim feruet spiritu, Domino promptè & alacriter seruit, & expectat fructũ bonorum quæ sperantur, & quę inuadunt tentationes superat, eorum insultibus tolerãtiam obijciens, & diuinæ gratiæ auxilium assiduè implorans. Hoc enim dixit, Orationi instantes, id est assiduè hoc facientes.

Necessitatibus sanctorum communicantes.

Mentione facta communicationis, hortatur ad liberalitatem. Quis enim non lubenter pecuniam communicauerit, vt sit rei bene gestę
2. Cor. 8. & emolumenti particeps? Hoc enim etiã scribit ad Corinthios. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abũdantia vestræ inopiæ sit supplementum.

Hospitalitatem sectantes.

Hospites non solos sanctos appellat, sed eos etiam qui aliunde venerunt, curatione egentes, quorum iubet curam agere.

Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.

Luc. 16. Hæc est lex Domini. Dominus enim eam diuinis Apostolis præbuit.

Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, id ipsum inuicem sentientes.

Et iucunda & molesta inuicem communicate, hoc enim signum est misericordiæ: illud verò amicitiæ quæ ab inuidiæ vitio aliena est.

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

Rursus expellit superbiæ tumorem, & vnà cũ humilibus descendere oportere decernit.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.

Pro eo quod est, Ne vestra vobis consilia sufficiant: sed aliorum consilia accipite.

Nulli malum pro malo reddentes.

Hoc quoque est perfectæ virtutis, & ab omni animi perturbatione alienationis officium.

Prouidentes bona coram omnibus.

Ita etiã alibi, Sine offensione este & Iudæ- 1. Cor. 10.
is, & Græcis, & ecclesiæ Dei.

Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.

Diligenter & accuratè additum est illud, Si fieri potest, & hoc, Quod ex vobis est. Nihil, inquit, à vobis fiat, sed omnẽ pro pace machinam adhibete. Hoc autem ijs etiam quę prius dicta sunt est consequens. Qui enim benedicit eum qui persequitur, & non vlciscitur eum qui facit iniuriam, quodnam in se odium aut simultatem suscipit?

*Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam, ego re- Ezech. 9.
tribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, Deut. 32.
ciba illum. Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.*

Postquam iudicem ostendit, & iustum eius iudicium aperuit, hoc enim significat, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus: iubet nos fortiter ferre iniurias quibus afficimur, & ijs, qui nobis iniuriam faciunt, contrarium reddere, & inimicis ea quæ sunt necessaria præbere. Hæc enim ijs quidem qui in ea philosophia exercentur coronas contexunt, eorum autem, qui iniuriam faciunt, pœnas augent. Sciendum autem est non oportere nos ideo inimicos obseruare, eorumque curam gerere, vt illi maiores dent pœnas. Diuinus enim Apostolus hæc addidit, volens eius iram extinguere qui iniuria afficitur, non autem bono malum augere conans. Quid enim nos philosophari iubet, docent quæ sequuntur.

Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

Vlcisci enim, eum inferiorem fuisse significat, est autem euidens victoria, pro malis bona reddere. Cùm mores sic per hæc instituisset, iubet etiam honorem Magistratibus conuenientem tribui. Præuiderat enim, vtpote qui diuini Spiritus gratiam affatim acceperat, fore vt nonnulli fastu potius quàm zelo vtentes, Magistratus, qui rerum ad vitam pertinentium curam gerunt, contemnerent, se propter cognitionem maiores esse existimantes, & alioqui sparsam & disseminatam, eorum opinionem amoliri volens, hoc facit. Malè enim audiebant, tanquam qui leges communes euerterent. Et hi quidem dicebant, Qui vni-

uersum terrarum orbem euerterunt, hic quoque adsunt. Illi verò, quòd alia introducunt. Vtile itaque existimabat de eo aliquid decernere.

CAP. XIII.

OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

Siue est Sacerdos aliquis, siue Antistes, siue monasticam vitam professus, ijs cedat quibus sunt mandati magistratus. Clarum est autem, si cum pietate. Non enim si Dei præceptis repugnent, Magistratibus parere permittitur.

Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.

Et eæ à Dei prouidentia dependent. Ipse enim communis ordinis curam gerens, effecit vt hi quidem imperarent, illi verò parerent, veluti quoddam frenum, ijs qui se iniustè gerunt, Magistratuum timorem incutiens. Porro autem sciendum est, quòd & Magistratum gerere, eiq; parere, à diuina prouidentia pendere statuit diuinus Apostolus, non autem vt hic vel ille sit Magistratus. Neque enim iniquorum hominũ potestas à Dei electione procedit, sed ipsa principatus dispensatio. Si sit quidem certè propitius, dat magistratus qui iustum colunt & obseruãt. Dabo enim eis, inquit, pastores secundum cor meum: & pascent eos pascentes cum scientia. & rursus, Dabo iudices sicut prius, & consiliarios sicut ab initio. Cùm autem vult eos qui peccant castigare, eos etiam à malis magistratibus regi permittit. Dabo enim, inquit, adolescentulos principes eorum, & illusores dominabuntur eis. Sed iam tempus est vt ad proxima interpretanda reuertamur.

Hier. 3.
Esa. 1.
Esa. 3.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Satis ostenderat:

Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Hoc est, erunt supplicijs obnoxij. Deinde docet quænam sit principatus vtilitas.

Nam principes non sunt timor boni operis sed mali.

Qui enim vitam improbè instituunt, eos puniunt.

Vis autem non timere potestatem, fac bonum, & habebis laudem ab ipsa. Dei enim minister est tibi in bonum.

Eum esse dignum reuerẽtia ostendit, cùm Dei ministrum appellauit. Adhortatus est autem etiam ad res bonas gerendas, cùm dixit principes esse laudatores bonorum.

Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.

Si amas bona, honora potestatem, vt quæ ea lege decernat. Sin autem contraria persequeris, time eius sententiam. Ad malorum enim supplicium est diuinitus ordinata.

Et ideo necessitati subditi estote, non solũ propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Iram supplicium appellat. Iubet enim propter vtrunque subditos esse, & propter pœnæ metum, & vt ea impleant quæ oportet fieri. Id enim appellauit conscientiam.

Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt ad hoc ipsum seruientes.

Tu enim dormis: ille communem curã sustinet. & tu domi quidem sedes: ille autem pro pace bellum suscipit.

Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Tributum appellat, quod pro agris penditur. *Vectigal* autem quod pro mercatura cõfertur. Debita autem non hæc solum, sed & metum, & honorem nominat. Ea enim ijs qui præsunt debentur à subditis.

Nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis.

Non vt dilectionis debitũ non exoluamus: Oportet enim id ante omnia alia exoluere: sed vt in ipsa solutione id augeamus. Redditio enim debitum multiplicat. Ardentiorem etenim dilectionem efficit.

Qui enim diligit proximum, legem impleuit.

Quomodo, & quanam ratione?

Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimoniũ dices, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Qui enim in aliquem bene affectus est, non interficit quem diligit: non adulterat eius vxorem, non surripit aliquid ex bonis eius cui bene vult: neque aliquid facit quod ei vllam molestiam afferat. Hoc enim subiunxit.

Dilectio proximi malum non operatur.

Deinde syllogisticè.

Plenitudo ergo legis est dilectio.

Ita etiam Christus interrogatus quodnam sit primum præceptum, & primum dixit, & secundum coniunxit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua & ex tota mẽte tua: & proximum sicut teipsum. Et in prima quidem virtutem contemplatiuam perfici ostendit: in secunda autem actiuam. Ita enim diuinus Apostolus, Plenitudo ergo legis est dilectio. Deinde subiungit.

Matth. 22.
Luc. 10.
Mar. 12.

Et hoc scientes tempus quia hora est iam nos de somno surgere.

Pro eo quod est, Et maximè quòd non est tempus dormiendi, sed expergiscendi.

Nunc enim propior est nostra salus quàm cùm credidimus.

Indies enim ad Domini præsentiam accedimus.

Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

Noctem vocat tempus ignorantiæ. *Diem* autem, tempus post aduentum Domini. Exortus enim sol iustitiæ, diuinę cognitionis radijs orbem terrarum illuminauit.

Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Tenebras vocat ignorantiam: *Opera* autem *tenebrarum*, improbas & iniustas actiones. Et *Lucem* quidem appellat cognitionem, *Arma* autem

tem *lucis*, bonorum operationem.

Sicut in die honestè ambulemus.

Ex corporalibus ostendit spiritalia. Qui enim vitam sceleratam & flagitiosam amplectuntur, illa noctu perpetrantes, interdiu moderationis & honestatis habitum suscipiunt. Vult itaque, cùm nox præterierit, & ignorantia cessauerit, vt à malis liberemur. Docet etiam quænam ea sint.

Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione.

Solebant nonnulli in conuiuijs lasciuire, & linguam turpibus canticis polluere, eorum autem causa est ebrietas. Porro autem ea est etiam mater petulantiæ, litisque & contentionis magistra.

Sed induimini Dominum Iesum Christum.

Non vt alium baptismum suscipiant, sed vt vestem qua induti sunt videant.

Et carnis curam ne feceritis in desiderijs.

Hic & hæreticorum, qui carnem accusant, ora obturat. Neque enim prohibuit quominus carnis cura geratur: sed delicias & intemperantiam expulit. Non dixit enim, Ne carnis curam geratis, sed ne ad concupiscentias gesseritis, pro eo quod est, Ne facite vt ea per delicias exultet. Hæc cùm de virtute actiua esset prosecutus, ad dogmatica rursus tractanda accedit. Oportet autem prius dicere doctrinæ Apostolicæ scopum, vt facilius perspici possit eorum quæ dicenda sunt interpretatio. Qui ex gentibus crediderant, Euangelicam vitæ institutionem amplectebantur. Multi autem ex Iudæis, qui ad Euangelicam prædicationem accesserant, legalibus constitutionibus seruiebant, dierum obseruationes amplectentes, & cibum quem lex iussit sumentes. Hinc lis oriebatur, atque adeo etiam pugna, cùm & hi eos qui ex gentibus crediderant, quoniam quibuslibet esculentis indiscriminatim vescerentur, condemnarent, & illi eos abhorrerent propter summam & superuacaneam legis obseruationem. His medicinam adhibens Apostolus, affert vtrique conuenientem adhortationem. Primum autem eos qui ex gentibus fidem susceperant ad fraternam dilectionem exhortatur.

CAP. XIIII.

INfirmum autem in fide assumitie, non in disceptationibus cogitationum.

Infirmum autem appellat eum qui legalibus seruit obseruationibus.

Alius enim credit se manducare omnia.

Is scilicet qui ex gentibus credidit.

Qui autem infirmus est, olus manducat.

Nonnulli dicunt, quòd qui ex Iudæis crediderant, tanquam eorum qui ex gentibus fideles erant illos puderet, non solum à suillæ, sed etiam ab alius esu carnis abstinebant, exercitationis & temperantiæ pretextu vtentes. Vnde diuinus dixit Apostolus, Qui aũt infirmus olus manducat. Cùm enim perfectã fidẽ non haberet, se earũ rerũ esu pollui credebat.

Is qui manducat, non manducantem non spernat.

Qui enim ex gentibus crediderant, Iudæos qui fidem susceperant auersabãtur, tanquam qui puram ac sinceram fidem non haberent, & ideo nollent eiusmodi cibum capere.

Et qui non manducat, manducantem non iudicet.

Porro autem qui ex Iudæis crediderãt, fideles ex gentibus cõdemnabant, quibuslibet esculentis vesci indiscriminatim illicitum & nefarium esse existimantes.

Deus enim illum assumpsit.

Gentilem scilicet. Et pergit aduersus Iudæum contendere.

Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit.

Quiuis seruus, & viuus est lucrum Domini: & moriens illi rursus damnum affert. Eum ergo emit vniuersorum Dominus proprio dato sanguine. Et quia dixit *Suo Domino stat aut cadit*, necessario subiunxit,

Stabit autem.

Et dictum suum Dei potentia confirmat ac stabilit.

Potens est enim Deus statuere illum.

Hæc cùm de cibis dixisset, ad dies orationem conuertit:

Nam alius iudicat diem inter diem: Alius autem iudicat omnem diem.

Alij enim perpetuò abstinebant à cibis lege prohibitis. Alij verò nonnullis diebus.

Vnusquisque in suo sensu abundet.

Non hoc posuit generaliter, neque enim iubet de diuinis decretis hoc sentire, eos enim anathematizat, qui veritati contraria docere in animum inducunt. Si quis enim, inquit, euangelizet vobis aliud Euangelium quàm quod accepistis, sit anathema. De solis itaque cibis vniuscuiusque sententiæ potestatẽ dedit. Hęc enim consuetudo in hodiernum vsque diem mansit in ecclesijs, & hic quidẽ abstinentiam amplectitur: Ille verò omnibus esculentis absque vllo scrupulo vescitur, & nec hic illum iudicat, nec ille alterum reprehendit, sed eos claros & insignes reddit lex concordiæ.

Qui sapit diem, Domino sapit, & qui non sapit diem, Domino non sapit, & qui mãducat, Domino manducat, & gratias agit Deo: & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

Se accommodando & submittendo hæc dicit, Dei ecclesiæ concordiam procurans. Nouit, inquit, vniuersorum Deus eorũ qui comedunt & non comedunt institutum, nec solum factum attendit, sed etiam eius quod fit mentem examinat.

Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo nostrum sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.

Non sumus in nostra potestate, pretio empti sumus. Et viuentes ergo Domini sumus: & morientes sumus Domini. Pro eo quod est, nec tu es illius Dominus: nec ille tui. Habemus enim omnes vnum Dominum.

In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, et

Deest in veteri traduct. Et reuixit.

reuixit, vt & viuorum, & mortuorum dominetur.

Ille est omnium Dominus, qui se pro nobis morti tradidit, qui mortis potentiam dissoluit, & nobis omnibus resurrectionem est pollicitus. Illi ergo subiecti sumus, vt qui vitam ab eo acceperimus.

Tu autem quid iudicas fratrem tuum?

Iudæo hæc dicit.

Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.

Deinde etiam id quod dicit confirmat scripturæ testimonio.

Scriptum est enim. Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Ille est noster iudex, ille de nobis sentẽtiam feret, nos ante illud tribunal statui necesse est. Propheticum quidem certe testimonium docet Vnigeniti diuinitatis altitudinem. Cùm enim dixisset per prophetam, Ego Deus ante sæcula, & ego Deus primus, & ego postea, & in futurum sum, & ante me non fuit alius Deus: & post me non erit, & prẽter me non est: & iustus & Seruator non est præter me, tũc subiunxit, Et per me iuraui, dicit Dominus, quòd mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Sed ad ea quæ proximè sequuntur interpretanda accedamus.

Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

Quoniam Dominicum iudicium ostendit, necessario suasit ne alter alterum iudicẽt, sed illam sententiam expectent. Hoc enim rursus subiunxit.

Non ergo amplius inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.

Hic se conuertit ad fideles ex gentibus, qui eorum qui ex Iudæis crediderant infirmitatem non satis tolerãter ferebant, sed summam esse virtutem feruentemque zelum existimabant, si esculentis indiscriminatim vescerentur, & primum quidem docet nihil esse impurum & immundum. Sic autem dicit.

Scio, & confido, in Domino Iesu quia nihil commune per ipsum.

Necessario addidit illud In Domino Iesu propter Iudæorum infirmitatem. Ne enim dicant, Tu quis es qui Mosi cõtraria statuis? Mosis Dominum in mediũ adduxit, dicens eum legalibus obseruationibus finem imposuisse, nec permisisse vt vllus cibus immundus existimaretur. Illud enim *Per ipsum*, hoc est p Euangelicam eius constitutionem. Ipse enim dixit etiam beato Petro. Act. 11. Quæ Deus mundauit, tu nec dic communia.

Nisi ei qui existimet aliquid commune esse, ei commune est.

Si quis autem existimans hunc cibum esse immundum, eo vescitur, est immundus, non propter eius naturam, sed propter eius qui vescitur existimationẽ. Cùm hæc sic decreuisset, rursus fideles ex gentibus reprehendit, qui Iudæorum infirmitatem non ferunt.

Si autem frater propter cibum contristatur, iam non secundum charitatem ambulas.

Charitatis crimen amplificauit, eum qui illa persequitur aperiens. Deinde magis ostendit quanta sit rei absurditas.

Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.

Pro illo Christus mortem subijt: tu autem non vis per abstinẽtiam à cibo illi vitam procurare, sed dum ipsum sumis, illi mortem fabricaris.

Ne blasphemetur ergo bonum nostrum.

Mitis rursus ac benigna reprehensio. Bonum enim fidẽ appellat. Laudo, inquit, fidem tuam, sed nolo eam ipsam damni ac maledicti causam esse.

Non est enim regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sanctõ.

Non enim existimate esse hoc aliquid pulchrum & præclarum factum, & quod regnum cœlorum conciliet. Id enim vera iustitia conciliat, & quæ est secundum pacem & dilectionem concordia ac studium, ex quibus oritur quæ est secundum Deum lætitia.

Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.

Hæc enim Deus vniuersorum à nobis exigit. Hæc etiam hominibus vtilitatem afferũt. Porro autem notandum est, quòd Christo seruire, Deo vniuersorum gratum esse dixit. Si autem seruire Christo, Deo gratum est, Christum quoque honorare, est Deo gratum. Christum ergo blasphemare, & de eius dignitate conari detrahere, Deo vniuersorum displicet.

Itaque quæ pacis sunt sectemur, & quæ sunt ædificationis alius in alium.

Vet. trad. habet post, in alium, custodiamus quod Græcè non habetur.

Oportet nos itaque vtilem concordiam omnibus præponere, & nostrę mutuæ vtilitatis gratia omnia facere.

Noli propter escam destruere opus Dei.

Opus Dei dixit Dominus in ipsum credere. Hoc est enim, inquit, opus Dei vt credatis in eum quem misit ille. Ioan. 6. Quoniam ergo erat verisimile fore vt nõnulli Iudęi non ferentes probra eorum qui ex gentibus crediderant à fide descisceren t, merito dixit, *Nolite propter escam destruere opus Dei.* Ne autem, qui ex Iudæis crediderant, hinc legis obseruationis confirmandæ occasionem acciperent, eius quoque rei curam gerit, & dicit.

Omnia quidem sunt munda.

Nullum, inquit, esculentum est natura immundum.

Sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.

Sed esus tibi damnum affert, quoniam vtilitatis vicini nullam curam geris, & contemnis, eum offendi aspiciens.

Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.

Ego autem non solum carnes, sed ne vinum quidem sumere iubeo, si hoc proximo vllum detrimentum afferat.

Tu fidem habes penes te metipsum habe corã Deo.

Tu fide vtens seruas legem, magna & præclara quædam possessio, & factum laude dignum, sed ne propinquum damno afficiat.

Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.

Innuit quod hic dicitur, eos, qui ex gentibus crediderant, vim afferre Iudæis vt ea sumerent quæ nolebant. Docet ergo quod qui credit quidem, nullum ex esu damnum accipit. Qui autem cum aliqua distinctione comedit, sumit tanquam immundum, & ideo, eum beatum existimat qui seipsum non iudicat, hoc est, non discernit. Et hoc interpretans subiunxit.

Qui autem discernit, si manducauerit, condemnatus est.

Et docet causam.

Quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

Qui enim credit, sine damno vescitur. Qui autem cum aliqua discretione, ac distinctione vescitur, fert aduersus seipsum sententiã. Et docens quòd ea quæ Deo grata sunt decernit, bonam pro ipsis offert orationem.

Ei autem qui potest &c. Hæc omnia desunt in veteri interpretatione & etiam in Græco Eras. vsq; ad caput 18.

Ei autem qui potest vos confirmare.

Et quis est modus confirmandi?

Secundum Euangelium meum.

Quid autem euangelizat?

Et prædicationem Iesu Christi.

Et docẽs antiquitatem prędicationis, subiungit.

Secundum reuelationem mysterij.

Non nunc enim factum est, sed nunc reuelatum est quod celatũ fuerat mysterium. Hoc enim dicit in ijs quæ sequuntur.

Temporibus æternis celati.

Deinde subiungit etiam testes prædicationis.

Nunc autem manifestati per scripturas propheticas secundum ordinationem Dei.

Quæ enim per prophetas adumbratè prędixit, ea nunc manifestauit sæculorum opifex. Et quisnam est fructus prędicationis? Ad obediendum fidei. Oportet enim eos, qui audiunt, ijs quæ dicuntur credere. Et qui sunt ij?

Omnibus gentibus significati.

Ita est intelligendum, Secundum Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi omnibus gentibus significati.

Soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui gloria in sæcula. Amen.

Cùm ostendisset mysterium ab initio quidem ante dispensatum, deinde per prophetas prędictum, postea autem per res ipsas manifestatum, Dei sapientiam admiratus est, & quam par est gloriæ redditionem emisit. Si autem dixerint hæretici quòd solus Deus sapiens nominatur, sciãt, quòd Dominus Christus non solum sapiens, sed etiam sapientia vocatur. Sin autem sẽ hac sapientis appellatione filium priuare existimant, nec ipsum quidem immortalem appellent. Idem enim Apostolus de Deo dicit, Qui solus habet immortalitatem. Sed nos illos nugari sinentes, sequentia persequamur. Cùm itaque diuinus Apostolus hæc pro illis precatus esset, affert exhortationem, eos qui ex gentibus credidérant laude prosequens, & potentes nominans propter fidem.

CAP. XV.

DEBEmus autem nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrum proximo suo studeat in bonum ad ædificationem.

Scio quòd fortis firmusque euaseris, & te fides potentem reddidit. Sed hortor te vt ei qui est infirmus ac imbecillis manum præbeas, & non tua solum quæras, sed etiam proximi vtilitatem procures. Non dixit autem simpliciter, *Proximo placere*, sed in bonum, & ad ædificationem. Placere enim potest ad suum & proximi exitium. Deinde exemplum.

Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Psal. 68.

Ipse enim Dominus non quæsiuit quod suum est, sed seipsum pro nostra salute morti tradidit. Audimus enim prope passionem orantem & dicentem, Pater si possibile est transeat à me calix iste. Verùm non sicut ego volo, sed sicut tu. Matth. 26. Iudæorum quoque maledicta sustinuit, & quę olim in patrem eius congerebant iniquè viuentes, eis aduersus ipsum vsi sunt. Quamobrem etiam propheticum testimonium adiecit.

Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationẽ scripturarum spem habeamus.

Deus nostrę vtilitatis curam gerens, & doctrinam nobis scriptam præbuit, & quę à sanctis narrata sunt in scriptis conseruauit.

Deus autem patientiæ & solatij det vobis idem sapere in alterutrum secundum Iesum Christum.

Rursus per additionem *Secundum Christum Iesum* ostendit, quòd non indefinitè ac absolutè illis concordiam precatur, sed piam consensionem postulat. Vnà autem cum patientiæ & consolationis mentione etiam de charitate orationem coniunxit, vt ea ordinati ea quæ in proximo desiderantur ferant, & per consilium & consolationem ad perfectionem deducantur.

Vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrẽ Domini nostri Iesu Christi.

Deum nostrum appellauit Deum, Domini autem Christi patrem. Omnium enim nostrũ Deus, ipsius est pater.

Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.

Dominus quoque Christus, cùm non iusti essemus, nos amauit, sed peccatores acceptos iustificauit. Oportet itaque nos quoque ferre fratrum infirmitatem, & omnia pro illorum salute procurare. Quia autem, qui ex Iudæis crediderant, Domini quoq; circuncisionem afferebant, dicentes ipsum quoque legalem vitæ institutionem amplexum esse, se operæpretium facturum existimauit diuinus Apostolus, si de eo quæ par est scriberet, & dicit.

Dico enim Christum Iesum fuisse ministrum circuncisionis pro veritate Dei ad confirmandas promis-

ſiones patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.

Pollicitus eſt vniuerſorum Deus Abraham, ſe in ſemine eius benedicturum omnes gentes. Accepit autem etiam ipſe Patriarcha & totum illius genus circuncifionis ſignum. Oportebat ergo & illius ſemen, quod ſecundũ carnem dicitur, gentibuſque benedictionem ſubminiſtrat, habere ſignum cognationis, vt diuinæ promiſsiones veritas apertè oſtendatur, & gentes, quæ gratiam ſuſceperant, eum celebrare, qui illis benignitatem & humanitatem ſuppeditat. Deinde vtitur ſcripturæ teſtimonijs, docens fuiſſe abinitio prædictam gentium ſalutem.

Pſal. 17. *Sicut ſcriptum eſt, Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit. Lætamini gentes cum plebe eius.* 2. Reg. 22. *Et iterum.* Pſal. 110. *Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.* Eſa. 11. *Et rurſus Eſaias ait. Et erit radix Ieſſe: & qui exurget regere gentes, in eo gentes ſperabunt.*

Hęc quidem teſtimonia adduxit, eos qui ex Iudæis crediderant docens ne ſalutem gentium ægrè ferrent, ſed de eis factis prophetijs crederent. Eis autem rurſus precatur, paternam affectionem oſtendens.

Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abundetis in ſpe in virtute Spiritus ſancti.

Dixit etiam in ijs quæ, ſuperius expoſita ſunt, quòd ſpes quæ videtur non eſt ſpes. Et ideo etiam Deum ſpei nominat, vt qui ab initio gentibus benedictionis ſpem dederit, re autem ipſa promiſſum confirmauerit. Hoc autem eſt pignus bonorũ quæ ſperantur. Qui enim illa eſt pollicitus, & præſtitit, illa etiam omnino implebit quæ nunc eſt pollicitus. Iubet autem nos non ſolum ſperare, ſed etiam abundare in ſpe, hoc eſt ſincerè ſperare, & exiſtimare ſe videre ea bona quæ ſperantur. Dicit autem hoc præbere ſpiritus gratiam. Hæc cùm ſuaſiſſet, & ſic precatus eſſet, laudem adducit, ea ratione ad ea quę ſunt meliora adhortans.

Certus ſum autem fratres mei & ego ipſe de vobis, quòd & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.

Scio, inquit, vos non egere doctrina. Habetis enim etiam ſufficientem cognitionem, & pleni eſtis bonis omnis generis, vt etiam alijs conuenientem adhortationem exhibeatis.

Audacius autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tanquam vobis in memoriam redigens propter gratiam, quæ data eſt mihi.

Et modeſtiam oſtendit, ſe auſum fuiſſe docere dicens: & datam gratiam declarauit, ſcribens ſe ei conſequentia docere. Quæ autem tibi gratia data eſt?

Vt ſim miniſter Chriſti in gentibus ſanctificans Euangelium Dei.

Electus ſum doctor gentium hoc miniſterium affero Domino Chriſto. Et quod lucrũ inde oritur?

Vt ſit oblatio gentium accepta ſanctificata in Spiritu ſancto.

Omnem laborem patienter & alacriter fero, vt gentes in fide confirmentur, & ſpiritus gratiam aſſequantur. Et prædicationem quidem ſacrum miniſterium vocauit veram ac ſinceram fidem, acceptam oblationem. Nihil ergo, inquit, feci ſuperuacaneum, ſi audacius ſcripſi, & eos qui peccant redargui.

Habeo igitur gloriationẽ in Chriſto Ieſu ad Deum.

Deinde docet gloriationis ſpeciem.

Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Chriſtus in obedientiam gentium verbo & factis, in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti.

Non me ꝓpter labores meos iacto, ſed propter Domini Chriſti donum glorior. Dedit enim mihi ſancti Spiritus gratiam ad ſigna & miracula efficienda vt per ea caperentur gentes, & Dei cognitionis radium ſuſciperent. Docet etiam quot gentibus prædicauit.

Ita vt ab Hieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum impleuerim Euangelium Chriſti.

Non ſolum enim eas quæ in recta via ſitæ erant gẽtes colui, ſed etiam in orbem circumiens Orientales & Ponticas regiones, & Aſiã præterea & Thraciam doctrina repleui. Hoc enim ſignificat illud *Per circuitum.*

Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: Sed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum de eo videbunt, & qui non audierunt de eo intelligent. Eſa. 52.

Laborem ſuum ac diligentiam ſignificat. Inaratas enim terras accipiens noualia faciebat, & ſeminabat, & vberes ſegetes oſtẽdebat: Et eius quod prius dixit exitum adiecit.

Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos.

Mea enim apud alias gentes occupatio impedimento fuit quominus ad vos accederem.

Nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero.

Duas cauſas ſui ad eos aduẽtus attulit, quòd & alij prædicationem ſuſceperint, & nulla gens ſuperſit quæ Euangelij doctrinam non audierit, & ſuum deſiderium, cùm enim priora impedimenta ceſſauerint, deſiderium ad peregrinandum incitauit. Dicit autem ſuum deſiderium fuiſſe ſuo aduentu multo antiquius. A multis enim, inquit, annis cupiebam vos videre. Prædicit autem ſe non ſolum ipſos viſurum, ſed etiam in Hiſpaniam iturum. Et ne exiſtimarent eum obiter tantum ad eos accedere, ſubiunxit, Et à vobis illuc deducar, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero. Vos enim primos videre cupio, & poſt vos, illos.

Nunc igitur proficiſcor Hieruſalem miniſtrare ſanctis.

Miniſterium vocat pecuniarum diſtributionem: Dicit autem etiam eos qui miſerunt.

Probauerunt

Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctos qui ſunt in Hieruſalem.

Hæc cum beatis Apoſtolis Petro, inquam, & Iacobo, & Ioãne diuini Barnabas & Paulus, & qui in ſe gentium doctrinam ſuſceperãt, pacta conuenta faciẽtes, polliciti ſunt adhortari eos qui credebant ex gentibus, vt adiuuarent eorum inopiam, qui erant fideles in Iudæa. Et hoc apertè docet in epiſtola ad Galatas, Petrus enim, inquit, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur eſſe columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabę ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi autem in circuncifionem, tantum vt pauperum memores eſſemus. Hoc etiam hic dicit, Macedoniæ & Achaiæ mirans promptitudinem propenſamque voluntatem. Hanc autem beneficentiam etiam debitum vocat. Galat. 2.

Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum.

Et vnde nam conflatum eſt hoc æs alienum?

Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.

Illorum, inquit, Patriarchæ patres ſunt. Illis promiſsiones factæ ſunt. Illorũ prophetę bona communia prædixerunt. Ex illis, quantum ad humanam naturam attinet, Chriſtus eſt. Ex illis Apoſtoli orbis terrarũ prædicatores. Per illos diſtributa ſunt dona ſpiritus. Aequum eſt ergo vt qui maiora impertierũt, ſint etiam minorum participes. Et ideo pecuniarum diſtributionem ſuperius quidem ſocietatem, inferius autem miniſterium appellauit, ſocietati quidem redditionem, miniſterio autem tributum quod debetur adtexens.

Hoc igitur cùm conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.

Cùm aſſignauero eis fructum hunc, dicit Macedonibus, & Achaeis. Per manus enim ſanctorum dextræ Dei quæ miſſa ſunt offero. Illa autem ea intacta & ſacroſancta ſeruabit.

Scio autem quòd veniens ad vos in abundantia benedictionis Euangelij Chriſti veniam.

Abundantiam ſeu implementum benedictionis Euangelij, pericula pro Euangelio appellauit, quæ Hieroſolymis ſuſtinuit. Hoc enim declarant quæ ſequuntur.

Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa, & vt obſequij mei oblatio accepta ſit in Hieruſalem ſanctis.

Quibuſnam laudibus hoc terque quaterq; beatum caput quis ornauerit? Primum enim & quæ ventura erant ſciebat, & ea prædicit. Etenim Mileti dixit Epheſiorum ſenioribus, Act. 20. In ciuitate teſtificatur mihi ſpiritus, quòd vincula & tribulationes me manent, & cùm Agabus hæc prædixiſſet, & omnes flerent, & eum Act. 21. retinere conarentur, diuinus vir dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego autem non ſolum alligari, ſed & mori paratus ſum, pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hic quoque prædixit quòd & Romanos videbit & Hiſpanos. Adiecit autem, quòd etiam in abundantia ſeu implemento benedictionis Euangelij Chriſti veniet. Deinde Iudæorum inſaniam perfectè conſiderans, ipſorum quoque preces poſtulauit, non ſolum propter fideles, ſed etiã propter eos qui credunt. Nam neque illi in eum bene affecti erant, eum eſſe legis tranſgreſſorem exiſtimantes. Quamobrem etiam adiecit, *Et vt obſequij mei oblatio accepta ſit in Hieruſalem ſanctis.* Hęc cum innumerabilibus laboribus collegit, diſcipulis omnis generis ſuaſiones adhibens, & eos qui recipiebant ſollicitans, ne odium neceſsitatem vinceret.

Vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer in vobis.

Ne ea quidem quæ ſunt honeſta vult facere ſine diuina voluntate.

Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis, Amen.

Non appellauit hic Deum ſimpliciter, ſed Deum pacis, tãquam ipſe ea indigens propter eos qui apertè bellum gerebant, & qui aliqua in eum ſuſpicione laborabant. Illis quoque eam precans, propter eam, quam inter ſe habebant controuerſiam de legalibus obſeruationibus.

CAP. XVI.

Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtrã, quæ eſt in miniſterio eccleſiæ, quæ eſt Cenchreis, vt eam ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis, & aſſiſtatis ei in quocunque negotio veſtri indiguerit, etenim ipſa quoq; adſtitit multis, & mihi ipſi. Salutate Priſcam & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu.

Cenchrę erat maximus pagus Corinthi. Aequum eſt ergo admirari vim prædicationis. Breui enim tempore non ſolum vrbes, ſed & pagos pietate repleuit, & tanta erat Cenchreis congregatio, vt etiam haberet mulierem miniſtram, eamque inclytam & celebrem. Tantas enim habebat rectè factorum opes, vt ex lingua Apoſtolica laudes eiuſmodi colligeret. Et enim ipſa quoque adſtitit multis, & mihi ipſi. Adſtitiſſe autem, vt puto, dixit, quòd in eum hoſpitalis fuerit, eiuſque curam geſſerit. Multiplicibus autem eam laudibus remuneratur. Ipſa enim, vt eſt veriſimile, eum in vnã domum ſuſceperat, & ad exiguum tempus, id ſcilicet quo Corinthi verſatus eſt. Ipſe autem ei vniuerſarum terrarum orbem aperuit, mulierque in vniuerſa terra ac mari celebris facta eſt, nec eam ſoli Romani & Græci cognouerunt, ſed etiam omnes barbari. Ea autem, cuius poſt ipſam meminit, illam valde ſuperauit. Priſcillam enim, ſeu Priſcam, poſſunt enim vtraque in libris inueniri, & Aquilam adiutores appellat, & adijcit, In Chriſto Ieſu, ne quis eum exiſtimet fortunę ſocietatem ſignificare, erant enim etiam ij tabernaculorum conſtructores. Dicit autem aliud quoque maximum pro ſe ſuſcęptum certamen.

Qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt.

Adijcit autem priuato quoque commune.

Quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & omnes eccleſiæ gentium.

Dicit autem quoq; virtutem laude dignam.

Salutate

Salutate enim & domesticam ecclesiam eorum.

Declarat autem oratio eius insignem pietatem. Omnes enim, vt est verisimile, suos domesticos summam & absolutam virtutem docuerant, & diuina mysteria intus promptè & alacriter peragebant. Eorum diuinus quoque Lucas meminit, & docet, quomodo Apollo ad veritatem deduxerunt.

Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitiæ Achaiæ in Christo.

Primus autem, vt est verisimile, ex toto populo credidit. Quam ob causam & primitiarum appellationem suscepit.

Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis.

Alia rursus mulier, quæ propter suos labores coronatur.

Salutate Andronicum & Iuniam cognatos et concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.

Multa simul encomia, & primum quidem quòd fuerunt socij periculorum Pauli. Concaptiuos enim, vt qui fuerunt passionum cum illo participes, appellauit. Deinde nobiles insignesque esse dicit non in discipulis, sed in magistris & doctoribus. Laudat autem eos & à tempore fidei. Ante me enim, inquit, fuerũt in Christo. Post eos enim vocatus sum ego. Ego verò vndiquaque diuini capitis modestiam admiror.

Salutate Ampliatum dilectum mihi in Domino.

Ne hoc quidem parua est laus. Eum enim dilectum in Domino appellauit. Id autẽ eum serectè & honestè gessisse declarat.

Salutate Vrbanum adiutorem nostrum in Christo, & Stachyn dilectum meum.

Vrbanum maioribus laudibus coronauit. Christi enim prædicationum & certaminum eum adiutorem vocauit.

Salutate Apellem probum in Christo.

Summæ virtutis testimonium. Nihil enim habere adulterinum, est bonorum colophon.

Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo, & Herodianum cognatum meum, & eos qui sunt in domo Narcissi.

Clarum est eas fuisse familias quæ crediderant. De ijs autem qui erant Narcissi dicit.

Qui sunt in Domino.

Vtpote quòd essent vtiq; alij qui hoc non fuerint.

Salutate Tryphenam & Tryphosam, quæ laborãt in Domino.

Rursus corona ex laboribus. Laborem autem vel hospitalitatis, vel ieiunij, vel alicuius alius virtutis declarat oratio.

Salutate Persidem charissimam, quæ multum laborauit in Domino.

Maior eius laus, maior enim fuerat labor & diligentia.

Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius & meam.

Hæc quoque est laus magni facienda. Multi enim vocati, pauci verò electi. Eius quoque matrem multis ex virtute rectè factis decorauit, neque enim aliàs digna esset habita quæ mater Pauli diceretur. Natura enim eam Rufi matrem effecit: Diuini autem Pauli, eius virtutis reuerentia.

Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermen, Patrobam, & qui cum eis sunt fratres.

Hæc erat alia fidelium familia Pauli salutatione digna.

Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt sanctos.

Hi quoque simul degentes, propter eam quam habebant virtutem, Apostolicam salutationem assecuti sunt. Cùm eos sic nominatim esset allocutus, omnibus deinceps præcepit vt se inuicem salutarent.

Salutate, inquit, vos inuicem in osculo sancto.

Quoniã enim ipse absens eos amplecti non poterat, per ipsos facit, iubens vt se inuicem amplectantur & salutent in osculo sancto, honesto, modesto, & sincero, & germano, & ab omni dolo alieno.

Salutant vos omnes ecclesiæ Christi.

Totius, vt semel dicam, terrarum orbis nomine eam ciuitatem salutauit, quæ vniuerso terrarum orbi præsidet.

Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.

Malos legis defensores per hæc significat, quorum iubet doctrinam fugere, laudãs principis Apostolorum prædicationem. Dicere enim, Qui præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, est eius qui valde miratur doctrinam quam acceperunt.

Huiusmodi enim Domino Christo non seruiunt, sed suo ventri.

Et ex hoc manifestum est quòd ea dicit de Iudæis, eorum enim semper ingluuiem accusat. Et alibi etiam dicit, Quorum Deus venter est.

Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

Benedictionem laudem vocauit. Innuit autem etiam aliquos fuisse ab eis seductos. Seducunt enim, inquit, corda simplicium. Non tamen malitiam, sed simplicitatem accusauit. Deinde eos laudibus rursus excitat.

Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est.

Quòd doctrinam Apostolicam prompto & alacri animo suscepistis.

Gaudeo igitur, inquit, in vobis.

Pergit & laudare, & docere.

Sed volo sapientes esse in bono, et simplices in malo.

Hanc quoque legem Dominus Apostolis præbuit, dicens. Estote prudentes sicut serpentes, simplices sicut columbæ. Vult autem dictum quoque dominicum, nos insidias quidem quæ ab inimicis parantur repellere, eos autem qui iniuriam faciunt minimè vlcisci.

Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.

Quoniam præcepit vt ab inimicis caueremus, opportunè Deũ rogauit vt insidiatorum magistrum contereret, & eorum qui crediderunt pedibus submitteret.

Gratia

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.

Postquam ostendit hostem, indicauit auxiliatorem. Qui enim Dei gratiam consecuti sunt, sunt inexpugnabiles.

Salutant vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei.

Ille quidem habet insignem operis societatem, hi verò cognationem. Coadiutor autem est cognato multo honoratior. Hic autem est Timotheus, quẽ Lystris circuncidit: ad quem duas scripsit epistolas. Porro autem Iasonis quoque meminit Actuum historia.

Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam in Domino.

Erat is quoque vnus eorum qui Apostolica doctrina digni habiti fuerant. Quamobrem sanctæ animæ fœtus per linguam suscipiens, eos chartæ mandare iussus est.

Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersæ ecclesiæ.

Hoc quoque est maximum laudis testimonium, domum fidei alumnis aperire, & cum alijs omnibus ipsum quoque orbis terrarum doctorem fouere & obseruare. Hospitem enim eum qui hospitio excipit appellat. Is autem erat Corinthius, & hoc nos docuit diuinus Apostolus in epistola ad Corinthios. Gratias, inquit, ago Deo meo quòd nullũ vestrum baptizaui nisi Crispum & Caium. 1. Cor. 1.

Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus frater.

Non appellat eum Ecclesiæ Oeconomum, sed ciuitatis, vt cui curatio omnino credita fuerat. Meminit autem eius etiam in epistola ad Timotheum. Sic autem dicit. Erastus mansit Corinthi. Reliqui autem Trophimum Mileti ægrotantem. 2. Tim. 4.

Gratia Domini nostri cum omnibus vobis. Amen.

Spiritalem eis rursus benedictionem impertijt, vt Dei gratia, tanquam adamantino aliquo muro, circumdedit. Hoc & epistolæ procemium constituit, & finem imposuit. Huius simus nos quoque participes, vt insidijs superiores euadamus: vt ab ea illuminati recta via absque vllo errore incedamus, & Apostolica sequẽtes vestigia digni habeamur qui doctorem videamus, & per illius intercessionem Dominicam beneuolentiam & promissa bona consequamur. Gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri simul cum sancto Spiritu conuenit gloria & magnificentia nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Sciendum est autem quòd Epistola ad Romanos scripta est Corinthi.

ARGVMENTVM PRIMAE EPISTOLAE AD CORINTHIOS.

SALVTAREM prædicationem diuinus Paulus primus Corinthijs attulit, & plurimo tempore apud eos versatus est, cùm Dominus hoc ei apertè præcepisset, loquere, inquiens, & ne tacueris, est enim mihi multus populus in hac ciuitate. Cùm ergo annus & sex menses præterijssent, ipse quidem prædicationis gratia in alias ciuitates profectus est. Illi autem fallacem sapientiæ imitatricem, dicendi scilicet contentionem & laudem, tanquã rem præclaram, studiose secuti sunt. Cùm viros enim eloquentia præditos sibi magistros adsciuissent, in multas partes diuisi sunt. Singuli enim suum perpetuò admirabantur, & de eis inter se inuicem contendebant. Vnus autem ex eis qui se propter suam dicendi facultatem iactabat, vel maximũ scelus admittere ausus est. Cum nouerca enim concubuit. Qui autem eius partes sequebantur, hoc quidem pro nihilo ducebant, solam autem eloquentiam laudibus prosequebantur. Quapropter diuinus Paulus in principio epistolæ, eam quæ existimatur sapientiam reprehendit, & ostendit prædicationem ea quidem esse nudatam, sed maximam habere potestatem. Iam verò eos etiam reprehendit qui de alijs quidem rebus inter se contendebant, de ijs autem quæ ad victum pertinebant Magistratibus vtebantur iudicibus. Prohibet etiam ne eorum quæ idolis immolata fuerant essent participes, innuens hoc etiam ausos esse nonnullos. Interim autem & de virginitate & de viduitate quæ sunt vtilia cõsulit. Quinetiam de spiritalibus donis fuse & prolixè disserit, docens eorum differentiam, & præcipiens vt dono linguarum, non ad laudem captandam, sed ad vtilitatem Act. 18.

tilitatem

tilitatem vterentur. Porro autem eis etiam adducit doctrinam de resurrectione, cùm aliqui, vt est verisimile, eis persuadere conarẽtur, ne quod de resurrectione corporum dicebatur admitterent. Aliqua etiam alia, ne de singulis dicendo sim prolixior, scriptis suis inseruit, quæ & illis erant conducibilia, & omnibus hominibus vtilitatem procurant. De Christiano autem dogmate seu decreto ideo parcius locutus est, quòd cùm non paruo tempore apud eos versatus esset, quid sentire oporteret eos accuratè & perfectè docuerat, & admirabilis post eum veniens Apollo Apostolicam doctrinã confirmauerat. Optimum ergo medicũ imitatus est, & affectionibus morbisq; conuenientia medicamenta præbuit. Ferendis autẽ literis ministerium exhibuerunt Stephanas, & Fortunatus, & Achaicus, ad ipsum missi à Corinthijs, vt ipse docet in fine. Beatum enim Timotheum ad ipsos quidem misit, sed non cum epistola, & hoc ipse ostendit. Ait enim. Si venerit Timotheus, videte vt sine metu sit apud vos.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO PRIMAE EPISTOLAE AD CORINTHIOS.

PAVLVS vocatus Apostolus Iesu Christi.

Vel ipsum proœmium, quodnam sit reprehensionis institutum ac scopus, indicat. Docet enim eos ne sibijpsis confidant, sed propter Deum, qui ipsos seruauit, magna ac præclara cogitent, & se in eo iactitent. Propterea & Apostolatus & vocationis meminit, propemodum dicens. Vos quidem vosipsos nominatis ex hominibus: Ego verò meipsum ex eo qui me vocauit, & misit, Iesu Christo.

Per voluntatem Dei.

Hoc etiam eorum dissensionem similiter accusat. Patris enim ac filij consensionem ostendit. Simul etiam nos docet, quòd propositionibus citra vllum discrimen vtitur. Hic enim præpositionem Per quem, quã, qui cum Arrio & Eunomio sentiunt, filio attribuunt, in patre posuit. Hoc autem non fecisset, si prepositionem Per quem, minus significare existimasset quàm significet præpositio Ex quo.

Et Sosthenes frater.

Existimo hunc esse Corinthium. Eius autem Actuum quoque historia meminit, & nos docet beatus Lucas, quòd arripuerunt eum Græci, sub Gallione, & malè multarunt. Act.18.

Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi in omni loco, ipsorum & nostro.

Omnia quæ dicta sunt, sunt morbi remedia. Quæ enim malè facta est, diuisionem coniungũt, & primum quidem ipsos vocat vnam ecclesiam, & Dei ecclesiam, & adijcit, *In Christo Iesu*, non in hoc vel in illo. Vocat autem ipsos & vocatos & sanctos, & ijs coniungit qui in orbe terrarum crediderunt, docens quòd non oportet ipsos solùm concordes esse & consentire, sed omnes etiam qui salutari prædicationi crediderunt, vnum sentire, vt qui in vno Domini Christi corpore consistunt. Illud autem, Sui & Nostri, cum Domino coniunctum est, pro eo quod est. Et nos qui scribimus, & vos qui acceptis literis frui mini, vnum Dominum habemus Christum.

Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.

Opportunè eis gratiam amplificauit, & pacem, vt qui diuisi essent, & seditiones inter se agitarent. Eam autem ostendit non solùm à patre suppeditari, sed etiam à filio, patris & filij æqualitatem indicans.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Iesu.

Accusaturus, aures prius medicatur, vt medicina lubenter ab eis suscipiatur, veritatem verò etiam continens quæ dicta sunt propter data enim eis dona egit gratias. Hæc ipsa autem dicit etiam apertius.

Quod in omni diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.

Hæ sunt species donorum spiritus. Alij enim, inquit, per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo cognitionis, secundum eundem spiritum. Perpetuò autem Christi, & Iesu, & Domini nomen inserit, docens quòd non ex alio nominari oportet, quàm ex eo qui salutem præbuit. Testimonium autem appellat Christi prædicationem. Qui enim prædicant, quodammodo testantur. Ita etiam ad Timotheum scribens dicebat. Testor ego coram Deo qui mortuos viuificat. Ita etiã dixit Dominus in sacris Euangelijs. Prædicabitur Euangelium 1.Tim.5. Matth.24.

angelium hoc regni in omnibus gentibus in testimonium ipsis. Euangelij autem confirmationem admirabilia signorum effecta appellat. Per illa enim ostendebatur prædicationis veritas.

Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.

Nam & propheticam gratiam adepti erant & diuersis linguis loquebantur, vt in ijs quæ sequuntur docet apertius.

Expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi.

Hæc autem assecuti estis, vt secundum Seruatoris aduentum expectetis.

Qui enim confirmabit vos vsque in finem sine crimine in die Domini nostri Iesu Christi.

Firmitatem & à crimine alienationem eis precatus est. Quòd autem dixit, *Sine crimine*, ostẽdit eos tunc fuisse criminibus obnoxios.

Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri.

Hoc autem faciet, qui in filios adoptionis donum vobis largitus est. Societatem enim filij vocauit adoptionem in filios. Illud autem *Fidelis*, est pro eo quod est, verus, & à mẽdacio alienus. Quin etiam hic hoc Per quem, in patre posuit, impudentia hæreticorum ora obstruens, & docens quòd nõ paruitatem significat. Postquam bonis ac benignis verbis aures eorum præparauit, docilesq; reddidit, accusationem incipit, non eam nudam introducens, sed admonitionem prius afferens.

Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.

Adhortationi nomen Domini rectè cõiunxit. Id enim erat quod ab eis pro nihilo habitum abolebatur. Cùm enim oporteret eos ab ipsa appellari, ab ijs qui illis præerant denominationes assumebant.

Sitis autem perfecti in eodem sensu & eadem sententia.

Non eos reprehendit quòd diuersa sentirent, sed quòd de ijs qui illis præerant litigarent & contenderent. Prædicationis quidem, inquit, vnus est sensus. Hæc enim dicit illud, *In eodem sensu*: sed non est vna vtique affectio. Id enim significat illud, *Et in eadem sententia.* Hortatur ergo vt eadem cogitantes & sentientes non dissideant, & de ijs qui præsunt non temere contendant.

Significatum est enim mihi fratres ab ijs qui sunt Chloes quòd sunt inter vos lites.

Docet autem etiam genus contentionis.

Hoc autem dico quòd vnusquisque vestrum dicit: Ego sum Pauli, Ego verò Apollo. Ego autem Cephæ, ego verò Christi.

Illi quidem seipsos ab alijs magistris denominabant. Ipse verò suum & Apollo nomẽ posuit, adiecit autem etiam nomen principis Apostolorum, docens quòd neutrorum nominibus ad hoc vti æquum est, & hoc in ijs quæ sequuntur apertius intelligemus. Admodum scitè autem & prudenter Christi nomen cum alijs connumerauit, ostendens absurdũ quod ex eo sequitur, quòd scilicet Dominum & seruum in eodem ordine & loco habent.

Diuisus est Christus?

Hoc nonnulli legerunt enuntiatiuè, dicentes Christum hic nominatam esse ecclesiam, & sic sunt interpretati, Christi corpus malè estis interpretati. ego verò puto hæc esse posita per interrogationem. Hoc enim docẽt ea quæ subiunguntur.

Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? vel in nomine Pauli baptizati estis?

Quod autem dicit, tale est. Nũquid Domini & potestatis habet Christus socios ac collegas, nec in suo nomine mortẽ sustinuit, & propterea diuisus est, & alij quidem ex vobis ab ipso, alij verò ab hoc & illo denominamini? Non solus pro vobis mortem subijt, non in nomine eius baptismi gratiam accepistis? an hominum inuocatio vobis peccatorum remissionem largita est?

Gratias ago Deo meo quòd neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum & Caium, ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati estis. Baptizaui autem domum Stephanæ, cæterùm nesciò si quem alium vestrum baptizauerim.

Auget quidem accusationẽ per vnumquodque eorum quæ dicuntur: sed eos quos accusat non ferit nimis acriter, dum propriam personam pro illis adducit. Tacitè autem innuit, quòd non solum à magistris, sed etiam ab ijs qui eos baptizarant, quidam seipsos appellabant. Dicit etiam causam cur multos non baptizauerit.

Non enim misit me Christus ad baptizare, sed euangelizare.

Atqui vtrunque præcepit. Ite, inquit, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Sed prædicare est præstantius & excellentius quàm baptizare. Baptizare enim facile est omnibus qui Sacerdotij honore digni sunt habiti. Prædicare autem erat paucorum, qui hoc donum à Deo diuinitus acceperant. Ab hoc deinceps loco eorum qui se de eloquentia iactabãt deprimit supercilium, & dicit. Matth.28.

Non in sapiẽtia verbi, vt nõ euacuetur crux Christi.

Si enim eloquentia & dicendi facultate vsi essemus, non ostensa esset potentia eius qui crucifixus est, omnes enim existimassent eos qui crediderant facundia & dicendi arte captos fuisse: eorum autem qui prædicant imperitia, eos vincens qui se de eloquentia iactitant & magnificè circunspiciunt, virtutẽ crucis apertè indicat.

Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, ijs autem qui saluifiunt, id est nobis Dei virtus est. Scriptum est enim. Perdam sapientiam sapientum, et prudentum prudentiam reprobabo. Esa.32.

Sermonem crucis dicit, prædicationem de cruce. Qui pereũt autem eos appellat qui non credunt. Qui seruantur autem, eos qui credunt, à fine appellationes imponens. Scripturæ autem ponit testimonium, docens quòd vniuersorum Deus è superis hæc appellauit. Deinde ostendit quàm vera & à mendacio alienа sit prædictio.

Vbi sapiens, vbi scriba, vbi inquisitor huius sæculi?

Hos omnes vicit crucis prædicatio. *Sapiens* autem vocat, id quod Græca facundia ornatum est. *Scribam* autem, Iudęorum magistrum, qui de legis cognitione gloriabatur. *Cõquisitorem* eum, qui ex his & illis disserẽdi artem excreuerat. Deinde subiungit.

Nõne stultam fecit Deus sapientiam huius mũdi?

Sapientiã mundi huius non vocat eloquentiam. Illam enim Deus quoq; suppeditat. Nam ipse & linguas diuisit, & vnicuique proprios characteres tribuit. Itaque linguę quoq; Grecę elegantiam & splendorem donauit. Sed qui ea non vt oportet vsi sunt, eam fraudis escam effecerunt, & probabiles erroris fabulas constituerunt. Accusat ergo non eloquẽtiam, sed falsum quod in ea celatur. Eam conuictam, & stultam effectam esse dicit.

Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.

Dicit duas vel potius tres Dei sapiẽtias. Etenim eam quæ stultitia existimatur, sapientiam esse ostendit, & aliarum præstantissimam. Dicit autem vnam quidem sapientiam, quæ hominibus data est, per quam & ratione præditi sumus, & ea quę sunt agẽda discernimus, & artes scientiasque inuenimus, & Deum cognoscere possumus. Secundam autem, quæ in rerum creatarum contemplatione versatur. Videmus enim cœli magnitudinem, Solis pulchritudinem, astrorum choream, terræ & maris latitudinem, plantarum & animalium differentiam, & cætera, ne singula afferam. Tertiam autem, eam quę per Seruatorem nostrum ostenditur, quam qui non credunt, appellant stultitiam. Hoc autem dicit, quòd oportebat quidem homines, naturali accepta à Deo cognitione, per creaturas, tanquam per pedum vestigia, deduci, & earum opificem adorare: sed quoniam nullã ex his vtilitatem accipere voluerunt, benignus ac clemens Deus, eis alia ratione salutẽ procurauit, & per eam quę à stultis stultitia vocatur, eos ab errore liberauit.

Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci gratiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.

Iudæi à Domino petebant miracula, nos autem hoc docent Euangelistæ. Quinetiam Apostolis, vt est verisimile, hoc enim diuinus dixit Apostolus, signa ostendere iubebant. Græci autem imperitiam ridebant, quemadmodum videlicet etiam Athenis dicebant, Quid vult seminiuerbius hic? Sed nos inquit, illorũ stultitiam despicientes, Dominicam passionem prædicamus, quanuis hos & illos, apertè sciamus manifestè contradicere. Et quænam est vtilitas prædicationis? Act. 17.

Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.

Idem est & sapientia & stultitia, potentia & imbecillitas, stultitia quidem & imbecillitas ijs qui non credunt. Sapientia autem & potentia ijs qui credunt. Etenim Sol quidem lux est ijs qui vident, tenebræ verò ijs qui cęcutiunt, ipse tamen non affert tenebras, sed morbus radij splendorem non admittit, ita etiã lema infidelitatis prohibet quominus anima posita à lumine Dei cognitionis illustrari. Sciendũ est autem quòd sapientiam & potentiam, non vnigeniti diuinitatem appellauit diuinus Apostolus, sed de cruce prædicationem, & refellit Arrianos & Eunomianos, qui malè ex hoc loco conantur ostendere Sapientiam Deũ verbum nominari. Ex hoc enim loco construunt blasphemiam, quam ex Prouerbiorum dicto sumunt.

Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Stultum & infirmum vocat crucis mysterium ex stultorum sententia. Ostendit autẽ hoc & sapientes & fortes superasse.

Videte enim vocationẽ vestram fratres, quòd non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.

Non dixit, nullus sapiens, nullus potens, nullus nobilis. Nam ex ijs etiam erant qui crediderant, sed nõ multi, erant enim plures ex paucioribus.

Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt quæ sunt destrueret.

Stulta & imbecilla & ignobilia vocauit ex hominũ opinione. Vera enim est stultitia, non dicendi imperitia, sed fide carere, & imbecillitas atque ignobilitas, nõ paupertas, sed impietas, & morum improbitas. Vniuersorũ autem Deus doctos per indoctos, & per pauperes diuites vicit, & per piscatores orbem terrarum piscatus est.

Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.

Si enim statim ab initio, eos, qui se de diuitijs iactabant, & propter eloquentiam gloriabantur, electos, effecisset prædicatores, non solum ij qui contradicebant, sed ij etiã qui prædicabant, damno affecti essent, vt qui se suis viribus errorem superasse crederent.

Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hier. 23. Huer. 9.

Illud, *Ex ipso*, non dixit ex ratione creationis, sed ex ratione datæ salutis. Quicunque enim, inquit, eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credũt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Quia enim dixit, quòd quę sunt stulta mundi, & imbecilla, & ignobilia Deus elegit, necessario subiunxit, Ex ipso autem vos estis, datam docens nobilitatem. Generationis autem modum etiam ostendit, dicens, In Christo Iesu. Non enim in hoc vel in illo denominati estis, sed regeneratione in Christo digni estis habiti. Ipse vobis veram dedit sapientiam, ipse vobis dedit remissionem peccatorum, & iustitia dignatus est, & sanctos effecit Ioan. 2.

fecit à Diaboli tyrannide liberatos. Conuenit ergo vos gloriari non propter homines, sed propter Deum qui seruauit.

CAP. I. I.

Theod. legit Euangelium non autem testimonium.

Ego cùm venissem ad vos fratres, veni nõ in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Dei.

Sermonem appellat eloquentiam: Sapientiam verò, dicendi artem. Neutro eorũ, inquit, vsus sum, cùm ad vos venissem.

Non enim iudicaui me aliquid scire inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

Præclarè posuit illud, Iudicaui, docẽs quòd potuisset de Theologia seu diuinitate apud eos verba facere, eis tamen solã incarnati Christi dispensationis doctrinam attulit, vt qui se de Dominica passione iactaret, & in ea gloriaretur.

Et ego in timore, & tremore multo fui apud vos.

Fui apud vos perpetuo iniurijs, tormentisque affectus, & in carcere inclusus.

Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.

Prædicationi enim testimoniũ ferebat spiritus mirabilis effectus. Passionum autem imbecillitati potentiam spiritus conuenienter coniunxit.

Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

Ea enim de causa non permisit Deus nos vti eloquẽtia, vt vestra fides esset ab omni suspicione remota, vt quę non dicẽdi vehementia inducta, sed spiritus virtute ad ducta sit.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi qui destruuntur.

Quoniam prædicationem prius stultitiam appellauit, ea vtens appellatione, quam afferebant infideles, necessario ostendit eam esse & dici sapientiam ab ijs qui sinceram & perfectam fidem susceperunt. Principes autem huius mundi appellat Sophistas, Poetas, Philosophos, & Oratores, vt qui ex eloquentia in hac vita sint clari & illustres.

Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.

Non hoc dicit quòd in mysterio loquimur, sed sapientiam, quæ est in mysterio absconsa, hominibus afferimus, quam non Deus nũc ex aliqua pœnitentia dispensauit, sed ab alto & à principio præfinijt, quæ ex ea acquiritur nobis gloriam procurans. Non solum enim salutem sed etiam gloriam suppeditat ijs qui credunt.

Quam nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent.

Principes huius sæculi appellauit, Pilatum, Herodem, Annam, Caiapham, & alios Iudæorum principes. Eos autem dicit ignorasse diuinum mysterium, & propterea Dominũ crucifixisse. Qua de causa etiam Dominus crucifixus dicebat. Pater ignosce eis, nesciunt enim quid faciunt. Si enim cognouissent quòd salutaris passio ipsos quidem per vniuersum terrarum orbem dispersura, gentibus verò salutem esset impertitura, passione eum afficere nunquam ausi fuissent, & propterea Dominus eos dignos censuit quibus daretur venia. Sed cùm postquã à mortuis surrexit, & in cœlos ascendit, & venit sanctissimus Spiritus, & Apostoli fecerunt miracula omnis generis, in infidelitate permansissent, eos obsidioni tradidit. Dominum autem gloriæ crucifixum appellauit, nequaquam diuinitati passionem tribuens, sed insigne eorum qui peccarunt scelus ostendens. Luc. 23.

Sed sicut scriptum est. Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum. Esa. 64.

Quoniam Iudæorum ignorationis meminit, & Oeconomiæ mysterium reuelatum esse dixit, necessario adiecit, quòd neque vllus audiuit, neque vnquam vidit, neque mens insatiabilis cogitauit, ea vniuersorũ Deus ijs præparauit qui eum ardenter diligunt. Porro autem de testimonio minimè dubitandum est. Sufficit enim beata lingua quæ dixit, Sicut scriptum est. Docet autem nos etiam liber Paralipomenon, hoc est derelictorum, multas etiam alias scriptas fuisse prophetias.

Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.

Sufficit hoc etiam ad ostendẽdum testimonium veritatis. Qui enim accepit diuini Spiritus reuelationem, ab eo quoque accepit illius cognitionem.

Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei.

Illud *Scrutatur* nõ pro ignoratione, sed pro perfecta cognitione posuit. Hoc enim etiam de Deo paulò pòst dixit, Qui autem scrutatur corda. Sin autẽ illud est ignorationis, hoc etiam similiter: sin autem illud cognitionis; & hoc itidem. Cognitio quidem ostendit ęqualitatem: inæqualitatem verò ignoratio. Inuenietur enim Deus quidem ignorare corda hominum: Spiritus autem Dei profunda. Rursus si scrutari ignorationem significat, scrutatur autem omnia, omnia, vt est verisimile, nõ ignorat. Sed hæc pluribus alibi ostendimus. Interpretationem ergo persequamur.

Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei.

Ostendit scrutationem minimè esse ignorationis. Subiunxit enim quòd ita nouit ea quæ Dei sunt, sicut nos nostras scimus cogitationes.

Nos autem non spiritũ huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Vt sciamus quæ nobis à Deo donata sunt. Theode. non habet, Huius.

Ostendit sanctum Spiritum non esse rerum creatarum partem, sed suã habere à Deo substantiam. Hoc enim dicit, Nos autem non spiritum mundi accepimus, pro eo quod est, Creatum spiritum non accepimus, nec per Angelum rerum diuinarum reuelationem accepimus.

mus. Sed ipse qui à patre procedit Spiritus, nos docuit quæ erant occulta mysteria.

Quæ etiam loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.

Propterea non egemus humana sapientia. Sufficit enim nobis doctrina spiritus.

Spiritualibus spiritualia conferentes.

Habemus enim & veteris testamenti testimonium, & nouum per illud confirmamus. Nam illud est etiam spiritale. Nostrorũ enim sacramentorum volentes figuras ostendere, agnum in medium adducimus, & sanguinem illitum postibus, & maris transitum, & petræ fluenta, & mannæ suppeditationem, & innumerabilia eiusmodi, & per figuras veritatem ostendimus.

Dei Græcè nõ habetur.

Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & nõ potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.

Animalem hominem appellat, qui est contentus proprijs cogitationibus, & spiritus doctrinam non admittit, sed neque potest intelligere.

Spiritalis autem iudicat omnia, & ipse à nemine dijudicatur.

Qui enim gratia spiritus dignus est habitus, ipse quidem ad alios docendos sufficit, aliorum verò doctrina non indiget.

Esa. 40. Sap. 9. Rom. 11.

Sicut scriptum est. Quis enim nouit sensum Domini, aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus.

Satis ostendit diuinam doctrinam nullius egere. Si enim nõ solum nullius rei indiget vniuersorum Deus, sed etiam quam nemo assequi potest habet sapientiã, ea autem nos quoque impertijt: nec nos quidem eorum qui sapientes vocantur doctrina egemus.

CAP. III.

Et ego fratres non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.

Carnales autem appellauit, vt qui ijs quæ ad hanc vitam pertinent curis angerentur, & ad ea quæ præclara videbantur hiarent, & aspirarent, & ad diuitias, & eloquẽtiam suorum magistrorum attenderent. Et quoniam quod dictũ est ad eos feriendos satis erat, per quandam similitudinem facto vulneri medetur.

Tanquam paruulis in Christo.

Pro eo quod est, Propterea quòd recenter nati & adhuc imperfecti essetis. Deinde perstat in metaphora, & dicit.

Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.

Doctrinam, inquit, vestrarum aurium imbecillitate mensus sum, & patrem imitatus sum, qui recenter natis infantibus præbet conueniens nutrimentum.

Sed ne nũc quidẽ potestis: adhuc enim carnales estis.

Deinde apertius affert accusationem.

Cum enim sit inter vos zelus, & contentio, nõnne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?

Vnum quodque eorum, inquit, ostendit vos nihil spiritale animo agitare, sed rebus terrenis esse affixos & deditos.

Cùm enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego Apollo, nõne homines estis?

Ponit rursus suum nomen, & nomini Apollo coniungit, ostendens quàm sit absurdum quod faciunt. Si enim, inquit, in me, qui Apostolica gratia dignus sum habitus, & vester fui plantator, & in Apollo, qui virtutem & fortitudinem vobis præbuit, hoc fieri est absurdissimum; multo magis si hoc fiat in alijs, est impium & nefarium.

Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri enim cui credidistis.

Alius est Dominus, nos illius serui, & vestræ salutis ministri.

Et vnicuique sicut Dominus dedit.

Est enim in nobis differentia, etsi enim inuicem ministramus, mensura tamen quadã gratiam accepimus.

Ego plantaui.

Primus enim vobis prædicaui.

Apollo rigauit.

Post me enim docendi munus obtinuit.

Sed Deus incrementum dedit.

Est enim eius gratiæ quod rectè succedit.

Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.

Nisi enim Deus adiuuet & cooperetur, noster labor est inanis.

Qui plantat autem, & qui rigat, vnum sunt.

Quatenus alteri subseruiunt, ambo enim seruiunt diuinæ altitudini: sed nõ quod ad opus attinet, vel animi promptitudinem. In his enim magna est differentia eorum qui ministrant. Hoc enim ipse quoque dicit.

Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

Non simpliciter & absolutè secundũ opus, sed secundum laborem operis. Hic enim sæpe offert ducentos seruatori cum magna facilitate. Ille autem, cùm plurimum laboris susceperit, vnũ vel duos ab errore liberat. Hoc autem & in ieiunio, & in temperantia videre licet. Hic enim à natura adiutus, absque vllo labore exercet continentiam: ille verò, vt cum quo natura belligeretur, cũ multis laboribus id quod desiderat assequitur. & hic quidẽ qui est calidioris temperaturæ, cum maxima molestia expectat vesperam: ille autem etiam duorum & trium dierum inedam absque vllo magno labore patitur. Quamobrem iustus iudex non opus, sed laborem respicit.

Dei enim sumus adiutores.

Qui cum Arrio & Eunomio sentiunt, ne filio quidem hanc appellationem tribuunt, sed ipsum ὑπουργόν hoc est subseruientẽ seu subteroperantem nominant. Diuinus autem Apostolus etiam veritatis prædicatores Dei coadiutores & cooperatores appellat. Verũ enimuero magna est differentia. Ille enim cooperatur tanquam filius: Hi verò tanquam serui amantissimi, implent Dei voluntatem.

Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

Estis in Græco est semel tantum.

Non huius aut illius, sed Dei vniuersorum.

Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui.

Cùm

Cùm diuinam prius gratiam ostendisset, ita seipsum sapientem architectum appellauit. Ego primus, inquit, in vobis iecci fundamenta pietatis.

Alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamẽtum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positũ est quod est Christus Iesus.

Oportet superædificare, non fundamenta destruere. Neque enim aliud potest iacere fundamentum, qui vult sapienter ædificare. Hoc fundamentum iecit beatus Petrus, vel potius ipse Dominus. Cùm enim dixisset Petrus, Tu es Christus filius Dei viui, dixit Dominus, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Ne vos ergo denominate ab hominibus. Christus enim est fundamentum.

Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentũ, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit.

Nonnulli existimant hæc ab Apostolo dicta esse de dogmatibus, ego autem existimo eum hæc dicere de actiua virtute & vitio, & parare accusationem in eum qui fornicatus est. Porro aũt aurum & argentum & lapides pretiosos appellat species virtutis, ligna autem & fœnum & stipulam, ea quæ sunt virtuti cõtraria, quibus paratus est ignis gehennæ. Hæc autem nõ à Doctorum vitio, sed à discipulorum instituto dependent. Illi enim diuinas quidem doctrinas exhibent, ex ijs autem qui audiunt, hi quidem seipsos aurum, illi verò argentum, alij verò lapides pretiosos seipsos reddũt, studiose ea quæ dicuntur attendentes. Alij autem rursus in socordia & ignauia vitam agentes, lignorũ & fœni & stipulæ quod facile exuri potest, imitantur, vitium eligentes. Materiæ autem differentiam non vita præsens, sed futura coarguet. Hoc enim dixit illud.

Græcum non habet, Domini.

Dies Domini reuelabit.

Pro eo quod est, Dies iudicij.

Quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus mãserit quod superædificauit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem saluabitur, sic tamen quasi per ignem.

Doctores quidem diuina docent. Qui autẽ audiunt, pro suę sententię arbitrio id quod agendum est eligunt. Sed in die aduentus Domini, erit acris & vehemens examinatio, & eos quidem qui rectè vixerunt, tanquam aurum & argentum, reddet ignis splendidiores, eos autem qui iniquitatem fecerint, instar ligni & fœni & stipulæ comburet. Doctor autẽ, qui quæ oportet docuerit, nõ luet pœnas, sed salute dignus habebitur. Hoc enim dicit, Ipse autem saluus erit, nempe Doctor. Opus autem comburetur, pro eo quod est, Ii qui seipsos malum opus effecerunt. Si ita autem legamus, perfectè inueniemus eorum quę scribuntur sententiam. *Si cuius* opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem saluus erit, sic tamẽ quasi per ignem. Pro eo quod est, Eius opus ab igne comburetur. Ipse autem saluus erit, nempe Doctor. Neq; enim ipse eis causa vt ad id quod est deterius se conuerterent, eis enim quam oportuit doctrinam præbuit. Si quis autem non vult illud, tanquam per ignem operi attribuere, sed Doctori, ita intelligat, quòd ipse quidem pro eis non luet pœnas. Seruabitur autem ipse quoque per ignem examinatus, si habet vitã doctrinæ conuenientem. Quòd autem non de dogmatibus, sed de operibus hæc dicta sunt, ea etiam testantur quæ inducuntur. Dicit enim.

Nescitis quod templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit: disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

Si enim templo quod ex lignis extructum est honorem quem par est tribuimus, multo est vtique iustius Deo consecrare templa ratione prædita. Notandum est autem quòd templa Dei appellauit eos qui inhabitantem spiritus habent gratiam. Testatur enim scriptura, quòd sanctissimus Spiritus Deus est.

Nemo se seducat.

Videlicet de eloquentia aut generis nobilitate se iactans. Hoc enim subiungit.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.

Sapientiam huius mũdi appellat, quæ à Spiritus gratia deserta est, quæ solis humanis rationibus & cogitationibus vtitur. Ei ne fidamus præcipit, sed in ea quæ vocatur prædicationis stultitia nos iactemus & gloriemur. Eiusmodi autem sapientiæ accusationi coniungit etiam scripturæ testimonia.

Scriptum est enim, Comprehendam sapientes in astutia ipsorum. Et iterum, Dominus nouit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt. Psal. 93.

Postquam inanem Doctorum gloriationem ita refellit, ad eos qui eo nomine sibi placebãt conuertit sermonem.

Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt.

Quænam ea sunt?

Siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia enim vestra sunt, vos autẽ Christi, Christus verò Dei.

Ostẽdit veras diuitias, & quisnam sit is qui eas suppeditat, & ea quæ nihil sunt contemnere docuit. Etenim nos, inquit, Apostoli propter vos Apostolicam gratiam accepimus, vt verbum vobis prędicaremus. Vobis data est vita præsens, & quæ expectatur. Quinetiam mors ipsa vestræ vtilitatis gratia in naturam inuecta est, & quæcunque videntur, omnia ad vestrum vsum fabricata sunt, & quæ expectantur, vestra causa parata sunt. Oportet ergo vos Domino Christo coniungi, qui est horum bonorum suppeditator, & per ipsum, Deo vniuersorum. Nobis enim vnitus est per naturam, quam à nobis accepit: Patri autẽ, per diuinam substantiam. Ex ipso enim est natura genitus. Christus enim est Dei, nõ vt Dei creatura, sed vt filius Dei. Sin autem contradicunt qui cum Arrio sentiunt, & nolunt cõcedere habitudinis, & relationis differentiam, vocent & quæ

ſunt præſentia, & quæ futura, & Apoſtolos & vitam, & mortem, noſtra effecta & opera, quoniam diuinus Apoſtolus dicit hæc omnia noſtra eſſe. Sed id non dixerint. Sunt ergo hæc noſtra per diuinam munificentiam. Nos autem ſumus Chriſti, vt hominis quidem, mẽbra, vt Dei verò, effecta & opera. Chriſtus autẽ Dei, vt proprius eius filius ex eo natus ſecundum diuinitatem.

CAP. IIII.

Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

Qui vult nos honorare, honoret vt Chriſti miniſtros, reuereatur vt diſpenſatores, munus natura metiatur. Neque verò ſolum hoc ſcripſit diuinus Apoſtolus, ſed etiam fecit. Lycaones enim ſacrificare volentes prohibuit, veſtem vnà cum Barnaba lacerans, & clamans,
Act. 14. AEque ac vos patibiles homines ſumus. Ita
Act. 10. beatus etiam Petrus dixit Cornelio. Et ipſe ego homo ſum. Hic iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur. Non vt Domini dignitatem arripiat, ſed vt Domino beneuolentiam conſeruet.

Mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer.

Duabus eos de cauſis accuſat, & quòd honori modum non adhibeant, ſed ſupra modum honorant, & quòd cùm iudicandi poteſtatem non habeant, iudicent, neq; verò quoſlibet, ſed Doctores. Neque enim hi quidem hunc, hi verò illum præferrent, niſi ſibi ipſis iudicandi authoritatem arrogarent. Ea de cauſa eos iudicandi facultate priuauit, dicens vilipendi Doctores, ſi diſcipulorum iudicium in ijs quæ ad ipſos ſpectant ſubirent. Deinde eis medicinam afferens, id quod dicit commune efficit.

Aut ab humano die.

Humanum autem diem vocauit, humanæ vitæ breuitatem.

Sed neq; meipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me, Dominus eſt.

Quid enim, inquit, loquor de alijs? Ego qui quæ ad me pertinẽt rectè ſcio, et ſi nullius mihi ſim ſceleris iniquitatisque conſcius, non potero in animum inducere, vt meipſum iudicem, nec vt me à peccato immunem pronunciem, expectabo autem Dei ſentẽtiam. Nemo autem exiſtimet hoc, Non in hoc iuſtificatus ſum, eſſe illi contrarium, Nihil mihi conſcius ſum. Non eſt enim contrarium, ſed conſequẽs. Sæpe enim euenit vt etiam ignorãtes peccent, æquum eſſe & iuſtũ exiſtimantes. Sed hoc aliter videt vniuerſorum Deus. Hoc enim ſignificant ea quæ ſequuntur.

Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.

Vos, inquit, videtis ea quæ apparent: Deo autem manifeſta ſunt etiam ea quæ celantur, ſed in præſenti vita non omnia aperit, in illa autem erunt omnia manifeſta. Iuſtum ergo iudicium expectate, tunc enim iuſtas proferri ſententias videbitis. Et quoniam ſeipſum & Apollo prius & Cepham in medium adduxit, quàm eſſet abſurdum quod ab eis fiebat ex maioribus oſtendens, neceſſario deinceps accuſationem aperit.

Hæc autem fratres trãsfigurauì in meipſum & Apollo propter vos, vt in nobis diſcatis, non ſupra quàm ſcriptum eſt, de vobis ſentire.

Si nos qui Doctorum Doctores ſumus, qui prædicationem à Deo accepimus, noſtras appellationes non adiecimus, ſed ex Chriſto vocari iuſſimus, cõſiderate quanta impietate plenum eſt quod fit ab illis. Hoc enim dicit illud, Vt in nobis diſcatis, non ſupra quàm ſcriptum eſt de vobis ſentire. Scriptum eſt autem. Qui vult in vobis eſſe primus, ſit omni- Marc. 10.
um vltimus.

Et vnuſquiſque in quo vocatus eſt in eo maneat, Ne vnus aduerſus alterum inſletur pro alio.

Qui enim ſeipſos diuiſerant, & hi quidem ex hoc, illi verò ex illo appellari volebant, inter ſe decertabant, ſinguli ſuos præceptores alios ſuperare contendentes. Deinde ad ipſos Doctores,

Quis enim te diſcernit?

Quænam te pars elegit? cur non omnium æque doctor voceris?

Quid autem habes quod non accepiſti?

De quanam re te iactitas & gloriaris? De eloquentia? Sed Deus hanc tibi largitus eſt: At de ſcientia ac cognitione? Et hoc quoque donum Dei eſt. At de miraculis? Et hæc eſt operatio Spiritus.

Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?

Nemo de alienis depoſitis ſe venditat, aut propterea pluris æſtimat, ſed vigilat vt ea ſalua cuſtodiat ei qui tradidit.

Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis.

Nulla re indigetis; omnia bona vobis affatim ſuppetunt.

Sine nobis regnatis.

Dum nos adhuc laboramus, & pro prædicatione perpeſsiones ſuſtinemus & affligimur, vos regni fructum percepiſtis. Et quoniam hæc pacifice poſuit, quam habet affectionem aperit.

Et vtinam regnetis.

Non ſolum enim vobis non inuideo, ſed etiam opto vt his bonis fruamini. Deinde inſignem oſtendit humilitatem.

Vt & vobiſcum regnemus.

Atqui hoc ſemper de Chriſto ſtatuit. Si ſuſtinemus, & cõregnabimus, tanquam ille quidem verè regnet, veri autem eius ſerui regni ſint participes. Sed tamen per ſummam modeſtiam loquens hoc poſuit, illorum ſupercilium deprimens.

Puto enim quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos.

Si enim verum eſt vos nullius egere, & frui regno, nos, vt videtur, in vitam deducti ſumus tantum vt occideremur. Hoc enim ſibi vult illud, Morti deſtinatus.

Quia

Quia ſpectaculum facti ſumus mundo & Angelis & hominibus.

Noſtra ſunt omnibus ad ſpectandum propoſita. Angeli enim noſtram animi magnitudinem & virtutem mirantur, ex hominibus autem alij quidem noſtris afflictionibus lętantur, alij verò miſericordia quidem mouentur, ſed non poſſunt ferre auxilium.

Nos ſtulti propter Chriſtum.

Quæ enim apud infideles reputatur, ſtultitiam prædicamus.

Vos autem prudentes.

Et ne nimium pungeret, ſubiunxit.

In Chriſto.

Pro eo quod eſt, vtinam detur vobis, vt veram prudentiam habeatis.

Nos infirmi, vos autem fortes, vos nobiles, nos autem ignobiles

Deinde perpeſsiones ſigillatim enumerat.

Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus, operantes manibus noſtris.

Per hęc autem omnia tolerantiam aperuit. Per ea autem quæ ſequuntur, perfectiorem philoſophiam.

Maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus.

Deinde vltimum contemptum oſtendit.

Huius deest in Græco. *Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus.*

Nihil, inquit, differimus ab ijs quæ in domibus tanquam ſuperflua abijciuntur, vel oleribus, vel teſtis, aut putaminibus, vel alijs eiuſmodi, ita nos viles & abiectos plurimi exiſtimarunt.

Omnium peripſema vſque adhuc.

Pro eo quod eſt, magnas ago gratias. Hæc dixit non de ijs qui perſequebantur, ſed de ijs qui prædicationem ſuſceperant. Quocirca ſubiunxit.

Non vt confundam vos hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſimos moneo.

Iam verò ſe eos quoque genuiſſe oſtendit.

Nam etſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.

Pædagogos alios Doctores appellauit, ſeipſum autem Patrem vt qui doctrinam Euangelicam eis primum attulerat.

Non videtur Theo. legere, ſicut & ego Chriſti. *Rogo ergo vos fratres, imitatores mei eſtote.*

Hoc eſt, ſicut ego ſum modeſtus, vos modeſti eſte, quæ perpetior patimini, de perpeſsionibus, non de gratijs aut donis gloriemini.

Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſsimus & fidelis in Domino, qui vos commoneſaciet vias meas quæ ſunt in Chriſto, ſicut vbique in omni eccleſia doceo.

Suam in eos affectionẽ oſtendit, vt qui miſerit Timotheum; & ſuam in Timotheum beneuolentiam & charitatem, vt qui filium dilectum nominauerit; & aliam eius virtutem ſignificauit, cùm fidelem in Domino appellauit. Is, inquit, actiones meas narrabit, vias enim actiones ſeu facta vocauit. Non dixit illum eas eſſe docturum, ſed in memoriam reuocaturum: id autem quod dixit, eos accuſat obliuionis. Ipſi enim Apoſtolicam virtutem aſpexerant. Adiecit autem quòd etiam eccleſijs omnibus eandem doctrinam prębere conſueuerit. Cùm omnes horum communiter accuſaſſet, deinceps aduerſus eum qui fornicatus eſt ſuam profert ſententiam.

Tanquam non venturus autem ſim, ſic inflati ſunt quidam. Sic, non eſt in Græco.

Cùm diuinus Paulus præuidiſſet futurum vt eum pœniteret, non adijcit appellationem, ne fieret manifeſtus omnibus hominibus, ſed indefinitè dixit, Quidam.

Veniam autem ad vos cito, ſi Dominus voluerit, & cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem.

Non quæro enim eloquentiam, ſed actionem: Deinde hoc confirmat.

Non enim in ſermone eſt regnũ Dei, ſed in virtute.

Non ſufficit enim ad ſalutem regnum Dei prædicare, ſed etiam ea conuenit facere quæ regno digna ſunt.

Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?

Dat eis vtriuſque optionem, veniam enim, inquit, vt volueritis, ſiue ſpiritualiter, ſiue more iudicis. Virgam autem appellat operationem qua corrigit. per eam enim Elymam Act. 13.
luce priuauit.

CAPVT V.

Omnino inter vos auditur fornicatio.

Satis oſtendit quàm ſit inſignis abſurditas, nam ne hoc quidem audiri oportebat. Monſtrat aũt etiam magnitudinem criminis.

Et talis fornicatio, qualis nec inter gentes.

Quæ enim non audent ij qui vacant doctrinæ dæmoniorum, ea apud vos admiſſa ſunt.

Item vt vxorem patris aliquis habeat.

Operępretium eſt autem hic etiam Apoſtolicam admirari ſapientiam. Non enim dixit nouercam, quoniam nomen aliquid odij & maleuolentiæ præ ſe fert, ſed patris vxorem, hoc eſt, eam quæ eſt loco matris, eam quę pro matre patri coniuncta eſt, quę id eſt genitori, quod ea quæ peperit. Deinde eo relicto eius aſſeclas accuſat.

Et vos inflati eſtis?

De ſe enim præclarè ac magnificè ſentiebant, vt qui Doctorem eruditum haberent.

Et non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit.

Non fert legem contrariam. Non enim dixit, Cur non eieciſtis? Superius enim prohibuit iudicare Doctores: ſed cur non luxiſtis, Deum orantes vt ab eius pernicie liberaremini?

Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens.

Nemo veſtrum vult aliquid aliud. Iam enim fero ſententiam.

Eum qui ſic operatus eſt.

Rurſus oſtendit inſigne flagitium.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti tradere huiuſmodi hominẽ Satanæ, in interi-

rum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.

Horrore plenum iudicium constituit. Primum enim omnes in nomine Domini coegit. Deinde etiam spiritum introduxit per gratiam spiritus: & ipsum etiam Dominum præsidere, & sententiam proferre ostendit, & lictori tradere, & fines præscribere, vt corpus solum castiget; animæ enim ex disciplina salutare medicamentum cõficit. Spiritum autem hic vocat, non animam sed donum seu gratiam. Hęc enim omnia, inquit, facio, vt id in eo seruetur vsq; ad aduentum Seruatoris nostri. Ex hoc autem loco docemur, quòd eos qui segregantur, & ab ecclesiastico corpore separantur, inuadit Diabolus, eos gratia destitutos inueniens. Postquam eum sic excidit, docet causam cur hoc fecerit:

Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate ergo vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.

Vetus fermentum vocat quod fuit ante baptismum, à quo iubet separari, & esse non fermentatos, nullas illius reliquias habentes. Et quoniam azymorum meminit, Iudæi autem in paschate comedebant azymos, consequenter subiunxit.

Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.

Habemus nos etiam agnum qui pro nobis sacrificari sustinuit.

Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.

Permansit in metaphora, & ostendit quidnam fermentum, quid azymum vocauerit.

Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicarijs.

Non in alia, sed in hac. Dixit enim paulò antè, Nescitis quòd modicum fermentum totam massam corrũpit? Deinde docet de quibusnam scripserit.

Non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, rapacibus, aut idolis seruientibus, alioqui debueratis ex hoc mundo exisse:

Nihil difficile statuo, neque enim iubeo, vt omnino separemini ab ijs qui à fide sunt alienti, hoc enim nihil est aliud quàm ad aliquem alium vos mundum mittere.

Nunc autem scripsi vobis non commisceri.

Pro eo quod est, Scripsi in hanc sentẽtiam.

Græcũ The. non habet, inter vos. *Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.*

Quòd si non oportet eos communis esse cibi participes, nec mystici quidem certè & diuini.

Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare?

Non habeo in eo potestatem.

Nonne de ijs qui intus sunt vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit.

Illos Dei iudicio relinquimus, hos autem nos etiam iudicare iusi sumus.

Auferte malum ex vobis ipsis.

Mosaicum adduxit testimonium, id quod dicit diuina lege confirmans. Quoniam autem cum fornicatoribus aparum, & eum qui plura habendi cupiditate tenetur, coniunxit, de eo quoque doctrinam necessario adijcit,

CAP. VI.

AVdet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos.

Qui diuina sapientia digni habiti estis, inter vos controuersiã habentes, vtimini iudicibus qui nullam habent pietatis cognitionem.

An nescitis quod sancti de hoc mundo iudicabunt?

Iudicabunt posuit pro cõdemnabunt, hoc enim significant ea quæ sequuntur.

Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minutis iudicetis.

Sic viri Niniuitæ, & regina Austri condemnabit illam generationem. Sic duodecim Apostoli iudicabũt duodecim tribus Israel, hoc est condemnabunt. Condemnabunt autem, vt qui sint ex ipsis, & Domino credunt, & innumerabilia mortis genera subierint, & fidem in eum non negauerint. Ita rursus qui ex gentibus crediderunt, eos cõdemnabunt qui non crediderunt in salutarem prædicationem.

Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quãto magis secularia.

Rursus iudicabimus posuit ꝓ condemnabimus. Angelos autem dicit Dæmonas, olim enim hoc fuerunt. Eos autem sancti condemnabunt, quòd cùm corpore tecti essent, diuini cultus curam gesserunt, illi autem in natura incorporea improbitatem amplexi sunt.

Sæcularia ergo iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicãdum.

Qui est, inquit, omnium abiectissimus, & ecclesię minimus, est præstantior ijs qui apud illos intelligentes & docti existimantur. Neque enim iubet eos iudicare qui sunt in ecclesia abiectissimi. Et hoc significant ea quę consequuntur.

Ad verecũdiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles.

Ostendit multa absurda, primum quidem quòd qui est fidelis, iudicio contendit. Hoc enim frater significat. Deinde quòd cum eo qui est eiusdem fidei. Quod autem est omnium grauissimum, quòd infideli etiam iudice vtatur. Sciendum est autem hęc non repugnare ijs quæ ad Romanos scripta sunt. Neque enim iubet resistere Magistratibus, sed præcipit vt qui iniuria affecti sunt non vtantur Magistratibus. Eligere enim aut iniuria afficiari, aut de ea re ab ijs cognosci qui sunt eiusdem fidei, pendet ab eadem sententia. Deinde affert legem perfectiorem.

Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos.

Etenim vel ipsum litigare est odiosum.

Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?

Hęc sunt perfectionis. Ostendit autem eos non solum hęc facere, sed etiam agere quę pugnant ex diametro.

Sed vos iniuriam facitis & fraudatis.

Deinde postremo loco, quod est crimẽ maximum.

Et hoc fratribus.

Graue enim est etiam alieno iniuriam facere, multo autem magis necessario.

An nescitis quòd iniqui regnũ Dei no possidebunt?

Deinde alia etiam scelera ac maleficia per genera persequitur.

Nolite errare.

Quosdam innuit qui dicebant, quòd Deus cùm sit clẽmens & misericors, non punit. Propterea subiungit.

Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.

Minora autem peccata cũ maioribus coniunxit, quoniam non de supplicio, sed de regno loquitur. Ne autem recordantes peccatorum, quæ ante baptismum admiserunt, salutem desperent, necessario subiunxit.

Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.

Apertè ostendit ęqualitatem filij & spiritus, coniunxit etiam Dei & patris mentionem. Per sanctæ enim trinitatis inuocationem, aquarũ natura sanctificatur, & exhibetur peccatorum remissio. Deinde reuertitur ad institutum de fornicatione sermonem, & dicit.

Omnia mihi licent?

Legendũ est interrogatiuè. Deinde respondendo.

Sed non omnia expediunt.

Ita autem etiam id quod deinceps sequitur.

Omnia mihi licent? sed ego sub nullius redigar potestate.

Hoc dicis te non viuere sub lege, & te esse tui iuris & in tua potestate, & habere liberum eligendi arbitrium. Sed non semper tibi conducit tua vti potestate. Quando enim turpe aliquid & inhonestum perpetraueris, libertate priuaberis, & peccati seruus efficieris.

Esca ventri, & venter escis; Deus autem & hunc & has destruet.

Si vis in his vti libertate, vtere. Propter ventrem enim cibos creauit. Sciendum est autem eos quoque finem accepturos. Post sepulchrũ enim cibi sunt hominibus superflui: porrò autem vita quoque futura eorum nihil habet. Quemadmodum enim nec vxores ducunt, nec nubunt, vt est vox Domini, ita etiam nec comedunt, nec bibunt. Illud autem, Destruet, posuit, per prædictionem.

Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.

Caput nostrum sæpe Dominum appellauit, ei ergo tanquam capiti corpus coniunxit. Non enim sicut venter est cibi receptaculum, ita corpus propter fornicationem creatum est.

Deus vero & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam.

Ne Dominum tanquam mortuum contemperis: Suscitatus est enim, & nos etiam suscitabit qui illum suscitauit Deus, eius qui suscitatus est virtute. Apertè ergo ostendit quòd excitatus quidem est, quod ad humanitatem attinet: nos autem vt Deus excitabit.

Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi.

Non tanquam sponsa sponso Christo coniuncti estis?

Tollens ergo membra Christi, faciam mẽbra meretricis? Absit.

Scelus autem valde auxit, membra nostra mẽbra Christi appellans, non amplius, inquit, tua sunt, sed Christi. Quomodo ergo ea facis mẽbra meretricis? Deinde docet quomodo.

An nescitis quod qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Genes. 2. *Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est.*

Quod de matrimonij coniũctione dictum est aptè posuit in fornicatione. Nam & hoc & illud rei natura idem est, per legitimum autem & illegitimum ostenditur differentia. Dicit ergo: Meretrici adhęrens, membra tua facis membra meretricis: Domino autem per spirirum coniunctus, membra Christi membra facis. Si ergo Domino coniunctus fueris, & ad eam rursus recesseris, ad ipsum Dominũ pertinet iniuria. Membra enim eius meretrici adducis, & Domini membra meretricis membra efficis.

Fugite fornicationem.

Non dicit, Odio habete & auersamini, sed fugite, sciens quàm sit acre & vehemens hoc peccatum, & eum quem ipsum insequitur erigit, & præcipit vt insequens fugiat. Quinetiã docet quàm sit res execranda.

Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in suum corpus peccat.

Qui enim vel innumerabilia alia peccata committit, & iurisiurandi fidem frangit, & maledicto ac blasphemia linguam polluit, & in ea quæ ad se non pertinent inuadit, non vsqueadeo peccati sensum accipit: Qui autem libidinis seruus fuerit, statim post peccatum malum sentit, & ipsum corpus abhorret & auersatur, & ideo lauacris etiã vtentes corpus purgant, ea ratione se probrum eijcere existimantes.

An nescitis quod membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? Qui in vobis est non est in Græco Theo.

Dixit superius corpus templum Dei, deinde idem membra Christi: nunc rursus vocat templum sanctissimi spiritus. Spiritum autẽ donum seu gratiam appellat & per hęc omnia cognoscimus æqualitatem trinitatis.

Et non estis vestri.

Quamobrem?

Empti enim estis pretio magno. Magno non habetur in Græco Theo.

Sanguis dominicus est pro vobis exolutus, alij dominio subestis. Et hoc quidem opposuit ei quod antè dictum est, Omnia mihi licent, docens nos habere Dominum, & nos oportere

terẽ ex illius legibus vitam instituere. Hoc enim subiunxit.

Et portate non habetur in The. Græco.

Glorificatẽ, & portate Deum in corpore vestro & spiritũ, quæ quidem Dei sunt.

Et animarum & corporum opifex & creator Deus est, qui non solum ea fecit, sed etiam à Diaboli potestate liberauit. Oportet ergo vos & per corpus & per animã ipsum glorificare, illa & facientes & dicentes, quę omnes linguas ad laudandũ bonisq; verbis prosequendum moueant. Hic Apostolus primum caput impleuit. Nos autem eius admonitionis memores, & corpora nostra exhibeamus hostiam viuam, sanctam, Deo bene placentem: & animam omnis generis beneficiorum recordatione sanctificemus, vt & in præsenti vita verè Dei templa vocemur, & promissis bonis fruamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cum quo Patri vnà cum sanctissimo Spiritu conuenit gloria & magnificentia nunc & semper & in sæcula sęculorum. Amen.

TOMVS SECVNDVS.

CAPVT VII.



De quibus autem scripsistis mihi, Bonum est homini mulierem nõ tangere.

Apertè ostendit se respondere de ijs de quibus interrogarant. Rogarant autem Corinthij, an oportet eos qui legitimo matrimonio vxoribus coniuncti sunt, deinde salutarem baptismum acceperunt, vti coniugali consuetudine. Scribit ergo, continentiam quidem laudans, fornicationem verò vituperans, coniugalem autem coniunctionem concedens. Cùm enim dixisset, Bonum est homini mulierem non tangere, subiunxit.

Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.

Eadem autem & in viros & in mulieres statuit, quandoquidem vna est natura. Opportunè autem illud adiecit, Propter fornicationem, quoniam eam iam acusauerat.

Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro.

Hæc de continentia decernit, iubens maritum & vxorem ex æquo trahere iugum matrimonij, & non aliò respicere, & violare societatem, sed eam quam par est sibi inuicem tribuere beneuolẽtiam. Merito autem priori hoc ius statuit, quoniam maritus est caput vxoris. Humanę enim leges, mulieribus quidẽ castas esse præcipiunt, & si contra legem faciant, in eas animaduertunt, sed à viris non eandem castitatem exigunt. Cùm enim viri essent qui leges tulerunt, æqualitatem non curarunt, sed sibi veniam dederunt. Diuinus autem Apostolus diuina gratia inspiratus, primum quidem viris legem statuit, vt casti sint. Quoniam verò contingebat vt viri vel mulieres continentiã desiderantes, vel inuitis coniugibus à coniugali coniunctione separarentur, iure de hoc etiam præcipit.

Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Quoniam enim eos vnam esse carnem pronũciauit, iure etiam vxoris corpus mariti esse pronunciauit; & rursus mariti corpus vxoris potestati subiecit. Atque hic quidem mulieribus, prioribus legem tulit: quoniam eę maximè ante viros solent continentiam cõplecti.

Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & rursus reuertimini in idipsum.

Orationi, Græcè etiam habetur.

Existimat quispiam se fraudari ijs quæ dat inuitus. Hoc ergo perquàm aptè posuit de ijs qui continentiam non ex vtriusque consensu eligunt. Si sola enim mulier eam amplectatur, ęgrè fert vtique maritus, vtpote quòd præter eius sententiam illa contineat. Idipsum etiam mulieri accidit, si maritus ea quę sunt præstantiora eligit. Meritò ergo dicit, Nolite fraudare vos inuicem, & adiecit, Nisi fortè ex consensu, & naturę sciens imbecillitatem, subiunxit, ad tempus. Tempus quoq; docuit dicens, vt vacetis ieiunio & orationi. Oportet enim ieiunium sanctitate honorare. Post ieiunium autem permittit consuetudinem. Hoc enim dicit, Et rursus reuertimini in idipsum, & docens quòd quia alium suspectum haberet, hæc statuit, subiunxit.

Ne tentet vos Satanas.

Et ostendens quòd nos eius in nos potentiam augemus, adiecit.

Propter incontinentiam vestram.

Dum vos enim in socordia vitam transigitis, & vestra sponte voluptatibus seruitis, Diabolus accipit occasionem aduersus vos instruendi & dirigendi aciem. Quòd autem leges hominum imbecillitate mensus est, docuit per ea quæ sequuntur.

Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem vos omnes esse sicut & meipsum.

In continentia & perfectionem indicauit, & quę minora sunt concessit, & imbecillitati quidem opem ferentia medicamenta oratio protulit, ad ea autem quę sunt optima & præstantissima eligenda, archetypũ exemplar excitat, seipsum autem exemplar proposuit, suæ castitatis thesaurum nobis reuelare coactus.

Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.

Consolatus est eos etiã qui sunt iuncti matrimonio, Dei donum appellans matrimonium. Ab illo enim dono & gratia quis adiutus, & iam coniugalem rectè exercet continentiã. Fert autem gratię auxilium ijs, qui bonum & alacre animi propositũ afferunt. Petite, enim inquit, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis. Cùm hæc ad Corinthiorũ rogata respondisset, & quæ ijs qui matrimonio iuncti essent conducibilia statuisset, scribit ad eos etiam qui matrimonij iugum nondum acceperant, & ijs qui acceperant quidem, sed morte postea disiuncti fuerant & viduitatem deflebant.

Matth. 7. Luc. 11.

Dico autem non nuptis & viduis. Bonum est illis, si sic permanserint sicut ego.

Ostendit

Ostendit rursus se esse ex ordine cœlibum & eorum qui vxores non duxerunt. Neque enim quis eum iure inter viduos collocet, cùm adhuc esset adolescens, quando vocatione dignus est habitus. Nemo autem existimet eum viris quidem cœlibatum, post matrimonium autem continentiam solis mulieribus statuere. Vtraque enim docet vtrunque sexum.

Quòd si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quàm vri.

Vstionem nõ vocat cupiditatis molestiam, sed animæ mancipationem, & ad id quod est deterius inclinationem. Quod autem dicit, est eiusmodi. Melius quidem est & vos cui coniugalis cõsuetudo nondum obtigit, & vos qui coniuncti quidem fuistis, sed morte estis disiuncti, eligere continentiam. Sin autem cupiditatis impetum ferre nõ potestis, sed ad hoc sustinendum certamen imbecillo animo estis, quoniam ad ea quæ honesta & pulchra sunt, non habetis alacre & ardens animi propositũ, nulla lex prohibet quominus matrimonium contrahatis. Deinceps ad aliã transit legem.

Iis autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, vel viro reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.

Euangelicam legem in memoriam reuocauit. Dominus enim dixit in sacris Euangelijs, Quicunq; dimittit vxorem præterquam causa fornicationis, facit eam mœchari. Propterea adiecit, Non ego sed Dominus. Illud aũt: Maneat innupta, vel viro reconcilietur, non est contrariũ ei quod est, Nolite fraudare vos inuicem, nisi fortè ex consensu. Illa enim dicta sunt ijs, qui non propter aliam causam, sed propter solam continentiam separantur. Hic autem ijs legem statuit qui de alijs rebus contendunt, & conatur quidem firmum & infractum seruare matrimonij vinculum, se autem ad eorum qui separantur imbecillitatem demittens, & ea ratione prohibens ne matrimonium disiungatur. Cùm enim alteri coniungi prohibeat, vtranque partem ad prius matrimonium redire compellit.

Nam cæteris ego dico, non Dominus.

Hoc, Ego dico, pro eo quod est, non inueni hanc legem scriptam in sacris Euangelijs, sed nunc eã fero. Quòd aũt Apostoli leges, leges sunt Domini, clarum est ijs qui in rebus diuinis sunt eruditi. Eius enim vox est, An experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Christi? &, Non ego, sed gratia quæ in me est. &, Dico per gratiam mihi datam. Ita etiã hic fert legem, sanctissimo per eum loquente spiritu.

2. Cor. 13.

Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, nõ dimittat virum: Sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

Græcè ἐν γυναικὶ in muliere. Heb. deest, autem fidelem, & rursus ἐν ἀνδρὶ, in viro, itidem Heb. deest autem fidelem apud Theod.

Non statuit vt mulier infidelem accipiat: nec iubet vt mulier fidelis viro infideli iungatur, totum enim contrarium præcipit. Paulò post enim viduis legem ferens subiunxit, Tantum in Domino, hoc est, fideli, pio, modestè, honestè. Hic autem dixit de ijs qui ante prædicationem matrimonio iuncti sunt. Accidebat enim vt maritus quidem crederet, vxor verò in infidelitate permaneret, & contrà, vt vxor quidem esset fidelis, maritus verò infidelitatis exitiali vitio teneretur. Præcipit autem sanis vt ferant imbecillitatem coniugum, & eorum salutem procurent. Hoc enim dicit, Sanctificatus est enim vir infidelis in vxore & sanctificata vxor infidelis in marito, hoc est, habet spem salutis. Sin autẽ aut ipse, aut ipsa in morbo permaneat, semẽ illius erit salutis particeps. Hęc autẽ posuit paulò magis hyperbolicè, suadens ne coniunctionem relinquerẽt.

Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.

Pars, inquit, quę credit, ne det occasionem diuortio. Sin autem pars quæ laborat, velit diuertere, es innocens, & nulli affinis reprehensioni.

In pace autem vocauit nos Deus.

Atqui dixit Dominus. Non veni mittere pacem in terram, sed gladium ad diuidendum proximum à proximo suo. Sed non est hoc illi contrarium. Interpretatur autem Apostolus doctrinam Domini. Salutaris enim, inquit, prædicatio non inducit in vitam confusionẽ, sed potius veram & Deo grãtam pacem conciliat ac procurat. Malum tamen prius consensum diuidit, & dissensione laudabilẽ concordiam & consensionem comparat. Qui enim diuinam acceperant prædicationem, infidelium effecti Doctores, admirabilem & supra omnem fidem & opinionem mutationem efficiebant, & quæ pulchrè diuisæ erant, domos, ad iucundissimam & in primis amabilem concordiam deducebant. Hoc etiam hic dicit.

Matth. 10.

Vnde enim scis mulier si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? nisi vnicuique sicut diuisit Dominus.

Bona, inquit, spe proposita laborem suscipe, habes Deum qui tuo prompto & alacri tuo studio opem ferat.

Vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet, et sic vt in omnibus ecclesiis doceo.

Hic apertè docuit, quòd non cum infidelibus mulieribus vel viris coniungi præcepit, sed ijs qui sic vocati sunt illa constituit. Deinde vt solet à proposito transit ad alia, decernens omnibus ea quæ sunt conuenientia.

Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.

Nec qui pręputium habens vocatus est, suscipiat circumcisionem; nec qui est circumcisus, conetur seipsum ostẽdere incircumcisum. Pręputium enim est naturæ, & circumcisio lege veteri facta est. Non res autẽ laudatur, sed obseruatio mandatorum Dei.

Vnusquisq; in qua vocatus est vocatione in ea permaneat.

Deinde

Deinde transit etiam ad alia.

Seruus vocatus es? non sit tibi curæ. Sed & si potes fieri liber, magis vtere.

Gratia non nouit differentiam seruitutis & dominij. Ne fugias ergo seruitutem, tanquã fide indignam. Quòd si fieri possit vt libertatem assequaris, perge seruire, & expecta remunerationem. Hanc autem hyperbolen non temere & sine causa posuit, sed suadens ne fugeretur seruitus prætextu pietatis & religionis. Adducit autem aliam quoq; consolationem.

Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi.

Libertũ appellare consueuimus, qui ex seruis natus est. Hoc nomine appellauit seruum qui fide dignus est habitus, & liberũ quidem, dixit esse seruum Christi, seruum autem, libertum, & liberos docens, quòd Christum habent Dominum, & seruos similiter, quòd veram libertatem assecuti sunt. Quis enim æquè est liber ac qui à peccatis liberatus est? Quis autem seruit indignius & acerbius, quã qui est vitiorum seruituti mancipatus?

Pretio empti estis: nolite fieri serui hominum.

Non statuit ijs quę dicta sunt contraria. Iubet enim vt nihil seruile cogitet nec qui seruus vocatur, nec qui appellatur liber. Præclarè autem admodũ & seruos & Dominos conseruos pronunciauit. Pretio empti estis, de his & illis dicens. Dominus enim proprio sanguine dato vos emit.

Vnusquisque in quo vocatus est fratres, maneat apud Deum.

Hoc posuit suasionis & procemium & epilogum. Ad aliam aũt ferendam legem transit.

De virginibus autem præceptũ Domini non habeo.

Matth. 19. Dominus enim, cùm dixissent Apostoli, Si ita est lex vxoris, expedit vxorem non ducere, respondit, Non omnes capiunt verbum hoc. & rursus, Qui potest capere, capiat. Propterea diuinus quoque dixit Apostolus, Præceptum Domini non habeo. Si ergo legem non accepisti, quid sibi vult quod dicis?

Consilium autem do.

Non legem fero, sed consilium affero. Etenim Deus cùm quæ sunt secundum naturam præcepisset, adhortatur ad ea quæ sunt supra naturam. Quoniam autem verisimile erat futurum vt quidam huic rei tanquam rei nouæ contradicerent, consilio adiecit.

Tanquam misericordiam consecutus à Domino vt sim fidelis.

Cum solita modestia Apostolicam authoritatẽ ostendit. Sum consiliarius fide dignus, inquit, per multam Domini misericordiam vocatus, & cui credita est prædicatio. Quid autem consulis?

Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est sic esse: Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus est ab vxore? noli quærere vxorem.

Illud Existimo, adiecit, non dubitans virginitatem esse bonum & bonorum optimum ac præstantissimum, sed ne adhortatio lex fieret, adiecit dubitationem. Legem enim consequitur obseruatio & transgressio, & eorum qui transgrediuntur punitio, & ideo quæ magna sunt non præcipit, sed ad ea hortatur, & cùm dixisset, Noli quærere vxorẽ, subiunxit.

Si autem acceperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit.

Et quanam de causa consulis non contrahere matrimonium, si est matrimonium à peccato liberum?

Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.

Et quid est tibi curæ?

Ego autem vobis parco.

Et paternam beneuolentiam aperuit, & cœlibatus vtilitatem ostendit. Sciendum est autem quòd non dixit de ijs qui vitæ semel renunciarunt illud, Si acceperis vxorẽ, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit, sed de ijs qui nondum neque hoc neque illud elegerunt, sed stant in cõfinio matrimonij & cœlibatus. Deinde id quod dicit aliunde confirmat.

Hoc itaque dico fratres, tempus breue est.

Hoc est, vita tendit ad finem: ,ppè est præsentis sęculi consummatio.

Reliquum est vt & qui habent vxores, tanquam nõ habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes.

Quæ, inquit, sunt præsentia, sunt à nobis aliena, hinc enim quàm fieri potest citissimè transimus. Nemo ergo nec paupertatem defleat, nec propter diuitias insolescat & sibi magnopere placeat. Sed nec qui plurima possident, ea in luxu & delicijs consumant, sed solum vsum ex eis accipiãt. Hoc enim sibi vult illud, Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes. Hoc ipsum etiam per Ezechielis arietes Deus reprehendit, quòd pulchra pasbua depascebant, & reliqua pedibus conculcabant: & puram aquam bibebant, & reliquã pedibus conturbabant. His consentit illud, Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes. Deinde ostendens quàm sint fluxa & momentanea quæ sunt præsentia, subiunxit. Ezech. 34.

Præterit enim figura huius mundi.

Non amplius enim agricultura & nauigatio, non regna & imperia, non amplius seruitus & dominium. Non amplius artes & scientiæ, nõ amplius paupertas & diuitiæ. Ex his enim, & quæ sunt eiusmodi, constat vita præsens. Hoc etiã dicit Esaias futura prædicens. Et erit seruus tanquam dominus eius; & ancilla tanquã domina; & qui emit tanquam qui vendit, & qui debet, tanquam qui non debet, futura enim vita habet aliam rerum differẽtiam. Porrò autem cùm ostendisset diuinus Apostolus quàm sit vita breuis & momentanea, subiũxit.

Volo autem vos sine solicitudine esse.

Apertè ostendit quis sit scopus & institutũ virginitatis. Qui enim virgo est, à superuacaneis & inutilibus cogitationibus liberam habet animam, & vitam futuram quantum licet, imitatur. Hoc enim dicit in ijs quę sequũtur.

Qui

Qui sine vxore est, solicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu.

Ostendit breuiter differentiam solicitudinis eius qui eligit iugum matrimonij, & eius qui cœlibatũ amplectitur. Facile autem scire potest qui vult, eorum qui in vita versantur labores & solicitudines. Eas autem nos quoque fusius ostendimus dum de virginitate orationes scriberemus, & ad eius opes bonorum amatores adhortaremur. permanens autem in consilio diuinus Apostolus hæc quoque adiecit.

Porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestũ est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

Non ex necessitate, inquit, traho vos ad has diuitias, tanquam laqueo aliquo vtens, & vi venans: sed indico lucrum quod ex eo prouenit. Neque enim alia ratione fieri potest vt cultui diuino perpetuo assideamus, nisi victus solicitudinis vincula effugerimus.

Si quis autẽ turpem se videri existimat super virgine sua quod sit super adulta, & ita debet fieri, quod vult faciat, non peccat, si nubat.

Si quis autem cœlibatum rem non esse decentem existimat, & ea de causa vult filiam marito iungere, faciat quod sibi videtur, est enim matrimonium à peccato liberum. Hic rursus præcepit de ijs qui nondum virginitatem elegerunt.

Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit.

Hoc, Non habens necessitatem, pro eo quod est, qui est sui iuris, nec est in Dominipotestate.

Non habet Græcum The. virginem suam.

Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.

Ostendit illud quidem esse bonum, hoc verò optimum: & Hæreticorum qui nuptias vituperant linguas alligauit. porrò autẽ necessarium quoque existimauit etiam viduis ea quæ sunt vtilia consulere.

Mulier alligata est legi quanto tempore viuit vir eius. Quòd si dormierit vir eius, liberata est cui velit nubat, modo in Domino.

Hoc est, ei qui sit eiusdem fidei, pio ac religioso Dei cultori, honestè & legitimè.

Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.

Rursus non legẽ tulit, sed cõsilium attulit. Vt id autem fide dignius faceret, subiunxit.

Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.

Non sunt, inquit, mea verba, sed gratiæ sancti spiritus, ego enim sum illius instrumentum. Notandum est autem non esse absolutè & simpliciter beatam vocandã eam quæ continet, sed eam beatiorem appellauit, dicens nec eam quidem esse miseram quæ secundo matrimonio iungitur, sed beata est, quę ex Apostolica lege matrimonium contrahit. Comparatio enim illam etiam beatam ostẽdit. Hoc autem sufficit ad refellendos Nouatianos, qui digamiam, tanquam fornicationem accusant, Apostolicis legibus apertè contradicentes. Hæc cùm post priorem scripsisset accusationem, & matrimonij ac cœlibatus, viduitatisq; & virginitatis consilium attulisset, aliam rursus accusationem attingit, cuius argumentum summatim dicere necesse est. Nonnulli ex ijs qui Corinthi crediderant, cùm aliquorum consuetudine & familiaritate vterentur qui errore tenebantur, vnà cum eis vescebantur in templis idolorum, non tanquam idolis immolata quæ apponebantur sumentes, sed vt qui persuasum haberent omnia à Deo esse creata. Cæterum quod ab eis fiebat, magnum ijs qui hanc nondum habebant cognitionem incommodum afferebat. Cùm enim viderẽt eos qui inter ipsos agebant absque vllo metu, immolata sumere, incitabantur vt hoc ipsum facerent, erat autem maius eorum delictum. Neque enim ex illorum instituto ij quoque cibum sumebant, sed tanquam idolis immolata comedebant, illorum cognitionem non habentes. Hoc cùm resciuisset diuinus Apostolus, factum reprehendit, & morbo adhibet omnis generis medicamenta.

CAP. VIII.

De ijs autem quæ idolis immolantur, scimus quòd omnes scientiam habemus.

Cum quadã ironia eis suo testimonio cognitionem attribuit. Quòd enim eos illam non verè habere dixerit, docet postea. Dicit enim, Si quis autem putat se aliquid scire, nondum cognouit quemadmodum oportet eum scire. Hoc ergo ironicè posuit, Scimus quòd omnes scientiam habemus. Deinde subiungit,

Scientia inflat: charitas verò ædificat.

Dilectio est cognitione melior ac præstantior. Hæc enim multos qui ea non rectè vtuntur elatos efficit: Illa verò vt proximo benefaciat curã gerit. Hoc enim sibi vult illud, Aedificat. Eos autem reprehendit hæc oratio, vt qui sint priuati charitate. Si eam enim haberent, imbecilliorum vtilitatis curã gererent.

Si quis autem putat se aliquid scire, nondum cognouit quemadmodum oportet eum scire.

Ostendit eos non esse solum dilectione nudatos, verum etiam cognitione priuatos, de qua sibi placebant. Indefinitè autem accusat, volens potius curare quàm sauciare.

Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.

Multa nobis cognitione opus est, & vt eam in presenti vita perfectam accipiamus nequit fieri. Deum ergo diligamus, vt ab eo cõsequamur vt nostri curam gerat, nobisque prouideat. Etenim hoc valde accuratè posuit. Non enim dixit, Qui diligit Deũ, cognouit ipsum, sed, cognitus est ab ipso, id est, assequitur vt eius curam gerat. Ita etiam dixit beatus Moses ipsi Deo vniuersorum. Tu mihi dixisti, Inuenisti gratiã apud me, & noui te præter omnes. Gen. 33.

Ab eo ergo cognitus est, significat maiorẽ Dei curam & prouidentiam.

De escis autem quæ idolis immolãtur, scimus quòd nihil est idolum in mundo, & quod nullus Deus nisi vnus.

Noui, inquit, ea quæ vos dicere soliti estis, à me enim hæc dicere didicistis. Scio idola esse inanima, & nullo sensu prædita, & vnũ esse Deũ vniuersorum effectorem & Dominum.

Nam & si sunt qui dicantur Dij siue in cœlo, siue in terra, siquidem sunt Dij multi, & Domini multi.

Vult diuinus Apostolus aliud confirmare. Quia enim dicebat nullum esse alium Deum nisi vnum, Christum autem Deum quoque prædicabat, & sanctissimum similiter spiritum cum Patre & filio connumerabat, ab eis autem qui accuratam Theologiam & perfectam diuinitatis rationem nondum didicerant, dubitabatur, quomodo vnus Deus, cùm & filius Deus, sanctissimus etiam spiritus vnà connumeretur; ex ijs quæ ab aduersarijs dicuntur sua confirmat, & docet quòd Græci quidem seu gentes dicunt multos esse Deos, eosdem autem Dominos quoque nominant: ij autem nullo modo sunt, sed solis agnoscuntur nominibus. Hoc enim dixit illud, Nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cœlo, siue in terra, sicut sunt Dij multi & Domini multi, eosdem enim & Deos Dominos appellabant. Hoc autem, siue in cœlo, siue in terra, dixit ex more Græcarũ fabularum. Alios enim Deos cœlestes appellabant, vt Iouem & Apollinem, Iunonem & Mineruam: alios autem terrenos, vt fontes & fluuios, & quę dicũtur, nymphas, & Herculem & Dionysium, & Aesculapium, & alios innumerabiles.

Nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.

Illi ergo ignorationis caligine circũdati, in multis, ijsque qui non sunt errant, nos autem vnum scimus Deum patrem, & vnum Iesum Christum. Iure autem hic quoque admiremur sapientiam Apostolicam. Cùm enim prius ostendisset appellationem Domini æqualẽ haberevim & potestatem cum appellatione Dei, eas diuisit, & hanc quidem patri tribuit, illam verò filio, Corinthiorum imbecillitati remedium afferens. Quòd enim multis in locis filium Deum nominat, facile potest qui vult ex eius scriptis intelligere. Expectantes enim inquit, aduentum gloriæ magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi. &, Ex quibus Christus secundum carnem, qui est in omnibus Deus, & in regno Christi Dei, & alia eiusmodi innumerabilia. Hic quidem certè hunc Deum appellauit, illum verò Dominum, ne ijs qui haud ita pridem à Græcorum seu gentium errore liberati fuerant, & veritatem didicerant, præberet occasionem redeũdi ad multorum Deorum errorem. Quòd si Arriani & Eunomiani dicant illud, vnus Deus, eijcere filium à diuinitate patris, audiãt quod consequitur, Et vnus Dominus. Si enim quoniam vnus Deus pater, non est Deus filius: nec pater ergo Dominus, quia est vnus Dominus Iesus Christus, verum enimuero in illorum caput retorquebitur blasphemia. Diuinus enim Apostolus ostendit æqualitatem, vt qui Dei vocem similiter & in patre & in filio posuerit, & vocem Domini æqualem cum Dei voce vim ac potestatem habere ostenderit. porrò autẽ vetus quoque scriptura has esse coniunctas appellationes ostẽdit. Ego enim inquit, sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, &, Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est, & Domine Deus meus magnificatus es valde, & innumerabilia eiusmodi. Qui est ergo vere Deus, omnino est etiam Dominus, & qui est verè Dominus, est omnino etiam Deus. Alioqui, nec est aliàs Deus pater. Vnus enim Deus pater, nec aliter Dominus Iesus Christus. Vnus enim Dominus Iesus Christus. Illud autem, Nos in illũ, pro eo quod est, ad ipsum conuerti, ad ipsum respicere, ipsum debemus perpetuò laudare. Hoc verò, Et nos per ipsum, nõ opificium ac creationem sed salutem significat. Per ipsum enim omnia, nos autem qui credidimus, sumus per ipsum salutem assecuti.

Exod. 20. Deut. 6. Psal. 103.

Sed non in omnibus est scientia.

Hæc, inquit, non omnes sciunt, hinc manifestum est enim prius dixisse ironicè, scimus quòd omnes habemus scientiam.

Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum, cùm sit infirma, polluitur.

Non esus polluit, sed polluitur cõscientia, quæ perfectam cognitionem non suscepit, sed idolorum errore adhuc tenetur.

Esca autem nos non commendat Deo, neque enim si manducauerimus, abundabimus, neque si non manducauerimus, deficiemus.

Eos qui se de cognitione iactabant docet, non eam Dei cultum definire, eo quòd idolis quidem per contemptum attenderent, citra vllum autem discrimen essent immolatorum participes, & eorum qui lædebantur imbecillitatem negligerent. Hoc enim significant ea quæ consequuntur.

Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.

Docet autem etiam quomodo lædantur.

Si quis enim viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem, nõnne conscietia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?

Ostendit autem magnitudinem.

Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est.

Amplificauit accusationem, vt damnum prohiberet. Pro eo enim inquit, fratre quẽ despicis, Christus mortem subijt. Tu autẽ quià Christo accepisti cognitionem, eũ qui ab ipso seruatus est dono interimis. Rursus verò per ironiã posuit illud, In tua scientia, seu propter tuam cognitionem, neque enim testatur eos habere scientiam, sed fratres odio habere, & gulæ deditos esse, & quæ sunt huiusmodi.

Sic autẽ peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

Hæc est enim vox Domini. Videte ne contemnatis vnum ex paruis his minimis qui credunt in me. Hoc autem aliud quoque significat, videlicet quòd etiam frater imbecillus est de corpore Domini: est enim corporis Dominici particeps. Caput autem membro factam iniuriam sibi adscribit. Deinde proponit seipsum vtilitatis exemplar archetypum, & docet quot & quanta non fecerit propter aliorum vtilitatem, cùm ea posset facere.

Matth. 17.

Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne scandalizem fratrem meum.

Non solum enim à carne idolis immolata, sed etiam ab alijs omnibus carnibus, non nũc solum, sed etiam perpetuò abstinere sustinuerim fratrum salutis gratia.

CAP. IX.

Non sum Apostolus?

Hoc est, à Deo ordinatus?

Non sum liber?

Pro eo quod est, In aliena potestate minimè constitutus, & qui non discipuli locum teneo, sed cuius fidei creditus estorbis terrę, & quoniam post Christi assumptionem vocatus est, habebant autem Apostoli gloriam apud omnes maximam, vt qui digni sint habiti qui viderent Dominum, hoc quoque necessario adiecit.

Nonne Iesum Christum Dominum nostrum vidi?

Deinde ipsos etiam vocat in testimonium.

Nonne opus meum vos estis in Domino?

Et hoc ipsum dicit latius.

Et si alijs non sum Apostolus, sed tamen vobis sum.

Hoc breuiter quidem posuit, sed multa simul dixit, & quos in doctrina labores suscepe rit, & quæ certamina & pericula adierit, & quæ quantaque perpessus sit, & gratiæ miracula, quorum fuerunt veri testes Corinthij, vt qui ipsi ea vidissent. Qua de causa dixit, Si alijs non sum Apostolus, at vobis quidem certè sum, etsi enim nullum habeo testem, mihi tamen vestrum sufficit testimonium.

Nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.

Vt enim probem me rectè in Apostolatu gessisse, possum proferre vestram mutationem. Signaculum enim appellat probationem & confirmationem. Ita etiam dixit diuinus Ioannes, Qui accepto suo testimonio signauit quòd Deus verus est, hoc est confirmauit.

Ioan. 3.

Mea defensio apud eos qui me interrogant hæc est.

Si quis meos vult labores examinare, appello vos in testimonium, mihi vestrum opus sufficit, ad meos labores testificandos.

Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circunducendi, sicut, & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?

Potestatem manducandi & bibendi dicit ex Euangelio. Vult autem ostendere, quòd cùm posset ex lege Domini à Discipulis necessarium alimentum accipere, perpetuò laborabat, & ex laboribus sibi necessarium alimentum comparabat, propter vtilitatem discipulorum. Illud autem, Sororem mulierem circunducendi, quidã ita sunt interpretãti, quòd quemadmodum Dominum sequebantur fideles mulieres, necessarium alimentum Discipulis suppeditantes: ita etiam aliquos ex Apostolis sequebantur aliquæ ardentiorem fidem ostendentes, & ab eorum doctrina pendentes, & diuinam prædicationem adiuuantes.

Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?

Pro eo quod est, Omnibus qui Euangelium annunciant, permisit Dominus ex Euangelio viuere, & nos soli ea potestate priuamur? Deinde hoc etiam ex vitæ studijs & exercitijs iustum & necessarium esse ostendit.

Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius nõ edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?

Postquam ita ostendit & militem ex militia ali, & eum qui plantat esse fructus participem, & pastorem ex grege pecudum sibi victum parare, subiunxit.

Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi.

Si cui autem, hæc esse videntur humana ratiocinatio, audiat legem apertè dicentem.

Non alligabis os bouis trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtiq; hoc dicit. Nam propter nos scripta sunt: quoniam in spe debet qui arat arare, & qui tritura, in spe fructus percipiendi.

Deut. 25.

Non hoc dicit, boues non esse Deo curę, curæ enim sunt, sed propter nos curæ sunt, nam illos etiam propter nos fabricatus est. Quamobrem dicit etiam beatus Dauid, Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.

Psal. 146.

Si nos vobis spiritualia seminauimus magnum est si nos carnalia vestra metamus?

Qui multo maiora dedimus, peccamus si multo minora acceperimus?

Si alij potestatis vestræ participes sunt: quare non potius nos?

Eos qui malè eis præerant per hæc innuit.

Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus.

Hoc est, ferimus, patimur, toleramus. Quare?

Ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.

Appositè admodum damnum vocauit offendiculum. Non finit enim, inquit, currere Euangelium, prohibet cursum, reprimit & retardat salutem quæ proficiscitur à prædicatione. Deinde quia boum meminerat, & legem erat interpretatus, verisimile autem erat contradicere aliquos, non fuisse ritè factam interpretationem: Ostẽdit legem id quod dictum est apertius testari.

Nescitis quòd qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant?

Videte eos qui ex lege sacrificant, illa quidem altari offerentes, his verò ipsos fruentes. Hoc enim dixit, De altari participant. Offerebant enim altari quidem renes, & reticulum iecoris, & qui est in ipsis adipem. Ipsi autem acci-

accipiebant & dextrum brachium, & pectusculum. Ostēdit autem Dominum ea quoque iussisse quæ legi conueniunt.

Ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.

Luc. 10. Eius enim vox est. Dignus est operarius mercede sua. Et non dixit, Ditari ex Euangelio, sed viuere.

Ego autem nullo horum vsus sum.

Hoc est apud vos prædicans, hoc enim docet etiam in secunda epistola. Quid enim est in quo inferiores fuistis reliquis ecclesijs, nisi quòd ego vos non grauaui? Quòd enim ab alijs accipiebat, quos accipiendo iuuare existimabat, docet per ea quæ deinceps sequuntur,

2. Cor. 11. Alias ecclesias expoliaui accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Ita etiam sæpe laudat Philippenses, qui eum magno studio & diligentia obseruauerant. Propterea etiam Onesiphoro bona precatur. Cùm autem Corinthiorum sciret imbecillitatem, apud eos perpetuo laborabat, nihil ab eis accipiens. Ne quis autem illorum existimaret ipsum hæc dixisse, vt qui desideraret accipere, merito adiecit.

Non autem scripsi hæc vt ita fiat in me. Bonum est enim mihi magis mori quàm vt gloriam meam quis euacuet.

Gloriationem autem appellat, gratis prædicare, & positos terminos transilire.

Nam etsi Euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit.

Hoc enim exequor vt seruus qui ministro Domino, nullus autem famulus se iactitat, si ea implet quæ imperantur à Domino.

Væ autem mihi est, si non Euangelizauero.

Domino enim resistere, pœnam meretur.

Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.

Illud, Volens & Inuitus, non de sua animi sententia posuit, sed docens se legem Dominicam impleuisse.

Quæ est ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium; vt non abutar potestate mea in Euangelio.

Dedit mihi, inquit, Dominus potestatē accipiendi necessarium alimentum à discipulis, ego autem ea potestate non vtor, sed laborem operationis affero, vt laboris fructum colligam. Hęc omnia persecutus est, eos qui scientia malè vtebantur, & immolatorum participes absque vllo metu erant, & offensionis occasionem imbecillioribus prębebant, ab improba potestate conans abducere. Quocirca ostendit quòd cùm & à lege & à Deo vniuersorum potestatem accepisset, & Apostolos ea vti videret, & ipsam rerum naturam attenderet, eorum nihil admisit, ad vnum respiciens, nempe ad cursum prædicationis, & eorū qui audiebant, vtilitatem. Ijs autem ea etiam quæ sequuntur conueniunt.

Nam cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.

Dicit libertatem quæ à gratia data est. Docet autē apertius quid vocauerit seruitutem.

Et factus sum Iudæus tanquam Iudæis, vt Iudæos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erāt lucrifacerem. Hæc parēthesis non habetur in Græco.

Iudæos, puto, eos appellat, qui nondū crediderant. Sub lege autem, eos qui Euangelium quidem acceperant, sed legis custodiendę vinculo adhuc erant alligati. Propter hos itaque & illos & purificationem ex lege Hierosolymis suscepit: & in Lycaonia Timotheū circuncidit: & alia innumerabilia his similia prudenti dispensationis consilio vsus fecit. Act. 21. Act. 16.

Iis qui sine lege erant, tanquā sine lege essem, cùm sine Dei lege non essem, sed in lege essem Christi, vt lucrifacerem eos qui sine lege erant.

Sine lege eos vocat, qui extra legem vitam agunt. Licet autem videre eius multiplicia atque adeo omnis generis in dispensando consilia, non solum in scriptis suis, sed etiam in Actis Apostolorum. Aliter enim in Iudæorum synagogis disserebat, & aliter in Ariopago doctrinam exhibebat, vnicuique affectioni conuenientia medicamenta adhibens.

Factus sum infirmis infirmus: vt infirmos lucrifacerem.

Ita etiā ad Romanos scribens dicebat, Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. Oportet autem eos ea quę dicta sunt rectè intelligere. Neque enim, vt dixerūt nonnulli diuinum Apostolum calumniantes, pro temporum varietate mutabatur: sed pro aliorum procuranda vtilitate nihil non faciebat. Hoc enim dicit illud, *Vt Iudæos* lucrarer, &, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem, vt lucrifacerem eos qui sine lege erant, vt infirmos lucrifacerem. Deinde hi euiter. Rom. 5.

Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.

Sciebat enim nō futuros omnes salutis participes, & tamen vel vnius gratia nullum non laborem suscipiebat.

Omnia autem facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar.

Euangelij enim scopus & institutum est salus hominum. Hac itaque de causa Dominus quoque vnà cum publicanis vescebatur: & peccatricem mulierem ad pedes deflentem sustinebat, docens se venisse propter salutem hominum. Deinde dicit quòd labor quidem eorum qui prædicant Euangelium, est similis ijs qui corpus exercent, corona autem non similis, sed absque vlla comparatione præstantior.

Nescitis quòd qui in stadio currunt, omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis.

Illic cùm multi certāt, vnus solus à præcone renunciatur, hic autem eorum qui rectè certant, vnusquisque renunciationem assequitur.

Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.

Respicite ergo ad eorum labores, neque enim omnia cōsequuntur vt concupierint, sed illud alimentum accipiunt quod eis offert pędotri-

dotriba, is scilicet qui exercitij artem docet. Postquam itaque laborem ostendit, monstrat etiam quænam sit coronarum differentia.

Et illi quidem, vt corruptibilem coronā accipiant; nos autem incorruptam.

Seipsum quoque proponit pro exemplo.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans.

Video bona quæ sperantur, nō est enim obscura aut incerta corona, nec inanē laborem suscipio aerem feriens, sed qui sub aspectum non cadunt aduersarijs vulnus infero. Hoc autem posuit metaphora sumpta à pancratiastis seu pugilibus ac gladiatoribus. Solent enim illi, dum se exercent, manus in aere mouere. Et quonam modo feris?

Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Sicut alimentum robustum athletam efficit, ita labor, studium, & continentia me quidem confirmat, & fortem ac validum reddit, aduersarium autem deijcit. His autem vtor, pertimescens ne cùm alios id quòd oportet docuero, ipse à certaminum fine omnino excidam. Deinde eos magis volēs perterrefacere, Israelitarum meminit, docens quænam bona adepti fuerant, & in quasnā pœnas inciderint, & illa horum typos & figuras appellat, dicens eos illis similia passuros, si infidelitatem similem habuerint.

CAP. X.

Num. 9. Exod. 13. & 14. 16. & 17. Num. 20. *Nolo enim vos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.*

Illa, inquit, erant nostrorum typus. Mare enim imitabatur piscinam seu lauacrum, nubes autem gratiam spiritus. Moses verò sacerdotem: virga autem crucem: Israel verò significabat eos qui baptizabātur. Persequentes verò Aegyptij implebant figuram dæmonum. Ipse aūt Pharao erat imago diaboli. Post transitum enim Israelitæ ab Aegyptiorum potestate liberati sunt. Porro autem tanquam in figura aliqua, manna quoq; cœlitus acceperūt: Imitata est etiam petra latus Domini. Fluenta enim præter spem eis scaturierunt. Et hoc docet apertius.

Biberant autem de spirituali eos consequente petra. Petra autem erat Christus.

Vult autem dicere non fuisse hoc illis petram quæ consequebatur, sed diuinam gratiam, quæ effecit vt petra illa prēter spē omnem aquarum fluenta emitteret. Si enim petra eos consecuta esset, vel aquæ ex petra, quomodo aquis rursus eguissent?

Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto.

Nam præter Chaleb, & Iesum Naue omnes qui enumerati erant consumpti sunt. Cùm autem sic ostendisset omnes beneficia accepisse, plurimis autem diuina dona nihil profuisse, propter infidelitatē pœnas luisse, subiunxit.

Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & cecciderunt in vno die viginti & tria millia, neque tentemus Christum sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt, neque murmurauerit is sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Exod. 32. Num. 25. & 21. & 14.

Vnumquodque eorum quæ dicta sunt posuit, tanquam quod Corinthiorum peccatis conueniret, & primum quidem malam cupiditatem, per quam plurima mala enascuntur. Deinde idolorum cultum, & ingluiem, propter quam ille exortus est. Ii enim dum gulæ seruirent, comedebant in templis idolorum, porro autē meminit etiam fornicationis, & eorum qui propter illam interempti fuerūt, dixit numerum, ei qui fornicatus fuerat, supplicij timorē incutiens. Murmurabant etiam & qui minora dona assecuti fuerant, quoniā non omnia habuerant. Tentabant autem & qui diuersis vtebantur linguis ad gloriam potius quàm vtilitatem eas in ecclesia proferentes.

Hæc autem omnia in figura contingebant illis.

Pro eo quod est, tanquā figuræ. In illis enim nostra conscribebantur.

Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt.

Neque enim propter illorum vtilitatem effecit Deus vt hæc scriberentur. Quamnam enim caperent vtilitatē mortui ex scriptis? Sed lucrum, quod ex ijs erat prouenturum, nobis procurabatur. Præclarè autem sæculi quoque finem adiecit, eos vrgens & incitans ad studium & actionem virtutis.

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.

Tu, inquit, qui te cognitionem habere existimas. Quoniam autem ipsi quoque multa probra, conuitia, & contumelias ab ijs qui non credebant sustinebant, & verisimile erat eos quoque hoc nomine sibi valde placere, subiunxit.

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.

Pro eo quod est, parua, hac enim appellatione vti consueuit diuinus Apostolus, pro paruo. Quemadmodum quando dicit, Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, pro eo quod est, vestræ naturæ conueniens.

Fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.

Docuit autem sibi non esse fidendum, sed diuinum petendum esse auxilium. Cùm esset autem hæc omnia persecutus, redijt ad caput propositum.

Propter quod charissimi mei fugite ab idolorū cultura.

Accusationem sigillatim amplificat, & ostendit eorum quæ idolis immolantur parti-

cipationem, si fiat citra vllum discrimen, ab idolorum cultu nihil differre.

Vt prudentibus loquor.

Vnà cum laude affert reprehẽsionem, bonis verbis vt ea bene accipiatur procurans.

Vos ipsi iudicate quod dico.

Vobis vtor iudicibus, noui enim prudentiam vestram.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis vnum corpus multi sumus. Omnes quidem de vno pane, & de vno calice participamus.

Et de vno calice non habetur in Græco.

Qui sacra mysteria percipimus, nónne ipsi Domino communicamus, cuius & corpus & sanguinem esse dicimus? quandoquidem omnes vnius panis sumus participes. Deinde hoc etiam alia ratione confirmat.

Videte Israel secundum carnem. Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris?

Respicite autem etiã ad Israelem, & discite quòd qui sunt hostiarum participes, ipsi altari communicant, quandoquidem ex vna hostia hæc quidẽ illic offerunt, illa verò ipsi comedunt. Secundum carnem autem Israel vocauit, eum qui in infidelitate permansit, vtpote qui crediderunt, spiritalis Israel appelletur.

Quid ergo, Dico quòd idolis immolatũ sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? Sed quòd quæ gentes immolant, Dæmonijs immolant, & non Deo.

Sed nemo existimet me dicere quòd vim aliquam habeant immolata, & natura possint polluere eum qui eorum fit participes: non enim hoc dico, sed quòd qui superstitioni seruiunt, Dæmonibus sacrificia offerunt.

Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum.

Deinde maiorem metum incutit.

Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum.

Etenim enim illi libamina gustabant.

Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.

Quomodo fieri potest vt Domino communicemus pretiosum eius corpus & sanguinem, & rursus Dæmonibus, per eius quod idolo immolatum est nutrimentum?

An æmulamur Dominum nunquid fortiores illo sumus?

Illud, Ad æmulationem prouocamus, pro eo quod est, irritamus, posuit. Diuinam autem etiam vocem illis in memoriam reuocauit. Ipsi prouocauerunt me in non Deo, ad indignationem me concitarunt in idolis suis.

Omnia mihi licent?

Legendum est per interrogationem. Deinde per responsionem.

Sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent.

Et hoc similiter.

Sed non omnia ædificant.

Licet tibi propter eam quam te dicis habere cognitionẽ, omnia facere, sed nec tibi conducit alios offendere, nec illos ædificat id quod tu facis. At perfectus es. Atqui conuenit etiam imbecilliorum curam gerere. Hoc enim subiunxit.

Nemo quod suum est quærat: sed quod alterius.

Græcũ habet ἕκαστος, Vnusquisque quod non est in Lat. vers.

Sed quia eorum quæ idolis immolata sunt omnino prohibet participationem, plenę autem erant illo tempore vrbes huiusmodi carnibus: & verisimile erat eos quidẽ qui legem Apostolicam seruare contendebant, nullo modo emere, alios verò propter gulam legem contemnere, necessario etiam de eo statuit ea quæ par est.

Omne quod in macello venit comedite, nihil interrogantes propter conscientiam, Domini est terra & plenitudo eius.

Omnes creaturæ Dei sunt, ipse omnia ad hoc vt essent deduxit. Securè ergo emite, non interrogantes, an sit idolis immolatũ, an non, hoc enim sibi vult illud, Interrogantes.

Si quis vocat vos infidelium ad cœnã, & vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.

Ad cœnam non est in Græco.

Non iussit eũ qui vocatur recedere, sed neque prohibuit: eorum autem qui vocantur potestati quid agendum permittit. Neq; enim infideles venari potuissent, si fuisset ablata cũ eis congressio.

Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam.

Domini enim est terra, & plenitudo eius, & hoc posuit & de comedẽdo, & de non comedendo, docens quòd oportet eos etiam scire qui sunt participes, & hoc ipsum etiam oportet persuasum habere eos qui non comedunt quòd omnia sunt Domini effecta & creaturæ.

Conscientiam dico non tuam, sed alterius.

Tu enim nosti quòd Domini est terra, & plenitudo eius, & idolorum imbecillitatem contemnis, ille autem errori mãcipatus, hinc damnum accipit, existimans te eorum quæ idolis immolantur esse participem, hoc enim docent ea quæ consequuntur.

Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia?

Appellat libertatẽ, gratiam fidei, hoc enim docet in ijs etiam quæ sequuntur.

Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago?

Non est, inquit, fas & sanctum, vt alius propter meam perfectionem damno afficiatur.

Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Pulchrè omnia comprehendit, & sedere, & ambulare, & differere, & misereri, & docere, vt vnus omnium scopus, Dei gloria. Ita etiam præcepit Dominus, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui est in cœlis. Ita etiam hic.

Sine offensione estote Iudæis & gentibus, & ecclesiæ Dei.

A vobis nulla oriatur causa scandali, nec ijs qui non credunt, nec ijs qui iam crediderunt.

Sicut & ego per omnia omnibus placeo.

Atqui hoc est proprium adulatorum, sed quod deinceps sequitur non est eorum.

Non

Non quærens quod mihi est vtile, sed quod multis, vt salui fiant.

Adulatores autem non alienam vtilitatem quærunt, sed propriam, imò nec propriam quidem, sibi enim ante alios exitiũ afferunt. Diuinus autem Apostolus suum commodum nõ quærebat, sed aliorum vtilitatem procurabat, diuitias in quas nõ cadit interitus per illa amplificans.

CAP. XI.

Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

Hæc mea dispensationis consilia imitemini. Etenim ego Dominũ imitatus sum, qui alio modo loquebatur cum Iudæis, alio modo cum Apostolis, & alia quidem perfectis, alia verò imperfectis afferebat. Postquam de ijs quæ idolis immolabantur perfecit accusationem, alia rursus peccata corrigit. Etenim consueuerant Corinthiorum mulieres, ne in orationis quidem tempore caput tegere, nonnullę autem sibi propter eloquentiam placentes, etiam in ecclesia docere aggrediebantur. Hoc ergo hic corrigit.

Laudo aũt vos fratres quòd per omnia mei memores estis & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.

Nec hæc laus vera est, eos enim potius reprehendit, quòd positos terminos non seruauerint.

Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir; caput verò Christi, Deus.

Volens viris mulieres subijcere, & docens nõ oportere eam audere docere, quam Deus ab initio iussit esse in viri potestate, his verbis vsus est. Neq; enim diuina decreta trãdẽs, neque Theologia vtens, aut de diuintiate loquens, hunc ordinem composuit. Arriani aũt & Eunomiani filium esse creaturã & effectum hinc etiam conantur ostendere. Caput enim, inquit, Christi Deus, ergo & mulieris est viri creatura, & ab eo effecta est, quando quidem vir est caput vxoris. Mulier autem non est viri creatura, nec ab eo effecta est, sed ex viri substantia, nec filius ergo est Dei creatura sed est ex Dei substantia. Hoc autem dicit diuinus Apostolus quòd cuiuslibet viri Christus caput est, scilicet credentium: vestrum autem caput est, nõ quatenũ Deus, sed quatenus homo est. Corpus enim eius dicimur. Oportet autem caput esse eiusdem generis cum corpore. Quod ad humanitatem ergo attinet, nostrum est caput, ergo & in ea eius caput Deus est. Sin autem volunt hoc etiam dictum esse in diuinitate; sciant quòd quemadmodum nostrum, qui naturam humanam habemus, in ipsum autem credimus, quod ad humanitatẽ attinet, caput dicitur: quod enim ad eam spectat, est eiusdem nobiscum substantiæ, ita pater, qui eius caput appellatur, eandem cũ eo substantiam indicat, & est, quod ad diuinitatem quidem attinet, eusdem cum patre substantiæ: eiusdem autem nobiscum, quod ad humanitatem attinet, eius autẽ caput vt pater & causa nominatur.

Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.

Nam hoc etiam fiebat apud illos citra vllũ discrimen. Græco enim more & comas habebant, & operta capita habentes, Deum orabant. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.

Vnum enim est ac si decaluetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi, aut decaluari: velet caput suum.

Ex coma satis ostendit conuenire mulieri vt tegatur.

Vir quidem nõ debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est.

Homo est Dei imago, neque quo ad corpus, neque quo ad animam, sed tantum quod attinet ad principatum & imperium, vt cui ergo omnium quæ sunt in terra imperium est creditum, Dei imago appellatur. mulier autem, vt quæ sit in potestate viri, est viri gloria, & veluti imago imaginis, nam ipsã etiam alijs imperat, sed viro subiecta esse & ei parere iussa est. Deinde alia etiam ratione.

Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.

Ergo etiam ratione creationis viri primas partes obtinent.

Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.

Hoc etiam sufficit ad ostendendum virum iure principatum tenere, non enim hic propter illius vsum, sed ipsa propter eius vsũm producta est.

Ideo debet mulier habere velamen super caput suum propter Angelos.

Velamen, Theodo. legit ἐξουσίαν, id est, potestatẽ.

Tegumentum potestatem vocauit, pro eo quod est, ostendat subiectionem, seipsum contrahens, & maximè propter Angelos, qui præsunt hominibus, vtpote quibus sit eorum cura credita. Ita etiam in Actibus, Nõ est ipse, sed Angelus ipsius. & Dominus, Videte ne contempseritis vnum ex pusillis ijs qui in me credunt. Amen enim dico vobis, quòd Angeli eorũ semper vident faciem Patris qui est in cœlis. Sed quoniam per ea quæ dicta sunt viros nimium extulerat, necessario subiunxit.

Actor. 13. Matth. 18.

Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.

In Domino, Græcè ἐν τῷ κύριῳ, in mundo.

Per coniunctionem enim & consuetudinem genus auctum est.

Nam sicut mulier de viro: ita et vir per mulierem.

Nec his fuit contentus, sed horũ etiam causam ostendit.

Omnia autem ex Deo.

Ipsis autem rursus vtitur iudicibus.

Vos ipsi iudicate. Decet mulierem non velatam orare Deum? nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidẽ si comam nutriat, ignominia est illi, mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.

Si ea ergo comam gloriam existimat, & ignominiam esse ducit si ea auferatur, consideret quòd ignominia afficit eum qui dedit, si non cum ea qua par est verecundia & honore accedat.

Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem

Græcè ἀι ἐκκλησίαι, ecclesiæ, deest autem, Dei.

consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei.

Sufficit hoc quod dicit ad refellendos vel maximè contentiosos. Ostendit enim ea non ei soli ita videri, sed omnibus Dei ecclesijs. Cùm itaque huic delicto conuenientem medicinam adhibuisset, more optimorum medicorum, alij morbo medetur. Consueuerāt enim in ecclesijs post mysticam diuini muneris celebrationem communiter comedere diuites & pauperes: & hinc ad egenos magnum redibat solatium, cùm diuites quidem domo obsonia afferrent, qui autem pauperes erant, propter fidei participationem erant etiā conuiuij participes, sed procedente tempore hoc non ritè fiebat, sed diuites pauperes cōtemnebant. Hoc cùm resciuisset diuinus Apostolus, de eo scribit quæ accommodata & vtilia futura sunt.

Hoc autem præcipio, non laudans quòd non in melius, sed in deterius conuenitis.

Iure vos reprehendo, cùm enim oporteret vos virtutem tempore augere, vos eam minuitis, & ei detrahitis, propter diuitias.

Primum quidem cōuenientibus vobis in ecclesiam, audio schismata esse inter vos, & ex parte credo.

Schismata dicit, non de dogmatibus, sed quę pro imperij & principatus cupiditate oriebantur, quæ etiam in principio epistolæ reprehendit. Sapienter autem admodum accusationis vehementiam moderatus est. Non enim dixit simpliciter & absolutè, Credo, sed, Et ex parte aliqua credo.

Nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati sint manifesti fiant in vobis.

Hæreses appellat contentiones, non differentias dogmatum. Illud autem, Oportet, nō affert necessitatem. Tale est & quod à Dominō dictū est, Scandala venire necesse est. Tanquam enim perfectè quæ futura erant præuidens, quod prēuidit prædixit, non autem ipse vt fieret coegit. Sed hoc inquit diuinus Apostolus, nihil affert detrimenti. nam dum mali redarguuntur, optimorum virorum probatio efficitur.

Matth. 18.

Conuenientibus ergo vobis in vnū, iam non est Dominicam cœnam manducare.

Dominicam cœnā vocat sacramentum Dominicum. Illius enim omnes sunt ęquè participes, & qui in paupertate degunt, & quibus diuitiæ spiritus faciunt, & domini & serui, & principes, & qui eorum parēt imperio. Oportebat ergo, inquit, & mensas communes esse communes, & imitari Dominicam, quę est omnibus ex æquo proposita, nunc autem non ita facitis.

Vnusquisq; enim suam cœnam præsumit ad manducandū, & alius quidem esurit, alius verò ebrius est.

Ostendit communes cœnas cum cœna dominica pugnare ex diametro. Illius enim omnes sunt ex æquo participes. Hic autem alius quidem esurit: alius verò ebrius est. Et non dixit, Bibit, vel satiatur, sed Ebrius est, duobus nominibus accusans, & quòd solus bibit, & quòd est ebrius. Deinde increpando.

Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Dei ecclesiam contemnitis, & cōfunditis eos qui non habent?

Si acceditis vt lautè & opiparè epulemini, hoc facite in domibus, hoc enim est in ecclesiam cōtumelia & aperta insolentia. Quomodo enim non est absurdū intus in templo Dei præsente Domino, qui cōmunem nobis mensam apposuit, vos quidem lautè viuere, eos autem qui sunt pauperes esurire, & propter paupertatem erubescere?

Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.

Solita lenitate vsus est. Spiritaliter, non iudicialiter increpat. Deinde sacra mysteria apertius eis in mentem reuocat.

Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum testamētum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam cōmemorationem.

Sacram illam & omni ex parte sanctam noctem in memoriam reuocauit, in qua & typico Paschati finem imposuit, & verum typi archetypū ostendit, & salutaris sacramenti portas aperuit, & non solum vndecim Apostolis, sed etiam Iudę proditori pretiosum corpus & sanguinem impertijt. Docet autem quòd illius noctis bonis semper frui possumus.

Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.

Etenim post eius aduentum, non amplius etit opus symbolis seu signis corporis, cùm ipsum corpus apparebit. Et propterea dixit, Donec venerit. Hoc ergo diuinus Apostolus pro exemplo posuit, docens quàm esset turpe & absurdum quod fiebat ab ipsis. Cùm autem incepisset loqui de sacramentis, de eo illa quę par est admonet.

Itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Hic eos quidem pungit qui laborabant ambitione, pungit autem eum quoque qui fuerat fornicatus, & cum eis illos qui eorum quę idolis immolata erant, fuerant absq; vllo discrimine participes, præterea autem & nos, qui cum mala conscientia audemus diuina sacramenta percipere. Illud autem, Erit reus corporis, & sanguinis, hoc significat, quòd quem admodum tradidit ipsum Iudas, ipsi autē insultarunt, & eum probris & conuitijs affecerunt Iudæi, ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimū eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & incestum os immittunt. Postquam eos ita terruit, ea quæ par est admonet.

Probet autē seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

Sic tui ipsius iudex, vitam tuam exactè iudica, cōscientiam scrutare & examina, & tunc donum suscipe.

Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Non solum enim illinc salutem nō assequeris, si iniquè acceperis, sed tuæ etiam in eum petulantiæ & iniurię pœnas dabis. Porrò autē futura quoque confirmat ex ijs quę facta sunt.

Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.

Hęc autem posuit, vt quę facta fuerant. Neque enim in animum induxisset ea scribere, quæ facta non erant, cùm sciret id esse falsum apertè cognosci.

Quod si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicamur: dum iudicamur autē, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.

Si vellemus vitę nostrę rationes inire, & iustam in nos ferremus sententiam, non ferret in nos Deus qua nos puniret sententiam, & tamen quāuis vel maxima delicta admittamus, Dominus nos moderatè castigat, ne impiorū exitio tradamur. Quòd autem quę dixit de sacramentis pro exemplo posuit, docens eos facere cōmunes mensas in ecclesijs, ad sacram illam mensam respicientes, docent ea quę sequuntur.

Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis. Cætera autem, cum venero, disponam.

Neque enim de omnibus poterat. Sed cùm scripsisset de magis necessarijs, reliqua prędentię reseruauit. Nos autem ex hoc vtilitate accepta, fugiamus quæcunque fidei incommodant: pauperum autem curam geramus: conscientiam prępurgantes, ita simus diuinorum sacramentorum participes, vt eum in nobis habitantem recipiamus. Cum quo patri vnà cum sanctissimo Spiritu gloria & magnificentia, nunc, & in sæcula sęculorum. Amen.

TOMVS TERTIVS.

CAP. XII.

De spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres.

Olim ijs qui diuinā prædicationem susceperant, & salutari baptismate digni erant habiti, apertè & euidenter dabatur spiritalis gratiæ operatio. Et alij quidem varijs linguis loquebantur, quas neque secundum naturam norant, nec ab alijs didicerant, alij verò faciebant miracula, & morbis medebantur, alij verò propheticum donum percipiebant, & futura prædicebant: Et nonnunquam ea etiam quæ occultò fiebāt manifestabant, inhabitantis gratiæ operationem reuelantes. Neque enim fieri poterat vt qui Dæmonum fraudi diutissimo tempore seruierant, & cōmuni morbo laborauerant, indoctis hominibus, & inopibus, tam facilè crederent, & ab eis veritatem discerent, nisi diuina gratia euidenter apparerer, & fidei veluti pignora miracula præberet. Ea cum alijs qui in vniuerso terrarum orbe crediderant, acceperant etiam Corinthij: sed ijs quæ data erant nō vsi erant vt oportuit. Ad gloriā enim & ostentationem potius quàm ad vsum ostendebant operationem gratię. Eos autem ad superbiam vel maximè inflabat donum linguarum, & neque eius qui audiebat, neq; eius qui interpretabatur, sed diuersis linguis vtebantur, & neque hoc ritè & ordine faciebant, sed duo simul & tres, & quatuor. Diuinis autem Apostolis gratia spiritus linguarum cognitionem dederat, quoniam cùm essent omnium gentiū doctores declarati, oportebat eos scire omnium voces, vt vnicuiq; per propriam vocem Euangelicam prędicationē afferrent. Ergo de his etiā beatissimus scripsit Paulus, eos docens rectum ordinem quo vti conuenit.

Scitis autem, quòd cùm gentes essetis, ad simulacra muta prouti ducebamini euntes.

Obscurè dictum est, ppter multam breuitatem. Vult autem & Grecarum fabularū differentiam conuincere, & pietatis veritatem ostendere. Dæmones enim cùm Dei appellationem arripuissent, & eam sibi imposuissent, plurimū erroris inter homines effecerunt. Etenim cùm ijà recta via declinassent, & eū qui verè Deus est reliquissent, multis cultum diuinum exhibuerunt. Neq; enim vnumquemque omnia posse existimabant. Sed hunc quidem sapientiæ, illum verò militaris artis seu experientiæ, alium autē nauticæ scientię suppeditatorem existimabant. Hoc ergo diuinus Apostolus per ea quæ dicta sunt significauit. Priusquam scilicet pietatis lucē susciperetis, falsitati adhuc seruientes, instar brutorū animalium huc & illuc circumagebamini, insensilium simulacrorum deceptioni mancipati.

Ideo notum facio vobis quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesum. Et nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.

Apud nos autem maxima est concordia & consensio. non enim alia quidem docet filius vnigenitus, alia verò sanctus Spiritus, sed quēadmodum in diuinis Euangelijs sanctissimi Spiritus dignitatē docuit Christus Dominus: ita eius dominatum diuinus prędicauit Spiritus, nec fieri potest vt qui à diuino Spiritu agitur, Christum à diuina natura alienū pronunciet: nec rursus vt ipsum Deum purè & sincerè confiteatur, nisi ab illa gratia illuminetur.

Diuisiones verò gratiarum sunt: idem autem spiritus, & diuisiones administrationum sunt: & idem Dominus, & diuisiones operationum sunt: idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus.

Apertè per hæc eorum quæ dicta sunt scopum nobis reuelauit. Ostendit enim multa & varia esse quæ donantur dona, sed vnum eorum esse fontem. Eadem enim dicit suppeditari & à sanctissimo Spiritu, & à Domino, & à Deo & patre. Eadem enim & dona seu gratias, & ministrationes, & operationes appellauit. Dona autem seu gratię vocantur quòd à diuina dentur magnificentia. Ministrationes autem, quia per homines ad hoc ministerium ordinatos dabantur. Ita etiā dixit in epistola ad Romanos. Quatenus ego quidē sum gentium Apo-

Roman. 11.

Apostolus, ministerium meum glorifico. Et scribens ad Timotheum, aliquando quidem,
2. ad Tim. 4. Imple ministerium tuum, aliquãdo verò, Admoneo te vt resuscites gratiã Dei.
2. ad Tim. 1. Operationes autem rursus dona vocauit, vtpote quę diuina natura operetur. Neq; enim, vt quidam stulti existimabant hæretici, hæc quidem dixit spiritum operari, illa verò Deum vniuersorum: sed eorundem donorum esse suppeditatricem trinitatem ostendit. Et hoc docet manifestius in ijs quæ consequuntur. Cùm hic enim Deum dixisset operari, dicit paulò pòst, Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Hæc quidem posuit in præsentia diuinus Apostolus aduersus Gręcas opiniones, illorum ostendens dissensionem. præterea autem etiã eos qui quę minora videbantur esse dona acceperant, consolans, & docens quòd hæc & illa ab eodem patre data sunt. Hoc enim etiã innuunt ea quæ consequuntur.

Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.

Non dixit, gratia, sed manifestatio. Gratia enim datur etiam nunc ijs qui sanctissimo baptismo digni habentur, sed non euidenter, tunc autem protinus & varijs linguis loquebantur, & miracula faciebant, per hęc confirmantes, & doctrinæ veritatem docentes. Necessario autem dixit spiritus manifestationẽ dari ad vtilitatem, eos ipsos animi cruciatos consolans, & docens quòd qui apertè scit omnia, & nouit quid vnicuique conferat, omnia sapienter dirigit.

Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ, secundum eũdem spiritum.

Sermonem sapientię vocat, non eloquentiam, sed veram doctrinam, cuius ipse etiam Apostolus gratiam acceperat, & diuinus Ioannes Euangelista, & diuinissimus Petrus Apostolorum summus, & Martyrum primus beatus Stephanus. Neque enim potuissent homines piscatores, & manu sibi victum parantes, & literarum planè ignari, & conciones habere, & scribere, & quę dicebãt, & scriptis mandabant, vi maxima implere, nisi à diuino spiritu veram sapientiam accepissent. Alij autem ex ijs qui crediderant, habebant quidem diuinorum decretorum & dogmatum cognitionẽ, sed nõ similiter ac ij concionari poterant, & tamen hoc quoq; erat donũ gratię spiritus.

Alteri fides in eodem spiritu.

Fidem hic non hanc dicit communem, sed illam de qua paulò pòst dicit, Etsi habuero oẽm fidem ita vt montes transferam. Propter eam enim quæ tunc erat infidelitatem, multa eiusmodi miracula faciebant ad admirationem, illos per ea deducentes ad veritatem.

Alij gratia sanitatum in eodem spiritu.

Dicit infirmorum curationem, & redditũ claudis ingressum, & ijs qui visu priuati erant, redditam lucis vsuram. Hęc enim fiebant illo tempore, vt testis est Actuum historia. De diuino enim Petro dicit, quòd multos ęgrotantes in plateis in lectis ponebant, vt Petro accedente vel vmbra eius aliquem adumbraret. De diuinissimo autem Paulo, quòd color vestimentorum eius morbos exigebat.

Alij autem operatio virtutum.

Hoc donum sępe etiam supplicium intulit, quemadmodum Elymęlucis priuationem, & Ananiæ & Saphiræ mortem præmaturam. Act. 13. & 5.

Alij autem prophetia.

Huius etiam doni multi erant participes, non solum viri, sed etiam mulieres, vt apertè docet Actuum historia.

Alij discretio spirituum.

Quoniam enim illo etiam tempore erant vates, qui homines decipiebant, data erat aliquibus hæc à diuino spiritu gratia, vt eos discernerẽt qui ab aduersario spiritu agebantur.

Alij autem genera linguarum.

De hoc autem dono quę oportuit prius diximus, ipsum autem posuit vltimum: donum autem doctrinę primum, quandoquidẽ propter illud & hoc & alia data sunt, vt crederetur prædicatio.

Alij interpretatio sermonum. Sermonum, Græcè γλωσσῶν, linguarum.

Erat autem hoc quoque spiritale donum. Homo enim qui linguam Gręcam sępe solum nouerat, alio lingua Scythica & Thracica disserente, afferebat auditoribus interpretationem. Vbique autem adiecit, secundum eundem spiritum, & in eodem spiritu, docens esse quidem varios riuos, sed vnum fontem, & ne hoc quidem existimauit sufficere, sed subiunxit.

Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

Per hęc autem omnia eos qui minora dona acceperunt consolatur, docens ea quoq; esse dona diuini spiritus. Dat autem diuinus Spiritus vt vult, vult autem ea quæ sunt vtilia, hoc enim prius dixit. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Propterea non dixit, spiritus, sed, vnus & idem spiritus, docens quòd non hęc quidem alius, illa verò alius, sed vnius & eiusdem spiritus sunt hæc & illa dona. Deinde vtitur similitudine, ostendens ex ijs quæ videntur, ea quæ non videntur.

Sicut enim vnũ corpus est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus.

Christum hic commune ecclesię corpus appellauit, quoniã huius corporis caput est Christus Dominus. Præcipit ergo ne corpus tristitia afficiatur, & sciat quòd ex diuersis quidẽ membris est compositum: vnum autem corpus & est & dicitur, & hinc intelligat quòd etiam ecclesia vocatur quidẽ corpus Domini Christi, habet autem multa membra, & differentia, & hęc quidẽ maiora, illa verò minora, & hęc quidem præstantiora, illa verò inferiora, sed omnia tamen necessaria & vtilia. Docet autem etiã quo modo omnes qui credimus corpus vnum appellemur.

Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno spiritu potati sumus.

Omnes

Omnes ab vno spiritu renouati sumus, idem donum omnes in baptismo accepimus, remissionẽ peccatorum similiter accepimus, diuinorum sacramentorum sumus ex æquo participes. Vnum ergo corpus sumus, etsi diuersa membra habemus. Hoc enim dixit, In vnum corpus baptizati sumus, ꝓ eo quod est, ideo vt vnum corpus essemus.

Nam & corpus nõ est vnum membrum sed multa.

Neque enim corpus est simplex, sed ex multis partibus compositum.

Si dixerit pes quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, Nõ sum de corpore, num ideo non est de corpore?

Eos rursus qui minora dona acceperunt, per hæc docet non ægrè ferre, sed contentos esse ijs quæ data sunt. Etsi enim non manus sed pedis operationem exerceas, neque oculi sed auris officio fungaris, oportet te scire quòd hæc etiam sunt corpori necessaria.

Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum auditus: vbi odoratus?

Si enim totum corpus habiturũ esset vnum membrum pręstantissimum, esset penitus inutile, vt quod esset priuatũ reliquis membris.

Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit.

Hęc quoque sufficerent ad persuadendum ei qui ægrè fert, vt contentus esset ijs quæ data sunt. Si enim Deus corporis partibus officia & actiones tribuit; qui non stat ijs quę definita sunt, apertè repugnat ei qui definijt. Et per hæc quidem, Patris & spiritus honoris æqualitatem ostendit. Etenim de spiritu dixit, quòd hæc omnia operatur sicut vult, & de Deo, quòd posuit membra vt voluit.

Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidẽ membra, vnum aũt corpus.

Esset enim corpus inutile, si membrorum non haberet differentiam. Ab hoc deinceps loco docet eos qui maiora dona acceperunt, ne alios despiciant, sed tanquam membra necessaria honorent.

Non potest autem dicere oculus manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij. Sed multo magis quæ videntur mẽbra corporis infirmiora esse, necessariora sunt, & quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his abundantiorem honorem circundamus.

Ex partibus imbecilliora & magis necessaria sunt iecur & cerebrum. Ossa enim sunt ijs firmiora, & validiora, maiorem tamen securitatem ab effectore consecuta sunt. Ex partibus rursus corporis, ignobiliores videntur esse pedes. Sed tamen eorum quoque multam curam gerimus, calceis eos tegentes.

Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorẽ honestatem habent. Honesta autẽ nostra, nullius indigent.

Facies enim non eget tegumento, genitales autem partes & nos veste tegimus, & natura eis pilos tanquam aliquod indumẽtum addidit. Hoc enim subiunxit.

Sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat abundantiorem honorem tribuendo.

Ita clunibus contexit partem qua egeritur. Inhonesta autẽ & indecora vocauit ab ea quæ est de ijs opinione.

Vt non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnũ membrum, compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum membrum, cõgaudent omnia membra.

Hæc summa societas inuenitur locum habere in partibus corporis. Si pes enim offendatur, totum corpus molestia afficitur, & si vnguis plus quàm opus sit secetur, per totum corpus peruadit sensus doloris, & si lingua maledicat, vel mẽtiatur, flent oculi, & rursus si oratorièloquatur, rident, gaudium significantes. Cùm ita similitudinem pluribus ostendisset, ad propositum reuertitur.

Vos aũt estis corpus Christi, & membra de mẽbro.

Non enim vos soli, sed omnes qui in vniuerso orbe terarum crediderunt. Propterea enim adiecit illud, Ex parte. Deinde docet ordines ecclesiæ.

Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primũ Apostolos.

Non dicit solos duodecim, sed etiam septuaginta, & eos qui postea eãdem gratiam assecuti sunt. Nam & ipse postea vocatus eundem ordinem consecutus est, & beatus Barnabas, & alij prętera innumerabiles. Iam verò Epaphroditum quoque vocat Apostolum Philippensium. Vestrum, inquit, Apostolum, & adiutorem necessitatis meæ. Ad Phil. 2.

Secundo Prophetas.

Non eos dicit qui erant ante gratiem, sed qui in gratia, ex quibus erat Agabus, & qui Antiochiæ prophetarunt, & ipse diuinus Apostolus.

Tertio doctores.

Nam ij quoque à diuina gratia inspirati, & de diuinis dogmatibus doctrinam afferebãt, & moralem adhortationem adducebant.

Deinde virtutes, exinde gratias curationum.

Ex his doctrinam addidit, non frustra, sed docens illa esse propter ipsam, non autẽ ipsam propter illa. Doctrina enim salutem procurauit. Sed quoniam absque signis illam non recipiebant, necessario miracula, veluti quædã pignora dabantur eis qui accedebant.

Opitulationes, gubernationes.

Ecclesiarum administratores per hæc significauit.

Genera linguarum. Interpretationes sermonis non est in Theod.

Vltimum hoc donum posuit, non temere, sed quia de eo sibi valde placebant, & eo ad ostentationem, non ad necessitatem vtebantur. Ea enim de causa posuit etiam ordinem donorum, & dixit quodnam sit primũ, quod secundum, & quod tertium: vt eorum quæ sunt magis necessaria curam gerant.

Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nũquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur?

Per hæc rursus cõsolatus est eos qui sibi videbantur minora dona accepisse, & apertè docuit fieri non posse vt omnes eadem habeant, & quòd

& quòd ſui inuicem indigent, ſicut membra alterum alterius auxilio indiget.

Æmulamini autem chariſmata meliora.

Legerunt hoc quidam per interrogationẽ, pro eo quod eſt, Chariſmata ſeu dona meliora omnino deſideratis? Si reuera deſideratis, ego vos ad ea lubenter deducã, hoc enim ſubiunxit.

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.

Hoc eſt, donorum longè maiorum viam oſtendo, & eos docet quòd his omnibus eſt melior ac præſtantior dilectio in proximum.

CAP. VIII.

SI linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens.

Donum linguarum primum omnium poſuit cum alio conferens, quoniam hoc apud eos videbatur eſſe alijs maius ac præſtantius, majus autem ipſum exiſtimabant, quoniam ante alia omnia Apoſtolis datũ eſt in feſto Pentecoſtes, quando venit ſanctiſsimus Spiritus. Dicit ergo. Etiamſi omnium hominũ vocem loquar, & pręterea voces poteſtatum quę ſub aſpectum non cadunt, in proximum autem charitatem non habeam, ab inanimis inſtrumentis nihil differo. Angelorum autem linguas dicit, non quæ ſenſũ ſed quæ intelligentia percipiũtur, per quas & vniuerſorum Deum laudant, & inter ſe diſſerũt. Eos enim laudantes audierunt Eſaias & Ezechiel. Quinetiam Daniel eos inter ſe loquentes audijt, & Zacharias, & Michæas. Diuinus autem Apoſtolus hoc poſuit hyperbolicè, charitatis lucrum volens oſtendere.

Etſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, etſi habuero omnem fidẽ, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil ſum.

Rurſus ea quæ ſunt reuera dona maxima, prophetiam & fidem cum charitate comparans, oſtendit charitatẽ eſſe ſuperiorem. Hęc autem rurſus poſuit, non ſimpliciter, ſed cum amplificatione. De prophetia enim dixit, Si nouero myſteria omnia, & omnem ſcientiam: de fide autem, Vt montes transferam, & ea ratione oſtendit eſſe præſtantiſsimam charitatis poſſeſsionem.

Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

Hic cum maximis virtutum formis, pecuniarum ſcilicet contemptu, & cum voluntaria, & quæ ſponte ſuſcipitur paupertate, & cũ certaminibus quę pro pietate ſubeuntur, conferens, illam oſtendit hęc etiam vincere. Porro autem hæc rurſus poſuit cum amplificatione. Etenim de facultatibus dixit, Si diſtribuero in cibos pauperum facultates meas, hoc eſt, Si ipſe meis manibus res meas diſtribuam, & pauperũ curam geram. Et in martyrio non poſuit ſimpliciter mortem, ſed corporis exuſtionem, hic enim dolor videtur eſſe alijs ſupplicijs grauior & vehementior. Quę ſi fuerit autem fortaſſe quiſpiam, quomodo fieri poſſit, vt qui hæc fecerit, charitatem non habeat? Sciendum ergo quòd iuſtus iudex non ſolum iuſtum factum videt, ſed etiam facti ſcopum & inſtitutum. ſunt enim multi homines, qui propter humanam gloriam multa faciunt, & eſt ſatis probabile eum qui poſſeſsionibus renunciat hoc agere vt gloriam venetur ab hominibus, & rurſus propter legem diuinam, & regni cœlorum deſiderium, & non vt curam gerat pauperum. Sciendum eſt autem quòd diuinus Apoſtolus multis hyperbolicè poſitis confirmat prędictam doctrinam. Ita etiam ad Galatas ſcribens, dicit. Etſi ego aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Atque ſciebat quidem fieri non poſſe vt Angelus quiſpiam doceret quæ eſſent contraria diuinæ prædicationi, hoc tamen poſuit docens nulli alij aliam doctrinam afferenti eſſe credendum, etiamſi ſit fide valde dignus. Galat. 2.

Charitas patiens eſt.

Quę propinquo deſunt, magno & generoſo fert animo.

Benigna eſt.

Manſuetudine & probitate vtitur.

Charitas non æmulatur.

Inuidiæ vitium non admittit.

Non agit perperam.

Non curioſè ſcrutatur ea quæ non attinet, hoc enim eſt, Perperam agere. Non attingit menſuram diuinæ ſubſtantiæ, nec ea, in quibus eius diſpenſatio verſatur, examinat, quod nonnulli facere conſueuere. Qui habet charitatem, nihil temere facere in animum inducit. Charitas enim, pro eo quod eſt, Qui habet charitatem.

Non inflatur.

Aduerſus fratres non erigitur.

Non eſt ambitioſa.

Nihil vile & abiectum pro vtilitate fratrum facere recuſat, eiuſmodi actionẽ turpem aut indecoram eſſe ducens.

Non quærit quæ ſua ſunt.

Hoc ſępe dixit diuinus Apoſtolus, nõ quęro meam vtilitatem, ſed multorum, vt ſeruentur.

Non irritatur.

Si aliqua moleſtia ab aliquo affectus fuerit, fert toleranter, ꝓpter eam quam habet ad diligendum propenſionem.

Non cogitat malum.

Ignoſcit ijs qui errarunt, exiſtimans ea non eſſe facta malo animi propoſito.

Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.

Quę iniuſta ſunt odio habet: ijs autem quę bona & honeſta ſunt delectatur.

Omnia ſuffert.

Quę moleſta ſunt propter dilectionem ſuſtinet.

Omnia credit.

A mendacio alienum credit quem diligit.

Omnia ſperat.

Etſi omnia viderit inclinare ad id quod eſt deterius, expectat eius mutationem in melius.

Omnia ſuſtinet.

Nihil eorũ quæ in ipſum fiunt, poteſt eum à dilectione deijcere. Hæc cùm diuinus Apoſtolus eſſet ſigillatim perſecutus, & vidiſſet ad laudandam charitatem linguam non ſufficere, ſubiungit breuiter,

Charitas nunquam excidit.

Hoc eſt, non mouetur aut labitur, ſed ſemper manet, vt quæ firma, ſtabilis, & immobilis permaneat. Hoc enim docuit per ea quæ ſequuntur.

Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceßabũt, ſiue ſcientia deſtruetur.

Futura enim vita eorum minimè indiget. Rebus enim præſentibus ſuperuacanea eſt, prophetia, inutiles autem linguæ ſublata earum differentia, ceſſat autem quę minor eſt cognitio, maiore ſuppeditata. Hoc enim ſubiunxit.

Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt euacuabitur.

Iis enim qui ſunt perfecti ſuperuacanea eſt adoleſcentum cognitio. Hac enim ſimilitudine vſus eſt etiam diuinus Apoſtolus.

Cùm eßem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebã vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir, euacuaui ea quæ erant paruuli.

Qui enim poſt perfectam ætatem ingenij ſubtilitate & prudentia exornantur, puerili cognitione nõ indigent. Aſſimilauit ergo cognitionem quæ nobis in præſenti vita data eſt, puerorum cognitioni, eam autem quæ expectatur, virorum perfectorum, rurſus per hæc docens, ne ſe de cognitione iactarent, corpus eccleſiæ ſcindentes.

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc facie ad faciem.

Præſentia, inquit, vmbræ ſunt futurorum. In ſanctiſsimo enim baptiſmo videmus figuram reſurrectionis, tunc autem ipſam videbimus reſurrectionem. Hic videmus ſymbola dominici corporis, illic autem ipſum Dominum vocabimus. Id enim ſignificat, Facie ad faciem. Videbimus autem eius non quæ ſub aſpectum non cadit naturam, quæ à nullo cerni poteſt, ſed eam quæ de nobis ſumpta eſt.

Nunc cognoſco ex parte, tũc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.

Non hoc dicit, ſicut cognitus ſum cognoſcam ipſum, ſed, perfectius ipſum videbo, vt qui ei familiaris effectus ſim. Illud enim, Cognitus ſum, poſuit, pro eo quod eſt, familiaris factus ſum. Ita etiam dixit Moſi. Noui te præter omnes. & Apoſtolus. Nouit Dominus qui ſunt ſui, hoc eſt, eos ampliori prouidentia dignatur. Exod. 33. 2. Tim. 2.

Nuc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hęc: maior autem horum eſt charitas.

Oſtendit ceſſare dona, ſolam autem manere charitatem. Oſtendit præterea eam præclara illa quæ in mente verſantur antecellere. Superuacanea eſt enim fides in futura vita cũ res euidenter apparent. Si enim fides eſt eorum quæ ſperantur ſubſtantia; rebus iam apparentibus fide non amplius opus eſt. Ita etiam ſpes eſt illic ſuperflua. Spes enim quæ videtur nõ eſt ſpes. Quod enim videt quis quid ſperat? Charitas autem illic maiores habet vires, cùm ceſſauerint perturbationes, & corpora quidem ab interitu aliena facta fuerint, & animi non hoc quidem nunc, nunc verò illud voluerint.

CAP. XIIII.

SEctamini charitatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem vt prophetetis.

Quoniam ergo res eſt adeo magna charitas, eius poſſeſsionem magni facite, neque dona ſpiritalia contemnentes præ cæteris autẽ prophetiam amplectimini. rurſus enim ſupercilium propter donum linguarum ſe efferens deprimit.

Qui enim loquitur lingua, nõ hominibus loquitur, ſed Deo, nemo enim audit, ſpiritu autem loquitur myſteria.

Vtrunque ſimul facit, & illorum gloriæ cupiditatem reprehendit, & dein vſum docet. Id enim datum erat prædicatoribus propter diuerſas hominum voces, vt qui ad Indos veniebant, illorum lingua vtentes diuinam afferrent prædicationem, & cum Perſis rurſus differentes, & cum Scythis, Romanis, & Aegyptijs, ſingulorum vocibus vtentes, Euangelicam doctrinam prædicarent. Superuacaneum erat ergo ijs qui Corinthi differebant, vti voce Schytarum, vel Perſarum, vel Aegyptiorũ, qui illos audire nequibant. Quãobrem diuinus etiam dixit Apoſtolus, eũ etiam qui linguis loquitur, nõ loqui hominibus, ſed Deo, hoc enim ſubiunxit, Nemo enim audit, & ne inutile donum exiſtimaretur, ſubiunxit, ſpiritu autem loquitur myſteria.

Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Græcè non eſt, ad ædificationem, ſed tantum ædificationem.

Omnes enim audiunt ea quæ dicuntur.

Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat.

Qui enim aderant, nõ intelligebant ea quæ dicebantur.

Qui autem prophetat, eccleſiam Dei ædificat. Dei, non eſt in Græco.

Videntes enim cogitationũ reuelationem, & eorum quę occultò fiunt manifeſtationem, maximam vtilitatem accipiebant. Et ne quis exiſtimaret eum inuidia adductum hæc dicere, neceſſario ſubiunxit.

Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior eſt qui prophetat quàm qui loquitur linguis, niſi interpretetur vt eccleſia ædificationem accipiat.

Apertè autem docuit cur id, magis autẽ, poſuerit. Non detraho, inquit, dono, ſed eius donum quæro, niſi enim adſit interpres, melior eſt prophetia, maius enim habet commodum.

Nunc autem fratres, ſi venero ad vos linguis loquẽs, quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina?

Suam rurſus perſonam ſubdidit, eos qui accuſantur hac ratione conſolans. Ego enim, inquit, ad vos veniens, & linguarum differen-

tia vtens, quodnam vobis lucrum attulerim, nisi vtiq; doctrina vtar, reuelans vobis occulta mysteria, & ad diuina deducens, & suadens ea quæ conuenit? Affert autem etiam similitudinem rei propositæ conuenientem.

Tamen quæ sunt inanima vocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonituũ dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem dederit tuba, quis parabit se ad bellum?

Scitis autem vos etiam quòd & tibia, & cithara numero aliquo & arte indigent. Ea itaque si habeant, etsi sint inanima, numerosum & concinnum aliquem sonum emittunt. Sin autem quis eis præter hæc vsus fuerit; id quod ex eis efficitur nihil significat. Ita etiam tuba nisi bellicum cecinerit, non vocat ad arma milites.

Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietis quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa vtputa genera linguarũ sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est.

Quod in cithara est numerosus sonus & in tuba signum bellicũ, hoc in linguis est interpretatio. Præsentibus enim non intelligentibus, verba in aerem inaniter diffunduntur.

Si ergo nesciero virtutẽ vocis, ero ei cui loquar barbarus: & qui loquitur mihi barbarus.

Idem variè dixit.

Sic & vos quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ quærite vt abundetis.

Per ironiam eos vocauit æmulatores spirituum. Præcipit autem eis, vt omnia faciant pro vtilitate ecclesiæ.

Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur.

Pete, inquit, ab eo qui dedit tibi donum linguarum, vt etiam adijciat donum interpretationis, vti ecclesiæ vtilitatem afferas.

Nam si orem lingua: spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.

Fructus eius qui dicit, est auditorum vtilitas. Hoc etiam dixit in epistola ad Romanos, Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus. Alia ergo lingua differẽs, & ijs qui audiunt interpretationem non afferens, nullum habeo fructum, illis vtilitatem non accipientibus. Rom. 1.

Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente. Psallam spiritu, psallam & mente.

Spiritum donum appellat: Mentem autem manifestationem eorum quæ dicuntur. Dicit ergo oportere eum qui aliena loquitur, siue in psalmodia, siue in oratione, siue in doctrina, vel ipsum interpretari ad vtilitatem eorũ qui audiunt, vel assumere alium doctrinæ adiutorem, qui hoc posit facere.

Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuã benedictionem: quoniam quid dicas nescit.

Idiotam appellat eum qui in laicorum ordine constitutus est, quandoquidem eos etiam qui sunt à militia remoti, consueuerunt idiotas appellare.

Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur.

Scio, inquit, te diuina actum gratia Deum laudare, sed ea quę dicuntur non intelligit qui nescit linguam. Deinde admonendo.

Gratias ago Deo meo quòd omnium vestrum lingua loquor, sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam, quàm decem millia verborum in lingua.

Ego ante vos hoc dono sum dignus habitus, per me vos quoque hanc gratiam accepistis, sed tamen ego multorum vtilitatis curam gerens, apertam & claram doctrinam obscurę præfero. Deinde increpando.

Fratres nolite fieri pueri sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote.

Ne ordinem inuertite: nec puerorum ignorantiam sed innocentiam imitemini. Perfectorum autem non improbitatem, sed solertiam & ingenij acumen retinete.

In lege enim scriptum est. In alijs linguis & labijs alijs loquar populo huic, & nec sic exaudiet me dicit Dominus. Esa. 28.

Est quidem vox prophetica, legem autẽ veterem scripturam appellauit. Postquam autem adduxit testimonium, subiungit interpretationem.

Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.

Infidelẽ enim admiratione afficit linguarum diuersitas. Hoc in die Pentecostes vsu venit ijs qui illic erant cõgregati. Protinus enim dixerunt, An non omnes sunt Galilæi qui loquuntur, & quo modo audimus eos vnusquisque propria lingua in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & quę sequuntur. Act. 2.

Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.

Vnus est Apostolo scopus & institutũ multorum vtilitas. Quamobrem etiã Corinthiis præcipit vt prophetiam eligant, vt quę communi vtilitatem afferat. Ostendit autem in ijs quæ sequuntur Prophetiæ vtilitatem.

Si ergo conueniat vniuersa ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles: nónne dicent quòd insanitis.

Idiotas hic appellat eos qui mysterijs non sunt initiati, & docet quòd qui ea quæ docentur non intelligunt, eos insanire putabunt.

Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta enim cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum pronuntians quòd verè Deus in vobis sit.

Ita timor omnes inuasit, cùm Anania & Saphira conuicti fuerunt. Notandum est autem quòd sanctissimum Spiritũ hic Deum apertè vocauit. Diuini enim Spiritus erat prophetiæ operatio. Hæc enim omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens seorsum vnicuiq; prout vult, sed tamen hic posuit quòd cadens in faciem adorabit Deũ pronuntians quòd Deus verè est in vobis, Deũ dicens sanctissimum Spiritum. Ita etiam beatus Petrus ait, Quare decepit satanas cor tuũ vt mentireris Spiritui sancto? Non mentitus es hominibus, sed Deo. Act. 5. Cùm sic ostendisset donorum differentiam, docet eos etiam ordinem qui eis conuenit.

Quid

Quid ergo est fratres? Cùm conuenitis, vnusquisque vestrũ psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationẽ habet, omnia ad ædificationem fiant.

Rursus ostendit corpus & membra corporis. Per hoc enim quod dicit, Conuenitis vnũ corpus ostendit. Per illud autem, vnusquisque habet hoc & illud, membrorum differentiam. Deinde rursus quæ ab vnoquoque affertur communi vtilitatem, Omnia ad vtilitatem fiant.

Siue lingua quis loquitur, secundum duos, aut vt multum tres, & per partes.

Non communiter simulque disserere oportere docet, hoc enim est immoderatæ perturbationis & confusionis, nec rursus multos, etenim duo sufficiunt, & tamen ad tres vsque sit definitus eorum qui sic disserunt numerus.

Et vnus interpretetur.

Oportet enim præsentes ea quæ dicuntur intelligere.

Si autem non fuerit interpres: taceat in ecclesia, sibi autem loquatur & Deo.

Est enim alienissimum, ad gloriæ cupiditatem, & non propter vtilitatem, dono vti.

Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent.

Iam diuinus Apostolus inter dona spiritalia spirituum discretionem annumerauit, hoc ergo hic etiam dicit, vt qui hoc donum acceperunt, ea quæ dicuntur discernant, an ex diuini spiritus dicantur operatione. Sicut enim prophetis falsos prophetas Diabolus opposuit: ita etiã Apostolis falsos Apostolos. Et hoc docet in secũda epistola ad Corinthios. Tales, enim inquit, pseudoapostoli, dolosi operarij. 2. Cor. 11.

Quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.

Si alium, inquit, mouerit gratia spiritus, cedat qui cœpit dicere.

Potestis enim omnes per singulos prophetare: vt omnes discant, & omnes exhortentur.

Nihil fiat inordinate, nihil confuse: etenim fieri potest vt vos omnes prophetiam ijs qui congregantur exhibeatis, & eis quæ ex ea capitur vtilitatem procuretis. Hic ordo mansit in ecclesijs in præsens vsque tempus, & ex doctoribus alij quidem in hac concione, alij verò in alia cum populo disserunt.

Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.

Spiritus dona vocantur. Ita Iesus subijciebatur Mosi: ita Helysæus Helię: ita ipsi Helisæo multitudo prophetarum, ita ipsi Apostolo Timotheus, & Titus, & reliqui.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus ecclesijs sanctorum doceo. Deus non est in Græco.

Nihil noui statuimus, sed vos ecclesiarum leges docemus, quas ipse statuit pacis magister & Dominus. Sed quia non solum viri, sed etiam mulieres spiritalem gratiam acceperant, hoc enim etiam per Ioelem prophetam prædixit Dominus, Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, necessario etiam de his legem tulit. Ioel. 2.

Mulieres in ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.

Euæ enim dixit Dominus, Ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tibi. Gen. 2.

Si quid autem volũt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.

Deinde rursus increpando.

An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit?

Nec primi nec soli Euangelicam accepistis prædicationem, ne proprijs ergo contenti este, sed leges ecclesiarum sequimini.

Si quis videtur propheta esse aut spiritualis: cognoscat quæ scribo vobis quòd Domini sunt mandata.

Eos qui diuinum Spiritum habent inhabitantem, appellauit spiritales. Qui hac autẽ gratia priuatus est, conuenire non potest. Vnde subiunxit.

Si quis ignorat, ignorabitur.

Deinde admonitorię.

Itaque fratres æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere.

Rursus illud quidem ostendit esse præstantius, hoc verò etiam esse vtile, hoc enim significat illud, Non prohibete.

Omnia autem honestè & secundum ordinem fiant in vobis. In vobis, deest in Græco.

Ordinem autem prius docuit. Hũc nos etiam ordinem seruemus, & Apostolica præcepta sequamur, vt simus legislatoris societatis participes, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri vnà cum sanctissimo Spiritu conuenit gloria & magnificentia nunc & semper & in sæcula sęculorum. Amen.

TOMVS QVARTVS.

CAP. XV.

POSTQVAM diuinus Apostolus de spiritalibus donis doctrinam perfecit, conducibile existimauit etiã de resurrectione verba facere. Quidam enim impostores eos seducebant, dicentes non futuram corporum resurrectionem. Cùm autem esset spiritali sapientia plenus, non hoc solummodo ac simpliciter facit, sed primum docet scopum ac institutum humanæ naturæ à Domino susceptæ, & ostendit & crucem, & passionem, & Seruatoris resurrectionem fuisse propter resurrectionem communem. Id autem apertius sciemus ex verbis eius.

Notum autem vobis facio fratres. Euangelium, quod prædicaui vobis, quod et accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione prædicauerim vobis.

Doctrinæ laudem rursus admiscuit, eos ad audiendum præparás. Propterea dixit, In quo statis, & stationem confirmans adiecit, Per quod & saluamini. Hoc autem dicit. Volo vobis in mentem reuocare Euangelium, quod à me inter vos prædicatum est, quod prompto

quidem & alacri animo ſuſcepiſtis, quæ autē ex eo oritur ſalutem expectatis. Id autem vobis in memoriam reuoco, volēs enim ſcopum & inſtitutum oſtendere. Hoc enim dixit illud, Quanam ratione prædicauerim in vobis. Deinde ſubiungit.

Si tenetis, niſi fruſtra credidiſtis.

Si enim non creditur reſurrectio corporū, ſuperuacanea eſt prædicatio Euangelij.

Tradidi enim vobis in primis quod & accepi.

Neque enim ipſe inueni prædicationem: nec humanas ſum rationes ſecutus: ſed à Domino Chriſto accepi doctrinam. Quid autem accepiſti?

Quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas.

Hoc enim & prophetæ prędixerunt, & clamat Eſaias. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus eſt propter peccata noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Eſa. 53.

Et quòd ſepultus eſt.

Hoc etiam prædixerunt prophetæ. Erit enim inquit, in pace ſepultura eius. Eſa. 56.

Et quod reſurrexit tertio die ſecundum ſcripturas.

Dicit quidem diuinus Dauid, Non relinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: Dominus autem Ionam in medium adducit. Habet enim figura ac typus trium dierum numerum. Tertio die ſecundum ſcripturas non eſt in Græco Theo. Pſal. 13. Matth. 12

Et quod viſus eſt Cephæ.

Fide quidem digna eſt perſona ad teſtimonium, ſed vna. Quocirca iubiunxit.

Poſt hoc vndecim.

Et ne quis eos etiā ſuſpectos haberet, quòd propter eorum amorem in magiſtrum prædicarent reſurrectionem quæ non fuerat, ſubiunxit neceſſario.

Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul.

Non ſigiliatim, ſed ſimul omnibus. Eſt à ſuſpicione alienum tot hominum teſtimonium, & ne quis exiſtimaret eum dicere quę vera non ſunt, ſubiunxit.

Ex quibus multi manent vſque adhuc: quidam autem dormierunt.

Poſſe inquit eum qui velit ex illis ſcire.

Deinde viſus eſt Iacobo.

Hæc quoque eſt inſignis perſona, non ſolum ex cognatione: appellabatur enim frater Domini: ſed etiam ex propria virtute. Vocabatur enim iuſtus.

Deinde Apoſtolis omnibus.

Rurſus Apoſtolos non duodecim ſolos vocauit: eorum enim iam meminerat: ſed omnes qui eum ordinem acceperant. Ne autem videretur hæc ex ſolo auditu dicere, ſeipſum quoque inter teſtes recenſet, qua vti coſueuit moderationem ac modeſtiam dictis ſuis adijciens.

Nouiſsimè autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt mihi.

Cùm vellet ſe omnium hominum viliſsimum & abiectiſsimum appellare, omnibus ijs relictis qui in vtero perfecti fuerunt, deinde lege naturę nati ſunt, abortiuo fœtui ſeipſum comparat, qui in hominum catalogo nō recenſentur. Deinde eius cauſas recenſet.

Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum eccleſiam Dei.

Et ne eorum quæ prius fecerat expoſitione ſuum teſtimonium reprobum & infirmum efficeret, ſubiunxit.

Gratia autem Dei ſum id quod ſum.

Diuitias & occultare conatur, & aperire cogitur. Neque enim dixit apertè quid eſt, ſed, ſum quod ſum.

Et gratia eius in me vacua non fuit.

Non fruſtra mei miſertus eſt. Pręſciuerat enim quod fecit.

Sed abundantius illis omnibus laborauì.

Et ne ſua quidem aperire coactus, ſui oſtentatione aut gloriatione refertus eſt, & ſolum laborem oſtendit, eum quoque eſſe dicit diuinæ gratiæ. Hoc enim ſubiunxit.

Non ego autem ſum, ſed gratia Dei mecum.

Deinde tranſit ad id quod eſt propoſitum.

Siue enim ego, ſiue illi, ſic prædicamus, & ſic credidiſtis.

Sic à me & ab alijs Apoſtolis prædicata eſt Dei & ſeruatoris noſtri reſurrectio, hoc etiam vos prompto & alacri animo ſuſcepiſtis. poſtquam hoc velut fundamentum poſuit, de communi reſurrectione orationem ædificat, admodum validis vtens ſyllogiſmis.

Si autem Chriſtus prædicatur quòd ſurrexit à mortuis: quomodo quidam dicunt in vobis, quod reſurrectio mortuorum non eſt?

Chriſtum, inquit, prædicauimus, non ſolum Deum, ſed etiam hominem. Cùm enim in Dei forma eſſet, ſerui formam accepit, eum & eſſe mortuum, & reſurrexiſſe diximus. Sed manifeſtum eſt impaſsibilem eſſe diuinitatem, corpus autem patibile, hoc enim & cruci tradidit, & è ſepulchro excitauit. Quomodo ergo, inquit, dubitatur à nōnullis de reſurrectione corporis, cùm Domini Chriſti credatur reſurrectio?

Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit.

Si hoc enim fieri non poteſt, neque illud factum eſt, nam Dominus etiam corpus habuit.

Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.

Si autem Chriſtus non verè ſurrexit, nos quidem fruſtra cum plurimis periculis prædicamus, & vos fruſtra ijs quæ prædicantur creditis.

Inuenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium dedimus aduerſus Deum, quod ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt. Si mortui nō reſurgit, non eſt in Theod.

Vt calumniatores merito accuſabimur, q̃ auſi ſumus dicere Deum Chriſtum ſuſcitaſſe, quem non ſuſcitauit. Deinde eaſdem rurſus rationes repetit & in orbē verſat, volens pluribus ſyllogiſmis de reſurrectione fidem confirmare, & dicit.

Nam

Nam ſi mortui non reſurgunt, neq; Chriſtus reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.

Dominicæ enim mortis typus eſt baptiſmus, eſt autē typus ſuperuacaneus, ſi non habeat remiſsionem peccatorum. Adhuc itaque fertur onus peccatorū, hoc quidem certè illi adiecit, quòd Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas.

Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt.

Fruſtra ergo, vt videtur, pro Chriſti cōfeſſione interfecti ſunt, præclaram victoriam aſſecuti Martyres: & labores quidem ac certamina prompto & alacri animo ſubierunt, coronam autem minimè adepti ſunt. Sublata enim reſurrectione, præmij quoque proclamatio ſublata eſt.

Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus: miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

Cùm omnis enim generis periculis in hac vita ingredimur, fame oppreſsi, iniurijs & tormentis aſsiduè affecti, orbis terræ carceres commutantes, domibus carentes, incertis ſedibus migrantes & errantes, & cum perpetuis tempeſtatibus colluctantes. Sed hæc non ita habent. Bona enim ſpe vehimur, & Seruatoris noſtri reſurrectionē habemus reſurrectionis noſtræ vadem & obſidem. Hoc enim ſubiunxit.

Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium.

Primus enim ſoluit mortis potentiam, primitias aūt maſſa omnino conſequetur. Quod dicit autem veteri exemplo confirmat.

Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.

Deinde à natura tranſit ad perſonas, ea ratione orationem faciens clariorem.

Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.

Reſpicite ad baſim & fundamentum generis: & videte primum parentem ſecutos eſſe poſteros, eosq; omnes mortales eſſe effectos, quoniam ille mortalitatem ſuſceperat, ita omnis hominum natura Dominum Chriſtum ſequetur, & erit reſurrectionis particeps. Nam is quoque eſt mortuorum primogenitus, ſicut ille protoplaſtus, Adam ſcilicet qui primus à Deo fictus eſt. Ipſum autem iure nunc hominem appellauit, cùm eum etiam Deum eſſe ſciret, vt cùm eum eſſe eiuſdem naturæ oſtendiſſet, id quod de reſurrectione dicitur, confirmaret. Sed quid dixit fore vt omnes viuificarētur; poſt reſurrectionem autem diſcernentur ij qui caſtè & moderatè vixerunt ab ijs qui in impudicitia & voluptate vitam tranſegerunt, & ij qui incredulitatis vitio laborarunt, ab ijs qui fide clari ſunt, & illuſtres, & vt ſemel dicam, ij, qui quę laude digna ſunt fecerunt, ab ijs qui quæ vitio dantur & in reprehenſionem cadunt perſequuntur, neceſſario ſubiunxit.

Vnuſquiſque autem in ſuo ordine.

Ita etiam Dominus docet in ſacris Euangelijs, quòd agnos quidem ſtatuet à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Math. 25.

Primitiæ Chriſtus.

Hoc eſt, primus reſurrexit.

Deinde ij qui ſunt Chriſti, qui in aduentum eius crediderunt.

In tempore conſummationis. Chriſti autē non ſolum eos appellat, qui poſt humanam ab eo ſuſceptam naturam in ipſum crediderunt, ſed eos etiam qui in lege & ante legem pij fuerunt & virtute inſignes.

Deinde finis.

Pro eo quod eſt, Cōmunis omnium reſurrectio. Quando enim ea facta fuerit, omnia finem accipient, & res pręſentes, & prophetarum prædictiones.

Cùm tradiderit regnum Deo & patri, cùm euacuauerit omnem principatum, poteſtatem, & virtutem.

Tradit regnum Deo & patri, nō ipſe regno nudatus, ſed tyrannum Diabolum & omnes eius adiutores ſubiungēs, & vt omnes ſe ſubmittant, & vniuerſorum Deum agnoſcant, efficiens.

Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.

Illud Donec, non ſignificat tempus, ſed docet eum eſſe omnes inimicos ſubiugaturum. Huic ſimile eſt id quod à Dauid dictum eſt. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si autem dicunt ij qui cum Arrio & Eunomio ſentiunt, hanc vocem de ſolo filio eſſe poſitam, audiant ipſum quoque Deum dicentem. Ego ſum, ego ſum, & donec conſenueritis ego ſum. A quo autem ita intelligetur, ab eo inuenietur Deus vniuerſorum habere ſuam eſſentiam ſenectuti hominum commoderatam. Sed hæc nugari inſanorum eſt hominum. Aeternus enim & vniuerſorum Deus, ei autem eſt etiam coeternus vnigenitus ſuus filius. Habet autem etiam regnum æternum, & hoc nos apertè docuit diuiniſsimus Daniel. Eius enim inquit, regnū eſt regnum ęternum, quod non diſſoluetur in æternum. Pſal. 109. Daniel. 7.

Nouiſsime autem inimica deſtruetur mors.

Poſtquam enim Diabolum & eius adiutores in exteriores tenebras immiſerit, mortem ceſſare efficiet, & eos qui iacent eriget.

Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Eius Græcè αὐτοῦ, ſuis.

Hic dixit Patrem omnia ſibi ſubiecciſſe. In epiſtola autē ad Philippenſes dicit ipſum hoc feciſſe. Cùm enim dixiſſet, Quis transfigurabit corpus humilitatis noſtræ, vt ſit ipſum conforme corpori gloriæ ſuæ, ſubiunxit. Secundum orationem virtutis ſuæ, qua etiam poſsit ſubijcere ſibi omnia. Qui enim, inquit, poteſt omnia ſibi ſubijcere, is etiam corpus noſtrum corruptioni & interitui obnoxium, incorruptione ornabit. Philippen. 3.

Cùm autem dicat, Omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cùm autem ſubiecta fuerint ei omnia, tunc ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia.

Hunc locum ij qui cum Arrio & Eunomio ſentiunt, in lingua aſsiduè habere conſueue-

runt, ea ratione existimantes se de vnigeniti dignitate detrahere. Oportebat autem eos animaduertere, quòd diuinus Apostolus in hoc loco nihil scripsit de diuinitate vnigeniti. Iubens enim credere carnis resurrectionem, à Domini resurrectione eius resurrectionē conatur ostendere. Clarum est autem quòd simile simili cōfirmatur. Propterea enim eum etiam vocauit primitias dormientium, & hominem appellauit, & per collationem cum Adam & ijs qui ex Adam descenderant, per ipsum ostendit futuram communem resurrectionem, vt cùm ostendisset resurrectionem eius quod est eiusdem naturæ, persuaderet ijs qui contradicunt, vt crederent omnes homines futuros eiusdem resurrectionis participes. Sciendum est ergo esse duas Domini Christi naturas, & quòd aliquando quidem scriptura eum ab humana natura, aliquando à diuina appellat. Etsi enim Deum dixerit, non negat humanitatem, etsi hominem nominauerit, vnà quoq; confitetur diuinitatem. Vt alta autem & excelsa omnia de eo dicamus fieri non potest, propter eam quam à nobis accepit naturā. Si enim cùm quę sunt humilia & abiecta de eo dicta sunt, negant tamen nonnulli carnis assumptionem, clarum est plures illo morbo fuisse laboraturos, si nihil humile & abiectū dictum esset. Quidnam autem etiam tunc subijcitur? Hoc enim ijs qui in præsentia tyrannidem exercent conuenit. Si enim tunc subijcitur, ne nunc quidem subiectus est. Improbè ergo & iniquè se gerunt qui blasphemant, & eū qui constitutus subiectionis terminos nondum accepit, subijcere conantur. Oportet enim expectare, & subiectionis modum intelligere. Verumenimuero de his copiosè disseruimus in nostris aduersus eos cōcertationibus. Oportet ergo breuiter dicere Apostoli institutum. Scribebat Corinthijs qui à Græcis fabulis nuper erant liberati. Illæ aūt fabulę sunt omni intemperantia & iniquitate refertæ, & vt alia taceam, & ne linguam polluam, Deos parricidas adorant, & dicunt filios contra parētes insurrexisse, & eos regno expulisse, ipsos autem dominatū arripuisse. Quia ergo de Domino Christo magna dixit, nempe quòd omnem principatum, omnem potestatem, & virtutem destruet, & ipsam etiam mortem cessare faciet, & omnia subiecit sub pedibus: ne ab alijs fabulis adducti existimarent eum quoq; eadem fecisse Patri qui genuit, quæ fecerunt qui ab alijs colebantur Dæmones, necessario cùm dixisset, quòd omnia subiecta sunt, subiunxit, Præter eum scilicet qui ei subiecit omnia, & adiecit quòd ipse etiam filius subijcietur ei, qui ipsi subiecit omnia. Non solum enim Patrem sibi non subijciet, sed ipse etiam subibit subiectionem quæ filio conuenit. Diuinus itaq; Apostolus, suspicans ne damnum ex Græcis oriretur fabulis, hæc adiecit, humilioribus verbis vtens propter illorum humilitatem. Dicant autem qui contradicunt, cuiusmodinā sit illa subiectio? Atqui si verum volunt considerare, nunc ostendit obedientiam, dum humanam suscepit naturam, & nostram salutē procurauit. Quomodo ergo tunc subijcietur? Quomodo autem tunc ei tradet regnum Deo & patri? Si hoc enim ita intelligatur, inuenietur Deus & pater nunc regnum non habere. Tanta absurditate plena sunt quę ab eis dicuntur. Verumenimuero ea quę sunt nostra, sibi applicat, & sua facit, quandoquidem eius corpus appellamur, ipse autem nostrū caput nominatur. Hic peccata nostra accepit, & morbos nostros portauit. Ita etiam in Psal. dicit. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Longè à salute mea verba delictorum meorum. Atqui peccatum nō fecit, nec est inuentus dolus in ore eius, sed os nostræ naturæ efficitur, sicut fuit naturæ primitiæ, ita & nostram quę nunc est inobedientiam, & quæ tunc erit obedientiam attribuit, & nobis, postquam à corruptione ac interitu liberati fuerimus, subiectis, ipse dicitur subijci. Ad hunc enim sensum ea quæ sequuntur nos deducunt. Cùm enim dixisset diuinus Apostolus, Tunc ipse filius subijcietur ei qui omnia subiecit, subiunxit.

Videtur aliquid deesse.

Psal. 21.

Vt sit Deus omnia in omnibus.

Nunc enim vbiq; quidem est per essentiam, habet enim naturā quæ non potest circūscribi: & in ipso viuimus, & mouemur, & sumus, vt ait diuinus Apostolus, sed per gratam comprobationem non est in omnibus. Complacet enim in eis qui ipsum timent, & in eis qui sperant in eius misericordia. Quanquam nec in eis quidē est omnia. Nemo enim à sorde mundus est, &, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, &, si peccata obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ergo in ijs quidem cōplacet quę rectè gerunt; non cōplacet autē in ijs quæ peccant. Sed in futura vita cessante corruptione & interitu, suppeditata autem immortalitate, animi perturbationes locum non habent. Eis autem omnino eiectis, nullum deinceps peccati genus exercebitur. Ita erit deinceps Deus omnia in omnibus, cū à peccato liberati fuerint, & ad ipsum cōuersi, ad deteriora inclinationem non admiserint. Quod autem hic de Deo dixit diuinus Apostolus, alibi de Christo posuit. Ita autem dicit, Vbi non est Iudæus, nec Græcus, circuncisio nec pręputium, barbarus, Scytha, sed omnia & in omnibus Christus. Non autem quę patri cōueniebant filio attribuissent, nisi eū illi esse honorem æqualem à diuina gratia didicisset. Sed redeamus ad ea quę proximè interpretanda sequuntur.

Act. 17.

Psal. 146.

Iob. 15.

Psal. 142. & 122.

Colloss. 3.

Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui nō resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis.

Qui, inquit, baptizatur, Domino consepelitur: vt cùm mortis fuerit particeps, sit etiā particeps resurrectionis. Sin autem corpus est mortuū, & nō resurgit, cur etiam baptizatur?

Vt quid & nos periclitamur omni hora?

Hoc cùm de cōmuni posuisset, per se dicit.

Quotidie morior propter vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.

Et ma-

Et maxima pericula significauit, & quidem iam aperuit. Me, inquit, assiduè in præuisas mortes trado. Gloriationem autem suam eorum fidem vocauit, & ea ratione ad credendum adhortans.

Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi: quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?

Si humana quidem spectetur consideratio, à bestijs deuoratus sum, sed admirabiliter, & præter opinionem sum seruatus. Huius ergo periculi quem fructum capiam si nō est mortuorum resurrectio?

Manducemus & bibamus, cras enim moriemur?

Sunt hæc quidem verba ptophetica: sed ea opportunè posuit, propemodum dicens. Superuacaneum est ieiunium, superflua continentia, præsentis vitę fruamur voluptatibus, cùm nulla sit retributio proposita virtutis amatoribus. Deinde admonitoriè.

Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia praua.

Bonos hic leues vocauit, qui facilè decipiuntur.

Euigilate iusti, & nolite peccare. Ignorantiā enim Dei quidam habent. Ad reuerentiam vobis loquor.

Tanquam à grege aberrātibus, & infidelitate ebrijs dixit illud, Euigilate. Valde aūt sapienter Dei ignorationē, resurrectionis incredulitatē appellauit. Qui enim se Deū esse scire cōfitetur, eum etiā iustum esse credit. iusto autem conuenit retributio: iustam aūt retributionē in hac præsenti vita nō videmus. Oportet ergo eū qui Deo credere cōfitetur, expectare resurrectionem. Deinde ponit interrogationē quæ ab infidelibus affertur, & dicit.

Sed dicet aliquis. Quomodo resurgūt mortui, quali autem corpore venient?

Duplex est interrogatio, & de modo resurrectionis, & de futura qualitate corporū. Deinde vtrunque ex rebus humanis ostendit, & eum stultū appellat qui hęc nescit perspicere.

Prius, non est Græco.

Insipiens tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur, & quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vtputa tritci, aut alicuius cæterorum.

Respice semina, & vide sulcos sepulchra imitantes, & semina quę non secus ac corpora sepeliuntur, deinde nascuntur & germinant. Non enim corpus, quod futurum est seminas, hoc est, non spicam, sed nudum granum, vel frumenti vel alicuius ex alijs. Nomina autem admodum aptè commutauit. Non enim dixit, Non nascitur nisi moriatur, nostra autem nomina seminibus imposuit, nostram ex illis resurrectionem ostendens. Ita etiam dixit Dominus. Nisi granū frumenti in terram cadens mortuum fuerit, solum manet. Sin autē mortuum fuerit, multum affert fructum: ita postquam ostendit modum resurrectionis, ostendit etiam qualitatem corporum.

Ioan. 12.

Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus.

Quemadmodum enim nascitur ex frumento frumentum, & lens ex lente, & ex vnoquoq; genere ipsum genus; ita etiam nostra corpora, ipsa quidem resurgunt, sed cum maiore gloria, & incorruptione, & immortalitate. Hoc etiam licet videre in seminibus. Quę enim nuda seminantur, cum pulchris indumentis germinant. Vtrunq; ergo, & modū resurrectionis docet, & qualitatē corporum. Deinde dicit etiam eorum qui resurgunt diuisionem.

Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum: alia autem volucrum, alia piscium.

Vna, inquit, est natura carnis, constat enim ex quatuor elementis. Differentia autem est in specie, ita vna quidem est resurrectio corporum, & corporum in incorruptionem mutatio. Modorum autem differentia etiam retributionum confirmat differentiam.

Et corpora cœlestia, & corpora terrena, sed alia quidem cœlestium gloria: alia autem terrestrium.

Qui enim cœlis digni sunt, gloria quæ cœlestibus conuenit amicientur. Qui autem in terrenis cogitationibus hæserunt, suo instituto conueniens indumentū acceperunt. Post quàm hanc ita fecit diuisionem, & terrenos esse separatos ostendit, cœlestium quoq; monstrat differentiam. Neque enim omnes iusti erunt eorundem participes, sed rectè factis conuenientem habebunt remunerationem. Hoc etiam prędixit Dominus in sacris Euangelijs. Multæ enim inquit, sunt mansiones apud Patrem meum. ita hic etiam.

Ioan. 14.

Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarū. Stella enim à stella differt, in claritate.

Ita etiam ex iustis, alij quidem resplendent sicut Sol: alij verò sicut Luna: alij autem clarissimarum stellarum splendorem imitabuntur: alij autem obscurioribus assimilabuntur. Et postquam hanc etiam hoc modo ostendit differentiam, transit ad loquendum de communi resurrectione.

Sic & resurrectio mortuorum.

Pro eo quod est, sicut est cōparatio seminū.

Seminatur in corruptione: surget in incorruptione.

In duobus enim vel tribus diebus sustinet fœtidam corruptionem, sed liberatur à corruptione, & à corruptione & interitu alienum resurgit.

Seminatur in ignobilitate: surget in gloria.

Quid enim vilius & abiectius quàm corpus mortuum?

Seminatur in infirmitate, surget in virtute.

Quid enim illa sanie, aut puluere imbecillius? Sed tamen potestatem ac virtutem accipiet ab interitu alienam.

Seminatur corpus animale: surget corpus spirituale. Si corpus animale, est & corpus spiritale.

Vbique posuit illud Seminatur, iubens nos bono animo esse, vtpote quòd nascatur id quod seminatur. Animale aūt vocat, quod ab anima gubernatur, spiritale autem, quod à spiritu regitur. Hanc autem gratiam ij qui digni sunt multiplicem accipient. Propterea enim id etiam quod nunc datum est, arra dicitur, vtpote multiplici illic danda gratia.

Sicut scriptum est. Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem.

Prius in ſcriptis legimus: Secundum in factis cognouimus. Non vocauit autem ſecundum Adam ſpiritum viuentem, ſed viuificantem. Omnibus enim vitam æternã ſuppeditat.

Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale. Deinde quod ſpirituale.

Propter animalis enim ſpiritus imbecillitatem, ſpiritale medicamentũ comparatum eſt.

Primus homo de terra, terrenus, ſecundus homo de cœlo, cœleſtis.

Secundum eius aduentum ſignificauit. Illinc enim nobis apparebit.

Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni: portemus & imaginem cœleſtis.

Quemadmodum terreni primi parẽtis execrationis & mortis ſuimus participes, ita etiam erimus participes gloriæ Domini cœleſtis. Græcè enim φορεσόμεν. i. portabimus per prædicationem; non φορέσωμεν hoc eſt portemus, admonitorièab eo dictum eſt.

Hoc autem dico fratres, quòd caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.

Carnem & ſanguinem humanam naturam appellat; fieri autem non poteſt, vt ea cùm ſit adhuc mortalis, regnum cœleſte aſſequatur. Hoc enim ſubiunxit.

Neque corruptio incorruptelam poſſidebit.

Sed clarum eſt quòd cùm à corruptione & interitu aliena effecta fuerit, promiſsis bonis fruetur.

Ecce myſterium vobis dico.

Myſterium dicitur, quod nõ omnibus declaratur, ſed ſolis amicis creditur. Eos ergo conſolatur, quæ ſunt occulta declarans.

Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.

Non ſolum enim qui mortui ſunt, reſurgent à corruptione & interitu alieni, ſed ij etiam qui adhuc ſuperſunt, induentur incorruptione.

In momento, in ictu oculi.

Oſtendit quàm breui temporis ſpatio facienda ſit reſurrectio. In momento autem Græcè eſt ἐν ἀτόμῳ id eſt, in atomo. Atomum autem vocat corpus ſubtiliſsimum ac tenuiſsimum, quod in ſole apparet, quod ſectionem non ſuſcipit propter nimiã breuitatem. Ictum autem oculi vocat motum pupillæ. Per hæc autem oſtendit Dei potentiam, nam ne momentum quidẽ temporis intercedit inter Dei iuſſum, & reſurrectionem mortuorum.

In nouiſſima tuba.

Hoc autem erit, inquit, quando vltima tuba cecinerit.

Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur.

Nos, de ſeipſo non dixit, ſed de hominibus qui illo tempore adhuc ſupererunt.

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Apertè docuit, non aliud reſurgere, ſed id ipſum quod corrumpitur. Tanquã enim quodam digito, hoc dicto id oſtẽdit, dicens, Corruptibile hoc, & mortale hoc.

Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatẽ, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt. Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?

ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν, Cùm corruptibile hoc induerit incorruptionẽ deeſt in Latino.

Tanquam res ipſas contemplatus diuinus Apoſtolus, & videns Domini victoriam & mortuorum reſurrectionem, tanquam pæana aduerſus hoſtes canens, propheticum dixit canticum.

Mors, Græcè ἅδη inferna.

Stimulus autem mortis peccatum eſt.

Id enim naturam morti tradidit.

Virtus verò peccati, lex.

Peccatum enim non imputaretur, ſi lex non eſſet.

Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Neceſſario hymno concluſit quod dixit de reſurrectione

Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles.

Tanquam ijs qui labarent hæc præcipit.

Abundantes in opere Domini ſemper.

Diligenter pietatis diuitias intelligite.

Sciẽtes quod labor veſter nõ eſt inanis in Domino.

Iuſtus enim iudex & athletis coronas contexit, & operarijs reddet mercedem. Cùm hæc ita admonuiſſet, hortatur ad curam pro ſanctis agendam.

CAP. XVI.

De collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui eccleſiis Galatiæ, ita facite.

Λογίαν, id eſt collationem ſeu collectam pecuniarum appellat. Galatarum autem non temere ac ſimpliciter meminit, ſed ſignificãs quòd illis etiam precepit hoc facere.

Per vnam ſabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens ei quod bene placuerit.

Eorum arbitrio quantitatẽ permittit, docens, quòd animas, quæ ea quæ ſunt optima eligunt, Deus adiuuat. Hoc enim dixit illud ὅπῃ ἂν εὐδώσει, Quicquid recta via ſucceſſerit. Eſt autẽ facto conueniens dies quoq; Dominicus, qui eſt reſurrectione honoratus.

Vt non cùm venero tunc collectæ fiant. Cùm autẽ præſens fuero, quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Hieruſalem. Quòd ſi dignum fuerit vt ego eam, mecum ibunt.

Non eſt enim decorum me præſente fieri pecuniarum collectionem, me enim cõuenit eas ad ſanctos mittere, per eos quos vos probaueritis. Quòd ſi liberalem & ſplendidam viderim fuiſſe ſuppeditationem, ipſe quoque ero miniſterij particeps. Non dixit enim, Eas ferã, ſed, Mecum ibunt. Quod enim alijs præcipit, primus facit, & eſt abſq; vlla offenſione & Iudæis, & Græcis, & eccleſiæ Dei. Significat autem eis etiam tempus aduentus.

Veniam autem ad vos cùm Macedoniam pertrãſiero.

Et ne egrè ferrent quòd preferrentur Macedones, ſubiunxit.

Nam Macedoniam tranſibo. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo, vt me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos modo in tranſitu videre.

Spero

Spero enim aliquantulum temporis manere apud vos ſi Dominus permiſerit.

Abſque diuino nutu nihil vult facere, ſed vult ab illa dextra gubernari. Satis autem eos per ea quæ dicta ſunt conſolatus eſt, ſe aliquo tempore apud eos verſaturum pollicitus. Porrò autem docet etiam quanam de cauſa non ſtatim ad eos accedit.

Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & euidens, & aduerſarij multi.

Multi enim ſunt qui ad prædicationem accedunt: multi etiam qui reſiſtunt, & eorum ſalutem conantur impedire.

Si autem venerit Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos.

Pro eo quod eſt, ſuſcipite, obſeruate, fouete, nullam ſentiat apud vos moleſtiam.

Opus enim Domini operatur ſicut & ego.

Sufficiens teſtimonium vel ad ignauum quemlibet excitandum ad obſeruandum diſcipulum.

Ne quis ergo illum ſpernat.

Ne iuuenilem ætatem reſpicite, ſed Apoſtolicos quos ſuſcipit labores conſiderate.

Deducite autem illum in pace vt veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus.

Et hæc quoque rurſus adiecit, eos ad ſtudium & obſeruantiam in diſcipulum incitans. Pro eo quod eſt, Ad me veniet, & mihi omnia de vobis ſignificabit.

De Apollo autem fratre vobis notum facio, quod multum rogaui eum vt veniret ad vos cum fratribus, & vtique non fuit voluntas eius vt nunc veniret.

Et doctus ac prudens erat Apollo, & eis familiaris. Eos ergo conſolatur, docens ſe eum hortatum eſſe vt veniret, non adiecit autem eum recuſaſſe, ſed Dei prouidentiæ totũ permiſit.

Veniet autem cùm ei vacuum fuerit.

Spe eos conſolatus eſt.

Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortemini. Omnia veſtra in charitate fiant.

Vigilate poſuit propter deceptores. State autem, & viriliter agite, & eſte fortes, propter apertos hoſtes. Impij enim perſequebantur pios. Illud autem, Omnia veſtra in charitate fiant, propter eos qui corpus eccleſiæ diuiſerant, & ambitionis morbo laborabant, & eos qui immolatorum erant participes, eoſque qui offendebantur negligebant.

Achaici non eſt in Græco Theod. Poſt Achaiæ legit Theodo. vbi χριστῷ, in Chriſto.

Obſecro autem vos fratres. Noſtis domũ Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quod ſint primitiæ Achaiæ, & in miniſterũ ſanctorũ ordinauerunt ſeipſos, vt & vos ſubditi ſitis eiuſmodi, & cooperanti & laboranti.

Duas laudes eis tribuit, & quòd primam ſalutarem prædicationem acceperint, & quòd ſanctis domum aperientes, nihil non eis officij & adiumenti afferant. Quamobrẽ & ipſos, & eos, quorum eſt eiuſmodi ſtudium & inſtitutum, omni apud ipſos honore frui præcipit.

Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniã id quod vobis deerat ipſi ſuppleuerunt, refecerunt enim & meum ſpiritum & veſtrum. Cognoſcite ergo qui ſunt eiuſmodi.

Per hos ſcripſerunt Corinthij, & Apoſtolum interrogarunt de ijs qui matrimonium contraxerunt. Per eos hanc quoque miſit epiſtolam. Non enim, vt quidam exiſtimarunt, beatus Timotheus literas ad eos tulit: ſed ad eos quidem miſſus eſt, eſt autem veriſimile, quòd cum aliquo officio in alia ciuitate functus eſſet, ita ad ipſos acceſsit. Hoc enim ſignificant ea quæ de eo ſcripta ſunt, Si autem venerit Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos. Hoc autem ideo diligentius commendauit, ne conijcientes eos fuiſſe eorum accuſatores, moleſtia aliqua afficerent.

Salutant vos omnes eccleſiæ Aſiæ. Omnes, non eſt in Græco.

Hoc etiam adduxit vtilitatis gratia, oſtendens curſum prædicationis.

Salutant vos multũ in Domino Aquila & Priſcilla, cum domeſtica ſua eccleſia. apud quos & hoſpitor. Apud quos & hoſpitor, non eſt in Græco.

Vnà cum ijs habitauit diuinus Paulus, nam ipſi etiam erant tabernaculorum opifices. Ii autem propter maximam virtutem, etiam domum ſuam effecerunt eccleſiam, ea ſola quæ eccleſiam decebant facere contendentes, ſibique proponentes.

Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in oſculo ſanctõ,

Diſſenſionem expulit, & per oſculum ſanctum eos inuicem colligauit.

Salutatio manu mea Pauli.

Ego, inquit, dictaui epiſtolam, ſalutationẽ autem manu mea adieci, per eas literas oſtendens omnia mea eſſe quæ ſcripta ſunt.

Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema.

Sit alienus à cõmuni corpore eccleſiæ, qui non Dominum Chriſtum ardenti amore proſequitur, per hoc autem ijs qui accuſati fuerãt, metum incutit, & qui corpora quidem amant, nullum volunt habere amoris ſocium. Diuinus autem Apoſtolus omnes in amore riuales habere deſiderat, & qui tales non ſunt ab eccleſia reſecat.

Maranatha.

Hoc non eſt vocabulũ Hebreum, vt quidã putauerunt, ſed Syriacum. Exponitur aũt, venit Dominus. Id aũt poſuit, Corinthiorum ſe de eloquentia iactantiũ ſupercilũ deprimens, & docens non eſſe opus doctrina, ſed fide.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Ieſu. Amen.

Domini quidem Ieſũ gratiam eis vt cõſueuit precatus eſt. Suam autem dilectionem non abs re adiecit: ſed docens quòd ab amore in ipſos incitatus, verbis paulò acerbioribus vſus eſt, patris beneuolentiam imitans, & eorum ſalutem deſiderans. Nos autem vtilitatem hinc colligamus, & eum qui Dominum amauit amemus, ne ſimus Apoſtolicę execrationis participes, ſed digni Apoſtolicis habeamur tabernaculis. In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo Patri vnà cum ſanctiſsimo Spiritu honor & gloria nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

ARGV-

ARGVMENTVM SECVNDAE EPISTOLAE AD CORINTHIOS.

MAGNVM quidem emolumentum ceperunt Corinthij ex priore epistola, eorum vtilitatē auxerunt etiam omni ex parte optimi & in primis admirabiles, primus quidē Timotheus, post eū autem Titus. Ambo enim ad eos missi sunt. Sed rursus quidam ex Iudæis qui crediderant, dum legalem vitæ institutionem amplecterentur, vndique circuncursantes, Apostolicam doctrinam criminabantur, apostatam ac defectorē, & legis violatorem diuinum Paulum appellantes, & legem seruare omnibus præcipientes. Idipsum autē etiam Corinthi fecerant. Scribit ergo diuinus Apostolus, qui iam Macedoniam venerat, vt erat pollicitus, & primum quidem se excusat quòd nondum venerit: non quòd non promissum fecisset, promiserat enim se prius visurum Macedonas, deinde ad eos venturum. Ita autē dixit in priori. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniā pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo, vt vos me deducatis quocunque iero. Non hoc ergo fecit præter promissum. Sed cùm Ephesi diutius esset moratus, eos moræ suæ causas docet. Ei quoq; parcendum esse censet qui flagitium illud admiserat. Deinde veterē scripturam cum noua comparat, non illam vili pendens, sed hanc esse præstantiorem ostendens. Post hæc suos labores enumerat, non honoris quidem cupiditati deseruiens, sed eos qui illos decipiebant mendacij coarguens. Adhortatur etiā vt sanctis succurrendi curā gerant, eis Macedonas in memoriā reuocando, incitans ad liberalē & splendidā suppeditationem. Recenset etiā suarum perpessionū catalogū, docens eum esse typū & characterem eorū qui veritatem prædicāt. Hoc est ergo argumentū epistolæ. Eorum aūt quæ scripta sunt sententiā accuratius docebit singulorū interpretatio.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO SECVNDAE EPISTOLAE AD CORINTHIOS.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia, Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.

Ambo quidem ad ipsos missi sunt, & Timotheus & Titus, sed beatum Titum simul in literis non adscripsit, quia ad eas ferendas eius ministerio vti cōstituerat, per eum enim misit hanc epistolam. Eos autem Dei ecclesiam nominat, rursus ad cōcordiam redigens, & Dominum & benefactorem ostendens. Eis autem omnes eos etiam coniunxit qui in gente crediderant, vnum corpus esse pronuncians omnes qui salute digni habiti fuerant.

Benedictus Deus.

Hic ponendum est incisum.

Et pater Domini nostri Iesu Christi.

Est enim Deus noster. Domini autē nostri Iesu pater. Hanc distinctionē docuit nos etiā ipse Dominus, & in sacris Euangelijs dixit. Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, apertè docens eum quidē esse ipsius patrem, creaturarum autem opificij effectorem & Dominum. Luc. 10.

Pater misericordiarū, & Deus totius cōsolationis.

Pro eo quod est. A quo miserationes tanquā à fonte profluunt, manatq; & scatet misericordia, & paternain nos cōmiseratione vtitur.

Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos qui sunt in pressura, per exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo.

Narrans tentationes quę ei euenerāt, ad ꝓpulsandas tentationes prius medicamenta posuit; & ostendit Deum vniuersorum exhibere consolationes quæ tentationibus respondeant, ac sint eis commoderatæ. Ita etiam beatus Dauid, Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes Psal. 93.

lætitia affecerunt animam meam. More autē suo modestia vtens, non propter se, sed ꝓpter populum dixit se consolationem assequi.

Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.

Et in passionibus, & in consolatione posuit illud, Abundat, & Abundant, ostendens & illarum, & huius magnitudinem.

Siue autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute, siue consolamur pro vestra consolatione & salute quæ operatur tolerantiam earundem passionū quas & nos patimur, & spes nostra firma est pro vobis, scientes quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.

Vestra causa in omnis generis tentationes incidimus. Si enim salutarem prędicationem vobis afferre noluissemus, nemo eas quibus afficimur perpessiones intulisset. Sed quoniam vestræ salutis curam gerimus, ab aduersarijs quidem quæ sunt molesta & toleratu difficilia suscipimus, à Domino autem Deo consolationem accipimus. Quare & ea & illa ad nos propter vos redeunt. Vos autem estis vtrorumque nobiscum participes, vt qui nostra vobis tribuatis, ac vestra esse ducatis.

Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita vt taderet nos etiam viuere.

Multis ostēdit periculi magnitudinē. Nam &, Grauati sumus, &, supra vires, & supra modum hoc significat, & ad hęc illud etiam, De vita nostra dubitantes desperaremus. Hoc autem dicit, tantum fuisse periculum, vt dubitantes & exitū non inuenientes etiam de vita desperaremus. Existimo autem eū significare seditionē à Demetrio argentario excitatam.

Sed ipsi in in nobis ipsis mortis responsum habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitauit mortuos.

Sed non permisit Dominus, vt desperationis sententia effectum sortiretur, sed effecit, vt minæ mortis non vltra suspicionem procederent, sed in ea sisterent ne nobis ipsis fidamus, sed eius auxilium imploremus. Responsum autem mortis, mortis sententiam vocauit. Valde autem appositè meminit resurrectionis mortuorum, docens perinde esse eum à maximis illis periculis liberasse, & à mortuis suscitasse.

Qui ex tantis periculis nos eripuit & eruit.

Deinde tanquam qui haberet pignus eorū quæ futura sunt, subiunxit.

In quem speramus quod & adhuc eripiet.

Et vt solet modestos esse docens, infert.

Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis. Vt ex multarū personis factarum, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

Dum enim hoc fit, multi propter nos Deū laudabunt, dum vident nos pericula adire, & ex eis diuino auxilio euadere.

Nam gloria nostra hæc est testimoniū conscientiæ.

Nobis autem dicendi libertatem prębet testimonium conscientię. Et cuiusmodi est hęc tua conscientia.

Quod in simplicitate cordis, & in sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos. Dei, non est in Græco The. Hoc, non est in Græco.

Quæ à diuina gratia inquit docti sumus, ea nuda omnibus exhibemus, nihil eis proprium admiscentes. Carnalem autem sapientiam hic dicit, non eloquentiam, sed malitiam & calliditatem. Tacitè autem taxat impostores illos, vt qui prædicationem corrumperēt, & quæ sibi videbantur prædicarent.

Non enim alia scribimus vobis quàm quæ legistis & cognouistis. Spero autem quod vsque in finem cognoscetis, sicut & cognouistis nos ex parte.

Non enim sicut aliqui conantur nos calumniari, alia quidem sentimus, alia verò prædicamus. Id autem testatur rerum experientia. Quæ enim vos pręsens docui, ea & absens mitto, & in omne quod deinceps secuturum est tempus me prædicaturum spero. Illud autem, Cognouistis ex parte, non temere posuit, sed eos pungens, vt qui allatas aduersus eū calumnias non omnino repulissent.

Quod gloria vestra sumus, sicut & vos nostra in die Domini nostri Iesu Christi. Christi, non est in Græco.

Vbique suam de se modestè loquendi regulam obseruat. Quinetiam suos hic discipulos in eodē secum ordine collocat. A equè enim & eos dicit de ipso, & se de ipsis gloriari, in die aduentus Domini.

Et hac confidentia volui prius venire ad vos, vt secundā gratiam haberetis, & per vos transire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. Theodo. legit χαρὰν, hoc est, gaudiū, nos autem χάριν, id est gratiam.

Quidam existimarunt Apostolū dixisse sibi ipsi repugnantia, quoniam in priore promiserat prius videre Macedonas, deinde ad eos venire, non attendentes quòd illa quidem erat pollicitus: hic autem suum animum aperuit. Dixit enim, Volui prius venire ad vos, deinde per vos, transire in Macedoniam, & rursus illinc ad vos venire, vt secundum gaudium haberetis, hoc est, duplicem lætitiam, vt bis me acciperetis. Sed hoc quidem volui, sed me causę aliquę prohibuerunt, eas autem paucis exponit, se pluribus excusans.

Cùm ergo hoc voluissem, nūquid leuitate vsus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me, est, & non?

Posuit duo contraria, quorum prius quidem hoc est. Non sum leuis, nec animus meus leui momento mutatur, vt nunc quidem hoc, nunc verò illud eligat. Secundum autem hoc est. Sedneque animi perturbationi seruio, vt omni modo cupiditatem expleam. Hoc enim dicit, vel quæ consulto, secundum carnem consulto, vt sit apud me, Næ, næ, &, non, non. Qui enim carnis cupiditates sequitur, à proprijs cogitationibus trahitur, etsi sint in primis absurdæ & alienæ: Qui autem prudenter ac moderatè cōsultat, etsi boni aliquid in animo habeat, si hoc animaduerterit nō esse alijs conducibile, consilium non exequitur. Quòd autem quæ vobis vtilia esse animaduertimus, ea ꝓmpto & alacri animo offerimus nihil dubitātes testis est

prædicatio. Cùm eam enim sæpe vobis exhibuerimus, verba nostra non commutauimus. Hoc enim subiunxit.

Fidelis autē Deus, quòd sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo, Est, & non, sed est in illo, Est.

Hoc retulit ad illud, Nunquid leuitate vsus sum? ipsos vocans in testimonium, quòd minimè dubiam ac ambiguam eius prædicationem præbuerit, vt qui eadem docuerit, & nihil mutare sustinuerit.

Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Syluanum, & Timotheum, non fuit in illo, Est, & Non, sed Est in illo fuit.

Pro prædicatione posuit eum qui prędicauit. Dicit autem sermonem de Dei filio, quē prædicauimus ego, Syluanus, & Timotheus, nullam habuit dissensionem aut dissimilitudinem: nec hęc quidem aliquādo, aliquando verò alia prædicauimus, sed vobis semper eandem doctrinam præbuimus. Syluanum autem puto Silam vocari. Ipse enim fuit cum eo
Act. 16.17. Philippis vinculorum particeps. Ipso etiā relicto Berræ Macedoniæ, Athenas venit. Is cū vnà cum Timotheo venissent Corinthum, ei in prædicatione opem tulit. Porrò autem inuenimus etiam aliorum nominum mutationes. Etenim Priscillam appellauit Priscam in Epistola ad Romanos.

Quotquot enim promissiones Dei sunt in illo Est, ideo & per ipsum amen Deo ad gloriam nostram.

Multę sunt Dei promissiones, mortuorum resurrectio, corporis à corruptione & interitu remotio, vita nunquam finē acceptura; regnum cœlorum. Sed hæc quidem vniuersorū Deus per vnigenitum filiū largitus est. Quamobrem etiam per ipsum gratiarum actionis ei hymnum offerimus. Illud autem Amen, non sine causa hic adiecit, sed docens quòd non solus sacerdos orans offert hymnum, sed etiam qui amen adiungit, est glorificationis quę offertur particeps.

Qui autem confirmat nos vobiscum in Christū, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.

Deus autem horum bonorū causa est. Ipse enim nobis firmam in Christum fidem donauit: ipse nos vnxit, & sanctissimi spiritus signaculo dignos duxit, veluti quandam futurorum bonorum arram hanc nobis gratiam largiens. Per arram quidem certè eorum quæ danda sunt nobis magnitudinem innuit. Arra enim est quædam parua pars totius. Deinde docet apertius cur eos quidem priores videre voluerit, post Macedonas autem ad eos venire pollicitus est.

Ego autem testem Deum inuoco in animā meam, quòd parcens vobis non veni vltra Corinthum.

Persuadere volens diuinus Apostolus vera esse quæ dicuntur, eum qui est cogitationum inspector in testimonium vocauit. Deinde lenit asperitatem eorum quæ dicta sunt. Erat enim asperum, & minarum plenum, quòd eis parcens ad eos venire differebat, & dicit.

Non quòd dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri.

Hoc autem posuit tanquam tacitę obiectioni respondens. Quia enim verisimile erat dicere aliquos, Quid igitur? eáne de causa credidimus, vt seruitutem sustineamus: & à te instar domini castigemur? necessario subiūxit, Hæc dixi, nō tanquam in vos dominatum exercens, sed vt qui sim spiritalis vestri gaudij adiutor.

Nam fide statis.

CAPVT II.

STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos.

In constructione deest, Quidem, vt sit. Nam fide quidem statis. Hoc autem dicit. De fide quidem minimè vobiscum expostulo, eius enim sanitatem amplexi estis, sed quædam alia peccata à vobis admittuntur, quæ aliqua correctione indigent. Non consultius autem existimaui, vt ad vos veniens eos qui peccant tristitia afficiam. Illud autem, iterum, cum præsentia, non cum tristitia, coniunctum est.

Si enim ego contristo vos: & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me.

Quid me æquè exhilarat, ac sensus eorum qui accusantur? ex eo enim facio cōiecturam vtilitatis quæ inest in reprehensione.

Et hoc quidem scripsi vobis: vt non cùm venero tristitiam super tristitiam habeam de quibus oportuerat me gaudere, confidens in omnibus vobis quòd meū gaudium omnium vestrum est. Super tristitiam, non est in Græco The.

Ideo meę literę meum aduentum anticiparunt, vt cùm per illas fuerit adhibitum remedium, id mihi lætitiam conciliet. Huius autē vos quoque estis participes, vt qui nostra vestra esse ducatis.

Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi ad vos per multas lachrymas, non vt contristemini, sed vt sciatis quam charitatem habeo abundantius in vobis.

In prioribus literis eos vehemētius tetigerat. Docet ergo se non ea ideo solūmodo scripsisse, quòd eos vellet dolore afficere, sed vt eorum qui peccauerant medelam procuraret, propter quos etiam maximum dolorem accepit, & audacter ad eos scripsit, quam in eos animi affectionem & tristitię causam indicans.

Si quis autem contristauit me, non me contristauit, sed ex parte, vt non onerem omnes vos.

Voluit quid maius dicere, & ostendere totū corpus ecclesiæ esse doloris particeps. Sed alijs relictis, eorum tantum meminit. Id enim significat illud, Ex parte, & hoc, Ne grauem. Deinde paternam beneuolentiam aperit.

Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita vt econtrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui est eiusmodi.

Ostendit quidem vehementem fuisse pœnitentiam, dicens abundantiorem tristitiam; remissionem tamen vocat χάριν, hoc est gratiam, ostendens peccatum fuisse maius pœnitentia. Ostendit autem etiam Corinthiorum studium. Sufficit enim inquit, illi qui est eiusmodi, obiurgatio ipsa quæ fit à pluribus. Omnes

mnes enim ipsum auersabantur, vt iusserat. Tantum vel scribendo valebat tabernaculorum opifex, propter eam quæ in ipso habitabat virtutem. Absorberi autē, appellauit Desperare, & à fide omnino deficere.

Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem.

Vnite membrum corpori, adiungite ouem gregi, vehementem eius animi affectionem suscipite.

Ideo enim & scripsi vobis, vt cognoscā experimentum vestrum.

Oportet enim vos non solum secanti sed etiam coniungenti opem ferre.

Cui autem aliquid donastis, & ego.

Quando pœnam quidem imponentem in eum tulit sententiam, non dedit eis facultatem vt ei vllo modo parcerent, quoniam videbat eos non ex ęquo tenere iustitię trutinā. Sed postquam resciuit eos vtilitatem cepisse ex ijs quę ad eum scripserat, dat is potestatem ostendendę munificentiæ, & dicit. Cui autem aliquid donatis, & ego,

Nā & ego quod donaui, si quid donaui propter vos.

Innuit autem id quod dicit, eos per beatos viros Timotheū & Titum pro eo qui peccarat rogasse. Et ne quis existimaret eū propter gratiam hominū iustitię curam gerere, subiunxit.

In persona Christi.

Hoc, inquit, facio, tanquam intuente Christo, & quod sit gratum habente. Dicit autem etiam causam.

Vt non circumueniamur à Satana, non enim ignoramus cogitationes eius.

Scit enim capitalis hominū hostis ei etiam desperationis cogitationes sæpenumero immittere, & ratione exitium moliri. Cum hęc sic interposuisset, ad propositę narrationis seriem reuertitur. Cum enim quæ sibi in Asia accidissent narrasset, coactus est dicere quàm sincerè eis diuinum prædicarit Euangelium. Porrò autem suam quoque in illos dilectionē hinc aperuit, dicens se voluisse eos videre ante Macedones. Deinde cùm dilationis causas exposuisset, & tristitiam in memoriam reuocasset, & eum qui ab ecclesia separatus fuerat rursus in numerum retulisset, ad narrationis seriem reuersus est.

Cùm venissem autem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi esset apertum in Domino, non habui requiem spiritu meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum: sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam.

Cùm venissem, inquit, Troadem non alia de causa quàm vt Euangelium prędicarē, valde sum cruciatus animi, cùm viderem multos prædicationis gratia accedere, nec haberem ad illorum curam gerentem adiutorem, nondum enim Titus ad nos venerat, quem vestrę vtilitati prouidens, ad vos miseram. Quamobrem vt qui laborum socium non haberem, eis relictis abij. Beatissimi autem Titi nō fruistra in præsentia meminit. Sed quoniam is literas erat laturus, voluit viri virtutem ostendere. Hoc autē satis docuit, cùm dixit, quòd illo absente, licet multi ad prędicationem accederent, eorum quę erant necessaria nihil facere potuit. Ea de causa & fratrem eum nominauit, & pronomen adiecit, germanum esse docens.

Deo autem gratias, qui semper triumphat, nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

Sed per omnia Deum laudamus, qui nostra sapienter dispensans, nos huc & illuc circumagit, nos omnibus manifestos efficiens, & per nos pietatis cognitionem exhibens. Odorem autem cognitionis appellauit prę sentem cognitionem, nos duo simul docens, & quòd ea sit perfectæ cognitionis parua pars, & quòd illa quidem nunc latet, in tempore autem apparebit, instar incensi aut suffitus, qui sępe in aliquo thalamo igni admotus, etiam foras suauem odorē emittit. Qui autem sunt eius participes, illum quidem non vident, odore tamen fruuntur.

Quia Christi bonus odor sumus Deo: in ijs qui salui sunt, & in ijs qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.

Nos autem Christi bonum odorem omnibus præbemus, sed non omnes qui sunt eius participes, salutem assequuntur. Malè enim affectis oculis lux est incommoda & infesta. Sol tamen non affert incōmodum. Ferunt etiam vultures fugere vnguenti fragrantiā. Vnguentum tamen est vnguentum, etiamsi id vultures defugiant. Ita etiam salutaris prædicatio ijs quidem qui credunt salutem procurat, ijs verò qui non credunt affert exitium.

Et ad hæc quis tam idoneus? Tam in Græco nō habetur

Hæc autem non nos rectè facimus, sed per nos gratia spiritus. Nos enim ne hoc quidem ministerio nos dignos existimamus.

Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.

Hic deinceps contra aduersarios cōtendere aggreditur, & docet, quòd ipse quidē tradit doctrinam, quę à diuina gratia proficiscitur. Illi autem diuinum sermonem cauponantur, eum fabulam efficientes, & sua cogitata gratiæ admiscentes, quemadmodum qui vinum purum aqua miscent, sicut est in Esa. I. prophetia quæ dicit, Caupones tui vinum aqua miscent. Deinde quoniā illos quidem tetigit, de se verò vera prędicauit, necessario subiunxit.

CAPVT III.

INcipimus iterum nosmetipsos commendare?

Non enim nostrum erat hæc dicere, sed vestrum, qui & nostra, & quæ ad illos pertinent, rectè scitis. Et rursus pergit sua oratione pungere.

Aut numquid egemus, sicut quidam, commendatitijs epistolis ad vos, aut ex vobis?

Per hęc significat, quòd quidam ex illis impostoribus & per alios se ipsis commēdarunt, & rursus ab ipsis commendatitijs ad alios epistolis instructi, iter ingressi sunt. Et quoniam ea quæ dicta sunt ad eos laxandos sufficiunt,

per ea quæ consequuntur medicinam exhibet, dicens.

Nostra Græcè ὑμῶν vestra.

Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus.

Nos nõ opus habemus literis, res enim ipsę ferunt nobis testimonium, & animatam habemus epistolam, quę vobis nostra commendet, fidem nostram, quę vbique in terra & in mari decantatur. Nos enim vos ab errore liberantes, ad lucem Dei cognitionis adduximus. Id enim significant ea quæ consequuntur.

Manifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis.

Et quid dico nostra? Ipsius enim Seruatoris nostri estis epistola. Ipsius enim sunt verba prędicationis, nos autem ministri literarum.

Et scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Is relictis qui contraria docebant, ad res transit, & docet differentiam vtriusque testamenti. Illud enim in tabulis lapideis insculptum est: hoc verò in cordibus rationis participibus.

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis.

In tempore, Dei vniuersorũ meminit, quoniam qui cõtraria prędicabant, dicebant Deum exigere legis obseruationem. Dicit ergo. Nos in Deo vniuersorum fiduciam habemus, cùm Christus nobis hanc fiduciam dederit. Non nobis de nobis ipsis placemus, nec ex ꝓprijs cogitationibus contexentes, prædicationem afferimus.

Sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti: non literæ, sed spiritus.

Ipse enim vniuersorum Deus sufficientem suppeditauit potestatem, vt gratię spiritus inseruiremus. Non enim veteris legis literas afferimus, sed nouum donum spiritus.

Litera enim occidit, spiritus autem viuificat.

Vtraque à fine posuit, eos enim qui transgrediebantur lex puniebat: gratia autem eos qui credunt viuificat. Deinde ea inter se apertius comparat.

Quod si ministratio mortis in literis, deformata in lapidibus, fuit gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?

Ministrationem legis vocauit ministrationem mortis, quoniam lex puniebat eos qui transgrediebantur. Si ergo, inquit, vbi supplicium, & mors, & literæ lapidibus insculptæ, qui ea afferebat, tantam in vultu gloriam acceperat, vt qui videbant non ferrent splendorẽ qui ex eo emicabat: multo magis qui diuino spiritui seruiunt, fruentur maiori gloria. Ministrationem enim spiritus vocauit eos qui spiritui seruiunt: sicut rursus ministrationem mortis, eos qui legi seruiunt, hoc est, Mosen. Confert enim Mosen & prędicatores gratiæ, & ostendit illum quidem attulisse scriptas tabulas: hos autem præbere gratiã sanctissimi spiritus: & legem quidem punire, spiritum autem viuificare: & quę illi quidem adfuit, gloriam breui tempore durasse: horum autẽ gloriam manere in æternum, & illic quidem solum Mosen fuisse gloriæ participem, hic autẽ non solos Apostolos, sed eos etiam qui per eos crediderunt. Deinde ea fusius confert, vt gratiam longè superare ostendat.

In gloria, in nõ est in Græco. abundat non est in Græco.

Nam si ministratio damnationis in gloria est: multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.

Lex eos qui peccabant condemnabat, gratia autem eos suscipiens, per fidem iustificat, ad diuinum enim baptismum adducit, & donat remissionẽ. Si ergo qui illi seruijt fuit gloriæ particeps, multo magis qui huic, nempe gratiæ, seruierunt, maiorem assequentur.

Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

Tanta est enim ea gloria, quæ est eis adseruata, vt ne gloriã quidem fuisse dixerit quispiam eam quæ Mosi adfuit, si ad hos respiciat. Noctu enim lumen lucernæ videtur splendidissimum: meridie autem absconditur, & ne lumen quidem esse putatur. Deinde etiam aliter.

Si enim quod euacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, est in gloria.

Legem vocauit id quod est otiosum & inane, vt quæ Christi Domini aduentu cessauerit: Quod manet autem, donum gratiæ, vtpote quod non sit finem accepturum. Si ergo illud, inquit, gloriam consecutum est; videlicet hoc etiam multiplicem assequetur.

Habẽtes igitur talem spem, multa fiducia vtimur.

Scimus glorię magnitudinem, & nihil dubitamus, aut vlla suspicione mouemur: sed liberè ostẽdimus quanta sit gratiæ excellentia.

Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciẽ suam: vt non intenderent filij Israel in faciem eius quod euacuatur.

Non opus habemus velamine, sicut ille, cũ fidelibus enim loquimur. Omnes enim qui credunt, intelligentis lucis splendore fruuntur. Significat autem id quod dicitur, quòd Iudæorum incredulitatem diuinans diuinissimus Moyses, velo faciem obtegebat, docens quòd legis finem minimè videre poterunt. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Hoc est enim, inquit, ad hoc ne filij Israel intendant oculos ad finem eius quod otiosum & inane redditur. Otiosam enim & inanem legem esse dicit, hoc est, cessare, finem autem eius quæ otiosa & inanis efficitur, eam esse qui sub lege prædicatur, hoc est Christũ. Deinde ostendit veritatem libertatis.

Sed obcæcati sunt sensus eorum.

Nõ quòd aliquis alius eos obcęcauerit, sed ipsi sua sponte & libera voluntate eam affectionem susceperunt.

Vsque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur.

Lex in hodiernum vsque diem Mosis habitum induit: & imponitur velamen ijs qui absque fide eam legere aggrediuntur.

Sed

Sed vsq; in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.

Legem Mosem appellauit, velamen autem incredulitatem. Porrò autem docet etiã quomodo auferri posit velamen.

Cùm autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen.

Quando cum populo quidem loquebatur, velum habebat impositum: quando autem ad Deum accedebat, auferebat velamen. Ita ergo tu quoque si ad Dominum respicere volueris, ab incredulitatis velamine liberaberis. Quis est autem is ad quem oportet respicere?

Dominus autem est spiritus.

Ostendit Deum & Spiritum esse honore æquales. Moyses enim visum ad Deum conuertit: nos autem ad spiritum. Neque verò cùm vellet ostendere noua esse veteribus præstantiora, spiritus mentionem fecisset, si Spiritũ sanctum creaturam esse sciuisset. Si est enim creatura, vt volũt Arriani & Eunomiani, nos autem ad eum accedimus, Moses autẽ ad Deum & patrem; nostra ergo longè sunt minora veteribus. Sin autem non sunt minora, sed etiam maiora, atque adeò multo maiora, non est ergo spiritus sanctus creatura, sed æqualẽ habens honorem & potestatem. Sed enim impudenter dicunt Dominum hoc in loco spiritum appellari, non ipsum spiritum Dominum. Hoc autem inscitia & impudentia plenum est. Diuinus enim Apostolus fecit omnino comparationem spiritus & literæ. Et scripta enim inquit, non atramento, sed spiritu Dei viui. Et rursus, Non literæ, sed spiritus. & iterum. Litera enim occidit: spiritus autem viuificat. Et denuo. Quomodo non ministratio spiritus erit in gloria? Clarum est ergo quòd sanctissimum spiritum vocauit Dominũ sanctissimus Apostolus. Testantur autem etiam quæ sequuntur. Dicit enim.

Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas.

Si autẽ Dominum spiritum appellasset dixisset, Vbi autem Dominus: Sed non ita dixit, sed ipsum Domini spiritum appellauit, quoniam per ipsum eius suppeditata est gratia. Et ne quis ipsum administrum esse putaret, necessario adiecit spiritum esse Dominum.

καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος. Tanquam à domino spiritu. Ita etiam legit Theod. κυρίου πνεύματος, cum diabole.

Nos verò omnes reuelata facie gloriã Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

Moses solus fruebatur gloria, hic autem, omnes qui credunt. Ille habet tegumentum, propter Iudæorum imbecillitatem. Nos autẽ qui fidelibus doctrinam exhibemus, nõ opus habemus tegumento, sed nuda facie gloriam Domini tanquam in speculo cernimus, etenim incredulitatis lema minimè sumus impediti. Illinc autem non paruum gloriæ splendorem trahimus. Id autem est propter eorum qui mundum cor possident. Quemadmodum enim aqua perspicua, eorum qui inspiciũt aspectum, & ipsius Solis circulum, & cœlorum conuexa effingit: ita etiam cor purum fit diuinæ gloriæ veluti quoddam speculum, quod eam refert & exprimit. Ita etiam dixit Dominus. Beati qui sunt mundo corde, quoniã ipsi Deum videbunt. A gloria autem dicit diuini spiritus, in gloriam nostram, Pro eo quod est, illinc accipimus. Hoc enim subiũxit, tanquam Domini spiritu. Et hinc etiam manifestum est quòd an tea quoque spiritum Dominum appellauit. *Matth. 5.*

CAP. IIII.

Deo habẽtes hanc ministrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus.

Apertè docuit se ministrationem spiritus appellasse prędicatores. Dicit autem se per solam Dei benignitatem eam esse consecutum. Quamobrem, inquit, molesta & aduersa, quę nobis accidunt, forti & generoso animo ferimus.

Sed abdicamus occulta dedecoris.

Dicit circuncisionem, quam qui ex gentibus crediderant, prædicabant. Hoc etiam alibi dicit. Sed quæ erant mihi lucra, ea existimaui propter Christum detrimentum. Et rursus. Verumetiam omnia reiectamenta existimo, vt Christum lucrifaciam. *Philip. 3.*

Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis cõmendantes nosmetipsos, ad omnem conscientiam hominum coram Deo.

Illos rursus arguit quòd legis admixtione diuinam prędicationem corrumpant, & vtantur calliditate, & doctrinam non simpliciter tradant. Nos autem, inquit, veritatis testes habemus, & homines, qui sapiunt recteque sentiunt, & eum ipsum qui inspicit conscientiam. Deinde quoniam dixerat, Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini tanquam in speculo repræsentamus: erant autem multi quos impediebat lema incredulitatis, & qui diuina intueri non poterant: necessario subiunxit.

Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum: in ijs qui pereunt est opertum.

Et superius dixerat. Alijs odor mortis in mortem: alijs odor vitæ in vitam.

In quibus Deus.

Hic ponendum est incisum.

Huius seculi excæcauit mentes infidelium vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi qui est imago Dei.

Ostendit incredulitatem esse hoc sæculo circumscriptam. In alia enim vita nuda omnibus veritas ostenditur. Deus autem eos excęcauit, non quòd ipse eis incredulitatem immiserit, sed cùm vidisset eorum incredulitatem, non permisit vt viderent occulta mysteria. Ne dederitis, inquit, sancta canibus: nec ieceritis margaritas ante porcos. Et rursus: Propterea in parabolis loquor eis, quòd videntes non vident, & audientes non intelligunt. Agnitione enim & fide opus est, vt sint lucis participes. Imbecillis enim oculis Sol est inimicus. Christum autem Dei imaginem, vtpote Deũ de Deo, appellauit. In seipso enim Patrem ostendit. Quamobrem dicit. Qui me vidit, vidit Patrem. *Matth. 7.* *Matth. 13.*

Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum

Nostrum non stum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros est in Græco per Iesum.
Theod.

Hoc etiam dixit in priore. Ita nos existimet homo sicut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic autem multo humilius de se locutus est, non solum enim se Christi seruum, sed etiam fidelium appellauit, propter suum in ipsum amorẽ. Hoc enim dixit illud, per Iesum.
1. Cor. 4

Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu.

Qui olim, inquit, verbo lucis naturam produxit, & dixit, fiat lux, is nunc non illa, sed sua mentes nostras, illustrauit, vt ipsius gloriam per ipsum Christum aspiceremus. Illud autem, In facie Iesu Christi, hunc habet sensum. Quoniam diuina natura sub aspectum non cadit, per sumptam humanitatem diuina luce resplendentem, & fulgura emittentem, aspicitur, vt licet. Hinc autem etiam manifestum est, quòd Deus incredulis incredulitatẽ non immisit, qui intelligentis lucis splendorem omnibus abundè præbuit: sed ipsi quidem dilexerunt incredulitatem, ipse autẽ eis, cùm nollent aspicere, radium non præbuit.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.

Quandoquidem magna erant quæ de noui testamenti prædicatoribus dicta sunt, grauissima autem ac difficillima sustinere videbantur, necessariò docuit quòd ea etiam Dei potentiam prædicant, & thesauro quidem comparat spiritus gratiam quæ data est: testæ autem, naturam corporis. Hoc autem signum est maximum Dei potentiæ, quòd cùm ipse innumerabiles plagas acceperit, thesaurum tamen non perdiderit. Deinde tentationum recenset catalogũ, & quòd eis respondet Dei ostendit auxilium.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, humiliamur, sed non confundimur, deijcimur, sed non perimus.

Humiliamur sed non confundimur, nõ est in Græco Theod.

Si enim nihil horum nos inuaderet, non esset ostensa diuinæ potentiæ magnitudo, sed quia videmur esse similes arboribus, quæ in igne germinant per hoc quod patientes illęsi seruamur, nos protegentis Dei potentiam prædicamus. Illud autem; Aporiamur, sed non destituimur, pro eo quod est, In rebus difficilibus, & quæ nullum videntur habere exitum, nos viam salutis inuenimus.

Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.

Ita etiam dicit alibi. Si compatimur, vt & conglorificemur.

Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.

Ea autem de causa mortifera pro Domino pericula lubẽter adimus, vt & vitę eius simus participes & eam quæ est ad tempus vitã dantes, incorruptionẽ carnis adipiscamur. Illud aũt, semper, est ad perfectã compositionem. Voluit enim dicere, Nos enim qui viuimus.
Roman. 8.

Ergo mors in nobis operatur: vita autem in vobis.

Pro vestra enim salute pericula adimus. Cũ periculis enim vobis doctrinã tradimus. Nobis autem periclitantibus: vos vita fruimini. Quoniam autem immortalis vitę meminit: ea autem in spe versatur: quod autem speratur non videtur; Propheticam vocem in memoriam reuocat, docens etiam sanctos, qui olim fuerunt, fuisse fide illustratos.
Psal. 115.

Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod loquimur.
Psal. 115.

Admodum autem appositè adduxit testimonium. Cùm enim beatus Dauid in præcedente Psalmo dixisset, Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione viuentium: non videbatur autem ipsa regio; incipiens versiculum qui sequitur, dixit. Credidi, propter quod locutus sum. Idem autem, inquit, spiritus & per illos locutus est, & per nos loquitur.
Psal. 114.

Scientes quod qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum.

Dominus omnium gratia mortem subijt, vt omnes cum eo simus resurrectionis participes. Credimus ergo quòd nos etiam per ipsum efficiet morte potentiores, & vos simul adducet ad tribunal pertimescendum.

Omnia enim propter vos.

Credentes scilicet. Non dixit enim solummodo de Corinthijs: sed dixit de omnibus qui dogma susceperunt.

Vt gratia abũdans per multos in gratiarum actione, vt abundet in gloriam Dei.

Communis enim salutis curam gerens, dispensationem Christi Domini procurauit. Oportet ergo ei assiduè hymnis gratias agere.

Propter quod non deficimus.

Non sumus remissi, nec pusillo & abiecto animo, sed omnia fortiter ferimus.

Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est renouatur de die in diem.

Maximum enim lucrum facit anima quæ animi magnitudine vtitur. Deinde cum bonis quæ expectantur confert vitæ præsentis molestias.

Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Et per hoc quidem, in momento, ostendit quàm sit breue & ad tempus exiguum. Conferendo autem opponit ei quod est, in momento, hoc, nempe æternum. Leui autem & molli, graue, hoc est, id quod est maximi pretij, ei autem quod est supra modum, ad exuperationem, afflictioni autem, non remissionem, sed gloriam, quæ quidem sunt multo maiora. Et quoniam hæc quidem videbantur, illa autẽ non apparebant, merito adiecit.

Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.

Ad tem-

Ad tempus autem sunt nõ solę afflictiones, sed etiam remissiones vitæ præsentis. Non oportet ergo in ijs quæ sunt caduca hærere, & mentem in eis defigere, sed æternorum bonorum & fruitionem expectare.

CAP. V.

Scimus enim quod si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluitur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cœlis.

Terrestrem domum appellat, huius præsentis vitę traductionem: Tabernaculum autem corpus. Si ergo, inquit, finem acceperint præsentia, habemus domum non manu factã, æternam, cœlestem. Etenim terrestri quidem cœlestem opposuit: ei autem quę dissoluitur, æternam, ei autẽ quæ ab hominibus constructa est, non manu factam.

Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostrã quæ de cœlo est superinduci cupientes.

Habitaculum hoc in loco vocauit incorruptionem. Ipsum autem de cœlo dixit, quoniam donum illinc ad nos demittitur. Non dixit autem, Indui, sed, superindui, quandoquidem non alio corpore induimur: sed hoc quod est corruptioni & interitui obnoxium, incorruptionem induit.

Si tamen vestiti, & non nudi inueniamur.

Omnes enim homines incorruptionis indumento amicientur: sed non omnes erunt diuinæ gloriæ participes. Nudos autem eos appellat, qui nudati sunt gloria, inter quos seipsum quoque collocauit Apostolus, docens & Corinthios, & omnes homines vti moderatione.

Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri.

Ingemiscimus autem, non à corpore liberari cupiẽtes, sed ab eius affectionibus & perturbationibus liberi esse desiderantes. Non enim corpus exuere, sed incorruptionem induere cõcupiscimus. Sciemus autem quomodo hoc erit.

Vt absorbeatur quod mortale est à vita.

Quemadmodum lux exoriens facit tenebras euanescere: ita etiam vita, in quam non cadit exitium & interitus, omnino tollit ac delet corruptionem & interitum.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus.

Nostra è superis effector sic dispensauit, & cùm videret Adæ transgressionem, medicamentũ vulneri conueniens parauit. Ipse etiam nobis arras spiritus largitus est. Hoc autem posuit, ex miraculis quę fiebant per spiritum, veras esse de futuris promissiones ostendens.

Audentes igitur semper, & scientes quod dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.

Non dicit quòd longè sumus à Domino, dum sumus huic mortali corpori coniuncti: sed quòd non videmus nunc ipsum corporeis oculis, tunc autem & videbimus, & simul cũ eo versabimur. Nunc enim, inquit, non videmus eas res quæ expectantur: sed eas per solã fidem cernimus, & propterea etiam desideramus ab hoc corpore excedere, & cum Domino versari. Docet autem per hæc non timere mortem, sed hinc discessionem facilè & toleranter ferre.

Et ideo contendimus, siue absentes, siue præsentes, placere illi.

Non sufficit enim fides ad salutem, sed conuenit benefactorem in omnibus colere & obseruare. Hoc autem Contendimus, posuit pro eo quod est, studium & animi alacritatem adhibemus. Ostendit autem etiam alia ratione esse necessariam virtutis possessionem.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.

Non dixit, sisti, sed manifestari. Sufficit autem hoc & ad eos qui mala sua non sentiunt admonendos, vt suorum peccatorum vulneribus medeantur, vt non ea fiant manifesta omnibus. Et rursus alia ratione auget metum.

Vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

Cùm sit iustus iudex, pro ijs quæ in vita gesta sunt, dabit vnicuique conuenientem remunerationem. Simul autem ostendit tam quæ honorantur, quàm quæ puniuntur, animas vnà cum corporibus retributionem accipere.

Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus. Deo autem manifesti sumus.

Hunc timorem impendentem habentes, eos qui de nobis falsas habent opiniones, corrigere conamur, & nostra quomodo se habẽt docere, licet rectè sciamus vniuersorum Deum omnia inspicere.

Spero autem & in conscientijs vestris manifestos nos esse.

Existimo autem vos nostra non egere oratione, vt qui institutum & sopum nostrum rectè sciatis.

Non iterum commendamus nos vobis: sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, vt habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.

Eos rursus sibi conciliauit, eis de sua in ipsum affectione ferens testimonium, non, inquit, nostra causa hęc dico, sed vt sciatis quomodo vos oportet vestrum Doctorem defendere, & aduersarios mendacij conuincere, qui veste duplici induti sunt, & alia quidem sentiunt: alia verò loquuntur.

Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis.

Σωφροσύνην, hoc est temperantiam seu moderationem, appellauit humilitatem ἔκστασιν, hoc est mentis excessum, narrationem eorum quæ rectè gesserat. Vtraque autem, inquit, facio, recta ratione ductus.

Charitas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quod si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

Hęc rursus priori consequentię coniunxit.

Cùm enim dixisset, Et ideo contendimus siue pręsentes, siue absentes, placere illi, necessario ostendit causam dilectionis. Incendimur, inquit, dilectione in Christũ, reputantes quòd cùm nos omnes essemus morti obnoxij, solus pro nobis mortem subijt, vt spiritus vitam nobis procuraret. Qua de causa iustum existimauimus ei viuere, & nostram vitæ rationem ex eius legibus instituere, etenim nos ei hoc debemus.

Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundũ carnem. Etsi cognouimus secundum carnem Christum sed nunc iam non nouimus.

Cùm enim mortem Domini mortem dissolutam esse didicerimus, nullum deinceps hominem mortalem esse scimus. Etsi enim ipse quoque Dominus habuit corpus patibile, tamen post passionem, id à crorruptione, interitu, & morte alienum effecit.

Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua.

Oportet ergo eos qui Christo crediderũt, tanquam in noua aliqua creatione vitam instituere, per sanctissimum enim baptismum renouati, peccati senium exuimus.

Omnia autem ex Deo qui nos recõciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.

Dei ineffabilem benignitatem ostendit. Non enim inquit ipse nobis reconciliatus est, quamuis ipse esset qui per trãsgressionem iniuria erat affectus, sed nos sibi reconciliauit, non hominem intercessorem adhibens, sed vnigenitum filium pacis intercessorem constituens. Nobis etiam tradidit faustum reconciliationis nuntium.

Quoniam quidem Deus erat.

Hic est ponendum incisum.

In Christo mundum reconcilians sibi.

Ipse enim vniuersorum Deus, per Christum cum hominibus reconciliatus est. Et quomodo?

Non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.

Dedit peccatorum remissionem, & nos elegit, ministros pacis.

Pro Christo ergo legatione fungimur.

Quoniam dixit eum fuisse pręfectum pacis ministerio, necessario adducit legationem. Et ostendens esse fide dignam legationem, subiunxit.

Tanquam Deo exhortante per nos.

Quanam autem legatione fungitur?

Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.

Sufficiunt quæ dicta sunt, etiam ad eos qui sunt valde peruicaces pudore afficiẽdos. Primum enim dixit, quòd illo interfecto non modo non succensuit, sed nos etiam legatos misit, vt omnibus hominibus persuaderet & eius clementiam reuereri, & Christi cædis admoneri, & creatori reconciliari, & Deo & Domino. Adijcit autem etiam ijs quæ prædicta sunt, passionis ignominiam.

Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Cùm enim à peccato liber esset, mortem peccatorum subijt, vt hominum peccatum solueret, & id vocatus quod nos eramus, nos fecit id quod erat: Iustitiæ enim nobis opes donauit.

CAP. VI.

Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Quoniam enim dixerat, pro Christo legatione fungimur, necessario docet, quòd qui legatione funguntur, eis opem ferunt quos exhortantur, vt diuinæ gratiæ lucrum accipiant, & non vacuam & inanem dispensationem ostendant, ei vitam contrariam præ se ferentes.

Dicit enim, tempore accepto exaudiui te, & in tempore salutis adiuui te.

Cùm ita fuit vsus prophetico testimonio, adhortationem amplificat.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

Vita enim tendit ad finem, & nisi nunc fuerimus salutis participes; postquã hinc excesserimus, ea destituemur. Deinde persequitur labores quos pro illorum vtilitate suscepit.

Nemini dantes vllam offensionem: vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nos, sicut Dei ministros.

Adhibetur enim à nobis opera, vt ne minimam quidem vlli offensionẽ præbeamus, sed nos ipsos omnino Dei ministerio dignos ostendamus. Quænam sunt autem species huius ministerij?

In multa patientia in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis & carceribus, in seditionibus.

Variè dixit ea quę extrinsecus inuadũt. Adijcit autem laboribus inuoluntarijs eos quoque quos sponte sua suscepit.

In laboribus, in vigilijs & ieiunijs, in castitate, & scientia, in longanimitate, & suauitate, in spiritu sancto, & charitate non ficta, in verbo veritatis, & virtute Dei.

Neque enim erat contentus ijs quę ei extrinsecus afferebãtur molestijs, sed ipse etiam excogitabat quomodo suum corpus castigaret, vt qui non solum ieiunaret, sed etiam vigilaret, & manibus laboraret. Hoc enim dicit, In laboribus. ἀγυότητα autẽ, hoc est puritatem, vocat pecuniæ contemptum. Neque enim vsum necessarium accepit à Corinthijs. Cognitionem verò seu scientiam, vt puto, vocat doctrinam, nam & ipsa quoq; est laboriosa. Deinde lõganimitatem seu lenitatem in alienos, benignitatem in suos, Sanctissimi spiritus obseruãtiam, eius enim nutum sequebatur. Non fictam autem charitatem vocat sincerã & germanam, quę non in figura cernitur, sed reipsa confirmatur. Sermonem autem veritatis, prędicationem pietatis. Omnia autem diuinę potentiæ attribuit, ea enim adiuuante se in his omnibus rectè gesit.

Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam,

ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ καινὴ κτίσις, quare si quis in Christo noua creatura, aut vt exponit Theodo. creatio, κτίσις enim vtrunque significat.

mam, vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti & cogniti. quasi morientes, & ecce viuimus, vt castigati: & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

Omnia pugnant ex diametro, gloria & ignominia, maledictum & laus, mors & vita, gaudium & tristitia. Sed tamen & hæc & illa esse arma iustitiæ pronunciauit, & per ea quæ sunt contraria vnam virtutem cõtemperauit. Nam neque gloria eum extulit: neque ignominia deiecit, nec eum laus inflauit: nec maledictũ excruciauit. Sed per contraria ingrediens, mansit immutabilis. Dextra autem vocat ea quæ animo grata esse videntur: sinistra autem quæ sunt contraria ab ea quæ est de rebus opinione imponens nomina. Iure autem admiranda sunt ea quæ sunt in fine. Cùm enim dixisset, vt mendici, non subiunxit, Necessarijs autem abundantes: sed, Multos autem locupletantes, Ab omnibus enim pecuniam colligens, mittebat ad pauperes: & qui nihil habebat, cuiusuis piæ domus erat dominus.

Os nostrum patet ad vos Corinthij: cor nostrum dilatatum est.

Vestri amor hæc me cogit dicere, omnes enim vos in meipso circunfero, talis est enim natura charitatis, eorum qui illam possident corda lata efficit. Hoc autem significant ea quæ consequuntur.

Non angustiamini in vobis.

Qui enim est hostili in aliquem animo, vel ipsam eius memoriã è cogitatione sua eijcit.

Sed angustiamini in visceribus vestris.

Eos maximi criminis accusauit, vt qui eos in sui cordis latifundia se recepisse ostenderit, illos autem coarguerit, quòd nolint simili vti renumeratione, sed in vno homine sint angusti. Vnde subiunxit.

Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filijs dico.

Quoniam accusatione eos pupugit, eos filiorum appellatione mitigat.

Dilatamini & vos, nolite iugum ducere cum infidelibus.

Reddite mihi æqualem dilectionem. Ne imitemini boues qui alio deflectunt & iugum trahunt, incredulorum fraudem vestræ doctrinæ præferrentes.

Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?

Per hæc autem omnia ostendit contrarios magistros esse iniquitatis & tenebrarum conciliatores, & ministros Diaboli. Belial enim appellauit Diabolum.

Vos enim estis templum Dei viui.

Deinde prophetico testimonio ostendit verum esse quod dicit.

Leuit. 26. *Sicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo in illis: & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus & ipsi erunt mihi populus.*

Hier. 31. *Propter quod exite de medio eorum: & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.* Esa. 52.

Cùm per propheticam doctrinam eos cum aduersarijs congressionem sic fugere docuisset, & diuinis promissionibus eos esset consolatus, affert etiam ipse suam admonitionem.

Has ergo habentes promissiones Carissimi, mundemus nos ab omni inquinamẽto carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei.

Spiritum hic vocat animam. Spiritus autem inquinamentum, communionem idolorum. Inquinamentum verò carnis, actionum iniquitatem.

Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus.

Non dicit contraria, eos quidem aliquando laudans, aliquando verò reprehendens, nam & in nonnullis se rectè gerebant: & peccabant vt homines, & propter illa quidem laudat: propter hæc verò reprehendit. Eius autem scopus est & institutum, per laudes & vituperationes ipsos ad summam ac perfectam exercere philosophiam. Hic autem innuit fuisse aliquos ab illis impostoribus inductos, qui quas aduersus ipsum attulerant calumnias admiserant. Vnde se defendens, dicit, Neminem corrupimus. Non rem nostram propter plura habendi cupiditatem auximus. Pro eo quod est. Nec verbis fraudulentis vsi sumus mendacium veritati admiscentes. nec propter pecuniã prędicauimus. Illud autem, Capite, dicit ijs qui sunt angusti, & charitatem non possident. Hoc enim superius quoque dixit. Dilatamini & vos. Quoniam autem dixit. Non cum vllius iniuria rem nostram per plura habendi cupiditatem auximus, necessario subiunxit.

Non ad condemnationem vestram dico.

Pro eo quod est, non hæc dixi, vobis sordes exprobrans.

Prædiximus enim quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum & ad conuiuendum. Multa mihi fiducia est apud vos.

Vt patri apud filios: præceptori apud discipulos.

Multa mihi gloriatio pro vobis.

De vobis enim glorior: & fidem vestram vbique prædico.

Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.

Vestra enim recordatio omnis consolationis mihi causa est. Deinde rursus tentationes exponit.

Nam & cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra: sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores.

Non solum enim me exercuit & retinuit ea quæ cum aduersarijs suscepta est contentio: sed eorum etiam qui imbecilliores erant me cura anxit. Verebatur enim ne se ad deteriora conuerterent.

Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi.

Hic est eius scopus, & beati Titi virtutem

ostendere,& eorum in ipsum dilectionem inflammare. Is enim has ferendi literas ministerio functus est, & ideo dixi, quòd cùm apparuisset, suffecit ad malorum impetum discutiendum.

Non solum autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me.

Mihi etiam auxit lætitiam ijs quæ de vobis narrauit, renuntiauit enim quomodo desideraretis me videre: & quomodo admissa delicta ægrè ferretis, & quantam pro me cum aduersarijs meis æmulationem ac contentionem suscepistis.

Ita vt magis gauderem, quoniam etsi vos contristaui in epistola, non me pœnitet, etsi pœniteret.

Hæc enim cùm resciuissem, maximam accepi lætitiâ, etsi valde dolerem quòd vos molestia afficere coactus sim per illas literas.

Videns quòd epistola illa, etsi ad horam vos contristauit: nunc gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.

Etsi enim illæ literæ vos ad tempus tristitia affecerunt, sed vobis maximam vtilitatem attulerunt, ego autem gaudeo, vt qui non nudam tristitiam, sed tristitiæ fructum videam. Illa enim tristitia germinauit laudabilem pœnitentiam.

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Sæculi autem tristitia mortem operatur.

De peccatis enim dolere, veram salutem comparat. Mundi autem tristitiam vocauit, quæ pro pecuniæ iactura, pro filiorum vel vxorum morte suscipitur, cuius immoderatio scit mortem afferre. Quocirca sæpe etiam pœnitentia ducuntur, qui supra modum luxerint. Qui autem peccatum deflent, etiamsi immoderatè luxerint, lætitia fruuntur, pœnitentiam minimè admittentes.

Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.

Cùm enim literarum reprehensionem suscepissetis, omne quidem studium ad excusationem contulistis, aduersus eos autem qui peccarant indignationem armauistis: diuinum verò metum suscepistis, quinetiam nos ardentius quàm antea desiderastis, iusta autem suscepta æmulatione, pro legibus quas transgressi estis luxistis.

In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in negotio.

A pertè ostendistis vos non esse lætatos ijs quæ ab illis malè facta sunt. Hoc enim dicit illud, vt puri essetis.

Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam solicitudinem vestram pro vobis coram Deo.

Vt ostendit rerum exitus, illam vestra causa epistolam scripsimus, vt vestra in nos aperiretur affectio. Eum autem qui fecit iniuriam dixit eum qui est fornicatus. Eum autem qui passus est, patrem. Nam vel mortuus iniuria affectus est, cùm violatum esset eius cubile.

Ideo consolati sumus. In consolatione autē nostra abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis. Etsi quid apud illū de vobis gloriatus sum, non sum cōfusus.

Valde autem lætatus sum quòd Titus vestri memoriam in animo gestaret, omnium vestrū charitatē prædicans, & experientia didicit vera esse quę à me sępe de vobis dicta sunt.

Sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est.

Nihil enim vnquam falsi dicere in animum induximus: sed vobis etiam veram doctrinam tradidimus: & vestras laudes veritate exornauimus.

Et viscera eius abundantius in vobis sunt, reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum.

Admodum bene autem in vos affectus est, & vestri nunquam obliuione delendam memoriam circunfert, narrans quidem quomodo eius suasionibus cesseritis, & quantum ei præmium obtuleritis, qui eum vt patrem honoretis, & tanquam spiritalem præsidem vereamini.

Gaudeo, quòd in omnibus confido in vobis.

Ego autem lætitia plenus sum, quòd vos fidenter arguo & increpo: & rursus dum vos laudo, à veritate non excido. Oportet ergo nos etiam, tam qui docemur, quàm qui docemus, hinc vtilitatis characterē seu exemplum sumere, & doctorem quidem imitari doctorem orbis terrarum, & in tempore arguere, & increpare opportunè, & admonere, & hortari, & excitare laudibus: eos autem qui doctrina fruuntur, parere ijs qui docent, & cum desiderio & timore doctrinæ fluenta suscipere, & per eiusmodi irrigationem, ferre Seruatori Christo fructum. Cum quo sanctissimo Spiritui gloria, honor, potentia, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

TOMVS SECVNDVS.

CAP. VIII.

NOtam autem facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data est in ecclesijs Macedoniæ. Fratres, non est in Græco Theod.

Postquam superiora de beato Tito exposuit, & laudibus eos satis præparauit, subiunxit, Gaudeo quòd in omnibus confido vobis. Rebus autem ipsis suam fiduciam ostendit: & vt sanctis prouideant adhortatur. Ac primum quidem Macedonum sinceram fidem exponit, & quæ pro ea certamina susceperint, & quàm magno & excelso animo fuerint in paupertate. Dei autem gratiam vocauit bonorum possessionem, non liberum arbitrium eijciens, sed docens quòd per diuinum auxilium cogi possunt opes virtutis.

Quòd in magno experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.

Maximum eis texuit encomium. In animi enim ægritudine eos tranquillo animo ostendit, & in extrema paupertate esse magnificentia diuites. Cùm enim fluctibus vndiquaque obruerentur, vt qui secundis fluctibus feruntur gaudent, & cùm eorum quæ sunt necessaria inopia laborent, ostendunt animi magnitudinem, tanquam qui diuitijs affluant.

Quia secundum virtutem, testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam & communicationem ministerij in sanctos.

Fero enim eis testimonium, quòd animi promptitudine vires vicerunt, & nostram adhortationem anticiparunt, ipsi nos rogantes vt sanctorū, subuentionis curam gereremus. Gratiam autem & communicationem vocauit eiusmodi subuentionem. per vtraque docens esse lucrum eius qui impertit. Qui enim subsidium ferunt, erunt subsidij socij & participes.

Et non sicut sperauimus, sed seipsos dederunt, primum Domino, deinde nobis, per voluntatem Dei, ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.

Illud, Non sicut sperauimus, non dicit de sententia, sed de pecuniæ multitudine, respicientes expectauimus nos parum pecunię collecturos, sed paupertatem vicit magnificentia. eorum autem causa erat amor in Deum, se enim Deo dedicauerant, & nobis itidem, vt Dei ministris. Cùm ergo hoc eorum studium vidissemus adhortati sumus Titum vt ad vos curreret, & quæ præcesserat doctrinæ finem imponeret. Cùm eos Macedonum laudibus sic excitasset, institutionem deinceps incipit.

Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insuper & charitate vestra in nos, vt & in hac gratia abundetis.

Spiritales gratias eis in mentem reuocauit. Alij enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, alij autem fides in eodem spiritu. De mutua etiam dilectione eis tulit testimonium, per laudationem eis magnificentiam procurans.

Non quasi imperans dico, sed per aliorum solicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenuum bonum comprobans.

Hæc autem dixi, non iubens, sed consulens, & probatos volens ac spectatos efficere, ea enim de causa etiam ostendi Macedonum animi promptitudinem. Deinde adducit maximum exemplum.

Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quod propter vos egenus factus est, cum esset dives: vt illius inopia vos diuites esseris.

Respicite enim ad vniuersorum effectorem & Dominum vnigenitum Dei filium, qui causa nostræ salutis extremam paupertatem suscepit, quæ ex paupertate oriuntur nobis diuitias procurans.

Et consilium in hoc do. Hoc enim vobis vtile est, qui non solum facere sed & velle cœpistis ab anno priore. nunc autem & facto perficite, vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit etiam perficiendi ex eo quod habetis.

Hęc autem dico vestrę vtilitatis curam gerens, & vestri animi promptitudinem cognoscens, eam enim iam olim nobis aperuistis. Oportet ergo animi promptitudini rerum quoque accedere testimonium. Per id enim quod est velle, animi promptitudinem significauit. Ita enim interpretatur in ijs quæ sequuntur.

Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.

Oportet enim esse perfectam animi promptitudinem, ea autem quæ afferunt ut solet viribus metiri vniuersorum Deus, non enim quantitatem sed mentis qualitatem respicit.

Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem afflictio: sed ex æqualitate, in præsenti tempore, vestra abundantia, illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas, sicut scriptum est, Cui multum non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Exod. 16.

Perfectionem quidem definit Dominus omni ex parte perfecto pecuniæ contemptu, & voluntaria paupertate. Docuit tamen, quòd etiam absq; perfectione potest quispiam ęternam vitam consequi. Ab adolescente enim interrogatus, Quid faciens vitam æternam possidebo, perfectionis doctrinam non ei statim tradidit: sed alia præcepta in memoriam reuocat. Cùm autem ille dixisset, se omnia implesse, tunc vt à curis remotam & possessionibus carentem vitam sequeretur, hortatus est. Hæc cùm didicisset diuinus Apostolus, non quæ magna sunt statuit, sed imbecillitate animi leges metitur. Quocirca dixit, Non vt alijs remissio: vobis autem afflictio, & iussit vt impertirent ex ijs quæ superabant: & lucrum quod ex eo prouenit ostendit. Vt etiam illorum superabundantia sit ad id quod vobis deest. Retributio, inquit, erit maxima: & dantes quæ sunt minora, quæ sunt maiora accipietis. Laude enim dignæ tolerantiæ cum eis eritis participes. Valde autem opportunè adiecit etiam testimonium, etenim in collectione mannæ eandem æqualitatem ostendit Dominus, nihil enim profuit ei qui plus collegerat. Munificus enim Deus dono mensuram coniunxit. Matth. 16. Luc. 10.

Gratias autem ago Deo, qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi, quòd exhortationem quidem suscepit: sed cùm solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.

Rursus Titi amorem in ipsos significauit, hoc agens vt illius suasionibus eos obedientiores efficiat.

Misimus etiā cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias, non solū autem, sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ in hanc gratiā, quæ administratur a nobis ad Domini gloriā & destinatā voluntatem nostram.

Hæc

Hęc quę dicta ſunt, beatiſsimũ Barnabam deſcribunt. Ipſe enim etiam Antiochiæ cum beato Paulo ordinatus eſt, cũ dixiſſet diuinus
Actor. 13. ſpiritus, Segregate mihi Barnabã & Saulũ ad opus ad quod vocaui ipſos, & Hieroſolymis poſtea vnà cũ ipſo cum diuinis Apoſtolis fœ-
Actor. 23. dus inijt. Petrus enim, inquit, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur eſſe columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis: vt nos quidem ad gentes: illi autem ad circuncisionem. Vt ſolorum autem pauperum meminiſſemus, eos in pręſentia in memoriam reuocauit. Dixit enim. Comes peregrinationis noſtræ ordinatus eſt cum hac gratia quę admini ſtrata eſt à vobis, hoc eſt, ſanctorum ſubſidio. Deinde ſubiũxit, Ad ipſius Domini gloriam, & noſtram animi promptitudinem. Ipſe enim propterea laudatur, nos autem noſtram animi promptitudinem oſtẽdimus. Dicit etiam quanam de cauſa tantum virum miſerit.

Vitantes hoc ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ miniſtratur à nobis.

Venit enim nobis in mentem vt ſuſpicemur, ne quis collectæ pecuniæ videns multitudinem, aliquid aliud exiſtimet, ea de cauſa multos, eoſque admirabiles viros, ad huius miniſterij ſocietatem adſumo.

Prouidemus enim bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.

Non contenti enim ſolo Domini teſtimonio, volumus etiam homines ea quę in nobis bona ſunt cognoſcere, & ex eare fructum percipere.

Miſimus autem cum illis & fratrẽ noſtrum, quem probauimus in multis ſæpe ſolicitum eſſe, nũc autem multo ſolicitiorem confidentia multa in vos.

Hunc quidem etiam laudauit: non declarauit autem quiſnam ſit. Quidam dicũt eum eſſe Apollo, quandoquidem eum etiam miſſurum eſt pollicitus in priore epiſtola.

Siue pro Tito, qui eſt ſocius meus, et in vobis adiutor, ſiue fratres noſtri Apoſtoli eccleſiarũ, gloria Chriſti.

De Tito ergo hoc dico, quòd fuit mihi etiã prædicationum ſocius, & eſt ad veſtram vtilitatem adiutor. De alijs autem, quòd ſunt fratres veſtri, & eccleſiarum Apoſtoli, & gloria Domini Chriſti: Qui enim vident eorum virtutis ſplendorem, laudant Deum qui ab eis prædicatur.

Quæ, non eſt in Græco, ſed tantum articulus ἡ. *Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in facie eccleſiarum.*

Charitatis ergo veſtrę omnes opes aperite: & meas veſtri laudes confirmate. Omnes enim eccleſias per hæc honorauerit.

CAP. IX.

NAm de miniſterio quod ſit in ſanctos, ex abundanti eſt mihi ad vos ſcribere. Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito.

Cùm illa de ijs quę ad neceſsitatem ſubminiſtrabantur eſſet perſecutus, ſuperuacaneam vocauit ad munificentiam exhortationem: non ſuperuacaneam reuera exiſtimans, ſed hac compendiaria dicendi ratione ad maiorem munificẽtiam excitans. Qua de cauſa & de eorum animi promptitudine tulit teſtimonium, & eam dicit olim Macedonibus ſignificaſſe, ita vt illi ex eo fierent promptiores. Hoc enim ſubiungit.

Et veſtra æmulatio prouocauit multos.

A Equum eſt autem vti diuinum Apoſtolũ admiremur, eius ſpiritalem contemplantes ſapientiam. Per Corinthios enim Macedonas: per Macedones verò, Corinthios ad bonum opus adhortatus eſt.

Miſimus autem fratres: vt ne quod gloriamur de vobis euacuetur in hac parte. vt, quemadmodum dixi, parati ſitis: ne cùm venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubeſcamus nos, vt nõ dicamus vos, in hac ſubſtantia. Poſt ſubſtantia, deeſt gloriationis.

Oſtendit ſe laborare, & ne falſi arguantur laudes, timere: vt & ſuæ, & magiſtri gloriæ curam gerentes, efficiantur munifici ad pecuniam impertiendam.

Neceſſariũ ergo exiſtimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic quaſi benedictionem, non tanquam auaritiam.

Impertitionem nequaquam vocauit humanitatem, ſed gratiam, & communicationem, & benedictionem. Iubet autem eam fieri cum lætitia. Hoc enim dixit, Quaſi benedictionẽ, & non tanquam auaritiam. Qui enim eſt auarus, excruciatur. Qui autem eſt magnificus, lætatur. Quoniam autẽ mentis libertati communicationis menſuram credidit, de eo neceſſario ſuadet ea quę ſunt conſentanea.

Hoc autem dico, qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

Tranſlatione admodum aptè vſus eſt: & talem munificentiam nominauit ſemen, beneficentiæ fructum multiplicem ſignificans. Oſtendit etiã eos, qui vtuntur parſimonia, cùm dicit meſſem ſeminis quantitatem conſequi. Deinde rurſus arbitrio relinquit.

Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo: non ex triſtitia, aut ex neceſsitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.

Hoc etiã ſcribens ad Romanos, dixit, Qui miſeretur in hilaritate. Oportet enim animi Roman. 12.
alacritatem ſuppeditationem pecuniæ pręcedere. Deinde eis bene precatur, paternam beneuolentiam oſtendens.

Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt, Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Pſal. 111. Sæculi, nõ eſt in Græco.

Et diuinorum donorum diuitias, & bonorum & ex virtute factorũ copias eis petijt. Omnem enim gratiã dicit dona, ſeu chariſmata. Opus autem bonum ſpecies virtutis. Opportunè autem adduxit etiam propheticum teſtimonium, apertè docens quòd pecuniæ contemptus parit vitam æternam.

Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem

nem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ: vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

Non temere cum ſuaſione coniunxit precationem, ſed docens opes diuinæ potentiæ & quòd ipſe quidem poteſt omnibus bona ſuppeditare, ipſe enim & ſementem dedit ab initio hominibus: Ipſe quoque id in terram deiectum nutrit: & ex eo præbet hominibus nutrimentum. Veſtræ tamen vtilitatis curam gerens, vult eos qui indigent, à vobis accipere neceſſaria. Sementem autem rurſus vocauit beneficentiam. Iuſtitiæ autem fructus, ſeu prouentus, aut, vt Græcum melius exprimamus, germina, vtilitatem quæ ex ea germinat: Simplicitatem autem munificentiam. Qui enim ſuperfluis reputationibus vtitur, is parcitatis, & illiberalitatis vitiũ facilè admittit.

Quoniam miniſterium huius officij non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino per probationem miniſterij huius glorificantes Deum.

Ne exiſtimetis, inquit, rem vnam hac ex re rectè geri, & ſolum ſanctorum inopię ſuccurri, nam alios quoque fructus multo maiores producit. Efficit enim vt per omnia vniuerſorum Deus laudetur. Dicit autem etiam propter quæ laudetur.

In obedientia confeſſionis veſtræ in Euangelio Chriſti, & ſimplicitate communicationis veſtræ in illos, & in omnes, & in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.

Videntes enim quomodo diuinam quidem prædicationem ſuſceperitis, quomodo autem vos ipſos Domino ſubieceritis: aſpicientes etiam in ſanctos munificentiam, non illos ſolos qui agũt Hieroſolymis, ſed qui ſunt vbique terrarum, Deum quihorum cauſa eſt gloria afficiunt. Vos quoque quæ ab illis pro vobis offeruntur, precum fructus percipitis. Vos enim valde deſiderant, dum Dei in vos munificentiam intelligunt.

Gratias ago Deo ſuper mendacrabili eius dono.

Mos eſt Apoſtolo Deum laudare, quando diuinam aliquam diſpenſationem perſequitur. Cuius autem donum eſt inenarrabile, quomodo poteſt eius ſubſtantia comprehendi? Cùm hæc de ſanctorum ſubuentione eſſet perſecutus, incipit deinceps aduerſus illos impoſtores accuſationem texere. Ipſos quoque tangit Corinthios, innuens, quòd ab alicuius ex illis mendacijs ſeducti eſſent.

CAPVT X.

IPſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. Rogo autem vos ne præſens audeam per eam confidentiam qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos tanquam ſecundum carnem ambulemus.

Qui ex Iudæis crediderant, & legalem vitę inſtituendæ rationem perſequi iubebant, diuinum Apoſtolum maledictis impetebant, vilem quidem appellantes, & idiotam, dicentes autem ipſum clam quidem legem ſeruare, apertè autem hoc non facere, propter eorum imbecillitatem qui ex gentibus crediderant. Secundum carnem enim ambulare, poſuit pro eo quod eſt, Secundum legem viuere. Illud autem, Ipſe ego Paulus, magnam habet emphaſim authoritatis Apoſtolicæ. Eis enim in memoriam reuocauit mira cula quæ apud eos facta ſunt, & donorum quæ eis per ipſum donata ſunt. Chriſti quoque manſuetudinis & benignitatis meminit, docens quòd cùm eſſet eius æmulator, moderatione vtitur, & Apoſtolicam non oſtendit poteſtatem.

In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus.

Carne enim tecti, carnis affectiones non ſequimur.

Nam arma militiæ noſtræ, non carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum.

Habemus enim arma, dona ſpiritus, per quæ victores euadimus, & eos qui reſiſtunt Domino ſubijcimus. Deinde munitiones apertius oſtendit.

Conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.

Quemadmodum ſanctos vocauit templa Dei, ita eos qui ſe impietati manciparunt; munitiones Diaboli. Eos, inquit, veluti bello captos ducentes ex acie, ad vniuerſorum Regem adducimus, & vt eius legib. viuãt efficimus.

Et in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra odedientia.

Patientiæ cauſam expoſuit. Expectamus, inquit, vt ſermone & adhortatione plurimis perſuadeamus: deinde ita puniamus eos qui plurimum conantur reſiſtere.

Quæ ſecundum faciem ſunt videte?

Legendum eſt per interrogationem. Vultis, inquit, vnumquenque noſtrum probare, & noſtra examinare? Hoc ergo exactè facite.

Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum apud ſe, quòd ſicut Chriſti ipſe eſt, ita & nos.

Quod ad ipſam, inquit, cognominationem attinet, non ſumus inferiores. Chriſti enim appellatione nos quoque illuſtramur. Valde autem ſapienter, factorum comparationem extremo loco poſuit: primam autem poſuit æqualitatem quæ eſt ex appellatione. Deinde ſubiungit.

Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non ad deſtructionem veſtram: non erubeſcam.

Oſtendit ſe lubenter prætermittere donorum diuitias, poteſtatem autem ſe accepiſſe dixit ad ædificationem, & non ad deſtructionem, oſtendens illos facere contrarium, & nolle quidem ædificationem, alienos autem labores conari deſtruere.

Vt autem non exiſtimer tanquam terrere vos per epiſtolas. Quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graues Autemnũ eſt in Græco.

ſunt

sunt, & fortes, præsentia autem corporis infirma & sermo contemptibilis.

Hęc de ipso dicere consueuerant, qui calumniis aduersus ipsum vtebantur. Absens quidem verba loquitur magnifica, pręsens autē, vilis est, & abiectus, & admodum indoctus.

Hoc cogitet qui eiusmodi est, quòd quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et præsentes in facto.

Possum' Apostolicę dignitatis aperire magnitudinem, & res ostendere re literis consentire.

Non enim audemus inserere aut conferre nos quibusdam, qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & cōparantes nosmetipsos nobis.

Obscurè scripsit hunc locum, authores nolens apertè redarguere. Hoc autem dicit, illi in seipsos respicientes, se solos maximos existimant. Absit autem vt nos nostra, sicut illi, æstimemus. Hoc autem docet apertius per ea quæ sequuntur.

Nos autem non in immensum gloriabimur: sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad vos.

Mensuram regulæ vocauit gratiam à Deo datam. Hanc enim munificus Deus impertijt ijs qui credunt. Hoc etiam dixit scribens ad Romanos. Vnicuiq; vt Deus partitus est mensuram fidei. Dicit autem. Magnificè de nobis ipsis sentiēdi immoderationem amputamus: ad datam autem gratiā respicimus: & scimus quòd noster curius ad vos vsque peruenit. Id enim docent quæ sequuntur.

Roman. 12.

Non enim quasi non pertingentes ad vos, extendimus nos. Vsque ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi, non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ in nobis magnificari secundū regulam nostrā in abūdantia: etiam in illa quæ vltra vos sunt euangelizare.

Nos data mensura vsi sumus: & nostra ad illam vsque metimur. Scimus autem quòd etiam ad vos vsque venimus, & ad vos diuinum Euangelium attulimus. Speramus autem etiā vlterius progredi, vobis scilicet fide confirmatis, & de nostris laboribus testimonium ferentibus. Absit enim vt propter alienos labores nos iactemus. Hoc enim dixit.

Non in aliena regula in ijs quæ præparata sunt gloriari.

Eos autem significat qui & ijs qui nondum crediderunt nolunt prædicare, eos autem qui prędicationem acceperunt conantur corrumpere. Quia aūt vsurpauerat hoc verbum, Gloriemur, ne quis eum verè gloriari, & de se magnificè sentire existimaret, necessario subiunxit.

Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.

Non enim in nobis ipsis gloriamur, nobisq; placemus, sed in donis diuinis exultamus.

Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Nō enim oportet nobis ipsis de virtute ferre testimonium, sed diuinam expectare sententiam. Deinde cùm esset suas laudes persecuturus, aures eorum præmunit, eam rem appellans stultitiam.

CAP. XI.

VTinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ.

Noui, inquit, quòd nō oportet eos qui prudentia & ingenij solertia ornati sunt, proprias laudes recensere: sed hoc cogor facere. Sustinete ergo paruam insipientiam. Deinde etiam moderatius ac lenius.

Sed & supportate me.

Porrò autem ostendit etiam qui sit scopus & institutum eorum quæ dicta sunt.

AEmulor enim vos Dei æmulatione. Despōdi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate quæ est in Christo.

Fui vester pronubus, & nuptiarum conciliator & intercessor. Per me sponsi dona accepistis. Qua de causa de vobis zelotypiā concipio, metuens ne vestram simplicitatem horum superet astutia. Totam ergo ecclesiā nominauit virginem, sinceritatem fidei ita vocans. Neque enim omnes qui credunt, profitentur virginitatem: sed oportet omnes ornari sincera & vera fide. Valde autem appositè non Diaboli sed serpentis meminit, ostendens eos quoque sicut & serpentem effectos esse membra Diaboli. Quinetiam ipsum damnum vocauit corruptionem, quandoquidē ipsos quoque nominauit virginem.

Nam si is qui venit, alium Christum prædicat quē non prædicauimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud Euangelium quod non recepistis, rectè pateremini.

In eos qui decepti sunt accusationem trāstulit: & apertè ostendit quænam absurditas sequatur ex deceptione. Cur enim, inquit, seducti estis? Alium vobis Iesum prędicarunt: alia autē Spiritus dona prębuerant: aliud tradiderunt Euangelium.

Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis.

Sed est, inquit, superuacaneum nostra cum ijs conferre. Existimo enim nos non distare à magnis veritatis prædicatoribus. Porrò autē hoc etiam temperauit moderatione. Non enim dixit, AEqualis sum magnis Apostolis. Sed Existimo, hoc est, puto me nihil ab eis distare.

Nam etsi sum imperitus sermone, sed non scientia.

Poterat quidem dicere Apostolorum principes esse idiotas, sed de illis nihil dixit: De seipso autem dixit, Linguam quidem habere ineruditam: sed mentem Dei cognitione exornatam.

In omnibus autem manifestus sum vobis.

Horum autem vos quoque estis testes, nostra enim vobis manifesta fuerunt.

Aut nunquid peccatum feci, me ipsum humilians, vt vos exaltemini? Quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis.

Huius, inquit, vt est verisimile, accusor, ꝙ magna apud vos moderatione vsus sum, & dum Euangelium prædicarem, ne necessarium

rium quidem à vobis alimentum accepi.

Alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministerium accepi.

Necessarium alimentum. Rectè autem posuit, Stipendium, quoniam militiæ antea meminerat. Dixit autem se expoliasse alias ecclesias, quoniam dum prædicaret Corinthijs, alebatur ab alijs.

Et cùm esßem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui. Nam quod mihi deerat suppleuerunt fratres qui venerunt ex Macedonia.

Per omnia & illorum sordes ac parcitātem, & suam munificentiam ostendit. Apud vos, inquit, fui, diuinam prædicationem afferens, & indigentia laboraui, nec vos grauare sustinui. Macedones enim suppleuerunt quod mihi deerat. Hæc autem est maxima Corinthiorum accusatio. Cùm enim apud eos versaretur Apostolus, nutriebatur ab alijs. Ne autem existimarent cum hęc dicere vt aliquid acciperet, necessario subiunxit.

Et in omnibus sine onere me vobis seruaui & seruabo.

Et ne quis existimaret eum eiusmodi tantum verbis esse vsum, adiecit etiam iusiurandum.

Est veritas Christi in me, quoniam gloriatio hæc non infringetur in me in regionibus Achaiæ.

In me, non est in Græco Theod.

Nemo, inquit, os meum obstruet, nec huius meæ magnificentiæ priuabit gloriatione. Deinde cùm sciret grauia esse quæ dicebantur, adducit eorum moderationem.

Quare? quia non diligo vos? Deus scit.

Testatione omnem malam suspicionem expulit. Cur ergo non capis?

Quod autem facio, & faciam, vt amputem occasionem eorum qui volunt occasionem: vt in quo gloriantur inueniantur sicut & nos.

Aduersariorum gratia hoc facio, eis de nobis maledicendi occasiones amputans. Ostendit autem eo se verbo iactare, sed clam rei augendæ studere. Hoc enim dicit paulò pòst, Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit.

Nam eiusmodi pseudapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum. ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.

Mos est Diabolo diuina imitari, & aduersus prophetas quidem pseudoprophetas producere. Angelorum autem figuram imitari, & homines decipere. Non est ergo mirum, si isti etiam Apostolicæ appellationis personas induerint, & doli auxilio ad homines decipiendos vsi sint. Habebunt autem propediem suorum studiorum fructus.

Iterum dico ne quis me putet insipientem esse: alioqui velut insipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier.

Cùm sæpe aggressus esset propter discipulorum vtilitatem suos labores persequi, à sua rursus modestia refrenatus est. Et hic ergo etiam adhortatur, ne videatur apud eos sein-

sipienter gerere. Sin autem non creditis, inquit, sustinete vt insipientem.

Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ.

Lex est Domini, quæ docet, quando hæc omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Ea de causa dixit diuinus Apostolus, Quod loquor non loquor secundum Dominum, pro eo quod est, Præter eius legem hæc loquor. Ne quis autem existimaret omnem eius doctrinam vocari insipientiam, necessario adiecit, In hac substantia gloriationis. Insipientem, inquit, meipsum nomino in eiusmodi verbis. Luc. 17.

Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor.

Secundum carnem appellauit hic externa, diuitias, nobilitatem, eloquentiam. Etenim aduersarij, vtpotè Hebræi, se iactabant, & Abraham patriarcham in mediū adducebant.

Libenter enim sustertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico.

Ostendit illos se temerè de pecuniæ contemptu iactare. Ea enim de causa addidit illud, si quis exedit, & si quis accipit. Illud autem, Si quis vos in faciem cædit, pro eo quod est, Execratur, contumelia afficit. Hoc enim subiunxit. Secundum ignominiam dico, pro eo quod est, Propter eam quæ vobis ab illis affertur ignominiam hoc dixi.

Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.

Vos nos existimatis nihil tale facere propter imbecillitatem.

In quo quis audet, in insipientia dico, audeo & ego.

Quod autem dictum est mitigauit, appellans stultitiam. Docet autem quòd nec contumelia afficere, nec exedere, nec accipere audet, sed suos labores ostendere. Ac primum quidem ponit illa quæ ab eis vt magnifica afferebantur, docens quòd nec in illis quidem eum superant.

Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego.

Hæc posuit vt quæ ab illis dicerentur, & in eis quidem ostendit æqualitatem: in rectè factis autem quæ ab animi sententia proficiscuntur, ostendit se esse superiorem.

Ministri Christi sunt, vt minus sapiens dico, plus ego.

Rursus adiecit illud, Desipiens, vt ostendat se cogi hæc dicere præter sententiam. Dicit autem etiam quanam eos ratione antecellat, non adducens in medium miracula, nec & mortuos qui surrexerunt, nec claudos qui cucurrerunt, nec Dæmones qui fugati sunt, nec quæ vniuerso terrarum orbi allata est, salutem: sed ea quæ pro Euangelio perpessus est.

In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci,

um feci, nocte & die in profundo maris fui.

Hoc est, scapha dissoluta, perpetuo noctu & diu huc & illuc à fluctibus ferebar. Quadraginta autem plagas vna minus solent inferre Iudæi.

In itineribus sæpe.

Prædicationis enim gratia viæ labores suscepi.

Periculis fluminum.

Ea enim in itinere cogebar traijcere.

Periculis latronum.

Qui in via aggrediuntur.

Periculis ex genere.

Iudæos intellexit.

Periculis ex gentibus.

Clarum est quod dicitur.

Periculis in ciuitate.

Significauit insurrectiones quæ aduersus ipsum factæ sunt.

Periculis in solitudine.

Loca enim deserta sæpe solus traijcere coactus est.

Periculis in mari.

Nauigatione enim vsus est, dum & insulas & continentem pietate implere satageret.

Periculis in falsis fratribus.

Ex sublimi enim Diabolus iniecit zizania.

In labore & ærumna.

Illo quidem docendi, hoc verò operandi.

In vigilijs multis.

Nam ne in vinculis quidem se somno dedebat, vt testantur quæ ab eo Philippis facta sunt.

In fame & siti.

Hæc sunt inuoluntaria.

In ieiunijs sæpe.

Hoc est voluntarium.

In frigore & nuditate.

Hoc est inopiæ & extremæ paupertatis.

Præter illa quæ extrinsecus sunt.

Pauca, inquit, ex multis coactus sum referre.

Instantia mea quotidiana.

Agor, inquit, feror, & circumagor quotidie in concilia, in carceres, in iudicia.

Solicitudo omnium ecclesiarum.

Quòd si etiam cessauerint qui me persequuntur, ipsa me ecclesiarum cura consumit ac liquefacit. Vniuersi enim orbis terrarum curam sustineo.

Quis infirmatur, & ego non infirmor?

Non dixit, Compatior, aut misereor, sed infirmor. Tanquam enim ipsa infirmitate circundatus, ita excrucior & angor.

Quis scandalizatur, & ego non vror?

Dum alij scandalizantur, ego vror & incendor.

Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.

Ostendit se potuisse quidem gratiam ostendere, existimauit autem sibi magis conuenire tolerantiam.

Deus & pater Domini nostri Iesu Christi qui est benedictus in sæcula, scit quòd non mentior.

Illud, Deus, rursus diuidamus à Patre. Noster enim Deus est, sed pater Christi.

Damasci præpositus gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.

Periculi magnitudinem per modum fugæ ostendit.

CAP. XII.

SI gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & reuelationes Domini.

Mihi quidem non est vtilis eorum narratio, sed vobis. Vestræ ergo vtilitatis curam gerens, ea cogor dicere, quæ mihi ipsi non puto conducere.

Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit) quòd raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis.

Multas quidem vidimus reuelationes, vt ipse etiam dixit. Veniam enim, inquit, ad visiones & reuelationes Domini. Vnam autem dixit coactus, & eam alij personæ attribuit. Noui enim, inquit, hominem, non me ipsum. Dicit autem etiam tempus, docens quòd propter illos hæc dicere coactus est. Cùm enim quatuordecim anni præterijssent, non est locutus ea quæ vt videret dignus est habitus. Illud autem, vsque ad tertium cœlum, nonnulli quidem dixerunt eum dixisse per tertiam partem distantiæ à cœlo ad terram se fuisse quidem subuectum, & arcana verba audiuisse, quæ quidem non dixit non licere homini audire, sed loqui. Si enim non licuisset homini audire, quomodo ipse audijt? Sed audijt quidem, ea autem effari non ausus est. Nonnulli autem dicunt verba esse res, vidisse enim ipsum paradisi pulchritudinem, & sanctorum quæ in illo sunt choreas, & numerosam ac modulatam hymnorum vocem. Sed quid horum verum ac certum sit, is nouit qui ea contemplatus est. Nos autem ad ea quæ sunt proxima interpretanda aggrediamur.

Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam.

Quoniam sæpe seipsum appellauit insipientem: ne quis ideo existimaret falsa esse quæ dicuntur, necessario ostendit eorum veritatem.

Parco autem ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.

Propterea vereor omnia dicere, ne de me maiorem quàm de homine quis opinionem concipiat. Hoc enim etiã in Lycaonia factum est. Cùm enim eum esse Deum putassent, tauros sacrificare conati sunt: sed disrupta veste ostendit quam habuit naturam. Actor. 14.

Et ne magnitudo reuelationum extollat me: datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, vt me colaphizet.

Per

Per hæc rursus ostendit se multis dignatum esse reuelationibus. Ideo enim dicit, Vtilitatis meæ Dominus curam gerens, mihi omnis generis tentationes attribuit, ea ratione ingentes spiritus refrenans, & non permittens vt nimis elatum aut gloriosum aliquid cogitarem. Angelum enim Satanæ iniurias, contumelias, & populorum insurrectiones appellauit. Idque in ijs quæ consequuntur interpretatur apertius.

Propter quod ter dominum rogaui vt discederet à me, & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.

Ostendit naturæ imbecillitatem. Oraui, enim inquit, vt liberarer à tentationibus. Ostendit etiam Domini consolationem. Gratiæ enim donum dixit sufficere ad consolandum: eorum autem qui prædicant imbecillitatem & tolerantiam apertè ostendere eius qui prædicatur potentiam.

Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.

Docuit quemnam appellauerit Angelum Satanæ. Ne quis autem existimet infirmitatem esse affectionem corporis, de ea apertius eloquitur.

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.

Et non dixit, sustineo, sed, placeo mihi, hoc est, gaudeo, delector, læto & tranquillo animo sustineo ea quæ accidunt. Quæ enim videtur imbecillitas, ea mihi veram potentiam conciliat. Postquam hæc persecutus est, subiunxit.

Factus sum insipiens.

Glorians scilicet, & eius causam docet.

Vos me coegistis.

Hoc est, dum allatis aduersus me calumnijs credidistis. Hoc enim significant quæ sequuntur.

Ego enim à vobis debui commendari.

Vos enim debebatis me defendere, & de mea vita ferre testimonium.

Nihil enim minus feci ab ijs qui sunt supra modum Apostoli.

Laudem rursus moderatus est, & cùm plures labores suscepisset, ne se quidem simpliciter Apostolis exæquare in animum induxit: sed nihil quidem ab eis se distare dixit: & rursus ad suam reuertitur modestiam.

Tametsi nihil sum. Signa tamen Apostoli facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus.

Ne ad me respiciatis, sed examinate gratiam. Vos enim Apostolicæ dignitatis fuistis testes: & spiritalis testimonij fuistis spectatores. Recte autem signis tolerantiam præposuit, mentis enim recte facta sunt multo præstantiora.

Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris ecclesijs, nisi quod ego ipse non grauaui vos?

Quod vos spiritale donum non accepistis? nisi me forte eo solum nomine reprehendatis, quòd corporale adminiculum à vobis non acceperim. Deinde ironicè.

Donate mihi hanc iniuriam.

Fateor, in hac re peccaui, & peto veniam. Ne autem rursus existimarent aliqui, quòd hæc tanquam exprobrans dicit, & vt ab eis accipiat hoc agit, hoc institutum se quoque deinceps seruaturum pollicetur.

Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero vobis grauis. Hoc, non est in Græco.

Deinde eius quod dixit asperitatem lenit.

Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.

Vsus etiam quadam naturali sententia.

Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.

Pecuniam non concupisco, sed vestras animas desidero. Scio enim etiam patres filijs diuitias congerere, ego autem ijs etiam qui sunt patres me plus facturum profiteor.

Ego autem lubentissime impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris.

Pro eo quod est, Et iam me ipsum dono pro vobis.

Licet plus vos diligens, minus diligar.

Hæc est cum moderatione reprehensio, molestus enim eis fuit dum eos parui amoris insimulat: lętitia autẽ affecit, dum vehementissimum suum in eos ostendit.

Sed esto ego vos non grauaui, sed cùm essem astutus, dolo vos cepi. Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? Nonne eodem spiritu ambulauimus? Nonne ijsdem vestigijs.

Sed dixerit fortasse quispiam, quòd calliditate vsus præsens quidem nihil acceperim: sed acceperim per eos quos ad vos misi. Dicite per veritatem ipsam, an quis eorũ qui ad vos à nobis missi sunt, siue Titus, siue aliquis alius, vsus est potestate quæ data est prędicatoribus. Donationem autem appellat πλεονεξίαν, hoc est auaritiam seu plura habendi cupiditatem, quoniam hoc natura insitum est ei qui dat præter animi sententiam, vt etiamsi debitum exoluat, à se tamen per auaritiam eripi existimet. Postquam hæc ad Pseudapostolos confutandos disseruit, eis Doctoris authoritatem ostendit.

Olim putatis quòd excusemus nos apud vos.

Fortasse, inquit, etiam excusationem humilitatis, & abiectionis argumentum esse ducitis.

Coram Deo in Christo loquimur.

Sed nos hæc sub Deo teste dicimus, à mandatis Domini Christi illuminati. Illud enim, in Christo, pro eo quod est, secundum Christum, qui ita dicit, Si munus tuum offeras ad altare, & illic recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque munus tuum ante altare, & abi primum, & reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Et rursus. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Hoc ipse etiam hic dicit. Matth. 5.

Omnia enim charissimi propter ædificationē vestrā.

Siue enim nos abijcimus humilesque reddimus, siue alta & sublimia loquimur: siue reprehendimus, siue laudamus, omnia vestræ salutis causa facimus.

Timeo enim ne forte cū venero, non quales volo inueniā vos, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis.

Dicit autem & quænam apud eos abhorret, & deprecatur.

Ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos.

Eos etiam horum in priori epistola arguit.

Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs qui ante peccarunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.

Humilitatem suam vocauit illorū iniquitatem, confirmans eaque iam dixerat. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego nō vror? Dixit autem non simpliciter se lugere eos qui peccarunt, sed eos qui post peccatum non vsi sunt pœnitentiæ remedijs. Apertè autem reprehendit doctrina Apostolica Nauati arrogantiam.

CAP. XIII.

Deut. 9. *Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium stabit omne verbum.*

Pro personis res posuit, in eos qui pœnitentiam negligunt testimonium ferens, & eos terrefaciens.

Prædixi enim & prædico, vt præsens vobis, & nunc absens, ijs qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quòd si venero iterum, non parcam.

Apostolicam potestatem aperuit, vim peccati metu coercere tentans, erat enim eis facile
Act. 15. & suos docere, & alienos punire. Diuinissimus enim Petrus Ananiā & illius coniugē, qui fuerant ex numero eius discipulorum, verbo
Act. 13. morti tradidit. Elymā autem qui erat ex infidelibus, & contradicebat, ipse B. Paulus tenebris multauit, eius videdi sensum extingues.

An experimētū quæritis eius qui in me loquitur Christus, qui in vobis nō infirmatur, sed potens est in vobis?

Experientiam, vt videtur, vultis accipere Christi qui in me loquitur, licet eius potentiam apertè didiceritis.

Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.

Etsi enim crucis passionē sustinuit propter mortalē natura corporis, viuit tamen, & vita est, vt Deus & Dei filius. Huic simile est illud.
Ioan. 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum. Si autē alicubi quidem vnigeniti diuinitas dicitur corpus suscitasse, aliquando autē ipse Pater, hoc nullā habet differentiam. Quæ enim fiunt à filio sæpe patri diuina scriptura attribuit. Ita omniū quidē opifex vnigenitus, rursus autem etiā opifex vocatur eius pater. Sed nos ad interpretationē reuertamur.

Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuimus cum eo ex virtute Dei in vobis.

Et nos etiam similiter & passionum cū eo sumus participes, ppter ipsum enim eas sustinemus, participes quoq; vitæ vna cū eo erimus. Pollicetur enim resurrectionē Dei potentia.

Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate.

Nō nostra, sed vos ipsos examinate ac disquirite, & cōsiderate an verè estis in fide fundati.

An non cognoscitis vosmetipsos, quòd Iesus Christus in vobis est, nisi forte reprobi estis?

Oportet enim vos scire quòd ipsum Christum Dominum habetis inhabitantem. Qui enim non habet hanc fidei cognitionem, desertus est, hoc enim dixit illud, Reprobi. Quia enim paulò antè dixerat Christum in ipso loqui, eos docuit quòd in ipsis habitet, & ambulet, vt est Propheticum oraculum.

Spero autē quod cognoscetis quòd nō sumus reprobi.

Minaciter hoc dixit, tanquam spiritalem eis potentiam ostensurus, sed suā rursus ostendit beneuolentiam.

Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis: non vt nos probati appareamus: sed vt vos quod bonum est faciatis, nos autem vt reprobi simus.

Deprecor, inquit, à vobis aliquam occasionem accipere, vt Apostolicæ gratię ostendam operationem. Oro potius & opto, vt vos in omnibus bonis resplendeatis, nos autem nostram potentiam occultemus.

Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate.

Quomodo enim fieri potest, vt vobis eaque decet persequentibus, nos punientem operationem ostendamus?

Gaudemus enim quoniā nos infirmi sumus: vos autē potētes estis. Hoc & oramus, vestrā consummationē.

Eadem diuerso modo dixit, quem in eos habet amorem ostendens.

Ideo hæc absens scribo: vt non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.

Ostendit etiam pœnam esse ædificationem. Vno enim, vel duobus punitis, vniuersus cœtus vtilitatem accipit. Ita etiam mortuo Anania & Saphira factus est timor magnus super omnes qui audierunt. Hic ab acerbiori cessans oratione, vtilem admonitionem attulit.

De cætero fratres gaudete.

Eorum enim qui se rectè & ex virtute gerunt proprium est, lætitia.

Perfecti estote.

Pro eo quod est, Ea quæ desunt supplete.

Exhortamini.

In tentationibus vos mutuo consolemini.

Idipsum sapite.

Concordia colligemini, eadem sit vestra sententia.

Pacem habete.

Et erga vos, & apud vos inuicem & ante omnia apud Deum qui seruauit.

Et Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.

Si vos enim in his recte gerere viderit, vestri omni ex parte curam geret, quandoquidem ipse has leges tulit.

Salutate inuicem in osculo sancto.

Pro eo quod est, Citra dolum ac simulationem modestè ac pudicè, vt qui sitis alterum alterius membra, & corpus Christi.

Salutant

Salutant vos sancti omnes.

Coniunxit eis illos etiam qui in vniuerso terrarum orbe crediderunt.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

Non hæc posuit per diuisionem: nec hæc quidem Christo tribuit: illa verò Patri, alia autem Spiritui. Sæpe enim charitatem in Spiritu statuit, & communicationem in filio, & gratiam in Deo & patre. Ita etiam in priore Epistola cùm operationem in Patre posuisset, eam paulò pòst dixit de Spiritu. Aliter autem etiam posuit ordinem personarum, non eum subuertens qui fuit positus à Domino, sed docens, quòd ordo nominum non significat diuersitatem naturæ vel potentiæ, vel authoritatis aut dignitatis differentia. Nos quoque oremus vt Apostolica benedictione digni habeamur, & bona promissa consequamur, gratia & benignitate Dei & seruatoris nostri Iesu Christi, cum quo Patri cum sanctissimo Spiritu, gloria & magnificentia nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Secunda ad Corinthios Epistola scriptā est Philippis per Titum & Lucam.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD GALATAS.

AGRESTE & incultum genus Galatarum beatissimus Paulus excoluit, & in eo semina pietatis deiecit. Cùm ij autem crescerent, & densam segetem ostenderent, accedentes quidam ex Iudæis qui crediderant, ea quæ sunt legis superflua ijs præterea adseminare magno studio contendebant, diuinissimos Apostolos, Petrum & Iacobum, & Ioannem, & alios omnes se habere magistros ac doctores gloriantes, & se quæ eis videbantur facere iuueniliter iactantes. Diuinum autem Paulum calumniantes, nec ipsum Domini doctrinam accepisse dicentes, & cùm fuisset Apostolorum discipulus, se eius doctrinæ regulam corrumpere, & præter illorum decretum legem transilire. Cùm hæc & his similia dicerent, multis Galatis persuaserunt legalem institutionem amplecti, & circuncisionem suscipere. Cùm hæc ergo resciuisset diuinus Apostolus, scripsit hanc epistolam, & calumniarum quæ in ipsum illatæ fuerant falsitatem arguens, & vitæ ex lege institutionem post gratiam superuacaneam ostendens. Primum autem sua exposuit, docens se quoque esse supernam vocationem assecutum, non hominum doctrina, sed à voce Domini persuasum. Hæc autem dicit, non Apostolis detrahens, sed morbum qui ingruerat aptis curans medicamentis. Quòd enim seipsum vocet abortiuum, & se Apostolorum vltimum, & peccatorum primum, & blasphemum nominet, & persecutorem & iniurium, ij sciunt qui eius scripta legunt: sed hic dum damnum quod acceperant amolitur, sua aperire coactus est, & eos qui Euangelium corrumpebant falsi conuincens, & eorum qui ab illis inducti erant morbum curans.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO EPISTOLAE AD GALATAS.

PAVLVS Apostolus non ab hominibus, neque per hominem.

Procemium statim in eum illatam calumniam arguit. Apostolicam enim gratiam se accepisse dicit, non hominibus ei hoc donum dantibus: nullus enim ex diuinis eum cepit Apostolis: sed ipse Dominus vocauit eum cœlitus, homine non vsus administro. Hoc enim dixit, Non per hominem. Deinde eum qui vocauit ostendit.

Sed per Iesum Christum. Christum, non est in Græco Theod.

Et ne quis existimaret filium esse patris administrum, inueniens adiectum illud Per, subiunxit.

Et Deum Patrem qui suscitauit eum à mortuis.

In vtraque enim persona posuit illud, Per, docens ab hac præpositione nullam significari naturę differentiam. Hoc quoque, Qui suscitauit eum à mortuis, non diuinitatis vnigeniti, sed prædicationis concordiam ostendit, quòd diuinæ incarnationis mysterium non solus filius dispensauit, sed ipse etiam pater eius fuit prouidentiæ particeps. Quoniam enim qui legem defendebant, se Deum per legis obseruationem colere existimabant, ostendit diuinus Apostolus, non solum filium, sed etiã Patrem nouum testamentũ suppeditasse.

Et qui mecum sunt omnes fratres.

Ostendit se habere multos adiutores prædicationis.

Ecclesiis Galatiæ.

Non enim vni ciuitati, sed toti genti scribit, vbique enim morbus serpserat.

Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo: qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.

Ostendit eam quæ est ex lege vitæ institutionem non potuisse à peccatis liberare, sed Dominum Christum qui pro nobis mortem subijt, & genus à peccati debitis liberauit.

Vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam.

Malum sæculum non vocauit elementa, vt sensit stupidus Manichæus, sed præsentem vitam, hoc est, quæ hic fit ad tempus hominum vitæ transactionem: in qua locus habet peccatum. Qui enim mortali natura adhuc sumus circundati, hi quidem maiora, illi verò minora peccata admittimus. Sed postquam ad immortalem illam vitam traducti, & à præsenti cõruptione ac interitu liberati, & incorruptiõe induti fuerimus, erimus peccato potentiores. Hanc autem spem nobis dedit Christus Dominus, qui pro nobis mortẽ subijt: & primus quidem surrexit à mortuis: nobis autẽ omnibus est resurrectionem pollicitus, eripuit autem nos à præsenti sæculo malo, hoc est, ab ea quæ fit in præsenti vita traductione, in qua locum habet improbitas. Quòd autem vita non est omnibus damnosa, nec affert omnibus detrimentum, ipse docuit Apostolus.

Philip. 1. Ita autem dicit. Sin autem viuere in carne hoc etiam est mihi fructus operis, & quid eligam non noui, & præfert viuere quàm cum Christo esse, propter lucrum quod hinc oritur. Di-

Philip. 1. cit etiam de Epaphrodito. Misertus est eius Dominus vitam ei largiens. Præsens ergo sæculum nõ est natura malum: sed in ipso nonnulli improbè versantur. Ostẽdit etiam quàm sit momentaneum. Præsens enim seu instans id vocauit. Porrò autem non solum Christus Dominus nostram salutem dispensauit, sed etiam consentiente & comprobante Patre id fecit. Hoc enim subiungit.

Secundum voluntatem Dei & Patris nostri, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Vbique Patrem cum Christo coniungit, docens ei quoque videri, vt nos non ex lege, sed ex Euangelio vitam instituamus. Hic ergo præfationem impleuit, quam pulchrè & vt decuit fecit, & quis sit prædicationis scopus summatim docuit, eos autem accusare incipit.

Miror quòd sic cito transferimini ab eo qui vos vocauit in gratia Dei, in aliud Euangelium quod non est aliud: nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi.

Accusationem summa impleuit sapientia. Ostendit enim legis obseruationem esse legislatoris inficiationẽ. Nõ enim dixit, Transferimini ab illa doctrina in hanc: sed ab eo qui vos vocauit. Quisnam sit autem qui vocauit, docent quæ consequũtur. In gratia Dei. Ipse, inquit, pater qui legem dedit, vos vocauit ad hoc Euangelium. Cùm hoc ergo reliquistis, & ad legem reuersi estis, ab eo qui vocauit defecistis. Hoc autem relicto Euangelio, aliud non inuenietis. Non enim alia per nos, alia verò per alios Apostolos prædicat Dominus: sed idem prædicamus omnes, qui sumus amatores veritatis. Qui autem contraria sentiunt, nihil vobis diuinum tradunt: sed diuina conantur corrumpere. Deinde contrariorum recordatione incensus, & iusta indignatione percitus, à pietate alienum appellat qui conaturalia prædicare, & clamat.

Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.

Quoniam illi dicebant diuinos Apostolos legem seruare, illos quidem diuinus reliquit Apostolus, ne inuidia quadam & maleuolentia videretur hoc facere: ad id autem quod maius est processit. Omnia per id quod maius est comprehendens, & seipsum ante alios subiecit execrationi. Angelorum autem meminit, non quòd suspicaretur ne quis sanctorum Angelorum doceret contraria diuinæ prædicationi: sciebat enim hoc fieri nõ posse, sed vt per id omnem hominum nouitatem expelleret.

Sicut prædiximus, & nunc iterum dico. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.

Nemo enim existimet nos priora dixisse per iram, ideo enim eadem iterum diximus. Porro autem prætermissis hic Angelis, indefinitè dixit. Si quis vobis euangelizat: & docẽs quòd Dei cultum omnibus simul præferens, hęc dicere coactus est, subiunxit.

Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non esset.

Si vellem homines obseruare & colere, non inter eos annumerarer qui patiũtur persecutionẽ, sed in eorũ numerũ referrer, qui cũ veritate bellũ gerunt. Nemo ergo me existimet venari gloriã ab hominibus, & ea de causa hæc quæ dico contexere. Ab hoc loco deinceps narrat quomodo à diuina gratia vocatus sit, & quomodo cum Apostolorum coryphæis de prædicatione pactum conuentum fecerit.

Notum enim vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est à me, quod non est secundum hominem.

Non

Non est, inquit, ab humanis rationibus cõpositum. Quid ita?

Neque enim ego ab homine accepi illud, neq; didici.

Sed quemnam habuisti doctorem?

Sed per reuelationem Iesu Christi.

Sapienter admodum posuit illud, Reuelationem. Assumptus enim erat Dominus Christus, & nõ amplius similiter ab omnibus videbatur, ei autem in via reuelatus est, & eum prędicationis ministerio dignatus. Hęc autẽ rursus posuit aduersus illorum calumnias, docẽs se ne in hoc quidem esse alijs Apostolis inferiorem. Sicut enim illi ab ipso doctrinã acceperunt, ita etiam ipse ipsum doctorẽ habuit.

Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quod supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam illam: & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.

Nihil vos latet eorum quę ad me pertinent. Etsi enim magnis locorum interuallis à Iudęis distatis, fama tamen vbique peruasit, & mea omnibus manifesta reddidit, quòd olim eram ecclesiæ infestus, & hostis apertus: meumque erat institutum eius fundamenta funditus euertere: & meis æqualibus ardentius incitabar aduersus prædicatores, & hæc faciebam legem defendens, & dum eam defenderem, erat mihi aduersaria Euangelij prædicatio.

Cùm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus.

Rursus hic patrem filio coniunxit, & eum dixit cognosse quæ ad ipsum pertinebant etiã ante sæcula, & postea cum vocasse quando sibi visum est. Hanc autem mihi, inquit, gratiam impertijt, non vt legem prædicem, sed vt reuelem filium gentibus.

Continuo non acquieui carni & sanguini: neq; veni Hierosolymam ad anteceßores meos Apostolos.

Hæc omnia dicit aduersus illorũ calumnias. Illi enim dicebant eum accepisse doctrinã ab Apostolis: sed eum quæ conuenerãt transgredi. Cogitur ergo ea quæ ad se pertinent narrare, quod in nulla fecit epistola. Dicit enim. Cum illa vocatione dignus essem habitus, non statim cucurri Hierosolymam: sed mihi suffecit ab illo data gratia, fuisset enim valde absurdum vt qui doctrinam à Deo acceperat, de ea communicaret cum hominibus.

Sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.

Statim prædicationem aggressus sum, ijs qui Dei cognitionẽ nondum acceperant Euangelium afferens.

Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.

Et hoc rursus ostendit eius animæ virtutem, etenim cùm humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuersorum Deo eam accepisset, Apostolorum principi quem par est honorem tribuit. Ea enim de causa ad eum venerat, non vt ab eo aliquid disceret, sed vt solum videret. Porrò autem ostendit etiam beneuolentiam.

Et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem: nisi Iacobum fratrem Domini.

Vocatur quidem frater Domini, sed non erat natura, sed nec fuit Iosephi filius, vt quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed erat quidem Cleophę filius: Domini autem cõsobrinus. Habuit enim matrem matris Domini sororem.

Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quòd non mentior. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie ecclesiis Iudęæ: quæ erant in Christo, tantum autem auditum habebant, quòd qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem quam aliquando expugnabat, & in me clarificabant Deum.

Cùm intelligerent repentinam mutationẽ, & quòd lupus facit ea quæ sunt pastorum, ex me capiebant occasionem Dei laudandi.

CAP. II.

Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem.

Ambo longo tempore Antiochiæ versati, & plurimos ex gentibus piscati sunt, ex lege gratię eis viuere prącipientes. Cùm autem ve- Actor. 15.
nissent ex Iudęa quidam legis defensores, conabantur persuadere gentibus, vt legalem vitæ institutionem amplecterentur. Sed magni veritatis præcones Barnabas & Paulus, quę ab eis afferebatur doctrinam repulerunt. Cum autem vellent fidelium cœtui persuadere, id quoque magnis videri Apostolis, cursu quidem in Iudęam contenderunt, quę ab illis autem facta fuerant Apostolos docuerunt, & literas attulerunt quæ apertè præciperent legis iugum non imponere gentibus, nisi vt absti- Actor. 21.
nerent ab immolatis, & fornicatione, & suffocato, & sanguine. Existimo diuinum Apostolum hæc narrare.

Et contuli cum illis Euangeliũ, quod prædico in gentibus: seorsum autem ijs qui videbantur aliquid esse: ne forte in vanum currerem aut cucurrissem.

Iis qui videbantur aliquid esse, ꝓ eo quod est, Insignibus, eis autem priuatim exposuit, quoniam multi erant qui pro lege æmulationem habebant, sicut ait beatus Iacobus. Illud autem, Ne fortè in vanum currerem, aut cucurrissem, non posuit de seipso, sed de alijs, hoc est, vt omnes intelligant concordiam & consensionem prędicationis: & quòd alijs etiam placeant quæ à me prædicantur.

Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circuncidi.

Hoc est maximum argumentum, quòd nõ placebat Apostolis vt qui erant ex gentibus legem seruarent. Titum enim qui erat incircuncisus, & vocatus ex gentibus, minimè iusserũt circuncidi, licet plurimi vellent contrarium. Hoc enim dicit.

Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus

bemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerẽt.

Coniunctio Autem est superuacanea ad orationis cõstructionem. Hæc enim est eorum quę dicuntur sententia. Sed nec Titus, quanuis esset Græcus, coactus est circuncidi propter introductos falsos fratres, & quę sequuntur. Libertatem autem vocat viuendi rationẽ extra legem.

Quibus neque ad horam cessimus subiectioni: vt veritas Euangelij permaneat apud vos.

Contentiosam enim eorũ mentem ne tantillum quidẽ sustinuimus: sed veritatem Euangelij omnibus prętulimus. Hęc quidem dixit de ijs qui mente legi seruiebant. Sed quoniam verisimile erat etiã Galatas dicere, quòd ipsi etiam primi ex Apostolis legem seruant: sciebat autem diuinus Apostolus, eos ad Iudęorum qui crediderant, infirmi autem adhuc erant, imbecillitatem se demittentes hoc cogi facere; in medio interceptus, & eos quidẽ accusare absurdissimũ arbitratus, eorum autem scopum & institutum nolens aperire, ne eorum consilio aliquid damni afferret, media quadam via ingreditur: & ea quidem quæ fiunt ęgrè ferre prę se fert, de eis autem aliquid dicere grauatus, Dei sententię totũ relinquit.

Ab ijs qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint nihil mea interest. Deus enim personã hominis non accipit.

Deest interpretatio mediæ partis capituli.

De alijs ergo, inquit, qui lege malè vsi iunt hæc dixi, vt qui ægrè ferrem meos discipulos hinc lædi. Hoc enim etiam dixit.

Quomodo gentes cogis Iudaizare?

Tuum est decretum ne ij ex lege viuant, res autem repugnant & contradicunt ijs quę iam scripta sunt. Magnus autem Petrus ea quę dicuntur silentio confirmat, propemodum dicens ijs qui ex Iudæis crediderant, & prę sentes erant. Nos iustè reprehendit, nec ijs quæ dicuntur licet contradicere. Quòd enim ijs quę dicebantur acquieuerit, eorum qui audiebant vtilitatis curam gerens, cuiuis est manifestum. Quoniam ergo hic quidem reprehendit, ille verò silentio reprehensionẽ excepit: & ijs qui ex Iudæis crediderant, & ijs qui ex gentibus, medicamentum vtile compositum est. Hęc autem scripsit ad Galatas diuinus Apostolus, docens quòd etiam magni & primi Apostoli, Iudæorum imbecillitatis gratia legem seruare nonnunquam sustinuerunt: sed non hoc semper fecerunt. Porrò autem dicit etiam alia, quæ dixit beato Petro, præsentiũ Iudæorum vtilitatis curam gerens.

Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.

Autem, non est in Græco.

Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credidimus, vt iustificemur vt fide Christi, non ex operibus legis.

Natura Iudæi, pro eo quod est, Qui hoc sumus à maioribus, qui genus ab Abraham ducimus, & hoc genus iactitamus. Quoniam vidimus fieri non posse vt vera iustitia ex vitę ex lege institutione percipiatur, Domino Christo credidimus, iustitiam quæ est ex fide colligentes, & bona promissa expectantes.

Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis homo.

Quæ sunt legis necessaria, ipsa etiam natura docuit, videlicet, Non adulteraberis, Non occides, Non furaberis, Non feres falsum testimonium aduersus proximum, Honora patrem & matrem, & quę sunt eiusmodi: quę autem constituta fuerant de sabbatismo, de circuncisione, leproso, & eo qui seminis profluuio laborat, de sacrificijs, & aspersionibus, ea erant legis propria. Natura enim nihil de ijs docuit. Hæc ergo dicit legis opera. Eorum transgressio quidem erat peccatum, obseruatio autem, nõ erat rectus ac perfectus perfectę iustitiæ effectus. Per ea enim alia significabantur, sed Iudęis tamen illo tempore conueniebant. De his dixit diuinus Apost. quòd non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Deinde quæ dicta sunt syllogismo colligit.

Quod si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores: nunquid Christus peccati minister est? Absit.

Si autem quòd lege relicta ad Christum accessimus, per fidem in ipsum iustitiam assequi expectantes, hoc reputatũ est transgressio, in ipsum Christum Dominum culpa cõferetur. Ipse enim nobis nouũ ostendit testamentum. Sed absit vt hanc cõmittamus blasphemiam.

Si enim quæ destruxi iterum ædifico, præuaricatorem me constituo.

Hęc non de se solum dixit, sed etiam de Apostolis, nam illis etiam visum est, vt qui ex gentibus crediderant, nequaquam legem seruarent. Apertè autem, inquit, transgredimur ea quæ sunt conuenta, ea quæ ædificauimus diruentes, gentes autẽ ędificauimus, non super legis, sed super Christi fundamẽtum. Admodum autem sapienter retorsit reprehensionem. Nam cùm illi legem non seruare, vocarẽt transgressionem, ipse transgressionem vocauit legis obseruationẽ. Deinde hoc docet apertius.

Ego enim per legẽ legi mortuus sum, vt Deo viuam.

Ego, inquit, ipsi legi credens, me legi mortuũ reddidi. Lex enim mihi Christum prædixit, & prę significauit. Illi credens, ad eum accessi, & illi quidem sum mortuus, ex illa enim vitam non amplius instituo, sed eius decreta sequor.

Christo confixus sum cruci.

Consepultus enim sum cum eo per baptismum.

Viuo autẽ iam non ego, viuit vero in me Christus.

Priorem vitã deposui, in aliã vitam transij, à Christo sumitur mea vitæ institutio, aliam vitam non habeo.

Quod autẽ nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum prò me.

Quinetiam in hac mortali vita vitã immortalem mihi præfinio ac describo, & per fidem illam aspicio. Ea de causa Christus Dominus pro me mortem subijt, vt mihi vitam immortalem procuraret.

Non abijcio gratiam Dei.

Qui

Qui enim vitam ex lege instituit, gratiam contemnit, vt quæ non sufficiat ad salutem.

Si enim per legẽ iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.

Est enim mors Christi superuacanea, si lex ad acquirendam iustitiam sufficit. Cùm hæc ergo disseruisset ex ea quæ fuit illi cum beatissimo Petro collocutione, ad ipsos deinceps sermonem dirigit, & grauiter indignans eos increpat.

CAP. III.

O Insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati?

Coniunctum est cum laude conuitium. Inuidet enim quispiam diuiti non pauperi: ijs quorum sunt res secundæ non aduersæ: significat ergo oratio priorem eorũ animi impetitudinem & alacritatem ad pietatem. Ostendit autem etiam paternam Apostoli beneuolentiam. Eos enim deflet, vt qui collectas diuitias perdiderint. Quisnam, inquit, inuidus & fascinator Dęmon admirabiles vobis opes eripuit?

Ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est & in vobis crucifixus?

Ita enim credidistis, tanquam qui ipsam Christi crucem contemplati essetis. Deinde legem & gratiam inter se comparat, & adducit probationes quibus contradici nequit.

Hoc solum à vobis volo discere. Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?

In illo tempore, qui spiritalem gratiam acceperant; & varijs linguis loquebantur, & prophetabant, & varia miracula faciebant, confirmationem prędicationis ex miraculis accipientes. Hoc ergo hic dicit. Lexne vobis dedit diuini spiritus operationem, an sola fides in Dominum?

Sic stulti estis vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?

Spiritum vocauit gratiam: Carnem autem, vitæ ex lege institutionem, quoniam quæ legis sunt superflua, ea sunt corporea. In corpore enim versatur circũcisio, & sabbati obseruatio, & lepra, & aspersiones, & alia eiusmodi. Deinde contexit accusationem ex eorum perpessionibus.

Tanta passi estis sine causa.

Non enim pro lege sed pro Christo passi estis. Qui autem Christum reliquistis, & vitæ ex lege institutionem amplexi estis, nihil ex passionibus deinceps lucri facitis. Sed bonã eis spem ostendens, subiunxit.

Si tamen sine causa.

Si enim vultis manere in gratia, pro vestris perpessionibus mercedem accipietis. Deinde de donis disserit apertius.

Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?

Cùm fructum sic ostendisset, ex eis quæ olim facta sunt eis sertum rursus contexit.

Scriptũ est, non est in Græco. Genes. 15.

Sicut scriptum est. Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Hęc fusius scripsit in epistola ad Romanos. Porrò autem in hoc quoq; capite docet, Abraham fuisse ex fide iustificatum, & alumnos fidei, qui dicuntur filij Abrahæ. Hoc enim subiunxit.

Cognoscite ergo quod qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ.

Dicit etiam modum.

Prouidens autem scriptura quod ex fide iustificat gentes Deus: prænuntiauit Abrahæ, quod Benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

Deus hæc ab alto prefinijt & prędixit. Abrahę enim promisit benedictionem gentium. Genes. 12.
Si quis ergo illius cognatione dignus haberi desiderat, fidem illius imitetur. Cùm fidem ita laudasset, & eius fructus ex donis spiritus, & ipsam etiam lege antiquiorem ex ipsius legis testimonio ostendisset: vetus enim testamentum Abrahę narrat historiam, deinceps legem cum ea confert, ostendens quæ sit differentia.

Qui enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.

Vndenam hoc constabit?

Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea. Deuter. 27.

Lex iubet vt omnia impleantur quæ in ea dicta sunt, eos autem qui fortè transgrediuntur maledictis subijcit.

Quod autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est.

Vndenam manifestum?

Quia iustus ex fide viuit. Abac. 2.

Prophetico testimonio confirmauit quod dixit.

Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea homo vinet in illis.

Lex non quęrit fidem, sed actionem exigit: & ijs qui eam seruant, vitam promittit.

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.

Ostendit legem execrari omnes qui non seruant ea, quę in ipsa dicta fuerint, rursus autem ostendit neminem posse ex lege iustificari. Cùm omnes ergo essent sub maledicto legis, ostendit Christum nos ab eo maledicto liberasse. Dicit etiam modum.

Quia scriptum est. Maledictus omnis qui pendet in ligno.

Cùm enim legis execrationibus essent omnes obnoxij, eam quæ est ex lege execranda mortem subijt: vt omnes homines liberaret ab execratione, & promissam omnibus daret benedictionem. Hoc enim subiungit.

Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu: vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.

Gentibus enim promissam per Abraham benedictionem donat ijs qui credunt gratia spiritus. Cùm ita ostendisset fidem esse lege antiquiorem, docet rursus legem non posse esse impedimento diuinis promissis.

Fratres, secundum hominem dico.

Pro eo quod est, Vtor rebus humanis.

Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat.

Testa-

Testamentum quod ritè & ordine ab aliquo factum est, ab aliquo euerti non potest: sed nec fieri potest vt ei aliquid addatur. Deinde transit à figura ad id quod est propositum.

Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Nõ dixit. Et seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, Et semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est, non irritum facit ad euacuandam promissionem.

Post Deo Græcè est, ἐις Χριστὸν, in Christum.

Vetus quoque scriptura vocat Dei testamentum, promissionem, quæ Abrahæ facta est, nihil ergo ei potest addi vel diminui: sed nec solui aut infirmari potest per legem quæ plurimo pòst tempore facta est. Pollicitus est autem vniuersorum Deus se per semen Abrahæ gentes benedicturum. Hoc autem semen ipse est Christus Dominus. Per ipsum enim promissio finem accepit, & gentes benedictionem consecutæ sunt. Alij autem omnes, etsi ad summam virtutem peruenerint, siue Moyses, siue Samuel, siue Helias, &, vt semel dicã, omnes qui ab Israele genus deducunt, eius quidem semen dicuntur secundum naturam, sed non sunt illud semen quod attulit benedictionem gentibus. Hoc enim dicit diuinus Apostolus. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, Et semini tuo qui est Christus. Non ergo quoniam illi quoque ab Abraham descendunt, Abrahæ semen nominantur: sed hic propriè hanc habet appellationem, vt qui solus ex pollicitatione dederit benedictionem gentibus. In semine enim tuo, inquit, benedicentur omnes gentes terræ: per nullum autem alium gentes hanc benedictionem assecutæ sunt. Quamobrem diuinus Apostolus ostendit pollicitationem esse lege validiorem, & dicit.

Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.

Lex enim execrationem attulit ijs qui ei suberant, minis terrens, & ad id quod oportet volens ea ratione adducere. Promissio autem affert benedictionem gentibus. Deinde offert obiectionem quæ occurrit, hæc autem occurrit obiectio. Superfluè lex data est, si promissio habeat benedictionem. Docet ergo quisnam sit vsus legis.

Quid igitur lex?

Per interrogationem legendum est. Hoc, inquit, vis scire qua de causa lex lata est? ego te docebo.

Propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat: ordinata per Angelos in manu mediatoris.

Lata est ad exercitationem generis, ex quo semen erat secũdum carnem germinaturum, lata est autem administrantibus Angelis, & ad eam ferendam Mose deseruiente. Ipsum enim mediatorem seu intercessorem appellauit. Angelorum autem meminit etiam in epistola ad Hebræos. Ita autem dixit. Si enim qui per Angelos dictus est sermo. Etenim Michaelem eis præfecit vniuersorum Deus, & hoc nos docuit beatus Daniel. Porrò autem magno quoque Mosi pollicitus est se Angelum vnà cum populo missurum.

Ad Heb. 2.

Daniel. 19.

Intercessor autem non est vnius.

Intercessit enim inter populum & Deum.

Deus autem vnus est.

Qui dedit eam promissionem, & legem statuit, & promissi nunc finem ostendit. Non enim alius quidem Deus illa dispensauit: hæc verò alius.

Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare: verè ex lege esset iustitia.

Hoc etiam dixit per Ezechielem vniuersorum Deus. Et dedi eis præcepta non bona, & iustificationes in quibus non viuent in ipsis. Ea, inquiens, quę lex habebat superabundantia, nequaquam dixit natura, de sacrificijs, de lepra, de profluuio seminis, & quæ sunt his similia. Quòd ea enim quæ sunt legis necessaria, viuificent, rursus dixit per eundem Prophetam. Et dedi ipsis mandata & iustificationes, quę faciet homo, & viuet in ipsis, sed quoniã ea, inquit, transgressi sunt, dedi eis mandata non bona & iustificationes, in quibus non viuent in ipsis. Et nec ea quidem mala, sed non bona, perfectis omnino non conuenientia: Ita lac mamillæ perfectis quidem est iniucundum: infantibus autẽ aptum est. Hoc etiam dixit hic diuinus Apostolus. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, verè esset ex lege iustitia. Quæ enim sunt legis superuacanea, adolescentẽ ad Deum admirandum prẽparabant.

Ezech. 20.

Ezech. 10.

Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Arguit enim diuina scriptura tam eos qui ante legem, quàm eos qui in lege fuerunt, illos quidem legem naturæ, hos verò Mosaicã legem esse transgressos. Et his autem & illis remedium attulit, salutem promissam per fidem. Rursus enim illud, Conclusit, posuit pro eo quod est, arguit.

Prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat.

Oportebat enim veluti quodam muro custodiri genus Israeliticum, donec germinaret expectatio gentium.

Itaque lex, pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.

Necessario ergo lex etiam data est, nobis enim pædagogi officio functa est: & nos quidẽ à priori impietate liberauit. Cùm autem Dei cognitionem docuisset, veluti ad quendam doctum doctorem ac magistrum docuit nos Christum Dominum: vt perfectas disciplinas ab eo discamus, & iustitiam quę est per fidem acquiramus.

At vbi venit fides, iam non sumus sub Pædagogo.

Qui enim iam sunt habitum consecuti, Pẽdagogi cura non amplius indigent.

Omnes enim filij Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu.

Ostendit perfectionem eorum qui crediderunt. Quid est enim ijs perfectius, qui vocantur

cantur filij Dei? Iam verò ostendit etiam modum generationis.

Quicunque enim in Christo baptizati estis Christum induistis.

Postquam enim dixit, Omnes filij Dei estis, docet etiam quo modo hoc assecuti sunt, & dicit, Induistis enim Christum, qui est verè filius Dei: illo autem induti, iure filij Dei vocamini.

Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, nec fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.

Illud, vnus, pro eo quod est, vnum corpus. Ipse enim est caput nostrum. Quamobrẽ nec scire quidem oportet differentiam serui & domini, masculi & fœminæ, Iudæi & Græci.

Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.

Dixit fideles esse filios Dei. Deinde ostendit etiam modum adoptionis. Christo enim induti qui est vere filius Dei, iure etiam appellamini filij Dei. Ita rursus nos coniungit Abrahæ. Si nos enim corpus Christi, ipse autem est nostrum caput: appellatur autem semen Abrahæ, per ipsum ergo etiam Abrahæ per fidem coniuncti sumus: & promissi benedictionem collegimus: fieri autem non potest vt caput quidem illius censeatur: corpus verò, alterius.

CAP. IIII.

Dico autem quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes.

Morientes patres pupillos curatoribus & tutoribus committunt, iubentes illos eorum curam gerere, donec ad virilem ætatem peruenerint. Hoc enim dicit, vsque ad præfinitionem patris, hoc est ad terminũ à patre prefinitum. Id autem est ætas perfecta. Eodem modo nos etiam, inquit, quando pueri quidem eramus & imperfecti, habuimus veluti quendam tutorem & curatorem legem. Elementa enim mundi legales obseruationes appellauit, quandoquidem à Sole & Luna nox & dies perficitur; à diebus autem septimanæ & menses & anni cõficiuntur. Iex autem & Sabbata, & nouilunia, & festa anniuersaria, & annorum hebdomadas seruare iussit. Ideo dixit, Sub elementis huius mundi eramus in seruitutem redacti, quoniam per hæc tempus consistit.

At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege vt eos qui sub lege erant redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus.

Conuenienti autem tempore, quod Deus præfinijt, misit filium suum, vt humanę naturæ susceptionis impleret mysterium. Nostra itaque suscepta natura, ex virgine natus, & ex lege vitam instituens, eos qui supplicijs legis obnoxij erant, effecit liberos: & dedit nobis promissam in filios adoptionem. Notandum est autem quòd illud, Misit, coniunxit humanæ naturæ susceptioni. Non enim dixit, Misit ipsum vt nasceretur de muliere, vt diuinitatis missionem suspicemur, sed, Natum ex muliere, hoc autem est œconomiæ seu dispensationis proprium.

Quoniam autem estis filij Dei: misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.

Non ausi essemus orantes Deum vocare Patrem, si non in filios adoptionis gratiam assecuti essemus. Est autẽ demonstratio cui contradici non potest. Videbant enim miracula quæ fiebant per diuinum spiritum.

Itaque iam non est seruus, sed filius. Quod si filius: & hæres per Christum.

Non enim quicunque filius, iam est hæres. Tu autem es & filius & hæres. Hæc autem es consecutus per Christum, non per legem.

Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs qui natura non sunt Dij seruiebatis. Nunc autem cum cognoueritis Deum, imo cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elemẽta, quibus denuo seruire vultis?

Et cuiusmodi est ea seruitus?

Dies obseruatis & menses, & tempora, & annos.

Idolorum esse cultum conatur ostendere obseruationem dierum quæ fit à lege. Priusquam enim, inquit, vocatione digni essetis habiti, colebatis Deos qui non sunt natura Dij, elementa in Deos referentes. Sed vos ab hoc errore Dominus Christus liberauit. Nunc autem nescio quo modo ad eũdem errorem reuertimini. Dum enim Sabbata, & nouilunia, & alios dies obseruatis, & eorum transgressionem timetis, similes estis eis qui elementa in Deos referunt.

Timeo vobis, ne sine causa laborauerim in vobis.

Hæc est vox paterna, laborum quidem recordantis, fructum autem non videntis.

Estote sicut ego, quia & ego sicut vos.

Habui olim hoc desiderium. Valde legem cupiebam, sed videtis quomodo sum mutatus. Hanc ergo vos etiam imitemini mutationem.

Fratres obsecro vos nihil me læsistis.

Doloris affectio eum frequenter cogit mutare formam orationis, & nunc quidem increpare, nunc verò adhortari, & aliquando quidem accusare, aliquando verò lamentari. Hic autem docet quòd quæcunque scribit. Nihil enim, inquit, à vobis læsus sum: sed vestra etiam fuit maxima in me obseruantia.

Scitis autem quod per infirmitatem carnis Euangelizaui vobis iampridem, & tentationem vestram in carne mea non spreuistis, neque respuistis, sed sicut Angelum Dei recepistis me.

Non oblitus sum honoris mihi à vobis habiti, licet magnam ignominiã ferrem in corpore, vt qui iniurijs afficerer, torquerer, & mala innumerabilia sustinerem, vos tamen non respiciebatis ignominiam, sed tanquam Dei angelũ honorabatis. Et quid dico, tanquam angelum?

Sicut Christum Iesum.

Etenim

Etenim existimabatis ipsum Christum per me obseruare.

Vbi est ergo beatitudo vestra?

Vbi sunt præclara & laudibus prosequenda fide facinora? Quæ enim posuit pro, vbi.

Testimonium enim perhibeo vobis, quod si fieri posset oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.

Nullum ergo in vos proprium habeo animi dolorem qui me cruciet, sed contrà vobis etiam me gratias habere confiteor, sed vestra causa doleo.

Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicẽs vobis?

Propter veritatem verbis asperioribus vsus sum.

Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt, vt illos æmulemini.

Hæc dixit de illis improbis doctoribus, videntes autem, inquit, vos fide resplendentes, cruciantur animi, & omnia moliuntur vt vos illis bonis priuent, & vos in suam potestatem redigant. Hoc enim dixit illud, Vt illos æmulemini.

Bonum autem æmulamini in bono semper.

Ego autem volo vos in omnibus bonis resplendere; vt alij à vobis vtilitatem accipiãt.

Et non tantum, cùm præsens sum apud vos.

Vt & cùm ego sum præsens, & cùm sum absens, vos similiter laudé assequamini. Postquam hęc dixit, rursus matrem acerbè deflentem & lamentantem imitatur & clamat.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.

Adhuc secundos in partu dolores sentio, quando in primis non rectè cessit, cùm vos abortiui fueritis. Hęc etiam Nouatum amentiæ arguunt, qui portam claudit pœnitentiæ.

Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocẽ meam: quoniam confundor in vobis.

Ab affectione incensus, inquit, vellem esse alatus, & ad vos aduolare, & videre quę fiunt: & horum quidem deflere auersionem, illorũ verò admirari constantiã. Nunc enim, inquit, absens, nescio quid dicam, quid loquar, quid defleam. Hęc cùm apud eos disseruisset, conuertit sermonem ad malos legis defensores, dicit.

Genes. 16. Genes. 21. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta.*

Per allegoriam dicta dixit diuinus Apostolus, pro eo quod est, Et aliter intellecta. Non enim sustulit historiam: sed docet quæ fuerint prefigurata in historia. Subiungit enim.

Post Agar Græcè est, γὰρ Ἀγὰρ σινᾶ ὄρος ἐστὶν. *Hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Sina in seruitute generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia: qui conuncius est ei quæ nunc est Hierusalem, & seruit cum filijs suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.*

Cur, inquit, vos qui legi seruire vultis, legi doctrinæ non creditis? Illa enim nos docet, quòd Abraham duas habuit vxores, duorum autem filiorum pater effectus est, sed hic quidem ex ancilla, ille verò ex libera ortus est. Hæc nostris consentiunt. Quemadmodum enim illic quidem vnus est pater, duę verò matres, & duo filij: ita hic etiam vnus quidem Deus, duo autem populi, sed primi quidem testamenti figura est Agar: Secundi verò, Sara. Etenim ex monte Sina vetus lex data est, iuxta illum autem montem habitauit genus Agar: Ille autem mons consenti huic terrestri Hierusalem. Sarra autem est figura cœlestis ciuitatis, cuius nos nominamur filij. Hęc autem est libera, quæ non habet iugum legis, illa autem serua, tales autem erant, & qui legi seruiebant. Porrò autem ostendit etiam Prophetiam conuenire figuræ.

Scriptum est enim. Lætare sterilis quæ non paris: Esa. 54. *erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum.*

Quemadmodum enim Sarra in senectute peperit præter omnem spem humanam; ita gentes in ipso fine vitæ Dei cognitionem assecutæ sunt, & vicit sterilis filiorum quos peperit multitudine eam quę olim multos filios pepererat.

Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus.

Non enim secundum naturam, sed secundum gratiam nati sumus. Quemadmodum enim Isaac non lex naturæ, sed promissionis finxit ratio: ita etiam nos data Abrahę genuit promissio.

Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nunc.

Nec hoc vos cruciet quòd qui crediderũt, expellantur ab incredulis. Hoc enim etiam in typo inuenimus.

Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium Genes. 21. *eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

Sarrę verba dixit verba scripturæ, scripturæ scopum ostendens: quòd scilicet hæc ideo scripta sunt, vt etiam post veritatem figura ostendatur.

CAP. V.

ITaq; fratres nõ sumus ancillæ filij, sed liberæ. Quid ergo iubes? Qua libertate Christus nos liberauit. State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.

Libertatem appellauit vitæ institutionem, quę est extra legem. Iugum autem seruitutis, vitam quę est ex lege. Ita enim diuinus etiam dixit Petrus in Actibus. Quid tentatis durum imponere iugum super ceruices discipulorũ, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Actor. 15.

Ecce ego Paulus dico vobis quod si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit.

Clarè & apertè dico vobis, & meum nomen propono, quòd nullam vtilitatem capietis ex fide in Christum, si circuncisionẽ patiamini.

Rursus autem testificor omni homini circuncidenti se, quod debitor est vniuersæ legis faciendæ.

Et iure optimo, lex enim execratur eos qui non implent omnia quæ dicta sunt. Iam verò qui

quilibertatem sua sponte reliquit, & seruire maluit, omnibus Domini iussis est obnoxius.

Euacuati estis Christo.

Quomodo hoc dicis?

Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.

Qui legem dedit, se gratiam daturum est pollicitus. Ea ergo data, effecta est illa otiosa & superuacanea. Qui ergo ex lege volunt viuere, donis gratiæ priuati sunt.

Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus.

Suscepta enim arra spiritus, promissis credentes vitam futuram expectamus, quæ immortalitate ornata, non habet peccati obstaculum.

Nam in Christo Iesu, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.

Es amator legis? serua quæ sunt legis necessaria: habe charitatem in proximum. Per eam enim vniuersa lex impletur, circuncisionis autem & præputij discrimen fides sustulit, neque enim in militibus albedinem aut nigredinem, sed rei militaris peritiam duces postulant.

Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?

Laudat cursum: & à cursu deflet cessationẽ.

Hæc, non est in Græco. *Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos.*

Est Dei proprium vocare: obedire autem eorum qui audiunt.

Modicum fermentum totam maßam corrumpit.

Vos quidem defleo, metuo autem ne morbus alijs impertiatur.

Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis.

Non dixit, Non sentietis, sed, non sentitis, ea enim quæ facta sunt reprehendit. Optat autem videre mutationem in melius.

Qui autẽm conturbat vos, portabit iudicium, quicunque est ille.

Rursus indefinitè posuit illud, Quicunque sit: vt & si magnas de ipsis opiniones habeãt, eos Deo esse pœnas luituros intelligant. Quoniam autem improbi hi legis defensores dicebant ipsum Apostolum seruare legem, & non eadem vbique prædicare, de eo etiam necessario respondet.

Ego autem fratres, si circuncisionem adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis?

Cur enim me odio habent Iudæi, & mecum apertè belligerantur, si circuncisionem prædico, & legem seruare præcipio? Si enim hoc facio, superuacanea est crucis prædicatio: sublatum est etiam Iudeorum offendiculum. Hoc etiam dixit ad Corinthios. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus verò stultitiam. 1. Corinth. 1.

Vtinam & abscindantur qui vos conturbant.

Vtinam seipsos etiam omnino excinderent, qui circuncisionis vobis fraudem prædicant.

Vos enim in libertatem vocati estis, fratres.

Estis liberati à legis seruitute.

Tantum ne libertatem in occasionem detis carni. Detis, non est in Græco.

Deinceps ad moralem transit adhortationem: & præcipit vt actiuæ etiam virtutis curam gerant. Non enim, inquit, ideo à seruitute legis liberati sumus, vt securè peccemus. Et ex hoc etiam loco manifestum est, quòd cùm quæ sunt superuacanea eiecerit, præcipit seruare quæ sunt necessaria, & primum quidem charitatem. Hoc enim dicit.

Sed per charitatem spiritu seruite inuicem. Spiritus, non est in Græco.

Qui enim vere amat, nec ei quidem quem amat seruire recusat.

Omnis enim lex in vno sermone impletur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Leuit. 19.

Potestis totam legem per hoc vnum præceptum implere.

Quòd si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.

Hic innuit, quòd alij quidem inducti circuncisi fuerant: alij verò firmi in fide permanserant, inter se tamen depugnabant, illi quidem vitæ ex lege institutionem laudantes: hi verò dona gratiæ admirantes. Quocirca eos etiam primum adhortatur ad charitatem.

Dico autem in Christo spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. In Christo, non est in Græco Theod.

Si vultis vincere carnis affectiones, sequimini admonitiones spiritus.

Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem repugnant.

Carnem dicit, mentis inclinationem ad ea quæ sunt deteriora: spiritum autem, gratiam quæ inhabitat, ea enim deducit animam ad ea quæ sunt præstantiora. Sed quomodo vinci possunt carnis affectiones?

Vt non quæcunque vultis illa faciatis.

Ne sequamini malas cogitationes, pro eo quod est, Eas vincite, adiutà gratia spiritus.

Quòd si spiritu ducimini: non estis sub lege.

Lex enim eum nõ præbebat, etsi enim nonnulli qui sub lege viuebant, spiritalem gratiam assequebantur, valde tamen pauci Prophetiam habebant, hic autem omnes eam habent, qui salutarem baptismum consecuti sunt.

Manifesta sunt autem opera carnis.

Rursus appellat carnem, ea quæ caro sentit.

Quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.

Manifestum est quòd idolorum cultus, veneficium, & quæ sunt his similia, non sunt carnis, sed animæ propria. Non ergo accusat carnem, sed improbam & ignauam cogitationem.

Quæ prædico vobis sicut prædixi: quod qui talia agunt regnum Dei non consequentur.

Hæc etiam dixit diuinus Apostolus in epistola ad Corinthios.

Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, patientia, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas. Patientia, nõ est in Græco. Castitas, non est in Græco.

Si illa essent solius corporis, oporteret et-

iam ostendere opera animæ, sed ea non posuit. Clarum est ergo, quòd carnem quidem appellauit carnalem cogitationem, hoc est, animæ ad ea quæ sunt deteriora inclinationem. Spiritum autem vocat datam gratiam, & ideo fructum etiam spiritus appellauit charitatem, & gaudium, & cætera, illo enim opem ferente, vnumquodque eorum rectè se gerit.

Aduersus huiusmodi non est lex.

Lex enim est superuacanea ijs qui ex virtute viuunt. Iusto enim lex non est posita.

Suam, nõ est in Græco. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

Hoc est, Qui vnà cum Christo consepulti sunt, corpus peccato mortuum reddiderunt.

Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.

Non ex lege vitam instituentes, sed gratiam sequentes.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Inanem gloriam & inuidiam illa dissensio peperit. Forte enim qui in fide firmi manserant, eos qui labefactati fuerant assiduè condemnantes, ad litem incitabant. Quos etiam hortatur Apostolus, vt manum præbeant ijs qui ad legem declinarunt.

CAP. VI.

FRatres etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis huiusmodi instruite.

Pro eo quod est, Corrigite, quod deficit confirmate, supplete. Docet autẽ etiam quomodo sit eorum cura gerenda.

In spiritu lenitatis.

Deinde ei qui medetur metum inijcit.

Considerans teipsum, ne & tu tenteris.

Homo es, habens naturam mutabilem, dole eius vicem qui malè affectus est.

Alter alterius onera portate: & sic implebitis legem Christi.

Tu habes hoc delictum, illud verò non habes, ille contra quod tu habes non habet, sed aliud, tu feras illius delictum, & ille tuum. Ita enim impletur lex charitatis, legem enim Christi vocauit charitatem. Nam vox est eius, Ioan. 13. Præceptum nouum do vobis vt diligatis inuicem.

Nam si quis existimat se aliquid esse cùm nihil sit, seipsum decipit.

Eorum qui propter exigua aliqua rectè facta intumescunt supercilium deprimit.

Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero.

Quòd si te etiam vis iactare ac gloriari, tuam ipsius vitam considera, & tunc in te ipso gloriare, si quidem hoc oportet facere.

Vnusquisque onus suum portabit.

Ne sis de alienis nimium curiosus, vnusquisque enim nostrum reddet rationem de suis peccatis.

Communicet autem is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis.

Hic præcipit vt discipuli præceptorum ac doctorum eam quam par est curam gerant. Eam rem autem vocat communicationem, & iubet ijs qui fruuntur spiritalibus impertiri carnalia.

Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.

Vniuersorum Deus omnia intuetur, ne putetis eum ignorare illa quæ fiunt. Scitote autem messem futuram sementi conuenientem, & te quod seminaueris hoc messurum.

Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem.

Qui enim carni voluptatem & delicias largitur, hinc corruptionem assequetur. Corpus enim interit, & in corruptionem dissoluitur.

Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.

Qui autem spiritus institutum & eius leges sequitur, vitam æternam colligit.

Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.

Nihil eorum quæ sunt molesta ac difficilia, ad ea quæ bona, & honesta sunt animi promptitudinem & alacritatem abrumpat. Absq; labore enim seminata metemus. Hoc enim dixit, illud, Non resoluti. In sensilibus enim seminibus & sementis habet laborem, & messis itidem, metentes autem sæpe resoluit æstus. Sed illa messis non est eiusmodi, est enim à labore & sudore libera.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

Ita etiam Dominus in sacris Euangelijs dixit. Estote misericordes sicut & pater noster Matth. 5. qui in cœlis est misericors, qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Præcipuè autem cura gerenda est eorum qui sunt eiusdem fidei.

Videte qualibus literis scripsi ad vos mea manu.

Totam, vt videtur, hanc scripsit epistolam, docens non esse respectum personarum quando veritas proponitur. Illud autem, Qualibus, nonnulli quidem magnis, aliqui verò, malis, interpretati sunt. Ego enim, inquit, scripsi hanc epistolam, etsi non pulchre scribens.

Quicunq; enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantùm vt crucis Christi persecutionem non patiantur.

Gloriam ab hominibus aucupantes, & suæ securitatis curam gerentes, tradunt doctrinam qua cogamini circuncidi, ne iniurijs & supplicijs afficiantur, & in vincula conijciantur, sicut nos qui Christum prædicamus.

Neque enim qui circuncidunturlegem custodiunt: sed volunt vos circuncidi, vt in carne vestra glorientur.

Quomodo enim fieri potest vt ipsi legem seruent, qui degunt procul ab Hierosolymis? Quomodo dies festos peragunt? Quomodo sacrificia offerunt? Quomodo dum immunda tangunt abluuntur? Clarum est ergo quòd gloriari volentes se id vobis persuasisse hoc agunt vt circuncidamini.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri

nostri Iesu Christi: Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Ego autem propter solam salutarem crucem me iacto, & mihi placeo. Propter eam enim & tota vita est mihi superuacanea, & mortuæ similis. Non solum autem ipsa mihi, sed ego quoque ipsi, immortalem enim vitam expecto. Hoc enim subiunxit.

In Christo enim Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium: sed noua creatura.

Hoc etiam dixit scribens ad Corinthios. 2. Cor. 5. Quare si qua in Christo noua creatura. Nouam autem creaturam appellat quidem proprièeam, quæ post mortuorum resurrectionem futura est, rerum mutationem. Tunc enim & creatura liberatur ab interitu ac corruptione quæ ei imminet, & hominum natura immortalitatem induit. Salutarem autem baptismũ ostendit esse veluti quandam imaginem futurorum. In eo enim veterem hominem exuimus: nouum autem induimus: & onus peccatorum deponentes, gratiam spiritus suscipimus. Nec ergo sanctissimum baptisma, nec futura vita, nouit circuncisionis & præputij differentiam. Mundum autem vocauit, res quę ad vitam pertinent, honorem, gloriam, diuitias, eis se dixit esse mortuum.

Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illis, & misericordia, & super Israel Dei.

Regulam vocauit propositam doctrinam, vt quæ rectitudine exornetur, & nihil habeat quod vel sit mancum, vel superfluum. Iis autem qui eam amplectuntur precatus est misericordiam & pacem. Israel autem Dei appellauit fideles, vt qui Deum per fidem videant. Hoc enim nomen interpretatur.

De cætero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.

In memoria reuocans labores quos suscepit, dum eis diuinum prædicaret Eu: in hanc vocem veluti quoddam testimonium erupit. Non amplius, inquit, ad vos scribere in animum inducam, sed pro literis vibices ostendam, & plagarum signa, ea veritatis prædicationi ferant testimonium. Pro illa enim omnia perpeti in animum induco.

Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres, Amen.

Consuetam benedictionem, veluti quoddam signaculum, literis imposuit, donum datum eis in memoriam reuocans, quod non per legem, sed per fidem acceperunt. Hanc nos etiam gratiam custodiamus, & ne spiritui sancto molestiam exhibeamus, In quo signati sumus in diem redemptionis: sed bonam actionem, veluti quoddam oleum, intelligenti huic luci adhibeamus, vt illuminati rectè incedamus, & ad mirabilem & expetendum viæ finem perueniamus. In Christo Iesu Domino nostro, Cui gloria, & potentia, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Epistola ad Galatas scripta est Romæ, cùm diuinus Apostolus eos iam vidisset, & docuisset.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD EPHESIOS.

QVIDAM ex ijs qui diuinum Apostolum antea interpretati sunt, dixerunt diuinum Ioannem Euangelistam salutarem prædicationem primum tradidisse Ephesijs, aliqui verò aliquos alios hoc fecisse dixerunt: diuinissimum autem Paulum, cùm nondum vidisset Ephesios, hanc ad eos scripsisse epistolam. Sed Apostolicorum actuum historia nos neutrum eorum docet. Veritatem autem melius sciemus, si illam narrationem in memoram reuocauerimus. Cùm enim Antiochiæ fuisset de lege quæstio, ad sanctos Apostolos missi sunt diuinissimi Barnabas & Paulus. & cùm dubitationis solutionem accepissent, & de ea literas attulissent, redierunt rursus Antiochiam. Clarum est autem eos illo etiam tempore cum summis Apostolis pactum conuentum fecisse, de quo dixit diuinus Apostolus in epistola ad Galatas. Et cognoscentes gratiam Gala. 2. *Dei quæ mihi data erat, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt ipsi quidem ad circuncisionem, nos verò ad gentes. Ex quibus facile sciri potest diuinum Apostolum Ioannem nondum reliquisse Iudæam. Atque post eorum quidem Hierosolymis reditum, cùm inter sanctos Apostolos Barnabam & Paulum de Marco exorta esset contentio, ille quidem accepto Marco nauigauit in Cyprum, diuinissimus autem Paulus cùm vnà cum Sila Syriam & Ciliciam obijsset, venit in Lycaoniam. Cùm illic autem virum omni ex parte optimum Timotheum circuncidisset, in Phrygiam & Galatiam profectus est, pietatis semina deijciens. Prohibuit enim eos, inquit, Spiritus sanctus* Actor. 16.

loqui sermonem in Asia. Deinde cùm Mysiam traiecissent, conati sunt etiam Bithynis salutarem prædicationem tradere, & à diuino spiritu sunt rursus prohibiti. Cùm venissent autem Troadem, in Macedoniam à gratia euocati sunt. Deinde post Macedoniam cum Atheniensibus & Corinthijs Diuinæ cognitionis radium attulissent, venerunt Ephesum. Erat autem vnà cum Apostolo Aquila & Priscilla. Docet itaq; beatus Lucas, quòd ingressus in synagogam, cum Iudæis locutus est, qui cùm eum rogassent vt illic vnà cum eis ageret, non cessit, sed in Iudæam enauigauit. Clarum est ergo quòd Ephesiorum ciuitas salutarem prædicationem nondum eo tempore acce-
Act.18.19. *perat. Neque enim relictis fidelibus diuinus Apostolus venisset in synagogam Iudæorum. Quinetiam ea quæ in historia consequuntur hoc docent apertius. Cùm enim è Iudæa redijsset, reperit Ephesi aliquos numero duodecim, qui Catechismum quidem audierant, sed diuini spiritus gratiam non acceperant, sed Ioannis baptismum solum sciebant. Cùm eos ergo baptizasset, duobus simul annis ibi versatus est, docens Ephesios decreta salutaria, & primum quidem disseruit in synagogis. Sed quandoquidem Iudæi pro more contradicebant, in schola Tyranni doctrinam exercebat. In hac ciuitate etiam vestimentorum eius color ac superficies morbos expulit: & Dæmon in Scenæ filios insiliens exclamauit, Iesum cognosco, & Paulum scio, vos autem qui estis? In hac etiam combusta sunt scripta maleficarum artium & præstigiarum, quorum pretium computarunt, & inuenerunt argenti quinquaginta millia. Quòd ergo non diuinus Ioannes, sed admirabilis Paulus salutarem prædicationem eis primus tradiderit, nos apertè docuit Actuum historia. Quòd autem etiam epistolam postea scripserit, ipsæ nos docent literæ. Dicit enim in fine. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, dilectus frater & fidelis minister in Domino, quem misi ad vos in hoc ipsum vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. Beatum autem Tychicum Roma misit, idque docet in*
2. Timo. 4. *secunda ad Timotheum. Cùm enim dixisset, Festina venire ad me. Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abijt Thessalonicam. Crescens in Galatiam: Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus: accipe Marcum, & duc tecum: est enim vtilis ad ministerium, subiunxit. Tychicum autem misi Ephesum. Quòd autem hanc vltimam scripserit epistolam, in ea apertè docet. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Qui ergo Ephesijs prædicauerat, secundo in Macedoniam & Achaiam profectus est, & illinc in Iudæam. Deinde cùm Ephesi versatus esset, venit Romam. Ostensum est autem Tychicum fuisse tabellariũ literarum ad Ephesios. Clarum est ergo eum, cùm eis Euangelium antea prædicasset, hanc scripsisse epistolam. Epistolæ autem prima quidem pars continet doctrinam diuinæ prædicationis, postrema autem pars moralem adhortationem.*

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO EPISTOLAE AD EPHESIOS.

AVLVS Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu. Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Posuit rursus præpositionem, Per, in Deo & Patre, eorum qui cum diuinitate vnigeniti bellum gerunt ora obstruens, & docens eam non significare paruitatem. In salutatione autem laude & bonis verbis eos prosecutus est, eos enim sanctos & fideles appellauit.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi.

Manifestum est eum quidem esse nostrum Deum,

Deum, Domini autem nostri patrem. Hoc autem annotauimus etiam interpretantes secundam epistolam ad Corinthios.

Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.

Dedit enim nobis dona diuini spiritus, dedit spem resurrectionis, immortalitatis promissiones; pollicitationem regni cœlorum, & dignitatem adoptionis in filios. Ea vocauit spiritales benedictiones. Et adiecit, In cœlestibus, sunt enim dona cœlestia. Quia autem nonnulli existimabant esse recentem prædicationem, eamq; contemnebant, vt quæ esset legis institutione recentior: de eo quoque docet necessario.

Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ.

Ab initio enim ante constitutionem mundi ea, quæ ad nos pertinebant præsciuit & præfinijt. Docet autem etiam quanam de causa elegerit.

Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.

Et quomodo elegit eos qui nondum nati erant?

In charitate, qui prædestinauit in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.

Et præsciuit nos, & dilexit, & nostram vocationem præconstituit, vt nos filiorum adoptionis donum perciperemus, per seruatoris nostri dispensationem. Illud autem, in ipsum, dicit patrem, pro eo quod est, vt eius filij appellamur. Deinde honoris & liberalitatis magnitudinem admirans, subiunxit.

Secundum propositum voluntatis suæ.

Hoc enim, inquit, voluit, hoc ei placuit. εὐδοκίαν enim, hoc est beneplacitum, solet ponere scriptura pro beneficio afficiendi vo-
Psal.85. & 146. luntate. Bene complacitum est, inquit, Domine in terra tua, &, Complacet Domino in timentibus eum, &, Si subtraxerit se non complacet anima mea in ipso.

In laudem gloriæ gratiæ suæ.

Insignis enim beneficij magnitudo vel ingratorum linguas ad gratiarum actionem in-
Abac. 2. Filio suo, non est in Græco. citat.

In qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum.

Dignos qui amaremur nos fecit mors Domini. Per illiam enim peccatorum depositis maculis, à Tyranni seruitute liberati, diuinæ imaginis characterem recepimus. Docet autem etiam quomodo ea assecuti sumus.

Secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.

Misericordiæ enim fontes effundit, & ijs nos fluentis irrigat.

In omni sapientia & prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.

Mysterium voluntatis suæ occultam voluntatem vocauit. Cùm hæc enim, inquit, ab initio præconstituisset, postea reuelauit. Hoc enim subiungit.

Secundum beneplacitum eius quod proposuit in ipso, in dispensatione plenitudinis temporum.

Illud, In ipso, dicit in Christo. Plenitudinem autem temporum vocat tempus à Deo definitum. Ita etiam in epistola ad Galatas. Galat. 4.
Quando autem venit plenitudo temporis.

Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.

Hæc docet apertius in epistola ad Romanos. Scimus enim quòd omnis creatura in-
Rom.8. quit ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Et rursus. Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Hoc etiam dicit episto-
Hebr.2. la ad Hebræos. Vt sine Deo pro omni mortem gustaret. Sola autem diuina natura est ab egestate aliena. Omnis verò creatura opus habebat susceptæ carnis dispensationis medicamento. Elementa enim quæ propter vsum hominum facta fuerant, vt essent corruptioni & interitui obnoxia effecit, quandoquidem eum etiam mortalem factura erat transgressio. Quæ sub aspectum autem non cadunt, potestates, ægrè ferebant, vt est verisimile, dum viderent improbitatem, quæ ver-
Luc.15. satur in hominibus. Si enim lætantur propter vnum peccatorem qui agit pœnitentiam, vt dixit Dominus: clarũ est eas ægrè ferre, dum vident contraria, sed humanæ naturæ ab vnigenito susceptio, morte soluta, & resurrectione ostensa, & communis resurrectionis dato pignore, tristem illam nubem discussit. Itaq; ἀνακεφαλαίωσιν, hoc est, in summam collectionem, appellat breuem rerum mutationem. Per dispensationem enim quæ est in Christo Domino, & hominum natura resurgit, & incorruptionem induit: & creatura quę videtur, ab interitu & corruptiòne liberata incorruptionem assequetur: & eorũ qui sub aspectum non cadunt populi perpetuo in lætitia degent, quoniam effugit dolor, tristitia, & gemitus. Hoc per hæc verba docuit diuinus Apostolus. Non enim simpliciter dixit; Cœlum & terram, sed, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, & ostendens dispensationis mysterium, subiunxit, In ipso, hoc est, in Christo.

In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

Cùm nos enim ab initio prædestinasset, ad hanc vitam sorte elegit, qui quæcunque vult facit. Porrò autem apertius quoque docet ad quam sortem prædestinati simus.

Vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Christo.

Omnes enim ad nos respicientes, qui in Dominum Christum credidimus, laudant eorum bonorum authorem.

In quo & vos, cùm audisetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes signatiestis spiritu promissionis sancto.

Non solum enim audiuistis, sed etiam credidistis qua de causa sanctissimi etiam spiritus gratiam adepti estis. Illud autem, signati estis, simile est dicto prophetico. Signatum est Psal.4.
super nos lumen vultus tui Domine. Pro eo quod est, veluti quoddam signaculum spiritus donum accepistis. Ipsam autem vocat promissionem, nempe quòd promittat Domi-

nus se missurum gratiam spiritus.

Qui est pignus hæreditatis nostræ.

Ostendit magnitudinem eorum quæ expectantur. Si enim data gratia, per quam fiebant miracula, & mortui excitabantur, & leprosi mundabantur, & Dæmones expelleban tur, & alia his fiebant similia, arræ locum obtinet: clarum est fore vt qui credunt, maiorem gloriam assequantur.

In redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

Hæc, inquit, arra nobis in præsentia data est, vt nos quidem à tyrannide inimici liberaret, Deo autem familiares redderet, vt ipsum perpetuò laudaremus, gratiæ & accepti beneficij memores.

Propterea & ego audiens fidem vestram quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.

Hinc nonnulli coniecerunt diuinum Apostolum scripsisse hanc epistolam, cùm eos nondum vidisset. Oportebat autem eos animaduertere, quòd etiam scribens ad Corinthios, cùm quę grauia ac molesta erant audiuisset, eam misit. Renunciatum est enim mihi, inquit, Fratres ab ijs qui sunt Chloes, quòd contentiones sunt inter vos. Quemadmodum ergo illic cùm quæ molesta erant, audiuisset, dolens scribit, ita etiam cùm de his quæ grata erant audiuisset, texit laudationem. Laudat autem eos non solum propter studium pietatis; sed etiam propter liberalitatem in sanctos, & propter hæc laudat Deum omnium bonorum authorem, & dicit. 1.Cor.1.

Vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri.

Orans autem peto vt vos impleamini spiritali sapientia; vt cognoscatis fruitionem bonorum quæ sperantur. Hoc appellauit reuelationem. Illud autem, Deus Domini nostri Iesu Christi, posuit per diuisionem. Eundem enim eiusdem Deum & patrem appellauit. Deum quidem, vt hominis: Patrem verò vt Dei. Gloriam enim diuinam naturam nominauit. Ita etiam in epistola ad Hebræos. Qui est splendor gloriæ, hoc est, diuinæ naturæ. Ita etiam diuinus Ezechiel, Hæc est inquit, similitudo gloriæ Domini. Quoniam enim omnino fieri non potest vt diuina natura dignoscatur, eã gloriam nominant, ab adoratione & glorificatione appellationem imponentes. Heb.1. Ezech.2.

Vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credidimus.

Supplico autem vt intelligenti luce vestræ mentis visus illustretur, vt dignoscatis propter quænam vocati sumus, & promissorum bonorum magnitudinem prænoscatis. Carnea autem lingua differens diuinus Apostolus, cùm nõ possit vt vult laudare Dominum, & donorum ostendere magnitudinem, multa nomina simul congerit ea pro viribus ostendere contendens. Propterea spem vocationis, & diuitias gloriæ hæreditatis, & exuperantem potentiæ magnitudinem, & beneplacitum voluntatis, & alia quæcunque sunt eiusmodi colligit. Exuperantem potentiæ magnitudinem posuit, cùm crucis ignominiam animo versasset, & quanta per eam rectè gessisset cogitasset, hoc enim suiuunxit.

Secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Psal.8.

Clarum est eũm hæc omnia posuisse, tanquã de homine, ea enim de causa etiam admiratione ductus est. Quòd enim qui Deus est vnà cũ Deo sedeat, & qui est filius vnà cũ patre regnet, non est admirabile. Cùm enim eadem sit natura, ei quoque potestatis coniuncta est societas. Quòd autem sumpta ex nobis natura eiusdem honoris cum eo qui sumpsit sit particeps, vt nulla videatur adorationis esse differentia, sed per naturam quæ cernitur, quæ non cernitur adoretur diuinitas, hoc verò omne miraculum superat. Et ideo diuinus etiam Apostolus supra modum admirans, primum quidem laudat insignem potentiæ magnitudinem: Deinde operationem potentiæ virtutis, & quærit vocabula quæ possint significare rem admirabilem, & quæ superat omnem opinionem. Primum enim, inquit, eum suscitauit à mortuis. Clarum est, quòd hominem. Deinde sedere fecit, & ostendens honoris magnitudinem, adiecit, ad dexteram eius. Quinetiam ostendit regiam. In cœlestibus. Deinde & subiectos. Super omnem principatum, & potestatem. Et cùm persecutus esset omnia nomina eorum quæ sub aspectum non cadunt, quæ didicimus, adiecit quòd etsi aliquos eorũ nescimus, postea tamen cognoscemus in vita futura. Et hi omnes subiecti sunt. Et adduxit Propheticum testimonium. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Iam verò hoc quoque posuit propheta, tanquam de homine. Quid est enim, inquit, homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quòd visitas eum? Psal.8.

Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius.

Christus Dominus obtinet locum capitis. Qui autem in ipsum credunt, corporis.

Et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur.

Ecclesiam vocat cœtum fidelium. Eam appellauit quidem corpus Christi: patris autem plenitudinem. Eam enim impleuit donis omnis generis, & in ea habitat & obambulat, vt est vox prophetica, Hoc autem in futura vita fiet perfectius. Nam hoc etiam docuit scribens ad Corinthios. Cùm enim dixisset, vltimus inimicus destruitur mors, &, Omnia subiecit sub pedibus eius, postremo posuit, Vt 1.Corinth.3.

sit

sit Deus omnia in omnibus. Et illa quidem pluribus exposuimus. Dicemus autem etiam hic breuiter. In præsenti quidem vita Deus est in omnibus. Habet enim naturam quæ nõ potest circunscribi: sed non est omnia in omnibus, quandoquidem alij quidem impiè, alij verò iniustè se gerunt, habitat autem in ijs qui ipsum timent, & in ijs qui sperant in eius misericordia. In futura autẽ vita cessante mortalitate, & peccato non amplius locum habente, erit omnia in omnibus.

CAP. II.

ET vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis.

Nos enim morte affecit peccati operatio, ea enim mortem peperit.

Secundum sæculum mundi huius.

Mundum vocat creaturas. Sęculum autem, vitam præsentem.

Secundum principẽ potestatis aeris huius, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ.

Apertè nos docuit Diabolo quidem olim fuisse creditam aeris potestatem, cùm ab ea autem excidisset, propter improbitatem, impietatis & improbitatis magister effectus est. Nõ tamen in omnes imperium obtinet, sed in eos solos qui diuinas prædicationes non admittunt. Eos enim appellauit filios inobedientię, diuina beneficia Ephesijs in memoriam reuocans, quòd cùm iam essent mortui per peccatum, & essent in potestate Diaboli, eos salute dignatus est. Ne se autem reprehendi existimarent, quòd eis illorum vitam in memoriã reuocaret, seipsum quoque coniungit, communem morbum indicans.

In quibus & nos omnes aliquando cõuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum. Et eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.

Ostendit non solum in carnem cadere reprehensionem, sed etiam in ipsam animam. Mens enim prior recipit inclinationem ad ea quę sunt deteriora: deinde ita per carnem exequitur ea quæ consultauit. Filios autem iræ dixit, ęo quod est ira dignos & vltimo supplicio. Ita Antichristum appellauit filiũ perditionis, hoc est dignum perditione, seu dignum qui periret.

Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam quæ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati. Cuius, nõ est in Græco.

Et tamen cùm ita affecti essemus, Dominus Deus qui habet abyssum bonitatis, effecit nos participes immortalis vitæ Domini nostri. Hoc enim dicit, Conuificauit Christo. Cùm enim ille resurrexerit, nos quoque speramus fore vt resurgamus. In illo enim ea quæ ad nos pertinent rectè se habuerint. Deinde docet apertius doni magnitudinem, Cuius gratia estis seruati. Non enim propter optimam nostram vitam vocati sumus, sed propter eius qui nos seruauit charitatem.

Et conresuscitauit, & considere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.

Cùm is enim surrexisset, nos quoque spe resurreximus, & cùm is vnà cum patre sedeat, nos quoque sumus honoris participes. Est enim caput nostrum, qui cum eo sedet, nostræ primitiæ qui cum eo regnat, nostram enim naturam induit.

Vt ostenderet superuenientibus sæculis abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu.

Nunc enim bonorum quę speratur magnitudo est quidem omnino ignota infidelibus, fideles autem vident tanquam in speculo & in ænigmate. Per fidem enim ambulant, non per speciem, tunc autem videbunt facie ad faciem, tunc fideles & infideles videbunt naturam ex nobis sumptam ab omni creatura adoratã, & sanctos vnà regnantes. Si enim commortui sumus, inquit, & conuiuemus: Si sustinemus, & conregnabimus. 1.Tim.2.

Gratia enim estis saluati per fidem.

Dei gratia nos his bonis dignata est. Nos enim solam fidem attulimus. Quin eius etiam diuina fuit gratia adiutrix. Hoc enim subiunxit.

Et hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus. Vt ne quis glorietur. Enim, nõ est in Græco.

Non enim nostra sponte credidimus, sed vocati accessimus, & cùm accessissemus, non exegit vitæ puritatem & innocentiam, sed sola fide suscepta condonauit peccata.

Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.

Illud, Creati, hic posuit pro regeneratione. Vocauit nos, inquit, per suam bonitatem ineffabilẽ. obediuimus: & cùm credidissemus, sumus salutem cõsecuti. Sed ante baptismum quidem actiuam à nobis virtutem nõ exegit, post baptismum verò ei etiam iubet hærere, & eam tenere. Hoc enim dicit, in operibus bonis, vt in illis ambulemus. Priora autem rursus eis in memoriam reuocat; vt diuini beneficij ostendat magnitudinem.

Propter quod memores estote quod aliquando vos eratis gentes.

Hic est ponendum incisum.

In carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circuncisio in carne manu facta.

Est circuncisio carnis, & pręputium carnis. Hoc autem dicit. Vos qui dicebamini præputium in carne (Hoc autem vos appellabãt qui circuncisionẽ carnis manu factam habebant) nullam habebatis communionem cum benedictionibus Israel. Hoc enim docent ea quæ sequuntur.

Quod eratis illo tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.

Vult ostendere Christum Dominum eis omnia bona cõciliasse. Priusquam enim, inquit, ei crederetis, eratis Dei cognitione destituti, nec bona Israeli promissa percipiebatis.

Nunc autem in Christo Iesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.

Vos enim qui procul degebatis, & ab Israele separati eratis, familiares effecit Christus. Hoc dixit. Propè facti estis.

Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum: & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans.

Ipse enim fuit pacis arbiter & conciliator. Ipse effecit vt qui ex illis & ex nobis credebant, in vnum corpus redigerentur: & fecit vt lex cessaret, quæ instar cuiusdam muri nos à nobis inuicem arcebat, prius autem inimicitias quæ nobis cum Deo intercedebant sustulit, cùm suam carnem pro nobis dedisset pretium redemptionis. Hoc vbi fecit, curauit vt omnia illa cessarent, quæ nos & illos seiungebant. Hoc enim dixit, legem mandatorum. Non enim sustulit illud, Non adulteraberis. Non occides. Non furaberis. Non dices falsum testimonium aduersus proximum tuum. Nec illud, Honora patrem & matrem tuam. Nec hoc, Non concupisces vxorem proximi tui, & quæcunque sunt eiusmodi. Ea enim ostendit Christus Dominus ei qui voluit discere viam vitæ æternæ. Decreta autem seu placita appellauit doctrinam Euangelicam: quoniam in animi electione sita est perfectionis
Matth. 19. recta executio. Qui enim potest, inquit, capere, capiat. &, Si vis perfectus esse, vende quæ
Matth. 6. habes. &c. Quando ieiunas. Hæc fiunt non ex lege, sed ex libera animi voluntate. Illa autem lege statuit, quæ ab initio quando est naturam fabricatus, in ea inscripsit.

Vt duos condat in seipso, in vnum nouum hominem faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso.

Interfecit inimicitias in cruce, ab omni reprehensione aliena oblata hostia. Reconciliauit autem vtrosque, nempe eos qui erant ex gentibus, & eos qui ex Iudæis in vno corpore, quod pro omnibus oblatum est, vt ipsi essent vnum corpus. Omnes autem credentes vocauit vnũ hominem, quoniam omnium quidem vnum est caput Christus Dominus: corporis autem locum obtinent qui salute digni sunt habiti.

Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longe fuistis: & pacem ijs qui prope.

Longe dicit gentes: prope autem Iudæos.

Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem.

Hoc est simile ijs quæ dicta sunt à Domino. Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ipse nos, inquit, adduxit ad Patrem. Adduxit autem, spiritali gratia dignatus.

Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei.

Sanctos hic dicit non eos solum qui sunt gratiæ, sed eos qui fuerunt in lege, & ante legem. Nam etiam de Abraham dixit idem Apostolus quòd suscepit ciuitatem quæ habet fundamenta, cuius est Deus opifex & creator. Maximam, inquit, dignitatem assecuti estis, Deo quidem familiaritate coniuncti sanctorum autem conciues effecti.

Superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum.

Prophetas hic dicit non prophetas noui testamenti, sed prophetas veteris. Præposuit autem Apostolos, quoniam prædicationem per illos accepimus.

Ipso summo angulari lapide Iesu Christo.

Quemadmodum dixit ipsum esse caput corporis, ita eum vocat ædificij summum angularem lapidem. Duos enim muros coniungit, & eos qui ex Iudæis, & gentibus crediderant vnit instar anguli.

In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculo Dei in spiritu sancto. Sancto, non est in Græco.

In ijs quæ antè interpretati sumus Dei plenitudinem appellauit ecclesiam: & hic etiam templum & habitaculum. Illorum autem & horum coniunctionem facit angulus, ædificationem autem gratia spiritus, diuinas doctrinas afferens per prædicatores veritatis.

CAP. III.

HVius rei gratia ego Paulus vinctus Christi Iesu, pro vobis gentibus. Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis, quoniam secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentũ, sicut suprà scripsi in breui: prout potestis legẽtes intelligere prudentiã meã in mysterio Christi.

Vult quidem dicere, quòd cùm scirem hanc vestram vocationẽ, & exacte cognoscerem & quinam, & quomodo vocati, & propter quænam vocati estis, oro Deum vniuersorum vt vos fide confirmet, & quæ ex ea oritur vobis salutem præbeat. Plurima autem interiecit, significans beneficij magnitudinem. Narrat autem etiam quomodo fuit vocatus, & quomodo diuinam accepit gratiã, & quòd gentium prædicationi præfectus est, docens quòd sibi vel maximè conuenit prædicare, & quòd non inuadit in aliena, sed ea quæ sibi iussa sunt exequitur. Illud autem, Antè scripsi paucis, non vt nonnulli existimarunt, alteram scripsit epistolam. Neque enim de ijs quæ ad seipsum pertinent dixit, illud, Antè scripsi, sed de mysterio. Hoc enim dixit. Per reuelationem notum factum est mihi mysterium, sicut prius scripsi paulo antè, hoc est, de quo nunc scripsi. De eo enim scripsit ab exordio vsque ad hunc locum. De eo autem dicit etiam in his quæ sequuntur.

Quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & prophetis in spiritu.

Antiquis quidem prophetis notum fuit, sed non sicut nunc. Non enim res videbant, sed de rebus antè scribebant. Ita etiam dixit Luc. 10.
Dominus in sacris Euangelijs. Multi prophetæ, & Reges, & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt. Nunc autem primis reuelauit Apostolis. Deinde prophetis. Multi enim tempore Apostolorum propheticam gratiam acceperunt. Quid autem reuelauit?

Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes

participes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium. Cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis eius.

Quoniam fideles vnum corpus esse dixit, dicit fore vt gentes sint eiusdem simul corporis, & quoniam hæreditas existimata fuerat Iudæorum, gentes rursus nominauit cohæredes, & cùm Iudei arbitrarentur suas esse solum promissiones, hoc enim dixit etiam in
Roman. 9. epistola ad Romanos, Quorum sunt promissiones; rursus vocauit gentes, pmissonis comparticipes. Hęc autem, inquit, acceperunt per Euangelium, cuius ego prædicator & minister per ineffabilem eius qui me vocauit beneficentiam, & inenarrabilem eius potentiam. Dicit autem etiam quanam de causa meminit potentiæ.

Mihi enim sanctorum omniũ minimo data est gratia hæc, in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.

In me vim suæ potentiæ ostendit, qui cùm essem indignus me vocauerit, & mihi gentes docendas crediderit. Porrò autem Eunomij os impudens apertè obstruxit, dum Christi imperuestigabiles diuitias appellauit. Ille enim dicens patrem creatorem filij, dixit patris substantiam eius substantiam comprehendisse. Diuinus autem Apostolus nõ solum diuinam Christi naturam, sed etiam diuitias dicit imperuestigabiles. Et quomodo prędicas, si sunt diuitiæ imperuestigabiles? Hoc enim ipsum, inquit, prædico, quòd sunt imperuestigabiles. Hoc enim subiungit.

Et illuminare omnes quæ sit dispẽsatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo qui omnia creauit.

Non inuestigo ea quæ inuestigari non possunt, sed quod nunc reuelatum est mysterium doceo eos qui nesciunt. Olim enim erat id occultum, & soli Deo cognitum, qui omnia fecit vnà secum operante vsus filio.

Vt innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapiẽtia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.

Nam nec potestates quidem quæ sub aspectum non cadunt, sciebant mysterium, sed per dispensationem quæ est in ecclesia, ineffabilem Dei sapientiam didicerunt. Secundum præfinitionem autem sæculorum dicit, pro eo quod est, Hęc ante sęcula proposuerat, fecit autem per dispensationem quæ fuit in Christo Domino.

In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius.

Ipsi enim credentes, per ipsum ad Deum & patrem adducti sumus.

Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.

Rogo ergo vt diuinum auxilium assequar, vt fortiter feram quæ molesta & difficilia accidunt propter vestram salutem. Mea enim in his fortitudo & tolerantia vestra est gloria. Cùm hęc omnia in medio interiecisset, reuertitur ad precationem, & dicit.

Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.

Propriè pater, & verè pater Deus. Non enim fuit primus filius, deinde pater, sed semper pater est, & natura pater, alij autem patres, siue sint corporales, siue spiritales, è superis traxerunt appellationem. Dicit autem in terra patres eos qui sunt patres natura, cœlestes autem patres, vocat spiritales. Talis erat diuinus Apostolus. Idque nos docuit, scribens ad Corinthios. Etsi enim decem millia prædagogo- 1. Cor. 4.
rum habetis in Christo, sed non multos patres: In Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui. Dicit ergo. Rogans & obsecrans flecto genua mea, & supplico patri Domini nostri Iesu Christi, qui verè est pater, qui non ab alio hoc accepit, sed ipse alijs impertijt. Quid autem postulas?

Vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtutẽ corroborari per spiritum eius in interiori homine Christum inhabitare.

Habet diuitias ineffabiles & immensam potentiam. Peto ergo vt vos hoc consequamini, vt per gratiam spiritus vestræ animæ sint habitaculum Christi qui vos seruauit: Deinde eos docet etiam quænam conferre oporteat ad huius templi constructionem.

Per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati.

Fide enim & charitate opus est, vt vos in his germinetis, firmitatem & constantiã veluti quandam basim, & radicem habentes.

Vt possitis cõprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profunditas, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Fieri potest vt per fidem & charitatem spiritalem gratiam assequamur, & per eam ediscamus dispensationis quæ fuit magnitudinem. Per longitudinem enim & latitudinem profunditatem & altitudinem declarauit magnitudinem: quandoquidem ex eis significatur magnitudo. Illud autem, Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei, ꝓ eo quod est, Vt ipsum perfectò inhabitantem suscipiatis. Deinde eam orationis partem, in qua de dogmatibus seu decretis agitur absoluit Deum glorificando.

Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secũdum virtutem quæ operatur in nobis: ipsi gloria in ecclesia, & in Christo Iesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

Laudo autem eum quod & vult & potest, & dat plura quàm petimus. Ipsum autem etiam ab hominibus laudari conuenit tam in pręsenti vita quàm in futura. Postquam diuini beneficij diuitias sic ostendit, hortatur ad species virtutis.

CAP. IIII.

OBsecro itaque vos ego vinctus in Domino.

Vinculorum mentio sufficit ad incitandum

dum ad virtutem vel eos qui sunt planè stupidi, & nullo sensu prediti. Propter vos, inquit, his sum constrictus. Si nollem enim predicare, ab his essem omnino liberatus. Aequum est autem diuinũ Apostolum etiam in his admirari, quòd de vinculis quę pro Christo susceperat magis se iactat & gloriatur quàm Rex de diademate. Quid autem obsecras?

Vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis.

Vitæ institutionem vestræ vocationi conuenientem suscipiatis: Nec diuino beneficio scelerata ac nefaria vita iniuriam faciatis. Et quoniam gratias spiritales habentes, & miracula faciebant, & linguis diuersis loquebantur, & operatione prophetica fruebantur, ea autem satis erant ad hoc vt intumescerent, & de se nimis elatè sentirent, de eo primum affert adhortationem.

Cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

Vnam estis consecuti gratiam, fons vnus diuersos emittit riuulos. Humilitate ergo & mansuetudine vtentes, vos inuicem tolerate, & ex lege dilectionis seruate pacis vinculum.

Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.

Vnum spiritum accepistis, vnum corpus effecti estis. Vna spes vobis data est resurrectionis & regni cœlorum.

Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui super omnes & per omnia, & in omnibus nobis.

Posuit vbique vnum, & vnus, coniungens ecclesiam. vnum, inquit, Dominum habemus, vnum baptismum accepimus, vnam fidem attulimus, vnus omnium nostrum Deus est & pater; conuenit ergo vt inter vos, tanquam inter fratres, habeatis concordiam. Atque, super omnes quidem, significat dominium. Per omnes autem prouidentiam. In omnibus verò inhabitationem.

Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.

Hic eos consolatur, qui quę videbantur esse minora dona acceperãt: & ostendit Dominum Christum ea dispertijsse, propemodum dicens, Ne ægrè feratis. Ipse enim ita vt nouit, vnicuique gratiam dimensus est. Prophetico quoque testimonio id quod dicit confirmat.

Psal. 67. *Propter quod dicit. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.*

Psalmus quidem dicit, accepit dona in hominibus. Ipse autem posuit illud, Dedit. Vtraque autem facta sunt. Accipiens enim fidẽ, reddit gratiam. Pulchrè autem & admodum accuratè posuit propheta illud, Captiuam duxit captiuitatem. Neque enim nos, cùm liberi essemus, abduxit in captiuitatem, sed cùm ipse nos contrà in captiuitatem redegisset, libertate donauit. Deinde interpretatur ascensum.

Quod autem ascendit, quid est, nisi quod & descendit primum in inferiores partes terræ.

Ascensus significat descensum. Cùm enim prius descendisset, & nostram salutem procurasset, deinde rursus ascendit. Inferiores enim terræ partes mortem vocauit. Etenim ita etiam dicit propheta. Posuerunt me in lacu inferiori. Et rursus. Et substantia mea in inferioribus terræ. Psal. 67. & 138.

Qui descendit ipse est & qui ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia.

Non enim alius descendit, & alius ascendit, sed vt paucis dicam, aliter descendit, & aliter ascendit. Cùm enim descendisset incorporeus, ascendit cum corpore. Descensus autem non significat aliquam à loco ad locum transitionem, sed docet dispensationis magnitudinem, quòd cùm esset altissimus, se adeo abiecerit, & tantam humilitatem sustinuerit.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad cõsummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.

Erant illo tempore, vt sæpe dixi, qui propheticam gratiam acceperãt. Quinetiam meminit Actuum historia Agabi prophetæ, & aliorum qui prophetabant Antiochiæ, in quibus erat etiam ipse diuinus Apostolus, erant & Euangelistæ. Ex his erat etiam beatus Philippus vnus ex septem. Pastores autem & doctores eos dicit qui in ciuitate & in pago erant deputati & segregati. Qua de causa posuit eos post Euangelistas, quoniam illi obeuntes prędicabant. Hæc autem dona dedit ad ędificationem & vtilitatem credentium, eos enim appellauit corpus Christi.

Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Perfectionem autem in vita futura consequemur. In præsenti ergo Apostolorum, & prophetarum, & doctorum auxilio opus habemus.

Vt iam non simus amplius paruuli, fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia, ad circunuentionem erroris.

Puerorum propria est leuitas & animi subita mutatio. Tales, inquit, eramus ante vocationem, vt qui huc & illuc instar fluctuum impelleremur, & ijs qui nos decipiebant crederemus. κυβεία autem appellauit versutiã seu calliditatem. A verbo autem κυβεύειν quod significat ludere tesseris, hoc nomẽ finxit. Proprium est autem eorum qui ludunt tesseris, vt huc & illuc calculos transferant, & callidè hoc faciant. Insidias autem erroris vocauit machinationem. Neque enim Diabolus iubet apertè adulterari: sed vel per oculos inescat, vel per aures demulcet, nec iubet apertè Deum negare, sed efficit vt augurijs, aut sortibus, aut amuletis vtamur.

Veritatem autem faciẽtes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. Veritatem facientes, non est in Græco. Tertio.

Hoc etiam dixit in epistola ad Corinthios. In charitate non ficta, ita etiam hic iubet veram habere charitatem, & per eam augere diuitias 2. Corin. 6.

Ioan. 15. uitias virtutis in ipso Domino. Omnis enim inquit, palmes in me non ferens fructum, tollitur, & in ignem mittitur: & quoniam eum rursus caput nominauit, ostendit quot bona à capite suppeditentur.

Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vnius cuiusq; membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

Quemadmodum, inquit, caput omnibus membris corporis suppeditat operationẽ sensus: sentiendi enim facultatis fons est cerebrum, ita etiam Christus Dominus obtinens locum capitis, dispertit dona spiritus, in vnã iuncturam ac compagem coniungens membra corporis. Tactum autem sensum appellauit, quandoquidem ipse quoque vnus est ex quinque sensibus, & totum ex parte denominauit.

Hoc igitur dico, & testificor in Domino.

Rursus redit ad exordiũ suasionis, & Domini memoriam vocat in testimonium. Teste, inquit, Domino hæc dico. Quid ergo testificatur?

Vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant.

Reliquas gentes dicit eas quę nondum crediderunt. Quomodo autem illæ ambulant?

In vanitate sensus sui.

Impijs vtentes cogitationibus, ea quæ non sunt in Deos referentes.

Tenebris obscuratum habentes intellectum.

Dei ignorationem appellauit tenebras. Deinde etiam arguit vitæ iniquitatem.

Alienati à vita Dei.

Vitam Dei appellauit vitam, quæ est ex virtute. Dicit etiam causam iniquitatis.

Per ignorationem quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum.

Psal. 13. Ita etiam dicit Dauid propheta. Dixit insipiens in corde suo, nõ est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis. Cordis autem cæcitatem vocauit extremum stuporem. Nam quę insunt in corpore cęcitates nullum habent sensum, quoniam corpus est omnino mortuum. Hoc etiam dixit diuinus Apostolus. Subiungit enim.

Qui desperantes.

Hic est ponendum incisum.

Semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritia.

Primum iniquitate, deinde satietate laborarunt. Cùm in vitam enim improbam & sceleratam impegissent, paulatim stuporis & doloris sensus priuationis morbo laborauerunt. Deinde securè quoduis peccatum perpetrãt, flagitiosa vita vel plusquam ad satietatem vtentes. πλεονεξίαν enim, hoc est, plura habendi auiditatem, posuit pro immoderatione. Ex hoc loco intellexerimus & quod dictum Roman. 1. est in epistola ad Romanos. Tradidit eos Deus in reprobum sensum. Ita enim appellauit permissionem. Hic enim apertè docuit quòd seipsos libidini tradiderant.

Vos autem nõ ita didicistis Christum, si tamen illũ audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu.

Talis est disciplina impietatis. Christi verò disciplina est omnino contraria. Docet etiam quænam sit.

Deponere vos secundum pristinam conuersationẽ veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.

Veterem hominem non appellauit naturam, sed peccati operationem. Neque enim qui baptizatur deponit corpus, sed sordidum peccati indumentum. Nouum autem hominem vocauit eum qui ex lege Euangelica vitam instituit. Hominem autem & virtutem & vitium appellauit, quoniam vtrunq; fit ab hominibus. Spiritum autem mentis, dixit spiritalem mentis incitationem & motionem. Porrò autem dicit etiam quęnam sint propria noui hominis.

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra.

Est enim longè absurdissimum vt qui alterum alterius membra sumus, ea quę non sunt inter nos inuicem dicamus, hoc enim non est membrorum proprium. Oculi enim videntes præcipitia fossasque & voragines, ea pedibus significant vt declinent, & nõ totum corpus detrimento afficiant, & aures sonorũ sensum excipientes, eos oculis significant, nec mentiuntur alij sensus inter se inuicem, est enim mendacij damnum commune.

Irascimini.

Hic ponendum est incisum.

Et nolite peccare.

Et statuit, quæ sunt naturę commodera ta. Sciebat enim non semper rationem forti & generoso animo ferre motuum & perturbationum impetum. Iubet ergo vt iram soluant quàm citissimè. Hoc enim subiungit.

Sol non occidat super iracundiam vestram.

Iræ mensuram dedit mensuram diei. Veretur enim ne noctu quiescens cogitatio morbum augeat. Porrò autem nouit etiam Diaboli machinas. Vnde subiunxit.

Nolite locum dare Diabolo.

Postquam huic morbo conueniens medicamentum præbuit, transit ad alterum.

Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.

Quoniam enim otium hoc vitium prącipuè generat, ei merito opposuit bonam operationem. Est enim etiam mala operatio, eius species est furtũ. Iubet autem vt non solius ventris gratia operari aggrediantur, sed etiam vt ijs qui opus habent succurrant. Postquam affectiones manuum ita medicatus est, linguæ etiam morbo medetur.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.

Sermo putridus seu spurcus, turpis sermo, maledictum, calumnia, blasphemia, mendacium, & quæ sunt his similia.

Sed si quis bonus.

Atqui

Atqui eum etiam opportune iubet proferre. Hoc enim subiunxit.

Ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.

Gratiam autem vocauit iucunditatem, hoc est, vt sit acceptus ijs qui audiunt.

Et nolite contristare spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in die redemptionis.

Contristant autem spiritum sanctum contraria eorum quæ dicta sunt, & vita scelerata. Per sanctissimum autem diuinum spiritum Domini grex effecti sumus.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

Vniuersum huius affectionis examen radicitus euellere conuenit.

Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit nobis.

Quæ desunt vobis, & quæ in vobis desiderantur, inuicem toleranter ferte: & vniuersorum Deum imitamini, qui per Christum Dominum dedit nobis remissionem omnium delictorum.

CAP. V.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi.

Adoptionem accepistis, Deum patrem nominatis, imitamini ergo cognationem.

Et ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit vos, & tradidit semetipsum pro vobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.

Hic quoque ostendit Patris & Filij æqualitatem. Cùm enim Deum imitari iussisset, idem etiam præcepit de filio, & quemadmodum de patre dixit, eum nobis donasse: ita etiam de Christo, eum nos dilexisse, & seipsum pro nobis tradidisse. Nó enim necessitate adductus obedijt vt seruus aliquis, sed seipsum sua sponte pro nobis tradidit. Illud autem, Oblationem & hostiam in odorem suauitatis, clarum est eum dicere de corpore. Id enim cruci affixum est.

Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.

Quàm sint execranda quæ dicta sunt satis ostendit, cùm ipsas eorum appellationes è memoria amandare iusserit.

Aut turpitudo, aut stultiloquium: aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.

A piorum cœtu immoderatum etiam risum expellit, eum enim parit stultiloquium & dicacitas.

Hoc autem scitote, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Hoc ipsum dixit in epistola ad Corinthios. Idolorum autem cultum appellauit auaritiam conuenienter voci Dei Domini. Nemo enim, inquit, potest duobus Dominis seruire. &, Non potestis Deo seruire & mammonæ. Matth. 6.

Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei super filios diffidentiæ.

Quoniam enim qui Græca dogmata sequebantur, faciebant vnumquodque eorum, præcipit ne illis animum adhibeant, nempe quòd Dei iustitia improbitatis operarijs immineat.

Nolite ergo effici participes eorum.

Nempe eorum qui in impietatis seruitutem redacti sunt.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

Estis enim luce diuina illuminati.

Vt filij lucis ambulate.

Quoniam eos lucem appellauit, vera autem lux vocatus est Dominus, appellauit eos filios lucis.

Fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia, & veritate.

Qui est sancti Spiritus particeps, ferat fructus spiritus.

Probantes quid sit beneplacitum Deo.

Et rationis estis participes, & sanctissimi Spiritus gratiam accepistis, facile ergo poteritis dijudicare ac discernere quænam Domino placeant.

Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim occulto fiunt ab ipsis turpe est & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur lumen est.

Vocauit eos lucem, & filios lucis, lux autem ea arguit quæ celantur in tenebris. Eis itaque præcipit vt non solum fugiant eorum congressionem, sed eorum etiam improbitatem arguant.

Propter quod dicit. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

Nonnulla autem exemplaria habent ἐπιφαύσει σοι χριστός, id est, Illucescet tibi Christus, id autem eorum quæ dicta sunt consequentiæ maxime conuenit. Qui enim socordiam tanquam somnium deponit, Domini lucis radium suscipit. Sciendum est autem hoc non esse scripturæ testimonium, in diuina enim scriptura nusquam situm inuenimus. Nonnulli autem interpretes dixerunt eos qui spiritalem gratiam acceperant, aliquos psalmos composuisse: & diuinum Apostolum id innuere in epistola ad Corinthios. Vnusquisque vestrum habet psalmum. 2. Corinth. 4.

Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Malos dies non vocat ipsum tempus: Cuiusmodi enim improbitatem habuerit tempus? sed scelera & flagitia quæ in ipso perpetrátur. Et ideo dixit, redimentes tempus. Hoc est, Tempus non est vestrum. Inquilini enim estis, & viatores transeuntes. Quæ ergo vobis aduersa accidunt, ferte forti & generoso animo: & præsenti tempore rectè & vt oportet vtimini.

Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.

Est enim extremæ dementiæ non obseruare & colere Dominum qui te seruauit.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini

implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.

Damnosa ebrietate eiecta, in eius locum spiritalem reposuit. Hoc enim dixit, Implemini spiritu, pro eo quod est, Deum perpetuo laudantes, & apud seipsos versantes, & cogitationem semper excitantes. Corde enim canit, non solum qui mouet linguam, sed etiam qui mentem excitat ad eorum quæ dicuntur intelligentiam.

Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & patri.

Non enim oportet pro se tantum laudare Deum benefactorem, sed etiam pro omnibus qui beneficium acceperunt. Oportet autem hoc facere semper recordantes Christi qui nos seruauit.

Subiecti inuicem in timore Christi.

Non oportet enim eis subijci, qui vt improbè & sceleratè aliquid facia mus præcipiunt: sed ijs qui in pietate vitam agũt. Et quoniam de subiectione legẽ tulit communem, per species deinceps suadet quæ sunt conuenientia.

Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ. Ipse est saluator corporis eius.

Admodum sapienter posuit exemplum diuinus Apostolus. Sufficit enim ad efficiendum vt vxores maritos reuereantur, & ad maritis inducendam in vxores beneuolentiam.

Sed sicut ecclesia subiecta est Christo: ita & mulieres viris suis in omnibus.

Adiecit illud, In omnibus, vt qui pijs legem ferret. Quòd enim pijs legem ferat, exemplum indicat. Nullus autem pietatis alumnus ea quæ sunt sibi familiaria & necessitudine coniuncta Deo præfert.

Viri diligite vxores vestras: sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua.

Vitæ, non est in Græco.

Curam Domini imitamini, & quam ipse ostendit in ecclesiam, eandem vos coniugum gerite. Christus enim Dominus pro sua sponsa ne mori quidem recusauit, vt eam emundaret, & ei senium abraderet, & splendidam ab omnique labe & macula liberam efficeret. Oportet ergo vos quoque in eas eandem habere beneuolentiam: & tanquam propriorum corporum curam gerere. Illud autem, Mundans lauacro aquæ in verbo, pro eo quod est, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam.

Etsi aliquod membrum in aliquam morbum inciderit, non resecamus, sed ei medicinam adhibemus: ita, inquit, vos etiam oportet vxorum vestrarum curam gerere.

Sicut Christus ecclesiam.

Nutriens ipsam, & fouens, & ei suum dans corpus & sanguinem.

Quia membra sumus corporis eius: de carne eius, & de ossibus eius.

Sicut enim Eua ex Adam ficta est, ita nos ex Christo Domino. Cum eo enim in baptismo consepeli mur, & vnà cum eo resurgimus, & corpus eius comedimus, & sanguinem bibimus. Porrò autem nobis etiam in memoriam reuocat ea quæ de vxore dicta sunt.

Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne. Gene. 2.

Reuerere primam legem, quæ post mulieris creationem lata est, & in hominum natura est coalita. Qui enim matrimonium contrahit, ijs qui ipsum genuerunt relictis, vxori coniungitur, & tanta coniunctio efficitur vt duo vna caro existimentur. Huius autem rei testis est fructus matrimonij. Vnus enim puellus ex ambobus nascitur. Iam verò diuinus Apostolus cùm legisset legem matrimonij, ostendit eam quoque resplendere in spiritalibus nuptijs, & vociferatur.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & ecclesia.

Ipse enim superno patre relicto, coniunctus est ecclesiæ, relinquere autem visus est ratione susceptæ humanitatis, cùm vt Deus à Deo separari non posset, vt qui ipse etiam haberet naturam quæ non posset circumscribi.

Veruntamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat. Vxor autem timeat virum suum.

Non omnino, inquit, in Christum & ecclesiam nuptialem legem transtuli. Vos etenim legi subiecti estis, & oportet maritum quidem vxorem tanquam proprium amare, vxorem autem & amare & timere maritum. Hoc enim etiam lex diuina præcepit, Ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Gene. 3.

CAP. VI.

Filij obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim iustum est.

Hoc est ex lege Dei. Hoc enim subiunxit.

Honora patrem tuum, & matrem tuam quod est mandatum primum in promissione.

Sunt alia ante hoc præcepta, sed legislator non adiecit illis promissionem. Hic enim subiunxit.

Vt tibi bene sit, & sis longæuus super terram.

Ostendit diuinus Apostolus ea quidem cessasse quæ erant legis superuacanea, postquam adfuit legislator, sed quæ naturaliter præcepta fuerant, etiam post nouum testamentum vim suam obtinere.

Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.

Filijs præcepit vt obediant: Patribus vt educent, & molestia non afficiant, & præterea vt piè alant, & diuina edoceant.

Serui obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.

Seruis etiam leges necessario constituit. Omnia enim habet corpus ecclesiæ & maritos & vxores, & patres, & filios, & seruos, & dominos, & diuites & pauperes, & principes & subditos. Seruis ergo præcipit, vt cum eo quo par est timore dominis seruiant, & improbitatem animique malignitatem relinquant. Hoc enim dixit, in simplicitate cordis vestri. Adiecit autem, sicut Christo, eos consolans, & docens propositam esse mercedem ijs qui liberaliter & ingenuè seruiunt.

Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus.

Rursus dominis seruire cum beneuolentia, Domini seruitutem appellauit, eos consolari moliens. Ad oculum autem seruitutem appellat, quæ non ex sincero corde adhibetur, sed in speciem tantũ, cùm sit ficta & simulata. Ostendit etiam mercedẽ quæ eis proponitur.

Scientes quòd vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.

Ostendit dominium & seruitutem esse vita præsenti circunscriptam: sed postquam ab hac peregrinatione excesserimus, non futuram amplius seruitutis & dominij differentiam, sed virtutis & vitij.

Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas.

Iubet vt benignitate & mansuetudine in eos vtantur, & terrefacit.

Scientes quòd & illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.

Qualem vis in te esse Dominum, talem te exhibe in seruum. Dominus enim nescit domini & serui differentiam. Omnes enim ex æquo formauit. Iure autem est admirandus ordo suasionis. Primis enim maritis & vxoribus leges statuit. Liberorum enim procreationem præcedit matrimonium. Deinde filijs & parentibus. Liberorum enim susceptio est fructus matrimonij. Post partum enim ille quidem pater, hic verò filius nominatur. Vltimam autem seruorum & dominorum posuit coniugationem, ea enim ex euentu facta est: Illæ autem sunt naturæ priuilegijs honoratæ. Cùm illa ergo sic statuisset, ex diuisione rursus communem affert suasionem.

De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius.

Omnem timorem expellite. Dei potentiæ præsidio muniti.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.

Qui in bellis sensilibus sunt ductores exercitus, nec mulieres, nec pueros, nec eos qui sunt senio confecti armant. Domini autem Christi Imperator omnibus similiter regalem armaturam distribuit, & hostis artes & machinationes ostendit. μεθοδίας enim, hoc est insidias, artes vocat seu machinationes. Sæpe enim etiam per virtutis species vitium construit: & nonnunquam & ieiunio, & orationi, & egenorum subuentioni inanem gloriam admiscet. Quinetiam continentię arrogantiæ labem aspergit. Porrò autem ostendit etiam hostium multitudinem.

Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.

Erant ex bonis ordinibus mali Dæmones: sed propter improbitatem ab illo ordine exciderunt. Habent autem nunc quoque appellationes ad conuincendam eorum execrandam malitiam. Nominauit autem eos κοσμοκράτορας, hoc est, mundi principes, non quòd hunc à Deo principatum acceperint, sed quòd qui viuunt in socordia, sua sponte seruitutem amplectantur. Optimum autem Imperatorem imitatus est diuinus Apostolus, qui volens ab exercitu segnitiem & torporem exigere, exponit virtutem hostium. Iam verò ostendit etiam victoriæ emolumentum, vt alacriores milites efficiat. Dicit enim.

In cœlestibus.

Hoc est, De cœlestibus ordinibus contenditur. Prælij nobis præmium proponitur regnum cœlorum.

Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.

Diem malum vocat diem pugnæ, nomen ei imponens à Diabolo, qui in ea suam exercet operationem. Illo autem tempore apertè oppugnabantur, dum persecutionem paterentur, & torquerentur, & innumerabilia mortis genera subirent.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate.

Castigat primum cupiditatis insatiabilitatem. In lumbis enim siti sunt renes: In illis autem est cupiditatis operatio. Ita etiam dixit beatus Dauid deflens peccatum adulterij. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, pro eo quod est, non rectè vsus sum cupiditate naturæ. Ita etiam de Leui dixit diuinus Apostolus. Erat enim adhuc in lumbis patris quando ei occurrit Melchisedech. Iubet ergo lumbos veritate succingere, vt res veras & stabiles expetamus. *Psal. 37.* *Heb. 7.*

Et induti loricam iustitiæ.

Rationis facultas quæ est in corde, iustitiam conseruat & illustrat, vt nihil præter iustum cogitet.

Et calceati pedes in præparationẽ Euangelij pacis.

Ne ad sceleratas actiones pedes mouete: sed Euangelij cursum implete, vt laudem etiam propheticam suscipiatis. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Posuit autem pacem, quoniam belli etiam meminit, vt inter nos quidem inuicem & cum communi Domino pacem habeamus, cum solo autem Diabolo, & cum illius phalange in acie confligamus. *Psal. 18.*

In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela Nequissimi ignita extinguere.

Sit vobis fides loco clypei. Illa enim vobis efficit Deum auxiliatorem. Illa vobis belli præmia aperit, corũ qui vincunt renuntiationes, & coronas eorum qui se fortissimè gesserunt.

Hæc autem omnia extinguunt tela Maligni. Ea autem ignita appellauit, milites excitans, & iubens vt se rectè muniant.

Et galeam salutis assumite.

Ipse, inquit, Dominus Christus reget vestra capita, & salute veluti quadam galea muniet, vt quos infligunt hostes ictus non suscipiatis.

Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.

Gladium spiritus vocauit operationem spiritus. Operationem autem spiritus appellauit verbum Dei. Hoc autem dicit, quòd tanquam verbo diuinus spiritus nostram salutem procurat. Increpat enim homo spiritalis Diabolum, & aufugit. Hoc enim significant ea quæ consequuntur.

Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione.

Ii quibus bellum assidue imminet, non possunt dormire. Propterea diuinus etiam Apostolus iubet vigilare, & assiduè orare, & corporis laborem non remittere, sed hoc cum magna tolerantia facere. Præcipit autem vt non orent pro se solis, sed etiam pro omnibus qui sunt eiusdẽ fidei. Hoc enim subiũxit.

Pro omnibus sanctis.

Iam verò ostendit etiam suam humilitatem simul & insatiabilitatem. Simul enim & humilitatem ostendit, & auarè rapit, & dicit.

Et pro me.

Sed vbinam tibi opus est precatione?

Vt detur mihi sermo in apertione oris mei.

Vt quid dicas?

Cum fiducia notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam prout oportet me loqui.

Petite mihi audaciam, dicendi libertatem, & sermonis suppeditationem, vt ex lege diuina cursum impleam. Ostendit autem rursus catenam, eis animum addens, & docens non esse dolendum vel erubescendum in perpessionibus quæ suscipiuntur pro Domino, sed exultandum & gloriandum.

Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.

Tychicus erat Asianus: & hoc nos docuit B. Lucas in Actis. Cùm enim dixisset eos qui ex Thessalonica & Berrhœa secuti fuerant, subiũxit, Asiani autẽ Tychicus & Trophimus. *Act. 20.*

Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

Primam posuit pacem, adiecit autem charitatem, ostendens quòd ipsa illam efficit. Fidem autem coniunxit cum charitate, ex lege Euangelica præcipiens diligere. Ostendit tem eorum suppeditatorem, non solum Deum & Patrem, sed etiam Dominum Iesum Christum, & præter eos etiam sanctissimum Spiritum, subiunxit enim.

Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen.

Non enim simpliciter omnibus suppeditatur gratia, sed ijs qui Dominum diligunt, & nec ijs quidem simpliciter, sed ijs qui præter id quod amant, eius viuificas leges seruant: Eas nos quoque seruemus, & charitatem quæ est in ipsum inflammemus, vt simus Apostolicæ benedictionis participes, Gratia eius qui nos seruauit, Christi. Cum quo Patri gloria cum sanctissimo Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Epistola ad Ephesios scripta est Romæ per Tychicum.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD PHILIPPENSES.

DIVINVS Apostolus qui à diuina gratia regebatur, à Troade quidem venit in Macedoniam: ad primos autem Philippenses diuinum attulit Euangelium: porrò autem prædicationem quoque confirmauit miraculis. Illic enim Dæmonem falsa vaticinantem à quadam puella exegit. Illic cùm in carcere esset, & manibus & pedibus esset vinctus, tota nocte Deum assidue laudauit. Ille verò laudatus, carcerem quidem concussit, omnes autem vinctos vinculis exuit. Per quandam autem lucem splendidissimam suum aduentum significauit. Hæc carceris custodem incitarunt vt ad salutem accurreret. Tota quoque eius domus vnà cum eo accepit lumen diuinæ cognitionis. Ante eos autem Porphyropolis in eius se sagenam induit. Euaserunt ergo Philippenses ardentes pietatis amatores. Magnæ autem eorum ad res diuinas alacritatis fuit argumentum, quòd non solum diuinum Apostolum præsentem obseruarent, sed etiam Thessalonicam & Corinthum pecuniam miserint, vt eius corpori prospicerent. Hoc ipsum autem etiam fecerunt, quando Romam peruenit. Beatum enim Epaphroditum, cui eorum animarum erat cura credita, in maximam illam vrbem miserunt, Neronis fe- Act. 16.

ritatem minimè pertimescentes. Per eum hanc scripsit epistolam, & eorum charitatis alacritatem animique promptitudinem gratè excipiens, & ea quæ conuenit suadens. Maximè autem eis præcipit fugere deceptionem eorum, qui ex Iudæis quidem crediderant, legem autem conabantur defendere, & prædicationem salutarem corrumpere.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO EPISTOLAE AD PHILIPPENSES.

PAVLVS & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus, gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Διακόνοις. diaconis.

Mittit simul ad omnes, tam eos qui Sacerdotium acceperant, quàm eos qui ab ipsis pascebantur. Sanctos enim eos vocat qui baptismo dignati fuerant, Episcopos verò appellat presbyteros. Vtrunque enim nomen habebant illo tempore. Et id nos etiam docet historia Actuum. Cùm enim dixisset beatus Lucas diuinum Apostolum Ephesiorum presbyteros accersiuisse Miletum, ea etiam dicit quæ ijs dicta fuerunt. Attendite enim, inquit, vobis ipsis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit spiritus sanctus Episcopos pascere ecclesiam Christi. & eosdem nominauit presbyteros & Episcopos. Ita etiam in epistola ad beatum Titum. Ideo reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros, vt ego tibi disposui. Et cùm dixisset quales esse oportet eos qui ordinantur, subiunxit. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. Quinetiam hic quoque hoc ostendit. Episcopis enim coniunxit Diaconos, cùm de presbyteris nullam fecisset mentionem. Alioqui nec fieri quidem poterat vt multi Episcopi essent vnius ciuitatis pastores. Quo fit vt essent scilicet presbyteri, quos nominauit Episcopos. Beatum autem Epaphroditum in hac epistola nominanit eorum Apostolum. Vestrum enim inquit, Apostolum, & necessitatis meæ adiutorem. Apertè ergo docuit Episcopalem dispensationem ei fuisse creditam, cùm haberet appellationem Apostoli.

Act. 20.

Tit. 1.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Euangelio Christi, à primo die vsque nunc.

Assiduè vestri recordans, omni lætitia repleor, vniuersorum autem Deũ laudo, quòd & Euangelij prædicatiouem promptè acceperitis, & in hodiernum vsque diem firmi & illabefactati permanseritis: Euangelij autem communionem fidem vocauit.

Confidens hoc ipsum quòd qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.

Credo autem eum qui hanc vobis dedit bonam animi promptitudinem, eam integram conseruaturum vsque ad aduentum nostri Seruatoris.

Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij, cùm socij gaudij mei omnes vos sitis.

Hoc autem vobis debeo, quia fui vester plantator, ea de causa vestri memoriam quæ extinguì non potest circunfero, etiam in carcerem coniectus, & vinctus, & pro prædicatione defensionem suscipiens. Euangelij autem confirmationẽ appellauit perpessiones. Qui enim aggrediuntur decipere, pro temporibus mutantur: nec falsum defendere ad mortem vsque sustinent. Qui autem pro prædicatione vel innumerabilia pericula suscipit, & in eisdem persistit, apertè ostendit se vera afferre & doctrinam confirmat perpessionibus. Eos autem valde laudauit, vt qui gratiæ socios & participes appellarit. Gratiam autem vocauit perpessiones. Hoc enim docet etiam in ijs quæ consequuntur. Quod vobis largitus est non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro eo patiamini.

Testis enim mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.

Non est humanus amor, sed spiritalis. Iesu Christi enim viscera, spiritalem appellauit beneuolentiam.

Et hoc oro vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu, vt probetis potiora.

Precor vt vestra charitas semper incrementum suscipiat, & impleamini cognitione, & discretione, & cognoscatis quænam sint quidem honesta, quænam verò præstantiora, & quænam sint quæ inter se inuicem omnino differant. Et hic illos deceptores innuit, & per precationem eos docet quid sit agendum, vt cognoscant quæ sit vera quidem doctrina, & quænam autem sit veritate priuata.

Vt sitis

Vt sitis sincere, & sine offensa in diem Christo, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei.

His enim donis fruentes, sinceram quidem fidem seruastis, Deo fructum iustitiæ offerentes, & efficientes vt ipse laudaretur ab omnibus. Hoc enim dixit, In gloriam & laudem Dei. Docet autem etiam ad eorum vtilitatem ea quæ Romæ facta sunt.

Scire autem volo vos fratres, quod quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & cæteris omnibus.

Quoniam beatum Epaphroditum admodum anxij & soliciti miserant, eos consolatur, docens quòd sibi iniecta vincula multis salutem conciliarunt. Profectum enim Euangelij vocauit multitudinem credentium. Manifestata est autem, inquit, eorum causa omnibus qui erant in regia. Regiam enim appellauit prætorium. Verisimile est autem illam eo tempore sic fuisse appellatam, erat enim imperium penes Romanos.

Et plures è fratribus in Domino confidentes in vinculis meis abundantes auderent sine timore verbum Dei loqui.

Multis etiam ex fratribus addita est ex meis vinculis audacia. Cùm enim viderent me etiam cum lætitia ferre ea quæ sunt molesta & difficilia, intrepidè diuinum prædicant Euangelium.

Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant.

Sed non est omnium vnus scopus & institutum. Alij enim hoc faciunt, vt qui pietati vehementer studeant. Alij autem propter suam in me maleuolentiam, ea ratione conantur mihi maiora creare pericula. Hoc enim docet in ijs quæ consequuntur.

Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincerè: existimantes præsturam se suscitare vinculis meis.

Quia enim videbant eos qui impietati seruiunt, Euangelij cursum valde ægrè ferre, & diuinum Paulum esse eorum causam existimare, nonnulli vt eos adiram incitarent, forum impudenter obeuntes Christum prædicabant, non eorum qui audiebant salutis curam gerentes, sed Apostolo pericula creantes.

Quidam ex charitate, scientes quòd in defensionem Euangelij positus sum.

Alij autem, inquit, sincere prædicant, meis fidentes vinculis, apertè scientes quòd Dominus Deus me Euangelij prædicatorem elegerit.

Quid enim, dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntiatur.

Vel inuiti, inquit, veritatis hostes veritatem adiuuant. Quidam stulti existimarunt hæc esse dicta de hæretibus. Atqui oportebat eos animaduertere Paulum non præcipiendo sed narrando hoc posuisse. Non enim dixit, Annuntientur, sed annuntiatur, & illos quidem accusauit, non quòd mala docerent, sed quòd bona quidem, sed non benè: nec scopum pietatis sed extremæ maleuolentiæ sibi proposuerint. Quòd autem apertè hæreticos accuset, facile est ei qui velit scire: Aliquando enim in Phygelum & Hermogenem inuehitur, aliquando autem in Hymenæum & Philætum, & hæreticum hominem post primam & secundam admonitionẽ vitari iubet. Sed nos reuertamur ad interpretationẽ.

2. Timot. 1.

2. Tim. 2.

Tit. 3.

Et in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim quòd hoc mihi proueniet ad salutem, per vestram orationem & subministrationem spiritus Iesu Christi, secundum expectationem & spem meam quòd in nullo confundar.

Ego autem, inquit, lætor, dum video veritatem vel aduersariorum testimonio confirmari. Etenim quæ ex ijs oriuntur pericula, ea mihi salutem conciliant, vestris scilicet orationibus adiuuantibus, & diuino spiritu mihi gratiam suppeditante. Ea enim fretus, scio me ea quæ sunt molesta & difficilia superaturum. Hoc enim dicit. Pudore non afficiar. Spiritum autem Iesu appellauit gratiam spiritus, quoniam ipse eã illis suppeditauit. Nam vt dixit diuinus Ioannes, De plenitudine eius nos omnes accepimus.

Ioan. 1.

Sed in omni fiducia, sicut semper & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.

Illud enim, Magnificabitur, dixit, pro eo quod est, Ostendetur quisnam sit, aperta euadet eius potentiæ magnitudo. Dicit autem, Etsi mortis euasero periculum, & si mortem subiero, Domini Christi potentia similiter ostendetur. Si enim pericula superauero, omnes admirabuntur eum qui me ex talibus, & tantis laqueis eripuerit. Sin autem etiam fuerim interemptus, omnes admirabuntur virtutem prædicationis, quæ efficit vt prædicatores vel mortem ipsam contemnant.

Mihi enim viuere Christus, & mori lucrum.

Sunt, inquit, vtraque mihi conducibilia, & vita, & mors. Nam & vitam Christi legibus exorno, & mortem propter ipsum lubenter suscipio.

Quòd si viuere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. Coartor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos.

Vitæ me tenet desiderium, vt vobis prosim: & mortis, vt vnà cũ Christo versor. Difficilis ergo est optio, quandoquidem & vitæ noui lucrum, & ex hoc loco discessus ineffabilem voluptatem. Est autem iure admirandus diuinus Apostolus, quòd vitam cum multis laboribus & periculis, hominum salutis causa prætulerit.

Et hoc confidens, scio quòd manebo & permanebo cum omnibus vobis ad profectum vestrum & gaudium fidei, vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad vos.

Scio fore vt propositum periculum euadam, ita vt vos & vtilitate & gaudio impleamini,

mini, vt quibus id quod desiderabatis obtigerit, & id quod prædixit euentum sortitum
Act. 28. est. Primo enim iram Neronis euasit. Et id significauit in literis quas scripsit ad beatum
2. Timoth. 4. Timotheum. Ita autem dicit. In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me reliquerunt. Ne ijs imputetur. Dominus autem mihi adstitit, & me confirmauit, & liberatus sum ab ore leonis. Actuum etiam nos docuit historia, quòd duobus annis primum Romæ per se degit per se habitans in suo conducto. Cùm autem illinc profectus esset in Hispaniam, & illis etiam diuinum Euangelium tradidisset, reuersus est, & tunc fuit truncatus capite. Cùm hęc de se ita narrasset, conuertit orationem ad exhortandum.

Tantum dignè Euangelio Christi conuersamini: vt siue dum venero, & videro vos, siue absens, audiam de vobis quod statis in vno spiritu, vnanimes collaborantes fidei Euangelij, & in nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis.

Hortor ergo vos vt Euangelio conuenientem vitam amplectamini, vt siue ad vos accessero, siue alibi egero, vestris lætor laudibus. Me autem lætitia afficit vestra concordia, & in diuinis rebus consensio, & communis vestra pro veritate decertatio, & quod ab aduersarijs nullo modo terreamini. Id enim illis quidem exitium, vobis autem salutem conciliat. Sciendum est autem eum hęc non scripsisse temere, sed cùm resciuisset virtutis magnitudinem nonnullis magnos spiritus facere. Qua de causa eis suasit concordiam & consensionem. Præterea autem illud est etiam animaduertendum quòd non indefinitè eis suum est aduentum pollicitus, sed definitionem quandam seu distinctionem adiecit promissioni. Ita enim dixit, vt siue dum venero & videro vos, siue absens, audiam de vobis.

Et hoc à Deo. Quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc auditis de me.

Dona Dei vocauit, & credidisse, & splendidè decertasse, non liberum & spontaneum tollens animi arbitrium, sed docens quòd ipsa per se mens aut voluntas gratia destituta nihil potest rectè & ex virtute facere. Vtrisq; enim opus est, nempe & nostra animi promptitudine, & diuino auxilio. Neque enim ijs qui non sunt prompto & alacri animo sufficit gratia spiritus, nec rursus animi prompta voluntas, si sit gratia destituta, potest virtutis diuitias colligere.

CAP. II.

SI qua ergo consolatio in Christo: si quod solatium charitatis: si qua societas spiritus: si qua viscera miserationis, implete gaudium meum.

Sunt verba paternæ beneuolentiæ. Si vultis, inquit, mihi afferre aliquam consolationem, si aliquod dilectionis solatium, vos per hoc id prębete. Dicit aũt etiam ea quę petit.

Vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes. nihil per contentionẽ, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi inuicem existimantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed & ea quæ aliorum.

Per hæc omnia docuit vt sint modesti, nec de se immodicè sentiant. Qui hoc enim habuerit, vanę gloriæ laqueis non irretitur, non existimat se alio esse superiorem: contentionis vitium non admittit. Quoniam ergo, vt dixi, nonnulli propter ea quæ rectè & ex virtute fecerant, ingentes animos sustulerant, & de se nimis elatè sentiebant: eis conducibilem exhibet medicinam. Deinde ostendit etiam maximum exemplum humilitatis.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.

Imitamini eum qui est omnium Dominus.

Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit seruiformam accipiens.

Cùm enim esset Deus, & natura Deus, & Patri æqualis, non hoc magnum existimauit: hoc enim est proprium eorum qui præter dignitatem honorem aliquem sunt consecuti: sed celata dignitate summam accepit humilitatem, & humanam formam suscepit.

In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

De Deo verbo hæc dicit quòd cùm Deus esset, Deus non videbatur, vt qui humanam naturam induisset. Ei ergo conuenit illud, vt homo. Suscepta enim natura verè hoc erat: Ipse autem hoc non erat, sed hoc induerat.

Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis.

Non enim tanquam seruus impleuit iussum Domini: sed salutem pro nobis sponte suscepit: & obedijt vt filius, non vt seruus.

Propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen quod est supra omne nomen.

Vt stultissimis clarum est diuinam naturam nullius egere. Atqui cùm humanam naturam suscepisset, qui erat humilis, exaltatus est: & qui erat altissimus, seipsum humiliauit. Non ergo ea accepit quæ non prius habebat, sed accepit vt homo, quæ habebat vt Deus. Nomen autem quidam interpretati sunt
gloriam. Ego autem ex epistola ad Hebræos Heb. 2
inuenio aliam Apostolici dicti intelligentiam. Cùm enim dixisset, Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit; interpretatur nominis differentiam, & dicit: Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ille erit mihi in filium. Hic ergò hoc etiam dicit, quòd cùm seipsum humiliauit, non solum non perdidit quod habebat vt Deus: sed hoc etiam accepit vt homo.

Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Cœlestes appellat potestates quæ sub aspectum non cadunt. Terrestres autem, homi-

nes qui adhuc viuunt, καταχθονίους autem, hoc est eos qui sunt sub terris, illos qui sunt mortui.

Et omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Iesus Christus in gloriam est Dei patris.

Omnis lingua, pro eo quod est, Omnes gentes. Si autem confiteri Christum Dominum, Patrem gloria afficit: clarum est quòd qui eum creaturam & seruum appellant, ei qui illum genuit inurunt ignominiam. Omnem quidem certè hæresim per pauca hæc verba expugnauit diuinus Apostolus. Nam & eos qui vnigeniti diuinitatem blasphemãt, & qui eius humanitatem negant, & eos prętera qui hypostases seu personas confundunt, & Sabellium & Photinum, & Marcellum & Paulum Samosatenum, impios esse conuincit, ostendens duas personas. Dixit enim, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Nemo autem dicitur esse sibijpsi æqualis. Iam verò Arrium quoque & Eunomium per hęc verba blasphemare ostendit. Non enim dixit, Qui cùm in forma Dei factus esset, sed qui cùm in forma Dei esset. Et subiunxit. Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Est enim proprium eorum qui aliena rapiunt, se propter ea quæ habent iactare, & de se magnificè sentire. Deus autem verbum, cùm esset natura Deus; in Dei enim forma erat, & non rapinam arbitratus est quòd esset Deo æqualis: natura enim habuit eandem ęqualitatem. Sin autem Dei formam non dicunt esse Dei substantiam: interrogentur quid intelligant per seruiformam. Neque enim vt Marcion, Valentinus, & Manes, negant carnis assumptionem. Si ergo serui forma, est serui substantia: Dei ergo substantia, Dei quoque forma est. Ita ergo etiam eos interrogemus qui visionem seu apparitionem introducũt. Forma Dei est Dei substantia? Omnino fatebuntur. Non enim negant Deum esse Christum Dominum. Ergo ratiocinemur. Si ergo forma Dei est Dei substantia: Serui ergo substantia est forma serui, & inuenientur ij qui contraria sentiunt, per ea quæ confitebuntur, ea confirmare quę nolunt confiteri. Præter hęc autem, hoc quoque animaduertimus, quòd docens humilitatem diuinus Apostolus, attulit Christi exemplum. In humilitate enim, inquit, sibi inuicem superiores existimantes. Si autem non erat æqualis, sed minor patre filius, non per humilitatem obedijt: sed suo officio functus est. Sed de ijs alibi copiosè disseruimus. Ad ea ergo quæ proximè sequuntur interpretanda veniamus.

Itaque charissimi mei, sicut semper obedistis: non vt in præsentia mea tãtum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini.

Hoc, inquit, vobis exemplar proponentes, in mea absentia maius studium pro vestra salute adhibuistis. Hoc enim bonũ vestrum scopum & institutum ostendit, quòd non ꝓpter Doctoris gratiam, sed propter vestram ad ea quę honesta sunt animi alacritatem laude dignos labores suscepistis.

Deus est enim qui operatur in vobis et velle & perficere, pro bona voluntate.

Non quòd vel inuitos cogat, sed quòd animi promptitudinem & alacritatem inueniens, eam auget gratia. εὐδοκίαν autem, hoc est, beneplacitum, appellauit bonam Dei voluntatẽ. Vult autem omnes homines seruari, & ad veritatis venire cognitionem.

Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus.

Prompto & alacri animo ferte labores qui pro virtute suscipiuntur, quæ pro Euangelio adeuntur pericula, & molestias ac difficultates quæ tolerantur, æquo animo ferentes, nec diuersis quidem cogitationibus & rationibus vtentes. Vobis enim diuitias congregatis. Nemo enim maxima lucra colligens ęgrè fert, & murmurat. Iam verò ostendit etiam lucrum quod ex labore prouenit.

Vt sitis sine querela & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis praua & peruersa.

Ita etiam iussit Dominus eos esse simplices sicut columbas.

Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, ad gloriam meam in diem Christi.

Non vobis, inquit, exitium afferent qui vobiscum bellum gerunt. Instar enim luminarium in mundo lucebitis: & efficietis vt de vobis possim gloriari in aduentu Seruatoris. Illud autem, Verbum vitæ continentes, Græcè est ἐπέχοντες, pro eo quod est, Attendentes verbo vitæ. Ita enim dixit etiam scribens ad
Timotheum. Attende tibi ipsi & doctrinæ, vbi 2. Tim. 4.
idem etiam Græcum est verbum ἔπεχε. Verbum autem, seu sermonem vitæ, vocauit prædicationem, quandoquidem vitam æternam conciliat.

Quia non in vanum cucurri, neque in vacuum laboraui.

Glorior autem & hoc nomine mihi placeo, quòd non frustra pro vobis laborem & studium susceperim.

Sed etsi immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

Illud Vestræ, posuit pro Omnium, qui per ipsum crediderant. Pro vestra enim fide, tanquã hostia Deo oblata, lętor & delector. Conuenit autem vos quoque esse lætitiæ participes. Hęc autem dicit, eos consolans, & docens magnitudinem martyrij, quòd immolationis & sacrificij cuiusdam locum obtinet.

Spero autem in Domino Iesu Timotheum cito mittere ad vos: vt & ego bono animo sim cognitis quæ circa vos sunt. Neminem ego habeo tam vnanimem, qui sincera affectione pro vobis sit solicitus. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Experimentum autem eius cognoscitis, quia sicut patri filius mecum seruiuit in Euangelio.

Sunt quidem veræ laudes beati Timothei. Diuinus autem Apostolus nunc eis vsus est, &

ſuam in eum oſtẽdens affectionem, & eos adhortans, vt veritatis prędicatorem cum omni obſeruantia ſuſcipiant.

Hunc igitur ſpero mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me ſunt. Confido autem in Domino quòd & ipſe veniam ad vos citò.

Ne hic quidem ſuum aduẽtum eſt affirmatiuè pollicitus; ſed eum diuinæ reliquit prouidentiæ. Satis autem oſtẽdit ſe nondum prius periculum euaſiſſe. Hoc innuit, cùm dicit, Mox vbi videro quæ circa me ſunt. Ex ipſa, hoc eſt, ſi difficultates rectè fuerint expeditę.

Neceſſarium autem exiſtimaui, Epaphroditum fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos.

Multa de eo præclara dixit, vt qui non ſolum fratrem, ſed etiam cooperatorem, & commilitonem eum appellauerit. Eum autem vocauit Apoſtolum, vtpote cui eſſet eorum cura credita; vt clarum ſit ſub eo fuiſſe eos qui in principio dicti ſunt Epiſcopi, vtpote qui presbyterorum locum tenerent. Subminiſtratorem verò dixit eorũ quibus illi erat opus, vt qui pecunias ab iis miſſas attulerit: λειτουργὸν verò Græcè appellauit, hoc eſt publici muneris executorem, innuens eos illam ei debere ſubuentionem, non ſecus ac qui munera publica obeunt, debent collationes.

Quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mæſtus erat, propterea quòd audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus eſt vſq; ad mortem: ſed Deus miſertus eſt eius, non ſolum autem eius, verum etiam mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem.

Excuſat moram quæ fuerat paulò longior, & morbi qui eum inuaſerat magnitudinem indicat, & ſuam in Epaphroditum affectionẽ ſignificat, dicens ipſum & propter moram fuiſſe anxium, & propter eorum ſolicitudinem quam morbus eis attulerat. Illud autem, Miſertus eſt eius, ſignificat vehemens eius ſtudium in certaminibus: neque enim volebat ab hac triſti & calamitoſa vita diſcedere, propter lucrum quod ex ea ſciebat ,puenire. Mei autem, inquit, miſertus eſt, qui me cooperatore non deſtituerit.

Feſtinantius ergo miſi illum: vt viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiuſmodi cum honore habetote. quoniã propter opus Chriſti vſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam vt impleret id quod vobis deerat erga meum obſequium.

Maximum ſignificauit periculum, cùm dixit, Nullam vitæ rationem ducens. Etſi enim reſciuiſſet me eſſe in vinculis, & ſeruari à pluribus, ingreſſus tamen me vidit, contempto periculo. Pro vobis autem omnibus debitum exoluit. Quod omnes debetis ſolus fecit. Deinceps ſe confert ad eos accuſandos qui præcipiunt ſeruare ea quæ ſunt legis ſuperuacanea.

CAP. III.

DE cætero fratres mei gaudete in Domino.

Omni ſpiritali lætitia impleamini.

Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum: vobis autem neceſſarium.

Non ſcripſit aliam ad eos epiſtolam, ſed in ea multas eis dedit inſtitutiones.

Videte canes.

Canum propria eſt impudentia. Quoniam ergo ſæpe conuicti quòd prædicationem adulterarent & corrumperent, in ſua improbitate perſeuerabant, eos merito canes vocauit. Sed hoc erat olim nomen gentium. Non eſt enim, inquit Dominus, bonum accipere panem filiorum, & dare canibus, ſed cum rebus tranſlata ſunt nomina: & gentes quidem, filij: Iudæi autem vocantur canes.

Videte malos operarios.

Non enim ędificant, ſed ædificium diruere conantur.

Videte conciſionem.

Circuncisionem prædicantes, corpus etiã eccleſiæ excindere conantur.

Nos enim ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo: & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fiduciam habentes.

Hoc ipſum dixit etiam in epiſtola ad Romanos. Et circuncisio cordis in ſpiritu, non litera. Hoc ipſum Deus etiam prędcepit Iudęis per Prophetam. Circuncidamini præputio cordis veſtri duro. Roman. 2. Hierem. 4.

Quanquam & ego habeam confidentiam in carne.

Nemo autem me hæc dicere exiſtimet, vt qui ſim incircunciſus, & qui de circunciſione gloriari non poſsim.

Si quis alius videtur conſidere in carne: ego magis.

Rectè adiecit illud, Videtur. Neque enim carni merito confidiſſet. Deinde ſigillatim perſequitur ea quę ſunt inter Iudęos glorioſa & veneranda.

Circunciſus octauo die.

Non enim tanquam proſelytus & aduena accepi circunciſionem.

Ex genere Iſrael.

Nec verò natus ſum ex aduenis, ſed me ab Iſraele parente genus ducere glorior.

De tribu Beniamin.

Neq; verò ſum ex ſemiſeruis; ſed de libertate procreatus ſum ex dilecta Rachele, ,p qua Patriarcha ſeruijt.

Hebræus ex Hebræis.

Ad ipſam radicem redijt. Deinde quod ſequitur eſt voluntatis & inſtituti.

Secundum legem Phariſæus.

Hæc enim erat melior ſecta.

Secundum æmulationẽ perſequens eccleſiam Dei.

Non enim propter aliquam ambitionem, neque propter inanem gloriam: neq; inuidia motus, vt Iudæorum principes, ſed pro lege æmulatione percitus eccleſiam diripiebam.

Secundum iuſtitiam quæ in lege eſt conuerſatus ſine querela.

Oſtendit iuſtitiam legalem non eſſe perfectam. Qua de cauſa non dixit indefinitè, ſecundum iuſtitiam factus nulli reprehenſioni affinis: ſed adiecit, quæ eſt in lege. Cùm hæc ſic eſſet perſecutus, nequaquam propterea ſe iactat aut ſibi placet, & dicit.

Sed

Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.

Damnum vocauit ea quæ ſunt deteriora ſi conferantur cum potioribus. Superuacaneus enim eſt lychnus, ſi Sol apparuerit. Superuacaneus eſt Pædagogus ijs qui perfectam acceperunt ſapiẽtiam. Inutile autem eſt lac nutricis ijs qui ſolido cibo veſcuntur. Dicit autem hoc apertius.

Veruntamen exiſtimo omnia detrimentũ eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quæ omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucriſaciam.

Propter maiorem cognitionem, minorem damnum voco, & minora contemno propter ea quę ſunt preſtantiora, Non enim fugio tanquam mala: ſed maiora præfero, & accepto frumento paleam ſuperuacaneã exiſtimo. Grece enim συβαλον craſsior et durior palea, ſeu ariſta nominatur, ea autem fert frumentum, ſed poſtquam collectum eſt frumentum, ea ejicitur. Ita lex Chriſtum oſtendit: poſtquam autẽ is apparuit, ea eſt deinceps ſuperuacanea.

Vt & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia.

Quænam autem ea eſt?

In fide ad cognoſcendum illum & virtutem reſurrectionis eius.

Vt cognoſcam per fidem eſſe vniuerſorum Deum & effectorem, & noſtram ſuſcepiſſe naturam, vt noſtram ſalutem procuraret, & corpus quod accepit reſurrexiſſe, dum hoc agit vt ſit communis omnium hominum reſurrectio. Virtutem enim ſeu potentiam reſurrectionis, ſcopum ac inſtitutum reſurrectionis appellauit.

Et ſocietatem paſsionum illius configuratus morti eius, ſi quomodo occurram ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis.

Studium autem adhibeo vt ſim eius perpeſsionum ſocius, & ſalutarem eius mortem imiter: vt ſim etiam reſurrectionis particeps.

Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quomodo comprehendam: in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.

Ipſe me prior apprehenſum irretijt, eum enim fugiebam, & valde auerſabar. Ipſe autem apprehendit fugientem. Itaque ego quoque eum perſequor, eum cupiens apprehendere, ne à ſalute excidam.

Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe.

Hæc dicit eis qui de ſuis rectè factis gloriabantur & de ſe magnificè ſentiebant, eorum faſtum & arrogantiam deprimens.

Vnum autem quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum: ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſuperna vocationis Dei in Chriſto Ieſu.

Nonnulli illud, quę ſunt retro obliuiſcens, dixerunt dictum eſſe de vitæ ex lege inſtitutione: Ego autem exiſtimo eum hæc dixiſſe de laboribus prędicationis. Solet enim in digreſsiones excurrere, & ſuaſorijs dogmatica admiſcere. Dicit ergo: Priorum quidem laborum obliuiſcor, ad ea autem quæ ſunt interiora contendo. Vnus autem mihi ſcopus eſt & inſtitutum præmia propoſita conſequi, ea autem ſunt regnum cœlorum. Brauium autem appellauit præmium.

Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus, & ſi quid alter ſapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit.

Hæc de propoſitis præmijs nos ſentire oportet. Quòd ſi nõ perfectè ſcimus cuiuſmodi ea ſint, ſcire tamen conuenit Deum Agonothetam ea nobis eſſe oſtenſurum.

Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus, in eadem permaneamus regula.

Rurſus cum eis agit de concordia. Regulam autem appellauit prædicationem Euangelicam. Regula autem rectitudinis terminus nullo indigens. Eis ergo præcipit ne eos tolerent qui legalia Euangelio admiſcent. Deinde ſeipſum tanquam quoddam exemplar ,ponit.

Imitatores mei eſtote fratres.

Et oſtendens ſe habere multos huius inſtituti ſocios, ſubiunxit.

Et obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam nos.

Eos ſequimini, ſi eandem quam nos tradũt doctrinam.

Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autẽ & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum.

Eos crucis inimicos vocauit, vt qui docerent quòd ſine legali vitæ inſtitutione nõ poſſet quiſquam ſalutem conſequi. Ventrem autem Deum ipſorum vocauit, eorum taxans ingluuiem. Iudæi enim præcipuè delicati & lauti apparatus curam gerunt: & finem iuſtitiæ exiſtimant profuſum in Sabbato luxum: Qui ea gloriam exiſtimant, propter quæ magis oporteret pudore affici.

Qui terrena ſapiunt, noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem virtutis ſuæ, qua etiam poſſit ſubijcere ſibi omnia.

Illi ergo terræ quidem affixi ſunt, nos autem cœlum animo verſantes, & illinc aduentum Domini expectamus. Ipſe enim corpus noſtrum à corruptione & interitu liberatum, immortalitate exornabit. Dedit autem nobis huius ſpei pignus, proprio corpore ſuſcitato, eoque gloria repleto. Illud autem, Tranſfigurabit, poſuit non pro mutatione figuræ, ſed pro liberatione ab interitu & corruptione. Conforme autem corpori gloriæ eius noſtrum corpus effectum eſſe dicit, non quo ad gloriæ quantitatem, ſed quo ad qualitatem. Erit enim ipſum quoque luminoſum. Hęc autem faciet, vt qui potentiam habeat ineffabilem, & mortem & interitum facile de medio tollat, & noſtra corpora ad immortalitatem tranſmutet, & efficiat vt omnes ad ipſum reſpiciant.

CAP.

CAP. IIII.

ITaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino charissimi.

Cum magna laude coniuncta est adhortatio. Propter vos enim, inquit, mihi placeo, propter vos clarus & illustris euado.

Euodiam rogo & Syntychem deprecor, idipsum sapere in Domino.

Mulieres quidem admiratur, sed innuit esse aliquid inter eos exortum contentionis.

Etiam rogo & te germane compar, adiuua illas quæ mecum laborauerũt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

Maxima laus mulierum. Vocat enim eas socias laborum, quos pro Euangelio suscepe-
rat. Comparem autem seu coniugem nonnul
li stultè existimarunt esse vxorem Apostoli,
non attendentes ea quæ scripta erant in epi-
1.Cor.9. stola ad Corinthios, quòd scilicet se retule-
rit in numerum cœlibum. Dico enim ijs qui
matrimonio iuncti non sunt, & viduis. Bo-
num est eis si maneant sicut ego. Et clarum
quidem est quòd siue esset cœlebs, hoc est
qui nunquam duxisset vxorem, siue viduus,
vxorem non habebat, vxorem autem nun-
quam eum duxisse est verius. Adolescens e-
nim vocatus est. Comparem ergo seu coniu-
gem ipsum vocat, vt qui iugum pietatis se-
cum trahat, & hortatur vt optimarum sit
mulierum adiutor, & vt concordiam inter se
ineant procuret.

Gaudete in Domino semper: iterũ dico gaudete.

Apertè ostendit se vehementi esse in eos affectione. Qua de causa eis frequenter animum addit, & laudat.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.

Forti & generoso animo ferte insultus aduersariorum. Malum pro malo non reddite.

Dominus prope est, nihil soliciti sitis.

Iudex appropinquat, qui deinceps vos pro susceptis laboribus remunerabitur.

Sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Dominum.

Oportet enim prius quidem benefactorem Deum laudare pro omnibus tam secundis quàm aduersis, deinde ita ei offerre supplicationes.

Et pax Dei quæ exuperat omnẽ sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu.

Quoniam seipsos inuicem persequebantur, necessario pacem eis precatus est. Cuius autem pax omnem mentem superat, quomodo potest comprehendi substantia?

De cætero fratres, quæcunque sint vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite & Deus pacis erit vobiscum.

In summa autem vos omnes rogo, vt verba quidem vestra veritate: honestate autem & iustitia vitam vestram ornetis, illa faciatis quę Deo grata sunt: & hinc vobis laudem paretis. Hæc enim vos oratione docui: & factis ostendi. Hæc autem si faciatis, adiutorem habebitis vniuersorum Deum. Deinde scribit etiam de pecunijs ab eis missis.

Gauisus sum autem in Domino vehementer, quòd tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis. Occupati autem eratis.

Noui vestrum scopum ac institutum, & valde lætor cùm ipsum in vobis aspicio. Iam diu enim ab hinc volebatis meæ subuentionis curam gerere, sed non habuistis opportunitatem.

Non quasi propter penuriam dico, ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio & humiliari: scio & abundare, vbique & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.

Hæc autem dico non quòd egeam. Ego enim per diuinam gratiam semper per aduersa ingrediens, amborum satis magnum feci periculum, & satietatis, & famis, egestatis & abundantiæ. Ne hæc autem scribens eos molestia afficeret, quasi res fuisset superflua, subiunxit.

Veruntamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ.

Hoc enim est lucrum vestrum, fuistis enim socij mearum perpessionum. Deinde sequitur etiam laus alia.

Scitis autem & vos Philippenses, quòd in principio Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli, quod & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis.

Digna viris laus, quoniam non solum præsentem reuerebantur, sed etiam absentis curam gerebant: & cùm & in Metropoli ageret, & ad aliam gentem proficisceretur, quæ ei opus erant liberaliter mittebant. Et ne quis existimaret eum illos laudare propter corporalem illorum subuentionem, subiunxit.

Non quòd quæro datum: sed requiro fructum abundantem in rationem vestram.

Non enim his egeo, sed vestrum lucrum magnifacio. Deinde amplificans eorum subuentionem, dicit.

Habeo autem omnia, & abundo. Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.

Vos enim Epaphrodito quidem dedistis: Epaphroditus autem mihi. Deus autem per me suscepit sacrificium. Auget autem eorum laudem & qua laborabant inopia, non enim quod rerum eis copia suppeteret mittebant, sed vel extrema paupertate oppressi. Et id docuit in secunda epistola ad Corinthios. Ita autem dicit. Et quæ est in profundo eorum 2. Cor. 8.
paupertas abundauit ad diuitias simplicitatis eorum.

Deus autẽ meus impleat omne desiderium vestrum, secundum diuitias suas in gloria in Christo Iesu.

Eos cœlestibus opibus remuneratus est. Valde autem appositè & conuenienter subiunxit benedictionem. Cùm enim quæ missa erant

erant dixisset odorem fragrantiæ, hostiam acceptam Deo placentem, petit eis ab eo qui illa dedit ea etiam quibus est opus in præsenti vita. Implebit autem, inquit, id omne quod vobis opus est. Nihil autem fecit alienum qui hanc eis benedictionẽ petiuerit. Etenim Dominus quoque iussit in sacris Euangelijs dicere. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Porrò autem eis quoque petiuit futuram gloriam quæ est in Christo Iesu. Et hæc autem & illa potest præbere. Habet enim immensas diuitias.

Deo autem & patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Hic quidem laudauit solum patrem, alibi
Roman. 9. autem laudat solum filium. Ex quibus enim,
inquit, Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sęcula sæculorum Amen. Sed nec illic patrem separat à filio: nec hic filium à patre, sed diuinæ naturæ communem præbet laudem.

Salutate omnem sanctum in Christo Iesu.

Non quicunque se sanctum nominat, sanctus est, sed qui credit Domino Iesu: & qui vitam ex eius legibus instituit.

Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt.

Satis magnam eis consolationẽ attulit, cùm docuit quòd etiam in regia dominatum obtinet diuinum Euangelium, & impij Imperatoris domesticos viuos cepit ad vitam.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

Consuetam benedictionem fini adiecit. Eam nos quoque consequamur, inter cęsione quidem eius qui hæc scripsit, auxilio autem Christi Domini. Cum quo patri gloria cum sanctissimo Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Epistola ad Ephesios per Tychicum, ad Philippenses Romæ scripta est per Epaphroditum.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD COLOSSENSES.

EODEM tempore ad Ephesios & Colossenses scripsit diuinus Apostolus, admirabili Tychico vsus tabellario. Romæ autem scripsit, cùm iam prius euasisset periculum. Idque ostendit epistolæ proœmium. Beatissimũ enim Timotheum earum sibi adiunxit socium. Quando autem tempore Neronis in primum vo
catus est periculum, nullus ex notis cum eo versatus est. Id au-
2.Tim. 4. *tem ipse declarauit in literis ad Timotheum. In prima mea defensione nemo mihi adfuit. Porrò autem quando erat deinceps in ipso fine vitæ, non agebat Romæ diuinus Timotheus, sed potius in Asia. Et id docet apertius secunda ad eum scripta epistola. Cùm enim dixisset. Ego enim iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat: paulò post dicit. Festina ad me venire citò. Deinde subiungit. Penulam, quam reliqui apud Carpum, affer tecum, & libros, maximè autem membranas. At qui nonnulli quidem dicunt diuinum Apostolum, cùm nondum vidisset Colossenses, scripsisse ad eos epistolam, idque conantur confirmare ex illis verbis, Volo enim vos scire qualem solicitudinem habeam pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & quicunq; non viderunt faciem meam in carne. Oportebat autem eos considerare verborum sentẽtiam. Vult enim dicere. Non solum vestrum, sed eorũ etiam qui me non viderunt maximã curam gero. Si enim de ijs solum qui eum non viderant curam gerebat, eorũ qui illum viderant, & ab eo doctrinã acceperant, nullam omnino curam gerit. In illo enim sensu hoc est intelligendum. Qualem, inquit, habeo solicitudinẽ pro vobis & pro ijs qui sunt in Laodicea, & quicunq; non viderunt faciem meam in carne. Clarum est ergo eum non hæc dixisse de ipsis, sed ab eos volente confirmare hoc adiectũ esse. Non solum vestrum, sed eorũ etiam qui me nondum viderunt, curam gero maximam. Iam verò nos*
Actor. 18. *etiam docuit beatissimus Lucas in Actis, quòd eodem tẽpore peruasit Phrygiam, & Galatiam. Colossæ autem sunt Phrygiæ, eius autem metropolis & vicinia est Laodicea. Quomodo ergo fieri potuit, vt qui in Phrygiam venerit, non eis diuinũ tradiderit Euangelium? Nec verò dixerit quispiã eum fuisse à diuina prohibitum gratia hoc fa-*
Actor. 16. *cere. De Asia enim & Bithynia dixit beatus Lucas, eos prohibuisse sanctũ spiritum.*

De Phry-

De Phrygia autem nihil dixit tale. Sed de hac re quidem sentiat quis quod velit. Neque enim vllam dogmatum inducit differentiam, an hoc vel illo modo dicatur. Argumentum autem epistolæ est hoc. Nonnulli ex Iudæis qui crediderunt eos deceperant, & effecerant vt ea seruarentur quæ sunt in lege superuacanea. Scripsit ergo diuinus Apostolus, docens Christum Dominum fuisse suppeditatorem salutis. Docet etiam humanæ susceptæ naturæ dispensationis mysterium omnem rationem humanam superare: nosq; futuros regni Christi participes: & legales obseruationes non esse perfectis conducibiles.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO
EPISTOLAE AD COLOSSENSES.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, ijs qui sunt Colossis sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro.

Iesu, nõ est in Greco Theo.

Quoniam ab ijs qui eos deceperant inducti, vitę ex lege institutionẽ amplexi fuerant: hoc autem fuisse ad salutem imperfectum Seruatoris aduentus ostendit: necessario seipsos Christi appellauit Apostolos. Adiecit autem, per voluntatem, docens hoc quoque placere Deo & patri. Rursus autem præpositionem, Per, posuit loquens de patre.

Gratias agimus Deo & patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes.

Eis perfectionem suo testimonio tribuit, cũ eos dixit fide esse claros & charitate. Charitas enim vniuersum mandatum quod in actione consistit complectitur. Solet autem Apostolus laudibus primum aures prępparare, & faciles reddere: deinde ita doctrinam conuenientem tradere. Hic itaq; dicit etiam se Deum in suis orationibus laudare, ,ppter fidem ipsorum in Christum Dominum, & charitatem, quam in omnes qui cum eis eandem fidẽ habebant, perpetuo ostendebant.

Propter spem quæ reposita est vobis in cœlis.

Hæc autem, inquit, prompto & alacri animo facitis, paratum vobis regnum cœlorum per fidei oculos contemplantes.

Quam audistis in verbo veritatis Euangelij præsentis, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est.

Eam autem vobis diuinum pollicetur Euangelium, non vobis autem solis, sed etiam omnibus hominibus. Deinde ostendit etiam vim prædicationis.

Et fructificat, & crescit, sicut & in vobis ex ea die qua audistis, & cognouistis gratiam Dei in veritate.

Euangelij fructum vocauit, eorum qui audierunt fidem & laudabilem vitæ institutionem. Incrementum autem, credentium multitudinem.

Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu. Qui etiã manifestauit nobis vestram dilectionem in spiritu.

Iesu, non est in Græco.

Ciuis eorum erat hic vir in primis laude dignus, Epaphras inquam. Qui cùm Romam venisset, docuit diuinum Apostolum & ardentem eorũ fidem in Dominum, & fraudem quę ab aliquo eis facta fuerat. Multis autem eum laudibus extulit, dilectum, & conseruum, & fidelem Christi ministrum vocans, vt maiorẽ in eum reuerentiam haberent. Dixit autem se ab eo audiuisse cursum Euangelij, quod vbique diffunditur, & multitudinem eorum qui in singulis gentibus crediderunt.

Ideo et nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius.

Hæc autem ex quo à vestro doctore de vobis audiuimus, Deum assiduè suppliciter oramus, vt suæ voluntatis vobis perfectam præbeat cognitionem. Hic autem innuit eos habere imperfectam, vt qui obseruationes legales sequerentur.

In omni sapientia & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes.

Petimus autem vt vos spiritali gratia impleamini, vt faciatis omnia quæ Deo placent.

In omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio.

Vt Deo fructus bonorum operum offeratis, & eius cognitionis incrementum ostendatis, & diuino auxilio confirmati, firmi ac stabiles maneatis, vehementes aduersariorũ fluctus forti & alacri animo ferentes. Patientiam enim posuit contra aduersarios, ea enim opus habemus, dũ bello ab impijs appetimur.

Gratias agentes Deo patri, qui dignos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.

Benignum autem Deum laudamus, qui nos, cùm indigni essemus, effecit lucis sanctorum participes. Rursus autẽ sub specie gratiarum actionis, benignitatis arcanum, & diuinæ in nos

nos dispensationis magnitudinem ostendit.

Filij dilectionis suæ, id est filij dilecti sui Hebr.

Qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.

Potestatem tenebrarum appellauit dominatum Diaboli. Filium autem dilectionis Christum Dominum vocauit, docens eum amari, non vt creaturam & seruum, sed vt filium. Non est enim filius dilectionis, sed dilectus filius, hoc est, verus & proprius. Ita etiam Isaac nominatus est. Accipe enim, inquit filium tuum dilectum, pro eo quod est, verum ac proprium, & qui est tibi alijs pretiosior. Nos ergo, inquit, à tenebris liberatos, filij regno dignatus est. Hoc etiam dixit in epistola ad Timotheum. Si sustinemus, & conregnabimus.

Geno. 22.

2. Tim. 2.

In quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.

Non enim lex, sed Dominus Christus, qui legem tulit, eam nobis dedit per salutarem baptismum. Hęc vbi dixit, attingit etiam theologiam, seu eius diuinitatis rationem, & ostendit eum esse vniuersorum opificem & effectorem.

Qui est imago Dei inuisibilis.

Ferte nim expressos & euidentes eius qui genuit characteres. Id autem est quòd Philippo à Domino dictum est. Qui vidit me, vidit patrem. Porrò autem Adam quoque genuit ad suam similitudinem, hoc est, ad omnia quę erant ei similia. Est ergo imago quę significat vnam & eandem substantiam. Inanimatæ enim imagines non habent substantiam eorum quorum sunt imagines. Si autem est viua imago, & quæ nullam habet differentiam, eandem habet cum exemplari naturam.

Ioan. 14.

Primogenitus omnis creaturæ.

Si vnigenitus, quomodo primogenitus? Si primogenitus, quomodo vnigenitus? Atqui in diuinis Euangelijs nominatus est vnigenitus. Est ergo primogenitus creaturæ: non quòd sororem habeat creaturam, sed quòd ante omnem creaturam sit genitus. Quomodo enim fieri posset, vt idem esset frater creaturæ & opifex? Si enim vt dicũt Hæretici, est creatura, habet creaturam sororem. Fieri autem non potest vt idem simul eiusdem sit frater & opifex. Eum autem opificem vocat sacra scriptura. Quòd si opifex, non ergo frater. Quòd si non frater: non creatum, maximè cùm nec ipsum diuinus appellarit Apostolus, πρωτόκτισον, hoc est, primo cretaura, sed πρωτότοκον, hoc est, primogenitum, hoc est, primum. Ita etiam dictus est primogenitus ex mortuis, primus enim resurrexit. Ita etiam ecclesiam primogenitorum, sanctorum cœtum appellauit diuinus Apostolus, non quòd omnes primi natura soluerint matrum vteros: sed quia maior honor primogenitis lege tribuebatur: eorum præstantiam & honorem significauit per hanc appellationem. Quòd autem vnigenitus non est frater creaturæ, sed creaturæ effector & opifex, docent etiam ea quæ consequuntur.

Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia.

Et quoniam sunt etiam in cœlis ea quæ sunt visibilia, vt Sol, & Luna, & astra: docet apertius quænam vocet cœlestia, seu visibilia, seu inuisibilia. Deinde quandoquidem visibilia sunt omnibus manifesta, & à diuinissimo Mose omnes ea didicerunt: ijs relictis enumerat ea quæ sunt inuisibilia.

Siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.

Existimo eum dicere thronos Cherubim. Diuinum enim thronum super eos vidit positum propheta Ezechiel. Dominationes autem, principatus, & potestates, eos quibus fuerat credita cura gentium. Michael enim prę erat Iudæis, & beatus Daniel dicit principem Persarum, & principem Græcorum. Illud autem, Omnia per ipsum creata sunt, significat priorem creationem. Hoc verò, in ipso, operationem quæ facta est per ipsius humanæ naturæ susceptionem. Si qua enim, inquit, in Christo noua creatura. Et rursus. Instaurare omnia in Christo. Et propheta. Erit cœlum nouum, & terra noua. Et. Vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia. In spe autem habemus horum mutationem. Etenim ipsa creatura liberabitur à seruitute interitus & corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quòd autem hoc nomen primogenitus, hic primum significet, nos docent ea quæ consequuntur.

Ezech. 10.

Dan. 10.

1. Cor. 15.

Ephe. 1.

Esa. 65. & 66.

Rom. 8.

2. Cor. 8.

Et ipse est ante omnes.

Non dixit, Ipse factus est ante omnes: sed ipse est ante omnes.

Et omnia in eo constant.

Non solum enim est omnium opifex, sed etiam curam gerit eorum quæ fecit: & gubernat creaturam quæ stat per eius sapientiam & potentiam.

Et ipse est caput corporis ecclesiæ.

A sermone de diuinitate transijt ad dispensationem. Est enim caput nostrum, quod attinet ad humanitatem. Caput autem est eiusdem substantiæ cum corpore, ita etiam ipse, quatenus homo est, est eiusdem nobiscum substantiæ.

Qui est principium.

Pro eo quod est. Qui primus surrexit à mortuis. Hoc enim subiungit.

Primogenitus ex mortuis.

Primus enim soluit dolores mortis. Omnium autem nostrum resurrectio per id quod dicitur tacitè significatur.

Vt sit in omnibus ipse primatum tenens.

Etenim vt Deus est ante omnes, & est cum patre, & vt homo, primogenitus ex mortuis, & caput corporis.

Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare.

Plenitudinem appellauit ecclesiam in epistola ad Ephesios, vtpote diuinis donis impletis. Visum est inquit Deo, eam in Christo inhabitare, hoc est, ei coniunctam esse, esse sub eius tegmine, eius leges sequi.

Et per eum reconciliare omnia in ipsum.

Porrò autem dicit etiam modum reconciliationis.

Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.

Ipse nostram procurauit reconciliationem, cùm passionem sustinuit, & sanguinem effudit, & ꝓ nobis sacrificium obtulit, & terrenis cœlestia coniunxit. Nos enim auersabantur etiam populi angelorũ propter summam improbitatem. Ea de causa etiam cùm natus esset, chorum ducentes, Deo hymnum obtulerunt, dicentes. Gloria in excelsis, & in terra pax, & in hominibus bona voluntas. Cũ ita recensuisset bona omnibus cõmuniter præbita, ad ipsos cõuertit orationem, & dicit.

Luc. 2.

Et vos cùm eßetis aliquando alienati, & inimici sensu, in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles corã ipso.

Ex ijs quæ ad vos attinent considerate ea quæ sunt communia. Vos enim qui sceleratam & impiam vitam agebatis, & luce cognitionis eratis omnino priuati, Deo effecti estis familiares, non hoc vobis dono à lege donato, sed vestro debito à Christo exoluto, & corpore morti tradito: vt vos vocatione digni habiti, sancti, & reprehensioni non obnoxij, & omnino liberi redderemini. Deinde eos etiam fuisse auersos innuit, & eos terret.

Si tamen permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles à spe Euangelij quod audistis.

Eritis autem sancti, & reprehensioni minimè obnoxij, & crimini non affines, si in ijs permaneatis quæ ab initio didicistis, & traditam vobis doctrinam firmam & stabilem conseruetis. Spem autem Euangelij appellat resurrectionẽ, & vitam immortalem, & regnum cœlorũ. Deinde eos docet non sibi solis sed omnib. hominib. traditã fuisse prædicationẽ.

Quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister.

Ei enim creditæ sunt gentes vt excolerentur. Hoc autem non dixisset, si eos reuera nunquam vidisset. Si enim, dicerent, gentiũ prædicator electus es, quanam de causa nos contempsisti, & non tradidisti nobis doctrinam Euangelicam? Quinetiam ea quę consequuntur eandem habent sententiam.

Qui nunc gaudeo in paßionibus pro vobis.

Quomodo enim esset rationi consentaneum, eum qui illos non vidisset, nec eis salutarem præbuisset prædicationem, apertè dicere se pro eis varia sustinere pericula?

Et adimpleo ea quæ desunt paßionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est ecclesia.

Et Christus Dominus subijt mortem pro ecclesia, & crucis ignominiam, & incussas in faciẽ alapas, & inflicta tergo verbera, & quæcunque etiam alia sustinuit. Diuinus quoque Apostolus varias perpessiones pro ipsa tolerauit, & lubenter sustinuit. Gaudeo enim inquit, in paßionibus pro vobis. Sciebat enim vitam ex ijs procurari. Dixit autem se adimplere ea quę desunt afflictionũ Christi, vt qui ꝓ restat impleat, & pro ijs perpessiones sustineat. Restabat autẽ vt prædicaret gentibus, & munificũ salutis suppeditatorem ostenderet.

Cuius factus sum ego minister secundum dispensationẽ Dei, datã mihi in vobis, vt impleam verbũ Dei.

Credita mihi fuit salus ecclesiæ: & mihi commissum est munus prædicationis, vt diuina vos omnes doctrina impleam. Illud enim, vos, non ipsos solos dicit, sed fideles qui sunt in orbe terrarum. Hinc itaque etiam manifestum est, quòd eos viderat quando hanc scripsit epistolam. Si ei enim fuerunt commissi, non eos præterijsset, cùm venit in Phrygiã, & postea ad Laodicenses gentis principes. Docet etiã quisnã sit modus dispensationis.

Mysterium quod fuit absconditum à sæculis & generationibus: nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus Deus voluit notum facere.

Appellauit mysterium prædicationem dispensationis, vt quæ olim omnibus esset ignota: à solo autem Deo cognosceretur. Id, inquit, fuit absconsum prioribus generationibus. Nunc manifestauit quibus voluit sanctis, hoc est Apostolis, & ijs qui per ipsos crediderũt. Per hæc autẽ ostendit antiquitatẽ Euangelij, & ꝓ ante legẽ, & ante mundi constitutionẽ, Deus vniuersorũ hanc dispensationem præfinijt. Notum autem fecit, inquit, sanctis.

Quænam sint diuitiæ gloriæ sacramenti huius in gentibus.

Quòd gentes quæ sedebant in tenebris, acceperunt lucem diuinæ cognitionis, & erunt Christi gloriæ participes. Diuitias enim gloriæ vocauit honoris magnificentiam. Id autem significãt etiam ea quæ subiunguntur.

Quod est Christus in vobis, spes gloriæ, quem nos annuntiamus.

Nõ enim dierũ & ciborũ obseruationes, sed Christ⁹ Dominus vos illa gloria dignabitur. Spẽ enim gloriæ vocat gloriam quę speratur.

Corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia: vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. In quo & laboro certando secundum operationẽ eius quam operatur in me in virtute.

Omnem autem laborem lubẽter suscipio, adiut⁹ à diuina gratia, vt omnes homines perfectos reddam per doctrinam prædicationis. Perfectionem autem non lex, sed prædicationis doctrina largitur. Deinde suam quoque in eos beneuolentiam aperit.

CAP. II.

Volo enim scire qualem solicitudinem habeam pro vobis, & ijs qui sunt Laodiceæ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne.

Volo enim vobis esse persuasum me maximam curam gerere & vestrum, & Laodicenorum, sed etiam omnium qui me nondũ viderunt. Quòd autem hæc in eo sensu ab eo dicta sunt, significant etiam quæ subiunguntur.

Vt consolentur corda ipsorum.

Non dixit, vestra, sed, ipsorum, hoc est, eorum qui me nondum viderunt. Sed quisnam est modus consolationis?

Instructi in charitate.

Vt

Vt seruent concordiam quę est in Christo.

Et in omnes diuitias plenitudinis intellectus.

Et cum omni certitudine prædicationis diuitias suscipiant.

In agnitionem mysterij Dei, & patris, & in Christi Iesu: In quod sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondiri.

Ostendit dispensationis mysterium esse Patris & Filij commune. In Christo autem dixit esse absconsos omnes sapientiæ & scientiæ thesauros: quoniam per ipsum reuelatur in futura vita omnibus hominibus dispensationis scopus. Dixit autem hæc omnia, curans morbum qui eos inuaserat, & docens, non legis traditiones, sed fidem in Dominum conciliare salutem. Hoc enim subiunxit.

Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.

His autem verbis vsus sum, vos adhortans ne fallacibus verbis seduceremini.

Nam etsi corpore absens sum: sed spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius quæ in Christo est fidei vestræ.

Doctrinæ rursus laudes admiscet, aures demulcens, & ad suasionem viam muniens. Porrò autem rursus quoque per hæc ostendit, eos fuisse à se visos, quando hanc scripsit epistolam. Quemadmodum enim hic dixit, Nam etsi carne absens sum: sed spiritu vobiscum sum: ita etiam scripsit ad Corinthios, Vt absens corpore, præsens autem spiritu.

1. Cor. 5.

Sicut ergo accepistis Christum Iesum Dominum: in ipso ambulate radicati, & superædificati in ipso, & confirmati in fide sicut & didicistis, abundantes in ipso, in gratiarum actione.

Seruate integram & incorruptam doctrinam quam accepistis, & sequimini leges Euangelicas, firmam fidem ostendentes, hoc enim dicit, Radicati. Et possessionem virtutis adijcientes. Hoc enim significant illud, Superædificati. Hoc verò, Redundantes in fide, pro eo quod est, Habete eam perfectam, nihil ei desit: sed etiam redundet & superfluat in vobis: vt vos per omnia laudetis benefactorem. Hoc enim dicit, in gratiarum actione.

Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.

Quam superius dixit, ꝓbabilem & ad persuadendum aptam orationem, hic appellauit philosophiam. Inanem autem deceptionem, superuacaneam & noxiam hominum traditionem: non ipsam legem, sed intempestiuam eius obseruationem. Elementa autem mundi, obseruationem dierum. Ex Sole enim & Luna procedunt dies & noctes. Præcipit ergo eis vt vigilent, & sint sobrij, circunspecti: & eos qui ab eis fidem conantur eripere omnino auersentur, vt qui à Christo quidem omnino separent, inutilibus autem legis obseruationibus alligent.

Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Nonnulli doctores dixerunt ecclesiam esse hic Christum nominatam: & in ea inhabitare omnẽ plenitudinem diuinitatis. Nescio autem, an etiam corporaliter, eiusmodi sententiæ contemplationi conueniat. Existimo ergo, quoniam Christum nominauit caput ecclesię, clarum est autem quòd quatenus homo est, est nostrum caput, hæc quoque tanquam de homine dicta esse, qui omnem in se continet diuinitatem. Etenim diuinus Apostolus volens significare differentiam legis & gratiæ, elementorum egestati Christum opposuit, & per amborum inuicem collationem volens ostendere quàm sit longè superior, adiecit, quòd in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, hoc est, tanquam in proprio corpore. Non enim singularem, inquit, aliquam gratiam accepit, quemadmodum Moses: Deus enim est, & homo, & id quod videtur, habet vnitam vnigeniti diuinitatem. Huic intelligentiæ conueniunt etiam quæ sequuntur.

Estis in illo repleti.

Ab eo enim gratiam accepistis, & radios qui ab illa producuntur.

Qui est caput omnis principatus & potestatis.

Hinc etiam manifestum est, eum illa non dixisse de ecclesia, sed de ipso Christo domino, qui est nostrũ quidem caput, quod attinet ad humanitatem: Angelis autẽ & Archangelis præest ac imperat, quod attinet ad diuinam naturam. Hic enim posuit caput pro eo quod est, Imperium, aut magistratus. Etiam quæ deinceps sequuntur, ostendunt, eum superius ecclesiam non appellasse Christum.

In quo & circuncisi estis circuncisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi.

Quoniam enim seducti vitæ ex lege institutionem erant amplexi, docet rursus differentiam circuncisionis. Non est enim inquit, carnalis, sed spiritalis, neque manu facta, sed diuina, nec exiguæ corporis particulæ ablatio, sed ab omni corruptione & interitu liberatio. Horum autem author est & causa, non lex, sed Christus Dominus, qui fuit legis ipsius legislator. Hoc enim dixit, in quo & circuncisi estis. & rursus, in circuncisione Christi. Exuuias autem corporis peccatorum carnis, salutarem baptismum appellauit. In illo enim exuimus sordidam peccati tunicam. Futurorum autem typus est sanctissimus baptismus. In futura autem vita, à corruptione & interitu alienum ac immortale corpus effectum, non potest amplius sordes peccati suscipere. Quòd autem illa dixit de baptismo, testantur etiam ea quæ consequuntur.

Consepulti ei in baptismo.

Quoniam autem vocauit mortis typum salutarem baptismum, hoc enim dixit, Consepulti, resurrectionem etiam annunciat.

In quo & resurrexistis.

Et quoniam mortalem adhuc habemus naturam, subiunxit.

Per fidem operationis Dei: qui suscitauit illum à mortuis.

Credentes enim Dei potentiæ, expectamus resurrectionem, pignus habentes Domini Christi resurrectionem.

Et vos cùm mortui eßetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta.

Peccatum nos omnes interemit. Ipsum enim mortis in nos tulit sententiam. Sed vniuersorum Deus reddidit nos participes vitæ Christi Domini: & nobis peccatorum dedit remissionem. Carnis autem præputium appellauit vitium, docens corporis quidem præputium nihil damni afferre ijs qui id habent: sed animæ præputiũ afferre exitiũ, & animæ & corpori. Ex eo autem ostendit, circuncisionem corporis nihil iuuare eos qui circunciduntur, vitij autem & improbitatis ablationem veram salutem procurare.

Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti: & ipsum tulit de medio affigens illud cruci.

Chirographum quidam dixerunt esse legem. Post eius enim execrationem, dixit, inquit, populus. Quæcunque dixit Dominus Deus noster, faciemus, & audiemus. Sed id erat Iudæorum chirographum, non omnium hominum. Existimo ergo etiam corpus nostrum appellari chirographum. Per id enim omnes sceleratas & nefarias actiones suscipimus: per oculos quidem, lasciuè & impudicè aspicientes: per linguam autem, ea quæ non decet loquentes: per aures, perniciosam doctrinam suscipientes: manibus autem, furtum, vim & in aliena inuasionem, & cædem admittentes. Deus ergo sermo, nostra suscepta natura, eam ab omni peccato liberam custodiit: & deleuit quæ male à nobis facta sunt scripta debitorum. Cùm autem concessisset vt ea cruci affigeretur, exoluit omnium nostrum debitum, & cùm legem quidem implesset, effecit vt ea cessaret, vt quæ olim solis Iudæis fuisset vtilis, nobis autem nullo modo conueniret: dedit autem decreta Euangelica, in eorum obseruatione nobis salutẽ pollicitus.

Exod. 24.

Et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.

Quia enim per affectiones & perturbationes corporis habebant in nos potestatem Dęmones: ipse autem corpore circundatus fuit peccato potentior: aduersariorum potentiam euertit: & effecit vt omnibus hominibus nota esset eorum imbecillitas, per suum corpus nobis omnibus aduersus eos victoriam largitus.

Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, aut quæ sunt vmbra futurorum.

Cùm ergo legem cessasse didiceritis, nequaquam seducamini ab ijs qui legales traditiones conantur in vobis seminare. Rectè quoque adiecit illud, In parte festi. Neque enim poterãt ea implere. Quomodo enim fieri poterat, vt ter in anno in Iudæam è Phrygia excurrerent, vt Hierosolymis festa ex more peragerent, & maximè cùm Pentecoste sit vicina Paschati? Est enim iter plus quàm quinquaginta dierum. Vmbram autem futurorum vocauit legem, docens ab illa esse præfiguratam noui testamenti gratiam. Hoc autem etiam subiunxit.

Corpus autem Christi.

Hoc est, Euangelica vitæ institutio, obtinet locum corporis. Lex verò vmbræ. Vmbra autem præcedit corpus oriente luce, vt sit vmbra quidem lex: corpus verò gratia: lux autem Christus Dominus.

Nemo vos seducat.

Græce est καταβραβευέτω, Græci autem appellant βραβευτὰς, iudices eorum qui decertant in certaminibus. Ii enim ijs qui vincunt suadent sententia victoriam. καταβραβεύειν autem est βραβευτὸν, hoc est iudicis certatorum malè fungi officio; & quę victoribus debentur præmia iniustè tribuere. Quoniam ergo qui legis obseruationes admiscebant Euangelio, ab ijs quæ sunt præstantiora eos traducebant ad deteriora, iure dixit, Nemo vos fraudet præmio. Deinde docet apertius damnum quod allatum est.

Volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ.

Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuisse legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca synodus quoque quæ conuenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit ne precarentur Angelos. Et in hodiernũ vsque diem, licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria sancti Michaelis. Illi ergo hoc consulebãt vtique humilitate vtentes, dicentes vniuersorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse peruenirì: & oportere per Angelos diuinam sibi beneuolentiam conciliare. Hoc autem dixit, in humilitate & cultu Angelorum. Illud autem, Inflatus, non est contrarium humilitati. Eam enim prę se ferebant: sed reuera insolentiæ vitio laborabant. Hoc autem, In ijs quæ non vidit incedens, pro eo quod est, proprijs rationibus & cogitatis vtens. Hoc enim subiunxit. Temere inflatus à mente carnis suæ.

Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.

Rursus caput Christum Dominum nominauit: Corpus autem cœtum ecclesiæ. Posuit aũt totum hunc locum metaphoricè. Quemadmodum enim in corpore cerebrum est radix neruorum: per neruos autem sensus habet corpus: ita etiam à Christo Domino, & doctrinæ fontes, & salutis materiam accipit corpus ecclesiæ. Quod autem sunt in corpore ligamenta; hoc sunt Apostoli, Prophetæ, & Doctores in conuentu ecclesiæ: Porrò autem alia etiam probat ratione obseruationem legis eis non conuenire.

Si mortui estis Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeris: neque gustaueris: neque contre-

Adhuc, non est in Græco

ctaueris, quæ sunt omnia in interitu ipso vsu, secundum præcepta & traditiones hominum.

In baptismo Christo consepulti estis: Legi mortui effecti estis. Quomodo ergo eos toleratis qui hæc docent, & existimatis hos quidem cibos esse legitimos: illos verò lege prohiberi? & non consideratis nihil eorum esse firmum ac stabile. Omnia enim mutantur in fimum. Præcepta autem & doctrinas hominum vocat non legem, sed eorum doctrinam intempestiuam.

Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

Eos ostendit in se continere speciem non veritatem, hoc enim innuit ἐθελοθρησκεία, id est voluntarius cultus ac superstitio. Pro eo quod est, proprium decretum introducunt, non legis scopum ac institutum sequuntur, & verbis speciosis decipiunt, dum humilitatem vocant legis obseruationem, dicentes non oportere transgredi quod à Deo datum est, & non parci corpori dicunt, quòd non audacter & liberè vtantur omnibus. Hoc autem est aperta seruitus, & dati honoris ablatio. Oportet enim sua sponte abstinere, non tanquam ab abominandis, sed tanquam à suauissimis.

CAP. III.

IGitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite: vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Fuistis resurrectionis cum Christo participes. Is est autem omnium supremus in cœlestibus sedens cum Patre. Supernam ergo vitæ institutionem ac formam imitamini.

Mortui enim estis: & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

Præsenti vitæ mortui effecti estis. Cum Christo enim consepulti estis in baptismate, accepistis autem spem resurrectionis. Hoc enim dicit, vita vestra absconsa est cum Christo Deo. Cùm enim ille resurrexerit, omnes resurreximus: sed nondum videmus rerum euentum. In ipso autem absconsum est nostræ resurrectionis mysterium. Quando ergo ille secundo apparuerit, tunc assequemur resurrectionem, & vita immortali fruemur. Admodum autem appositè dictum est de Christo illud, Manifestatus fuerit. Neque enim à vobis cernitur: & ab infidelibus omnino ignoratur. Hoc etiam in nobis posuit, Manifestabimini, inquit, in gloria. In spe enim habemus bonorum promissiones, tunc autem manifesta erunt ea quæ nunc ignorantur. Quoniam autem legis obseruationes eiecit, ne existimarent sibi datam esse liberam peccandi potestatem, de eo etiam necessario sapienter ea quæ par est præcipit.

Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus.

Appellauit ea membra corporis, quoniam ea per id fiunt, & ideo distinctione vsus, & non dixit solum membra vestra, sed adiecit, Quæ sunt super terram, hoc est, mentis inclinationem ad ea quæ sunt deteriora. Pro eo quod est, corpus amplius peccatum non exerceat. Auaritiam autem vocauit cultum simulacrorum, quoniam seruator Mammonam Dominum appellauit, docens quòd qui seruit vitio auaritiæ, tanquam Deum colit diuitias.

Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.

Supplicij quoque minas adiecit necessario.

In quibus ambulastis aliquando, cùm viueretis in illis.

Ita etiam dixit scribens ad Corinthios. Et hæc quidem eratis, sed abluti estis: sed sanctificati estis: sed iustificati estis, & quæ sequuntur. 2. Cor. 6.

Nunc autem deponite & vos omnia.

Deinde ostendit quænam ea sint.

Iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro, nolite mentiri inuicem.

Cùm sic docuit quænam vocauerit membra corporis, ipsum quoque corpus ostendit, non ipsa membra.

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis.

Veterem hominem appellauit priorem vitæ institutionem. In quibus, inquit, & vos ambulastis aliquando, cùm viueretis in ipsis. Eum autem in baptismo exuistis.

Et induentes nouum hominem qui renouatur in agnitionẽ secundum imaginem eius qui creauit illum.

Nos enim ab initio fabricatus est vniuersorum Deus, & diuinæ imaginis characteres, quos corrupit peccatum, in nobis perfectius expressit. Hoc etiam dixit in epistola ad Romanos. Quos præsciuit, inquit, & præfinijt esse conformes imagini filij sui. Et in epistola ad Philippenses. Qui transfigurauit corpus humilitatis nostræ, vt sit ipsum cõforme corpori gloriæ suæ. Rom. 8. Philip. 3.

Vbi non est gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus.

A typo ad archetypum, id est à figura ad exemplar conuertit sermonem. De sanctissimo enim baptismo differens, nos vitę futuræ docet formam. Illa enim nullam habet talem differentiam, sed cùm cessarit peccatum, voluntas diuina in omnibus perficitur. Hoc enim dixit, omnia & in omnibus Christus. Ita etiam dixit ad Corinthios. Vt sit Deus omnia in omnibus. In illa ergo vita nouum hominem perfectè induimus. In illa enim ab interitu & corruptione liberamur, incorruptionem autem induimus. In baptismo autem illius vitæ figuram implemus. 1. Cor. 15.

Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes vos inuicem,

& donantes vobismetipsis si quis aduersus aliquem habet querelam.

Deinde exemplo confirmat suasionem.

Sicut Dominus donauit vobis: ita & vos.

Respicite ad Domini benignitatem, quot vobis peccata cōdonarit. Imitemini ergo Dominum, & condonet vnusquisque quæ frater in ipsum peccauit.

Super hæc omnia autem habete charitatem, quod est vinculum perfectionis.

Ea enim aliorum mandatorum est & custos & adiutrix, & quemadmodū trabes ædificia continent: ita ea perfectionem cōciliat, & coniungit ac committit membra corporis.

Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in quam & vocati estis in vno corpore.

Deus qui vos vocauit, ex vobis omnibus vnum corpus constituit, ne id ergo diuidatis. Sed & si quis ab aliquo molestiam aliquam acceperit, habeat in corde pacem, Agonothetę officio fungentem, & regentem, & Deo gratam concordiam procurantem.

Et grati estote.

Rebus ipsis Domino gratias agite.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes, & commonētes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

Assiduam diuinorum eloquiorum meditationem præcipit quoque lex vetus. Meditaberis, enim inquit, in ipsis, sedens, & surgens, & cubans, & in via ingrediens. Hoc etiam præcipit diuinus Apostolus, vt nos Domini doctrinam in anima semper circunferamus, & ipsum laudemus, & canticis spiritualibus linguam sanctificemus. Illud autem, in cordibus, pro eo quod est, Non ore tantùm. Deuter. 6.

Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite: gratias agentes Deo & Patri per ipsum. Christi, non est in Graeco.

Quoniam enim illi Angelos iubebant adorare, ipse contrarium præcipit, vt & dicta & facta exornent recordatione Christi Domini: & Deo, inquit, & Patri gratiarum actionem emittite per ipsum, non per Angelos. Hanc etiam legem sequens, Laodicena synodus, & volens veteri illi morbo mederi, lege cauit ne precarentur Angelos, & ne relinquerent Dominum nostrum Iesum Christum. Ab hoc deinceps loco per species adhortationes adhibet.

Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino.

Quoniam vsueniebat vt piæ mulieres viris impijs matrimonio iunctæ essent, necessario distinctionem adhibuit. In Domino enim dixit. Pro eo quod est. Vt præcipit lex Domini.

Viri diligite vxores: & nolite amari esse ad illas.

Mulieribus submissionem, viris charitatem constituit, vt se in eas tanquam in propria membra placidè & mansuetè gerant præcipiens.

Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim beneplacitum est in Domino.

Hoc enim etiam legem ferens præcepit Dominus.

Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.

Vos etiam conuenit filios nequaquam tristitia afficere, sed in eos id quod par est officium præstare.

Serui obedite per omnia dominis carnalibus.

Ostendit animam esse liberam: solum autem corpus seruire.

Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes.

Cum ea qua par est beneuolentia dominos obseruate, ab omni improbitate & malignitate liberi. Et interpretans illud, Non ad oculùm seruientes, subiunxit.

Quodcunque facitis ex animo operamini.

Et volens eos promptiores & alacriores reddere, adiecit.

Sicut Domino, & non hominibus.

Pro eo enim merces est vobis reposita. Idq; declarant ea quæ consequuntur.

Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis vestræ, Domino Christo seruite.

Magna est consolatio, quòd qui seruiunt, sciunt se non hominibus seruire sed Domino. Et quoniam accidit iniustos esse dominos, necessario adiecit.

Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit, & non est personarum acceptio apud Deum.

Quocirca, inquit, etiamsi à dominis non assequamini iustas retributiones: est iustus Iudex, qui non nouit differentiam serui & domini, sed iustam fert sententiam.

CAP. IIII.

Domini quod iustum est & æquū seruis præstate, scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo.

Æqualitatem, non appellauit honoris æqualitatem, sed curam conuenientem, quam oportet dominos gerere seruorum.

Orationi instate, vigilantes in ea gratiarum actione.

Oportet enim pro ijs quæ data sunt prius gratias agere, & tunc supplicationem offerre.

Orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.

Ostendit solitam humilitatem. Nos etiam docet, ne nobis ipsis fidamus: sed à nobis inuicem auxilium petamus.

Propter quod etiam vinctus sum: vt manifestem illud, ita vt oportet me loqui.

Ostendit causam suorum vinculorū. Hæc enim, inquit, faciunt prædicationem manifestiorem. Ita etiam dicit ad Philippenses. Vt vincula mea fierent manifesta etiam in prętorio, & reliquis omnibus. Philip. 1.

In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. In sapientia ambulate. Pro eo quod est. Sapienter vos gerite. Heb.

Hoc est, eos qui nondū crediderunt. nullam, inquit, damni occasionem eis date. Pro ipsorum salute omnia molimini.

Tempus redimentes.

Non est vestrum præsens sæculum, eo ergo vtimini vt oportet, & ipsum vestrum facite, per bonas actiones id ementes.

Sermo

Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.

Ornemini spiritali prudentia. Ita etiam Dominus Apostolos iussit habere sales: & ipsos vocauit salem. Docet etiam quomodo. Matth. 9. Marc. 9. Lucæ 14.

Vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.

Aliter enim infideli, aliter fideli: & aliter perfecto, & aliter imperfecto: & aliter infirmo, aliter sano ac valenti doctrina tradenda est.

Quæ circa me sunt omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: quē misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra cum Onesimo charissimo & fideli fratre qui ex vobis est, qui omnia quæ hic aguntur nota facient vobis.

Onesimus erat famulus Philemonis. Eum cùm in carcere instituisset diuinus Apostolus, misit ad dominum. Scribens enim ad eum dixit, se voluisse quidem eum retinere: sed prēter illius sententiam hoc noluisse facere. Eum misit Philemon, vt est verisimile: sed diuinus Apostolus eum remisit cum Tychico, vt qui deinceps fuerit administer prædicationis. Hinc etiam potest eius cognosci sapiētia. Eos enim de rebus quæ ad ipsum pertinebant certiores facere, fecit vtriusque commune. Omnia, inquit, vobis nota faciēt quę hic aguntur. Consolari autē tribuit soli Tychico. Vt cognoscat, inquit, quę de nobis sunt, & consoletur corda vestra. Quia enim sciebant seruum fuisse Onesimum, & verisimile erat esse ægrè laturos aliquos, quòd qui nuper fuerat seruus, repente factus esset idoneus ad consolandam & docendam ecclesiam, dixit se solum Tychicum ad hoc misisse. De rebus autē suis eos certiores facere, vtrisq; simul coniunxit, ea ratione & hunc honorans, & illis molestiā non afferens.

Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus.

Actor. 19. Erat Thessalonicensis, vt docet beatus Lucas, vnà autem cum eo profectus est in Iudæam. Illinc autem eum Romam secutus est. Cōcaptiuum autem vocauit, vt qui fuerit perpessionum socius.

Et Marcus consobrinus Barnabæ. De quo accepistis mandata. Si venerit ad vos, suscipite illum.

Hoc quoque arguit eum scripsisse epistolam, postquam illos vidisset. Postquam enim sibi cum beato Barnaba de Marco fuisset cōtentio, Phrygiæ & Galatiæ doctrinam tradidit. Est ergo verisimile tunc de eis data fuisse mandata. Iubet ergo vt si accesserit, ei eum honorem habeant qui Doctori debetur.

Et Iesus qui dicitur iustus, qui sunt ex circuncisione. Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei: qui mihi fuerunt solatio.

Maximum encomium, Apostolo id quod ei fuit gratum conciliasse.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, seruus Iesu Christi.

Ciuis eorum erat Epaphras, vt iam antè diximus.

Semper solicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.

Necessario ostēdit eius in ipsos beneuolentiam: vt eius doctrinę mentem lubentius adhibeant.

Testimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli.

Hæ ciuitates sunt sibi inuicem propinquæ, & sunt omnes Phrygiæ.

Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas.

Hic etiam diuinum scripsit Euangelium, & historiam Actuum. Et hinc manifestum est quòd omnium epistolarum vltima scripta est quæ est ad Timotheum secunda. Dicit enim de Dema. Demas me reliquit diligens hoc sęculum. 2. Tim. 4.

Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo est eius ecclesiam.

Is, vt est verisimile, fuit ex fidelibus qui erant Laodiceæ, qui etiam domum suam fecit ecclesiam, eam pietate ac religione exornans.

Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt & in Laodicensium ecclesia legatur, & ea quæ Laodicensium est, vt vobis legatur.

Quidam existimarunt ipsum etiā scripsisse ad Laodicenses. Itaq; fictam etiam epistolam proferunt. Diuinus autem Apostolus non dixit eam quæ est ad Laodicenses: sed eam quæ est ex Laodicea. Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem eos vel ea accusasse quæ fiebant Colossis, vel eodem morbo cum eis laborasse. Et ideo dixit hanc quoque epistolam eis esse legendam.

Et dicite Archippo. Vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas.

Nonnulli dicunt eum fuisse doctorem Laodiceæ. Sed epistola ad Philemonem docet eum habitasse Colossis: eum enim coniungit cum Philemone.

Salutatio mea manu Pauli.

Eam adiecit, docens se liberè & audacter iubere ne legem seruent.

Memores estote vinculorum meorum.

Pro eo quod est, me imitemini, & quæ molesta euenerint ferte fortiter.

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen. Dominine. stri Iesu Christi, non est in Græco Theo.

Eorum quoq; vinculorum nos semper meminisse oportet, & quæ ex memoria prouenit vtilitatem percipere: & orare vt nō intremus in tentationem. Sin autem hoc acciderit, amare diuinam œconomiam, & suam animi magnitudinem ostendere, & diuinæ gratiæ auxilium inuocare. Ita enim fieri poterit vt & concertemus, & vincamus, & quæ à Christo promissa & renuntiata sunt assequamur. Cum quo patri cum sanctissimo spiritu conuenit gloria & magnificentia, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Epistola ad Colossenses Romæ scripta est per Tychicum & Onesimum.

ARGVMENTVM EPISTOLAE PRIMAE AD THESSALONICENSES.

THESSALONICA quidem in Macedonia primas obtinet: ſalutarem aũt prædicationem lubenter & alacriter ſuſcepit. Diuinus aũt Apoſtolus hic quoq; iecit fundamẽta pietatis, Iudæis quidẽ contradicentibus & apertè repugnantibus, ſed fruſtra laborantibus, fluctus enim ac tẽpeſtates ſuperabat Euãgelium. Cùm eorũ inſidias declinaßet B. Paulus, à Theſſalonica venit Berrhœã, à Berrhœa nauigauit Athenas. Cùm aũt eorum qui crediderant perpetuo curã gereret, beatißimũ Timotheũ Athenis miſit Theßalonicã, vt eos fulciret & confirmaret, & omnibus aduerſariorũ machinationibus potentiores efficeret. Is reuerſus laudauit quidẽ eorũ fidem inexpugnabilẽ: dixit autem eos opus habere aliqua exhortationis doctrina de quibuſdã quæſtionibus quæ apud eos mouebantur. Scripſit ergo epiſtolã, primũ quidẽ laudans eorũ fidei firmitatẽ: deinde adhortans vt mortuorũ reſurrectionẽ expectarent: de Domini autẽ aduentu ne nimis curioſe inquirerent. Porrò aũt eis quoq; exhibuit moralis doctrinæ adhortationem. Accuratius aũt & perfectius hæc docebit ſingulorũ interpretatio.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO
EPISTOLAE PRIMAE AD THESSALONICENSES.

PAVLVS & Siluanus & Timotheus eccleſiæ Theßalonicenſium in Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto, gratia vobis & pax.

Exiſtimo Siluanum vocari Silam. Is enim & Philippis & Theſſalonicæ & Berrhœę cum eo erat verſatus, eoq́ue relicto cum beatißimo Timotheo, profectus erat Athenas. Eos, dum Atheſis ageret, expectabat. Ii quoque vnà cum eo erant cùm prædicaret Corinthijs.

Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris.

Docemur prius gratias agere pro bonis quę nobis obtigerũt: deinde ita petere ea quæ deſunt. Inueniri enim poteſt diuinus Apoſtolus hęc ſemper facere. Porrò autem docet etiam quibuſnã de rebus laudat Deum vniuerſorũ.

Sine intermißione memores operis fidei veſtræ & laboris & charitatis & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti, ante Deum & patrem noſtrum.

Opus fidei firmitas & conſtantia in periculis. Non ſolum enim in pace & tranquillitate pacem oportet oſtendere, ſed ea etiã retinenda eſt in fluctu & tempeſtate. Ita etiam charitas non ſolum habet in fruendo voluptatem; ſed etiam maximũ laborem. Sunt enim ferenda fratris delicta, ſiue inuideat, ſiue inſoleſcat & efferatur, & ingrati animi vitio laboret. ea de cauſã coniunxit labori charitatem. Spei autem coniunxit tolerantiam. Spem autem nobis dedit Chriſtus Dominus reſurrectionis mortuorum, vitæ immortalis, regni cœlorum. Toleranter autem ſuſtinere conuenit eũ qui hanc pacem accepit, & forti ac generoſo animo ferre moleſtias & difficultates quæ accidunt. Horum autem eſt inſpector Deus vniuerſorum. Hoc enim ſignificat illud: Ante Deum & patrem noſtrum.

Scientes fratres dilecti, à Deo electionem veſtram quòd Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed etiam in virtute, & in ſpiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos.

Vos eſtis teſtes potentię Euangelij. Non ſolum enim orationem ad docendum aptam ad vos attulimus, ſed eorum etiam quę diximus veritatem per miracula oſtẽdimus. Vos etiam impertijmus gratia cuius eramus participes. Hoc enim dixit, in ſpiritu ſancto, vobis autem perſuaſit etiam periculorum magnitudo: quibus non ceſsimus, vtpote quòd diuina eſſent quæ à nobis afferebantur. Illud enim, quales fuerimus in vobis propter vos, ſignificat pericula quæ pro eis adierunt, dum eis prædicationem ſalutarem afferrent.

Et vos imitatores noſtri facti eſtis & Domini excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio ſpiritus ſancti.

Magnum quidem encomium Theſſalonicenſium, & quòd imitati ſint Apoſtolos: longè autem omnium maximum quòd ipſius etiam Domini ſint perpeſsiones imitati, & in periculis, nec mœrore conficiantur, nec animum abijciant, ſed ſpiritali voluptate impleantur.

Ita vt facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & Achaia.

Eorũ laudem amplificauit, dicẽs eos fuiſſe exemplaria pietatis, gentibus maximis & quæ propter

propter ſapientiam habentur in admiratione.

A vobis enim diffamatus eſt ſermo, non ſolum in Macedonia & in Achaia, ſed & in omni loco fides veſtra quæ eſt apud Deum, profecta eſt.

Et quid, inquit, dico Macedoniã & Achaiam: Vbiq; enim decantattur feruor veſtrę fidei. Illud autem, A vobis reſonuit ſermo Domini, dixit, non quòd prędicatio illinc cœperit, ſed quòd eorum ad res diuinas quę vulgo iactabatur alacritas, multos ad pietatẽ magno ſtudio ſequendam commouerit.

Ita vt non ſit nobis neceſse quidquã loqui. Ipſi enim de nobis annũtiant, qualẽ introitũ habuerimus ad vos.

Præuenit nos fama, & ab alijs audimus quæ volumus dicere, omnib. enim euaſit manifeſtus, noſtrę doctrinę qui in vobis fuit fructus.

Et quomodo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris ſeruire Deo viuo & vero.

Nos apertè docuit diuinus Apoſtolus, quomodo ſit intelligendum illud, Vt cognoſcant te ſolum verum Deum. Non enim cum filio comparans, ſed cum ijs qui Dij non ſunt, eum qui eſt, viuum & verum appellauit. Et eũ quidem nominauit viuentẽ, vtpote quòd illi non viuant. Verum autem, vtpote ꝙ illi Dij falsò vocentur.

Et expectare filium eius de cœlo, quem ſuſcitauit ex mortuis, Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura.

Nos, inquit, ab idolorum errore liberatos, & ad ſuũ dominiũ traductos, iuſsit expectare aduentũ Vnigeniti, qui nos intentatis ſupplicij minis efficiet ſuperiores. Sciendum aũt eſt nec diuinã vnigeniti naturam eſſe à mortuis excitatam. Eſt enim impatibilis, neq; & alius filius Ieſus ab vnigenito, ſed idem quidem eſt. paſſus eſt autem vt homo, reſurrexit vt homo.

CAP. II.

NAm & ipſi ſcitis fratres introitum noſtrum ad vos, quòd nõ inanis fuit: ſed ante paſsi multa, & contumelijs affecti, ſicut ſcitis in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro liberè loqui ad vos Euangelium Dei in multa ſolicitudine.

Sufficit vel perpeſsionum teſtimonium ad oſtendendam veritatem prædicationis. Qui enim conantur decipere, ad pericula vſque perſonã ſuſtinent, ſed vbi ea viderint, ſeipſos aperiunt, & mendacium arguunt. Ea de cauſa diuinus Apoſtolus vincula & verbera quæ ſuſcepit Philippis, & dicendi libertatem qua poſtea vſus eſt in memoriã reuocauit, docens ſe poſt ea quæ ſibi moleſta euenerant, fuiſſe maiori alacritate & promptitudine repletum, quoniam laborũ prętuidebat emolumentum.

Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo.

Exhortationem appellauit doctrinã. Quæ, inquit, afferimus, non ſunt ſimilia poetarũ fabulis, quæ plurimis quidẽ mẽdacijs, plurima autẽ laſciuia & impudicitia plenę ſunt, ſed neq; doli auxilio adiuti, vos captam in perniciẽ.

Sed ſicut probati ſumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra.

Non ipſi à nobis electi doctores ſumus cõſtituti: ſed à Deo creditum eſt nobis Euangelium. Quamobrem tanquam Deo teſte omnia dicimus & facimus. Scimus enim nullum noſtri animi motũ eum latere. Illud aũt ſicut probati ſumus à Deo, pro eo ꝙ eſt, Quoniã ei viſum eſt & probauit vt nobis crederet.

Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ Deus teſtis eſt.

De adulatione quidem vocauit ipſos in teſtimonium. Verba enim adulatorum aperta ſunt ijs qui audiunt: auaritiæ autem, non ipſos vtique, ſed eum qui eſt inſpector vniuerſorũ. Sępe enim latet homines eius quod fit ſcopus & inſtitutum. Auaritiã autem vocauit prędicare ꝙ pecunijs parãdis, aut re facienda.

Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs, cùm poßemus vobis oneri eſſe vt Chriſti Apoſtoli.

Neque verò ſumus glorię humanæ amãtes. Id interiecit, quæ autem ſubiunguntur, referũtur ad id quod ante dictum eſt. Neque ſub prætextu auaritiæ. hoc enim conuenit. Cùm poſſemus vobis oneri eſſe vt Chriſti Apoſtoli. Præceptum quidem, inquit, nobis fuerat vt de Euangelio viueremus, ſed poteſtate vſi non ſumus. Illud autem, oneri eſſe, dixit, referens ad eos qui non lubenter præbent.

Sed facti ſumus parvuli in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos ita deſiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non ſolum Euangeliũ Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſsimi nobis facti eſtis.

Per ſimilitudinem oſtendit & manſuetudinem, & curam quam eorum gerebat. Aſsimilat enim ſeipſum matri quæ ſuorũ filiorũ curam gerit. Eandem enim vocat & nutricem & matrem. Quemadmodum, inquit, nutrix fouet ſuos filios, ei conſimiliter nos quoque deſideramus veſtras animas tradere doctrinæ ſpiritali, adeo nobis fuiſtis deſiderabiles.

Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis.

Docet enim quænam ea ſit.

Nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei.

Oſtendit ingentem fuiſſe laborẽ, cùm non ſolum dixerit laborem, & fatigationem: ſed etiã diebus tempus nocturnum coniunxerit.

Vos teſtis eſtis & Deus, quàm ſanctè & iuſtè & ſine querela, vobis qui credidiſtis affuimus.

Diſtinctio addita nobis oſtendit quàm accuratus fuerit in ſcribenda epiſtola. Non enim dixit, A reprehenſione alieni ſumus omnibus, ſed vobis credentibus. Dei autem adiecit teſtimonium, quoniam ea ſola quæ videntur ſunt manifeſta hominibus. Deo autem ea etiam quæ latent homines.

Sicut ſcitis qualiter vnumquenque veſtrum, ſicut pater filios ſuos, deprecantes vos & conſolantes teſtificati ſumus vt ambularetis digne Deo, qui vocauit vos in regnum ſuum & gloriam.

Rurſus aliam propoſuit ſimilitudinem & patri ſeipſum comparauit, pluribus oſtendens quam in eos habet beneuolentiam. Valde autem

autem appositè tria posuit, deprecantes, consolantes, & testificantes. Non solum enim adhibenda est consolatio ijs qui sunt animo tristi & anxio: sed sunt etiam terrendi socordes, admonendo eos malorum quorum minæ intentantur. Hæc autem, inquit, faciebam, vos adhortans vt vitam institueretis pro dignitate Dei qui vos vocauit, & cœlorum regnum est pollicitus.

Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quòd cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut est, verè verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.

Quoniam testificatione metũ incussit, laudibus consolatus est. Non enim vt sermones, inquit, humanos, sed vt diuinos, eos qui à nobis traditi sunt, suscepistis. Tales autem eos esse docuit ipsa quoque rerum experientia. Ipsi enim propheticam quoque gratiam assecuti, & ꝓphetabant, & linguis loquebantur, & admirabilia miracula faciebant. Non hæc autem solum significauit id quod ab eo dictũ est, sed etiam pericula quę illis ab aduersarijs creata sunt. Hoc enim significant ea quę consequuntur.

Vos enim imitatores facti estis fratres ecclesiarũ Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu, quia eadem passi estis à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur.

Deinde ostendit quomodo aduersantur.

Prohibentes nos gentibus loqui vt saluisiant, vt impleant peccata sua semper. Peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem.

Sufficit exemplum ad consolationem. Affert enim sufficiens solatium, perpesionis similitudo. Docet autem nos quod hic dicitur, quòd in eorum facultates qui Thessalonicæ crediderunt, inuaserunt infideles, eosque spoliarunt. Idipsum etiam vsuuenit ijs qui salutarem prædicationem in Iudæa acceperunt. Prædixit etiam futurum Iudęorum exitium. Peruenit enim ira Dei in illos vsque in finem. Reuocationem enim non amplius consequen
Psal. 73. tur. Ita etiã inquit beatus Dauid. Vt quid Deus repulisti in finem? Illud autem: Omnibus hominibus aduersantur, ita est intelligendũ. Orbi quidem, inquit, terrarum iussus sum afferre salutarem prędicationem. Hi autem nobis repugnant, sunt ergo hostes omnium hominum.

Nos autem fratres desolati à vobis ad tempus horæ aspectu, non corde, abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio.

Assimilauit seipsum matri nutrienti & fouenti infantes, deinde patri, qui suis filijs ex animo bene vult: nunc autem dicit se eos desiderare non secus ac pupillus qui deflet immaturam orbitatem, & parentes requirit. Se autem dicit eos desiderare licet paruo tempore fuerit ab eis separatus. Pulchra est autẽ adiectio, Facie, & non corde. Pro eo quod est, sum sensili priuatus aspectu: sed eo qui cadit in intelligentiam fruor assiduè.

Quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus semel & iterum: sed impediuit nos Satanas.

Nostram animi promptitudinem retardarunt mutuæ tentationes, eas autem solet mouere communis hostis. Qua de causa dixit eũ prohibuisse, ne veniret ad eos.

Quæ enim est nostra spes, aut gaudium, aut coronæ gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Quoniam seipsum matri assimilauit quę nutrit suos filios, eius quoque verba imitatur. Eę enim infantulos & spem & gaudium, & quæ sunt eiusmodi, appellare consueuerunt.

CAP. III.

PROpter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis, & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestra, vt nemo moueatur in tribulationibus istis.

Quoniam prohibiti sumus ad vos venire, misimus Timotheum, qui est noster frater, diuinum autem ei creditum est Euangelium. Misimus autem ipsum, nõ vt aliam vobis afferret doctrinam, sed vt vos in priori confirmaret, & hortaretur ad forti animo ferendas aduersariorum insidias, & ne labefactaremini, nec à priore sententia dimoueremini. Notandum est autem eum ministrum Dei illum vocasse, cui creditum est Christi Euangelium, docens se non cognoscere Filum minorem patre.

Ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus.

Nobis hęc Dominus prædixit ab initio, nihil ergo noui patimur, sed ea quę ipse prædixit. Ecce mitto vos, tanquam oues, in medio Matth. 10.
luporum. &, Beati, qui persecutionem pa- Matth. 5.
tiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, & plurima his similia.

Nam & cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & vos scitis.

Iis quæ prædicta sunt ea quæ nobis euenerunt tulere testimonium.

Propterea & ego amplius non sustinens misi ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentauerit vos is qui tentat, & inanis fuerit labor vester.

Ea de causa cùm maximam solicitudinem amplius ferre non possem, misi scire desiderans, num ex tentationibus aliquid damni vobis accesserit, & frustrati sumus labore quem pro vobis suscepimus. Postquam priorem curam sic ostendit, dicit etiam lætitiam quam cepit ex ijs quæ à beato Timotheo illi nunciata sunt.

Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annunciante nobis fidem & charitatem vestram, & quòd memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoq; vos, ideo consolati sumus fratres in vobis in omni necessitate & tribulatione nostra per fidem vestram.

Tria quæ sunt amore prosequenda & magnifacienda posuit, fidem, & charitatem, & doctoris memoriam. Significat autem fides qui-

quidem, pietatis & religionis constantiam. Charitas verò, quæ in actione consistit virtutem. Doctoris autem recordatio, & eius desiderium, fert testimonium de amore doctrinæ. Hæc, inquit, effecerunt, vt bono animo essemus: & quæ nobis afferũtur afflictionum obliti simus: quas quidem propter fidem vestram sustinuimus, pro eo quod est. Quoniam vobis prædicamus.

Quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino.

Vestram enim confirmationem vitam nostram ducimus.

Quam enim gratiarũ actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte & die abundantius orantes, vt videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ?

Vincit laudem quę à lingua decantatur lætitiæ magnitudo, non possumus enim laudem afferre, quę lętitiæ nobis à vobis allatę respõdeat. Deum diu noctuque oramus, vt Dominus nobis præstet vt vos rursus videamus, & confirmemus, & quæ vobis conuenit doctrinam afferamus. Hoc enim dicit, Et compleamus ea quæ desunt fidei vestræ, id est, vt impleamus ea quę deficiunt. Hanc ipsam autem vtilitatem affert eis etiam per literas. Incipit autem à precatione.

Ipse autem Deus & pater noster & Dominus Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos.

Pro eo quod est, impleat nostrum desiderium, & tollat difficultates quę in medio sitæ sunt. Iam verò hæc docent æqualitatem Patris & Filij. Non enim posuit præpositionem Per, sed Coniunctionem Et, docens Patrem & filium eadem administrare, quemadmodũ etiam eadem fabricantur. Quòd autem vna sit administratio, testantur etiam ea quæ subiunguntur. Dei enim & patris relicta persona, meminit solius filij, & dicit.

Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in inuicem & in omnes, quemadmodum & nos in vobis ad confirmanda corda vestra sine querela, in sanctitate ante Deum & Patrem nostrũ, in aduentu Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius.

Rectam charitatis operationem, legis totius implementum appellauit diuinus Apostolus. Eos ergo orat vt & numero crescant, & charitate augeantur, hoc est, vt eam perfectã possideant, vt nihil ei desit: & non solum ea inter se inuicem vtantur, sed etiam in omnes fideles, qui sunt vbique terrarum. Ita enim, inquit, nos quoque qui procul absumus, de vobis affecti sumus, volentes confirmare corda vestra, vt vos & ab omni reprehensione liberi & nũc videamini ab vniuersorum Deo, & cum sanctis omnibus obuiam eamus Domino.

CAP. IIII.

DEcætero ergo fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu.

Hoc scopo & instituto vtentes, afferimus vobis exhortationem. Illud autem, de cætero, pro eo quod est, reliquum est, vt vobis nostram adhortationem afferamus. Quenam autem ea est?

Vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & Deo placere, vt magis abundetis.

Ostendimus vobis quænam vita vniuersorum Deo grata sit, studium adhibete vt quæ sunt vobis decreta custodiatis.

Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum.

Et superius dixit, In domino Iesu: & hic dicit, Per Dominum Iesum, hoc agens vt per recordationem Domini, fide dignam reddat adhortationem. Hęc autem sufficiunt ad conuincendam Arrij & Eunomij blasphemiam. Si enim prępositio, Per, significat administrũ, est ergo administer Pauli Dominus Iesus. Per Dominum enim Iesum præcepta tradidit: & in Domino Iesu adhibuit exhortationem. Sin autem ipsi quoq; fugiunt hanc blasphemiam, & fatentur Paulum esse seruum: Dominum autem esse Dominum, clarum est ergo diuinum Apostolum absque discrimine esse vsum prępositionibus. Sed pergamus in ijs exponendis quæ sequuntur.

Hæc est enim volnuntas Dei sanctificatio vestra.

Deinde docet quam virtutẽ appellarit sanctificationem.

Vt abstineatis vos à fornicatione.

Multæ sunt species libidinis & intemperantiæ. Quamobrem non dixit, A fornicatione, sed, ab omni fornicatione.

Vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione.

Nonnulli interpretati sunt vas suũ pro coniuge. Ego autem existimo eum sic vocasse suum vniuscuiusque corpus. Non fert enim tantùm legem ijs qui matrimonio iuncti sunt. Et honore, non est in Græco Theod.

Non in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum.

Liberamini, inquit, ab errore, agnoscite Deum qui est, ne ergo imitemini eos qui degunt in tenebris inscitiæ, nec seruite vitio cupiditatis. Deinde legem reddit apertiorem.

Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.

Quod est hic, Circumueniat, Græcè est, πλεονεκτῆρ, id est, per auaritiam in aliena inuadere. Auaritiam autem & plura habendi cupiditatem hic vocauit adulteriũ. Quod enim ad se non pertinet attingit, qui alienum violat matrimonium, & quod ad alium pertinet cubili vim affert. Auxit autem criminationem, ostendens esse fratrẽ qui iniuria afficitur. Supplicium autem ostẽdit, aduersus iniquitatem terrorem in aciem producens.

Quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.

Etenim iam docuimus iustum esse iudicem Dominum vniuersorum, & de ijs qui iniustè se gerunt sumere supplicium. Porrò autem ostendit etiam iustum esse vt pœnas luant.

Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

Dia-

Diabolus eorum, qui non sunt Dij decreta ac dogmata impleuit impudicitia, ac intemperantia, hortans homines vt ea via ingrederentur. Qui est autem verè Deus, illam quidem nos iubet declinare, temperantiæ autem viam persequi.

Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum sanctum suum in nobis.

Ad ipsum itaque vniuersorum Dominum redit improbitas. Ipse enim dedit nobis gratiam sanctissimi Spiritus. Postquam de continentia & moderatione doctrinam sic perfecit, transit ad aliud genus exhortationis.

De charitate autem fraterna non habemus necesse scribere vobis. Ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem, etenim illud facitis in omnes fratres in Macedonia.

Fraternam charitatem hic vocauit liberalem pecuniæ erogationem, de qua dicit eos non habere opus exhortatione, à diuina etiam gratia eis concessum esse, vt in ea se rectè gererent.

Rogamus autem vos fratres vt abundetis magis, & detis operam vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris sicut præcipimus vobis & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.

Non est prædictis legibus contraria exhortatio. Etenim accidebat vt alij quidem liberaliter suppeditarent egentibus: alij verò propter eorum munificentiam, operari negligerent. Iure ergo & illos laudauit, & his dedit vtile consilium. Appositè autem appellauit operationem munificentiam seu liberalitatem. Qui enim poterant ali, licet non laborarent, propter eorum qui erant eiusdem fidei fraternam charitatem, nec tamen sine labore viuere in animum inducant, sed manibus sibi victum parantes, industriam ac diligentiam tanquam liberalitatem quandam ac munificentiam afferebant. Illud autem, vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, ipse exposuit, subiungens, Vt nullo opus habeatis. Dedecus est enim, inquit, in otio viuere, non quæ sunt necessaria ex labore quærere, sed vitam mendici eligere, & expectare aliorum munificentiam. Deinceps affert doctrinam de resurrectione, eos qui pro mortuis animi angebantur consolans.

Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut reliqui qui spem non habent.

Non prohibet omnino dolorem, sed expellit immoderationem, eosq; resurrectionis spe consolatur. Qui enim eam non habent, possunt suum immoderatum dolorem defendere. Ea de causa non dixit, de mortuis, sed de ijs qui dormierunt, vel per ipsum nomen consolationem procurans. Deinde à Christi doctrina quam susceperant, probat resurrectionem.

Si enim credimus quòd Iesus Christus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.

Si Christi resurrectio nobis fide digna esse videtur: credamus fore vt nos quoque resurrectionem assequamur. Carnis enim susceptæ mysterium propter nos est dispensatum. Valde autē sapienter dixit diuinus Apostolus Dominum quidē Iesum esse mortuum, propter eos qui negant carnis assumptionem, visione autem seu apparitione, eum & visum & passum esse existimant: eos autem qui moriuntur appellauit dormientes, vel ipso nomine consolans eos qui afflictantur & animo cruciantur. Somnum enim consequitur excitatio.

Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini.

Non enim proprijs vtimur cogitatis: sed à diuina reuelatione doctrinam accepimus. Quænam autem ea est?

Quōd nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos qui dormierunt.

Adeò, inquit, citò & celeriter, & in momento temporis, omnes qui mortui sunt resurgent, vt eos qui illo tempore adhuc erunt superstites præueniant, & eant obuiam seruatori vniuersorum. Illud enim. Nos qui viuimus, non posuit de sua ipsius persona, sed de ijs qui erunt illo tempore superstites. Confirmatur autem id quod dictum est, cùm mirum & supra fidē videatur, ex potentia eius qui operatur.

Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo.

Ipse enim primus vniuersorum Dominus apparebit de cœlo descendens, quæ sub aspectum non cadunt potestatibus eum præcedentibus, & iubebit quidem Archangelum clamare, & mortuos resurgere. Tubæ autem magno & admirabili clangore vndique personabunt. Hoc autem dicit etiam in epistola ad Corinthios. Omnes quidem non dormi- 1.Cor.5.
emus, sed omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in vltima tuba. Tuba enim canet, & mortui surgent à corruptione alieni: & nos immutabimur. Si autem in monte Sina, cùm editus esset sonus ijs qui aderant commoderatus, non tulit populus ingentem terrorem, sed dixit magno Mosi. Loquere tu Exod.20.
nobis, & non loquatur Deus nobiscum, vt non moriamur: quis feret vocem quæ tunc resonabit? Hoc autem, in iussu, in voce Archangeli, hoc significat, quòd iussus aliquis ex Archangelis iubebit mortuos resurgere. Illi autem statim resurgent, & cum tanta celeritate, vt eos qui sunt superstites præueniant. Tale quid etiam dictum est in sanctis Euangelijs in parabola virginum. Media autem no Matth.25.
cte clamor factus est. Ecce venit sponsus, egredimini in occursum eius.

Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.

Mortuos fideles dicit, non eos solummodo qui crediderunt Euangelio, sed eos etiam qui ante legē & in lege claruerunt. Hoc enim dicit etiam in epistola ad Hebræos. Ii Heb.11.
omnes testimonio fidei comprobati, non tulerunt promissionem, cùm Deus aliquid melius

melius de nobis præuidisset, vt non absq; nobis perficerentur. Omnes ergo qui sunt pietate & vera religione illustrati, consequentur primi resurrectionem. Hoc enim docuit et- 1. Corin. 15.
iam in epistola ad Corinthios. Primitię enim est Christus: deinde ij qui sunt Christi in eius aduentu: deinde finis.

Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur: simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino, in aere, & sic semper cum Domino erimus.

Ostendit magnitudinem honoris. Quemadmodum enim ipse Dominus in nube lucida assumptus est: ita etiam qui in ipsum credi derunt, & qui ex mortuis resurgūt, & qui adhuc supersunt, vecti nubibus ibunt obuiam Iudici vniuersorum, & cum ipso peragent per infinita sæcula. Hoc etiam nos docuit Domi- Matth. 24.
nus in sacris Euangelijs. Duo inuenientur in Luc. 17.
lecto, vnus adsumitur, & vnus relinquitur. Duę in mola, vna adsumitur. Duo in agro, vnus adsumitur, & vnus dimittitur. Et per lectum quidem, opes significauit: per molam verò seruitutem, & vitam mercenariam: per agrum autem, vitā rusticam, & docuit vnamquanque vitam habere eos qui seruantur, & eos qui puniuntur. Ita etiam cùm Rex in aliquā ciuitatē ingreditur, Magistratus quidem & qui sunt in maxima auctoritate procul obuiam procedunt: Qui sunt autem criminibus obnoxij, intus expectant aduentum Iudicis.

Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

Cùm hæc itaque sciatis, ferte forti animo molestias & difficultates quæ in hoc sæculo eueniunt.

CAP. V.

DE temporibus autē & momentis fratres, non indigetis vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet.

Hęc eis scribit, vt quiiam prędocti fuissent. Repentinum autem Domini aduentum furi comparauit. Is enim conatur latere, sed qui custodit domum, sentit furis aduentum: qui autem negligit & dormit, ei domus diripitur. Ita qui est sobrius, nouit signa aduentus Domini.

Cùm enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.

Exemplum admodum appositum. Quę est enim grauida, scit se habere fœtum in vtero, nescit autem tempus pariendi: Ita nos etiam esse quidem venturum vniuersorum Dominum scimus: ipsum autem tempus nequaquā didicimus. Qua de causa illa dies semper est expectanda. Sic etiam dixit Dominus in diuinis Euangelijs. Sicut in diebus Noe comedebant, bibebant, vxores ducebant, & nuptum dabant, donec venit diluuium, & perdidit omnes: ita erit aduentus filij hominis. Per omnia autem significauit quàm esset futurus repentinus.

Vos autem fratres, non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur cōprehendat, omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei. Non sumus noctis, neq; tenebrarū.

Perstitit in figura parabolica, & tenebras quidē vocat ignorationem: diem autem cognitionem. Dicit ergo, Vos qui Dei cognitionis radium suscepistis, fugite studiū tenebrarum, ne in vos repente inferatur sententia supplicij. Et permanēs in exhortatione, subiūxit.

Igitur non dormiamus, sicut & cæteri.

Hoc est, sicut ij qui impietati seruiunt.

Sed vigilemus, & sobrij simus.

Deinde ex ijs quæ fiunt in vita vtilitatem comparat.

Qui enim dormiunt, noctu dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrij simus.

Hoc etiam dixit alibi. Nox præcessit: dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Eadem etiam hic arma profert.

Induti loricā fidei & charitatis, & galeam, spem salutis.

Nos, inquit, pro thorace muniat fides in Deum, & charitas in proximum. Sit autem nobis infracta galea, spes salutis, quæ est nobis promissa.

Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum Iesum Christum qui mortuus est pro nobis.

Non enim nos ideo vocauit vt infligat supplicium, sed vt salute dignetur, & vt familiares ac domesticos efficiat, adiutore ac cooperatore vsus Christo Domino, qui pro nobis mortem subijt.

Vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus.

Vt & qui sunt mortui, & qui adhuc sumus superstites, eius simus vitæ participes. Vigilantes enim appellauit eos qui erunt illo tempore superstites: Dormientes autem eos qui excesserint.

Propter quod consolamini inuicem: & ædificate alterutrum, sicut & facitis.

Consolemini ergo, & in hac fide cōfirmate: Postquam hanc partem orationis perfecit, eis de Doctoribus affert exhortationem.

Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum, pacem habete cum eis.

Aequum est vt Doctores omnem apud vos honorem consequantur, & quod par est præmium eis à vobis detur: nec ijs quæ ab eis dicuntur contradicatis. Hoc enim dicit illud. Pacem cum eis habete. Hoc verò, Qui vobis præsunt in Domino, pro eo quod est, Qui orant pro vobis, & Deo ꝓ vobis intercessionē offerunt. Illud verò, Plurimi eos facite, ꝓ eo quod est, Habete in maximo honore, qui cum vera & sincera affectione eis exhibeatur.

Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos.

Eos qui viuunt in otio ita vocauit, vt qui ordinem statutum non seruarent, eos nō odio habere, sed admonere & corripere præcepit.

Consolamini pusillanimes.

Appellauit pusillanimes eos qui pro mortuis capiunt immoderatum dolorem, si mili-

ter eos etiàm qui non fortiter ferunt insultus aduersariorum.

Suscipite infirmos.

Fulcite ac stabilite eos qui non habent firmam fidem.

Patientes estote ad omnes.

Tam eos qui sunt familiares ac domestici, quàm eos qui sunt alieni. Hoc.n. subiunxit.

Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, & in omnes.

Hoc ipsum scripsit etiam in epistola ad Romanos. Ne vincere à malo, sed vince in malo bonum. Rom. 12.

Semper gaudete.

Et in paupertate, & in infirmitate, & dum estis in vinculis, & dum iniurijs & tormentis afficimini.

Sine intermissione orate.

Nec hoc quidem est ex ijs quę fieri non possunt, facile est enim etiam comedenti Deum laudare, & ei qui iter ingreditur diuinum auxilium postulare.

In omnibus gratias agite.

Non solum in secundis, sed etiam in rebus aduersis. Nouit enim quod est vtile liberalis ac munificus Deus.

Hæc enim est voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.

Erat eis facile sedare tempestatem, sed vult per fluctus maximos nostrā procurare salutē.

Spiritum nolite extinguere.

Et quidnam est quod hoc facit?

Prophetias nolite spernere.

Nonnulli dicunt Diabolum etiam tempore Apostolorum excitasse Pseudoprophetas contra Prophetas: & quod propter falsas Prophetias eos etiam qui vera prædicebant prophetare vetabant. Eis ergo præcipit ne gratiam propheticam prohibeant, vtpote quòd qui hæc faciunt, propemodum extinguant splendorem qui ex ea procedit. Hoc ostendunt etiam ea quæ consequuntur.

Omnia autem probate: quod bonum est tenete.

Vobis facile est discernere quænam sunt quidem diuini spiritus: quænam verò contrarij. Iis ergo quæ sunt fallaciæ, secretis, quæ sunt veritatis tenete. Deinde generaliter dehortatur.

Ab omni specie mala abstinete vos.

Simul comprehendit ea quæ ad dogmata, & quæ ad mores pertinent.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia.

Hoc est, perfectè.

Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi conseruetur.

Spiritum appellauit gratiam. Orauit autem vt ea conseruaretur vsque ad aduentum Domini. Consequitur autem eius conseruatio puritatem animæ & corporis.

Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet.

Fidelis, pro eo quod est, verus. Qui nos enim ad salutem vocauit, bonum nostrum institutū adiuuabit. Rursus deinde suam ostendit modestiam.

Fratres orate pro nobis.

Hoc autem posuit, non solum vt orationis assequeretur auxilium: sed vt eos etiam se modestè gerere doceret.

Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.

Adiecit iusiurandum, quæ ex lectione oritur omnibus salutem procurans, erat enim verisimile eos qui primi epistolam accepissent, eam non omnibus fuisse daturos.

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum, Amē.

Eam nos quoque consequamur, consequemur autem, si voluerimus. Est enim omnium nostrum Apostolus & Doctor, qui hanc tradidit benedictionem. Si ergo latas leges seruemus, & legislatoris etiam benedictionem metemus. In Christo Iesu Domino nostro. Cum quo Patrem cum sanctissimo Spiritu decet & gloria & magnificentia nunc & semper & in sæcula seculorum. Amen.

Prima ad Thessalonicenses scripta est Athenis.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SECVNDAE AD THESSALONICENSES.

CVM resciuisset diuinus Apostolus vtilitatem quam ceperant Thessalonicenses ex prioribus literis, & quòd grauiter pro fide oppugnati, forti & generoso animo ferrent aduersariorum impetus, ad eos quoq; scripsit secundam epistolā, ad virtutem & animi magnitudinem excitans, & spe futurorum consolans. Quoniam autem nonnulli etiam tentauerant eis persuadere instare tempus consummationis, dicentes hæc dixisse Apostolum: de ijs quoq; scribit, docens ea quæ conuenit, quòd oportet prius visum esse inimicum veritatis, dicēs Antichristum: Deinde apparere Christum Deum & seruatorem nostrum. Suasit etiam ea quæ sunt conducibilia ijs qui in otio vitam agere volebant. Vniuscuiusq; autem horum intelligentiam assequemur ex verborum contextus interpretatione.

BEATI

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO EPISTOLAE SECVNDAE AD THESSALONICENSES.

PAulus et Siluanus et Timotheus ecclesiæ Thessalonicensiū in Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo, gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

Eosdē rursus accepit literarum socios, vt qui fuissent adiutores prædicationis. Illud autem, In Deo Patre, simile est ei quod à nobis scribitur in epistolis. Solemus enim scribere. Talis tali in Domino salutem. Etiam autem hic Patris & filij nos docuit potentiæ æqualitatem. Cùm enim dixisset, In Deo Patre nostro, subiunxit, & in Domino Iesu Christo, & rursus cùm dixisset, à Deo Patre nostro, adiecit, Et Domino Iesu Christo, nempe quòd eadem bona nobis & à Patre & à filio suppeditentur.

Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, quòd supercrescit fides vestræ, & abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem.

Gratiarum actione rursus laudem effingit, & admiratur quidem fidem ipsorum in Deum: admiratur autem charitatem in proximum. Per vtrumque autem testatur perfectissimam eis inesse virtutem. Dominus enim in his duobus præceptis dixit totam legem & Prophetas impleri.

Ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesijs Dei pro patientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimur.

Et earum quæ in vos inuadunt molestiarū ac calamitatum magnitudinem scientes, & vestram fortitudinem ac constantiam per quam eas propulsatis, de vobis gloriantes nobisque ipsis placentes, & vestram virtutem animique magnitudinem admiramur in alijs ecclesijs. Scimus autem vos & apertè scire periculorum præmia, & expectare regnum cœlorum, vt qui non ignoretis iustam Agonothetæ sententiā. Hoc enim dixit. Argumentum seu indicium iusti iudicij Dei. Facit autem hoc apertius per ea quæ sequuntur.

Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cœlo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis, dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi.

Illud siquidem, non posuit in dubitatione, sed in asseueratione. Etenim nos solemus dicere affirmantes, Siquidem hoc verum, sicut quidem verum est. Dicit ergo esse iustum, & iustitiæ legislatori conueniens, vt nos remuneretur pro perpessionibus fidei, & de aduersariorum impietate pœnas sumat. Hoc autem erit in tempore consummationis. Tunc enim Deus quidem de cœlo aduenit: præcedūt autem populi Angelorum: & tradentur igni inextinguibili qui fuerint impietatis tenebris circundati. Hæc autem scripsit diuinus Apostolus, eos qui grauia & difficilia sustinent, spe futurorū consolans. Propterea ergo & timore plenum ostendit iudicium, primum quidem de cœlo ostendēs aduenientem iudicem: Deinde eorum qui illi ministrant potestatem. Hi enim sunt Angeli: Deinde genus supplicij, flammæ enim ignis traduntur. Quòd si ij qui Euangelio non credunt hæc patientur, clarum est eos grauiora passuros, qui aduersus eos qui crediderunt bellum gerunt.

Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.

Ostendit exactius supplicij magnitudinem, quando ipsum appellauit æternum. Ostendit etiam claritatem & gloriam eorum qui crediderunt, cùm dixit ipsum Deum esse in ijs glorificandum & habendū in admiratione. Quoniam enim in vita præsenti alij quidem versantur in laboribus & afflictionibus: aliqui verò qui improbam & sceleratā vitam agunt, omnibus bonis affluunt: & in die quidem iudicij renuntiabuntur quidam iusti, & coronis donabuntur, qui autem flagitiose vixerunt, punientur, iure dixit, Cùm venerit vt glorificetur in sanctis suis, & fit admirabilis in ijs qui non crediderūt. Iustam enim iudicis sententiam tunc omnes mirabuntur.

Quia creditum est testimonium nostrum in die illa super vos. Super vos, vbi habet Theod.

Illud in die illa, reddendum est illi quod est superius. In admiratione enim habebitur inter omnes qui non crediderunt in die illa. Testimonium autem appellauit prædicationem. Hoc autem ipsos etiam dicit credidisse.

In quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute, vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo, secundum gratiam Dei nostri & Domini Iesu Christi.

Ea de causa precamur vniuersorum Deum, vt vos digni habiti vocatione, impleamini omnibus bonis: vt & vos etiam fructus fidei producatis. Fidei autem opus hic appellauit, tolerantiam in perpessionibus. Ita enim, inquit, ipse etiam in vobis glorificabitur, & vos cum eo eritis futuræ gloriæ participes. Cùm

ſic futurorum ſpe eos eſſet conſolatus, conuertit ſe ad dicendum de conſummatione.

Expoſitio valde bona de Antichriſto.

CAP. II.

ROgamus autem vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non cito moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini neque per Spiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.

Illud Rogamus, ſemper ponit pro eo quod eſt, hortamur. Hoc verò, Noſtrę congregationis in ipſum, ſignificauit apertius in priori epiſtola. Dixit enim fore vt rapiamur in aerẽ in nubibus cœli in occurſum Domini: & ita ſemper cum Domino erimus. Hoc autem dixit etiã Dominus in ſacris Euangelijs. Et mittet Angelos ſuos, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum vſq; ad terminos eorum. Præcipit ergo diuinus Apoſtolus non credere ijs qui dicunt inſtare tempus conſummationis, & Dominum ſtatim eſſe apparituru: nec ſi prę ſe ferant ſe vaticinari & prophetare. Hoc enim dicit, Neq; per ſpiritum: nec ſi confectam, tanquam ab ipſo ſcriptam, epiſtolam proferant: nec ſi ſine ſcriptis eum dixiſſe aſſerãt. Deinde hoc ipſum rurſus breuiter. Marc. 13.

Ne quis vos ſeducat vllo modo.

Omnia deceptionis genera ſimul expulit. Docet autem ipſos, & per ipſos nos omnes, vel maximum Domini aduentus ſignum.

Quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus.

Defectionem ipſum vocauit Antichriſtum, à re ipſa ei nomine impoſito, conatur enim à veritate abducere, & efficere vt deficiant. Ipſum autem hominem peccati appellauit, quandoquidem natura homo eſt, qui omnem operationem Diaboli in ſe ſuſcipit. Filium autem perditionis, vt & qui ipſe pereat, & alijs interitum procuret. Imitatur enim capitalis hominum hoſtis Dei & Seruatoris noſtri humanæ naturæ ſuſceptionem, & ſicut ipſe humana ſuſcepta natura, noſtram procurauit ſalutem: ita ille cùm eligit hominem qui poſsit eius omnem ſuſcipere operationem, per eum omnes homines decipere conabitur, ſe ipſum Chriſtum & Deum nominans, & Deos qui vocantur falſos eſſe arguens, quorum ipſe falſitatem temporibus præteritis cõfirmabat. Dei autem templum appellauit eccleſias in quibus primam ſedem arripiet, ſeipſum Deum conans oſtendere. Hæc diuinus etiam prædixit Daniel. Dixit enim, Super Deos Patrum ſuorum non intelliget, & Deum Maozim in loco ſuo glorificabit. Pro eo quod eſt, Deum fortem ſeipſum nominabit. Deinde docens ſe non nouam eis afferre doctrinam, ſubiunxit. Dan. 11.

Num retineris, quòd cùm adhuc eſſem apud vos hæc dicebam vobis?

Dicit autem etiam quanam de cauſa differt, & non ſtatim apparet.

Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore.

Quidam id quod detinet, intellexerunt imperium Romanum: quidam autem gratiam ſpiritus. Detinente enim, inquit, gratia ſpiritus, ille non accedit. Sed fieri non poteſt, vt omnino ceſſet gratia ſpiritus. Quomodo enim fieri poteſt vt illius machinationes ſuperent qui ſunt ſpiritali gratia priuati? Sed nec imperium Romanum aliud excipiet imperium. Per quartam enim beluã diuiniſsimus etiam Daniel Romanum ſignificauit imperium. In eo autem paruum cornu productum eſt quod gerebat bellum cum ſanctis. Hic autem ipſe eſt de quo diuinus Apoſtolus dixit quæ prædicta ſunt. Neutrum eorum puto dixiſſe diuinum Apoſtolum, ſed exiſtimo verum eſſe quod ab alijs dictum eſt. Statuit enim vniuerſorum Deus vt appareret in ipſo tempore conſummationis. Dei ergo decretũ nunc prohibet quo minus appareat. Exiſtimo autem etiam aliam habere intelligentiam id quod dicitur. Cùm enim didiciſſet diuinus Apoſtolus dixiſſe Dominum, oportere Euangelium prædicari in omnibus gentibus, & tunc finem futurum: videret autem adhuc vigere cultum idolorum: dixit ſequens doctrinã Domini, fore vt prius euertatur ſuperſtitio, & impius Dæmonum cultus, & vbique fulgeat diuina prædicatio, & tunc appareat veritatis aduerſarius.

Nam myſterium iam operatur iniquitatis.

Nonnulli dixerunt Neronem eſſe vocatum iniquitatis myſterium, vt qui fuerit impietatis artifex. Ego autem exiſtimo Apoſtolum ſignificare hæreſes quæ exortæ ſunt. Per illas enim multis à veritate abductis, præparat Diabolus exitium deceptionis. Eos autem appellauit myſterium iniquitatis, vt qui haberent cælatum iniquitatis laqueum. Ipſe enim apertè à Deo abducit homines. Quamobrem etiam reuelationem eius aduentum vocauit Apoſtolus. Quod enim clanculum ſemper confirmabat, id palam & apertè prædicabit.

Tantum vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.

Oportet autem ceſſare errorem ſuperſtitionis, & impij cultus idolorum, & prędicari Euangelium.

Et tunc reuelabitur ille impius, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.

Oſtendit quo ad licuit aduentus Domini magnitudinem. Cùm enim, inquit, è cœlo apparuerit, loquetur tantum, & ſcelerato iſti omnino afferet interitum. Hoc enim diuinus etiam prædixit Eſaias. Cùm enim dixiſſet, Egredietur virga de radice Ieſſe, & de eo aliquantiſper diſſeruiſſet; ſubiunxit, Et ſpiritu per labia de medio tollet impium. Docet autem diuinus Apoſtolus, à quonam actus, hæc omnia ſit facturus. Eſa. 11.

Eum cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ,

Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs qui pereuunt.

Non enim dominatum in omnes exercebit, ſed in eos qui digni ſunt perditione: qui, licet ipſe non veniſſet, ſeipſos ſalute priuauerunt. Hoc etiam dicit in ijs quę conſequuntur. Porrò autem docet etiam ea quæ futura ſunt, non fore vera miracula. Talia autem faciũt, & præſtigiatores qui ἀπὸ τῶν ψήφων hoc eſt à calculis ψηφοπαίκται dicuntur. Oſtendũt enim aurum quòd verè aurum non eſt, & quædam alia, quæ paulò pòſt arguuntur.

Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent.

Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.

Charitatem veritatis appellauit Dominum, vt qui nos verè & ſincerè dilexerit. Id ipſum autem dixit Dominus Iudæis. Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me. Venit alius in proprio nomine, & illum recipietis. Nullus ergo veniæ prætextus relinquetur Iudæis. Cùm enim Domino credere noluerint, tanquam qui eſſet Deo contrarius, ei credent. Atqui ipſe quidem non ſe apertè Deum vocabat: ſed ſe à Patre miſſum eſſe, & præceptum accepiſſe, & quę grata erant Deo & Patri, ſe facere dicebat. Iſte autem contrà ſe Deum vniuerſorum vocabit, ſed tamen Iudæi eum expectant, & ei cùm aduenerit credent. Illud autem, Mittet illis Deus operationem erroris, poſuit pro eo quod eſt, concedet vt error appareat, vt oſtendantur amatores improbitatis. Ipſe enim non eam mittet, ſed ipſe eam ſermone oris ſui conſumet. Ioan. 5.

Nos autem debemus gratias Deo agere ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias ad ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis. Ad quod et vocauit vos per Euangelium noſtrũ in acquiſitionẽ gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Hæc ergo erunt quidem conuenienti tempore, nos autem laudemus ſuppeditatorem bonorum, quòd ſalute vos dignatus fuerit, & ſpiritu ſancto impertierit. Quo fit vt ipſe propter vos ab omnibus laudetur.

Itaq; fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonẽ, ſiue per epiſtolam noſtram.

Habetis doctrinæ regulam, ſermones quos vobis tradimus, quos & præſentes vobis prædicauimus, & abſentes ſcripſimus. Deinde rurſus doctrinam confirmat precatione.

Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur cordà veſtra, & confirmet vos in omni opere & ſermone bono.

Qui eos qui odio habebant dilexit, & eos qui inimici erant vocauit, & futurorum bonorum ſpem dedit, vos in fide confirmet, vt & bonis ſermonibus & factis ſimilibus fulgeatis. Porrò autem hæc etiam conuincunt impietatem Arrij & Eunomij, & apertè docent, nominum ordinem non ſignificare dignitatum differentiam. Filium enim hic patri præpoſuit, non Patre eſſe maiorem docens filium, ſed ordinis mutatione eſſe honoris æqualitatem oſtendens.

CAP. III.

DE cætero fratres orate pro nobis, vt ſermo Domini currat & glorificetur, ſicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis & malis hominibus.

Videtur quidem eſſe duplex petitio: ſed tamen vna eſt. Superatis enim improbis hominibus, abſque vllo etiam impedimento currit ſermo prædicationis.

Non enim omnium eſt fides.

Hoc etiam dicit alibi. Perſuaſio non ex vocante. Eſt enim Dei proprium, vocare: noſtrũ autem, parere: Ita etiam dixit dominus in ſacris Euangelijs. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, &: Si quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, & tollat crucẽ ſuam & ſequatur me. Non enim ex neceſsitate vim affert, ſed voluntarium animum deſiderat. Ioan. 7. Luc. 9.

Fidelis autem Dominus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo.

Quam petijt precationem reddidit.

Confidimus autem de vobis fratres in Domino quòd quæcunque præcipimus & facitis & facietis.

Hoc etiam poſuit ad eorum exhortationem, vt cùm intellexerint quam de eis habet opinionem, eam factis confirment.

Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti.

Vtroque nobis opus eſt, & bono propoſito, & ſuperno auxilio. Orauit autem Propheta vt hæc aſſequeretur. Dirige greſſus meos in vijs tuis, vt non labefactentur greſſus mei. Diuinus autem Apoſtolus nobis charitatem oſtendit. Poſuit enim Dominum, & Deum, & Chriſtum. Clarum eſt autem eum Dominum vocaſſe Spiritum ſanctum. Ita etiam ſcripſit ad Corinthios. Dominus autem ſpiritus eſt. Deinceps verba facit de ijs qui Apoſtolica decreta tranſgrediuntur. Pſal. 118.

Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Orationem effecit fide dignã recordatione Domini. Ipſe eſt enim, inquit, qui hæc per nos decernit. Et cuiuſmodi eſt præceptum?

Vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis.

Se ſubtrahere autem poſuit pro ſe ſeparare. Traditionem autem dicit, non quę per verba, ſed quæ per opera facta eſt. Porrò autem docet etiam quænam ea ſit.

Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos quoniam non inquieti fuimus inter vos.

Cuiuſmodi autem eſt ea inordinatio?

Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus.

Planè ſcitis, quòd dum vobis diuinum traderemus Euangelium, nihil à quoquam accepimus: ſed noctu & diu aſsiduè laborauimus, vt hinc nobis neceſſarium alimentum ſuppe-

teret. Deinde docens hæc esse supra legem diuinam, subiunxit.

Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos.

Ita etiam scribit ad Corinthios. An non habemus potestatem comedendi & bibendi, & quòd Dominus statuit ijs qui Euangelium annunciant, vt de Euangelio viuant?

Nam & cùm essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis. Quòd si quis nõ vult operari nec manducet.

Nihil noui ad vos scribimus, sed quæ vos ab initio docuimus. Hoc autem, Non manducet, non dixit, respiciens eos qui præbent, sed eos qui viuunt in otio. Ijs autem qui suppeditant paulò pòst suadet, ne respiciant ad illorum improbitatem, sed sua vtantur liberalitate.

Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes.

Otiosorum enim propriæ sunt nugæ, futilisque loquacitas, & inutilis curiositas.

Iis autem qui sunt eiusmodi, denuntiamus & obsecramus in Domino Iesu, vt cum silentio operantes panem suum manducent.

Postquam eis sic legem tulit, vt laborent & quiescant, suadet alijs vt fraterna charitate vtantur.

Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes.

Ne vincat vestram munificentiam illorum improbitas.

Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.

Eos quibus sunt ecclesiarum credita gubernacula, hanc regulam oportet attendere. Corporalem enim eorum qui peccant subuentionem nõ prohibuit diuinus Apostolus: eos autem spiritali libertate priuauit. Sed vult vtriusque ab eis curam geri. Ne, inquit, tanquam inimicum existimate, sed admonete vt fratrem. Ii enim laborantium, membrorum locum obtinent. Ijs enim qui sunt eiusmodi solemus conuenientem medelam adhibere.

Ipse autem Deus pacis, det vobis pacem sempiternam in omni loco.

Vt & cum vobis ipsis, & inter vos inuicem pacem agatis, & ab aduersariorum impetu liberemini. Hoc enim significat illud, In omni modo.

Dominus sit cum omnibus vobis. Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola. Ita scribo.

Salutationem appellauit benedictionẽ quę in fine sita est.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

Hoc autem adiecit propter eos qui fictas epistolas circunferre audebant docens eos vt quærerẽt subscriptionem. Hoc enim, inquit, est signum mearũ epistolarum. In omni enim epistola ego scribo salutationem. Hinc ergo discimus, quòd hoc, Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus, Amen, pro eo quod est vale, scribere consueuerit. nos autem Apostolicam benedictionem decerpentes, laudemus Christum, qui per eum locutus est. Cum quo Deo Patri cum sanctissimo Spiritu gloria & magnificentia nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Secunda epistola ad Thessalonicenses scripta est Athenis.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD HEBRAEOS.

NIHIL faciunt admirandum qui morbo Arrianico laborant, si aduersum literas Apostolicas furiant, & epistolam ad Hebræos à reliquis separent, & eam adulterinam appellent. Qui enim aduersus Deum et seruatorem nostrum linguas mouent, quid non ausi fuerint aduersus eius beneuolos et grandiloquos
Ioan. 15. *veritatis præcones? Ipsius enim Domini vox est. Si me persecuti sunt & vos persequentur. Oportebat autem ipsos, & si nihil aliud, temporis quidem certe diuturnitatem reuereri, quo hanc epistolam in ecclesijs perpetuò legerunt alumni veritatis. Ex quo enim literarum Apostolicarum fuerunt ecclesiæ participes, ex illo etiam epistolæ ad Hebræos vtilitatem percipiunt. Quòd si nec hoc quidem ad eis persuadendum satis est, Eusebio quidem certe oportebat eos Palæstino credere, quem Patronum suorum decretorum appellant. Nam is etiam diuinissimi Pauli hanc esse epistolam confessus est: & veteres omnes hanc de ea sententia habuisse asseruit. Sed ij, omnibus iussis valere, aduersus veritatem impudenter decertant, Apostolicæ Theologiæ, qua proœmium exornauit, splendorem non ferentes. Cùm enim non possent resistere ijs quæ de vnigeniti diuinitate apertè dicta fuerant, ausi sunt totam epistolam eijcere, cùm tamen & decreta, & aliæ sententiæ magnam habeant cognationem cum alijs epistolis. Suæ autem*

autem accusationi hunc prætextum afferunt, quòd Apostolica appellatio non sit similiter posita in proœmio. Oportebat autem eos considerare, eum eorum qui ex gentibus, non eorum qui ex Iudæis crediderant, fuisse constitutum Apostolum. Etenim dixit ei Dominus. Festina, & hinc cito egredere, non enim suscipient Act. 22. *testimonium tuum de me. Vade, quoniam ad gentes procul mittam te. Eiusmodi etiam pactum conuentum cum alijs inijt. Iacobus enim, inquit, & Cephas, & Ioannes,* Gal. 2. *qui videbantur esse columnæ, dederunt mihi & Barnabæ dextras societatis, vt ipsi quidem ad circuncisionem, nos verò ad gentes. Ita etiam scribens ad Romanos dixit. Quatenus ego sum gentium Apostolus, glorifico ministerium meum. Ea de causa cùm scriberet ad eos qui crediderunt ex gentibus, appellationem adiecit, & Apostolicam dignitatem addidit, vt Doctor & Magister scribens ad discipulos. Ad* Rom. 11. *Hebræos autem scribens, quorum non erat sibi cura credita, meritò nudam dignitate doctrinam eis tradidit. Aliorum enim Apostolorum curationi suberant. Quòd autem spiritali gratia plena sit epistola, & nullam omnino præbeat calumniæ occasionem, singulorum interpretatio docebit apertius. Hoc autem est argumentum epistolæ. Eos qui ex Iudæis crediderant, qui incredulitatis vitio laborabant, multis molestijs afficiebant. Earum autem afflictionum, scribens etiam ad Thessalonicenses diuinus Apostolus meminit. Imitatores enim, inquit, fuistis ecclesiarum Dei,* 1. Timoth. 2. *quæ sunt in Iudæa. Eadem enim vos quoque passi estis à proprijs contribulibus, sicut & illi à Iudæis. Quinetiam ad eos quoque scribens hoc adiecit. Et direptionem bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Porrò autem beatus quoque Lucas nos docet, quòd ante vocationem diuinus Apostolus vexabat Dei ecclesiam, domos ingrediens, & viros & mulieres trahens tradebat in custodiam. Nec verò hæc solum faciebant increduli aduersus eos qui crediderant: sed eos etiam ludificabantur, qui in animum inducerent vt homini mortuo crederent, & legem à Deo datam reliquissent. Ea de causa diuinus Apostolus statim in proœmio ostendit eam esse maiorem Prophetis. Deinde de diuinitate loqui incipiens, pronunciat eum æternum, & Patri coæternum, & vniuersorum creatorem ac opificem. Deinde cum Angelis comparans, diuinam scripturam in medium adducit, apertè docens illum quidem esse filium & Deum, illos verò ministros, & creaturas ac effecta. Deinde ostendit ijs quæ à Mose data sunt, maiora esse quæ à Christo Domino sunt tradita. Ille enim dedit vetus testamentum. Hic verò nouum, quod per veteres Prophetas promiserat, & ille quidem pollicitus est se daturum Palæstinam; hic verò regnum cœlorum. Iam verò confert etiam cum Leuitico Sacerdotio Sacerdotium, quod est secundum ordinem Melchisedech, & ostendit quàm sit longè excellentius. Adhæc autem ostendit etiam maiores, & qui in lege fuerunt veræ pietatis & religionis alumni, per fidem claros & insignes fuisse. Dicit etiam eorum in sustinendis afflictionibus animi magnitudinem, eos ad pericula adeunda inungens. Deinde cùm eorum certamina ipsis in memoriam reuocasset, & ad finem vsque forti animo stare hortatus esset, & cum ijs quæ ad dogmata seu decreta pertinent moralem adhortationem coniunxisset, impleuit epistolam. Scripsit autem eam voce Hebraica. Dicunt autem eam fuisse à Clemente interpretatam. Nos autem deinceps aggrediamur interpretationem.*

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO EPISTOLAE AD HEBRAEOS.

MVLTIFARIAM multifq; modis olim Deus loquens Patribus, in Prophetis, nouissimis diebus istis locutus est nobis in filio.

Apertè ostendit differentiam Domini Christi & Prophetarum. Ipsum enim solum appellauit filium. Est autem procemium simile parabolæ
Matth. 21. Domini. Etenim cùm dixisset Dominus Iudæis parabolam de vinea, ostendit primos quidem seruos missos esse ad malos agricolas, deinde post illorum occisionem, filium aduenisse. Iam verò illud Multifariam, omnis generis dispensationes & œconomias seu diuinas rationes & consilia significat: Hoc verò, Multis modis, diuinarum visionum & apparitionum differentiam. Aliter enim visus est Abrahæ: & aliter Moysi: & aliter Heliæ: & aliter Micheæ. Quinetiam Esaias, & Daniel, & Ezechiel diuersas aspexere figuras.
Osea 12. Hoc docens dixit vniuersorum Deus. Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum assimilatus sum. Non est enim diuina natura multiformis, sed expers formæ ac figuræ, & simplex, & incomposita. Non ergo videbant naturam, ad quam nemo accedere, nec vllus eam assequi potest: sed quasdam figuras, quas ad vsum ostendebat Deus, qui sub aspectum non cadit. Porrò autem illud Multifariã, aliud quoque significat; nempe quòd vnicuique Prophetarum singularis quædam dispensatio seu administratio commissa & credita fuerat: Eorum autem Deus, Christus, inquam, Dominus, non vno aliquo munere & administratione functus est, sed humana suscepta natura omne quod est correxit, & humanam salutem procurauit. Atque etiam ostensum est vnum esse legislatorem & veterum & nouorum.

Quem constituit hæredem vniuersorum.

Ab humanis cœpit diuinus Apostolus: & primo dicens quę sunt humiliora, deinde maiora attingit. Hæres enim omnium Christus Dominus, non vt Deus, sed vt homo. Vt Deus enim est omnium effector. Qui autem est omnium opifex, natura est omnium Dominus. Hæres autem, eorum efficitur dominus, quorum olim non habebat dominium. Ita
Rom. 8. etiam qui credunt, sunt hæredes Dei, & cohæredes Christi. Per gratiam enim capiunt, quod prius non habebant. Quòd autem ipse sit vniuersorum Dominus, testantur ea quæ subiunguntur.

Per quem fecit & sæcula.

Hoc significat diuinitatem. Non solum enim eum ostendit opificem ac creatorem, sed etiam æternum: sæculum enim non est aliqua substantia, sed res est quæ minime subsistit, comes & assecla eorum quæ genitam habent naturam. Appellatur enim sæculum, interuallum seu dimensio ac distantia quę est à constitutione mundi vsque ad consummationem. Ita enim dixit etiam Dominus. Ec- Matth. 28.
ce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Vniuscuiusque etiam nostrum vitæ tempus appellauit sæculum diuinus Dauid. Sæculum enim nostrum, Psal. 43. &
inquit, ad illuminationem vultus tui. Futu- 59.
ræ quoque vitæ statum sæculum appellauit diuinus Apostolus. Non solum enim, inquit, Ephe. 1. & 2.
in hoc sæculo, sed etiam in futuro. & rursus. Vt ostenderet in sæculis venientibus exuperantes diuitias gratiæ suæ in benignitate in nos. Sæculum ergo est dimensio quæ creatæ naturæ adiuncta est. Dixit autem filium effectorem sęculorum, docens eum esse æternum, & nos erudiens eum quacunque temporali dimensione esse superiorem. Ita etiam de Deo & Patre vetus dicit scriptura, Qui est Psal. 59.
ante sæcula, pro eo quod est, Qui est semper. Deinde quandoquidem cùm filium dixit, ipsum appellauit æternum, non videbatur autem vllo modo probabile ijs qui non sunt rerum diuinarum mysterijs initiati, vt qui sit filius, non sit tempore secundus ei, qui illum genuit, à quadam quæ videtur similitudine, diuinitatis, veteritatem ostendit, & dicit.

Qui cùm sit splendor gloriæ.

Splendor enim & ex igne est, & est cum igne: & causam quidem habet ignem, non potest autem ab igne separari. Ex quo enim est ignis, ex eo est etiam splendor. Si ergo in sensilibus potest esse aliquid quod ex aliquo sit, & vnà cum eo sit ex quo est: ne dubites, inquit, Deum verbum vnigeniti Dei filium & genitum esse vt filium, & vnà esse cum eo qui genuit, vt rationem seu verbum. Qui est splendor gloriæ. Ex quo enim gloria, ex eo etiam est splendor. Semper autem gloria. Semper ergo & splendor. Eiusdem etiam naturæ est splendor cum igne. Ergo etiam filius cum patre. Et quoniam splendoris similitudo & coæternitatem & eiusdem simul substantiæ æqualitatem abunde declarauit, sed blasphemiæ ac maledicti occasionem præbuit ijs qui Sabellij & Photini morbo laborant. Splendor enim minime per se subsistit: per aliam similitudinem hanc quoque blasphemiam exterminat. Subiungit enim.

Et figura substantiæ eius.

Per se

Per se enim, inquit, subsistit, totum in se patrem ostendens. In se enim patrios characteres continet. Huic simile est quod Philip-
Ioan. 4. po à Domino dictum est. Qui vidit me, vidit patrem meum. Ita per plura nomina nos docuit diuinus Apostolus & veram ac germanam generationem, & eandem simul cum patre substantiam, & coæternitatem. Quoniam enim diuina superant omnem intelligentiam, & nec fieri poterat vt per vnam similitudinem doceretur diuinitatis mysterium: hoc per plura facere coguntur veritatis præcones. Ita diuinus Ioannes λόγον, hoc est rationem aut sermonem ac verbum, appellauit filium. Quoniam enim cum humana generatione coniuncta est & affectio & tempus, eum necessario vocauit λόγον, seu rationem, aut verbum: vt ostenderet generationem esse & impatibilem & temporis expertem. Ne quis autem rursus existimaret eum non subsistere, quod Marcello, Photino, & Paulo vsu venit, necessario adiecit. Et Deus erat verbum, & propriam eius significans hypostasim, seu personam ac subsistentiam, & vnam apertè ostendens naturam, & docens generationem esse & impatibilem, & temporis expertem. Ita beatus Paulus ipsum quidem filium appellauit, alium esse ostendens à patre quod attinet ad rationem proprietatis: Sæculorum autem ipsum dixit effectorem, per hæc docens eius æternitatem. Eum autem nominauit etiam gloriæ splendorem, per hoc & coæternitatem & eandem substantiam significans. Ex ignis enim natura est splendor. Porrò autem adiecit etiam eum esse characterem substantiæ, vtrunque simul docens, nempe quòd & per se subsistit, & in se paternos ostendit characteres. Iam vero aliud quoque adiecit.

Portansq; omnia verbo virtutis suæ.

Non solum enim fecit omnia, sed ea etiam dirigit & gubernat. Insignem autem eius ostendit potentiam, cùm dixit verbum ei sufficere ad omnium fabricationem, & eorum curam & prouidentiam. Dixit enim, Fiat lux:
Gene. 1. & facta est lux. Et dixit, Fiat firmamentum: &
Psal. 32. sic factum est, & alia omnia similiter. Ita etiam dixit beatus Dauid. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Cùm huius Theologiæ, seu de diuinitate tractationis nullam esse viderent dubitationem qui cum Arrio sentiunt ex Apostolicis thesauris hanc epistolam eijcere conati sunt. Quamobrem nos eam ostendimus cõsentire doctrinæ Euangelicæ. Atque diuinus quidem Apostolus, postquam sic de natura diuina disseruit, transit ad humana docens dispensationis mysterium.

Purgationem peccatorum faciens. Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.

Per seipsum, Græce est δ' αὐτοῦ. Est autem illud δ' αὐτοῦ, aspiratè legendũ, pro δ' ἑαυτοῦ, hoc est per seipsum. Hic enim patris filius, qui est vnà cum suo genitore, qui omnia fabricatur, regit & administrat, qui patrem in seipso ostendit, homo factus nostram procu-
rauit salutem. Illud autem, sedit ad dexteram maiestatis in excelsis, humanè dictũ est. Cùm enim esset altissimus, seipsum humiliauit, & cùm Deus esset, homo factus est. Non cùm esset humilis, in altum euectus est: neque cùm esset homo, Deus factus est. Sed vt Deus quidem, erat vniuersorum Dominus. Vt homo autem, accepit gloriam quam habuit vt Deus. Hoc etiam dixit ipse in sacris Euange-
lijs. Pater glorifica me gloria, quam habui an- Ioan. 17.
tequam mundus esset, apud te. & petijt, non vt acciperet quæ non habebat, sed vt ea ostenderentur quæ habebat.

Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.

Hoc etiam dixit, quo ad humanitatem. Vt Deus enim, est effector & Dominus Angelorum. Vt homo autem, postquam resurrexit, & in cœlos ascendit, Angelis præstantior euasit, erat enim minor Angelis; propter mortis perpessionem. Eum enim qui paulo-minus ab Angelis est diminutus videmus Iesum, propter perpessionem mortis. Quemadmodum ergo erat minor Angelis, vt homo: quoniam illi quidem habent naturam immortalem, ipse verò sustinuit passionem: ita postquam ascendit in cœlos, Angelis præstan-
tior effectus est. Sedit enim super omnem Ephe. 1.
principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Facit autem comparationem etiam ex nominibus diuinus Apostolus. Ita etiam eum contulit cum Prophetis, filium ostendens Christum Dominum. Ita etiam in Angelis, quòd sit filius meminit, & ea ratione differentiam ostendit. Tanto enim, inquit, præstantior Angelis effectus, quanto excellentius illis nomen sortitus est. Quòd autem Filij nomen dicit, docent quæ subiunguntur.

Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus Psal. 2.
es tu: ego hodie genui te? Et rursus. Ego ero illi in 2. Reg. 7.
Patrem: & ipse erit mihi in Filium.

Hæc autem rursus dixit, quod attinet ad humanitatem. Hoc enim ostendit illud, Ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Sunt hæc enim futuri temporis. Quinetiam hoc quod dicit, Ego hodie genui te, non æternam significat generationem, sed eam quæ Christo coniuncta est. Tale est illud. Hodie si vo- Psal. 94.
cem eius audieritis, & etiam quod antè dictum est, Nomen hæreditauit, his consentit. Qui enim est natura filius, non hoc accipit per gratiam: hoc enim habet per naturam; sed, vt dixi, postquam diuina docuit, hic de Oeconomia seu de dispensatione disserit, & docet ipsum esse omnium effectorem, vt Deum: & omnium hæredem, vt hominem: & esse Angelorum opificem, vt Deum: & eis effectum esse præstantiorem, vt hominem & natura filium, & id rursus accipit vt homo quod habuit vt Deus. Ea autem quæ subiunguntur, ijs quæ dicta sunt consentiunt.

Et cùm iterum introducit primogenitum in or-

bem

Psal.96. *bem terræ, dicit. Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Vtrunque, & introducit primogenitum, & præterea illud, Adorent, innuunt dispensationem. Qui enim fert omnia verbo virtutis suæ, & est sæculorum effector & opifex, vndenam venit in orbem terrarum? Quomodo autem primogenitus qui est vnigenitus? Siquidem post humanam susceptam naturam eum Angeli adorauerunt: ante hanc autem humanam susceptam naturam, hunc ei honorem non exhibebant, sed & vbique erat vt Deus, & in orbem terrarum vt homo ingressus est. Ita etiam dixit diuinus Ioannes, In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit: In propria venit, & sui eum non receperunt. Hęc autem videntur esse quodammodo contraria. Si enim erat in mundo, quomodo venit? Si autem venit, quomodo erat in mundo? Sed & in mundo erat, vt Deus: & venit vt homo. Ita etiam vnigenitus est, vt Deus: & primogenitus, vt homo in multis fratribus. Ita semper accepit ab Angelis cultum & adorationem: erat enim semper Deus, adorarunt aũt ipsum etiam vt hominem. Cùm hanc eius fecisset comparationem, quod spectat ad humanitatem, ad diuina rursus transit, & dicit.

Ioan. 1.

Psal.103. *Et ad Angelos quidem dicit. Qui facit Angelos suos spiritus: & ministros suos flammam ignis. Ad Filium autẽ.*

Psal. 44. *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.*

Per hæc autem apertè ostendit Angelos quidem creatam habere naturam: Vnigenitum autem, increatam & æternam. Thronus enim tuus Deus, inquit, in sæculum sæculi. Porrò autem per hęc quoq; nos docuit, quòd illud, Sedit ad dextram maiestatis in excelsis, humanè dixit. Vt Deus enim æternam habet sedem, & regnum quod est expers principij & finis. Quinetiam hic coniuncta sunt humana. Illud enim. Dilexisti iustitiã & odisti iniquitatẽ: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, dictũ est quo ad humanitatem. Etenim Prophęta Esaias de Emanuele vaticinatus, hęc quoq; adiecit: Priusquam cognosceret puellus bonum vel malum, non obedit improbitati, vt eligeret bonum. Quinetiã vnctio non est diuinitatis, sed humanitatis. Hoc autem docet etiam differentia. Oleũ enim, inquit, exultationis præ participibus tuis. Nos autem sumus consortes & participes non diuinitatis, sed humanitatis. Hoc etiam docuit diuinus Apostolus in epistola ad Philippenses. Transfigurabit enim, inquit, corpus humilitatis nostræ, vt sit ipsum conforme corpori gloriæ suæ. Neq; enim erit corpus sanctorum conforme diuinitati, sed corpori gloriæ. Atq; hoc quidem certè testimonium Arrij blasphemiam conuicit. Ostendit enim æternum verbi thronum, & personarum dyadem, exegit Sabellij confusionem. Hoc ipsum aũt etiam obstruit os impudens Iudæorum. Diuinus aũt Apostolus adiecit etiam aliud testimonium, quod diuinam eius naturam prædicat.

Esa.7.

Philip. 3.

Et tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes vt vestimentũ veterascent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Psal.101.

Ostendit ipsum esse vniuersorum creatorem & opificem. Per cœlum enim & terram, comprehendit omnia quæ sunt in ipsis. Docuit eum à conuersione & mutatione alienũ. Hoc enim significat illud, Ipsi peribunt, tu autem permanes. Significauit etiam ab eo faciendam creaturæ mutationem in id quod est præstantius, ipsum autem esse principij & exitus expertem. Tu enim, inquit, idem ipse es, & anni tui non deficient. Non enim factus es, sed es, nec aliquam suscipis mutationem. Porrò autem significant hæc etiam diuinitatem impatibilẽ. Si ea enim passa est, quomodo est eadem? mutata est enim, & si tres dies in morte egit, eius anni defecerunt. Sed nos & Propheta docet & Apostolus, ille quidem scribens testimonium, hic verò eo vtens, quòd idem ipse est semper, & anni eius non deficient. Cùm de diuinis ita disseruisset, rursus transit ad humana.

Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Psal.109.

Non enim tanquam Deo dicit, Sede à dextris meis. Quomodo enim? Thronus enim eius est in sæculum sæculi. Vt homo ergo, huius est honoris particeps. Vt Deus enim habet æternam sedem.

Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi: propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?

Satis etiam ostendit differentiam, quod ad humanitatem attinet. Ille enim inquit, sedet à dextris. Ii verò mittuntur vt ministri, pro hominum salute. Deinde orationem conuertit ad suasionem, & dicit.

CAP. II.

PRopterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus: ne forte perefluamus.

Hanc ergo scientes differentiam, oportet nos diligentius doctrinam attendere, ne aliquem lapsum sustineamus.

Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum: ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

Rursus comparationem adiunxit adhortationi, & ostendit quantum legis constitutiones superent doctrinam Euangelicam. Ferendæ enim legi Angeli inseruierunt. Hic autem ipse Angelorum Dominus primus doctrinam salutarem attulit, eam autem susceperunt qui Apostolicã gratiam acceperũt. Et lex quidem, erat oratio quæ ostendebat quid agendum. Domini autem doctrina æternam salutem procurabat. Quoniam autem Moses etiam miraculis vsus est, necessario ostendit gratiam quoque hac in re esse superiorem. Hic enim non solus Dominus fecit miracula, sed & diuini eius discipuli, & illorum successores. Porrò autem ostendit etiam in donis spiritalibus nouum fulgere testamentum. Olim enim soli Prophetæ erant doni spiritalis participes, nunc autẽ omnes qui credunt, hanc gratiam assequuntur. Hoc enim subiunxit. Et Spiritus sancti distributionibus secundum voluntatem suam. Hæc autem dixit quidem, eos adhortans, vt diuinæ doctrinæ studiosius operam darent: sub specie autem adhortationis, docuit horum & illorum differentiam. Vale autem sapienter dixit Deum per miracula ferre prædicationi testimonium, siquidem est euidens probatio, & de testis veritate dubitari non potest. His autem interiectis, reuertitur ad comparationem Angelorum.

Non enim angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis dicens. Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Psal.8.

Orbem terræ vitam futuram appellauit. Rursus autem confert Angelos cum Christo Domino, non vt Deo, sed vt homine, & ostendit non Angelos, sed ipsum accepisse dominium vniuersorum. Illud autem, Quid est homo, dictum est quidem de communi natura: conuenit autem primitijs ex nobis, nempe Christo qui ea quæ sunt totius naturæ sibi attribuit & accommodat. Ita etiam ex omnium nostrũ persona dixit. Longè à salute mea verba delictorum meorum. Ipse enim etiam quod attinet ad humanitatem, nulli erat peccato affinis. Peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Ipse autem nostra sibi delicta attribuens, naturæ factus est. Ipse enim peccata nostra accepit, & morbos portauit. Quòd autem hoc etiam testimonium tanquam Domini doctrinæ conueniens diuinus adduxerit Apostolus, audiamus Dominum dicentem Iudæis. Non legistis. Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem? Hic ergo qui ex ore infantium & lactantium perfecit laudem, visitauit naturã hominum. Diuinus autem Apostolus prophetico testimonio adiunxit interpretationem.

Psal.21.

1. Pet.2.

Matth.21.

In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.

Et quoniam verisimile erat fore vt dicerent aliqui, Atqui videmus plurimos qui contradicunt, & nolunt eum adorare, necessario subiunxit.

Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.

Hoc enim iam etiam dixit. Non enim Angelis subiecit orbem terræ futurum de quo loquimur. Pro eo quod est. In illa vita in omnes obtinebit imperium, tunc enim subijcientur etiam ij qui nunc contradicunt. Quoniam autem eum dixit Angelorum effectorem & Dominum, videbatur autem hoc tunc non esse probabile ijs qui immortalem esse Angelorum naturam didicerant, Domini autem Christi passionem sciebant, necessario quoque de ea re præbet doctrinam.

Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

Non natura diuinitas fuit minor Angelis, sed per passione humanitatis. Quinetiam ipsa post resurrectionem diuinam gloriam est consecuta. Passionem autem sustinuit pro omnibus. Quæcunque enim creatam habent naturam, eo remedio egebant. Hoc enim dixit vt absque Deo pro omnibus gustaret mortem. Sola, inquit, diuina natura nullius indigebat, reliqua autem omnia opus habebant humanæ susceptæ naturæ medicamento. Deus enim sermo homo factus mortis potentiam dissoluit & perfregit, ea autem fracta & dissoluta, resurrectionem nobis pollicitus est, resurrectioni autem adiuncta est à corruptione ac interitu remotio & immortalitas: incorruptionem autem assequentur etiam ea quæ videntur. Hoc enim dixit etiam in epistola ad Romanos, quòd scilicet ipsa etiam creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Iam verò Angeli quoque perpetua lætitia afficientur, hominum salutem aspicientes. Si enim gaudent propter vnum peccatorem pœnitentiã agentem: multo magis videntes tot millia salutem consecuta, implebuntur lætitia. Pro omnibus ergo salutarem passionem sustinuit. Sola enim diuina natura non indiget remedio quod ab ea porrectum est.

Rom.8.

Luc.15.

Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari.

Ostendit Deum verbum quam acceperat naturam effecisse perfectam. Princeps & author nostræ salutis est sumpta natura. Cùm enim illa resurrexisset à mortuis, resurrectionem nobis omnibus procurauit.

Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.

Hoc etiam posuit quo ad humanitatem. Creata est enim natura quæ sumpta est. Vnus autem est & noster & eius creator ac opifex. Sed per illam sanctificamur. Quòd si etiam de natura humana hoc intelligere voluerint hæretici, ne hoc quidem de vnigeniti gloria quidquam detraher. Vnum enim inquit, habemus patrem, & nos, & ipsi, sed clarum est eum quidem esse filium natura, nos autem gratia. Hanc enim nos docet differentiam, quòd ille quidem nos sanctificet, nos verò sanctificemur.

Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Et iterum. Ego ero si- Psal.21. &

Esa.8. *ero fidens in eum. & iterum. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.*

Ad ostendendam filij excellentiam sufficit illud, Non pudet eum. De seruis enim & dominis loquentes, & dominorum humilitatem docentes, solemus dicere. Non pudet eum cum famulis comedere & bibere, & vnà sedere, & eos qui ex eis ægrotant per se medicari. Hoc ipsum hic etiam innuit, quòd qui pro nobis passionem suscepit, non erubescit vocare fratres eos pro quibus sustinuit passionem. Non solum autem fratres, sed eos etiam filios appellauit. Ita etiam Dominus in
Ioan.13.& 21. sacris Euangelijs dixit diuinis Apostolis. Filioli, adhuc paruo tempore sum vobiscum. & rursus. Filij, nunquid habetis obsonium? Porrò autem ostendit etiam quæ dicuntur humiliter, dici per œconomiam, seu carnis susceptæ dispensationem. Ei enim quod est, Non pudet eum, coniunxit illud, Ego ero fidens in eum. Non erubescit enim propter hominum salutē vel humilibus vti verbis præter suam dignitatem. Deinde arrepto de pueris testimonio, de salutari passione contexit orationem.

Quia ergo pueri communicarunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est Diabolum: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.

Quomodo, inquit, fieri posset, vt vel ipse se fratrem nostrum vocaret, vel filios nos verè appellaret, nisi eandem naturam accepisset? Qua de causa, ea suscepta, mortis fregit potentiam, & de medio sustulit timorem qui nobis imminebat. Hæc autem omnia persecutus est, docens eos qui filium esse minorem Angelis propter passionem existimant, quòd hanc passionem necessario subijt. Hoc autem docet etiam apertius per ea quæ consequuntur.

Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.

Si enim Angelorum naturam assumpsisset, fuisset morte potentior. Sed quia humanum erat quod adsumpsit, per passionem quidem hominum debitum exoluit: per passi autem corporis resurrectionem suam virtutem ostendit. Valde autem sapienter diuinus Apostolus, pro generali nomine proprium posuit. Non dixit enim, semen hominis apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, eis etiam in memoriam reuocans promissum factum Abrahæ.

Vnde debuit per omnia fratribus similari.

Nam & nutrimenti, sicut nos, fuit particeps, & laborem sustinuit, & anxio animo fuit, & fleuit, & mortem subijt.

Vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.

Ostendit salutarem eius mortem fuisse oblationem. Pro vniuersa enim creatura, quod sumpsit corpus obtulit. Aliud quoque adiecit ad eorum consolationem. Cùm enim, inquit, experientia didicerit humanæ naturæ imbecillitatem, vt qui & ex lege & ex gratia vitam egerit, ijs qui oppugnantur dat auxilium. Porrò autem hæc dicta sunt quo ad humanitatem. Neque enim noster pontifex est, vt Deus, sed vt homo. Nec vt Deus passus est, sed vt homo. Nec vt Deus nostra didicit per experientiam: sed vt Deus & opifex, omnia apertè cognoscit. Postquam comparationem cum Angelis sic perfecit, omnibus prophetis maiorem magnum Mosen cum eo confert, vt cùm esse infinitam differentiam ostenderit, simul etiam ostendat quid intersit inter testamenta, promissa, & etiam sacerdotes. Comparationi autem rursus admiscet exhortationem, ne hoc videatur tanquam industria facere, sed veluti aliqua necessitate impulsus.

CAP. III.

VNde fratres sancti vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei qui præfecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius.

Rursum pontificem & Apostolum eum vocauit, vt hominem. Si est enim pontifex, vt Deus, id fuisset etiam antequam humanam naturam suscepisset. Quòd autem nostræ etiam confessionis Apostolus factus est postquam humanam sumpsit naturam, docuit in epistola ad Galatas. Quando enim, inquit, Galat.4. venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere. Et non dixit, Misit ipsum vt fieret ex muliere, sed factum ex muliere, vt clarum esset humanę naturę esse conducibile Apostolatus, hoc est legationis seu missionis, nomen. Confessionem autem nostram vocauit fidem. Facturâ autem vocauit, non creationem, sed ordinationē, seu electionem. Qui fidelis est ei qui fecit ipsum, nempe Apostolum & pontificem. Deinde cùm ea quæ de Mose à Deo dicta sunt in memoriam reuocasset, Dei enim vox est, In omni domo mea fidelis: in ijs quæ sequuntur ostendit differentiam.

Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus: quando ampliorem honorem habet domo qui fabricauit illam.

Quantum, inquit, differt ab opere opifex, tanta est inter Mosem & Christum differentia. Hoc enim etiam ea quæ consequuntur docent manifestius.

Omnis nanque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creauit, Deus est.

Sciendum autem est quòd eius quidem excellentiam ex diuina natura ostendit: maiori autem honore dignum esse habitum dixit, quo ad humanitatem. Quia enim & Deus & homo est Christus Dominus: vtrunque autem in vna persona consideratur: necessario & quæ sunt excelsa, & quæ humilia, de eo cogitur dicere ad vtramque naturam ostendendam.

Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam

tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. Christus vero tanquam filius in domo sua. Quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.

Deut.24. Nomina posuit ex vetere scriptura. Deus enim vocauit seruum Moysen. Moyses enim, inquit, seruus meus mortuus est. & rursus. Nō sic vt seruus meus Moses. Iam verò ipsum quoque Dominum Christum, filium vocat
Prou.30. Psal.2.& 109. vetus scriptura. Quod nomen ipsi, vel quod nomen filio eius. Et, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et, Ex vtero ante Luciferum genui te. Cognoscitur ergo, inquit, quid inter eum & illum intersit. Ille enim seruus: hic verò filius. Et ille quidem vocatus est fidelis, vt ostenderetur esse legislator fide dignus. Hoc enim dixit illud, In testimonium eorum quæ dicenda erant. Christus autem vt filius vocatur fidelis. Quòd si Hæretici existimant hanc appellationem significare vtilitatem &
1.Cor.1. abiectionem, audiant Apostolum de Deo & patre dicentem. Fidelis Deus per quem vo-
Psal.44. cati estis in societatem filij eius. & Dauid prophetam. Fidelis Dominus in omnibus verbis
Psal.77. suis. Et rursus. Testis in cœlo fidelis. Quinetiam Moses diuinus sic dicit, Deus fidelis, &
Deut.32. non est in ipso iniquitas. Domum autem Dei vocauit eos qui credunt, conuenienter pro-
Leuit.26. phetiæ quæ dicit, Inhabitabo in ipsis, & ambulabo. Hoc autem, inquit, honore fruemur, si libertatem quam assecuti sumus, & maxime expetendam spem per præclara virtutis facinora conseruauerimus. Quoniam autem spei meminit: spes autem quæ videtur non est
Rom.8. spes: Quod enim videt quis, quid sperat? pollicitus est autem nobis Dominus regnum cœlorū, ea rursus confert quæ Iudæis data sunt cum ijs quæ sunt nobis promissa.

Psal.94. *Quapropter sicut dicit spiritus sanctus, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbationem secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic, & dixi, semper errant corde: Ipsi autem non cognouerunt vias meas: Quibus iurauiin ira mea. Si introibunt in requiem meam.*

Adduxit quidem testimonium, eos vtique terrefaciens, vt spem datam studiose seruarent, sed rursus tacite & citra suspicionem aliud molitur, ad id orationem comparans. Persistit autem in exhortatione.

Videte fratres, ne quando sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo.

Multa nobis cura & studio opus est vt fidem seruemus, & non infidelitatis exitiale malum suscipiamus. Ea enim separat à Deo viuo.

Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

Quotidie oportet eos qui viuunt sui curam gerere, ne peccatum loco occupato in nostro corde faciat impressionem. Hodie autem vocauit vitam præsentem.

Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.

Cum Christo enim mortis fuimus participes per baptismum, & cum eo consepulti fuimus in figura resurrectionis, si quidem firmam fidem conseruauerimus. Eam enim appellauit initium substantiæ. Per illam enim renouati, & Domino Christo coniuncti sumus, & sanctissimi spiritus gratiam accepimus. Deinde rursus propheticam assumit orationem.

Dum dicitur, hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.

Iam verò eorū etiam meminit qui eo morbo laborarunt.

Quidam enim audientes exacerbauerunt: sed non vniuersi qui profecti sunt ab Aegypto per Mosem.

Primum legendum est per interrogationem. Secundum autem, non enuntiatiue, sed per responsionem. Quæ enim sequuntur, efficiunt vt ita intelligamus. Nam præter Chaleb Iephone & Iesum Naue sexcenta millia perierunt. Eos enim dicit, qui profecti fuerant ex Aegypto.

Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit eos non introituros in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quòd non potuerunt introire in requiem ipsius, propter incredulitatem.

Cùm enim Deus præcepisset vt in promissam terram proficiscerentur, illi contradicebant, timorem prætexentes, & inimicorum potentiam, & magnitudinem. Qua de causa Deus vniuersorum cunctis in deserto sigillatim consumptis, illorum filios pro illis introduxit. His interiectis vt per ea terreret, & vt datam spem expectarent efficeret, deinceps de quiete verba facit, dicens prophetam Dauid multis retro antè actis sæculis eam nobis esse vaticinatum.

CAP. IIII.

TImeamus ergo, ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius existimetur aliquis ex nobis deesse.

Renuntiauit nobis Dauid esse aliam quietem. Studeamus ergo illam assequi, ne similia quæ illis acciderunt nobis accidant.

Etenim & nobis nuntiatum est quemadmodum & illis, sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex ijs quæ audierunt.

Non sufficit ad salutem verborum auditio, id enim conuenit cum fide suscipere, & firmiter seruare. Quid enim iuuerit Dei promissio illos qui eam susceperint, si non fideliter susceperint, & in Dei potentia fiduciam suam collocauerint, & in Dei verbis veluti commixti & contemperati fuerint?

Ingrediemur enim in requiem qui credidimus, quemadmodum dixit. Sicut iurauiin ira mea. Si introibunt in requiem meam.

Vult ostendere tres quietes esse vocatas in diuina scriptura, & primam quidem diem septimum, in quo Deus impleuit creationem: secundam autem, terram promissionis: tertiam verò, regnum cœlorum. Eam autem Prophetico testimonio confirmat. Si enim non est, inquit, reuera alia quies: quamobrem ijs qui secundam acceperunt præcipit, ne corda obdurent, & minatur supplicium, & reuocat in memoriam eos qui secundam contempsere quietem? Et eas quidem ponit per ordinem, & primum ponit eam quæ est diei septimi.

Et quidem operibus ab constitutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septimo sic, Et requieuit Deus in die septima ab omnibus operibus suis.

Quod de illa, inquit, non dixerit beatus Dauid, cuiuis est vtiq; manifestum. Illa enim fuit multis sæculis ante Dauid. In septimo enim die compleuit creationem vniuersorum Deus.

Et in isto rursum, si introibunt in requiem meam.

Et tamen quamuis hęc rectè sciret Propheta, aliam nihilo secius quietem pollicetur.

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij quibus prius nuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat
Psal. 94. *diem quendam, hodie, in Dauid dicendo post tantum temporis, sicut supra dictum est, Hodie si vocem eius audieritis: nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione.*

Deinde docens Prophetam non hæc dicere de Palæstina, ratiocinatur.

Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur post hac die.

Non de alia, inquit, terra esset locutus. Eos enim ad illam introduxit Iesus Naue filius. In ea autem erat ipse quoque diuinus Dauid, quando illam quietem annuntiabat. Deinde syllogisticè.

Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.

Non interrogatiuè sed enuntiatiuè legendum est. Sabbatismum autem appellauit quietem, quoniam septimo die quieuit Deus ab omnibus quæ fecit operibus. In futura autem vita, curæ & tristitiæ expers, & à laboribus ac solicitudinibus vita agetur libera. Appellauit ergo sabbatismum, liberationem à corporalibus operibus, hoc enim deinceps significat.

Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus.

Sicut enim vniuersorum Deus, cùm sexto die vniuersam creaturam complesset, septimo die cessauit fabricari: ita etiam qui ab hac vita excesserunt, & ad eum transeunt, à præsentibus liberabuntur laboribus. Quinetiam lex iussit Iudæis in Sabbato à corporalibus abstinere operibus, animarum autem solummodo curam gerere. Deinde consulendo.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

Qui enim in socordia vitam transigit, & promissis bonis non frui desiderat, ijsdem quibus illi qui non paruerunt obnoxius erit reprehensionibus. Deinde horrore plenum iudicium ostendit.

Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius ad quem nobis sermo.

Nihil potest latere illum incorruptum iudicem, rectè autem ac perfectè scit omnia, vel ipsarum cogitationum motus. Nouit quæ fiunt in tenebris, nouit quæ clanculum committuntur. Non latent eum improba animi consilia, ei etiam ea quæ sunt occulta nuda sunt. Illud autem Aperta, Græce τετραχηλισμένα, id est resupinata, posuit ex metaphora animalium quæ sacrificantur, quæ omnino muta iacent, vtpote cùm occisio eis vitam ademerit, & vnà cum vita vocem. ita inquit, nos etiam dum iudicamur, videmus quidem omnia quæ à nobis impiè vel iniquè facta sunt, sed supplicij sententiam silentio accipimus, vt qui eam iustam esse sciamus. Hæc autem non illis solis, sed etiam nobis omnibus scripsit diuinus Apostolus. Oportet ergo nos diuinum illud iudicium assidue considerare, horrere, & pertimescere, & diuina præcepta diligenter seruare, & promissam quietem expectare. Quam cum Christo consequamur. Cum quo Patri simul & cum sanctissimo Spiritu gloria & magnificentia nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

TOMVS SECVNDVS.

Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. — Spei nostræ, non est in Græco.

In ijs quidem quæ fuerunt prius interpretata, fecit comparationem quietum: & ostendit eam quæ fuit nobis promissa esse maiorem illa quæ Iudæis promissa est. Illis enim terram promissionis: nobis autem cœlum est pollicitus. Ab hoc autem deinceps loco confert Pontificatum: & ostendit esse multo maiorem ac præstantiorem Leuitico, eum qui est secundum ordinem Melchisedech. Exhortationis autem figura rursus vtens, facit comparationem, ne videatur cum ijs qui vitæ ex lege institutionē amplectuntur lege bellum gerere, & non veritatem defendere. Pontificem autem vocauit Dominum Iesum, vt qui sacrificium pro nobis obtulerit, & mundi peccatum sustulerit. Ea enim de causa agnus etiam vocatus est: Ecce enim, inquit, agnus Dei qui tollit peccata mūdi. Clarū est autem vel admodū contentiosis esse humana nomina. Quòd si nonnulli existimāt ea esse diuinitatis, ipsum & execrationem appellent, & serui formam, & quæcunque sunt eiusmodi. Sin autem nihil horum est diuinæ naturæ proprium, restat vt intelligantur hęc esse œconomiæ seu dispensationis nomina. Quemadmodum enim

enim homo factus esse dicitur, cùm humanam naturam susceperit: ita etiam Pontifex noster vt homo vocatus est. Hoc autem nos etiam docent dicta Apostolica. Ostendit enim eum cœlos peruasisse. Domini autem Christi diuinitas habet naturam quę nequit circumscribi, vbiq; præsens est, & adest omnibus. Hoc etiam ipse quoq; nos Dominus docuit. Nemo enim inquit, ascendit in cœlum,
Ioan. 3. nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo. Cùm enim esset inferius, & cum hominibus dissereret, dicebat se esse etiam superius. Oportet ergo nos scire quæ nam sunt nomina Theologię seu diuinitatis, & quę œconomiæ, hoc est humanæ naturæ susceptionis. Cùm diuinus itaq; Apostolus magnum nobis Pontificem ostendisset primum in veram quietem introijsse, & cœlos superasse, iubet retinere confessionem. Confessionem autem nostram, vocauit fidem. Confitemur enim credere non solum in Patrem & filium & spiritum sanctum, sed etiam in resurrectionem mortuorum, & in vitam æternam, & in regnum cœlorum.

Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Qui illo tempore crediderant, multas tentationum tempestates subierant. Eos ergo consolatur, docens nostrum Pontificem non solum vt Deum nosse nostræ naturæ imbecillitatem, sed etiam, vt qui sit homo, nostrarum perpessionum fecisse periculum, vt qui peccato tantummodo nō fuerit affinis. Cùm autem hanc nostram sciat imbecillitatem, & nobis fert quod conuenit auxilium, & nos iudicans, habita ratione imbecillitatis feret in nos sententiam.

Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Vt Deus, Christus Dominus habet regnum
Psal. 44. naturale, thronum æternum. Thronus enim tuus, inquit, Deus in sæculum sæculi. Vt homo autem, & Pontifex, & Apostolus confessi-
Psal. 109. onis nostræ audit, Sede à dextris meis. Eum vocauit thronum gratiæ diuinus Apostolus. Existimo autem eum etiam significare humanitatem & clementiam qua vtens iudicabit. Hoc enim adiecit, vt gratiam inueniamus in auxilio opportuno. In præsenti enim vita accedentes, & puram ac sinceram fidem ostendentes, in die iudicij clementiam assequemur. Deinde docet causam Sacerdotij, & quanam de causa ipsum aliqui consequuntur, & quid deceat Pontificem.

CAP. V.

Omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit ijs qui ignorant & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.

Dixerat, Non habemus Pontificem qui non posit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato: necessariò ergo hæc quoque adiecit: docens quòd etiam in lege non Angelus vt pro hominibus Sacerdotio fungatur electus est, sed homo pro hominibus eandem habens naturam, ijsdem affectionibus obnoxius: sciens naturæ imbecillitatem: ijs qui labuntur dans veniam: ijs qui peccant manum præbens: ex suis ea etiam quæ sunt proximorum considerans. Qua de causa etiam lege constitutum est vt hostias non solum pro populo sed etiam pro se offerat.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo quemadmodum & Aaron.

Est enim legitimus Sacerdos, qui à Deo ordinationem accipit. Ita enim etiam Aaron primus Sacerdos accepit hanc dignitatem. Hæc autem dixit diuinus Apostolus, non nobis Pontificatus volens regulas ostendere, sed ad dicendum de Pontificatu Domini viam muniens. Sapienter ergo statim subiunxit.

Sic & Christus non semetipsum glorificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum. Filius me- Psal. 2.
us es tu ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dixit. Tu es sacerdos in æternum, secundum or- Psal. 109.
dinem Melchisedech.

Quia enim erat ex alia tribu: ex Dauidico enim genere ortus est, quod attinet ad humanitatem: sciens Apostolus non credentium Iudæorum mentis duritiem; ad Prophetica confugit testimonia, & per ea quidem præclarè quod dixit confirmauit: præclarè autem ac sapienter ostendit eum non appellari solum Pontificem, sed etiam filium, & nouum quendam & in primis admirabilem Pontificatum suscepisse. Quoniam autem dixerat hominem ea de causa pro hominibus Pontificem creari, vt compateretur ijs qui ignorant & errant, quandoquidem ipse quoque est circundatus imbecillitate: ostendit etiam Christum Dominum suscepisse omnes humanæ naturæ affectiones præter peccatum.

Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationēsque ad eum qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia, & quidem cùm esset filius Dei, didicit ex ijs quæ passus est obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obedientibus sibi causa vitæ æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech.

Quis nisi valde emotæ mentis dixerit hæc dicta esse de diuina natura? Si enim beatus Paulus mortem non metuebat, sed cupiebat dissolui & esse cum Christo & ijs qui ea quæ illi Hierosolymis euentura erant prædixerunt, & retinere tentarunt, dixit, Quid fletis, Act. 21.
& affligitis cor meum? Ego enim non solum ligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Domini nostri Iesu Christi: quomodo Deus sermo sæculorum opifex, qui nec conuerti nec mutari potest, & est ab omni affectione liber, mortem timuit? Verum enimuero de his prolixiore vti oratione extremā fortasse

fuerit amentiæ. Insignis enim eorum quæ dicta sunt humilitas, vel eos cogit qui diuinitati detrahunt, & eam blasphemant, diuinitati nihil horum tribuere. etenim vt hæc pateretur humanitas, concesit diuinitas, vt discamus eum verè fuisse hominem, & humanam naturam suscepisse, & non visione & apparitione fuisse dispensationis peractum mysterium. Si enim quamuis hæc ita facta sint, & Simon, & Menander, & Cerdon, & Marcion, & Valentinus, & Basilides, & Bardisanes, & Manes, suos docuerunt asseclas eum nihil humanæ habuisse naturæ : clarum est plures hunc errorem fuisse suscepturos, si non humanas præter peccatum suscepisset affectiones. Diem autem carnis appellauit tempus mortalitatis, hoc est, quando habuit corpus mortale. Dicit autem precationem quam fecit in passione, dicens. Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Illud autem, Didicit ex ijs quæ passus est obedientiam, posuit Apostolus hyperbolicè. Obedientiam enim non post passionem, sed ante passionem ostendit. Consummationem autem seu perfectionem, appellauit resurrectionem & immortalitatem. Hic est enim finis dispensationis. Hyperbolicè autem posuit omnes affectiones seu perpessiones, non solum volens ostendere veritatem humanæ naturæ susceptionis, sed etiam confirmans illud quod antè dixit, Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine sine peccato. Vt ea ratione hortaretur eos ad quos scripsit, in fide persistere, & Pōtificis misericordiæ & clementiæ fidere. Facta autem rursus Melchisedech mentione, vult quidem ostendere eius sacerdotium esse maius Leuitico, videtur autem aliquantisper differre propter eorum qui docebantur imbecillitatem. Hoc enim dixit.

Matth. 26.

De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum : quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

Deinde etiam moderatam affert eorum reprehensionem, & eam laude miscet, vt vtilitatem per eam suscipiant.

Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei : & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.

Elementa exordij sermonum Dei, vocauit humiliores de Christo sermones. Iis enim qui nondum fidem perfectam habebant, ea sola quæ ad humanitatem pertinebant afferebant veritatis præcones. Ita beatus Petrus concionem habens inter Iudæos, ex auditorum imbecillitate doctrinam dimensus est. Iesum enim inquit, Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigijs & signis, & reliqua quæ sunt deinceps huic dicto conuenientia. Diuinus quoque Paulus Athenienſibus prædicationem afferens, non Deum, sed virum Dominum Christum appellauit. Ita etiam scribens ad Corinthios, dixit. Lac vobis potum dedi, non cibum, nondum enim poteratis. In ijs autem quæ antè scripta sunt declarauit, quidnam lac vocauerit. Non enim iudicaui, inquit, aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum. Hoc etiam hic dicit. Et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Quæ sunt, inquit, humiliora cogimur de Christo dicere. Iis qui de eo ne hæc quidem admittunt, quomodo fieri potest vt quæ sunt maiora tradantur ? Deinde ostendit differentiam perfecti & imperfecti.

Actor. 2.
Actor. 17.
1. Cor. 5.

Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. Paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali.

Ex ætatibus ostendit differentiam. Sicut enim recenter natis infantibus lac præbere solemus, ijs autem qui firmiores habent dentes, omni deinceps nutrimento vesci permittimus : ita ijs qui infirmam habent fidem imbecillitati commoderatam doctrinam exhibemus. eos autem qui perfectam susceperunt, vt perfectiorum dogmatum ac decretorum sint participes curamus. Et apertius docens quidnam lac appellauerit, subiunxit.

CAP. VI.

QVapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur.

Quisnam est autem sermo inchoationis Christi?

Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hoc faciemus siquidem permiserit Deus.

Postquam dubitationis in fide eos insimulauit, hoc enim lac vocauit, vt perfectionem persequantur, eique hæreant præcipit, & vt super iam iacta fundamenta reliqua ædificēt, non aliud de integro fundamentum iaciant. Fundamentum autem vocauit fidem : opera autem mortua improbitatem. Qui enim crediderunt, eorum tetrum odorem abhorrentes, & pœnitentia vtentes, accedunt ad diuinum baptismum, & per manum sacerdotalem spiritus gratiam accipiunt, & in diuino baptismo resurrectionis figuram suscipientes, expectant communem omnium resurrectionem, & futurum iudicium. Ea vocauit elementa sermonum. Sicut enim qui puer edocet literas, primum docet characteres elementorum : ita pietatis veræque religionis doctores, hæc primum docent eos qui ad fidem accedunt. Dicit ergo diuinus Apostolus esse expetenda perfectiora & non rursus de integro discenda pietatis elementa. Hoc autem, Et hoc faciamus, siquidem Deus permittat, coniunxit ei quod est superius. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur. Et hoc faciamus si Deus voluerit, pro eo quod est, studium adhibeamus, concupiscamus, omnem pro perfectione laborem suscipiamus. Solet autem

autem diuinus Apostolus diuinæ prouidentiæ omnia tribuere. Propterea adiecit, si Deus permittat. Ita etiam scribens ad Corinthios, dicit. Veniam autem ad vos, si Dominus voluerit. Posuit autem baptismata pluraliter, non docens multa esse baptismata, sed quia multi baptismi gratiam assequuntur. Quòd enim vnum prædicauit baptismum, docent quæ consequuntur.

Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.

Omnino, inquit, fieri non potest, vt qui ad sanctissimum baptismum accesserunt, & gratiæ diuini spiritus fuerunt participes, & æternorum bonorum figuram acceperunt, rursus accedant, & aliū baptismū assequantur. Hoc enim nihil est aliud, quàm filiū Dei rursus crucifigere, & eadem qua prius affectus est rursus ignominia afficere. Sicut enim ipse semel passionem sustinuit, ita nos etiam semel oportet eius esse cum eo participes. Vnà autem cum eo per baptismum consepelimur, & vnà cum eo resurgimus. Fieri ergo non potest, vt dono baptismi rursus fruamur. Christus enim qui surrexit à mortuis, non amplius moritur. mors eius non amplius dominatur. Quòd enim mortuus est, peccato semel mortuus est. Quòd autem viuit, viuit Deo. Vetus quoque noster homo vnà crucifixus est, mortis figura in baptismo suscepta. Bonum autem Dei verbum vocauit promissionem bonorum. Virtutes autem futuri sæculi vocauit baptismum, & gratiam spiritus, per ea enim possumus bona promissa consequi. Hæc autem dixit diuinus Apostolus, docens Iudæos qui crediderunt, ne existimarent sanctissimum baptismum esse similem baptismis Iudaicis. Illi enim non soluebant peccata, sed corporis sordes quæ videbantur purgabant. Qua de causa & multa & frequenter adhibebantur. Hic autem vnus est, vt qui salutaris passionis & resurrectionis typum habeat, & futuram resurrectionem nobis ante describat. Nouatiani hæc verba in aciem producunt aduersus veritatem, non intelligentes diuinum Apostolum non prohibuisse medicamenta pœnitentiæ, sed diuini baptismi definitionem docuisse. Vnde subiunxit, Rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & traducentes ac ignominia afficientes. Diuinum enim mysterium ignominia afficere, est eiusdem bis esse participem. Quòd enim vbique prædicat pœnitentiam, testantur quæ ab ipso scripta sunt ad Corinthios, testantur etiam quæ ad Galatas. Quinetiam eiusmodi dicta vbique disseminat. Nos autem veniamus ad ea quæ sequuntur proximè interpretanda.

Romen. 6.

Terra enim super se venientem sæpe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo : proferens autem spinas ac tribulos, reproba est ac maledicto proxima, cuius consummatio est in combustionem.

Ex similitudine ostendit quænam bona percipiant, qui pietatis maturos fructus producunt : quid autem sunt passuri qui spinas germinant? Imbrem autem metaphoricè appellauit doctrinam. Ita enim dixit Propheta Esaias, vel Deus potius per Prophetā. Et præcipiam nubibus vt non pluant super ipsum imbrem. Et etiam in diuinis Euangelijs. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Quia autem verbis vsus est acerbioribus, spinarum & ignis faciens mentionem, ex laude consolationem adhibet.

Esa. 5.
Ioan. 7.

Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur.

Et ne videretur potius adulatiōe vti quàm veritate, ea quæ ab eis rectè facta fuerant in memoriam reuocat, eos ad res diuinas alacriores ea ratione efficiens.

Non enim iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

Si hæc ergo de eis cognouisti, cur eos vocas segnes, pigros, paruulos ac viles?

Cupimus autem vnumquemque vestrum eandem ostendere solicitudinem ad expletionem spei vsque in finem: vt non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide ac patientia hæreditabunt promissiones.

Per hęc quæ dicit, innuit eos ab initio quidem magnam ostendisse patientiam animique constantiam : sed eam obtudisse frequentes & se inuicem excipientes aduersariorum tempestates. Quinetiam suam in eos ostendit beneuolentiam. Cupio enim, inquit, & valde desidero vos semper videre cum illa alacritate animi & promptitudine. Hoc autem ita erit, si absque omni dubitatione, quæ vobis probatæ sunt futurorum bonorum spes retinueritis, ad eos qui per fidem illustres euaserunt sanctos respicientes: qui per multam tolerantiam & animi fortitudinem bona promissa consecuti sunt. Et post collationem quidem, facit plurium mentionem : interim autem Abraham Patriarcham in medium adducit, & ostendit eum quidem diuina promissa accepisse, sed longissimo pòst tempore eorum finem vidisse.

Abrahæ nanque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens, Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.

Gen. 12.

Ostendit veritatem eius qui est pollicitus. Deus enim, inquit, erat, qui se nihil habebat superius, & testimonium est iusiurandum, iurauit enim per semetipsum, sed tamen licet & sit pollicitus, & hoc fecerit cum iureiurando, non tamen statim impleuit promissa : sed magna opus habuit tolerantia Patriarcha, & plurimo tempore quod præterijt. Ita dixit veritatem promissi. Docet etiam quanam de causa iurauerit, & cur id per seipsum fecerit.

Homines enim per maiorem se iurant : & omnis

controuersiæ eorum finis ad confirmationem, est iuramentum.

Mos est hominibus ea quæ dicunt confirmare iureiurando, eis etiam mos est iurare per maiores.

In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum.

Ea de causa Deus dicto suo iusiurandum adiecit, volens ostendere promissi veritatem, & quòd fieri non posset vt post iusiurandum aliud statueret.

Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.

Duas res dixit, sermonem & iusiurandum. Etenim solo sermone vtens Deus, implet promissionem, multo autem magis sermoni iusiurandum coniungens. Hoc autem, inquit, fecit nobis addens animum, & vt diuina promissa expectaremus efficiens, & non diffideremus, quoniam non videmus promissa. Spes enim quæ videtur, non est spes.

Quam sicut ancoram habemus animæ (nempe spem) tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.

Velamen cœlum vocauit. Regnum enim cœlorum se Dominus daturum est pollicitus ijs qui in ipsum crediderint. Illa, inquit, bona speramus, hanc spem tenemus veluti sacram ancoram. Ancora enim in profundo absconsa, non sinit vt nostræ animæ conquassentur. Aliunde etiam ostendit certam & cui contradici non possit spem bonorum.

Vbi præcursor pro nobis introijt Iesus.

Propter nos, inquit, homo factus est, propter nos corpus morti tradidit, morteque fracta ac profligata, in cœlos ascendit, eorum qui dormierunt effectus primitiæ. Maiorem autem nobis dedit fiduciam appellatione præcursoris. Si est enim noster præcursor, & pro nobis ascendit: vt nos quoque sequamur necesse est, & ascensum consequamur.

Ioan. 14. Hoc etiam dixit Dominus Apostolis. Multæ mansiones apud Patrem meum. Si autem non dixissem vobis quòd vadam, & parabo vobis locum. Et si iuero, & parauero vobis locum, rursus veniam ad vos, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Ita etiam hic. Vbi Præcursor pro nobis Iesus. Et redit etiam ad institutum sermonem de Pontificatu.

Secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

Psal. 109. Hoc ex prophetico cepit testimonio. Tu es enim, inquit, Pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech. Est autem Pontifex in æternum, non quòd hostias & sacrificia offerat. Suum enim corpus semel obtulit: sed vt intercessor, qui eos qui credunt ad Patrem adducit. Per eum enim, inquit, habuimus accessum ambo ad Patrẽ. Iam verò ipse

Ioan. 14. quoque Dominus dixit in Euangelijs. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Sciendum autem est diuinum Apostolũ meminisse iurisiurandi facti Abraham: vt ostenderetur immutabilitas diuini consilij. Etenim ad probandam Pontificatus secundum ordinem Melchisedech stabilitatem viam munit. Namque hic etiam ei quod dictum adiunctum est iusiurandum. Quam autem comparationem sæpe facere parturijt, incipit facere in præsentia, & primum historiam Melchisedech in memoriam reuocat.

CAP. VII.

Gen. 14. *Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraham.*

Videtur quidem narrando verba facere: sed iam incipit confirmare id quod est propositum. Ea enim de causa ostendit etiam Abraham benedici, & spoliorum offerre decimas: vt ostendat vel Patriarcham ipsi figuræ credere. Deinde etiam ex nominibus ostendit eius magnitudinem.

Primum quidem qui interpretatur Rex iustitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis.

Hoc nomen Melchisedech Hebræorum & Syrorum lingua significat idem quod Rex iustitiæ. Is autem Rex erat Salem. Salem autem exponitur Pax. Per hæc ergo vult ostendere eum esse typum Christi Domini. Ipse enim est, vt dicit Apostolus, pax nostra. Ipse appellatus est, vt inquit Propheta, iustitia nostra.

Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.

Abrahæ & multorum aliorum genealogiam diuina recensuit scriptura, tam eorum qui illum præcesserunt, quàm eorum qui postea secuti sunt, & illius patrẽ, & auum, & abauum, & illius maiores. Porrò autem adiecit etiam quòd tot annos natus genuit: & rursus cùm tot annos natus esset, mortuus est. Melchisedech autem nec Patrem nec genus docuit diuina scriptura: & neque quanto tempore vixerit: neque quando vnquam vitæ finem ceperit. Ea ergo ratione est sine patre, & sine matre, & sine genealogia, neque initium dierum, nec vitæ finem habens. Diuina enim scriptura nihil horum nos docuit. Dominus autem Christus natura & verè habet vnumquodque horum. Est enim sine matre, vt Deus, ex solo est enim Patre genitus. Sine Patre autem, vt homo, ex sola enim matre virgine per partum editus est. Sine genealogia est, vt Deus. Non enim habet opus genealogia, qui est ex ingenito patre genitus. Non habuit initium dierum, est enim æterna generatio. Neque vitæ habet finem. Immortalem enim habet naturam. Ea de causa non Dominum Christum, sed Melchisedech Christo assimilauit. Ille enim est huius typus. Hic verò typi veritas. In sacerdotio autem non Melchisedech Christum Dominum imitatus est: sed Dominus Christus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Est enim hominis

hominis fungi sacerdotio. Dei verò ea quæ offeruntur suscipere. Sed tamen homo factus vnigenitus Dei filius Sacerdos etiam noster factus est secundum ordinem Melchisedech, non cum aliqua dignitatis accessione, sed diuina celata dignitate, & ꝓ salute nostra suscepta humilitate. Ita agnus vocatus est, & peccatum & maledictum, & via, & porta, & eiusmodi plurima. Porrò autem dixit de Melchisedech, quòd manet Sacerdos in æternum, quoniam ad filios non transmisit Sacerdotiũ, quemadmodum Aaron, Eleazar & Phinees. Qui hanc enim hæreditatem ad alium transmittit, videtur quodammodo priuari dignitate, cùm eam alius exerceat. Aliam quoque habet intelligentiam. Quemadmodum enim Mosem non solum appellamus legislatorem, sed etiam ipsam legem: ita etiam Melchisedech nominamus & personam, & rem ipsam, nempe Sacerdotium. Ipsum autẽ habet Christus Dominus, qui vitam habet quę nunquam desinet.

Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.

Dignitatis Abrahæ non sine causa meminit, sed volens ostendere ipsam Sacerdotum radicem esse bonorum fundamentum. Quapropter gentes benedictionem accipiunt, & prædæ decimam Melchisedech obtulerunt.

Et quidem de Filijs Leui Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundum legem, id est, à fratribus suis, quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ.

Tanta est autem, inquit, Sacerdotij dignitas, vt qui sunt ex lege Sacerdotes, etiam ab ijs qui sunt eiusdem generis, tribusq; ac cognationis decimas accipiant, etsi ab eodem parente se originem duxisse gloriantur.

Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones benedixit.

Qui ergo sunt ex lege Sacerdotes, decimas à contribulibus exigunt. Hic autem qui erat alius generis, decimas accepit ab ipso Patriarcha: & ei qui diuinas accepit promissiones, benedictionem reddidit. Interpretatus est etiam illud, sine genealogia. Dixit enim generationem Melchisedech non fuisse ab eis numeratam. Clarum est ergo illum non fuisse verè sine genealogia, sed in figura.

Sine vlla autem contradictione, quod minus est à meliore benedicitur.

Hoc autem est citra vllam dubitationem, & absque omni controuersia, quòd maiores soliti sunt benedicere minoribus.

Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt, ibi autem contestatus quod viuit.

Hoc ex Prophetico posuit testimonio. Tu enim, inquit, es Sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech. Quia autem consentaneum erat dicere Iudæos Abraham non fuisse Sacerdotem, & iure decimas obtulisse, & benedictionem accepisse. Aaron autem Sacerdotij dignitatem accepit, & illius genus post ipsum diuinæ fuit gratiæ particeps, ingeniose & subtiliter ostendit illos etiam per Patriarcham obtulisse decimas.

Et, vt ita dictum sit, per Abraham & Leui qui decimas accepit, decimatus est. Adhuc enim in lumbis Patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech.

Nondum fuerat pater Isaac, quando Patriarcha accepit benedictionem Melchisedech. Adhuc ergo in se habebat sementem & materiam liberorum procreationis. Ex Isaac autem procreatus est Iacob, ex illo autem Leui. In illo ergo, inquit, erat Leui, quando & decimas obtulit, & accepit benedictionem. Necesse est ergo ipsum & fuisse decimatum, & benedictionis fuisse participem. Deinde rursus alia ratione id quod dicit probare aggreditur, & fretus ijs quæ affert, quæ sunt eiusmodi vt ijs, contradici non possit, ostendit cessare quidem Leuiticum sacerdotium: id autem quod est secundum ordinem Melchisedech, eius loco induci, & simul incipit seminare doctrinam noui testamenti.

Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum erat, populus enim sub ipso legem accepit, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici?

Si perfectionem, inquit, habuit Sacerdotium quod est ex lege, per ipsum enim implebantur omnia legitima, quid sibi vult datio alterius? Cur autem non secundum ordinem Aaron, sed secũdum ordinem Melchisedech id se dituruum est pollicitus? Atqui per illud implebantur legitima. Illud enim offerebat sacrificia. Illud id quod erat pollutum expurgabat. Per illud, festorum præcepta implebantur. Hoc enim dixit illud, Populus sub ipso legem acceperat. Postquam sic ostendit mutationem Sacerdotij, ostendit etiam legis cessationem.

Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat.

Lex coniuncta est Sacerdotio. Necesse enim est vt cessante Sacerdotio, id ipsum legi quoq; accidat.

In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu fuit, de qua nullus altario præsto fuit.

Dicit etiam nomen tribus.

Manifestum enim est quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moses locutus est.

Illud Manifestum, posuit pro eo cui contradici non possit. Etenim cùm magi venissent, & Herodes interrogasset Iudæos vbinam Christus nascitur, dixerunt in Bethleem Iudęæ, deinde etiam dictum suum confirmarunt scripturæ testimonio. Scriptum est enim. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda. Ex te enim egredietur mihi dux qui regat populum meum Israel. Ex ea autem, inquit, nullus est renunciatus Sacerdos. Quinetiam Ozias qui Sacerdotij munus temere inuasit, lepram arrogantiæ suę pœnam suscepit. Est autem iure admirandum œconomię mysterium. Quemadmodum enim Christus Dominus, qui est Rex

Mich. 5. 4. Reg. 14.

æternus, Pontifex noster appellatus est: ita etiam tribus Iuda, quæ prius erat regia, Sacerdotium per Dominum adepta est.

Et amplius adhuc manifestum est: si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius Sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Ex alio etiam, inquit, ostendi potest huius & illius similitudo. Quemadmodum enim ille non habuit successores Sacerdotij: ita nec hic ipsum ad alios transmittet. Carnale enim mandatũ hoc vocauit, vtpote leges, propterea quòd sunt homines mortales, præcipientes, vt post mortem Pontificis, illius filius excipiat sacerdotium. Existimo autem per id quod dictum est etiam aliud significari. Corpus enim omnino Sacerdotes purgabant, id aspergentes & lauantes, pro eo sacrificia offerebant. Neque enim pro homicidis, neq; pro ijs qui matrimonia aliena violant, sacrificia offerre consueuerunt, sed pro ijs qui seminis profluuio laborant, & leprosis, & ijs qui tangunt ossa mortuorum. Deinde reuertitur ad ceptam de lege orationem.

Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum, & quantum est non sine iureiurando.

Cessat inquit, lex, introducitur autem spes meliorum. Illa autem cessat, non vt mala, vt est insana Hæreticorum sententia, sed vt imbecilla, & quæ non potest perfectam afferre vtilitatem. Notandum autem est quòd quæ sunt legis superuacanea, ea vocat imbecilla & inutilia, circuncisionem, sabbatum, & quæ sunt his similia. Quæ sunt autem legis necessaria, nouum quoq; testamentum etiam cum incremento ea seruare præcipit. Pro illis ergo accepimus spem futurorum bonorum. Ea nos Deo familiares efficit. Iusiurandum autem nobis confirmat Dei promissionem.

Alij quidem, sine iureiurando Sacerdotes facti sunt. Hic verò cùm iureiurando per eum qui dixit ad illum, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum.

Quoniam enim idem etiam eos qui in lege erant Sacerdotes ordinauit, illis autem cessare iussis, pro illis alium renuntiauit: necessario dixit cum quidem illos constituisse absq; iureiurando: in hoc autem etiam iusiurandum adiecit. Ne ergo existimetis fore vt hoc sacerdotiũ sicut illud desinat, & rursus aliud eius loco surrogetur. Eiusmodi enim suspicionem excludit iusiurandum quod datum est.

In tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus.

Postquam ostendit Sacerdotium legi esse coniunctum: deinde cessare quidem Leuiticum, exortum autem esse id quod est secundum ordinem Melchisedech, audacter deinceps nouum testamentum aperit; & pronuntiat id tanto esse veteri præstantius, quanto priori sacerdotio secundum melius apparuit. Quoniam autem nouum testamentũ regnum cœlorum pollicebatur, & mortuorum resurrectionem, & vitam æternam: eorum autem nihil adhuc visum fuerat, iure eius sponsorem seu fideiussorem Dominum Iesum nominauit, qui per suam quidem resurrectionem, resurrectionis nostræ spem confirmauit: suam autem resurrectionem per miracula quæ fiebant ab Apostolis tradidit. Deinde rursus etiam ex alio ostendit superius esse hoc sacerdotium.

Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: Hic autem eo quòd maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium.

Qui ex lege, inquit, sunt Sacerdotes, habent mortalem naturam. Qua de causa non possunt perpetuo fungi Sacerdotio sed habẽt filios Sacerdotij successores. Hic autem cùm sit immortalis, non transmittit ad alium munus Sacerdotij.

Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis.

Vel ipsa verborum humilitas exclamat nihil horum pertinere ad Christi diuinitatem. Non enim propterea viuit vt interpellet pro nobis. Illius enim vita est expers & principij & finis. Hæc ergo sunt intelligenda quo ad humanitatem. Quemadmodum enim passionem pro nobis sustinuit, ita etiam interpellat pro nobis. Et tamen humilitati coniunxit etiam altitudinẽ diuinus Apostolus. Dixit enim ipsum nos seruare, & salutem perfectam præbere.

Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex: sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.

Existimo vel eos qui veritati contraria sentiunt, confessuros hæc esse humanitatis propria, non diuinitatis. Vt enim alia prætermittam, illud Excelsior cœlis factus, quomodo Deo verbo conuenerit, qui est omnia fabricatus? Significat autem id quod dicitur eum qui passionem supra cœlos peruasit. Deus autem sermo habet naturã quæ nequit circumscribi. Ergo hæc etiam Domino Christo attribuemus vt homini, non eum aliquem alium à Deo verbo intelligentes, sed scientes quid sit diuinitatis, quid humanitatis proprium.

Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel se offerendo.

Duo posuit quæ non habebant qui erant Sacerdotium consecuti. Illi enim & assiduè hostias offerebant, & pro seipsis sacrificabant, vt qui etiam ipsi delinquerent, vt homines. Qui sunt autem peccatis obnoxij, non tanta vtuntur libertate dicendi. Hic autem neutrũ eorum facit, hoc quidem, quoniam nulli est peccato affinis: Illud verò, vtpote quod vnum sacrificium ad salutem sufficerit. Et illi quidẽ alias offerebant hostias. Hic verò suum ipsius corpus obtulit, vt qui fuerit & sacerdos, & hostia, & vt Deus, cum Patre & spiritu donum suscipiat.

Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes.

Talis est enim natura hominum.

Sermo autem iurisiurandi qui post legem est, filium in æternum perfectum.

Vnigenitus filius habet perfectionem, quæ concurrit cum generatione. Ipsum enim perfectum genuit pater. Et hoc itaque etiam intelligendum est quo ad humanitatem. Perfectum enim hic dicit immortalem. Nec tamen est alius filius intelligendus ab eo qui est natura filius, sed idem qui est & natura filius, vt Deus, & qui eandem rursus accipit appellationem, vt homo.

CAP. VIII.

Capitulum autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo.

Maximum honorem postremum reliquit, & ostendit eum sedere in dextra maiestatis. Sacerdotum enim parens Aaron, qui Pontificatus munus primus suscepit, cum timore & horrore diuinũ introibat tabernaculum. Hic autem sedet à dextris. Adiecit autem illud λειτουργός, hoc est Sacerdotalis muneris minister, quoniam de Pontifice loquitur. Quonam enim munere sacerdotali fungitur, qui seipsum semel obtulit, & non offert amplius sacrificium? Quomodo autem fieri potest, vt idem simul & sedeat, & sacerdotali officio fungatur? Nisi forte dixerit quispiam esse munus sacerdotale, salutem quam vt Dominus procurat. Tabernaculum autem vocauit cœlum, cuius est ipse opifex, quem vt hominem dixit Apostolus fungi sacerdotio.

Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat.

Proprium est Pontificis offerre dona Deo vniuersorum. Ea de causa homo factus vnigenitus, cùm nostram naturam suscepisset, eam pro nobis obtulit.

Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cùm essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium.

Hæc posuit vt responderet ac se defenderet, docens se non legem reprehendere, sed illam etiam venerandam ducere, vt quę habeat figuram cœlestium. Ea de causa dixit, quòd superuacaneum esset eum in terra agentem vocare Sacerdotem, si ij qui sunt ex lege sacerdotes legalem cultum impleant. Si ergo & sacerdotium quod est ex lege, finem accepit, & sacerdos qui est secundum ordinem Melchisedech, obtulit sacrificiũ, & effecit vt alia sacrificia non essent necessaria, cur noui testamenti sacerdotes mysticam liturgiam seu sacrificium peragunt? Sed clarum est ijs qui sunt in rebus diuinis eruditi, nos non aliud sacrificium offerre, sed illius vnius & salutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit ipse Dominus. Hoc facite in meam recordationem, vt per figurarum contemplationem, earum quæ pro nobis susceptę sunt perpessionum recordemur, & in benefactorem beneuolentiam conseruemus & futurorum bonorum perceptionẽ expectemus. Postquam autem diuinus Apostolus vocauit cœlestiũ vmbram cultum legalem, scripturæ testimonio confirmat id quod dixit.

Sicut responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum. Vide, inquit, omnia facias secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Exod. 25.

Cùm enim illi quasdam figuras in monte ostendisset, iussit vt eis similia construeret. Sunt ergo vetera figurę cœlestium. Hoc enim subiungit.

Nunc autem melius sortitus est ministeriũ quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

Breuiter ostẽdit excellentiam. Vetus enim testamentum habebat corporales promissiones adiunctas, terram fluentem lacte & melle, & oliuetorum & vinetorum terram, & filiorum multitudinem, & quæ sunt his similia. Nouum autem, vitam ęternam, & regnum cœlorum. Cùm Leuitico sacerdotio excellentius esse ostendisset id quod est secundum ordinem Melchisedech, apertè deinceps certamen suscipit pro nouo testamento.

Nam si illud prius culpa vacasset, nõ vtique secundi locus inquireretur.

Illud autem, A reprehensione alienum, posuit pro eo quod est, Perfectum, id est, sufficiens ad perfectionem efficiens vt nulli sint reprehensioni affines qui eo vtuntur. Quoniam autem hoc sufficiebat ad eos percellẽdos, qui legitimam vitæ institutionem amplectebantur, Hieremiã prophetam vocat ad eius quod dictum est testimonium & dicit.

Vituperans enim eos dicit. Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod fecit Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, neglexi eos dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel, post dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens. Cognosce dominum. Quoniam omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Hier. 13.

Hoc postquam adduxit testimonium, valde admirabiliter & breuiter legẽ eijcit, & dicit.

Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.

Mortalibus enim hominibus lex conuenit, nouum autem testamentum æternam nobis vitam pollicetur. Iure ergo illud quidem consenuit: Hoc autem manet perpetuò nouum, vt quod sit coniunctum sæculis quæ non

non senescunt. Hoc etiam apertè docuit Prophetia, dicens. Non docebit vnusquisq; proximum suum, & vnusquisque fratrem suum,
Hier. 13. dicens. Cognosce dominum. Quoniam omnes scient me à paruo vsque ad magnum eorum. Hoc autem nequaquam factum est in vita præsenti: sed fiet in illa. Qui enim infidelitatis tenebris sunt adhuc circundati, videbunt illic veritatem, & excindentur, vt est vox diuina. Quia autem vmbram cœlestium appellauit cultum qui est secundum legem in ijs quæ antè explicata sunt, eam contexit orationem.

CAP. IX.

HAbuit quidem & prius iustificationes culturæ.

Ita appellauit mandata, quatenus faciebant ad cultum diuinum. Ita etiam dicit
Psal. 118. beatus Dauid. Iustificationes tuas doce me. Quinetiam ipse legislator. Hæc sunt iudicia & iustificationes, quas locutus est Dominus filijs Israël. Sed ante alia omnia loquitur de tabernaculo.

Et Sanctum sæculare.

Tabernaculum ita appellauit, vt quod totius mundi figuram teneat. Velo enim intermedio diuidebatur in duas partes, & hæc quidem appellabatur sancta, illa verò sancta sanctorum. Et sancta quidem imitabantur vitam quæ in terra agitur. Sancta autem sanctorum, formam ac rationem vitæ quæ agitur in cœlis. Ipsum autem velum vsum firmamenti implebat. Duos enim esse cœlos diuina nos scriptura docuit, quorum primum quidem cum terra Deus fabricatus est. Secundum autem secundo die fecit, cùm dixit, Fiat firmamen-
Gen. 1. tum in medio aquę. Deinde subiunxit. Et vocauit Deus firmamentum cœlum. Ita etiam
Psal. 113. dicit beatus Dauid, Cœlum cœli Domino. Hoc enim cœlum est quidem nostrũ tectum. Potestatibus autem, quæ sub aspectum non cadunt, est loco soli seu pauimenti. Quemadmodum ergo hoc cœlum ea quæ sunt inferne seiungit à supernis: ita velum in medio tabernaculi extensum, separabat à sanctis sancta sanctorum.

Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra et mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta.

Sancta Græcè est ἅγια, quod legendum est cum accentu acuto in antepenultima. Ità enim nos docet intelligendum esse, alterum nomen.

Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circuntectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Superq; eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. De quibus non est modo dicendum per singula.

Per propitiatorium & Cherubim id ostendit habere typum cœlestium: Per candelabrum autem & mensam præsentem vitam significauit.

His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes, in secundum autem, semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine quem offerret pro sua & populi ignorantia.

Intincto enim in sanguine digito propitiatorium aspergere iussus est.

Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.

Ea de causa, inquit, non licebat multis ingredi sancta sanctorum, quòd cultus ex lege adhuc vigeret. Sciẽdum est autem quòd cùm Deus hæc ita fieri iussisset, diuinus Apostolus dixit spiritum sanctum hæc ita significasse, ostendens dignitatem spiritus.

Quæ parabola est temporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem solummodo in cibis & in potibus, & in varijs baptismatibus, & iustitijs carnis vsque ad tempus correctionis impositis.

Per similitudinem, inquit, docemur per tabernaculum, legem esse huic vitæ vtilem, & conuenientem ijs qui mortalem adhuc habent naturam. Ea de causa Sacerdotes quidem in primum ingrediebantur tabernaculum, & cultum eis lege constitutum & adorandi ritum peragebant. In sancta autem sanctorum, minime, sed solus ingrediens Pontifex, implebat figuram Christi Domini qui primus ascendit in cœlum, & effecit vt ad ipsum nobis pateret aditus. In his quoque nos apertè docuit se non totam legem eijcere, sed ea solum quæ constituta sunt de cibo & potu, de eo qui seminis profluuio laborat, de leproso, de puerpera, & de fluxu sanguinis, & similibus. Ij enim abluebantur, & aspersionibus mundabantur. Nihil autem eorum poterat mundam efficere conscientiam. Vnumquodque autem eorum non sine causa datum est, sed ad aliquem vsum, quem dicere nõ est præsentis temporis. Erant tamen hæc omnia ad tempus, & tempus perfectionis expectabant. Hoc enim dicit illud, vsque ad tempus correctionis imposita. Postquam eorum sic ostendit imbecillitatem, ea quæ sunt noui testamenti cum eis comparat.

Christus autem astistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorũ aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.

Tabernaculum non manu factum, hic humanam appellauit naturam, quam suscepit Christus Dominus. Neque enim lege matrimonij facta est, sed spiritus sanctus tabernaculum construxit. Illud autem, Non huius creaturæ, pro eo quod est, Non ex lege naturæ, quæ in creatura versatur. Obtulit autem pro nobis non sanguinem taurorum & hircorum, sed proprium sanguinem, & per eum sanguinem in cœlum ascendit. Non vt Pontifices semel in anno, sed æterna semel salute inuenta.

Redemptionis enim nostræ pretium factus, liberauit nos omnes à mortis potestate. Deinde exemplo eius quod dictum est veritatem ostendit.

Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?

Si enim animalium ratione carentium sanguis & cinis aspersi purgant maculam quæ videtur inesse corpori: multo magis sanguis Christi nostras conscientias liberat à malis operibus. Mortua enim opera appellauit male olentia & improba. Hoc etiam dixit quo ad humanitatem. Nulli enim reprehensioni obnoxium effecit illud corpus sanctus spiritus. Habebat enim omnia dona spiritũ. Et de ple-
Ioan. 1. nitudine eius, vt dixit Diuus Ioannes, omnes accepimus. Notandum est autem quòd spiritum sanctum appellauit æternum. Quod autem est æternum, nõ est creatum. Quod enim est æternum, non habet temporale essentiæ principium.

Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.

Ea de causa mortem pro omnibus subijt, vt eos etiam qui fuerunt obnoxij execrationi propter transgressionem, dignos salute faceret, & æternorum bonorum redderet participes.

Vt enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondum valet dum viuit qui testatus est.

Hoc posuit, eos qui propter mortem Domini angebantur consolans, quòd dato nouo testamento, oportebat etiã esse mortem. Post eorum enim qui testantur mortem, vires testamenta accipiunt. Et hoc etiam probat ex veteri.

Exod. 14. *Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis à Mose vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, dicens. Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit, & omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Vetera fuisse nouorum typos ac figuras apertè & absque vlla dubitatione ostendit. Si ergo etiam in typo legislator accepto sanguine, eoque aqua commixto, & testamentum ipsum, & populum, & tabernaculum aspergebat: quinetiam qui erant polluti aspersione mundabantur, quid mirum si etiam in veritate hoc factum esse inuenimus? Necessariò autem Mosaicum quoque adduxit testimonium, quod id apertè significaret. Hic sanguis testamẽti quod mandauit ad vos Deus. Quia enim diuina natura est immortalis, per hostiarum sanguinem impleuit mortis figuram, & sanguinem confirmauit. Postquam autem homo factus est Deus sermo, & mortale corpus habuit, rationis expertibus hostijs non amplius fuit opus, sed proprio sanguine nouum confirmauit testamentum. Vmbrę enim conuenit typus, veritas autem corpori. Baptismatis autem typus erat aqua. Salutaris autem sanguinis, rationis expertium animantium sanguis. Diuini autem spiritus gratiæ hyssopi caliditas. Noui autem indumenti, lana coccinea. Impatibilis autem diuinitatis signum cedrinum, est enim lignum quod non putrefit, passionis autem humanitatis, cinis vitulæ.

Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari.

Pro eo quod est, His quæ sunt expertia rationis.

Ipsa autem cœlestia melioribus hostijs quàm istis.

Nempe orationis compote, & nulli reprehensioni aut vitio obnoxia & sancta hostia. Cœlestia autem appellauit spiritalia, quibus mundatur ecclesia.

Non enim in manu facta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Ostendit etiam ex loco differentiam. Sacerdotes enim introibant in tabernaculũ manu factum: vel in nouum recenter excisum. Ipse autem in cœlum. Illud autem, vt appareat nunc, vt homo scilicet. Nunc enim primum humana natura ascendit in cœlum.

Neque vt sæpe offerat seipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.

Qui sunt legis sacerdotes, singulis annis in sancta sanctorum introeunt. Christus autem semel hoc fecit in consummatione sæculorum. Et illi quidem in sanguine alieno. Ipse autem in proprio.

Nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.

Omnino enim peccati vires profligauit, nobis immortalitatẽ pollicitus: Id enim corporibus immortalibus non potest exhibere molestiam.

Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: Secundo sine peccato apparebit omnibus expectantibus se in salutem.

Quemadmodum enim definitũ est vt vnusquisque homo semel moriatur: qui autem mortis præscriptum suscepit, non peccat quidem amplius, expectat autem vt de ijs quæ in vita gessit examinetur: ita Christus Dominus pro nobis semel oblatus, nostris susceptis peccatis: rursus nobis apparebit, peccato non amplius dominante, pro eo quod est, non amplius locum habente peccato in hominibus. Ipse enim licet mortale corpus haberet, peccatum non fecit, nec est inuentus

dolus

dolus in ore eius. Notandum est autem quod dixit eum multorum peccata sustulisse, non omnium. Non omnes enim crediderunt. Eorum ergo qui crediderunt solum peccata sustulit.

CAP. X.

VMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos, eisdem ipsis hostijs quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.

Res vocat vitam futuram. Rerum autem imaginem institutionem Euangelicam: Vmbram autem rerum imaginis, vetus testamentum. Imago enim ostendit euidentius exemplaria: Imaginis autem adumbratio ea ostendit obscurius. Ei veteris testamenti imbecillitatem assimilauit. Multas enim, inquit, hostias easque quotannis offerentes, eos qui ex lege vitam instituunt non possunt perfectos efficere.

Alioqui cessassent offerri: ideo quòd nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores, semel mundati.

Propterea illa finem accipiunt, vt quæ non possint puram reddere conscientiam.

Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.

Ostendit imbecillitatẽ legis & vtilitatem. Peccata enim non potest adimere: sed ea accusat, & timorem incutit, & cogit vt ad gratiam accedant.

Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.

Quem enim homicidam aut parricidam innoxium dimisit sanguis animantium ratione carentium? Propterea etiam clamabat beatus Dauid. Si voluisses, sacrificium dedissem, holocaustis non delectaberis. Diuinus autem Apostolus aliud etiam adducit testimonium. Psal. 50.

Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata, & pro peccato, non tibi placuerunt, Tunc dixi. Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Psal. 39.

Deinde exponit testimonium.

Superius dicens, quia hostias & oblationes & holocaustomata & pro peccatis noluisti, nec placitæ sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me vt faciam Deus voluntatem tuam.

Cùm enim ostendisset, inquit, Deo non placere animantium rationis expertium sacrificia, tunc seipsum ostendit, & quæ de eius apparitione & aduentu factæ erant prædictiones. Hoc enim dixit, In capite libri scriptum est de me. Et idipsum rursus aliter ostendit.

Aufert primum, vt sequens statuat.

Primum dixit brutorum sacrificium, secundo autem rationale, quod ab ipso oblatum est.

In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.

Apertè ostendit Dei voluntatem esse hominum salutem. Hoc etiam dixit Dominus. Hæc est enim voluntas mea, vt omnis qui credit in me non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3.

Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata.

Eadem enim sacrificia iussi erant sacerdotes assiduè offerre, peccatorum tamen solutio per illa non fiebat.

Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.

Illic & sacerdotum & hostiarum multitudo, nulla verò vtilitas: Hic autẽ vnus & idem sacerdos & hostia, & peccatorum solutionem effecit, & alio non eget sacrificio: sed sedet vnà cum Patre, præsentis vitæ finẽ expectans. Tunc enim omnes eius hostes eum adorabũt vt Deum & Dominum. Eius autem inimici, primus quidem Diabolus, & Dæmonum caterua: Deinde ex Iudæis & gentibus qui fidei radium non susceperunt. Cum his autem etiam Hæreticorum turba, quæ eum blasphemijs & maledictis impetere ausa est. Deinde collationi finem impositurus, Hieremiæ prophetiã rursus in memoriam reuocat. Et prophetę quidem nomen non dicit, spiritum autem qui per eum locutus est ostẽdit, & dicit.

Contestatur autem nos & spiritus sanctus. Postquam enim dixit. Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos, post dies illos dicit Dominus. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum inscribam eas, & peccatorum, & iniquitatum eorum non recordabor amplius.

Deinde mirabiliter subiungit.

Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato.

Est enim superuacanea, data remissione. Peccatorum autem remissionem est pollicitus. Ipsorum enim peccatorum, inquit, & iniquitatum non recordabor amplius. Hoc autem factum est per nouum testamentum. Accipimus enim etiam in sanctissimo baptismo remissionem peccatorum: in futura autem vita suppeditata nobis immortalitate, sine omnibus viuemus, vtpote cùm peccatum non possit amplius molestiam exhibere ijs qui immortales facti sunt. Hanc autem vitam vtinam detur consequi. Consequemur autem, si in vita præsenti virtutis labores & pro ea contentiones prompto & alacri animo suscipiamus. Nobis quoque feret auxilium ipse Dominus, qui est futurorum bonorum conciliator. Cui & cum quo Patri cum sanctissimo Spiritu cõuenit gloria & magnificentia nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

TOMVS TERTIVS.

HAbentes itaq; fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam et viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in certitudine fidei.

Postquam

Postquam fecit comparationem, & ostendit & hanc quietem ea quæ est ex lege multo meliorem, sacerdotium quoque & testamentum simul conferens, quantum hæc illis antecellerent monstrauit, suasione deinceps vtitur, exhortans vt meliora sectentur. Sancta autem cœlum vocauit. Ita enim dixit in prioribus. Neque enim in manu facta sancta Christus ingressus est, sed in ipsum cœlum. Eorum autem viam, optimum vitæ institutum, & resurrectionem ex mortuis. Viæ autem initiationem seu dedicationem, per ea primum esse ingressum. Primus autem Dominus, cùm ex mortuis resurrexisset, cœlos ascendit. Propterea & recentem & viuentem viam appellauit. Recentem quidem, vt quę tunc primum apparuerit, viuentẽ autem, vtpote quòd mors cessauerit. Qui resurrectionem enim consecuti sunt, fieri non potest vt in mortem rursus incidant. Velamen autem Christi carnem vocauit. Per eam enim aditum in sancta sanctorum consequimur. Quemadmodum enim legis sacerdos per velamen in sancta sanctorum introibat, nec vt aliter ingrederetur fieri poterat: ita qui in Dominum crediderunt, per sanctissimi corporis participationem ciuitatem cœlestem adipiscuntur. Domum autem Dei appellauit fideles. Necessario autem adiecit illud, In certitudine fidei. Videri enim non possunt nec tabernaculi adyta, nec hostia, nec Pontifex: sed per solam fidem cernuntur. Hic ergo sensus eorũ quæ dicta sunt. quoniam ostensum est gratiam esse lege multo maiorem, & cœlũ quidem nobis apertum est, via autem est pulchra, & primus Christus Dominus per eam ingressus est, accedamus cum sincera affectione, hæc ita habere credentes, & omnem dubitationem ex anima expellẽtes. Hoc enim appellauit certitudinem.

Aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.

Hæc quoque posuit per comparationem. In lege enim vtebantur aspersionibus: & corpus frequenter lauabant. Qui autem ex nouo testamento vitam instituũt, per sanctissimum baptismum animam expurgant, & à prioribus maculis liberam reddunt conscientiam. Aspersionem ergo & aquam mundam diuinum baptismum appellauit. Spei autem confessionem, credere in bona futura. Hoc enim subiunxit.

Fidelis enim est qui repromisit.

Verax enim est qui est pollicitus. Ex qualitate autẽ personæ promissi firmitatem ostendit.

Et consideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum.

Ad nos, inquit, inuicem respiciamus, & vnusquisque proximi sui bona & ex virtute facta imitetur. Ferrum enim ferrum acuit, & lapis cum lapide collisus flammam parit.

Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.

Effectus enim charitatis est, non diuisio, sed perfecta vnio. Aggregationem enim appellat consensionem & concordiam. Innuit autem fuisse nonnullos qui eam ausi sunt dirimere.

Sed consolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.

Quotidie enim aduentui Domini propinquiores reddimur. Ita etiam scribens ad Romanos, dixit. Nunc propius est nostra salus, quàm quando credimus. Deinde terret eos recordatione iudicij. Roma. 13.

Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis: iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.

Per hæc autem nequaquam prohibuit pœnitentiam, sed dixit non esse secundam hostiam. Semel enim pro nobis immolatus est Christus. Illud autem Voluntariè posuit, docens ea quæ præter animi sententiam fiunt, aliquam veniam mereri. Aduersarios autem vocauit, non solum hostes veritatis, sed eos etiam qui diuinis legibus sequuntur contraria. Quàm hoc autem sit absurdum, ostendit ex comparatione eorũ quæ in lege habentur.

Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.

Si is qui conuincitur quòd legem Moysis sit transgressus, de medio tollitur: considerate quanto est morte dignior, qui ipsum Mosis Deum habet despicatui, & tanquam communem sanguinem pretiosum cõtemnit, & ipsam spiritus gratiam contumelia afficit? Sub specie enim adhortationis ostendit rursus differentiam, quòd scilicet hic quidem filius: ille verò seruus, & quòd illa quidem sunt brutorum sacrificia, hoc verò est & rationale & sanctissimum. Iam verò legi non opposuit legem, sed sanguinẽ & spiritum. Per hæc enim salus nobis obtingit. Minas autem confirmat scripturæ testimonijs.

Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam, & ego retribuam. Et iterum. Iudicabit Dominus populũ suum. Deut. 32.

Postquam autem id quod dixit munijt testimonijs, minatur definitiue.

Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Quoniam autem hæc satis erant vt eos molestia afficerent, vt quæ negligentiam significarent, & Dei contemptum: eorum quæ dixit acerbitatem, illorum quæ rectè & ex virtute ab illis gesta sunt recordatione temperauit. Nihil enim promptiores & alacriores reddit quàm rerum à se præclarè gestarum memoria.

Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis & rapinam bonorum vestrorũ cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos meliorẽ & manentẽ habere substantiam.

Volo vt vobis in memoriam redeant præclara illa certamina. Statim enim accepta Dei cognitione, multa & præclara certamina vicistis, aliquando quidem ipsi conuitijs & maledictis affecti, & vestris facultatibus cum gaudio priuati, aliquâdo verò ijs qui ea patiebantur impertientes, & nullum non genus auxilij præbentes. Vnumquodque autem horum lubenter & alacriter faciebatis, quoniam promissorum in cœlis bonorum spem habebatis. Deinde exhortatoriè.

Nolite itaque amittere confidentiam vestram.

Ex victoria enim vobis magnam parastis libertatem. Porrò autem ostendit etiam præmia certaminum.

Quæ magnam habet remunerationem.

Iam verò docet etiã quomodo quis ea possit consequi.

Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

Est enim merces commoderata labori, & prout est opus datur retributio. Et vt valde negligentes consolans, & animum addens, erant enim vehementes aduersariorum impetus, ostẽdit appropinquare Agonothetam, & propediem coronas præbiturum.

Adhuc enim modicum aliquantulumq́, qui venturus est veniet, & non tardabit.

Propè est, inquit, Dominus veniet quàm citissime: & bonis cœlestibus labores remunerabitur. Et quoniam verisimile erat nonnullos de eo dubitare, iure subiungit.

Iustus autem meus ex fide viuit.

Deus, inquit, hæc dixit per Prophetas. Qua de causa etiam quando lex dominabatur, fidei medicamentum salutem procurabat.

Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.

Subtractionem appellauit dubitationem.

Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

Per fidem enim Deo coniuncti & familiares efficimur. Deinde ostendit eos, qui & ante legem & in lege per fidẽ Deo dilecti & insignes extiterunt. Duo autem per hæc simul efficit. Fidei enim vim ostendit. Quæ enim lex non efficit, à fide perfecta sunt, & ijs qui propter aduersariorum insultus angebantur & se afflictabant, consolationem adhibet, ostendens eos omnes immortalem gloriam habuisse, qui ea via ingressi fuerint. Et primũ quidem omnium docet nos definitionem fidei.

CAP. XI.

EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

Ea enim quæ non videntur per eam videmus: & ad eorum quæ sperantur contemplationem ea nobis oculus efficitur, & ostendit tanquam subsistentia ea quæ nondum facta sunt. Mortuis adhuc omnibus in sepulchris iacentibus, fides nobis ante describit futuram eorum resurrectionẽ, & vt puueris corporum visione apprehendatur immortalitas efficit. Deinde eorum qui olim fuere sanctorum catalogum ea clarum fuisse ostendit.

In hac enim testimonium consecuti sunt senes.

Hoc est, qui olim fuerunt, qui ante legem, & in lege insignes fuere sancti. Primo autem ponit quod scriptis nobis primum traditum est. Prima autem nobis in scriptis tradita est doctrina. In principio Deus fecit cœlum & terram, & alia quæ de creatione dicta sunt. Genes. 1.

Fide intelligemus aptata esse sæcula verbo Dei: vt ex inuisibilibus visibilia fierent.

Neque enim corporis oculus vidit Deum vniuersorum fabricantem: sed fides nos edocuit, quòd qui semper est Deus ea quæ non erant fecit. Huius enim nullum est exemplum apud homines, & tamen cùm natura nos nihil tale doceat, habemus fidem, rerum admirabilium, & quæ sunt supra fidem magistram. Ex ijs enim quæ sunt fabricantur homines. Vniuersorum autẽ Deus ex ijs quæ non erant ea quæ sunt deduxit.

Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus: testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Genes. 4.

Maiorem hostiam appellauit pretiosiorem. Idq́; manifestum est ex accusatione Cain. Illi enim dixit. Non rectè obtulisti, rectè autem non diuisisti. Abel ergo & rectè diuisit, & piè obtulit. Vtrunque autem fecit, fidem habens magistram. Illud autem, Adhuc loquitur, pro eo quod est, In præsens vsque tempus canitur ac celebratur, & ab omnibus pijs laudatur ac prædicatur.

Fide Enoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus. Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Genes. 5.

Deus enim qui illi placuerat transtulit. Placuit autem, vt qui crediderat Deum esse pietatis agonothetam. Deinde enuntiatiuè.

Sine fide autem impossibile est placere Deo.

Attulit etiam probationem suæ enuntiationis, eam iam per sententiam effingens.

Credere enim oportet accedentem ad Deum quòd est, & inquirentibus se remunerator sit.

Qui enim non hæc ita habere crediderit, virtutis labores non sustinet. Neq; enim agricola in agro colendo sudores toleraret, nisi se laborum fructꝰ relaturum speraret. Ita etiam gubernator ad portus respiciens, multos labores perpetitur.

Fide, Noe responso accepto de ijs quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum, & iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus. Genes. 6.

Fides enim effecit vt arcam construeret. Si enim non valde credidisset ei qui hoc iussit facere, similiter ac alij homines amasset improbitatem. Condemnauit autem mundum, vt qui solus ex illis omnibus recta via ingressus sit. Fuit autem hæres iustitiæ, quæ est per fidem. Pro eo quod est. Ex se rectè & ex virtute gessit. Non enim vitæ ex lege institutionem secutus est, sed cùm fuisset fidei alumnus, vt renunciaretur assecutus est.

Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, Genes. 12.

ire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt, nesciens quò iret.

Illud qui vocatur Abraham, dixit propter mutationem nominis. Abram enim qui dicebatur, appellatus est Abraham. Cùm autem credidisset ei qui illum vocauit paternam domum reliquit, & secutus est, nesciens quamnam terram ei se daturum pollicetur. Veni enim inquit ei, in terram quam tibi ostendero.

Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. Genes. 12.

Sed nec cùm in terram promissam accessisset, dominatum in ea obtinuit, sed & ipse, & filius, & nepos, inquilinorum ritu vixerunt, tanquam in terra peregrina habitantes in ea quæ erat ex promisso eorum propria. Qua de causa nec domos extruxerunt, sed in tabernaculis perpetuò habitarunt. Verum tamen esse crediderunt eum qui erat pollicitus, licet non viderent rerum testimonium fidei consentire.

Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus.

Præsentia enim non concupiscebat: sed futura desiderabat. Illa enim sunt verè firma ac stabilia. Per fundamẽta enim significauit sufficientiam. Non manu factam autem ciuitatem, vocauit vitam quæ in cœlis agitur. Hoc etiam dixit in ijs quæ præcedunt. Non enim in sancta manufacta ingressus est Christus, sed in ipsum cœlum.

Fide & ipsa Sarra sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. Genes. 18.

Primum enim risit, vt quæ nesciret naturam eius qui pollicebatur, & fines humanæ naturæ cognosceret. Ne pareret enim obstabat non solum senectus, sed etiam matricis debilitatio. Sed postquam resciuit quis polliceretur, & credidit, & peperit, vt credidit.

Propter quod & ab vno orti sunt & hoc emortuo, tanquam sidera cœli in multitudinem, & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis.

Ab vno Abraham. Si autem etiam vtrunque vnum intellexerimus, minimè aberrabimus. Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Deinde ostendit syllogisticè eos quidem omnes vidisse per fidem bonorum, laborum remunerationes, in præsenti autem vita eas non esse consecutos. Hoc enim sic ostenso, cùm etiam in confesso fuerit iustum esse iudicem, simul etiam vita futura probata est. Qui enim per omnes virtutes ingressi sunt, laborum autem præmia in vita præsenti non acceperunt, clarum est eos illa omnino accepturos, quoniam est iustus iudex. Erit ergo aliqua alia vita, in qua qui vicerũt victores renuntiabuntur. Hęc autem docet etiam Apostolus in ijs quæ consequuntur.

Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes & salutantes, & confitentes quod peregrini & hospites sunt super terram.

Ita dixit Patriarcha Abraham Filijs Chet. Peregrinus & aduena ego sum vobiscum: Date mihi ius sepulchri vobiscum, & sepeliam mortuum meum à me, & qui totius terrę promissionem acceperat, ne trium quidem cubitorum locum possidebat. Hoc etiam dixit insignis victor Stephanus. Et nec fuit quidem illi passus pedis. Ita etiã beatus Dauid, quamuis & Rex esset, & in illa terra dominatum obtineret, assiduè clamabat. Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. Genes. 23. Actor. 7. Psal. 38.

Qui enim hæc dicunt, significant se Patriam inquirere.

Qui, inquit, seipsos nominant peregrinos, significant se nihil ex præsentibus proprium iudicare, sed res alias cupere. Hoc etiam dixit Dominus. Si in alieno fideles nõ fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Luc. 16.

Etsi quidem ipsius meminissent de qua exierunt: habebant vtique tempus reuertendi.

Si enim Charram vel Chaldæorum regionem patriam existimasset Patriarcha, & ea de causa seipsum nominabat aduenam, cùm habitaret Palæstinam, facillime potuisset reuerti si voluisset.

Nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem.

Non dicit aliquod ædificium, sed vitam quę in cœlis agitur. Hoc enim dicit etiã paulo pòst. Sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis cœlestis Hierusalem. Opportunè etiam posuit illud, Non erubescit. Virtutum enim Deus, & Angelorum Dominus, & cœli & terræ opifex, interrogatꝰ, Quod est tibi nomen, alijs relictis dixit. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc nomen mihi æternum, & monimentum generationibus generationum. Exod. 3.

Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur: & vnigenitum offerebat, in quo susceperat promissiones. Ad quem dictum est. In Isaac vocabitur tibi semen. Gen. 22.

Et eorum qui ex Isaac originem ducturi erant, pollicitus est Dominus se effecturũ multitudinem arenæ maris similem: & ipse iussit Isaac fieri hostiam. A duobus ergo contrarijs cogitationibus obsessus Patriarcha, & habens præterea naturam, quæ quouis lictore sæuius eum excruciabat, facile omnia superauit, & hostiam obtulit. Porrò autem ostendit etiam cogitationem, qũa fretus alias fudit ac profligauit.

Arbitrans quod & à mortuis suscitare potest Deus.

De eorum enim qui descensuri erant multitudine cogitationem expugnauit, credens quòd vel occisus filius possit reuiuiscere, si Deus voluerit.

Vnde eum & in parabolam accepit.

Hoc est, tanquam in symbolo & typo resurrectionis. Prompto enim & alacri Patris animo interemptus, voce eius qui occisionem prohibuit reuixit. Porrò autem in ipso etiam fuit antè descriptus passionis salutiferæ typus. Qua de causa etiam Dominus Iudæis.

Ioan.8. Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum,& vidit,& gauisus est.

Gen.17. *Fide & de futuris benedixit Isaac, Iacob & Esau.*

Neque enim quæ non videbantur dedisset benedictiones,nisi credidisset fore vt res verba sequerentur.

Gen.48. *Fide Iacob moriens,singulos filiorum Ioseph benedixit:& adorauit fastigium virgæ eius.*

Præsignificauit enim regnum Ephraim, & decem tribuum subiectionem. Quocirca ipse præfigurat eorum adorationem.

Gen.47. *Per fidem Ioseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est; & de ossibus suis mandauit.*

De ossibus enim suis nõ mandatum dedisset,nisi credidisset diuinis promissionibus.

Exod.2.& 1. *Fide,Moyses natus occultatus est tribus mensibus à parentibus suis: eo quòd vidissent elegãtem infantem, & non timuerunt Regis edictum.*

Cùm enim ad infantis speciem respexissent, sperarunt fore vt Deus eius curam gereret.

Exod.2. *Fide, Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei quàm temporalis peccati habere iucunditatem.*

Qui enim in regia educabatur,& omni deliciarum genere fruebatur, & Reginæ vocabatur filius, non statuisset esse satius cũ ijs qui erant sui generis affligi, nisi fidei vtens oculis,ad Agonothetã respexisset. Peccati autem iucunditatem appellauit vitam quæ cum impijs transigitur.

Maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi,respiciebat enim ad remunerationem.

Pro eo quod est. Quod in typo Christi similе est Christi ,pbris, quod aduersus pietatem ab aduersarijs intentatur.

Fide, reliquit Aegyptum,nõ veritus animositatem Regis.Inuisibilem enim tanquam videns sustinuit.

Aegyptum quidem timens reliquit, audacter autem Aegyptium confodit. Fugam ergo posuit pro causa fugæ.

Exod.12. *Fide celebrauit pascha, et sanguinis effusionem:ne qui vastabat primitiua,tangeret eos.*

Sine fide enim quomodo credidisset mortem ouis sanguine prohiberi, sed per figuram præuidebat veritatem, & mortis Dominicæ somniabat potentiam.

Exod.14. *Fide,transierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram,quod experti Aegyptij deuorati sunt.*

Cum fide enim cũm aquas percussisset,alienam illam viam populo munijt, quæ fuit sepulchrum Aegyptiorum.

Ios.5. *Fide, muri Hiericho corruerunt, circuitu dierum septem.*

Tubarum enim sonitus cũ fide editus mœnia instar tubarum diruit.

Ios.6.& 2. *Fide,Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.*

Et non prohibuit vitę improbitas salutem. Contexit enim fides peccati vulnera. Est autem iure admiranda Apostolica sapientia, vel potius est laudanda diuini spiritus operatio, quòd Moyse, Abraham,& Noe, & Enoch, & alijs alienigenam & meretricem coniunxerit: Vt & fidei ostenderet potentiã, & Iudæorum deprimeret superciliũ. Sexcenta enim eorum millia propter infidelitatem in deserto consumpta sunt, ex sua ex lege vitæ institutione nulla vtilitate percepta. Hæc autẽ quæ ab Abrahæ quidem cognatione procul aberat,erat autem à legalibus institutis aliena, & libidinose ac impudice magnam vitæ suæ partem transegerat, per fidem salutem est consecuta: & ecclesiæ figuãr adumbrauit. Quemadmodum enim ea exploratores cum fide suscepit, ita etiam ecclesia Apostolos. Et quemadmodum illa signum salutis accepit funem coccineum: ita etiam ecclesia per sanguinem Domini æterna bona est assecuta. Cùm horum mentionem sic fecisset diuinus Apostolus, & eorum quæ dicta sunt vidisset longitudinem, aceruatim cæterorum meminit.

Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Sampson, Hiephtae, Dauid, Samuel.

Horum nomina quidem posuit:quę autem ab illis rectè & ex virtute gesta sunt prætermisit. In ijs autem quæ consequuntur, minus enim apertè, ea tamen dicit quæ in vnoquoque eorum fuerunt præstantissima. Deinde communiter aliorum quoque facit mentionem,& dicit.

Et Prophetis.

Iam verò dicit etiam quæ ab eis præclarè gesta sunt.

Qui per fidem vicerunt regna.

Gedeon Madiæ terram consumpsit ac deuastauit. Sampson alienigenas. Barach,Sisara. Dauid,& Amenitas & Amalecitas, & vtrosq; Syros.Samuel alienigenas.

Operati sunt iustitiam.

Hoc est commune omnium sanctorum.

Adepti sunt promissiones.

Et Abrahæ pollicitus est Dominus se in semine eius benedicturum omnes gentes,& Isaac & Iacob eandẽ dedit benedictionẽ. Quin etiam Dauid dedit promissiones de Christo Domino, & eorum per facta veritatem ostendit. Pollicitus est etiam reditum à Babylone: & impleuit promissum.

Obturauerunt ora Leonum.

Daniel.

Extinxerunt impetum ignis.

Ananias,Azarias,& Misael.

Effugerunt aciem gladij.

Ii qui in bellis vicerunt.

Conualuerunt de infirmitate.

Zorobabel, & qui cum eo reuersi sunt, & à captiuitate quidem liberati sunt,finitimos autem qui in eos insurrexerant vicerunt.

Fortes facti sunt in bello.

Et qui prædicti sunt,& Matthathię filij, Iudas,Ionathas,& Simon.

Castra verterunt exterorum.

Idem variè dixit.

Acceperũt mulieres de resurrectione mortuos suos.

Admirabilis Heliæ & Helysæi miracula.Ille enim viduæ: Hic verò Sumanitidis filium excitauit.

Alij

Alij autem distenti sunt non suscipientes redẽptionem,vt meliorem inuenirent resurrectionem.

Eleazarus, septem Macchabæi, & eorum mater.

Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula,& carceres.

Ii ipsi,& alij præterea multi.

Lapidati sunt.

Zacharias Sacerdos Iudæ filius.

Secti sunt.

Hoc euenisse dicunt Prophetæ Esaiæ.

Tentati sunt.

Abraham & Iacob.

In occisione gladij mortui sunt.

Matth.23. Hoc etiam dixit Dominus.Hierusalẽ Hierusalem quæ occidis Prophetas,& lapidas eos qui ad te missi sunt.

Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis,egentes,angustiati,afflicti, quibus dignus nõ erat mundus, in solitudinibus errantes,in montibus,& speluncis,et in cauernis terræ.

Ita Helias ille magnus. Ita Helysæus illius gratię heres.Ita plurimi Prophetæ,qui ne domos quidem habebant, sed ligna excindentes sibi tuguria casásue construebant.

Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionẽ, Deo pro nobis melius aliquid prouidente,vt non sine nobis consummarentur.

Eorum ergo fuerunt tot & tanta certamina, sed ij tamen nondum coronas acceperũt. Expectat enim vniuersorum Deus aliorum certamina, vt soluto stadio, omnes qui victoriam fuerint consecuti simul victores renunciet,& remuneretur.

CAP. XII.

IDeóque & nos tantam habentes impositam nubem testium,deponentes omne pondus,& aggrauãs nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.

Pietatis, inquit, exempla sunt nobis vndique proposita, & tanta multitudo, vt nubem densitate exæquet,fert fidei potẽtiæ testimonium.Ad eos ergo respicientes,incursus celeres euadamus, & curarum superuacanearum molem abijciamus. Ita enim facile effugere poterimus peccatum, quod facile cõtrahitur. Patientia autem prętera alia omnia opus habemus, vt vincamus certamen propositũ. ὑπερίσχυον autem, hoc est quod facile contrahitur,vocauit peccatum, vt quod facile confletur ac gignatur.Etenim oculus inescatur, auditus demulcetur, tactus titillatur, lingua facile labitur, mensque ac cogitatio est ad malum propensa. Proponit autem etiam maximum archetypum.

Aspicientes in authorem fidei,& consummatorem Iesum.

Vtrunque posuit quoad humanitatem.

Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta,atque in dextera sedis Dei sedet.

Potuisset, inquit, non pati, si voluisset. Sed passionem sustinuit, omnes beneficio afficiens.Seruatoris autem gaudium,est salus hominum. Pro ea passionem subijt: & post ea considet cum Patre qui genuit.

Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini animis vestris deficientes.

εἰς ἑαυτὸν pro eo quod est, εἰς ἑαυτὸν. Apud vos,inquit,ipsos considerate, quantam à peccatoribus contradictionem sustinuit vniuersorum Dominus. Ex eo enim magnam consolationẽ accipietis. Deinde etiam acerbiorem eis medicinam adhibet.

Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis,aduersus peccatum repugnantes, & obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur, dicens.Fili mi noli negligere disciplinam Domini: neque defatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat:flagellat autem omnem filium quem recipit. Prouerb.3.

Non sunt hæc contraria ijs quæ prius dicta sunt. Illic enim eis tulit testimonium, quòd bonorum suorum direptionem cum gaudio susceperunt, & pro pietate probra ac contumelias forti animo tulerunt. Hic autem carpit vt vacillantes. In tempore autem posuit illud,Nondum vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes, ostendens per comparationem quantum absint ab illis qui fuerunt lapidati,& secti, & in cæde gladij sunt mortui. Deinde cùm prouerbialem adhortationem eis in memoriã reuocasset, subiunxit.

In disciplina perseuerate.

Si forti ac generoso animo fertis quę vobis infliguntur castigationes.

Tanquam filijs vobis offert se Deus.Quis enim filius quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis,cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis.

Patres, inquit, solẽt veros ac legitimos filios instituere, & si eos videant flagellari à magistris,nõ ægrè ferunt. Vident enim fructum, qui ex disciplina & castigatione nascitur. Nothos autem & illegitimos filios contemnunt, nec tanta eos cura dignos censent. Si ergo vos quoque disciplinam vitatis, estis in numero spuriorum.

Deinde patres quidẽ carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos. Num multo magis obtemperabimus Patri spirituum,& viuemus?

Qui à patribus corporalibus disciplinã suscipimus,spiritalis Patris disciplinam non amplectimur? Patrem etiam spirituum patrem spiritalem vocauit, vt qui sit fons donorũ spiritalium.Per illos autem dedit nobis dignitatem adoptionis in filios. Deinde docet etiam differentiam disciplinæ.

Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile est in recipiẽdo sanctificationem eius.

Et in illis quidem dixit,Prout eis videbatur.Neq; enim docent omnes id quod est vtile.In Deo autem,fructum ostendit disciplinę. Vult enim nos sanctos efficere,& esse suæ sanctitatis participes.Deinde definitiuè.

Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non

tur nõ esse gaudij, sed mœroris. Postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.

Omnis discipilinæ initia sunt tristia, & valde molesta: sed iucundos & admirandos fructus producunt, ex Deo pacem, & quę laudatur iustitiam. Ita etiam dicit Dominus. Angusta est porta, & arcta est via quæ ducit ad vitam. Matth. 7.

Propter quod remissas manus & soluta genua erigite: & gressus rectos facite pedibus vestris, vt nõ claudicans quis erret, magis autem sanetur.

Horum alia quidẽ ex Prouerbijs: alia verò posuit ex prophetia Esaiæ. Illud enim, Rectos gressus facite pedibus, docet Prouerbialis exhortatio. Hoc autem, Remissas manus, & soluta genua confirmate, dixit propheta Esaias. Per hæc autem significat diuinus Apostolus, quòd in multa pericula impingentes, ad veritatis cursum facti erant tardiores. Hæc autem sufficiunt ad deprimendam Nauati insolentiam. Eos enim qui præclarè certauerant, deinde molliores & ignauiores euaserãt, confirmat, & curat adhibitis pœnitentiæ pharmacis. Cùm enim dixisset, Id quod est claudum, medicinam est pollicitus. Eis quoque actiuæ virtutis dat præcepta. Prouerb. 4. Esa. 33.

Pacem sequimini cum omnibus.

Hoc etiam dixit scribens ad Romanos. Si fieri enim potest, inquit, quãtum est in vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes. Fac quod tuum. Ostende alacritatem & animi promptitudinem. Roman. 12.

Et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Sanctimoniam appellauit continentiã, seu temperãtiam. Eam autem rectè exercere possunt ij etiam qui matrimonium contraxerũt: Honorabiles enim nuptiæ, & thorus immaculatus: fornicatores autem & adulteros Deus condemnabit.

Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.

Non solum autem vestrum, sed etiam alter alteri⁹ curam gerite, nec eum qui est infirmus despicite, & ei qui vestræ manus auxilio indiget subuenite.

Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

Hoc etiam scripsit ad Corinthios. Nescitis quòd parum fermenti totam massam fermentat? Radicem autem amaritudinis, & mala dogmata, vitamque corruptam ac deprauatam vocauit. Hoc enim subiunxit. 1. Cor. 5.

Ne quis fornicator, aut prophanus vt Esau: qui propter vnam escam vendidit primogenita sua.

Esau fornicationem vocauit ingluuiem. Propter eam enim vendidit benedictionem primogenitorum. Neque verò errauerit quispiam, si vocauerit fornicationem nefariũ matrimonium, & contra leges contractum. Duxit enim vxores alienigenas. Gen. 25.

Scitote enim quòd & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisuisset eam.

Hoc etiam Nauatiani sua esse arma existimant, sed suis ipsorũ telis confodientur. Esau enim non fleuit agens pœnitẽtiam, sed fratris felicitati inuidens. Hoc ipsum autem Cain quoque accidit. Concidit, enim, inquit, facies eius. Sed non ideo quòd malè obtulerat, sed quia fratrem viderat diuina honoratum sententia. Quinetiam diuinus Apostolus hæc per ea quæ dixit innuit. Pœnitentiæ enim, inquit, locum non inuenit. Pro eo quod est, Non inuenit viam pœnitentiæ, nec luxit propter ea quæ improbè erat machinatus, fleuit autem non peccatum, sed prosperum Iacob successum: Idque testantur eius verba. Veniant dies, inquit, luctus Patris mei, vt occidam fratrem meum Iacob. Non frustra autem Esau meminit diuinus Apostolus, sed docens quòd ille etiam, cùm esset primogenitus, per ingluuiem & improbitatem priuatus est benedictione, & Iudæi, cùm primogenituræ iure essent honorati, à salute etiam exciderunt: Gentes autem, nouus populus, cuius est typus Iacob, ius primogenituræ consecuti sunt. Præcipit ergo ijs qui ex Iudæis crediderant, non imitari iniquitatem primogeniti, sed recentioris populi benedictionem consequi. Ab hoc rursus loco ad aliam collationem orationem conuertit, ostendens excellentiam bonorum quę sunt à Domino suppeditata. Gen. 4. Gen. 27.

Non enim accessistis ad tractabilem montẽ, & accessibilem ignem & turbinem & caliginẽ, & procellam, & tubæ sonitũ, & vocem verborum quã qui audierunt, excusauerunt se ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur. Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit. Exterritus sum, & tremebundus. Exod. 19. 20.

Terribilia, inquit, erant illa, quæ in monte Sina facta sunt, ignis qui videbatur, & fumus vndiquaque circumcursans, & caligo, & tenebræ, & procella, & tubæ sonitus terribilis, & ex eo tantus timor incussus est, vt nõ solus populus dixerit diuino Prophetæ, Loquere tu ad nos: & ne loquatur ad nos Deus: sed ipse etiam legislator timore affectus dixerit. Exterritus sum, & tremebundus. Et quæ erant quidẽ terribilia ostendit, fructum autem qui ex eis productus erat nõ aperuit. Dixit autem Græce φανταζόμενον id est, quod visione apprehendebatur, quoniam nõ videbant ipsum vniuersorum Deum, sed diuinæ gratiæ visionem considerabant, & dicit.

Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalẽ cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & Iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionẽ melius loquentem quàm Abel.

Illic quidem inquit, timor: Hic autem festum, & maxima celebritas, & illa quidem in terra, hęc autem in cœlis. Illic hominum millia, hic Angelorum myriades. Illic infideles & iniqui: Hic ecclesia primogenitorum descriptorum in cœlis, & spiritus iustorum qui perfectionem acceperunt. Illic vetus testamentum: Hic nouũ. Illic seruus intercessor: Hic filius.

Illic sanguis animantium rationis expertium: Hic sanguis agni rationalis. Hoc autem, Melius loquens quàm Abel, pro eo quod est, per res ipsas loquens, & suam ostendens operationem. Sanguis enim Abel canitur. Hic autem etiam hominum salutem operatur. Primogenitos autem vocauit electos, quoniam duplicem partem in hereditate primogeniti ex lege capiebant. Hæc autem dixit, & horum ostendens excellentiam, & ad ea studiosius accedere præcipiens.

Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis auertimus.

Quoniam illi dixerunt. Loquere ad nos tu: & ne loquatur ad nos Deus, adhortatur eos ne illorum crassam imitentur stultitiam, & ne quemadmodum illi, Dominum relinquant, & ad famulum accurrant, & pro Christo Mosen assumant, & pro nouis in antiquis permaneant. Atqui, inquit, non Deus eis de cœlo, sed in Sina monte legem dedit. Nos autem de cœlis aduentum Domini expectamus. Et docens ipsum & horum & illorum fuisse legislatorem, subiunxit.

Cuius vox mouit terram tunc.

Mons enim concussus est, significans Dei aduentum.

43. 2.

Nunc autem repromittit, dicens. Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed & cœlum.

Ipse, inquit, & tunc terram mouit: Ipse etiam cœlum cum terra se dixit concussurum.

Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem, tanquam factorum vt maneant quæ sunt immobilia.

Terræmotus, inquit, fiunt frequentes. Illud ergo Semel, significat quandam rerum mutationem, & eorum quæ corrumpuntur ac intereunt ad ea quæ sunt meliora traductionem, quæ quidem stabilem deinceps habebunt naturam.

Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam seruiamus placentes Deo cum metu & cum reuerentia.

Illud autem, quod concuti non potest, posuit, pro eo quod est, Sufficiens. Ostendit etiam quomodo cultus Deo sit exhibendus. Deinde diuina etiam eloquia in memoriam reuocat, eos metu reddens alacriores ac promptiores.

Etenim Deus noster ignis consumens est. Deut. 4.

Rursus autem moralem exhortationem affert.

CAP. XIII.

Charitas fraternitatis maneat in vobis.

Charitas fraterna Græcè φιλαδελφία. Compositio autem nominis, intensam charitatem significat. Ex φίλος enim et ἀδελφὸς, id est, ex amico & fratre, nomen composuit.

Et hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.

Abraham enim Patriarcha, cùm tanquam ad homines accessisset, inuenit Angelos, & Dominum Angelorum. Ita etiam beatus Lot, vt homines quidem Angelos suscepit, vt ab Angelis autem suscepit benedictionem.

Mementote vinctorum, tanquam simul vincti: & laborantium, tanquam & ipsi in corpore manentes.

Iis qui ea patiuntur ferte per commiserationem quod par est auxilium propter pietatem.

Honorabile connubium in omnibus: & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.

Hanc legem tulit Deus ab initio. Faciamus enim, inquit, ei adiutorium. Cùm itaque effinxisset, adduxit, & eos coniunxit, & nuptialem dedit benedictionem. Crescite, dicens, & multiplicamini, & replete terram. Adulterium autem & fornicationem intemperans & impudica introduxit cogitatio. Gen. 2. Gen. 1.

Sint mores sine auaritia.

Non prohibuit possessionem, sed vetuit amare diuitias, hinc enim nascitur plura per iniuriam habendi cupiditas.

Contenti præsentibus.

Nemo studeat ea quæ habet augere. Laudatur enim sufficientia. Dat etiam sufficiens pignus adhortationis.

Ipse enim dixit, non te deseram, nec derelinquam. Ios. 1.

Verax est qui est pollicitus, promissum fideliter excipiamus. Hoc enim subiunxit.

Ita vt confidenter dicamus. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Psal. 117.

Necessario hoc quoq; exhortationi adiecit, vt forti ac fidenti sint animo aduersus persequentes, ad Deum respicientes.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.

Dixit de sanctis qui iam erant defuncti, Stephano primo martyre, Iacobo Ioannis fratre, Iacobo Iusto cognomine. Plurimi etiam alij à Iudæorum rabie perempti fuerant. Ad eos, inquit, respicientes, & eorum laude dignum vitæ institutum scientes, fidem imitemini.

Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.

Hoc quoque non abs re posuit, sed ijs qui interempti sunt adiunxit, docens ipsum quoque fuisse à Iudæis crucifixum. Quinetiam docet eius æternam essentiam. Heri enim & hodie humanam naturam appellauit, æternam autem vocauit diuinitatem. Eundem autem dixit & hoc esse & illud, quoniam vnus filius vnigenitus idem & primogenitus.

Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

Doctrinas peregrinas appellauit, eas quæ sunt doctrinis Euangelicis contrariæ. Præcipit ergo vt permaneant in doctrina gratiæ, & legales obseruationes relinquant. Nullus enim, inquit, ex ijs cepit vtilitatem. Quoniam autem diuinum quoque templum stabat illo tempore, & sacra ex lege immolabantur, necessario subiunxit.

Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.

Hoc, inquit, est multo veteri præstantius: Illud enim est huius vmbra. Illud hostiam expertem rationis suscipit: Hoc autem rationalem & diuinam. Quamobrem nullus ex illis sacerdotibus eius efficitur particeps, nisi prius fidem in Dominum susceperit.

Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est.

Videte figuram, & cum ea conferte veritatem, & considerate similitudinem. Vaccam
Num. 19. rusam iussit lex mactari, & ex eius sanguine sumere Pontificem, & ante propitiatorium septies digito aspergere. Porrò autem ipsam vaccam extra castra comburentes, cinerem accipiebant, & per ipsum eos qui dicebantur immundi expiabant. Hoc autem impleuit typum salutaris passionis. Nam hic etiam corpus quod est ex Adam significat rubrum voce Hebraica, extra portam autem crucifixus est, eius autem sanguis nostras animas expiat. Loco autem cineris est nobis eius corpus viuificum.

Exeamus ergo ad eum extra castra: improperium eius portantes.

Extra castra, pro eo quod est: Recedamns ab institutis legalibus, ferentes probra pro eo qui seruauit.

Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Præsentia ergo contemnamus: & expectemus illa quæ sunt stabilia ac sufficientia.

Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructũ labiorum confitentium nomini eius.

Nihil enim nos iuuat laudis canticũ quod Deo offertur absq; fide in filium. Quia enim scribebat ad Hebræos, qui solum Patrem honorare consueuerunt, necessario adiecit illud, Per ipsum.

Beneficentiæ autem & communicationis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.

Ostendit sacrificium laudis Deo placere. Ei quoq; coniunxit sacrificium beneficentię, quod meritò appellauit communicationem.
Luc. 16. Dixit enim Dominus. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt quando defeceritis, suscipiant vos in æterna sua tabernacula. Diu-
2. Cor. 8. inus quoq; Apostolus. Vestra, inquit, abundantia illorũ inopiam suppleat, vt & illorum abundantia, vestram suppleat inopiam, vt fiat æqualitas. Communicatio ergo est & remuneratio. Hic enim dat pecunias: Ille verò reddit benedictionem, & eius qui indiget sunt ea quæ sunt potiora.

Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi pro animabus vestris rationem reddituri. Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim non expedit vobis.

Discipulos quidem adhortatur vt doctoribus obediant. Simul autem doctores etiam ad maiorem animi alacritatem & promptitudinem excitauit. Docet enim ipsos vigilare, & clauum ac gubernacula tenere.

Orate pro nobis, confidimus enim quòd bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conuersari.

Male audiebat apud eos, vt qui legi contraria prædicaret. Eos ergo docet se nulla alia de causa id facere quàm vt pareat verbo diuino. Quapropter etiam conscientiam vocauit in testimonium.

Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis.

Date orationum auxilium, ferte opem meo desiderio. Cupio enim vos videre.

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Iesum Christum: aptet vos in omni bono vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Doctrinæ necessario coniunxit benedictionem: & multis verbis veluti quædam signacula apposuit: Pastorem autem magnum ouium Dominum appellauit Christum. Est enim vox eius, Ego sum pastor bonus. Aeter- Ioan. 10.
num autem nouum testamentum vocauit, vtpote quòd aliud non sit posthac futurum. Ne quis enim existimaret fore vt hoc quoque per aliud testamentum cessaret, merito ostendit id nunquam esse desiturum.

Rogo autem vos fratres vt sufferatis verbum solatij: Etenim per paucis scripsi vobis.

Lubenter suscipite consolationem, quæ à me missa est per literas. Ne enim orationis prolixitas alicui afferre molestiam, scripsi summatim epistolam.

Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos.

Ostendit fuisse missam per ipsum epistolam. Erat autem verisimile eos quoque ipso delectari, quoniam ipse quoque fuerat circuncisus.

Salutate omnes præpositos vestros, et omnes sanctos.

Innuit id quod dicit, eos qui illis præsunt eiusmodi non egere doctrina. Quamobrem non scripsit ad ipsos, sed ad eorũ discipulos.

Salutant vos de Italia fratres.

Ostendit vndenam scripserit epistolam, & simul ostendit prædicationem Euangelicam breui tempore omnia persuasisse, & gentes ex promissione facta Abrahæ assecutas esse benedictionem.

Gratia cum omnibus vobis. Amen.

Id posuit quod solet in extremo ponere, participationem gratiæ eis precatus. Nos autem & nouorum & veterum legislatorem laudemus, & vt ab eo inclinationem & auxilium consequamur rogemus. Vt cùm eius diuinas leges seruauerimus, bona promissa adipiscamur. In Christo Iesu Domino nostro. Cum quo Patri vnà cum sanctissimo Spiritu nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Epistola ad Hebræos scripta est ex Italia per Timotheum.

ARGV-

ARGVMENTVM EPISTOLAE PRIMAE AD TIMOTHEVM.

BEATISSIMVS Timotheus erat ex Lycaonia. Relicta autem patria, domo, & parentibus, secutus est Apostolum, cum eo consuetudinem omnibus simul præferens. Ei curam Asiæ commisit diuinus Paulus. Ad eum ergo scribit, primum quidem vt ora eorum qui contraria conabantur docere, obstrueret adhortans: deinde ecclesiastici muneris eum ordinem edocens. Dein sacerdotalium, & aliorum etiam reipublicæ ordinum characteres ostendens. Prædixit etiam execrandorum Hæreticorum perniciosa semina. Eum etiam hortatus est, vt ea faceret, quæ conuenit eum facere, cui est animæ cura credita.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO EPISTOLAE PRIMAE AD TIMOTHEVM.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi, secundum imperium Dei Saluatoris nostri & Christi Iesu spei nostræ.

Docet discipulum se non Apostolicam arripuisse dignitatem, sed à Deo iussum prædicationem salutarem omnibus attulisse. Deo etiam coniunxit Christum Dominum, ostendens honoris æqualitatem. Deum autem salutem & Christum spem vocauit, Non nomina diuidens, nec hoc quidem illi, illud verò huic tribuens; sed vtrunque in vtraque persona intelligens. Etenim beatus
Psal. 64. Dauid vtrunque posuit in vna persona. Exaudi nos Deus Seruator noster, spes omnium finium terræ.

Timotheo dilecto filio in fide, gratia & misericordia & pax à Deo patre & Christo Iesu Domino nostro.

Admodum aptè relatiuo nomini fidem coniunxit. Non enim natura sed fides eum effecit filium. Cùm enim credidisset diuinæ prædicationi, diuinum Apostolum patrem vocare dignatus est.

Sicut rogauit te vt remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam vt denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque attenderent fabulis, & genealogijs interminatis: quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei: quæ est in fide.

Qui ex Iudæis crediderant, propter veteris testamenti cognitionem sibi placentes, ijs qui ex gentibus crediderant quasdam quęstiones proponebant, eos quidem vt diuinorum eloquiorum ignaros redarguere conantes, vt autem legalem vitæ institutionem seruarent contendentes eis persuadere. Ita & ex Abraham & ex Dauid recensebant genealogias, perscrutantes scilicet, an ex ijs Dominus secundum carnem natus sit. Præcepit ergo diuinus Apostolus admirabili Timotheo, vt os quidem eis obstruat, & eis non permittat, vt doctrinæ corrumpant regulam: alijs autem iubeat vt nugis eorum non attendant. Fabulas autem vocauit, non legis doctrinam, sed Iudaicam interpretationem, quæ ab eis vocatur δευτέρωσις. et docet superuacaneas quidem quæstiones esse inutiles, fidem autem mentem illuminare, & ostendere diuinam œconomiam seu dispensationem.

Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

Postquam ostendit esse illorum fabulas inutiles: proposuit suæ doctrinæ vtilitatem. Conuenit enim, inquit, te eos docere, vt benefactorem Deum sincerè diligant, & puram ac integram fidem habeant confirmatam testimonio conscientiæ. Deinde redit ad accusationem.

A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

Significauit se hæc dicere non de ijs qui apertè aduersantur, sed de ijs qui se dicunt quidem credidisse Domino, corrumpunt autem doctrinam Euangelicam, & stultas suas cogitationes diuinis eloquijs sapientiores existimant. Quòd ij autem erant ex Iudæis, apertè docet illud, volentes esse legis doctores. Quoniam autem acerbiori in eos oratione vsus est, ne quis existimaret eum legem accusare, necessario subiunxit.

Scimus autem quòd bona est lex, si quis ea legitimè vtatur.

Non infector legem, sed malos legis doctores. Scio enim legem esse vtilem ijs qui volunt

volunt eius ſcopum ac inſtitutum ſeruare. Hoc enim ſignificat illud, Si quis ea legitime vtatur, id eſt, Si quis eius ſcopum ſequatur. Legis autem ſcopus eſt, vt nos ad Dominum Chriſtum adducat: poſt illius autem aduentum, non amplius dominatum obtineat. Hoc
Gal. 2. enim dixit etiam ſcribens ad Galatas. Ego enim per legem legi ſum mortuus, vt Deo viuam. Legi enim, inquit, parens legem non ſeruo. Aliter quoque oſtendit legem eſſe ſuperuacaneam ijs qui natura ea quæ ſunt honeſta non perſequuntur.

Sciens hoc quod lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis, impijs & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicarijs, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris.

Hæc omnia, inquit, à lege fieri prohibentur. Qui autem ab ijs abſtinet, legis præcepto non indiget. Hęc autem nos etiam noui teſtamẽti prędicatores ſimliter prohibemus. Hoc enim ſignificant ea quæ conſequuntur.

Et ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur, quæ eſt ſecundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi.

Oſtendit ꝙ quæ ſunt neceſſaria legis conueniunt & conſonant cum Euangelio. Legis autem neceſſaria ſunt hęc, Non adulteraberis, Non occides, Non furaberis, & quæ ſunt eiuſmodi. Superuacanea autẽ ſunt quæ ad ſacrificia, dies, mortuos, leproſos, & quę ſunt huiuſmodi, pertinent, quorum adimpletionem coniunxit cum loco conſecrato, vt eo ſoluto eorum quoque oſtenderetur ſolutio. Euangelium autem gloriæ appellauit prædicationem, quoniam futuram gloriam pollicetur credentibus. Cùm autem dixiſſet diuinus Apoſtolus ſibi creditum fuiſſe Euangelium, recordatus eſt eorum quæ olim aduerſus eccleſiam facere auſus fuerat: & Deo benefactori hymnis agit gratias, clamans.

Gratias ago ei qui me confortauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quod fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & coniumelioſus.

Non enim proprijs vtens viribus hanc hominibus doctrinam exhibeo, ſed ab eo qui ſeruauit confirmatus valenſq; effectus, qui eum qui aduerſus ipſum exagitari rabie erat ſolitus, effecit fidum miniſtrum Euangelij. Iam verò oſtendit etiam modum mutationis.

Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum.

Quæ fuit autem cauſa miſericordiæ?

Quia ignorans feci in incredulitate.

Cæcutiebam enim, non videbam lumen. Neque enim inuidia ductus bellum gerebam, ſed pro lege decertans. Sed quid feciſti poſtea?

Superabundauit autem gratia Domini noſtri, cum fide & dilectione quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Oſtendit quæ ad ea quæ acceperat ipſe contulerit. Cùm enim eſſet ſupernam gratiam aſſecutus, fidem & charitatem attulit. Cùm enim ſincere credidiſſet, admodum vehementer amauit, & eo amore fuit perpetuo inflammatus. Poſtquam ea quæ ad ſe pertinent ſic aperuit, oſtendit hanc gratiam eſſe omnibus propoſitam.

Fidelis ſermo.

Id eſt, verus, & à mendacio alienus.

Et omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.

Quòd peccatorum quidem gratia vnigenitus homo factus eſt, ipſe etiam docuit in ſacris Euangelijs. Non veni, inquit, vocare iu- Luc. 5.
ſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Peccatorum autem omnium ſe ipſum primum dicere, id ipſos quoque tranſilit terminos humilitatis. Per ea autem quæ conſequuntur aliud quoque maius confirmat. Oportet autem primum ipſa verba ponere, & tunc interpretationem adijcere.

Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam.

Quemadmodum, inquit, medicus, cùm in vna domo multi ſimul ægrotant, & omnes de ſalute deſperant, ſi vnum peſsimè affectum acceperit, & datis ei medicamentis ad perfectiſsimam ſanitatem deduxerit; facit vt alij omnes bono ſint animo ac fiduciam concipiant. Ita Dominus Chriſtus animarum medicus, cùm factus eſſet homo pro ſalute peccatorum, me, qui eram iniquiſsimus & omnium ſceleratiſsimus, non ſolum à prioribus liberauit maculis, ſed maximis etiam donis obruit, omnibus hominibus per me oſtendens ſummam patientiam & clementiam. Vt nemo eorum qui maxima ſcelera perpetrauerint, ad me reſpiciens de ſalute deſperet. Sed diuinus quidem Apoſtolus hæc dixit, de ſe modeſtè loquens, ſciendum eſt autem eum non fuiſſe ſibi vitæ improbæ & flagitioſæ conſcium: Quomodo enim qui ad Philippenſes quidem ſcribens dixit, ſecun- Philip. 2.
dum iuſtitiam quæ eſt in lege factus irreprehenſibilis: ſed recordatum fuiſſe eorum quæ molitus erat aduerſus eccleſiam? Ita etiam dixit ſcribens ad Corinthios. Quia non 1. Cor. 15.
ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum eccleſiam Dei. Ita ergo diuini recordatus beneficij, ad Dei laudem linguam rurſus conuertit.

Regi autem ſæculorum immortali, inuiſibili ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Quoniam oſtendit Chriſtum Dominum illa bona ſuppeditare, volens oſtendere quòd Deo & patre id comprobante, & Spiritu ſancto adiuuante & ſimul operante ea facta ſint, ab vna perſona ad id quod eſt commune naturæ tranſijt: & hymnum trinitati obtulit: & ſilentio præteritis perſonis diuinam naturam laudauit. Quòd enim non ſolum Deo & patri, ſed etiam Filio & Spiritui ſancto quæ dicta ſunt conueniunt, facile ſciri poteſt. Rex enim ſæculorum non eſt ſolus pater, ſed etiam vnigenitus filius, eſt enim effector ſæculorum. Æternus quoque eſt & ipſe & ſanctiſsimus

mus Spiritus, etenim ipſum quoque æternum appellauit diuinus Apoſtolus. Qui per ſpiritum enim inquit, æternum. Illud quoque, immortalis ſeu à corruptione alienus, & inuiſibilis, ſunt propria & Filij & Spiritus. His autem ſic declaratis, Deus quoque nomen eſt verè nomen ſolius trinitatis. Nullus enim præter eam natura Deus eſt. Cùm eorum quæ ad ſe pertinent ſic mentionem interiecíſſet & hymnum perfeciſſet, rurſus ad primam orationem reuertitur.

Hoc præceptum commendo tibi fili mi Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias.

Appellatione filij ſuam in eum beneuolentiam aperit. Prophetiæ autem recordatione in benefactorem charitatem accendit. Non enim, inquit, humanam aſſecutus es vocationem: ſed per diuinam reuelationem ſuſcepiſti ordinem. Veriſimile eſt autem non ſolum ex reuelatione fuiſſe eum docendi muneri præfectum, ſed aliqua etiam eiuſmodi ratione vocationem ab initio fuiſſe conſecutum. Qua de cauſa non dixit prophetiam ſed prophetias.

Vt milites in illis bonam militiam.

Oportet enim te oſtendere dignum electione, & finem prophetijs imponere, & aduerſus aduerſarios Dæmones pugnam fortiter ſuſcipere. Oportet enim Doctorem eſſe primo ſuum Doctorem, & oportet Imperatorem bonum eſſe militem.

Habens fidem & bonam conſcientiam.

Oportet enim fidei quoque coniunctam eſſe vitam laudabilem. Conſcientiã bonam, temperantiam ac moderationem, & iuſtitia ornatam vitam dicit. Fidei autem, quæ eſt his priuata, imbecillitatem oſtendit per ea quæ conſequuntur.

Quam quidam repellentes.

Bonam ſcilicet conſcientiam.

Circa fidem naufragauerunt.

Fundamentum enim impietatis ſæpe eſt praua vita, & quidam cùm non ferrent accuſantem conſcientiam, & Dei negarunt prouidentiam, & quæ à ſe facta fuerant fatis & Parcis attribuerunt. Dicit etiam quinam fecerint naufragium.

Ex quibus Hymenæus eſt, & Alexander.

Deinde aduerſus eos quoque latam oſtendit ſententiam.

Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.

Quænam autem fuerit blaſphemia non aperuit. Scienti enim ſcribebat. Eos autem tradidit Diabolo, non vt bonorum magiſtro, ſed vt ſæuo carnifici, & ideo non dixit, vt eos doceret, ſed vt doceantur non blaſphemare. Ab eccleſiaſtico enim corpore ſeparati, & diuina gratia nudati, ab aduerſario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos & difficiles affectiones, & alias calamitates. Hęc enim conſueuit inferre hominibus, quoniam eſt & inimicus & vltor, vt dicit pro- Pſal. 8.
pheta: conſentaneum autem erat illos caſtigatos mutare ſententiam, dum viderent damnũ quod oriebatur ex blaſphemia. Ab hoc deinceps loco ponit decreta de ordine eccleſiaſtico.

CAP. II.

OBſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.

Poſtulatio quidem eſt ſupplicatio, vt à malis aliquibus & moleſtijs liberemur. Deprecatio autem eſt bonorum petitio. Interpellatio autem eſt accuſatio eorum qui nos iniuria afficiunt. Eſt autem nobis collucta- Ephe. 6.
tio non aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus principes huius ſæculi, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Aduerſus eos iuſtum iudicem interpellamus, & iuſtum auxilium petimus. Gratiarum autem actio Deo offertur pro bonis quæ nobis prius obtigerunt. Hæc autem iubet facere pro omnibus hominibus, quandoquidem Chriſtus etiam Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere.

Pro regibus & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt.

Valde ſapienter hominum commune prępoſuit, ne quis orationem pro Regibus exiſtimaret aſſentationem. Quia autem erant impij qui tunc dominatum obtinebant, & pietatis aperti hoſtes, docet iuſtam eſſe cauſam cur pro eis oretur.

Vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.

Si illi enim in pace degunt, nos quoque ſumus tranquillitatis participes, & in quiete ac ſilentio leges pietatis adimplemus. Pietati autem coniunxit honeſtatem, docens fidem opus habere factis & operibus. Ita etiam ca- 1. Eſd. 6.
ptiui Iudæi qui erant Babylone, ad eos qui in Iudæa relicti erant ſcripſerunt, vt pro Nabuchodonoſor & Baltaſar eius filio Deo preces funderent. Diuinus autem Apoſtolus non ſolum ea de cauſa præcepit pro ijs fieri orationes, ſed etiam vt ab impietate ceſſantes ediſcant pietatem.

Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Seruatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Vult enim omnes ſalutem aſſequi. Deinde etiam aliunde confirmat hoc quod dicit.

Vnus enim Deus.

Non enim alius fidelium, alius eſt effector infidelium, ſed vnus eſt creator ac opifex.

Vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.

Vnus eſt conciliator pacis, qui ea quæ erant inter ſe diſiuncta & diſtantia coniunxit. Chriſtum autem hominem nominauit, quoniam vocauit interceſſorem. Homo enim factus fuit interceſſor, & quemadmodum qui duos quoſpiam manus inter ſe conferentes ac confligentes vult reconciliare, ſe medium interponens, & hunc quidem dextra, illum verò ſiniſtra tenens, ad amicitiam deducit ac coniungit: ita ipſe cùm diuinam naturam humanæ

humanæ vnijsset, inuiolabilem & quæ dissolui non potest pacem conciliauit. Si autem, vt vult Arrius & Eunomius, non est patris substantiæ particeps, quomodo est intercessor? Nobis enim vnitus est, quoniam quod ad humanitatem attinet, est eiusdem nobiscum substantiæ, sed patri non itidem, siquidem, vt illi volũt, est ab eius substantia seiunctus. Atqui eum vocauit intercessorem diuinus Apostolus. Ergo etiam patri fuit vnitus, quod attinet ad diuinitatem: & nobis similiter quo ad humanitatem. Ostendit autem Domini quoque pasionem fuisse pro omnibus susceptam.

Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Cuius testimonium temporibus suis confirmatum est. In quo positus sum ego prædicator & Apostolus, veritatem dico non mentior, doctor gentium in fide & veritate.

Cùm enim omnes redacti essent sub mortis potestatem, ipse qui nec vt Deus fuit morti obnoxius, habet enim naturam immortalem, sed nec vt homo: peccatum enim non fecit quod mortem affert, dedit seipsum veluti quoddã redemptionis pretium, & omnes liberauit ab eius seruitute. Testimoniũ autem appellauit pasionem, primum quidem quod fuerit iniusta occisio: Deinde etiam quod omnes habeat testes prophetas, & cùm Iudæi dicerent, Tu testimonium perhibes de te: testimonium tuum non est verum, respondit. Ioan. 8. Solus non sum, sed ego, & qui misit me pater. Tempora autem propria testimonij appellauit conuenientia. Ita etiam in epistola ad Galatas. Gal. 4. Quando autem venit plenitudo temporis. Huius autem, inquit, mysterij prædicator & Apostolus fui electus: & cum ea qua par est fide ac veritate id trado omnibus, ea enim quæ dico confirmo miraculis.

Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, sine ira & disceptatione.

Illud autem, in omni loco, posuit, habita ratione eius quod in lege præcipitur. Ea enim cultum & adorationem circumscripsit Hierosolymis. Sed tamen etiam cùm lex vigeret, Prophetæ gratiam præuidebant, & licet audire diuinum Dauid clamantem. Psal. 102. Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominij eius. & per Malachiam prophetam dicit Malach. 1. vniuersorum Deus. In omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia munda. Manus autem extollere & orare, erat proprium sacerdotum veteris testamenti, sed diuinus Apostolus præcipit hoc facere omnibus hominibus, 1. Pet. 2. quoniam omnes facti sunt populus acquisitionis, regale sacerdotium, gens sancta. Sed hoc iubet sanctè facere, pro eo quod est, liberatos ab omni iniustitia & iniquitate. Illud autem, sine ira, expellit acceptæ iniuriæ Matth. 5. recordationem. Ita etiam sanxit Dominus. Si venias vt offeras donum tuum super altare, & illic recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque donum tuum ante altare, & vade primum, & reconciliare fratri tuo, & tunc veni, & offer munus tuum. Hoc autem, sine disceptatione, pro eo quod est, absque hæsitatione, credens te omnino accepturum quod petis. Tales ergo sint etiam petitiones.

Similiter & mulieres.

Vna est enim natura, & vna gratia. Dicit etiam quæ eas decent.

In habitu ornato.

Ipso etiam amictu indicante honestatem animæ.

Cum verecundia & sobrietate ornantes se.

Is est enim verus ornatus.

Non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.

Illud, intortis crinibus, commune est & diuitum & pauperum: reliqua autem earum quæ diuitias posident.

Sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bona opera.

Profiteamini, inquit, pietatem, & virtutem quæ per opera exercetur. Huic itaque scopo ac instituto reliqua quoque coniungantur.

Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.

Quoniam etiam mulieres propheticam gratiam acceperant, de eo quoque legem necessario constituit. Qua de causa in ecclesia viris doctrinæ egentibus mulieres non constituit magistras. Eadem apertè etiam docent quæ scripta sunt ad Corinthios. Quid enim, 1. Cor. 7. inquit, scis mulier, si virum tuum seruabis? Deinde etiam docet ex natura ordinem.

Adam enim primus formatus est. Deinde Eua.

Postea etiam ex delictis.

Et Adam non est seductus. Mulier autem seducta in præuaricatione fuit.

Illud autem, Non est seductus, dixit, pro eo quod est, Non primus. Scripturam autem secutus est. Cùm enim à muliere peteretur vt rationem redderet, dixit, Serpens decepit me, Gen. 2. & comedi. Adam autem, non sic, sed, Mulier quam dedisti mecum, ea dedit mihi de ligno & comedi, & illa quidem veniam nullo modo est assecuta, vt quæ serpenti paruerit. Hic verò paruam habet excusationem, vt qui fuerit inductus à muliere. Quinetiam fructum arboris non ipse, sed illa collegit, & cùm prior accepisset, viro tradidit. Propter ea dixit, Et Adam non est seductus. Hoc quoque sciendum est, quòd diuinus Apostolus ad vsum propositum contexit orationem.

Saluabitur autem per filiorum generationem.

Non dixit de Eua, sed de communi naturæ.

Si manserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

Pro eo quod est, Non modo nullum damnum ab Eua acceperunt si voluerint, sed maximam etiam vtilitatem capient per fidem & charitatem, seruantes sanctificationem & castitatem. Cùm eis ea quæ conueniunt sic statuit, deinceps de ecclesiasticis ordinibus decernit.

CAP.

CAP. III.

Fidelis sermo.

Id est, verus & à mendacio alienus.

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

Non accusat simpliciter cupiditatem, sed ambitionem, & magistratus gerendi desiderium: & docet non honorem sed virtutem appetere: non desiderare dignitatem, sed dignitatis officium inquirere. Hic autẽ Episcopum appellat presbyterum, vt dum epistolam ad Philippenses interpretaremur, ostendimus. Hoc autem ex hoc etiam loco facile sciri potest. Post leges enim episcopales, eas scribit quæ Diaconis conueniunt, prętermissis Presbyteris, sed, vt dixi, eosdẽ olim vocabant presbyteros & Episcopos, eos autẽ qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos. Procedente autem tempore nomen quidem Apostolatus reliquerunt ijs qui verè erant Apostoli: Episcopatus autem appellationem imposuerunt ijs qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippẽsium Apostolus erat Epaphroditus. Philip. 2. Vestrum enim, inquit, Apostolum, & adiutorem necessitatis meæ. Ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus. Ita ab Hierosolymis ijs qui erant Antiochiæ scripserunt Apostoli & presbyteri. Sed tamen etiamsi presbyteris has leges constituit diuinus Apostolus, clarum est quòd has leges oportet primos seruare Episcopos, vt qui sint maiorem dignitatem assecuti.

Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse.

Nullam dare occasionem iustæ reprehensionis. Illud enim, irreprehensibilem, nõ idem dicit quod, calumniæ non obnoxium, aut in quem non potest intendi calumnia. Nam ipse etiam Apostolus subijt omnis generis calumnias. Qui orbem terræ, enim inquit, subuerterunt, etiam hic adsunt. Quinetiam iubet Dominus eos contẽnere qui frustra scandalizantur. Matth. 5. Cùm enim dixissent Apostoli, Scis quòd Pharisæi audito sermone sunt scandalizati, respondit. Sinite eos, cæci sunt, duces cæcorum. Iubet ergo vt nullam dent occasionem iustæ reprehensionis.

Vnius vxoris virum.

Incipiebat prędicatio. Virginitatem autem nec Græci exercebant: nec admittebant Iudęi. Liberorum enim procreationem benedictionem existimabant. Quoniam ergo illo tempore non facile inueniri poterant qui castitatem exercerent; ex ijs qui vxores duxissent, eos qui temperantiam honorassent, iubet ordinare. Illud autem, Vnius vxoris virum, mihi videntur quidam rectè dixisse. Olim enim consueuerant & Græci, & Iudæi, cũ duabus, & tribus, & pluribus, etiam vxoribus simul iũgi legi matrimonij. Quinetiam nunc cùm leges Imperatoriæ prohibeant duas simul vxores ducere, rem habent cum cõcubinis & meretricibus. Dixerunt ergo diuinum dixisse Apostolum, eum qui cũ vna sola vxore pudicè cohabitat, dignum esse qui ordinetur Episcopus. Neque enim secundum, inquiunt, reiecit matrimonium, qui illud sæpe iussit fieri. Mulier enim, inquit, alligata est lege, Rom. 7. quandiu viuit vir eius. Sin autem vir mortuus fuerit, libera est vt cui vult nubat, tantum in Domino. Et rursus. Dico autem innuptis & 1. Cor. 8. viduis, & vtroque ordine cõiuncto, vnam legem constituit. Reuera enim si factum fuerit votum continentiæ, non est in voluntatis potestate secundum matrimonium. Si enim ipse priore expulsa vxore, fuisset alij coniunctus, dignus esset qui reprehenderetur, & iure esset accusationi obnoxius. Sin autẽ vis mortis priorem disiunxerit, vrgens autem natura vt secundæ vxori coniungeretur coegerit, non ex voluntate sed ex casu processit secundum matrimonium. Hæc considerans, admitto eorum interpretationem qui sic intellexerunt.

Sobrium.

Vigilantem, & qui possit considerare quid agendum.

Prudentem.

Id est animæ officium.

Ornatum.

Et locutione, & habitu, & aspectu, & incessu. Vt etiam per corpus appareat animæ moderatio & temperantia.

Hospitalem.

Eos qui peregrinãtur lubenter excipientẽ.

Doctorem.

Non dicit eum qui est ornatus eloquentia, sed eum qui est eruditus in diuinis, & potest ea suadere quæ conueuit.

Non vinolentum.

Hoc apertè interpretat' est in legibus quas statuit Diaconis. Non multo, enim, inquit vino deditos.

Non percussorem, sed modestum.

Non prohibet in tempore reprehendere ac increpare, sed nõ vt oportet hoc facere. Quod enim iubet arguere, audiemus ipsum paulo post dicentem. Eos qui peccant coram omnibus argue. Et rursus. Argue, increpa, exhortare. Ita etiam ipse scribens ad Galatas dixit. O Gal. 5. stulti Galatæ. Et rursus. Adeo stulti estis.

Sed modestum.

Qui possit ferre ea quæ in ipsum admissa sunt. Non est enim mãsuetudinis, cùm alij afficiuntur iniuria, negligere. Qui præest enim, inquit, in solicitudine.

Non litigiosum.

Qui pro pecunijs contendere non inducat in animum. Hoc enim significat id quod subiungitur.

Non cupidum.

Non dixit, Nihil possidentem, quæ sunt enim commoderata ac eis conuenientia constituit, sed, non amantẽ pecunię. Fieri enim potest vt possideamus quidem, ea autem vt par est administremus ac dispensemus, & eis non seruiamus, sed earum simus Domini.

Sed suæ domui bene præpositum.

Hoc est cum iustitia & æqualitate.

Filios habentem in subiectione cũ omni castitate.

Qui filios docet omnem virtutem. Non enim illorum sentẽtiam exigit: sed suum institutum inducit.

Si quis autem domui suæ præeße nescit: quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit?

Qui parua nescit administrare, quomodo poterit ei credi cura præstantiorum ac diuinorum?

Non Neophytum: ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli.

Neophyton, hoc est recenter plantatum, appellat eum qui statim credidit. Ego enim, inquit, plantaui. Non enim, vt existimarũt nonnulli, adolescentiã excludit. Beatus enim Timotheus ad quem hæc scripsit, cùm esset adhuc adolescens, leges suscepit. Nemo enim, inquit, tuam adolescentiam contemnat. Quin etiam ipse diuinus Apostolus, cùm esset adolescens, adeptus est vocationẽ. Innuit & quanam de causa sit subuersus Diabolus. In superbiam enim, inquit, elatus cecidit. Si quis ergo non fuerit prius institutus in diuinis, & primum in numerum discipulorum adscriptus in virtute se exercuerit, suscepta arrogantiæ affectione ex eo quòd præsideat, incidet in supplicium Diaboli. Hic enim iudicium appellauit supplicium.

Oportet autem illum & testimoniũ habere bonum ab ijs qui foris sunt: vt non in opprobrium incidat & laqueum Diaboli.

Externos dicit infideles. Qui enim etiam apud illos malè audit ante ordinationem, erit & ipse probris obnoxius, & vt commune magno opprobrio ac dedecore afficiatur efficiet, & ad priorem iniquitatem quàm primum reuertetur, Diabolo omnia vt hoc reddat effectum machinante.

Diaconos similiter.

Hi quoque eisdem regantur legibus.

Pudicos.

Temperantia & moderatione claros.

Non bilingues.

Non huic quidem alia, illi verò alia dicentes: sed linguam veritate ornantes.

Non multo vino deditos.

Eos enim quibus diuinum creditũ est ministerium, oportet ab hoc vitio esse vel maximè alienos.

Non turpe lucrum sectantes.

Turpis lucri sectator est, non qui, vt nonnulli existimarunt, vel parua lucra appetit: sed qui ex rebus turpibus & valde inhonestis quęstum facere animum inducit.

Habentes mysterium fidei in conscientia pura.

Pro eo quod est, confirmantes fidem factis, ac operibus. Puram enim conscientiam appellauit bona opera. Qui ea enim facit, non pungitur à conscientia.

Et hi autem probentur primum: & sic ministrent nullum crimen habentes.

Prius autem conuenit eorum vitam examinari, deinde sic gratiam spiritalem consequi.

Mulieres similiter.

Scilicet Diaconissas.

Pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.

Quæ hominibus, eadem etiam constituit mulieribus. Quemadmodum enim dixit Diaconos debere esse honestos, ita etiam eas honestas, & quemadmodum iussit illos non esse bilingues, ita eas non esse calumniatrices, & sicut illos statuit non esse multo vino deditos, ita etiam eas iussit esse sobrias.

Diaconi sint vnius vxoris viri.

Hoc etiam eodem modo est intelligẽdum quo prius.

Qui filijs suis bene præsint, & suis domibus.

Eadem etiam constituit ijs qui vocantur Episcopi.

Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciã in fide, quæ est in Christo Iesu.

Etsi in vita, inquit, habent minus honoris, sciẽdum tamen est quòd si creditum illis ministerium impleuerint, præstantissimum gradum in vita futura accipient: & libertatem quæ est apud Christum Dominum cõsequentur.

Hæc tibi scribo fili mi Timothee: sperans me ad te venire cito. Si autẽ tardauero, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.

Nec diuini Prophetæ, nec mirabiles Apostoli, omnia præsciuerunt. Quæcunque enim expediebant, ea illis significauit gratia spiritus. Hoc etiam significat quæ est in ijs quę hic dicuntur ignoratio. Cùm enim dixisset, spero venire, subiunxit, si autem tardauero. Sæpe enim eũ aliqua causa necessaria retinebat. Hęc ergo, inquit, scribo docens, quomodo eos oporteat se gerere quibus credita est cura animarum. Domũ enim Dei & ecclesiam appellauit cœtum eorum qui crediderunt. Eos dixit columnam & firmamentum veritatis. Supra petram enim fundati stabiles & immobiles permanent: & rebus ipsis prædicant dogmatum veritatem. Postquàm hæc dixit de ecclesia, necessario etiam induxit orationem dogmaticam.

Et manifeste magnum est pietatis sacramentum.

Ipsum autem appellat mysterium, vt quod ab initio quidem fuerit præfinitum, postea autem manifestatum.

Quod manifestatum est in carne.

Cùm enim esset Deus, & Dei filius, & haberet naturam quæ sub aspectum non cadit, homo factus euasit manifestus omnibus. Nos autem apertè duas naturas docuit. Dicit enim diuinam naturam esse manifestatam in carne.

Iustificatum est in Spiritu.

Humana enim suscepta natura, eam seruauit liberam à peccatis. Habet etiam hoc dictum aliam intelligentiã, Iustificatus est in spiritu. Facit miracula per diuinũ spiritum. Si enim ego, inquit, in spiritu eijcio Dęmonia. Per miracula ergo ostensum, est & demonstratum eum esse Deum verũ & Dei filium. Ita etiam Cẽturio iuxta crucẽ cùm videret terrã moueri, & tenebris orbẽ terræ cõpleri, exclamauit, Verè

Matth. 12.

Mar. 15. Verè filius Dei erat hic.

Apparuit Angelis.

Diuinitatis enim naturã quæ sub aspectum non cadit ne ipsi quidem viderunt, incarnatum autem viderunt.

Prædicatum est in gentibus.

Qui à Iudæis crucifixus est.

Creditus est in mundo.

Non solum enim prædicatus est, sed etiam creditus, & vt Deus ab ijs qui crediderunt adoratur.

Aßumptum est in gloria.

Hoc quidem factum est ante prædicationem. Postremo autem loco id posuit, docens prædicationem fuisse iure creditam. Est enim in cœlis qui hoc iussit fieri, & à dextris considet. Postquam ita dispensationis meminit, & per spiritalem gratiam Hæreticas spinas præuidit, quas Valentinus, & Basilides, & Marcio, & Manes seminarunt, omnes quidem similiter negantes carnis assumptionem, & cum veteri testamento pugnantes, in alijs autem multiplices errores sustinentes, ea futura necessario prædicit.

CAP. IIII.

Spiritus autem manifestè dicit.

Quemadmodum autem hæc dicit Dominus, & illa dicit Deus exercituum, ita etiam spiritus diuinè dicit.

Quòd in nouißimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam.

Ostendit quòd ecclesiastico corpori olim coniuncti fuerunt qui fuerũt postea Prophetæ mendacij. Hoc enim significat illud, deficient quidam à fide attendentes spiritui erroris. Rectè autem doctrinas dæmoniorum illorum dogmata appellauit. Illorum enim verè fœtus sunt illa verba. Illud autẽ, in hypocrisi loquentium mendacium, posuit, quoniam sibi Christianorum appellatione imposita, apertè docent contraria. Cauteriatam autem habentes conscientiam eos vocauit, stuporem eorum extremum docens. Locus enim cauterij morte affectus priorem sensum amittit. Postquam eorum dogmatum ostendit perniciem, quàm sint etiam execrandę eorum leges prædicit.

Prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem.

Execrabiles enim nuptias, & plurimos cibos appellant, vt creatorẽ iniuria afficiãt. Eos autem fecit ad vsum, vt ij qui sunt eorum participes, ex eo sumant occasionem agendi gratias, & laudandi eum qui illos suppeditat. Rectè autem posuit illud, Prohibentium contrahere matrimonium. Neque enim cœlibatum ac continentiam vituperat, sed eos accusat qui lege lata ea sequi compellunt.

Quòd omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cũ gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

Illud, omnis creatura Dei bona, accepit ex scriptura Mosaica. Vidit enim, inquit, Deus omnia quę fecit, & ecce erant valde bona. Illud autem, quod natura bonum est, si cum gratiarum actione sumitur, per Dei memoriam etiam sanctum redditur. Cùm impietatis illos sic arguisset, discipulo rursus quam par est adhortationem exhibet. Genes. 1.

Hæc fratribus proponens, bonus eris minister Christi Iesu.

Est enim eius qui ministrat proprium implere ea quæ imperantur, & ad eos qui sunt eiusdem fidei Domini præcepta transmittere.

Enutritus verbis fidei bonæ doctrinæ quam aßecutuses.

Oportet autem te primum omnium spiritali doctrinæ adhærere, & eã haurire, eius autem regulas perfectè accepisti.

Ineptas autem & aniles fabulas deuitã.

Rursus in memoriam reuocat ea quæ dicta sunt in procemio. Aniles enim fabulas doctrinas Iudaicas vocauit, non legem, sed falsam legis interpretationem, & intempestiuam eius obseruationem.

Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Pietas autem ad omnia vtilis est: promißionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.

Qui bonæ, inquit, corporis habitudinis curam gerunt, exiguo tempore ea fruuntur. Pietatis autem certamina & in hac vita insignes ac suspiciendos certatores efficiunt, & vt in illa, coronas quæ nunquam senescent percipiant, causa sunt. Pietatis autem exercitationem vitam vocauit laudabilem. Vitæ enim recta institutio habet cum certaminibus conuenientiam.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.

Quoniam futuræ vitæ meminit: id autem erat res quæ non videtur: fidelem sermonem necessario vocauit. Est enim fide dignus, vt qui veritate ornetur, quin etiam laudabilis. Oportet enim Agonothetam proponere prẽmia victoribus. Deinde ponit etiam seipsum pro exemplo.

In hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maxime fidelium.

Cur enim tot labores suscepimus, & probra ab omnibus intentata perpetimur, si non est aliqua laborum remuneratio? Atqui est remuneratio. Aeternus enim Deus ijs qui decertãt præmia proponit, & est omnium hominum seruator: præcipuè autem eorum qui in ipsum crediderunt.

Præcipe hæc & doce.

Scilicet vt in pietate exerceantur, vt expectent remunerationes, & Agonothetam respiciant.

Nemo adolescentiam tuam contemnat.

Atqui hoc non est meũ, cur ergo mihi præcipis quæ alijs conueniunt?

Sed exemplum esto fidelium.

Vis, inquit, non contemni si præcipias? Efficere lex animata. Ostẽde te legem rectè exe-

qui, habe vitam quæ de sermone ferat testimonium. Hoc enim dicit.

In verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.

Vniuscuiusque eorum quę dicta sunt ostendit in te ipso imaginem.

Dum venio, attẽde lectioni, exhortationi, doctrinæ.

Ex hoc etiam loco potest intelligi, quòd nos etiam laborem conferre conuenit, & ita gratiam spiritus accipere. Beatissimo enim Timotheo qui erat spiritalis, iussit Doctor vt attenderet lectioni. Exhortatio autem differt à doctrina, quòd doctrina quidem absque vllo impedimento diuersas tradit disciplinas: Exhortatio autem vel eos qui sunt tristes consolatur, vel eos qui irascuntur cõsilio mitigat.

Noli negligere gratiam quæ in te est: quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.

Gratiam hic appellauit doctrinam: Presbyterium autem hic vocat eos, qui Apostolicam gratiam acceperunt. Ita etiam eos qui erant honorati in Israel, diuina scriptura senes vocauit.

Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit in omnibus.

In spiritalibus enim exerceri, vt in rebus diuinis incrementum accipiamus efficit.

Attende enim tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum seruabis, & eos qui te audiũt.

Illi enim & quid sit agendum discent: & tu ea quæ pręcepta fuerint implebis, & ex eo vtilitatem capies.

CAP. V.

Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.

Non dicit hic sacerdotem, sed eum qui consenuit, hoc enim significant ea etiam quæ subiunguntur.

Iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt sorores in omni castitate.

Quoniam enim necesse est eũ cui sunt creditæ animæ, etiam cum iuuenibus mulieribus ioqui, necessario adiecit illud, In omni castitate, vt cum corpore animam quoque habeat continentem, & nec per oculos vel per aures vllum nocumentum suscipiat. Deinde rursus reuertitur ad doctrinam de ordinibus ecclesiasticis.

Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.

Quænam autem sunt eæ?

Si qua autẽ vidua filios aut nepotes habet: discant primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus, hoc enim acceptũ est coram Deo. Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deũ, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die.

Ecclesiasticam, inquit, subuẽtionem oportet eas consequi, quæ nullum habent aliunde subsidium aut solatium, eæ autẽ eo quòd sint à curis liberatæ, in diuinis precationibus perpetuò versantur. Eas autem quę habent filios vel nepotes, oportet de eis esse solicitas, & quam parentes earum curã gesserunt, eas quoque illorum curam gerere, vt quæ illis debetur repẽdant remunerationem, & ab eis quoque mutuum auxilium recipiant.

Nam quæ in delicijs est, viuens mortua est.

Immodicæ enim delicię rationem obruũt, & efficiunt vt in corpore, tanquam in aliquo sepulchro iaceat.

Et hoc præcipe vt irreprehensibiles sint.

Non hoc dixit de ijs solum quæ dignæ habitæ sunt vt ecclesia earum curã gereret: sed etiam de ijs quæ alendorum filiorum vinculo alligatæ sunt.

Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidẽ negauit, & est infideli deterior.

Hoc & de matribus dixit & de filijs, etenim oportet matres filios alere, & eam quam par est pietatem eos docere. Illos quoque oportet similiter parẽtibus inseruire, & eis ferre auxilium.

Vidua deligatur non minus sexaginta annorum.

Non dixit, Non sit, sed, nõ deligatur. Nempe quòd quæ sunt adhuc florenti ætate, & laborare, & victum sibi possint quærere, quas etiam oportet domare laboribus ætatis petulantiam.

Quæ fuerit vnius viri vxor.

Hinc etiam manifestum est, quòd non reijcit secundas nuptias: sed decernit vt in matrimonio castè viuant. Neque enim qui secundum matrimonium lege superius constituit, prohibuit vt quæ secundas sit secuta nuptias, nõ assequatur corporale subsidium: qui apertè præcipit vt bonum faciamus omnibus hominibus.

In operibus bonis testimonium habens.

Deinde ea sigillatim enumerat.

Si filios educauit.

Non exigit solum vt alant, sed etiam vt piè nutriant. Hoc etiam dicit Deus de Abraham, quòd mandauit filijs suis, & domui suæ post se, vt seruarent omnia iudicia Domui Dei.

Si hospitio recepit.

Deinde dixit etiam quosnam.

Si sanctorum pedes lauit.

Hoc enim olim faciebant. Ita etiam Lydia ipsum Apostolum, & eos qui cum eo erãt suscepit. Ita etiam dixit de Phœbe. Adfuit multis & mihi ipsi. Act. 16. Rom. 16.

Si tribulationem patientibus subministrauit.

Non quãtitatem suppeditationis, sed mentis quęrit qualitatem. Talia erant in sacris Euangelijs viduæ duo minuta.

Si omne opus bonum subsecutæ est.

Dixit omnes virtutis species.

Adolescentiores autẽ viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, volunt nubere, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Cùm enim Christo professæ sint in viduitate castè viuere, secunda matrimonia contrahunt.

Simul autem & otiosæ discunt circumire domos, non solum autem otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

Ostendit causas propter quas non vult eas referre in numerum viduarum. Illud autem, Luxu-

Luxuriatæ fuerint, pro eo quod est, ecclesiasticum subsidium acceperint, & quæ sunt corpori necessaria absque vlla sollicitudine perceperint, aluntur in otio. Otium autem introducit nequitiam.

Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia.

Diuino Paulo dicente, Volo, Nauatus dicit, Nolo. Dicit etiam cur id velit. Vt ipsæ, inquit, & maritis subiectæ, & in cura familiæ occupatæ, liberentur à nocumento quod parit otium. Deinde etiam causam huius docet manifestius.

Iam enim quædã conuersæ sunt retro post Satanã.

Ex experientia lex lata est.

Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt non grauetur ecclesia, vt ijs qui verè viduæ sunt sufficiat.

Id est, ijs quæ nusquam vllam habent subuentionem aut consolationem. Iubet autem hoc facere fidelibus. Earum enim quæ ad infideles quidem pertinent, sunt autem fide ornatæ, vult ab ecclesia curam geri.

Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.

Vsque adeò res est laudabilis doctrina. Duplici autem honore, posuit pro ampliori. Quod autem dixit confirmat scripturæ testimonio.

Deut. 28. *Dixit enim scriptura. Non alligabis os boui triturantí, & Dignus est operarius mercede sua.*

Illud quidem ex veteri, hoc verò ex noua adduxit.

Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere: nisi sub duobus aut tribus testibus.

Deut. 17. Hoc lex pręcepit de omnibus. In duobus enim, inquit, aut tribus testibus stabit omne verbum. Vel maximè autem, inquit, oportet hoc facere in Presbytero. Accidit enim vt cùm ecclesiæ ei sit præfectura credita, nonnullos ex ijs qui peccant offendat, illique ex eo in illum infesto sint animo, & calumniam in eum machinentur, est ergo testium numerus exigendus.

Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.

Nec condemnes ante probationem: nec eis qui apertè conuincuntur quòd aliqua scelera perpetrarint, peperceris: sed eos qui conuincuntur condemna omnibus præsentibus, vt timore pœnæ peccatũ fugiant. Deinde ipsum quoque terrefacit terribili testatione.

Testor coram Deo & Christo Iesu & electis Angelis, vt hæc custodias sine præiudicio nihil faciens, in alteram partem declinando.

Duo simul præcipit, nec ideo condemnare ęp credantur accusatores fide digni: aut propter odium conceptum hoc facere ante diligentem examinationem, nec si fuerint apertæ probationes, differre condemnationẽ propter eius qui accusatus est, gratiam ius peruertendo. Porrò autem Angelos cum Deo & Christo coniunxit, non tanquam honore æquales, sed vt seruos. Ita etiam nos sæpe tum maioribus minores coniungimus, & seruis simul & dominis, Sacerdotibus & Laicis præsentibus dicimus. In horum omnium præsentia te testor. Ita etiam beatus Paulus, Testor te, inquit, coram Deo, & Filio eius, & seruis eius.

Manus citò nemini imposueris: neque communicaueris peccatis alienis.

Oportet enim prius examinare vitam eius qui ordinatur: deinde in ipsum inuocare gratiam spiritus.

Teipsum castum custodi.

Ne te reddas obnoxium criminationi. Deinde etiam affert curationem corpori conuenientem.

Noli adhuc aquã bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates.

Qui sermone alijs medetur, discipulo vini præbet medicamentum, credens ei qui dixit, Virtus mea in infirmitate perficitur. Deinde redit ad cœptum sermonem de ordinatione. 1. Cor. 4.

Quorundam hominũ peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent abscondi non possunt.

Non omnes, inquit, palã peccant: sunt enim etiam qui clanculum delinquunt, sed tamen quod hodie latet, tempore deprehenditur, expecta ergo doctrinam quæ habenda est ex experientia.

CAP. VI.

Quicunque sub iugo sunt serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur: ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.

Hæc dicit de ijs qui habent dominos infideles. Illi enim videntes seruos suos insolentes, Euangelicam doctrinam maledictis appetebant, vt quæ eorum causa esset.

Qui autem fideles habent dominos, non contemnãt quia fratres sunt. Sed magis seruiãt quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt.

Sed nec ij qui pios habent dominos, ex eorum pietate ac religione sumant occasionem contemnendi dominos: sed eis ea de causa diligentius seruiant.

Hæc doce, & exhortare.

Illud quidem vt præceptor, hoc verò vt pater.

Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum.

Oportet stare ijs quæ sunt decreta à Domino. Qui enim ea quidẽ audent trãsgredi, proprias autẽ rationes & cogitationes sequuntur, nihil quidem sciunt eorum quę scire oportet: soli autem superbiæ & arrogantiæ seruiunt.

Ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

Qui enim à veritate recedunt, & sequuntur proprias cogitationes, ea quidem docere conantur quæ conueniunt, hinc autem sequitur

contentio & inuidia, ex contentione autem, aduersus Deum blasphemia suscipitur, eiecta autem fide, oriuntur malæ suspiciones, hinc autem procreatur quædam lues quæ inficit eos qui appropinquant. Hoc enim significat illud, Contagio eorum qui sunt mente corrupti. Quemadmodũ enim oues ægrotæ, si cum sanis versantur, eodem eas morbo inficiũt: ita etiam hi eos qui ipsis vtũtur eodem malo replent. Vnde etiam ei prohibendo exclamat.

Recede ab ijs qui sunt eiusmodi.

Quoniam autem illi existimabãt damnosam esse pietatem, subiunxit.

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficiẽtia.

Vitam enim æternã nobis acquirit. Oportet autem in præsenti vita fugere auaritiam & plura habendi cupiditatem, sua autem sorte esse contentum. Deinde ex ipsa natura confirmat suasionem.

Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quin nec auferre quid possumus.

Iob. 2. Hoc etiã dixit beatus Iob. Ipse nudus egressus sum ex vtero matris meæ: nudus etiam illuc reuertar.

Habentes autem alimenta & quibus tegamur, ijs contenti simus.

Solius enim moderati nutrimenti & conuenientium vestimentorum opus habemus. Docet etiam damnum quod sequitur ex insatiabili auaritia.

Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum, & tentationem Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.

Non dixit simpliciter, qui sunt diuites, sed, qui volunt diuites fieri. Si quis enim acceptas à maioribus diuitias ex lege diuina dispenset, liber est ab accusatione. Qui autem ex pauperibus quidem natus est, diuitias autem appetit, & ad eas parandas nullam non viam init, eum non capiet quidem satietas desiderij, peccati autem laqueis implicabitur, fluctibusque agitatus & naufragium passus vitam finiet.

Radix enim omnium malorum est cupiditas.

Cædes enim & præstigiæ, furta & rapinæ, fraudes & mẽdacia, iurisiurandi violatio, & alia genera iniquitatis, ex hac radice pullulant.

Quam quidam appetentes aberrauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.

Quæ nullam taxat personam inducit accusationem, vt pater benignus ac beneuolus, & curam gerens eorum qui alieni euaserant.

Tu autem ô homo Dei hæc fuge.

Magna laus. Ita appellabatur & Helias ille magnus. Ita etiam multi ex Prophetis nominati sunt. Non quòd alij homines nõ sint Dei, omnes enim sunt Dei creaturæ. Sed qui veteres creationis characteres seruarunt, verè homines Dei vocantur. Ita omnes sunt serui Dei, vt creaturæ, etenim vel Nabuchodonosor impius est Dei seruus. Sed ille quidem natura: Abraham autem & Dauid, & Paulus, & qui sunt ei similes, etiam habitudine ac relatione. Per Abraham enim inquit, seruum tuum, &, per Dauid seruum meum, & Paulus seruus Iesu Christi.

Sectare verò iustitiam, pietatem, fidẽ, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei.

Præcepit vt se exerceret: nunc suadet vt decertet. Lucrum quod ex eo prodit ostendit.

Apprehende vitam æternam, in quam vocatus es, & confessus es bonam confessionem coram multis testibus.

Omnes enim qui prædicationem ab eo acceperunt, testes habuit pulchræ confessionis.

Præcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia, & Christo Iesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem.

Timens diuinus Apostolus talenti reddendam rationem, discipulo abundè adducit testificationes: imò potius etiam illius curã gerit vt ipse etiam cum maiori animi promptitudine suos instituat & componat discipulos. Bonam autem confessionem Domini, vocauit salutẽ orbis terræ. Pro ea enim passionem sustinuit. Quoniam autem Arriani, malè intelligentes illud, Omnia per ipsum facta sunt, et- Ioan. 1.
iam spiritum vnà cum omnibus comprehendi contendunt, audiant Apostolũ dicentem, qui viuificat omnia, & dicant nobis quomodo hic intelligunt, omnia. Vtrum etiam bruta resurgent, & præter bruta, an etiam quæ sunt inanimata, plantæ, inquã, & semina, & lapides, & ligna, & quæ sunt his similia. Sed clarum est eos id non esse dicturos. Diuinus ergo Apostolus nobis reliquit piè intelligendum illud, omnia. Ita ergo etiam intelligẽdum est dictum Euangelij. Sed veniamus ad reliqua quæ restãt interpretanda. Eum enim testatus, dicit etiam cur ea testatus sit.

Vt serues mandatum.

Nempe ea quæ scribo.

Sine macula, irreprehensibile, vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi.

Pro eo quod est, Ad illud respiciens, & illud expectans, nihil diuinæ doctrinæ alienum admiscueris.

Quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus Dominantium. Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Cui honor, & imperium sempiternum Amen.

Ex ijs quæ Deo adsunt, id quod de resurrectione & iudicio & remuneratione dictũ est confirmauit. Primum enim eum ostendit esse immutabilem, cùm nominauit beatum. Qui est enim natura beatus, nullam mutationem suscipit. Deinde potẽtem. Solus enim, inquit, potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Præterea ab interitu & exitio alienum. Qui solus habet immortalitatem. Accedit ijs quòd cùm ipsam non posset perscrutari naturã, lucem quæ circa eam est ostendit. Lucem enim, inquit, habitat inaccessibilem. Sed nec hoc Deo conuenit, habet enim naturam quæ nequit circumscribi. Si autem habitat lucem, ab ea circumscribitur. Verum enimuero eum laudat

laudat vt potest, & quo ad potest peruenire respicit. Si autem ad lucẽ quæ est circa ipsum accedi non potest, quomodo potest ipse videri? Vnde subiunxit, Quem nullus hominum vidit vnquam, sed nec videre potest.

Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.

Incerta enim est possessio diuitiarũ. Nunc enim ad hunc veniunt, nunc verò ad illum transeunt. Quæ autem multos habet dominos, nullius est possessio. Distinctione autem necessario vsus est. Sunt enim futuri etiam sæculi diuites, qui stabiles diuitias & sufficientes possident.

Sed in Deo viuo qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.

In eo, inquit, collocãda est fiducia, qui semper quidem viuit, bona autem fruenda omnibus suppeditat. Non solum autem præcipit Deo credere, sed etiam facere quæcunque fidei conueniunt.

Bene agere, diuites fieri in bonis operibus: Facile tribuere, communicare.

Illud enim est bonorum suppeditationis: Hoc verò modestiæ morũ. κοινωνικοὺς enim, id est, ad communicandum faciles, eos solemus appellare, qui sunt moribus alienis à superbia.

Thesaurizare sibi futurum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.

Diuitiarum possessionem appellauit incertam, futurorum autem bonorum perceptionem appellauit fundamentum. Illa enim sunt immobilia, & immutabilia.

O Timothee depositum custodi.

Existimo eum appellare depositum, gratiam spiritus quam accepit per ordinationem.

Deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.

Qui à Simone processerunt, appellati sunt γνωστικοί, quasi dicas, cognitione aut scientia prædiri. Quæ enim diuina scriptura tacuit, ea Deum sibi dicit reuelasse, sunt autem plena omni impietate & petulantia ac libidine. Iure ergo eam vocauit falso nominatam scientiam vt quæ ignorationis habeat caliginem, non autem lucem diuinæ cognitionis.

Gratia tecum, Amen.

Benedictionem consuetam addidit. Oportet omnes qui sacerdotium sunt consecuti, hanc doctrinam diligenter seruare, & eam veluti quandam regulam sibi semper proponere, & ad eam dirigere quæ ab ipsis dicuntur & fiunt. Ita enim fieri poterit, vt cum beato Timotheo, quietiam cum diuinissimo Paulo partem consequamur gratia & benignitate Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. Cũ quo Patri cum sanctissimo Spiritu conuenit gloria & magnificentia, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Prima Epistola ad Timotheum scripta est Laodiceæ, quę est metropolis Phrygiæ.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SECVNDAE AD TIMOTHEVM.

Omæ scripsit secundam ad beatissimum Timotheum epistolam diuinus Apostolus, cùm iam esset in ipso fine vitæ. Idque ipse significauit, cùm sic scripsit. Ego iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Misit autem ad ipsum, ad subeunda pro pietate certamina incitans: & ad fortiter ferenda pro fide pericula adhortans. Porrò autem ostendit etiam præmia certaminum. Prædixit etiam de nonnullis, qui pietatem quidem præ se ferebant, vitam autem à professione alienam ducebant.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO EPISTOLAE SECVNDAE AD TIMOTHEVM.

AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei secundum promissionẽ vitæ quæ est in Christo Iesu Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, & pax à Deo Patre & Christo Iesu Domino nostro.

Non omnis filius dilectus, contingit enim nonnunquam vt naturalem beneuolentiam extinguant mali mores filiorum. Vndiquaque autem optimum Timotheum & filium & dilectum fecit non natura sed animus. Illud autem, secundum promissionem vitæ, ita est intelligendum, Me Apostolum fecit Dominus Deus, consentiente etiam filio vt promissam vitam æternam prædicarem hominibus.

Gratias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis in conscientia pura.

Verum est quod dicit, etsi de vitæ splendore non tulit testimonium, bonam tamen in Deum affectionem significauit per puram conscientiam. Etenim quando persequebatur, se ea pro Deo facere existimabat. Hoc enim dixit etiam in epistola ad Philipenses. Secundum zelum persequens ecclesiam, secundum iustitiam quæ est in lege factus irreprehensibilis. Philip. 3.

Quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die desiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio implear.

Obscurum sensum facit constructio. Hoc autem dicit. Dum recordor tuarum lachrymarum, magna lętitia repleor, & tui rursus videndi desiderio inflammor, & assidue orans, propter te Deum laudo. Est autem verisimile eum fudisse lachrymas, cùm ei valediceret, & à Magistro seiungeretur.

Recordationem accipiens eius fidei quæ est in te non ficta.

Me autem maxima lætitia afficit tuæ fidei sinceritas.

Quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice.

Eius autem matris meminit etiam beatus Lucas in Actis. Erat autem illic, inquit, discipulus nomine Timotheus, filius Iudææ fidelis. Sed illud quidem olim fuerat, hoc verò acceperat. Cùm enim esset Iudæa, credidit seruatori vniuersorum. De parentibus autem mentionem faciendo cum laude ac cõmendatione, fidem confirmat in Discipulo. Nihil enim æquè iuuat vt exemplum domesticum. Et quoniam accidit vt nonnulli ex pijs nati pietatem parentum non imitentur, necessario subiunxit.

Certus sum autem quòd & in te.

Deinde hoc facit fundamentum exhortationis.

Propter quam causam admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Hęc cùm mihi de te sint persuasa, hortor te vt animi tui promptitudine & alacritate excites gratiam spiritus quam accepisti per meam ordinationem. Quemadmodum enim oleum lampadis flammam efficit vehementiorem: ita animi promptitudo & alacritas attribuit gratiam spiritus.

Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.

Sanctissimi Spiritus gratiam dedit nobis Deus, non vt pericula pro pietate timeamus, sed vt diuina virtute referti, ipsum quidem ardenter amemus, nostri autem animi perturbationum motus insolentes castigemus.

Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius.

Crux est enim quæ prædicatur, & contumeliæ, & maledicta, & passio, & mors. Hæc autem ijs qui non credunt videntur esse plena dedecore & ignominia. Sermo enim crucis, inquit, videtur ijs quidem qui pereunt stultitia. Quamobrem ipse etiam scribens ad Romanos dixit. Non enim me pudet Euangelij. Est enim Dei virtus ad salutem omni credenti. Suadet ergo discipulo, vt hæc liberè prædicet. Propterea ergo etiam meminit suorum vinculorum docens se propter prædicationem esse vinctum in carcere. 1. Cor. 1. Rom. 1.

Sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta.

Prædicatorum passionem Euangelij passionem vocauit, quoniam propter illud omnis generis supplicia sustinuerunt. Illi ergo præcipit vt ea fortiter ferant, & addit animum ex recordatione diuinæ potentiæ. Qui enim vocauit propter salutem, præbet etiam vires, eorum qui suscipiunt fide gratiam metiens.

Non secundum opera nostra: sed secundum propositum suum & gratiam.

Vocauit autem nos non ad nostram vitam respiciens, sed propter solam suam humanitatem.

Quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia: manifestata est autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi.

Hæc ab initio quidem & ante sæcula præfinijt vniuersorum Deus, nunc autem ijs quæ præfinita ac decreta fuerunt finem imposuit. Hæc autem & cùm vellet consentientem ac suffragantem habuit Christum Dominum: & cùm efficeret, adiutorem ac cooperatorem: Per eius enim aduentum, opus effectum reddidit. Apertè autem etiam per hæc ostendit æternitatem filij. Iam verò dicit etiam quæ facta sunt per humanæ naturæ susceptionem à seruatore.

Qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium: in quo positus sum ego prædicator & Apostolus, & Magister gentium.

Cùm enim homo factus esset sermo vnigenitus, mortis quidem fudit ac profligauit potentiam, æternæ autẽ vitæ nobis dedit promissionem, hoc enim dixit illud, illuminauit, pro eo quod est, indicauit seu significauit. Me autem, inquit, elegit eorum prædicatorem, vt omnibus gentibus afferrem bonum nuncium eorum quæ bona sunt.

Ob quam causam hæc etiam patior.

Apertè ostendit & eorum ingrati animi crimen, & suam animi fortitudinem. Cùm illi enim bonum nuncium acciperent, oporteret autem bene cum eo agere & humane excipere, eum supplicio affecerunt, ipse verò cum gaudio supplicia subijt. Hoc enim subiunxit.

Sed non confundor.

Ea de causa etiam Discipulo præcepit, ne pudore afficeretur.

Scio enim cui credidi, & certus sum quòd potens est depositum meum seruare in illum diem.

Bono enim sum animo, & confido respiciens ad illius potentiam, quòd quantam mihi præbuit spiritus gratiam, integram seruabit vsque

vsque ad suum aduentũ. Deinde docet quomodo fieri potest vt quis se rectè gerat ex virtute quæ ex Deo est.

Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti fide & dilectione in Christo Iesu.

Imitare, inquit, pictores: & quemadmodum illi attendentes exemplaria, perfectè illorum imagines describunt: ita etiam tu habe veluti quoddam exemplar archetypum, eam quæ à me tibi tradita est doctrinam de fide & charitate.

Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui inhabitat in nobis.

Habes gratiam spiritus, quæ sufficit ad illuminationem. Ea ergo conserua alacritatem & promptitudinem animi. Deinde recordatione suarum tentationum, illum etiam hortatur vt ferat talia.

Scis enim hoc quòd auersi sunt à me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phygellus & Hermogenes.

Erat olim Romæ sedes Imperatoria. Multi ergo illic peregrinabantur, alij quidem mercaturæ gratia: alij verò alijs de causis. Est ergo verisimile nõnullos ex ijs qui in Asia crediderant, illo tempore Romæ fuisse versatos, & Apostoli fugisse congressionem, propter metum Neronis. Eorum autem duorum etiam nomina posuit, vt qui scilicet manifestissimam ostenderint maleuolentiam. Id autem fecit, non eos accusans, sed ei cui erat credita Asiæ prædicatio, eos qui erant hostes fidei aperiens. Sed quemadmodum per hæc hortatus est, vt quæ ei molesta acciderent forti animo ferret: ita per ea quæ deinceps sequuntur ei consolationem adhibet.

Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cùm Romam venisset, solicitè quæsiuit me & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in die illa. Et quanta Ephesi ministrauit mihi, tu melius nosti.

Laudandus, admirandus, & beatissimus ille est, qui Apostolo tantopere inseruierit, ab illa autem lingua benedictionem decerpserit. Illi enim, quorum prius meminit, vel præsentes auersati sunt Apostolum: Hic autem ex Asia Romam excurrit, nec viæ longitudine deterritus, nec crudelissimum imperatorem veritus, eique inseruijt, & omni officij genere eum est prosecutus. Quamobrem non ei soli, sed toti etiam domui diuinam reddidit misericordiam. Ei autem in memoriam reuocauit, vt qui sciret quænam officia in eum Ephesi contulisset. Quòd autem ad vtilitatem discipuli, quæ sibi molesta fuerant, & quæ iucunda, scripserit, testantur quæ sequuntur.

CAP. II.

TV ergo fili mi confortare in gratia quæ est in Christo Iesu.

Hæc, inquit, cùm scias, sta fortiter. Te enim sustentat Christi gratia.

Et quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

Quæ me multos audisti docentem (hoc enim dixit illud, Per multos testes) ea perpetuò prædica & quemadmodum à me Doctor constitutus es, ita etiam tu eos qui fide sunt ornati, doce ea quæ didicisti, vt illi etiam doctrinam rursus ad alios transmittant.

Labora sicut bonus miles Iesu Christi.

Respice cuius sis miles, & fer forti animo labores militiæ. Deinde persistens in metaphora, ex eo parat vtilitatem.

Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit.

Qui vitam militarem amplectuntur, sunt à mercimoniorum studijs separati: solius autem militaris disciplinæ curam gerunt, vt ineant gratiam apud Principes qui ea sunt natura præditi. Deinde ex alia etiam similitudine eandem exhortationem construit.

Nam & qui decertat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit.

Habet etiam ars Athletica leges quasdam, ex quibus oportet Athletas decertare. Qui autem præter eas luctatur coronas non assequitur. Postquam se ostendit optimum militem, ab alijs curis esse liberum, & generosum Athletam legitimè quidem certare, legitimè verò coronari: aliam rursus affert similitudinem, quæ etiam ipsa habet lucrum cum labore.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.

Agricolæ enim ante possessores sunt fructuum participes. Et tu etiam habes, inquit, magnas laborũ remunerationes, ex eo quòd colas hominum animas tuæ fidei creditas. Hoc enim subiunxit.

Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Quoniam eius quod dictum est erat figura parabolica, excitauit ipsum necessario ad occulti sensus inquirendã intelligentiã, & orauit vt intellectum à Deo consequeretur. Agricolæ autem similitudinem quidam aliter intellexerunt. Dixerunt enim Apostolum præcipere discipulo, vt ex prædicatione habeat necessarium alimentum.

Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum Euangelium meũ, in quo laboro vsque ad vincula quasi malè operans.

Simon cœpit illo tempore seminare spinas hæreticas. Is autem, & omnes qui ex eo descenderunt, negarunt carnis assumptionem, & dicebant visione factam esse naturæ humanæ susceptionem. Qua de causa diuinus Apostolus, diuina natura in præsentia prætermissa, scripsit ad eum de sola incarnationis œconomia, iubens vt semper meminisset generationis ex semine Dauid secundum carnem, & resurrectionis ex mortuis. vtraq; autem posuit, generationem, passionem, quin etiam genus adiecit, quoniam hæc omnia apertè negabant veritatis inimici. Hoc autem inquit,

inquit, ego Euangelium prædicans, eadem patior quæ homines qui ſcelera ac maleficia perpetrarunt. Poſtquam autem oſtendit vim prædicationis, ſubiunxit.

Sed verbum Dei non fuit alligatum.

Alligatis enim pedibus & manibus, lingua prædicat Euangelium.

Ideo omnia ſuſtineo propter electos. Vt & ipſi ſalutem conſequantur quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria cœleſti.

Omnia, inquit, moleſta ac difficilia lubenter fero, vt qui digni ſunt ſalutem conſequantur, & ſint illius æternæ gloriæ participes. Non ſolũ enim ſalute eos qui credunt dignatus eſt, ſed etiam æternam eis gloriam eſt pollicitus: Poſtquam remunerationes laborum ſic oſtendit, ſubiunxit.

Fidelis ſermo.

Pro eo quod eſt, verus, de quo dubitari non poteſt, liber ab omni mendacio.

Si enim commortui ſumus, & conuiuemus. Si ſuſtinemus, & conregnabimus.

Illud, Commortui ſumus, non dixit ſolum de ijs qui interimuntur, ſed etiam de ijs qui baptizantur. Etenim qui ei verè & ſincerè credunt, & vitam fide conuenientem oſtendunt, ſunt vitæ cum Domino participes.

Si negauerimus, & ille negabit nos.

Hæc enim ipſe quoque Dominus dixit in ſacris Euangelijs. Qui autem me negauerit coram hominibus, negabo & ego ipſum coram Patre meo qui eſt in cœlis. Deinde docet quòd qui negat, ipſum quidem non lædet, ſed ſeipſum detrimento afficiet.

Si non credimus: ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.

Neque enim credentes ipſum Deum efficimus, nec ſi non credamus, à diuina natura eijcimus, ſed ſiue credamus, ſiue non, ipſe Deus eſt. Nos ergo credentes vtilitatem capimus.

Hæc commone teſtificans coram Domino. Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt niſi ad ſubuerſionem audientium.

Oportet enim tantum credere, & non dare maledicti occaſionem, ſi de ijs diſputetur, & ex contentione ijs qui audiunt detrimentum afferre.

Solicite autem cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.

Laudamus agricolas qui rectos ſulcos proſcindunt. Ita etiam Magiſter eſt laude dignus, qui ſequitur regulam diuinorum eloquiorum.

Profana autem & vaniloquia deuita.

Aperte oſtendit quomodo vocauerit rectam proſciſsionem doctrinæ veritatem. Iuſſit enim fugere execranda & inania dogmata.

Multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum vt cancer ſerpit.

Cancer eſt morbus ſerpens, & quod in corpore ſanum eſt inficiens. Illi eos qui contraria veritati docere conantur aſsimilauit, ſæpe enim eos etiam corrumpunt qui ſunt à paſſione liberi. Ponit etiam nomina eorum quibus affectionem aſsimilauit.

Ex quibus eſt Hymenæus & Phyletus, qui ex veritate exciderunt.

Quid autem ij docent?

Docentes reſurrectionem eſse iam factam, & ſubuerterunt quorundam fidem.

Succeſsionem quæ fit per liberorum procreationem reſurrectionem miſeri appellarunt: & effecerunt vt nonnulli deficerent à doctrina Apoſtolica. Quoniam autem dixit, ſubuertunt quorundam fidem, vim veritatis neceſſario oſtendit.

Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc.

Labefactari, inquit, non poteſt baſis veritatis. Deus enim hoc iecit fundamentum. Fundamenti autem ſignaculum, eſt ſpes reſurrectionis. Qui enim communem reſurrectionem repudiat, negat Chriſti reſurrectionem. Qui autem eam negat, reijcit etiã paſsionem. Qui autem eam reijcit, vnà etiam tollit ex virgine natiuitatem. Iure ergo fundamenti ſignaculum appellauit fidem reſurrectionis.

Cognouit Dominus qui ſunt ſui, & diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.

Sunt hæc verba ſcripturæ. Vtrunque autem poſuit in tempore. iubens & ijs qui crediderunt vt fugiant malorum conſuetudinem, & non ægre ferant eorum inſultus & inſurrectiones. Vniuerſorum enim Deus ab inirio præuidit & eos qui credunt, & eos qui aduerſus veritatem ſunt apertè bellum geſturi. Deinde & conuenientem ponens ſimilitudinem, eis ex ea affert conſolationem.

In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & ſictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.

Magnæ quidem domui aſsimilauit mundum, vaſis autem aureis eos qui reſplendent pietate ac virtute. Argenteis autem eos qui cum virtute & iuſtitia vitam ciuilem amplectuntur. Ligneis verò & fictilibus, eos qui viuunt in impietate & improbitate. Sed illa quidem natura diſcreuit ac diſtinxit. Hæc autem, mens & voluntas & pretioſa & vilia contemptaque effecit. Hoc enim docent ea quæ ſubiunguntur.

Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis: erit vas in honorem ſanctificatũ & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.

Poſtquam ſic oſtendit eius quod eſt melius electionem à voluntate & animi ſententia pendere, de ijs quæ ſunt agenda ei exhortationem adhibet.

Iuuenilia autem deſideria fuge.

Hoc eſt, delicias, riſum immoderatum, vanam gloriam, & quæ ſunt his ſimilia. Porrò autem dicit etiam quæ ſunt agenda.

Sectare verò iuſtitiam, fidem, ſpem, charitatem, & pacem cum ijs qui inuocant Dominum de corde puro.

Fieri enim poteſt vt omnes diligamus, quoniam

Luc. 6. niam hoc etiam iubet lex Euangelica, Diligite inimicos veſtros. Non licet autem pacem habere cum omnibus, hoc enim opus habet communi electione ac voluntate. Tales autem ſunt omnes qui ex puro corde Dominum inuocant.

Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quòd generant lites.

Tales ſunt diſputationes, quæ ex contentione fiunt, & non propter aliquam vtilitatem.

Seruum autem Domini non oportet litigare.

Oportet enim eum cui diuina doctrina prædicanda eſt credita, ea prædicare abſque contentione. Hoc enim ſubiungit.

Sed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.

Qui enim cum paterna manſuetudine ijs qui non credunt doctrinam tradit, & eorum contradictiones fert toleranter, etiam valde Hæreticis perſuadebit. Ipſum etiam docet vt in doctrina perſeueret, & ne de eis deſperet qui ſermonem prædicationis non facile ſuſcipiunt.

Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

Veriſimile enim eſt eos ſupernum auxilium conſecuturos, & è Diaboli laqueis euaſuros, & cognituros quanta ſit differentia veritatis & mendacij. Deinde prædicit futuram in plurimorum eccleſijs perniciem, docens ne ægre ferat aliquorum ſocordiam, vtpote quòd quæ futura ſunt futura ſint longè deteriora.

CAP. III.

Hoc autem ſcito quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Et erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

Exiſtimo prædictum eſſe hoc tempus. His enim malis vita noſtra plena eſt, & pietatis ſpeciem præ nobis ferentes, improbitatis ſimulacrum per opera conſtruimus. Pro Dei enim amatoribus amatores pecuniæ euaſimus: & animi perturbationum ac vitiorum ſeruitutẽ amplectimur, & reliqua, vt ſemel dicam, in nobis videre licet quæ prædixit diuinus Apoſtolus. Eorum autem conſuetudinem vitare iuſsit eos qui Timothei curę erant crediti per ea quæ ſequuntur. Dicit enim.

Et hos deuita.

Pergens autem in accuſatione, hæc quoque adijcit.

Ex his enim ſunt qui penetrant domos, & captiuas abducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.

Huius etiam Prophetiæ finem videmus. Plurimi enim qui prophetiam Apoſtolicam ne ſuſpicantur quidem, apertè etiam hæc delicta committunt. Deinde ea narrando quæ olim acciderunt, ijs qui propter hæc animi angebantur adhibet conſolationem.

Quemadmodum autem Iannes & Iambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.

Solet, inquit, cum frumento naſci & creſcere loliũ, habuerunt ſemper aduerſarios, prædicatores veritatis. Quid Moyſe in pietate ac vera religione clarius? & tamen ille quoque habuit viros præſtigiatores, qui veritati apertè repugnabant. Eorum autem nomina didicit diuinus Apoſtolus non ex diuina ſcriptura, ſed ex non ſcripta Iudæorum doctrina. Conſentaneum eſt autem ei quoque reuelaſſe gratiam ſpiritus.

Sed vltra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit in omnibus, ſicut & illorum fuit.

Non eſt autem hoc contrarium ijs quę prius dicta ſunt. Illic enim eos dixit ad ampliorem impietatem profecturos: hic autem de eorum deceptione dixit illud, Non proficient. Pro eo quod eſt, Non diu latebunt pietatem præ ſe ferentes, ſed celerrimè detegentur. Poſtquam hæc ita prædixit, ſeipſum proponit exemplar diſcipulo.

Tu autem aſſecutus es meam doctrinam.

Hoc eſt, veritatem per prædicationem.

Inſtitutionem.

Vitæ meæ in agendo traductionem.

Propoſitum.

Rectè didiciſti ſcopũ meum ac inſtitutum.

Fidem.

Quamnam habeo in Dominum affectionem.

Longanimitatem.

Quomodo fero fratrum delicta.

Dilectionem.

Quàm omnibus bene velim.

Patientiam.

Magno & forti animo feram aduerſariorum impetus.

Perſecutiones, paſſiones.

Deinde ei nonnullas in memoriam reuocat.

Qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconij, Lyſtris, quales perſecutiones paſsus ſum, & ex omnibus eripuit me Dominus.

Alijs relictis ea quæ in Piſidia & in Lycaonia ſibi euenerunt in memoriam reuocauit. Erat enim ex Lycaonia is ad quem ſcripſit, & ea erant ei alijs notiora. Oſtendit etiam diuinum auxilium, Diſcipulo addens animum: Deinde dicit, & veluti definit ea quæ veritatis alumnis cueniunt.

Et omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur.

Communis enim hoſtis, vel per homines cum hominibus, vel per proprias cogitationes cum eis bellum gerit.

Mali autem homines & ſeductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes.

Suis enim opem fert exitialis humani generis

neris hostis: & veluti quidam pædotriba, cuius munus est exercere pueros, ad vitij exercitationem eos vngit ac confirmat.

Tu autem permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi.

Firmam ac stabilem serua doctrinam, cuius veritatē didicisti experientia. Hoc enim dixit illud, Quæ credita sunt tibi. Etenim & Apostoli miracula viderat, & ipse multa talia fecerat. Deinde ostendit etiam quanta fides sit habenda magistro, ea ratione doctrinam efficiens stabiliorem.

Sciens à quo didiceris.

Ei quoque reuocat in memoriam suam in pietate educationem.

Et quòd ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu.

Et quoniam eum in sacris literis tantum posse testatus est, docet etiam vtilitatem quæ ex eis oritur.

Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est.

Distinctione vtens, separauit scripta humanæ sapientiæ. Scripturam autem diuinitus inspiratam nominauit spiritalem. Gratia enim diuini spiritus locuta est per Prophetas & Apostolos. Deus est ergo sanctus spiritus, siquidem verè, vt vult diuinus Apostolus, à Deo est inspirata scriptura spiritus. Docet etiam species vtilitatis.

Ad docendum.

Quæ enim ignoramus, ex ea discimus.

Ad arguendum.

Sceleratam enim vitam nostram arguit.

Ad corripiendum.

Hortatur enim vt qui aberrarunt in rectam viam redeant.

Ad erudiendum in iustitia.

Nos enim docet genera virtutis.

Vt perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instructus.

Hæc autem omnia Deo vniuersorum perfectionē ascribunt & attribuunt. Postquam sic ostendit vtilitatē, quæ ex scriptura à Deo inspirata proficiscitur, iubet eam omnibus tradere, & testatione sic terret.

CAP. IIII.

TEstificor coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius & regnum eius, prædica verbum.

Timens quidem Apostolus reddendam rationem, discipulum suum vrget frequenti obtestatione, sed etiā hoc ipsum facit ex charitate, volens eum reddere clarum & suspiciendum. Et eum incitans vt liberè prædicaret, mortuorum & viuorum iudicem Dominum appellauit, quoniam & mortuos suscitat, & ducit ad iudicium, & ab eis qui in tempore consummationis inueniuntur incorruptione indutis rationē exiget. Omnes enim, inquit, non dormiemus, sed omnes immutabimur. 1.Cor.3.

Insta opportunè, importunè.

Nihil quod fit importunè, laudatur. Non iubet ergo eum sine delectu & temere prædicare, sed existimare omne tempus ad id esse aptum & opportunū. Hoc enim & ipse quoq; semper fecit, & in carcere, & in naui, & mensa apposita: Testantur autem quę Philippis, quæ in Troade, quæ in mari facta sunt.

Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.

Hoc solent etiam facere docti medici. Occultum enim vitium primum secant, & acerbioribus vtuntur medicamentis, deinde lenia applicant. Est itaque redargutio similis sectioni. Increpatio autem medicamentis austerioribus. Lenibus autem exhortatio. Sed quoniam vsu veniebat vt nonnulli curationem oblatam non admitterent, de ijs quoque necessario ea docet quæ conuenit.

Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.

Illud, prurientes auribus, posuit pro eo quod est, Delectati, quoniam voluptatem aliquam parit aurium pruritus ac fricatio. Huiusmodi autem sunt etiam fabulosæ doctrinæ, quæ delectationem habent non vtilitatem.

Tu verò vigila in omnibus.

Vigilantem habeas cogitationem.

Labora.

Virtutis labores amplectere.

Opus fac Euangelistæ.

Fer lubenter pericula quę subis, p pietate.

Ministerium tuum imple.

Siue credunt, siue non, eis trade doctrinam. Ita facies rem conuenientem tuo ministerio. Deinde docet etiam propter quam causam multis apud eum vtitur exhortationibus.

Ego enim iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat.

Sum iam in fine certaminis. Libationem autem vocat suam occisionem, vtpote pro pietate fuso sanguine.

Bonum certamen certaui.

Aduersus enim vniuersam Diaboli cateruam dimicans, fusis ac profligatis hostibus trophæa erexi.

Cursum consummaui.

Maxima enim parte terræ & maris obita, eos illuminaui qui in ignorationis tenebris detinebantur.

Fidem seruaui.

Nullus enim eam mihi surripuit, non populus, non orator, non Rex, non Tyrannus, non ipse Diabolus. Iam verò ostendit etiam præmia certaminum.

In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.

Iustitiæ autem coronam dicit eam quæ iustis est parata, quæ iusta datur sententia.

Quam reddit mihi Dominus.

Quando?

In illa die.

Vnde enam potest hoc constare?

Iustus iudex.

Noui

Noui ipsum iustum, noui etiam iudicem. In iudicio confido, & expecto sententiam. Deinde etiam omnibus pietatis alumnis affert consolationem.

Non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.

Est enim semper tempus dilectionis, amat autem Domini aduentum qui illius leges sequitur, & ex illis vitam suam instituit. Is enim cum spe bona diuinū expectat iudicium. Hæc aūt non dixit glorians, sed discipulum adhortans, vt perpetuo pergat fortiter decertare, vtpote quòd sint propositæ coronæ quæ nullo tempore consenescunt. Deinde eum ad se vocat.

Festina ad me venire citò.

Illud Cito, innuit fore vt breui excedat. Dicit etiam causam vocationis.

Demas enim me reliquit diligens hoc sæculum, & abijt Thessalonicam.

Hic etiam vnus erat ex adiutoribus & ijs qui valde laudabantur. Salutant te enim inquit, Demas & Lucas mei adiutores. Sed Demas relicto in periculis Apostolo, excessit ex vrbe, consulendum ratus suæ saluti per separationem.

Crescens in Galatiam.

Gallias sic appellauit, ita enim appellabantur antiquitus. Ita etiam nunc eas nominant qui sunt externæ doctrinæ participes.

Titus in Dalmatiam.

Hi sunt liberi ab illa reprehensione. Ab eo enim missi fuerant gratia prædicationis.

Lucas est mecum solus.

Qui scripsit Euangelium, & Actus Apostolorum.

Marcum assume, & adduc tecum, est enim mihi vtilis in ministerio.

Maximum est encomium diuini Pauli testimonium.

Tychicum autem misi Ephesum.

Hinc manifestum est beatum Timotheum hoc tempore nō Ephesi, sed in aliquo alio loco fuisse.

Penulam quā reliqui Troade veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.

Membranas appellauit volumina. Romani enim ita membranas appellāt. Diuinas autem scripturas olim habebant in voluminibus. Ita etiam in præsentem diem habent Iudæi.

Alexander Aerarius multa mala mihi ostēdit, reddet illi Dominus secundum opera eius: quem & tu deuita. Valde enim restitit verbis nostris.

Est prædictio, nō imprecatio. Iam verò hoc etiam posuit, consolans beatū Timotheum, & docens ne aduersariorum in ipsos insultus ægrè ferret. Non est autem mirum virum ærarium in eum tumultus excitasse & ei pericula creasse, est enim proprium eorum qui sibi manibus victum parant, populum concitare. Ita Demetrius Argentarius vniuersam Ephesum in eum concitauit.

In prima mea defensione nemo mihi adfuit. Sed omnes me dereliquerunt. Non illis imputetur.

Paternam in eos ostendit affectionem. Non enim malignitatis fuit recessus sed timiditatis.

Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes.

Quando appellatione vsus Romā à Fausto missus est, defensione audita fuit absolutus, & in Hispaniam profectus est, & ad alias gentes excurrens, eis doctrinę lucem attulit. Primam ergo vocauit defensionem qua in illa profectione vsus est.

Et liberatus sum de ore leonis.

Neronem appellauit leonem, vt qui fuerit Imperator & crudelissimus.

Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum fecit in regnum suum cœleste. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Non dixit, liberabit me rursus à leone, sed ab omni opere malo. Sciebat enim fore vt vitæ omnino finem caperet.

Saluta Priscillam & Aquilam, & Onesiphori domum.

Viro rursus mulierem anteposuit, erat enim omnino virtutis studiosior, & ad ea quæ bona & honesta sunt promptior. Quia autem erat apud eum Onesiphorus, salutauit illius domum, & per salutationem benedictionem attulit.

Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.

Et hæc adiecit eum incitans vt veniret; & docens omnes suos familiares ab eo diuersis de causis abijsse.

Festina ante hiemem venire.

Mortem per omnia significat.

Salutant te Eubulus, & Pudēs, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.

Meliorum & virtutis amantiorum nomina inseruit: alios autem communi appellatione vocauit. Dicunt autem Linum magno Petro successisse, & Romanorū ecclesiæ post illum sedem tenuisse.

Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo.

Ei dedit hanc benedictionē, & adiecit consuetam.

Gratia vobiscum. Amen.

Seipsum etiam coniunxit ad gratię participationem. Quam nobis quoque detur consequi, intercessionibus eius qui scripsit, & eius qui recepit, & videamus eos in ęternis suis tabernaculis, non procul, vt diues Lazarum, sed iuxtà habitantes, & subiecti illorum principatui. Gratia & benignitate Domini Iesu Christi. Cum quo Patri cum sanctissimo Spiritu gloria conuenit & magnificentia nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Secunda ad Timotheum scripta est Romæ, quando Paulus secundo ad Neronem adductus est Romanorum Cæsarem.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD TITVM.

NON solum ijs qui in continenti, sed ijs etiam qui in insulis habitabant, diuinus Apostolus doctrinam salutarem attulit, & præter alia, Cretam, ea est autem maxima insula, diuinæ cognitionis luce illuminauit. Cùm pietatis autem fundamenta iecisset, beatissimo Tito reliquum ædificandum credidit, quem in epistola ad Corinthios multis ornauit laudibus. Ad eum autem scribit, primum quidē docens quales esse oporteat eos, quibus creditum est diuini sacrificij munus. Deinde etiam accusat aliquos qui ex Iudæis crediderant, qui salutarem prædicationem conabantur corrumpere. Meminit etiam diuinæ œconomiæ, eius causam ostendens.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS, INTERPRETATIO EPISTOLAE AD TITVM.

PAVLVS seruus Dei, Apostolus autē Iesu Christi secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatē est in spem vitæ æternæ.

Sine discrimine aliquādo quidē Christi, aliquando verò Dei seipsum seruum nominat. Scit enim esse cōmune dominium. Dixit autem se fuisse creatum Apostolum, vt electione digni crederent, & pietatis religionis veritatem agnoscerent, & æternæ vitæ spem acciperent. Deinde ostendit antiquitatem diuinæ prædicationis.

Quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora secularia, manifestauit autem temporibus suis verbum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei.

Hæc enim ab initio & ante sęcula visa erant Deo vniuersorum, manifestauit autem quando me probauit, & mihi œconomiæ incarnationis prædicationem credidit.

Tito dilecto filio secundum communem fidem gratia & pax, à Deo Patre & Christo Iesu Seruatore nostro.

Generatio naturalis non habet opus assensu eius qui paritur. Partus autem fidei, & eius qui generat consensum requirit. Etsi enim qui prædicat verè & sincerè credat, qui autem audit, non ea quæ discit cum fide excipiat, non potest vocari eius qui prædicat filius. In mente enim ac animi sententia talis versatur cognatio. Illud ergo, Germano filio secundum communem fidem, beati Titi virtutem significat. Cùm enim cum Apostolo coijsset societatem fidei, qui eum Patrem vocaret dignus est habitus.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas.

Ostendit se iecisse fundamentum pietatis. Te enim, inquit, reliqui, vt ea quæ desunt corrigas, & ostendens quænam ea sunt, subiunxit.

Et constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.

Dicit etiam quidnam constituerit, & qualesnam esse oporteat eos qui huic rei præficiuntur.

Si quis sine crimine est.

Nullam dans occasionem iustæ reprehensionis.

Vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ aut non subditos.

Eosdem characteres exigit quos in epistola ad Timotheum.

Oportet enim Episcopū sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.

Hinc quoque manifestum est quòd Presbyteros nominabant Episcopos. Cùm enim dixisset, vt constituas in ciuitate Presbyteros, subiunxit. Oportet enim Episcopum esse sine crimine. In vnaquaque autem ciuitate, non Episcopos multos, sed Presbyteros esse mos est.

Non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, iustum, sanctum, continentem. Sobrium, non est in Græco.

αὐθάδη, id est arrogantem, appellat audacem ac nimis temerarium. Iracundum autem eum, qui meminit acceptæ iniuriæ. Vinolentum, ebriosum. Percussorem, eum qui non vt oportet reprehensione vtitur.

Amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

Non

Non statuit vt sit disertus, sed diuinorum eloquiorum peritus. Qui ea enim rectè tenet, & ijs qui credunt vtilem tradit doctrinam, & aduersarios conuincit mendacij. Postquam sic formam sacerdotis ostendit, conuertit orationem ad eos accusandos qui quædam adulterina & corrupta dogmata prædicare aggrediebantur.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores, maximè qui de circuncisione sunt, quos oportet redargui.

Dicit etiam quomodo sunt vaniloqui.

Qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

Postquam hæc dixit de ijs qui docent contraria, eos qui decepti sunt increpat, erant autem ij gentiles, non Iudęi, & hoc apertè docēt ea quæ subiunguntur.

Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est.

Non fuit enim Iudæorum Propheta Callimachus, eius enim est principiū huius versus: sed Poeta Grēcorum. Sed Poeta quidem propter Iouis sepulchrum Cretenses appellauit mendaces. Diuinus autem Apostolus eorū verum vocauit testimonium, non fabulas poeticas confirmans, sed Cretensiū mentis inconstantiam arguens. Pro eo quod est, Vos rectè appellauit mendaces, tales enim estis. Verisimile est autem eum, qui vocatur Iupiter, alibi esse mortuum, eosque temere sepulchrum extruxisse.

Quam ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auersantium se à veritate.

Appellauit Iudaicas fabulas, non legem, sed legis interpretationem, quæ afferebatur à Iudæis. Huius etiā Dominus ipsos insimulauit. Cur vos transgredimini mandata Dei propter traditiones hominum? Illud autem, Increpa illos acriter, non est contrarium eius quod dixit, In lenitate docētem. Iis enim qui nondum crediderunt, placidè ac leniter tradenda est doctrina: eos autē qui credere profitentur, & ea quæ fidei repugnant facēre conantur, medicamētis paulò asperioribus medicari conuenit. Deinde legalium obseruationum ostendit scopum & institutum.

Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia.

Abraham enim nullam legē de cibis suscepit, nec quæ ante eum fuerunt pietatis lumina. Iudæis autem de eis legem tulit, aliquid aliud moliens; de quo non est nunc dicendi tempus. Interpretandi enim, non Iudæos accusandi laborem in præsentia suscepimus. De ijs autem rursus dixit diuinus Paulus.

Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominati & increduli & ad omne bonum reprobi.

Affirmant enim se colere Deum vniuersorum, ijs autem quæ vult apertè contraria faciunt, legem enim certo tempore circūscripsit. Ii autem illo tempore legem non implebant. Post finem autē temporis, pro lege decertant.

CAP. II.

TV autem loquere quæ sanam decent doctrinam.

Ne te, inquit, turbent ij qui docēt contraria: sed trade, vt soles, diuinā disciplinam. Porrò autem dicit etiam quænam vnicuique ætati conueniant.

Senes, vt sobrij sint.

Vigilare, & semper sobrium esse, & prudentiam habere, est ætati conueniens.

Pudici.

Et ornato habitu.

Prudentes.

Moderati, & honestæ vitæ studiosi.

Sani in fide, in dilectione, in patientia.

Vt ipsi & sincerè credant, & charitate in proximum resplendeant. & quæ à veritatis hostibus inferuntur molestias forti & excelso animo ferant.

Anus similiter in habitu sancto.

Anus Græcè est πρεσβυτίδας. Ita autem appellauit eas quæ cōsenuerant, nō quæ aliquod munus susceperant. Qui sacra autem decet habitum, vocauit honestum ornatum.

Non criminatrices, non vino multo seruientes.

Hæc etiam posuit in epistola ad Timotheum.

Bene docentes.

Deinde etiam docet quosnam, & quid docere oporteat.

Vt prudentiam doceant adolescētulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei. Sobrias, non est in Græco.

Maritos enim pietatis prętextu relinquere, in causa erat vt male audiret prædicatio.

Iuuenes similiter hortare vt sobrij sint.

Ea enim virtus est summo ornamēto adolescentiæ, quandoquidem cupiditatis vitium cum ea acrius bellum gerit. Deinde docet quomodo oporteat facere vt fides doctrinæ habeatur.

In omnibus teipsum præbens exemplum bonum operum in doctrina.

Sit vita tua exemplar archetypum eorū quę à te dicuntur. Oratio enim cui facta ferunt testimonium, fide digna. Docet etiam ea quæ conuenit facere.

In integritate, grauitate.

Hæ sunt formæ laudabilium operum. Porrò autem dicit etiam quinam sint fines rectæ doctrinæ.

Verbum sanum, irreprehensibile.

Talis autem est qui ornatur spiritali gratia.

Vt is qui ex aduerso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

Quando enim & quæ dicuntur veritate ornantur, & quæ fiunt ijs quæ dicuntur consentiunt ipsorum etiam maledicorum ora obstruuntur.

Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes.

Illud In omnibus, pro eo quod est, In omnibus

nibus quæ pertinent ad corporale dominorũ ministerum. Neque enim si dominus iubeat impium esse, seruo iubet obedire, & id significant ea quę subiunguntur.

Non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.

Beneuolentia & libertate ornentur, inseruiendi domino curam gerant. Clarum est autem quòd hæc statuerit de seruis qui iam crediderunt. Hoc enim etiam subiunxit.

Doctrinam saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.

Est enim laus diuinæ prædicationis, quòd famuli tantam ceperint animi mutationem. Deinde docet scopum ac institutum diuinæ œconomiæ.

Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiẽs nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.

Hac de causa homo factus est vnigenitus Dei filius, vt omnes homines & dominos & seruos dignaretur salute, eo tendẽs vt præter impietatem vitam quoque sceleratam relinquerent. Iam verò nobis etiam rectam viã reliquit, iubens vt piè ac moderatè vitam ageremus. Porrò autem bonarum quoque actionum nobis fructum ostendit.

Expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi.

Nobis etiam dedit spem gloriosi sui aduentus, in quo se magnas remunerationes daturum est pollicitus. Magnum autem Deum nominauit Christum, hæreticam blasphemiam redarguens. Domini quoque passionẽ in memoriam reuocat ex ijs quæ ab eo facta sunt ea quæ sunt futura confirmans.

Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Ea de causa mortẽ pro nobis omnibus suscepit, vt mortis, pfligata & euersa tyrannide, ab acerba seruitute illius nos liberaret, & suum populum redderet factorum laudabilium amatorem & æmulatorem.

Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

Oportet eum qui est in diuinis disciplinis eruditus, non ignauè ac remissè nec cum vlla timiditate hoc facere, sed cũ libertate docere & increpare vbi opus est.

CAP. III.

Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.

Et quoniam tunc temporis erant impij qui rerum potiebantur, necessario subiunxit distinctionem.

Ad omne opus bonum paratos esse.

Neque enim principibus in omnibus parendum est: sed vectigal quidem & tributum conferendũ est, & honor qui eis conuenit tribuendus. Quòd si vt te impiè geras iusserint, est aperte contradicendum.

Neminem blasphemare.

Pro eo quod est, De nullo maledicere.

Non ligitiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

Non sunt hæc contraria ijs quæ prius dicta sunt. Quemadmodum enim iam dixi, infidelibus quidem iubet nos doctrinam leniter & placide tradere: eos autem qui crediderunt, si peccent, audacter arguere. Dicit etiam causam cur eos lenes ac mansuetos esse oporteat.

Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.

Priorem nostram conuersationem in memoriam reuocemus, consideremus quot malis eramus obnoxij: & quòd cùm tales essemus, vniuersorum Deus nos salute dignatus est. Feramus itaque nos etiam eorum qui adhuc errant, improbitatem. Seipsum autem vnà cum eis connumerauit Apostolus, non quòd fuerit omnibus criminibus obnoxius, sed vt qui fuerit persecutor, nam nec omnes alijs omnibus fuerant obnoxij, sed hi quidem hoc, illi verò illud fuerant. Omnes tamen sunt salutem consecuti.

Cùm autem benignitas & humanitas apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suã misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti quẽ effudit in nos abundè per Iesum Christum Seruatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem, vitæ æternæ.

Benignitate, inquit, & clementia vsus Dominus, per vnigenitum nos à malis prioribus liberauit, per salutarem quidem baptismum nobis concessa peccatorum remissione, & nobis denuo creatis ac renouatis, & spiritus dono dignatis: ostensa autem via iustitiæ. Ijs autem qui ea incedunt, cœlorum regnum est pollicitus. Et quoniam id sub visum non cadit, Spes enim quæ videtur, non est spes, necessario subiunxit. Roman. 8.

Fidelis sermo est.

Pro eo quod est, verus, nemo dubitet.

Et de his volo te confirmare: vt curent bonis operibus præesse qui credunt Deo.

Non sufficit enim fides ad salutem ijs qui sunt bonis operibus nudati.

Hæc sunt bona & vtilia hominibus.

Deo credere, & ex eius legibus vitam instituere.

Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita.

Studẽ fugere inutiles disputationes, nullam enim afferunt vtilitatem nec ijs qui disserunt, nec ijs qui audiunt. Hoc enim subiunxit.

Sunt enim inutiles & vanæ.

Hæc autem rursus dixit de ijs qui ex Iudęis crediderãt. De ijs etiam scripsit ad beatum Timotheum.

Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quòd subuersus est qui est eiusmodi, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.

Quan-

Quando bis vel ter ijs, qui conantur docere contratria, eam quam par est doctrinã tradideris, & in malis decretis ac dogmatibus eos perseuerare videris, amplius cũ eis ne disputes, est enim labor inutilis.

Cùm misero ad te Arteman aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim. ibi enim statui hiemare.

Nicopolis est oppidum Thraciæ, est autem finitimum Macedoniæ. Clarum est ergo scriptam fuisse epistolam eo tempore quo versabatur in Macedonia & Achaia.

Zenam legisperitum, & Apollo solicitè præmitte, vt nihil eis desit.

Et quoniam beatus Titus eam sequebatur vitam quæ caret possessionibus, necessario subiunxit.

Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi.

Doce eos qui credidertũt eorum curam gerere & necessaria prouidere ijs quibus diuina docendi munus creditum est, conuenit enim eos quoque ferre fructus eiusmodi.

Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide.

Non vult enim aliter amari veritatis magister præterquam ex solo scopo ac instituto pietatis.

Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen. Dei, non est in Græco.

Hæc beato quidem Timotheo scripsit diuinus Apostolus. Nobis autem omnibus quæ ex ijs proficiscitur vtilitatem præbuit. Iis enim tanquam thesauris communibus fruimur. Vtinam possimus & nos conseruare ea quæ collecta sunt. In Christo Iesu Domino nostro. Cum quo Patri, vnà cum sanctissimo Spiritu gloria, honor, & potentia, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Epistola ad Titum Cretensis ecclesiæ, scripta est Nicopoli oppido Macedoniæ.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD PHILEMONEM.

HILEMON erat ex numero eorũ qui crediderant, erat autem ex ciuitate Colossis. Quinetiam domus eius mansit vsq; in hodiernum diem. Huius famulus nomine Onesimus, aliquid suffuratus; aufugiens in Apostoli retia inciderat. Agebat autem eo tempore Romæ in carcere diuinus Apostolus. Cùm ergo eum illic baptizasset, ipsum ad Dominum remisit, hac scripta epistola. Qui ergo serui fugitiui mastigiæ & furis curam non abiecit, sed eũ spiritali doctrina dignatus est, quemnam vnquã neglexit?

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS INTERPRETATIO EPISTOLAE AD PHILEMONEM.

Sorori, non est in Græco.

PAVLVS vinctus Christi Iesu, et Timotheus frater: Philemoni dilecto, & adiutori nostro, & Apphiæ sorori charissimæ, et Archippo cõmilitoni nostro, & ecclesiæ quæ in domo tua est. gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

Vinctum seipsum appellauit, per vincula suam petitionem fide dignam efficiens. Propter vos enim, inquit, mihi sunt iniecta vincula. Si enim voluissem in otio vitam agere, & non orbem terrarum obire, & omnibus prædicare Euangeliũ, hęc ego non subijssem. Laudat autem Philemonem, eum adiutorem & cooperarium appellans. Coniugem quoque illi coniungit, vt quæ esset fidei particeps, erat autem verisimile eam, si fuisset prætermissa, fuisse etiam repugnaturam ijs quæ scribebantur. Archippo autem fuerat eos docendi munus creditum. De eo enim scripsit ad Colossenses. Colos. 4. Dicite Archippo. Vide ministerium quod accepisti in Domino vt ipsum impleas. Ipsum quoque adsumpsit in societatem exhortationis. Ad hæc autem, vniuersam quoque domum nominauit ecclesiam, vt quæ esset pietate decorata. Vt etiam famuli ab Apostolo honore affecti, opem ferrent eius exhortationi. Beatus autem Paulus nominauit dilectam Philemonis coniugem, vt quę fide esset ornata. Nemo autem miretur si nunc aliqui hoc verbo offendũtur. Qui enim re male vsi sunt, effecerunt vt male audiret vocabulum, erat autem olim nomen honestum & laude dignum.

Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatẽ tuã & fidẽ,

quam habes in Domino Iesu & in omnes sanctos, vt communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis operis boni in vobis in Christo Iesu.

Precans, inquit, semper tui memini, & propter ea quę rectè & ex virtute facis, Deum vniuersorum laudo. Scio enim quantam fidē susceperis in Dominū qui nos seruauit, & quantam habes charitatem, & quantam opem ferasijs qui diuina magni faciunt, & communem benefactorem oro & obsecro, vt det tibi perfectam bonorum possessionem.

Gaudium enim magnum habui & consolationem in charitate tua quòd viscera sanctorum requieuerunt per te frater.

Magna enim impletus sum lætitia quòd nullum auxilij genus in sanctos prętermittas.

Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro.

Cùm possim, inquit, audacter tecum agere vt qui ardenter credideris, & instar Magistri iubere, hoc quidem non facio: sed adhortationem affero. Deinde eius quod dictum est humilitati gloriationem adijcit.

Cùm sis talis vt Paulus senex.

Vide quis sit qui petit. Sufficit autem nominis mentio ad efficiendum vt reuereatur vel maximè aduersarius. Qui enim Paulum audijt, audit prædicatorem totius orbis terrę marisq; cultorem, & vas electionis, & alia, ad quæ narrāda vel decies mille linguis opus esset. Adiecit etiam semen, ostendens canos germinasse in laboribus, ea etiam ratione fide dignam efficiens orationem. Aliud etiam adiungit.

Nunc autem & vinctus Iesu Christi.

Reuerere Paulum, reuerere senectutem, reuerere vincula, quibus vt veritatis prędicator astrictus sum.

Obsecro te pro meo filio.

Quis loquetur potētias Domini? Quis pro dignitate laudabit diuinam benignitatem & clementiam? Mastigia, fur, & murorum effossor, repente Pauli filius factus est. Dicit etiam quomodo eum genuerit.

Quem genui in vinculis.

Neque enim vincula prohibuerunt ortum spiritalem. Deinde post laudes eius nomen adiecit.

Onesimo qui tibi aliquando inutilis fuit.

Vetera reuocauit in memoriam: sed statim ostendit mutationem.

Nunc autem & mihi & tibi vtilis.

Ostendit diuitias morum mutationis. Non solum, inquit, tibi nunc est vtilis sed & mihi.

Quem misi tibi.

Neque enim vt mutatum retinerem in animum induxi.

Tu autem illum, id est mea viscera, suscipe.

Meus est, inquit, filius, natus ex meis visceribus.

Quem ego volueram mecū detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij.

Debes mihi ministerium, vt discipulus magistro, volui ergo eum pro te retinere, vt tui ministerij mihi debitum exolueret. Videte potentiam Euangelij, effecit seruum æqualem Domino.

Sine cōsilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

Volo enim te deinceps ex eo quęstum facere, vt mentis assensu ex ea re vtilitatem capias. Hinc etiam clarum est ipsum prædicationem salutarē attulisse Colossensibus. Ad Philemonem enim scribit, tanquam ad discipulum. Hic enim rogat pro Onesimo. Illic autem cùm eum tanquam ex voluntate Philemonis administrum cepisset, misit ad Tychicum, vt qui fuisset administer Euangelij. Omnia, inquit, quæ ad me pertinent vobis significabit Tychicus dilectus frater, & fidelis minister & conseruus in Christo, quē misi ad vos ad hoc ipsum, vt quæ ad me pertinent cognoscatis, & consoletur corda vestra cum Onesimo fideli & dilecto fratre qui est ex vobis, omnia vobis significabūt quæ hic sunt. Philemon enim acceptis literis misit Onesimum ad Apostolum. Ille verò eum misit Colossas cum Tychico. *Colos. 4.*

Forsitan enim ideo discessit ad horam à te, vt æternum illum reciperes, iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi, quanto autē magis tibi, & in carne & in Domino.

Fuga, inquit, illa fuit bonorū causa. Pro seruo enim inutili verus & germanus frater euasit. Quòd si est meus frater, quanto magis tuus, ad quem pertinet, quantum spectat ad ministerium corporale?

Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.

Quid est his verbis ad persuadendum aptius, & quid vehementius ac magis violentum? Si meæ societatis aliquam rationem habendam esse ducis, eum qui suscepit alienam mutationem, tanquam me suscipe.

Si autem aliquid tibi nocuit, aut debet, mihi imputa.

Significat oratio ei aliquid fuisse suffuratum Onesimum, & quæ erat suffuratus nequiter consumpsisse. Diuinus autem Apostolus petit vt Philemon ei imputet delictum. Deinde cum maxima gratia confitetur debitum.

Ego Paulus scripsi manu mea. Ego reddam.

Pro schedula hāc habe epistolam, eam ego totam scripsi. Ego & debere & redditurum esse debitum promitto. Deinde ostēdit etiam ipsum esse maiori debito obnoxium.

Vt non dicam tibi quòd & teipsum mihi debes.

Per me enim, inquit, salutem cōsecutus es: & hinc constat Philemonem accepisse doctrinam Apostolicam.

Ita frater, ego te fruar in Domino, refice viscera mea in Christo.

Illud Fruar in Domino, pro eo quod est, Fruar omnibus tuis bonis in Christo actionibus, videam te locupletem in omnibus bonis spiritalibus.

Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quòd & super id quod dico facies.

Noui tuā animi obedientiam. Qua de causa etiam ad te scribo, confidens quòd sis plura præstaturus quàm petierim.

Simul & para mihi hospitium. Nam spero per orationes vestras donari me vobis.

Hoc quoque non abs re posuit: sed vt expectans eius aduentum, literas quoque reuereatur.

Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei.

Epaphram hic adiecit, quoniam ipse quoque fuit Colossensis. Ita enim scripsit etiam ad Colossenses. Salutat vos Epaphras qui est ex vobis seruus Christi. Demam posuit ante Lucam, vt qui esset & insignis & eius adiutor. Postea enim reliquit Apostolum, cùm hoc amasset sæculum.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

Has leges sequi conuenit eos quibus obtigit munus tradendæ doctrinæ diuinæ, & ita docere seruos Dominis suis inseruire, vt per omnia laudetur Christus Dominus. Cum quo Patri vnà cum sanctissimo Spiritu gloria conuenit & magnificentia nunc & semper & in sæcula sæculorum.

Amen.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRI, ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBRI QVINQVE,

IOANNE CHRISTOFORSONO ANGLO, Cicastrensi quondam Episcopo, interprete.

LIBER PRIMVS.

Historiæ scopus. CAP. I.

QVanquam pictores, qui veteres historias in tabulis & parietibus describūt, cum intuentium magnopere oblectant oculos, tum rerum præteritarum recordationem ad prolixum temporis spatium florentem seruant: tamen scriptores, qui in tabulis, monimentis librorum, & pro colorum varietate, orationis flosculis vtuntur, memoriam rerum gestarum (Siquidem res pictorum artificio descriptas temporis consumit conficitque longinquitas) multò diuturniorem stabilioremque efficiunt. Qua ratione ipse equidem adductus sum, vt ea quę in ecclesiastica historia desunt, scriptis mandare aggrediar. Nam vt gloria rerum prēclarissimę gestarum, quarum commemoratio multum sit hominibus adiumenti allatura, obliuione contereretur, haud sine scelere fieri posse existimaui. Qua de causa nonnulli, quibus cum mihi magnus vsus & familiaritas intercedit, sæpenumero me vehementer cohortati sunt, vt hunc historiæ ecclesiasticæ scribendæ laborem in manus sumerem. Verùm cum difficultatem operis mearum virium imbecillitate metiri incipio, eius susceptionem non mediocriter equidem pertimesco: attamen fretus benignitate Dei boni cuiusque largitoris munifici, rem magis arduam, quàm quæ mea doctrinæ tenuitate perfici possit, suscipio. Atque vt Eusebius genere Palæstinus, à sanctorum Apostolorum temporibus exorsus, res in ecclesia inde vsque ad tempora Constantini Imperatoris sanctissimi gestas conscripsit: Sic ego ex illo ipso tempore, quo ab eo desitum est scribere, initium historiæ ducere statuo.

Vnde cœperit Arianorum hæresis. CAP. II.

CVM nefarij illi & impij tyranni extincti essent, Maxentius videlicet, Maximinus & Licinius, grauis persecutionis procella, quam furiæ illæ, non aliter atque turbines quidam in ecclesia Dei concitauerant, sedatur, & sæua ventorum violentia compressa, stabilis & diuturna Christi gregi tranquillitas affertur. Nam Constantinus omni genere laudis florentissimus, qui non ab hominibus, neque per hominem, sed cœlitus à Deo more sancti apostoli ad illius muneris administrationem vocatus erat, huius pacis ecclesijs author fuit. Siquidem leges conscripsit, quibus & hostias simulachris vetuit immolari, & ædes sacras extruendas sanciuit. Quinetiam prēsides, quorum mentes fides Christiana imbuerat, gentibus ac prouincijs præfecit, deditque illis mandatum, vt sacerdotes honore afficerent: illis autem, qui eosdem contumeliose insectari aggrederentur, exitium minatus est. Quo quidē tempore, alij ecclesias dirutas de integro erexere: alij alias ampliores splendidioresque exædificauēre. His rebus hoc loco constitutis, nostri animi gaudio perfusi & voluptate, aduersariorum autem tristitia & mœrore confecti fuerunt: quandoquidem simulachrorum delubra occlusa: in ecclesijs Christianorum dies festi, & crebri conuentus celebrati. Verùm nequam & inuidus dæmon, generis humani pernicies, cū statum *Gal. 1.*

ecclesiæ Dei tam secundo ac prospero flatu ferri cerneret, nullo modo pati potuit, sed sub dola ac pestifera consilia excogitare cœpit, omnesque sedulo perueſtigauit modos, quibus eam tam præclarè ab vniuersitatis opifice & moderatore gubernatam penitus euerteret. Nam cum animaduerteret gentilium errorē suis integumentis euolutum, & varias ac multiplices Dæmonum fraudes perspicuè deprehensas, & creaturā à quàm plurimis nulla amplius dignatam veneratione, sed pro illa creatorem laude & præconijs celebratum, idcirco deinceps non apertè contra Deum ac seruatorem nostrum bellum ciere, sed cum homines quosdam nomine quidem Christianos, re tamen ipsa ambitionis & inanis gloriæ seruos reperisset, his tanquam instrumentis ad suos veteratorios conatus perficiendos valde idoneis vti cœpit. Atque istorum opera complures in veterem induxit errorem, non quòd creaturam denuo coli efficiebat, sed quòd ita comparauit, vt Creator & Opifex mundi in eodem cum creatura ordine constitueretur. Verùm quo in loco huius erroris primum iecerit fundamenta, & quomodo peruersæ doctrinæ zizania proseminauerit, iam explicaturus venio. Alexandria ciuitas est amplissima, & maxima hominum multitudine frequentata, quæ non Aegypti solum, verùm etiam Thebaidis, & Lybiæ, quæ Aegypto adiacent, principatum obtinet. Cuius episcopatum post Petrum illum in fidei certamine victorem & athletam egregium, qui impijs tyrannis quos supra posui, regnantibus est martyrij coronam consecutus, Achillas ad exiguum tempus administrauit, eiusq; ecclesiæ clauum tenuit. Huic successit Alexander, doctrinæ euangelicæ propugnator acerrimus. Per idem tempus, Arius, qui in numerum presbyterorum ascriptus erat, cuique sacrarum literarum interpretatio concredita, cum videret Alexandrum ad episcopatus gubernacula designatum, inuidię flammam qua incendebatur, minimè reprimere, sed ea vehementius inflammatus, materiam contentionis & discordiæ indies aucupari laborauit, ac tametsi in præstabilē eximiamq; Alexandri viuendi rationē aciem acriter intendendo, nihil ad falsam criminationē contra eū confingendam potuit omnino reperire, tamen æstus inuidiæ eū quiescere non sinit. Istū igitur, cū hostis veritatis Diabolus nactus esset, eius conatibus Ecclesiā procellis miscere exagitareq; instituit. Nā persuasit illi, vt Apostolicæ Alexādri doctrinę apertè resisteret. Itaq; vt Alexander Sacrarū literarū disciplinæ obsecutus, filiū patri honore parem, eandemq; habere cū Genitore substantiam docuit, Sic Arius palam contra veritatem pugnans, eum creatum & factum affirmauit. Quinetiam adiecit, tempus aliquando fuisse, cum non erat, & alia nonnulla, quæ ex eius libris multo apertius possunt intelligi. Atque ista non in ecclesia solum, verùm etiam extrà in circulis & congressibus hominum disserere cœpit. Per ædes quoque circum circa grassari, vt quos posset, in istorum errorum laqueos induceret. Alexander igitur doctrinæ apostolicæ patronus, primum hortatione & consilio eum à sententia deducere tentat. Cæterùm vbi Corybantum more insanire vidit, & impiam doctrinam palam prædicare, de dignitate sacerdotali dimouet: euangelij præcepto obsecutus, Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum & proijce abs te. *Matth. 5.*

Primariorum Episcoporum enumeratio.

CAP. III.

EOdem tempore Syluester Romanę ecclesiæ gubernaculum tenuit, successorq; fuit Miltiadis illius, qui post Marcellinum, virum persecutionis temporibus magna gloria planè nobilitatum, ad eiusdem ecclesiæ episcopatum gerendum delectus fuit. Antiochię autem episcopatum, mortuo Tyranno, cum pax iam in ecclesijs vigere inciperet, obtinuit Vitalius, qui ecclesiam ibi à tyrannis dirutam, in Palæa, ædificauit. Huic successit Philogonius, qui & temporibus Licinnij singulare studium in veræ pietatis defensione declarauit. & quæ videbantur ecclesiæ illius ędificio deesse, sua opera adijcienda curauit. Episcopatus verò Hierosolymorum, post Hermonam delatus fuit Macario, qui ob beatam viuendi rationem, & multiplicia bona, quibus exornatus fuit, verè nomini suo respondit. Per idem tempus episcopatus Constantinopolitani ministerium obtinuit Alexander, vir donis planè apostolicis decoratus. Quo quidem tempore Alexander Alexandriæ Episcopus, cum videret Arium ambitionis æstu incensum furere, & eos, quos pestifera in Deum blasphemia irretierat, in vnum cogere, conuentus præterea separatim celebrare, eius impiam blasphemiam ecclesiarum præsidibus per epistolas significauit. Quarum vnam ad gentilem suum perscriptam, qua perniciosi Arij conatus perspicuè explanātur, primum in historia ponam, quò nemo suspicetur me has res, quas de eo scriptis persequor, meopte ingenio confinxisse. Deinde epistolam Arij, post illam alias quoque, inseram, quæ sunt ad hanc historiam propter ea pernecessarię, quòd & eius veritati testimonio esse possint, & res gestas multo planius edocere. Alexander autem Episcopus Alexandriæ ista, quæ sequuntur, ad gentilem suum scribit. *Palæa locus quidam sic dictus, vide pest. lib. 2. ca. 31. & lib. 3. cap. 4.*

2 *Epistola Alexandri Episcopi Alexandriæ ad suum gentilem.*

3 *Honoratiss. fratri Alexandro secum fidei consensu conuncto Alexander in Domino S.*

Alexandri Episcopi Alexandrini ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum epistola. *Prima.*

CAP. IIII.

EST quidem propositum hominibus improbis, in quorū animis inexplebilis honoris & pecuniæ cupiditas insita est, vt ecclesijs, quę videntur plus habere dignitatis, ex occulto

occulto insidientur: qui per varias ac multiplices vias, synceram ecclesiæ pietatem oppugnare non cessant. Nam impulsu diaboli, qui vim suam in eorum animis exercet, in furorem acti, ad voluptates, quæ fortè se offerunt, feruntur præcipites: atque ab omni pietate refugientes, timorem diuini iudicij proterunt. De quibus ego, qui inde non parum acceperim incommodi, necesse habui vestræ pietati significare, vt id generis homines sedulo deuitetis, ne fortè quisquam illorum audacia fretus, vel per se ipsum (præstigiatoribus enim nunquam deest ad fraudem faciendam simulatio) vel per literas, quę erunt mendacijs ita lepidè & eleganter aspersæ, vt hominem, qui simplici ac sinceræ fidei se addixerit, à veritate abstrahant, in vestras ecclesias erroris sui imprimant vestigia. Nam Arius & Achillas nuper facta coniuratione, dum Colluthi ambitionem imitari studebant, eum in eo vitiositatis genere longe superarunt. Ille enim, quanquam eas ipsas res, quas isti, coarguere conabatur, tamen improbi sui instituti causam saltem simulatam habuisse visus est. Hi autem, cum illius nundinationem, qua Christum ipsum vendidit, animaduerterent, non amplius ecclesiæ legibus subiecti esse sustinuerunt, sed speluncis latronum sibi constructis, conuentus in illis sine intermissione agere, noctes diesque Christo & nobis maledicè obtrectare, omnem apostolicam & piam doctrinā criminari, simulatione Iudaica officinam ad Christum oppugnandum instruere, diuinitatem Seruatoris nostri inficiari, eum cæteris hominibus nihilo præstantiorem prædicare, vocibusque omnibus, quę pro eius salutari in carne œconomia, & abiectione sui nostra causa suscepta ex sacris literis selectis, eisdem impiam suam prædicationem corroborare, & verba, quibus æterna eius diuinitas, & gloria vnà cum patre ineffabilis confirmatur, auersari nituntur. Quippe impiam gentilium & Iudæorum de Christo opinionem defendentes, suam ipsorum laudem quantum fieri potest venari, & in quibus eis ludibrio sumus, omnia enixè consectari student. Seditiones porro in nos quotidie concitare, graues ciere persecutiones, & interdum lites per muliercularum impurarum sermones, quas ipsi in fraudem impulerunt, intendere, nonnunquam religionem Christianam, suas tenellas meretriculas per singulas plateas turpiter circumducendo, grauissimis contumelijs afficere, quinetiam inconsutam & indissolubilem Christi tunicam, quam tortores noluerunt discindere, hi discerpere non dubitarunt. Nos igitur, sicut scelerata eorum vita, & conatus execrabilis postulat, suffragijs omnium, tandem licet sero propter rei ignorationem istud simus aggressi, ecclesia quæ Christi diuinitatem sancte adorat, eiecimus. Itaque hi circumcursare hac illac, quo nobis obtrectent, deflectere ad collegas nobiscum in eadem fide consentientes, specie qui dem pacis & concordiæ simulata veniam petere præ se ferre: sed reuera moliri, vt per sermonis lenocinia nonnullos eorum in sui morbi contagionem pertrahant: literas quoque ab illis blandiores petere, vt coram ijs, quos errore implicarint, eas deprauatè legentes, suæ prolapsionis impœnitentes reddant. Iam ad impietatem assuefactos quasi episcopos suæ sententiæ & opinioni consentientes haberent. Nam non illis confiteri volunt ea quæ tam nefariè impieque apud nos cum docuerunt, tum fecerunt, quorum gratia ecclesia expulsi sunt, sed vel silentio tegere, vel partim sermonibus commentitijs, literis partim veteratoriè scriptis obscurare nituntur, quo eos dolo deludant. Quapropter colloquijs tum probabilitate, tum facetijs dicacibus refertis, perniciosam suam doctrinam, tanquam velis obtendentes, hominem simplicem & fraudi expositum in suum errorem rapiunt: quinetiam à nostræ sanctæ piæque religioni apud omnes obtrectando, haudquaquam se abstinent. Vnde fit, vt nonnulli qui eorum literis subscribunt, in ecclesiam recipiantur: quod factum, mea quidem sententia, maximam infamiæ notam collegis nostris, qui illud ausi sunt, inusit, qui non modò id quod canon apostolicus permisit non faciunt, sed conatum eorum contra Christum planè diabolicum, qui illis inest, vehementiorem efficiunt. Quocirca fratres charis. abiecta cunctatione, ingenij mei vires, quo istorum infidelitatem vobis significarem, excitaui: qui asserunt, tempus aliquando fuisse, cùm non esset filius Dei: postea factum, cum non antè extiterit, talem fuisse tum, cum factus erat, qualis quisque homo est. Omnia enim Deum ex nihilo fecisse. Qua sententia etiam filium Dei comprehendunt, eumque in creationem omnium rerum, siue rationis sunt illæ participes, siue expertes, concludunt. Quibus etiam consequenter addunt, eum natura posse mutari: virtutis & vitij capacem esse. Itaque hoc posito, eum ex nihilo factum, literarum sacrarum, quæ verbi Dei æternitatem, immutabilitatem, eius sapientiæ diuinitatem (atque ista sunt Christus) docent, prorsus labefactatur authoritas. Est enim in nostra quoq; situm potestate, vti istæ ecclesiæ pestes prædicant, filios Dei fieri, non aliter atque ille factus est. Scriptum namque esse, filios genui & exaltaui. Ac cum illis objicitur sententia, quæ deinceps sequitur, Et ipsi spreuerunt me, quod planè naturæ seruatoris, qui est natura immutabili, repugnat, tum omni exuta erga Deum pietate & reuerentia, aiunt Deum cum eum præscientia & præsentione prænouisset neutiquam ipsum aspernaturum, idcirco ex omnibus elegisse. Non enim natura, aut quicquam præter cæteros filios habuisse prærogatiuæ (nullū namq; natura filium Dei esse affirmant, neq; quemquam esse, qui vlla cum eo proprietate coniunctus sit) sed cum esset natura mutabili, & propter singularem in vita & moribus ritè instituendis diligentiam ac studium non ad vitia deflecteret, Deum eum elegisse: adeo vt si *Isa. 1.*

vel

vel Paulus, vel Petrus in hac obnixe incubuisset, eodem modo fuisse filios Dei, quo ille fuit. Ac quò insanam & pestiferam suam doctrinam confirment, etiam in ipsas scripturas vim faciunt, & sententiam in Psalmis de Christo traditam, quæ ita se habet, Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis, ad suum institutum detorquent. Verùm quòd filius Dei non creatus fuit ex nihilo, neque tempus fuisse, cum non erat, Ioannes Euangelista abunde satis docet: sic enim de illo scribit: Vnigenitus filius, qui est in sinu patris. Cum enim Diuinus ille magister docere institueret, patrem & filium duas res esse, quæ separari nequeunt, filium in sinu patris esse dixit. Quinetiam quòd filius Dei non sit rebus ex nihilo creatis annumerandus, idem Ioannes ostendit, cum dicat, omnia per ipsum facta esse. Nam proprium eius subsistentię modum declarauit his verbis: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quòd si omnia per ipsum facta sunt, qui fieri potest, vt is, qui rebus creatis essentiam indulserit, quodam tempore non fuerit. Nulla enim ratio vult, vt quod creat, eiusdem sit cum creatis naturæ. Quòd si ipse fuit in principio, & omnia per ipsum facta sunt, creataque ex nihilo (nam quod est subsistitque, illis, quę fiunt ex nihilo, contrarium est, vehementerq; repugnat) Nam cum alterum nullum esse interuallum inter patrem & filium, neque illud vlla animi cogitatione posse informari, alterum mundum ex nihilo conditum, ostendit, perspicuũ est mundum recentiorem, quàm essentiam filij Dei, habuisse generationem: quippe cum omnia à patre per filium talem sint essentiæ originem consecuta. Itaque sanctissimus Ioannes cum illud *ERAT*, quod est verbi Dei proprium, immensum esse, & longe supra mortalium captum & cogitationem positum animaduerteret, eius generationem creationemque eloqui noluit, imò verò ne ausus quidem est verbis, literis eisdem ac syllabis compositis gignens & genita nominare: non quòd verbum Dei ingenitum est (nam solus pater est ingenitus) sed quòd ineffabilis vnigeniti filij Dei subsistentia non modò solertem intelligentiam euangelistarum, verùm fortasse etiam angelorum comprehensionem longe superat. Itaque, meo quidem iudicio, ne in pijs quidem numerandi sunt, qui in istarum rerum inquisitionẽ intrare non dubitant, spreta reiectaque illa sententia: Altiora te ne quæras, & sublimiora te ne scruteris. Quòd si cognitio multarum aliarum rerum, quæ sunt sine dubio his longè imperfectiores, comprehensionem fugiat humanam, quales sunt illæ, de quibus Paulus sic loquitur: quas oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt ea, quæ præparauit Deus diligentibus se, quales sunt præterea stellæ, quas Deus Abrahamo negauit posse numerari, qualis denique est arena maris & stillæ pluuiæ, quas res, inquit scriptura, quis enumerare poterit, quid est ergo, cur quisquam, nisi insanus & planè mente captus sit, verbi Dei subsistentiam curiose peruestigare moliatur? De qua ita spiritus loquitur propheticus: Generationem eius quis enarrabit? Per quam quidem sententiam ab animis eorum, qui erant velut columnæ & principes omnium qui in toto orbe vixerint, Seruator noster, quo illis gratificaretur, istarum rerum notitiam tanquam onus amouere laborauit: contraque naturam esse docuit, vt quisquam eas cogitatione deprehenderet. Nam soli patri diuinissimi illius mysterij cognitionem reseruatam esse. Sic enim locutus est: nemo nouit, quis sit filius nisi pater, & patrem nemo nouit, nisi filius. De qua re arbitror patres hoc quoque dixisse: Secretum meum mihi & meis. Quòd autem extrema dementia est, filium ex his, quæ non sunt, ortum, inque tempore productum existimare, eædem ipse voces, nimirum, *EX HIS QVAE NON SVNT*, satis declarant, licet isti stupidi suarum vocum insaniam non intelligant. Nam id, quod dicitur, *NON ERAT*, aut in tempore fuisse necesse est, aut in aliquo seculi interuallo. Proinde si verum est, omnia per ipsum facta esse, constat etiam omne seculum, tempus, interualla temporis, & illud quando, in quibus reperitur id, quod dicitur, *NON ERAT*, per ipsum facta esse. Et quid est, quamobrem non sit absurdum eum, qui tempora, secula, opportunitates temporum, quibus cum illud, quod dicitur, *NON ERAT*, confusum est, progenuit, quodam tempore non fuisse asserere? quippe cum insulsum sit, & plenum cuiusque inscitiæ eum, qui alicuius rei procreator extiterit, post rei illius procreationem, ipsum procreatum esse. Nam vt istorum fert opinio, non solum illud interuallum temporis, in quo filium à patre generatum asseuerãt, tempore prius erat, quàm Dei sapientia, quę hanc vniuersitatem construxit, verum etiã scriptura, quæ illum primogenitum omnis creaturæ nuncupat, mentita est. Accedit eodem Paulus, qui de eo his cõgruentia voce clarissima fundit: sic enim ait: Quem posuit hæredem omnium, per quem secula condidit. Quinetiam in eo condita sunt omnia, & quæ in cœlis, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue principatus, siue potestates, siue dominationes, siue throni. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & ipse est ante omnia. Quocirca cum illud, *EX NIHILO* seu *EX HIS QVAE NON SVNT*, non sine summo scelere & impietate positũ sit, necessariò sequitur patrem semper patrem fuisse. Atque est pater semper, cum habeat filium, ob quem vocatur pater: & cum sit semper ei filius, & semper pater, perfectus, atque in ipso, quod verè bonum est, expletus omnibus suis partibus: qui filium vnigenitum, neque in tempore, neque ex interuallo temporis, neque ex nihilo genuit.

Psal. 44. Ioan. 1. Ioan. 1. Eccle. 3. 1. Cor. 2. Isa. 53. Apostoli. Matth. 11. Esa. 24. Heb. 1. Col. 1.

Quin

Quin igitur fieri potest, vt non sit impium dicere, quodam tempore sapientiam Dei non fuisse, cum ipsa loquatur de se: Ego eram apud illum componens, ego eram cui adgaudebat: aut virtutem Dei aliquando nõ fuisse, aut verbum eius mancum fuisse aliquando, aut alia negare, ex quibus & filius cognoscitur, & pater velut notis quibusdam discernitur. Nam cùm quis splendorem gloriæ neget esse, tollit simul & primariam lucem, cuius est splendor. Quod si porrò imago Dei non erat semper, liquet neque illum cuius imago est, semper fuisse. Quinetiam cum dicitur formam subsistentiæ Dei non esse, tollitur vnà etiam ille, qui omnino ab ea figuratur. Vnde licet perspicere, Seruatoris nostri proprietatem, qua filius est, cum aliorum filiorum proprietate habere commune. Nam quemadmodum inexplicabilis eius subsistentia propter eximiam & singularem ipsius excellentiam ostenditur rebus præstare omnibus, quibus ipse essentiam tribuerit: sicque & eius filiali tas, vt ita dicam, quæ est paternæ diuinitatis secundum naturam, ineffabili quadam præstantia antecellit filialitati eorum, qui per ipsum adoptantur in filios. Nam ille cum sit in omnibus cumulate perfectus & nullius rei indigens, est natura planè immutabili: hi autem cum in vtramque partem conuerti possint, illius egent auxilio. Qui enim fieri potest, vt Dei sapientia efficiatur perfectior, aut ipsa veritas, aliquid sibi assumat quod omnino habet, aut verbum Dei eodem modo? Aut quo modo ipsa vita, lux vera præstabilior fiat? Quod si ita se habet, quanto magis repugnat naturæ, vt sapientia stultitiæ aliquando capax sit, aut potentia Dei implicetur imbecillitate, aut obscuretur temeritate ratio, aut tenebræ denique cum vera luce commisceantur, præsertim cum Apostolus simili causa adductus, dicat: quæ societas luci ad tenebras, aut quæ conuentio Christi ad Belial, & Salomon quoque, quòd fieri nequit, vt vel cogitatione comprehendantur viæ serpentis super petram, quæ est, vt Paulus censet, Christus. Qui autem sunt eius creaturæ, vt homines & angeli, benedictionem accepere, vt indies proficerent, & virtutibus mandatisque in lege præscriptis exculti exercitatique non in vitia delaberentur, ad eum planè finem vt Dominus noster Iesus Christus, qui est patris natura filius, ab omnibus adoretur. Quinetiam ijdem ipsi spiritu seruitutis deposito abiectoque, & spiritu adoptionis filiorum ex rectè præclareque factis, & ex progressione in virtute assumpto, beneficio Christi, qui est natura Dei filius, affecti, fiũt filij adoptiui. Quod verò ad ingenuam, propriam, naturalem, & eximiam eius filiationem attinet, Paulus Apostolus explanat de Deo loquens his verbis: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis videlicet nõ natura filijs ipsum tradidit. Nam quò ab alijs filijs, qui non sunt proprij, distingueretur, eum proprium filium nominauit. Porrò in Euangelio sic scriptum legimus: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. Itemque in Psalmis Seruator ait de se: Dominus dixit ad me filius meus es tu: in qua sententia & suam ipsius demonstrat ingenuitatem, & alios quosdam præter se sui patris filios esse non ingenuos. Quid quæso illud, Ex vtero ante luciferum genui te, an non perspicuè ostendit naturalem, quæ in filio est, paternæ generationis proprietatem, quam non studio in moribus piè instituendis, non in virtute excolenda progressione, sed propria naturæ vi est consecutus? Proinde vnigenitus patris filius hanc proprietatem, qua filius est, firmam & immutabilem tenet. At adoptio filiorum, quæ in hominibus rationis participibus est, quæq; non natura ipsis sed probitate morum & Dei beneficio tributa sit, ex sacra scriptura mutabilis ostenditur. Nam videntes, inquit, filij Dei filias hominum, acceperunt sibi vxores: & quæ sequuntur. Ac rursus: filios genui & exaltaui. Ipsi autem spreuerunt me, Deum per Esaiam prophetam dixisse cognouimus. Verùm quamuis de hac re multa habeam dicere, Charissimi fratres, tamen ea missa propterea facio, quòd absurdum putem doctores fidei doctrina consentientes pluribus admonere: quippe cum ipsi sitis docti à Deo, & non ignoretis tum Ebionis & Artemæ doctrinam, quæ non ita pridem veram ecclesiæ pietatẽ oppugnare cœpit, tum pestiferum studium Pauli Samosateni episcopi Antiochiæ, qui concilio omnium vbique episcoporum atque adeo iudicio, ecclesia eiectus est. Cuius peruersæ doctrinæ Lucianus successor factus, multorum annorum spatio, hoc est tantisper, dum tres episcopi alius post alium, ecclesiam illam rexere, exclusus ab ecclesia mansit. Istorum hæreticorum impietatis feces hi, qui modò in lucem editi, filium Dei ex nihilo ortum asserunt, quique sunt velut stolones occulti ex illis nascentes, animis hauserunt: Arium dico, Achillam, & reliquam improborum illis adhærentium turbam: quinetiam tres episcopos in Syria, nescio quo modo ordinatos, qui quoniam istorum errores suo consensu approbarunt, videntur eorum amentiam velut facibus nouis admotis magis incendisse: in quos quidem accuratè inquirendi potestas vestro iudicio permissa est. Atque hi quẽadmodum voces de Seruatoris passione, de abiectione & exinanitione sui ipsius, de eius paupertate, aliasque, quibus tanquam aduentitijs se in sacris literis nostra causa describi passus est, memoria ideo tenent, vt eas citando summam eius & sempiternam diuinitatem deprauent: sic verba, quæ naturalem eius gloriam, nobilitatem, & æternam cum patre mansionem significanter exprimunt, penitus eorum animis exciderunt: cuius generis sunt illa: Ego & pater vnum sumus. Quam sententiam dum protulit Dominus, non se patrem appellauit, neque duas duarum personarum naturas vnam esse ostendit, sed quòd patris filius paternam effigiem accuratè seruare solet, quip-

Prouer. 8. Vide Hilar. & August. 2. Cor. 6. Prouer. 30. Rom. 3. Matth. 3. Psal. 2. Psal. 109. Gen. 6. Isa. 1. Ioan. 10.

let, quippe cum eius similitudinem in se à natura impressam habeat, & perfecta sit patris imago, & expressa figura exemplaris primarij. Vnde Dominus Philippo quodam tempore patrem eius videre cupienti, dicentiq; : Ostende nobis patrem, aperte commonstrat: Qui vidit me, vidit & patrẽ : quandoquidem pater per ipsum, velut per speculum purissimum idemque animatum in quo Dei exprimitur imago, manifestò cernitur. Filiũ porrò patri similem in psalmis pronuntiatũ memorant sanctissimi viri : in quibus scriptum est: In lumine tuo videbimus lumen. Quapropter qui honorat filium, honorat & patrem, idque planè merito. Nam omnis vox impia, quæ temere contra filium profertur, in patrẽ quoq; recidit. Atque nemini mirum debet videri fratres Charis. (hoc enim quoq; persequi animus est) si falsas confictasque tum contra me, tũ contra populũ nostrum sanctissimum criminationes deinceps exposuero. Nam qui aciẽ ad diuinitatẽ filij Dei oppugnandam instruxerint, non mirũ, si nos cõtumeliosis maledictis lacerare non vereantur. Qui etiã neminẽ volunt ex antiquis patribus sibi cõparari, neq; illis, quibus nos ab ineunte ætate vsi sumus præceptoribus, se pares existimari sinunt, imò verò ne vnũ quidem collegarũ nostrorum vel ad mediocrem sapientiam peruenisse censent, sed se solos sapientes, solos egestatem voluntariã sectantes, solos dogmatum inuentores, & sibi solis ea doctrinæ patefacta esse mysteria, quæ in nullius vnquam sub sole cogitationem ac mentem venerint, arbitrantur. O impiã arrogantiam, ò insaniã immensam, ò inanẽ gloriam cũ furore coniunctã, ò spiritus planè satanicos, qui impijs eorum animis velut callum malitiæ obduxere. Non diuina veterum scripturarum claritas vllũ ipsis incussit pudorem : non consentiens collegarum & pia de Christo doctrina eorum audaciam repressit : quorum scelus nefarium ne dęmones quidem, quippe qui sedulo caueant, ne vllam omnino maledicam & contumeliosam vocem contra filiũ Dei eloquantur, omnino ferre videntur. Ista à nobis pro virili nostra parte in prẽsentia allata sunt ad eos coarguendos, qui in tam inepta contra Christum disputandi materia, tanquam in puluere se exercent, & nostræ erga illum pietati falso obtrectare nituntur. Nam isti ridicularum fabularum inuentores asserunt nos, dum blasphemiam illam impiam & à nemine vnquam literis proditam, nimirum quæ Christum filium Dei ex nihilo ortum docet, auersamur, duo ingenita tradere : atq; quæ est eorum inscitia, dicunt necesse esse alterũ è duobus hisce statuere, nempe vel eum ex nihilo creatum, vel omnino duo esse ingenita : siquidem propter inertiam ignorant prorsus quantum intersit inter patrẽ, qui ingenitus est, & res ab eo conditas ex nihilo, siue rationis sunt participes illæ quidem, siue expertes. Inter quæ duo, natura vnigenita media interposita, per quam pater Dei verbi hanc vniuersitatem ex nihilo fabricauit, ex ipso, qui pater est, genita fuit : sicut ipse Dominus quodam in loco testatur his verbis : qui diligit patrem, diligit quoque filium, qui ex eo genitus est. De quibus nos sic credimus, vti apostolicæ placet ecclesiæ : in vnum nempe ingenitum patrem, qui nullam habet causam suæ essentiæ, qui nec conuerti nec mutari potest, qui similiter & eodem modo se habet, qui neque accessionis neque decessionis capax est, qui leges, prophetas, & euangelia nobis tradidit, qui deniq; patriarcharum, apostolorum, & omnium sanctorum Dominus est : Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, genitum quidem non ex eo, quod non est, sed ex eo qui pater est, neque id quidem more corporeo, per incisionem, aut diuisionum fluxiones, vti Sabellio & Valentino visum est, sed modo quodam, qui verbis explicari exprimiue omnino non potest, secundum illam prophetæ vocem, quam supra posuimus, generationem eius quis enarrabit, cum eius subsistentia à nulla natura mortali peruestigari queat : quemadmodum neque ipse pater à quoquã indagari, propterea quòd natura humana rationisque particeps cognitionem diuinæ à patre generationis comprehendere nequit. Quas res non par est, vt viri spiritu veritatis incitati, à me perdiscant, præsertim cum vox Christi de hac re vestris auribus circumsonet & doceat, nimirum, quod nemo nouit, quis sit pater nisi filius, & nemo nouit, quis sit filius, nisi pater. Hunc præterea agnoscimus perinde atque patrem, nec conuerti, nec mutari posse, nullius rei indigentem, perfectum filium similem patri, & ab eo solum, quia ingenitus sit, discrepantem. Nam est accurata & expressa patris imago. Atque constat imaginem plenè complecti debere eas omnes res, quibus exemplar ipsum, quod maius est, perfectius exprimatur. Sicut ipse Dominus docuit : Pater maior me est. Atque hac ratione inducti, filium è patre semper existere credimus. Est enim splendor gloriæ & character paternæ essentiæ. At nemo hanc vocem (semper) sic intelligat, vt per eam filius ingenitus existimetur, sicut isti putant, qui sensus animorum habent planè occæcatos. Nã neq; cum dicitur, *ERAT SEMPER, ET ANTE SECVLA*, idem est, quod ingenitũ. Imò verò neq; vlla vox, quam humana mens conetur effingere, exprimere potest, illud ingenitũ, adeo vt vos quoq; ipse fretus vestro recto de omnibus rebus iudicio: eodẽ modo illud ipsum accipere confidam, quandoquidẽ hæ voces, vim huius verbi ingeniti nullo modo exprimũt. Nã hæ tanquam temporũ quidem productionẽ videntur in se complecti, diuinitatem aũt vnigeniti, &, vt ita dicã, antiquitatẽ pro dignitate explanare nequeunt. Vnde euenit vt sancti viri cũ hoc mysteriũ explicare, singuli pro viribus, enixè cõtendant, veniã petant ab auditoribus, & apud illos non sine causa se excusare conentur : his ferè verbis: *Eatenus de his rebus instituimus, quatenus men-*

Horat.

1. Ioan. 5.

Isa. 53.

Luc. 10.

Ioan. 14.

Ioan. 24.

Heb. 1.

tus mentis nostræ vis consequi potest. Si qui sunt, qui expectent vocem vllam perfectiorem ore humano efferri, quã captus fert humanus, dicantque ea, quæ fuerant ipsis ex parte cognita iam obscurari, est sanè perspicuum quòd illud (Erat semper & ante secula) longe abest ab eo, quod illi expectant, quę quidem cuiuscunque generis sint, non sunt idem cum ingenito. Ac propterea & dignitas, quę est ingeniti propria, ei seruanda est, dicendumque nullam ipsi esse eius essentiæ causam, & honor filio debitus, ei tribuendus, assignandaque illi generatio à patre initio carens. Et cum hunc illi honorem quantum in nobis est tribuimus, has voces, *ERAT SEMPER, ET ANTE SECVLA* piè & sanctè, cũ de eo loquimur, proferimus : non tamen vt quicquam de eius diuinitate detrahamus, sed vt exquisitam omnino imagini, & figuræ patris attribuamus similitudinem, & ingeniti vocabulum patri, vtpote eius solum proprium ascribendum propterea existimemus, quòd seruator ipse dicit, Pater maior me est. Ac, præter istam piam de patre & filio sentẽtiam, vnum præterea spiritum sanctum, sicut nos docent sacrę literæ, confitemur, quod non modò sanctos homines veteris testamenti, sed etiam diuinos noui testamenti doctores innouauit. Ecclesiam porrò vnam solam catholicam & apostolicam agnoscimus, quæ sicut nunquam expugnari potest, etiam si totus mundus eam oppugnare instituat, sic omnem impiam hæreticorũ incursionem euincit ac profligat: quandoquidem eius dominus nos efficit satis animosos, dum clamat : Confidite, ego vici mundum. Quinetiã credimus, ex mortuis resurrectionem, cuius primitiæ fuit dominus noster Iesus Christus, qui corpus nõ specie adumbratum, sed verum ex Deipara Maria sumpsit, qui in fine seculorum inter homines ad delenda peccata versatus est, qui crucifixus est, & mortuus sine vlla ipsius diuinitatis imminutione, qui resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlos, & sedet ad dexterã maiestatis Dei. Ista quidem ex aliqua parte epistola complexus sum, quandoquidem singula accuratè literis persequi absurdũ, vt dixi, ideo sum arbitratus, quòd eædẽ res vestras pias ac studiosas mentes minimè fugiant. Ista docemus, ista prædicamus, ista sunt apostolica ecclesiæ dogmata, quibus mortẽ oppetere non dubitamus: neque quicquam moramur de illis, qui nos ad hæc eiuranda compellere student: & licet nos tormentis cogere aggrediantur, non tamen spem, quæ animis nostris insita est, abijciemus. Cui doctrinæ Arius, Achillas, & reliqui pariter veritatis hostes refragati, ecclesia exturbati sunt, quippe cũ sint à pia nostra doctrina prorsus auersi, iuxta illam beati Pauli sententiã: Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema esto, licet angelum è cœlo se esse simulet. Quinetiã si quis aliud doceat, & nõ accedat sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & doctrinæ, quæ secundum pietatem est, is inflatur, nihil sciens, & quæ sequuntur. Istos verò à fratribus anathemati ad dictos nemo vestrum excipiat, neque eorum verba, vel scripta audire sustineat. Omnia enim non aliter atq; præstigiatores ementiuntur: veritatem loqui nolunt. Nam per vrbes circumcursant, non alio quidem studio adducti, quàm vt amicitiæ & pacis nomine literas per simulationem assentationemque dent, accipiantque, quo per illas, in errorem mulierculas paucas peccatis onustas, quas dolo deceperint, facilius inducant, & quæ sequũtur. Quapropter istos, qui tot scelera contra Christum edere ausi sunt, qui religionem Christianam partim maledictis palàm concidere, partim in iudicijs qui tempore pacis, quantum in illis est, persecutionem cõtra nos cõcitare, qui denique arcanum Christi generationis mysterium eneruare impense laborarunt, istos inquam, fratres charissimi & fide nobiscum consentientes, auersati, vnà nobiscũ contra insanam eorum temeritatẽ ferte suffragia, non aliter atq; collegæ nostri rem ægre ferunt, qui epistolas cõtra istos scriptas ad me miserunt, qui libello aduersum eos edito subscripserunt : quæ omnia per filium meum Apionem diaconum ad vos misi: atque primum epistolas collegarum, qui sunt in Aegypto & Thebaide, deinde eorum, qui Lybiam, Pentapolim, Syriã, Lyciam, Pamphiliã, Asiam, Cappadociam, & alias regiones hisce finitimas incolunt : quorũ exemplum vos imitantes persuasum habeo ad nos itidem daturos literas. Et cum multæ aliæ curationes ad eos sanãdos, qui hoc errore vulnerati sunt, suppetebant, tum istud etiam remedium ad medicinam populo ab istis decepto faciendam inuentum est, si modò obtemperare voluerint, & cum consensum collegarum nostrorum intelligant, eorum hortatu ad pœnitentiam se sciò recipere. Salutate vos ipsos mutuò vnã cum fratribus, qui vobiscũ sunt. Opto vos, fratres charissimi, tum in Domino valere plurimum, tum fructum ex vestro pio in Christum animo percipere. Sunt autem hęretici anathemate damnati, ex numero presbyterorum Arius, ex diaconorum autem Achillas, Euzoius, Aethales, Lucius, Sarmates, Iulius, Menas, Arius alter, & Helladius. Literas etiam in eandem sententiam scripsit idem Alexander ad Philogonium Antiochenæ ecclesiæ antistitem, ad Eustathium, qui id temporis Berææ rexit ecclesias, & ad alios, qui erant dogmatum apostolicorũ patroni. Quin Arius ne se continere quidem potuit, sed scripsit etiam ipse ad eos, quos suæ opinioni se censuit habere consentientes. Quòd vero nihil falsi contra eum diuinus scripserit Alexander, Arius ipse literis, quas dedit ad Eusebium Nicomediæ Episcopum, locuples testis est. Itaque ponam hoc in loco eius epistolam, vt impietatis eius socios velut ante oculos eorum, quibus sunt ignoti statuam.

2. Tim. 3.

Galat. 1.

1. Tim. 6.

Arij epistola ad Eusebium Nicomediensem Episcopum. CAP. V.

Arij Epistola.

Eusebio, domino suo amantissimo, homini Dei, fideli, orthodoxo, Arius quem Alexander Papa iniuste insectatur ob veritatem, quæ vincit omnia, & quam tu strenuè propugnas, in Domino S.

CVm pater meus Amonius Nicomediam iter faceret, officij mei ratio postulare videbatur, vt te per eũ compellarem, simulque etiam amorẽ tibi insitum & beneuolum animum, quo fratres propter Deũ & Christum eius complecti soles, tibi in memoriã propterea reuocarem, quòd episcopus Alexander graui ter nos oppugnare, persequi, & omnẽ, vt dicitur, rudentem contra nos mouere cœperit, eo quidem animo vt nos velut homines impios è ciuitate ideo expellat, quòd ei minimè assentimur, publicè prædicanti in hunc modum: Semper Deus, semper filius: simul pater, simul filius: simul cum Deo patre ingenito filius est: semper genitus est: ab ingegenito genitus est: & tamen neque cogitatione, neque indiuiduo aliquo temporis puncto Deus pater filium antegressus est: Sed semper Deus pater, semper filius: ex ipso Deo patre existit filius. Ac quoniam Eusebius frater tuus, episcopus Cęsareæ, Theodotus, Paulinus, Athanasius, Gregorius, Aëtius, & omnes denique orientales affirmant Deum patrem filium sine principio antegressum, anathema illis denuntiatum est, exceptis solum Philogonio, Hellanico & Macario hæreticis, qui de fide minus rectè instituti sunt: quorum vnus filium eructationem, alter productionem, tertius eum vnà cum patre ingenitum asserit. Quas impietates ne audire quidem possumus, etiam si hæretici mille mortes nobis minarentur. Nos autem quæ sit nostra sententia sensusque & docuimus, & docemus: filium nimirum neque ingenitum esse, neque partem ingeniti vllo modo, neq; ex vllo subiecto, sed voluntate & cõcilio ante tempora, & ante secula plenum Deum extitisse, vnigenitum, immutabilẽ, & antè, quàm gigneretur, aut conderetur, aut prefiniretur, aut fundaretur, non fuisse. Nam ingenitus non erat. Exagitamur igitur, quod filiũ principium habere, Deum patrẽ carere principio dicimus. Atque tum hac de causa, tum cp dicimus eum ex nihilo constare, nos persequuntur aduersarij. Istud verò sic ideo asseruimus, quòd non sit pars Dei patris, neque ex vllo subiecto existat. Hac de re nos insectantur: nosti tu ipse cætera. Te Eusebi, qui non immemor es nostrarum afflictationum, quique veræ Colluciani sta es, opto in Domino valere plurimum. In numero eorum, quos iste recẽsuit, erat Eusebius episcopus Cæsariæ, Laodiceę Theodotus, Paulinus Tyri, Anazarbi Athanasius, Gregorius Beryti, & Aëtius Lydæ episcopus. Est autem Lyda ciuitas, quę iam vocatur Diospolis. Istos quidem solos se suo errori habere assentientes admodum gloriabatur Arius. Aduersarios autem vocauit Philogonium Antiochiæ præsidem, & Hellanicum Tripolis, & Hierosolymorum Macarium: hosque falsò in crimen adducere propterea laborauit, quòd filium Dei cum æternũ & ante secula esse dixerunt, tum eiusdem cum patre honoris participem & ei consubstantialem esse. Hanc eius epistolam cum accepisset Eusebius, cœpit ipse quoque virus suæ impietatis euomere. Itaque ad Paulinum Tyri antistitem scribit ad hunc modum.

Eusebij episcopi Nicomediensis ad Paulinum episcopum Tyri epistola. CAP. VI.

Domino suo Paulino Eusebius in domino S.

NEque studium Domini mei Eusebij pro veritatis defensione susceptum, neq; tua de eadem re, Domine mi Pauline, reticẽtia, in silentio quidem iacet, sed ad nostras vsque aures vtrunque perlatum est. Atque vti erat planè consentaneum, de Eusebio quidem domino meo, magnam lætitiam, de te autem dolorem non mediocrem cepimus, prę sertim cum coniectura auguraremur eiusmodi viri, silentio nos prorsus causa casuros esse. Quapropter obsecro te, vt cum scias, quàm virum prudentem dedeceat, ea quæ sunt à veritate aliena tueri, quæ autẽ vera ea reticere, ad scribendum, vbi rationem spiritu diuino ad eam rẽ præparaueris, te ponas de hac quidẽ materia, quæ & tibi possit esse & tuis auditoribus emolumento: præsertim si sacrã scripturam & verborum illius & sententiarum quasi vestigia sedulo sequens, ad scribendum animũ induxeris. Neque enim de duobus ingenitis nos audiuimus, neque vnum in duo diuisum, neq; illud vllam corpoream affectionem subijsse didicimus credidimúsue, Domine mi Pauline, sed vnum ingenitum, vnum ex eo vere, sed non ex substantia eius genitum, naturæ ingeniti omnino & eius essentiæ expers: atque quod genitum erat, natura & facultate prorsus diuersum, factum tamen ad perfectam affectionis & facultatis procreatoris similitudinẽ: cuius principium non modo nõ posse verbis exprimi, sed ne cogitatione quidem non dicã, humana, sed ne eorum quidẽ omnium, qui longè supra hominem putandi sunt, comprehendi credimus. Atque ista sanè non è nostris rationibus deprompta esse, sed ex sacris literis nos didicisse affirmamus, indeq; cognouisse filium essentia sua conditum, fundatum, genitum, natura esse immutabili inexplicabilique, & similitudine procreatoris sui, vt ipse dominus ait: Deus condidit me in initio viarum suarum, & ante secula fundauit me, & ante omnes colles genuit me. Quod si filius ex patre est, hoc est, vel vt pars ipsius, vel vt ex fluxione essentię: quòd si ita esset, neque conditus neque fundatus amplius diceretur, quod te reuera domine Pauline minimè fugit. Nam illud, quod existit ab ingenito, non amplius vel ab alio, vel ab eodẽ condi, aut fundari potest, cum sit ab initio ingenitum. Quod si, quia genitus dicitur, indicio vlli sit, quòd ex paterna essentia genitus est, & quod ex eo habet eandem cum eo naturam, pro certo scimus scripturam nõ de eo solo, sed de alijs rebus omnino natura disparibus hanc vocem, genitũ vsurpare solere. Nam de hominibus quoque sic loquitur: Filios genui & exaltaui, & ipsi spreuerunt me: & rursum. Deum, qui te genuit deseliquisti. Alio item in loco sic ait: Quis est, qui genuit stillas roris? quibus in locis non naturam ex natura procreatam ostendit, sed singulas res genitas ex voluntate illius ortum habuisse. Nam nihil ex eius substãtia gignitur, sed vnumquodque voluntate eius gignitum, sicut genitum est, existit. Ipse enim Deus est: illa autem, quæ sunt ad similitudinem eius creata, verbo illius similia futura sunt: & ipsius voluntate genita, omniaq; per ipsum à Deo patre facta sunt: omnia denique ex Deo. Quas rationes cum acceperis, easque pro gratia, quæ tibi diuinitus suppetit, expoliueris, fac vt domino meo Alexandro scribas. Nam persuasum habeo, si ad illum scripseris, te eum de sententia deducturum. Saluta omnes fratres in domino. Diuina gratia te, vt pro nobis ores, Domine mi, diu valentem seruet. Literis eiusmodi vltro citroque datis acceptisque, isti se ad bellum contra veritatem armarunt. Proinde cum semina blasphemiæ in ecclesijs Aegypti, & Orientis ad hunc modum sparsa essent, in singulis quoque vrbibus & pagis discordiæ & pugnæ de sacris ac diuinis dogmatibus excitatæ. Imperita autem multitudo tum spectatrix factorum, tum verborum iudex fuit. Ac pars horum, pars illorũ approbauere sententiam. Res aũt gestæ non tragœdia solum, sed lugubri etiã fletu dignæ visæ sunt. Nam non peregrini & hostes, sicut olim, ecclesias oppugnare, sed eiusdem tribus homines, eiusdem tecti, atque adeo eiusdem mensæ participes contra se ipsi linguas, hastarum loco, exacuere: imò verò etiam cum membra essent in vnum corpus coagmentata, arma aduersum se mutuò ferre cœperunt.

Prouerb. 8.

Isai. 1.

Deut. 32.

Iob. 38.

Quæ res in celebri Nicæno concilio gerebantur. CAP. VII.

QVibus rebus cognitis, Imperator sapientissimus primum ipsum malorum fontem obstruere laborat: & ob eã causam mittit quendam hominem ingenio præstantem cũ literis Alexandriam: atq; eo pacto tum contentionis incendium extinguere nititur, tum spem animo capit se fratres seditione exæstuantes ad concordiam posse reducere. Verùm vbi spes eum fefellerat, celebre illud Nicęnum concilium cogit, & publicos asinos, mulas, & mulos, quinetiam equos episcopis & comitibus suis ad iter faciendum vtendos dat. Simulatque autem in vnum fuere congregati omnes, qui itineris molestias ferre poterant, Imperator quoque venit Nicæam, tum quòd episcoporum cupiebat videre multitudinem, tum quòd inter eos concordiã instituere desiderabat, atque statim res omnes necessarias illis suppeditari iubet. Trecenti decem & octo episcopi ibi in vnum conuenerant: episcopus autem Romanus propter ætatem admodum ingrauescentem abfuit. Verùm duos illò misit presbyteros, potestate illis cõcessa actis illius concilij assentiẽdi. Erant eo tẽpore multi etiam viri, quos dona planè apostolica magnopere cõmendabant: multi etiã qui stigmata domini Iesu, vt diuus ait Apostolus, in corpore gestabant. Nam Iacobus episcopus Antiochiæ vrbis Mygdoniæ (hanc autem Syri & Assyrij Nisibin appellant) vixit id temporis: qui & excitauit mortuos inque numerum viuorum restituit, & infinita alia edidit miracula, quæ in hoc rursus opere inserere superuacaneum arbitror, præsertim cũ sint à me in historia, quæ Philotheus inscribitur, commemorata. Paulum præterea episcopum Neocæsareæ (est hoc quidem castellum ad Euphratis littora situm) Licinij rabies tunc acerbe torserat. Nam primum ambæ manus ei colligatæ erant: deinde ferrum candens illis admotum, quo nerui, quibus articuli commoueri solent, contracti labefactatique fuerunt. Alij erant, quibus oculi dextri fuere effossi. Alij, quibus dextrorum pedum flexiones debilitatæ. Ex quorum numero fuit Paphnutius Aegyptius. Ad summam ibi videre licebat multitudinem martyrum in vnum coactam. Neque tamen diuinus iste & venerandus cœtus hostibus Dei caruit, sed aderãt quidam, licet pauci numero, ijque veteratores: qui maris breuia imitati, calliditatem suam occultarunt, & Arij blasphemijs, quamuis non palam & aperte, occulte tamen patrocinati sunt. Itaq; cum omnes Niceę conuenissent, Imperator aulã illis in palatio præparauit maximam, iussitque tot scamna atque sedes in ea locari, quot Episcoporum cõuentui satis esse possent. Loco igitur ad hunc modum ipsis honorificè parato, intrare permisit, & de rebus propositis consultare. Ille ipse Imperator postremus cum paucis se comitãtibus ingressus est: cuius corporis proceritas summè laudanda fuit, cuius pulchritudo excellens maximè, cuius pudor, qui in vultu insidebat, planè admirabilis. Deinde sella parua in medio posita, (istud enim sibi permitti ab episcopis postulauerat) consedit: & omnis diuinus ille cœtus se pariter in sedibus collocauit. Statim vt sessum est, Eustathius ille magnus (qui Philogonio, cuius suprà mentionem feci, ex hac vita ad aliam meliorem translato, episcopatum ecclesię Antiochenę obtinuit: quippe hunc Episcopi & sacerdotes & vniuersus populus Christo deditus communibus suffragijs inuitum ecclesiam illam pro Philogonio pascere coegerunt) ille inquam Eustathius Imperatorem laudis insignibus ornare, & ei pro singulari suo studio ergares sacras eximia gloriæ præconia tribuere cœpit. A quo cum esset peroratum, Imperator omni genere laudis illustrissimus, verba facere de concordia & consensu animorum, in memoriã eis redigere tum crudelitatis tyrannorum, tum præclarissimæ pacis suis temporibus diuinitus ecclesiæ donatæ: ostendere etiam quàm grauesf

Galat. 6.

vel rauceditatem simulatione imitantes. Nã quædam exemplaria habẽt βράγχη

ue esset, imò verò quàm acerbum, hostibus iam profligatis & nemine ex aduerso se opponere audente, vt ipsi se oppugnarent mutuo, & lętitiam inimicis atq; adeo risum præberent: pręsertim cum de rebus diuinis disputarent, haberentq; doctrinam sacratissimi spiritus literarum monumentis proditam. Nam libri, inquit, euangelistarum & Apostolorum, quinetiã veterum Prophetarum oracula nos euidenter docent, quid de diuino numine sentiendum sit. Omni igitur seditiosa contẽtione depulsa, literarum diuinitus inspiratarum testimonijs res in quæstionẽ adductas dissoluamus. Ista, aliaque de genere eodem, dum doctrinę Apostolicæ consensum stabilire moliretur, tanquam filius patris amantissimus Episcopis & sacerdotibus, velut patribus proposuit. At quanquam maxima pars concilij verbis eius obtemperauit, & mutuam concordiam, doctrinamque sanam amplexata est, tamen pauci quidam, quorum suprà feci mentionem, & præter eos Menophantus Ephesius, Patrophilus Scythopolitanus, Theogonius ipsius Nicææ Episcopus, Narcisus Episcopus Neroniadis (est autem Neronias minoris Ciliciæ vrbs, quam Irenopolim iam vocamus) & cum his vnà Theonas Marmaritanus, & Ptolemaidis Aegyptiorum Secundus, Arij patrocinio suscepto, doctrinæ apostolicæ contradixerunt. Quinetiam fidei formulam, quam composuerant, concilio proposuerunt: quæ, vt primum perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam & commentitiam esse vociferabantur, illico discerpta est. Ac cum ingens tumultus esset contra eos concitatus, & omnes eos vt pietatis proditores insimularet, metu perculsi exurrexere: atque ipsi primi omnes vnà, solis Secundo & Theona exceptis, sententiam excommunicationis contra Arium pronuntiauere. Quocirca impio illo ecclesia exturbato, fidei formula, quæ adhuc in ecclesijs seruatur, communi consensu composita, & subscriptionibus omnium confirmata, concilium dimissum est.

Eorum qui Ario fauebant ex Eustathij & Athanasii commentarijs reprehensio.

CAP. VIII.

VErùm enimuero Episcopi, quorum nomina suprà citauimus, veteratoriè & parum syncerè huic fidei formulæ consenserunt. Quod quidem ita se habere testimonio esse possunt cum insidiæ, quas ipsi postea contra pietatis propugnatores struebant, tum libri, quos hi contra eos ipsos ediderunt. Nam Eustathius ille ecclesiæ Antiochenæ Episcopus, cuius ante facta est mentio, vbi res ab illis gestas docuit, & blasphemiam in Deum refutauit, & interpretatus est denique sententiam illam, Prouerbiorum, quæ ita habet: Dominus condidit me in initio viarum suarum ad opera sua, ista, quæ sequuntur scribit. Abeo, inquit, ab his, & ad acta concilij venio. Quid ergo? Vbi his de causis Nicæam aduentauit maximus episcoporum cœtus, numero ducentorum & septuaginta minimum in vnum coactorũ (nam propter ingentem eorum multitudinem nihil certi de numero scribere possum: quandoquidem in eo curiose vestigando minimè laboraui) vbi etiam de fidei modo quæri cœptum est, Eusebij blasphemia per suas ipsius literas satis perspicua deprehensa fuit: quæ quidem literæ, vbi fuere perlectæ, sicut auditoribus immensum dolorem propter eius de ecclesia decessionem, sic earum authori insanabile dedecoris vulnus intulerunt. Ac tametsi iam impia Eusebij officina patefacta erat, & nefariæ eius literæ in omnium conspectu discerptæ, tamen quidam fraudulẽter nomine pacis simulato, omnes qui præclarissimè concionari solebant, silere compulerunt. Qui autem apertè Arij insaniam sectabantur, ij veriti, ne authoritate tanti concilij in vnum coacti in exilium eijcerentur, procedentes in medium, ipsi vetitum Arij dogma damnãt anathemate, & literis de fide omnium consensu compositis sua manu subscribunt. Verùm vbi Episcopatus huc illucque quantum fieri poterat circumcursando adepti sunt, cum iam ob errorem suum se acerbè afflictare & humi abijcere debuissent, opiniones, quas damnauerant, primum ex occulto, deinde palam propugnare varijsque argumentis eas fallaciter roborare cœperũt. At verò constituerent zizaniorum plantas altius in animis hominum & firmius inserere, tamen metuebant exploratores, & eos, à quibus suũ errorem deprehendi posse putauerant, sedulo vitabant. Qua causa inducti, pietatis præcones expugnare conabantur. Cæterùm nos longe ab eo absumus, vt credamus diuinum numen ab impijs hominibus posse superari. Nam vt denuo vires recuperent, denuo tamẽ profligabuntur, vt præclarè apud Esaiam prophetam scriptum legimus. Hactenus magnus ille & illustris Eustathius. Athanasius autem eiusdem cum eo certaminis particeps, & strenuus veritatis propugnator, qui Alexandro illi nunquam satis laudato in Episcopatu Alexandrino successit, in literis, quas scripsit ad Afros, ista memorat.

Cum Episcopi, qui in vnum conuenerant, haberent in animo impias voces ab Arianis inuentas tollere, nimirum, filium Dei ex nihilo genitum, creatum esse, factum esse, & tempus fuisse, quando non erat, & natura esse mutabili, & voces scripturarũ omnium: consensu approbatas in earum locum reponere, nempe filium ex Deo natura vnigenitum esse, verbum, virtutem, sapientiam solam patris, Deum verum, vti loquitur Ioannes, & sicut Paulus scribit, splendorem gloriæ, & formam paternæ essentiæ, Eusebius eiusque fautores peruersa sua opinione à vero abducti, dixere inter se: hisce consentiamus. Etenim nos quoque ex Deo sumus. Vnus namque Deus, ex quo omnia, & rursus: Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia: Omnia

Prouerb. 8.

Heb. 1.

2. Corinth. 5

Omnia autem ex Deo. Quinetiam pro se citarunt sententiam libri, qui Pastor inscribitur, quæ ita se habet: Primum omnium credito vnum esse Deum, qui omnia condidit, & absoluit, & ex eo quod non est, effecit vt essent. At verò alij Episcopi, astutia eorum, & perdito impietatis ac fraudulento conatu exploratè cognito, planius explicarunt illud, *EX DEO ESSE*, scripseruntque filium ex Dei essentia esse, vt tum creaturæ, propterea quòd non ipsę ex se, aut sine causa ortæ sint, sed principium ortus sui habeant, ex Deo esse dicãtur, tum filius solus existimetur propriè ex patris essentia constare. Hoc enim vnigeniti, & veri verbi Dei patris proprium est. Quod autem ab Episcopis scriptum est, *EX PATRIS ESSENTIA*, hæc causa fuit. Rursus cum pauci, qui Ariani putabantur, rogarentur ab Episcopis, vtrùm dicerent filium non creaturam esse, sed virtutem, sapientiamque solam patris, æternam atque adeo cumulatè perfectam patris imaginem, & Deum verum, manifestò tenebantur Eusebiani nutu sibi inuicem significasse, hæc etiam in nos cadere. Etenim nos imago & gloria Dei dicimur: Et de nobis dictum esse: semper & nos, qui viuimus: & multę virtutes sunt. Quinetiam illud. Exijt omnis virtus Dei è terra Aegypti. Itemque brucus & locusta dicitur potentia magna. Alio quoque in loco. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster, Deus Iacob. Quinetiam nos prope ex Deo esse, non possumus, inquiunt, simpliciter dicere: sed quòd fratres etiam vocauit. Quod si filium verum Deum dicant, illud nos minimè conturbat. Nam qui verè factus sit, verus est. Atque ista quidem est deprauata Arianorum sententia. Verùm Episcopi, cum eorum fraudes perspectas haberent, has voces, *SPLENDOR, FONS, FLVVIVS, FORMA ESSENTIAE, &, IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN, &, EGO ET PATER VNVM SVMVS*, ex scripturis collegere, atque de reliquo scripsere apertius & breuius, filium patri consubstantialem esse. Nam voces suprà positæ hanc eandem habent vim. Quòd autem obstrepunt, has voces in scripturis non reperiri, frustrà sane ac temerè obstrepunt. Nam illi ipsi ex vocibus non scriptis in impietatẽ delapsi, voces quoque non scriptas, nimirum, *FILIVM EX NIHILO CREATVM, &, TEMPVS FVISSE, QVANDO NON ERAT*, ad suum errorem confirmandum afferunt. Quapropter ex non scriptis vocibus, piè tamen excogitatis condemnati sunt. Ipsi enim voces sui erroris ex stercore eruentes, vti verè terrenos decebat, locuti sunt. Episcopi autem non suopte ingenio verba excogitantes, sed à patribus petentes testimonia, sic scripserunt. Nam erãt Episcopi veteres ante annos ferè centum & triginta tum Romæ vrbis præpotentis, tum in nostra ciuitate, qui criminabantur eos, à quibus filius factus dicebatur, & non consubstantialis patri. Quod quidem intellexerat Eusebius episcopus Cęsareę, qui quanquam antè deflexerat ad hæresin Arianam, postea tamen concilio Nicæno subscripsit: atque adeo suæ ecclesiæ per literas confirmauit, se plane animaduertisse hoc verbum ὁμοούσιον, id est consubstantiale, à veteribus Episcopis & scriptoribus, ijsque disertis & illustribus in diuinitate patris & filij explicanda vsurpatum esse. Hęc Athanasius. At verò isti, erroris sui morbo occultato, (Episcoporum namque multitudinem extimescebant) decretis in concilio editis assensi sunt: sicque reprehensionem prophetæ in se ipsi deriuarunt. Ita namque contra eos auctor rerum vniuersarum Deus vociferatur: Populus iste labijs me honorat, cor eorum longe est à me. Theonas autem & Secundus, quoniam illud ipsum facere recusabant, communi omnium consensu abdicati sunt, vtpote Arij blasphemiã euangelicæ doctrinæ præferentes. Episcopi rursus in concilium conuenientes, de administratione ecclesiastica leges seu Canones viginti conscripsere.

Eusebius pro Ariis aeternus pro proprie legit Niceph. lib. 8. cap. 21.

Psal. 45.

Psal. 35.

Ioan. 10.

Mare. 7.

Isai. 29.

Quæ contra Meletium Aegyptium acta fuerunt, à quo Meletiani schismatici qui ad hunc vsq; diẽ permanent, emanarunt, & synodica de illo epistola.

CAPVT IX.

QVoniam autem Meletius, qui non multò ante tempus, quo insanus Arij error cœptus est, episcopus delectus fuerat, quique postea ob quasdam nefarias opiniones à sanctissimo Petro Episcopo Alexandrino, cui corona fuit donata martyrij, refutatus erat, & episcopatu abdicatus, quoniam, inquam, abdicationis non acquieuit sententiæ, sed Thebaidem & Aegyptum ei finitimam tumultu ac procellis cõtentionis refersit, & tyrannidem contra primatem Alexandrinum exercuit, idcirco Episcopi scripsere epistolam ad ecclesiam Alexandrinam, qua planè quid de isto Meletio nouas res molienti statuissent, significarunt: cuius exemplar infra posuimus.

Epistola concilij Nicæni.

Sanctæ eximiæq; Dei gratia Ecclesiæ Alexandrinæ, & dilectis fratribus Aegyptum, Lybiam & Pentapolim incolentibus, Episcopi Nicææ coacti, & ad amplum sanctumq; concilium conuocati in Domino salutem.

QVoniam Dei gratia, & mandato sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex varijs prouincijs & ciuitatibus in vnum congregauit, magnum & sanctum concilium Nicænum coactum est, necessarium videtur, vt à toto sacro concilio literæ ad vos mittantur, ex quibus possitis intelligere, cum ea, quę in controuersiam adducta, & exquisite disceptata sunt, tum quæ decreta, & constabilita. Primum impia, & peruersa dogmata Arij, eorumque, qui eius sectam sequuntur, coram sanctissimo Imperatore Constãtino perquisita sunt: vnde placuit concilio communibus suffragijs anathema denũtiare eius nefariæ

farię opinioni, & verbis ſententijsque execrabilibus, quibus vſus eſt ad filiũ Dei blaſphemijs afficiendum: nimirum, Eum ex nihilo ortum eſſe: nec fuiſſe, antequam natus eſſet: fuiſſe tempus aliquando, cum non eſſet: filium Dei libera voluntate & arbitrio, vitij & virtutis capacem eſſe: creaturam eſſe: factum eſſe. Quibus omnibus ſanctum concilium indicit anathema: imò verò ne pati quidem poteſt, vt vel impia eius opinio, vel inſolens ipſius amentia, vel verba plena blaſphemiæ ad aures perueniant. Quinetiam ea, quæ ad iſtum pertinent, quem ſint exitum conſecuta, omnino vos vel audiuiſtis, vel ſaltem à nobis audietis, ne nos hominem, qui debitam mercedem ſuæ culpæ acceperit, temere & ſine cauſa inſectari videamur. Eousque certe eius prorupit impietas, vt Theonã Marmaricæ Epiſcopum, & Secundum Ptolemaidis ad exitium ſecum perduceret. Nam eaſdem cum illo pœnas ipſi luebãt. Verùm cum Aegyptus non modò illa opinionis peruerſitate, impietate, & blaſphemia, ſed etiam certis hominibus, qui in populo vitam ante illud tempus pacatè & tranquillè degente ſeditionem & diſcordiam concitare non veriti eſſent, Dei gratia penitus liberata eſſet, tamen adhuc pertinax inſcitia tum Meletij, tum eorum, quibus honores eccleſiaſticos detulerat, reſtabat: de qua re quid concilium decreuerit, fratres chariſsimi, ſic habetote. Concilium clementius aliquanto in Meletium animatum (nam ſi accuratè in eum inquiſitum fuiſſet, nihil certe commeruiſſet veniæ) decernit, vt in propria ac ſua ciuitate remaneat, nullamque habeat poteſtatem vel cuiquam manus imponendi, vel quẽquam ad aliquod munus eccleſiaſticum deligendi, vel in alienam regionem, ciuitatémue eius rei gratia commeandi, ſed vt ſolum dignitatis & officij nomen retineat: illi autem, qui ab eo presbyteri deſignati ſunt, ſimul atq; ſanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in eccleſiæ communionẽ admittantur: nimirum, vt eccleſiaſticæ dignitatis & miniſterij gradum habeant illi quidem, ſed tamen omnibus presbyteris in ſingulis prouincijs & eccleſijs verſantibus, qui ſunt ab honoratiſsimo viro & collega noſtro Alexandro ordinati, ſint omnino inferiores. Quinetiam vt nulla illis poteſtas ſit, eos miniſtros eccleſiæ deſignandi, qui ipſorum probentur arbitrio, neq; nominationem penes ſe habeant eorum, qui ſint ad eccleſiæ munera obeunda deligendi, neque quicquam abſque conſenſu epiſcoporum catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ qui ſub ipſo Alexandro ſunt, omnino tranſigant. Hi aũt qui Dei gratia & veſtris precibus adiuti, ad nullũ ſchiſma deflexiſſe comperti ſint, ſed ſe intra catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ fines ab erroris labe vacuos continuerint, authoritatem habeant tum miniſtros ordinandi, tum eos, qui clero digni fuerint, nominandi, tum denique omnia ex lege & inſtituto eccleſiaſtico liberè exequendi. Quòd ſi qui fortè eorum, qui eccleſiæ fungantur muneribus, diem ſuum obibit, tum vnus ex illis, qui nuper in eccleſiam aſciti ſunt, modò idoneus videatur, & populus illum eligat, Epiſcopusque Alexandriæ ei ſuffragetur, atque adeo populi electionem confirmet, in locum ſuccedat demortui. Atque ſit iſtud alijs quidem omnibus conceſſum, de Meletio autem nominatim aliter deciſum eſt, vt videlicet cum propter inſolentem audaciam, qua antea eccleſiæ ſtatum perturbauerit, tum propter temeritatem & mentis inſcitiam, quam palam oſtenderit, nulla poteſtas, authoritaſue ei tribuatur: quippe cum homo is ſit, qui eandem perturbationem in eccleſiam denuò poſſit inducere. Atque iſta decreta ad Aegyptum, & ſanctiſsimam eccleſiam Alexandrinam proprè ac ſeparatim referuntur. Quòd ſi aliud præterea quippiam, dum honoratiſs. Dominus, collega & frater noſter Alexander vnà adeſt, ſancitum & ſtatutum fuerit, ipſe vtpote qui rebus deciſis cum præfuerit, tum communicarit vobis accuratius renuntiabit. Quod autem ad omnium conſenſum de ſacratiſsimo feſto Paſchatis celebrando attinet, ſcitote quòd veſtris precibus controuerſia de ea re ſuſcepta, prudenter & commode ſedata eſt: ita vt omnes fratres, qui orientem incolunt, quique Iudæorum conſuetudinem ante in eo feſto obſeruando imitari ſolent, iam Romanos, nos, & omnes vos, qui eundem morem, quem nos, in illo recolendo à primis temporibus tenuiſtis, ſunt conſentientibus animis in eodem celebrando deinceps ſedulò ſecuturi. Quocirca vos cum ex his rebus tam proſperè geſtis, tum ex pace & concordia communiter inter omnes conſtituta, tum denique quòd omnes hæreſis quaſi fibræ radicitus exſtirpatæ ſunt, lætitiam capientes, maiore honore, & amore ardentiore Alexandrum collegam noſtrum, & veſtrum Epiſcopum complectimini. Qui dum aderat, nobis permagnæ voluptati fuit, permultumq; laboris, vt in ea ætate ſuſcepit, quò eccleſiæ veſtrę ſtatum ad tranquillitatem traduceret. Pro nobis omnibus etiã preces ad Deum fundite, vt quæ ritè conſtituta & decreta ſint, ea rata ſtabiliaque permaneant, Dei patris omnipotẽtis, & Domini noſtri Ieſu Chriſti auxilio, vnà cum Spiritus ſancti gratia, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Trinitas Conſubſtantialis & æterna.

At quanquam diuinus ille Epiſcoporum cœtus morbo, quo Meletius laborabat, hanc adhibuit curationem, tamen ad hodiernum diem illius ſtupiditatis reliquiæ remanent: ſuntque in illis locis quædam Monachorum turbæ, quæ non ſanæ aſſentiuntur doctrinæ, ſed vitæ rationem inanibus quibuſdam inſtitutis informatã ſequuntur, & inſanæ Samaritanorum & Iudæorum dementię ſe addicunt.

Imperatoris Conſtantini ad Epiſcopos abſentes de ijs quæ in concilio ſtatuta erant epiſtola.

CAPVT X.

Porrò

Porrò autem præpotens ipſe Imperator ſcripſit epiſtolam, qua Epiſcopos, qui ad concilium accedere non poterant, de rebus in eo geſtis certiores faceret. Quam quidem duxi operæ precium in hiſtoria noſtra intexere, propterea quòd pius ſcribentis animus in ea planiſsimè oſtenditur.

Epiſtola Conſtantini.

Conſtantinus Auguſtus Eccleſiis, S.

CVM ex florenti & proſpero Reip. ſtatu quanta ſit diuinæ virtutis erga nos benignitas, compertum haberem, iſtud omnium maximè mihi propoſitum putaui, vt in ſanctiſsima catholicæ eccleſiæ multitudine, vna fides, ſincera charitas, & conſentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus ſeruaretur. Verùm quoniam iſtud non poterat in loco tuto firmoque collocari, niſi vel omnes epiſcopi, vel maxima eorum pars in vnum conueniſſet, ſingulique ſuum iudicium de rebus ad ſacratiſsimam religionem pertinentibus interpoſuiſſent, eam ob cauſam, cum cœtus, quantũ fieri poterat, maximus coactus eſſet, ipſe tanquam vnus è veſtrũm numero vnà adfui. Neque enim recuſabam (ex qua re iam maximam capio lætitiam) me vobiſcum in eo miniſterio coniungere. Atque vſque eo de omnibus rebus accuratè quæſitum eſt, quoad ſententia Deo omnium contemplatori grata acceptaque propter concordiam & animorum conſenſum palam pronunciata eſſet: ſic vt nihil, quod vel ad diſcordiam, vel ad fidei controuerſiam ſpectaret, omnino in poſterum reliquum fieret. Ibi cum de ſanctiſsimo feſto die Paſchatis diſceptaretur, communi omnium ſententia rectum eſſe videbatur, vt omnes vbique vno eodemq; die illud celebrarent. Quid enim præſtabilius, quidũe auguſtius eſſe poterat, quàm vt hoc feſtum, per quod ſpem immortalitatis nobis oſtentatam habemus, vno modo & ratione apud omnes continenter obſeruaretur. Ac primum omnium indignum planè videbatur, vt ſacratiſsimum iſtud feſtum, Iudæorum ritum & conſuetudinem imitantes ageremus: qui quidem quoniam ſuas ipſorum manus deteſtabili ſcelere polluerunt, cœco animorum errore irretiti merito tenẽtur. In noſtra enim ſitum eſt poteſtate, vt illorum more reiecto, veriore ac magis ſincero inſtituto (quod quidem vſque à prima paſsionis die hactenus recoluimus) huius feſti celebrationem ad poſterorum ſeculorum memoriam propagemus. Nihil igitur ſit nobis commune cum Iudæorum turba omnium odioſa maximè. Aliam enim viam quam inſiſtamus, à Seruatore didicimus. Proponitur namque ſanctiſsimæ noſtræ religioni curſus quidam & legitimus & decorus. Hunc igitur conſentientibus animis mordicus tenentes, Fratres honoratiſsimi, ab illa nefaria Iudæorum opinione nos ipſos remoueamus. Eſt enim reuera abſurdiſsimum, vt illi inſolenter ſe iactent, nos abſq; ipſorum diſciplinæ ſubſidio, iſtas res nullo modo poſſe obſeruare. Quid tandem eſt, de quo illi rectè ſentire queant, qui poſt necem Domino illatam, poſt parricidium illud nefandum ex mentis ſtatu deturbati, non ratione vlla, ſed temerario animorũ impetu, quocunque inſita ipſis & innata inſania rapiat, feruntur? Hinc etiam exiſtit, quòd ne in hac quidem parte veritatem perſpiciant: quippe cum præ errore longiſsimè euagantur, pro conuenienti emendatione eodem anno alterum Paſcha celebrant. Proinde quid eſt cur iſtos imitemur, quos graui erroris morbo laborare conſtat? Eodem namque anno idem feſtum denuo recolendo renouari non permittemus. Verùm quamuis iſta non à me fuiſſent propoſita, tamen veſtræ ſolertiæ eſſet, cum diligentiam adhibere, tum precibus ſem per optare, vt nulla de cauſa veſtrorum animorum integritatem nequam hominum moribus admiſcere cogamini. Porrò illud etiam facile poteſt intelligi, maximum nefas eſſe, vti in tanto & tam ſolenni religionis noſtræ teſto regnet diſſenſio. Vnum enim libertatis noſtræ diem feſtum, hoc eſt, ſanctiſsimæ paſsionis, Seruator noſter nobis tradidit, namque eccleſiam catholicam eſſe voluit. Cuius quidem membra, tametſi in multa & varia loca diſperſa ſint, tamen vno ſpiritu, hoc eſt diuina voluntate & nutu coaleſcunt. Veſtræ igitur ſanctitatis prudẽtia accuratè ſecum conſideret, quàm graue, imò verò quàm indecorum ſit, vt ijſdem diebus alij ieiunijs vacent, alij agitent conuiuia: ac poſt dies Paſchatis, alij in feſtis & animorum remiſsione verſentur, alij præſcriptis ieiunijs ſe dedant. Quapropter iſtud rectius inſtituendum eſt, & ad vnam formam ac modum redigendum. Hoc enim (ſicut omnes vos ſatis animaduertere exiſtimo) diuina prouidentia vult. Et quoniam iſtud ita via & ratione gerendum erat, vt nihil nobis cum conſuetudine parricidarum, & illorum, qui necis Domini authores extiterunt, eſſet commune, & modus ille eximius decorſque ſeruandus eſſet, quem omnes eccleſiæ, totius orbis partes vel verſus occidentem, vel verſus meridiem, vel verſus ſeptentriones incolentes ſeruant, ac nonnullæ quoque, quæ in locis ad orientem ſpectantibus habitant, idcirco omnes in præſentia hoc rectè ſe habere arbitrati ſunt. Ipſeque etiam in me recepi veſtram ſapientiam facilè aſſenſuram, vt quod vrbe Roma, in Italia, in tota Affrica, in Aegypto, Hiſpania, Gallia, & Britannia, in Lybia & vniuerſa Græcia, in diœceſi Aſiatica & Pontica, in Cilicia denique, vna & conſentiente ſententia conſeruatur, hoc à vobis quoque lubentibus animis approbaretur: illud ſedulo reputantibus, non ſolum in locis, quæ modò citaui, maiorem eccleſiarum numerum exiſtere, ſed etiam ſanctiſsimum inſtitutum eſſe, vt omnes communi conſilio id ratum cupiant, quod accurata & recta ratio poſtulare videtur, quodque nihil cum Iudæorum periurio habet commercij. Verùm vt ſummam rei breuiter complectar,

visum est communi omnium iudicio sacratissimum Paschatis festum vno eodemq; die celebrandum esse. Neque enim in re tam sancta ac solémi vlla dissensio debet existere: imò verò hanc sequi sententiam, cui nullus à fide alienus error, nullum vitium admistũ sit, multò maximam habet commendationem. Quæ cum ita se habeant, lubentes hoc decretum, tanquam donum Dei, & mandatum reuera cœlitus demissum amplexamini. Nã quicquid in sanctis episcoporum concilijs decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debet attribui. Quamobrem vos, vbi omnibus dilectis nostris fratribus res in hoc concilio gestas, sententiam iam decretam, & sanctissimi festi obseruandi modum denunciaueritis, eadé ipsi approbare, riteq; disponere debetis, vt simulatq; vestram rectam omnium rerum dispensationem iam pridem à me desideratam, me plane perspicere contigerit, vno eodemque die vobiscum vnà sacrosanctum festum recolere possim, & simul omnium causa permagnam animo capiam voluptatem: quod quidem fiet cum intellexero non solum diabolicam crudelitatem, per vestra rectè facta diuina virtute opem ferente penitus profligatam esse, verùm etiam fidem nostram, pace & concordia conciliata, vbique egregiè florere. Deus vos, fratres charissimi, seruet incolumes.

De Annona quæ illis qui ecclesijs inseruiebant, suppeditabatur, & cæteris Imperatoris virtutibus.

CAP. XI.

ISta quidem ad eos, qui abierant à concilio, scripsit Imperator. Episcopos autem, qui ibi in vnum conuenerant (erant, vt supra dixi, numero trecenti decem & octo) permultis tum sermonibus benignis, tum amplis muneribus perhumanitus excepit: iussitque vt sedes multæ pararentur, quò illis pariter omnibus epulum daret. Qui autem erant illustriores, eos suæ ipsius mensæ fecit participes: alios verò ad alias dimisit mensas. Ac cum videret dextros oculos quibusdã effossos, intellexissetque quòd constantia pro pietate, eam cladem illis attulisset, labra vulneribus admouit, pro certo persuasus osculo se benedictionem inde hausturum esse. Conuiuio tandem peracto, alia dona rursus illis distribuit: quinetiam literas ad prouinciarum præfectos dedit, mandauitque vt certus frumenti numerus viduis & his, quę perpetuam seruant virginitatẽ, quinetiam illis, qui diuinis ministerijs obeundis consecrati sunt, in singulis ciuitatibus quotannis suppeditaretur: eumque non tam egentium necessitate, quàm sua ipsius magnificentia mensus est. Huius congiarij tertia pars adhuc suppeditatur: quippe impius tyrannus Iulianus totum penitus abstulerat ille quidem, sed qui ei successit in imperio, hoc quod iam suppeditatur, donari mandauit. Fames enim, quæ tum grassabatur, subsidia, quæ talibus tribui consueuerant, exigua admodũ effecerat. Quod si congiariũ, quod id temporis à Constantino donatũ erat, triplo maius fuit, quàm quod iam datur, facilè inde quisque, si modò voluerit, Imperatoris magnificentiam poterit perspicere. Porrò autem illud minimè silentio prætermittendum arbitror. Erant quidam calumniandi studio flagrantes, qui quosdam episcopos accusabant, & criminationis libellos Imperatori offerebant. Ille istis ante concordiam constitutam acceptis, primum cum eos vinculo constrinxisset, annuloque suo obsignasset, seruari iussit. Deinde cum concordiam inter eos conciliasset, libellos in medium adductos illis ipsis præsentibus, igne absumendos curauit, iureiurando adiecto, se ne verbum quidem in illis scriptum perlegisse. Nam sacerdotum, inquit, vitia non sunt populo aperienda, ne ille inde causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Quinetiam eum hoc quoque adiecisse memorant. Si suis oculis episcopum alienæ vxori stuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum suo paludamento se obtecturum, ne facinoris aspectus, eos qui idem ipsum cernerent, vlla ex parte læderet. Cum igitur Episcopos ad hunc modum hortatus esset, & sacerdotes Dei tam amplo affecisset honore, singulos ad suum gregem redire mandauit.

Eusebij Cæsariensis de fide Nicæa exposita epistola.

CAP. XII.

HOC loco equidem propter detestabilem nequitiam Arianorum, qui non modò communes patres aspernantur, sed suos ipsorum pernegant, Epistolam Eusebij Cęsariensis, quam de fide conscripsit, in historia ponere decreui: vtpote qua eorum rabies perspicuè refutatur. Nam quanquam istum velut eiusdem cum ipsis doctrinæ fautorem venerantur, tamen eius scriptis manifestò contradicunt. Scripsit quidẽ hanc epistolam ad Arianos quosdam, qui proditionem suæ doctrinæ, vti est verisimile, ei obiectauerant. Cæterùm ipsa epistola multò melius scriptoris institutum declarabit.

Eusebij Episcopi Cæsareæ Palestinæ epistola, quam ab vrbe Nicæa id temporis ad suos misit, cum magnum & celebre illud Concilium Nicænum habitum fuit.

ETsi verisimile est, fratres charissimi, ea, quæ de fide ecclesiastica in amplo & frequenti concilio Nicææ coacto, tractata sunt, ad vos antehac perlata esse, præsertim cum fama ipsa accuratam rerum gestarum narrationem sua celeritate superare soleat, tamen ne veritas, si auditione solum ea acceperitis, contrà ac se habeat, vobis nuntietur, primum eam fidei formulam, quæ à vobis concilio proposita est, deinde alteram, quam Episcopi, vbi nostris verbis pauca adiecerant, ediderũt, ad vos mittere necesse putauimus. Nostra verò formula, quæ tum coram Imperatore nostro sanctissimo perlecta est, tũ recte se habere pro certo explorata, ad hunc modum se habet: *FIDES A NOBIS EXPOSITA.* Sicut ab Epi-

ab Episcopis, qui nos antegressi sunt, accepimus, sicut cum fidei fundamenta in nostris animis primum iacta essent, cumque lauacro baptismatis abluti essemus, audiuimus, sicut à diuinis scripturis didicimus, & sicut cum fungeremur presbyterio, & cum episcopatum obtineremus, credidimus & docuimus, sic etiam iam credentes, nostram fidem vobis patefacimus: quæ eiusmodi est. Ea est talis. Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, visibilium omnium & inuisibilium creatorem: & in vnum Dominum Iesum Christum, Dei verbum: Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, filium vnigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia secula ex Deo patre genitum, per quem etiam omnia facta sunt: qui propter nostram salutem incarnatus est, & inter homines versatus: qui passus est, & resurrexit tertia die: & ascendit ad patrem, & iterum venturus est in gloria iudicare viuos & mortuos. Credimus etiam in vnum Spiritum sanctum. Et istorum quemque esse, & existere credimus: patrem, verè patrem: filium, verè filium: & Spiritum sanctum, verè spiritũ sanctum: sicut Dominus noster, cum discipulos suos ad
Matth. 28. prædicandum mitteret, locutus est: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti. De quibus confirmamus nos hoc animo esse, sicque sentire, & sic etiam sensisse, & ad mortem vsque sic sensuros esse, in hac perseueraturos fide, anathemate impiæ cuiquè hęresi denunciato. Atque de istis rebus omnibus nos sincerè & ex animo ita sensisse, ex quo nosmet noscere poteramus, & iam etiam verè, tum sentire, tum dicere, Deum omnipotentem, & Dominum nostrum Iesum Christum coram testamur: certaque demonstratione ostendere possumus, vobisque ratione persuadere, nos temporibus præteritis ita credidisse: & huic fidei à nobis expositæ congruentia prędicasse, cum hanc fidem exposuissemus, nullus erat contradicendi locus. Quinetiam Imperator ipse noster sanctissimus hanc nostram fidem, veritatem in se complecti primus omnium testificatus est: seque eodem animo esse constanter asseruit: præcepitque, vt omnes eidem assentirentur, decretis eiusdem subscriberent, congruerent cum eisdem, dummodo vna vox, Consubstantiale videlicet, ascriberetur: quam quidem ille ipse explicauit ad hunc modum: Consubstantiale de corporis affectionibus non posse intelligi: neque filium Dei vel diuisione, vel defectione, vt ita dicam, ex parte subsistere. Nam non posse fieri, vt natura, quæ materiæ expers est, quæ sola intelligentia percipitur, quæ corpore vacat, corpoream vllam affectionem in se excipiat: sed eiusmodi res nos diuinis & arcanis verbis debere complecti. Sapientissimus quidem & pius noster Imperator de his isto modo philosophatus est. Episcopi autem propter hanc vocem Consubstantiale istam fidei formulam ediderunt.

Fidei formula in concilio edita.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem: & in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei, genitum ex patre vnigenitum, hoc est ex substantia patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cœlo, & quæ in terra sunt: qui propter nos, & propter nostram salutem descendit: & incarnatus est: homo factus est: passus est: resurrexit tertia die: ascendit ad cœlos: venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Qui verò dicunt, quòd erat aliquando tempus, cum nõ esset, & antequam genitus erat, non esset, vel quòd ex nihilo ortus est, vel quòd ex altera subsistentia substantiáue quàm ex patris genitus, vel quòd conuerti & mutari potest, istis catholica & apostolica Dei ecclesia anathema denũciat. Cum ista formula ab illis præscripta esset, illud ex substantia patris esse: & illud, patri consubstantialem esse, quomodo essent intelligenda, ab eis diligenter quærere cœpimus. Vnde quæstiones & responsa nata sunt, rationeque accuratè perueſtigatum, quæ illis verbis subiecta esset sententia. Fatebantur illi ex substantia esse, idem significare, quod ex patre esse, non tamen partem patris esse. Nobis sanè videbatur pulchrum consentire cum piæ illius doctrinæ sententia, quæ docet, filium ex patre esse, non tamen partem substantiæ illius esse. Quapropter huic sententiæ etiam à nobis assensum est: neque vocem Consubstantiale reiecimus, propterea quòd pax, tanquam scopus ad intuendum, ante oculos nostros versabatur, & cautio erat à nobis adhibita, ne recta fidei sententia excideremus. Pari ratione, genitum non factum approbauimus. Nam factum, verbum cum cæteris creaturis, quæ per filium factæ sunt, commune esse dixerunt: nec filium earum simile quicquã habere: ac propterea eum non esse creaturam illarum similem, quæ ab ipso facta sunt, sed præstantioris esse substantiæ, quàm qua vlla creatura prædita sit: quam quidem ex patre genitam esse, sacræ literæ perdocent: quippe cum modus eius generationis à nulla mortali natura, vel verbis exprimi, vel cogitatione comprehendi possit. Eodem modo etiam illud, Filium patri consubstantialem esse, ratione & exquisitum est, & probatum, non more corporeo debere intelligi, neque quicquam habere simile cum mortalibus animantibus. Nam neque diuisione substantiæ, neque defectione, sed nec affectione vlla mutationéue paternæ essentiæ & facultatis posse constare. Ingenitam enim patris naturam ab his omnibus prorsus alienam esse: & hoc, patri consubstantialem esse, nihil aliud ostendere, quàm filiũ Dei ad reliquas creaturas nullam habere similitudinem: sed patris solum qui eum genuit, omnino similem esse: neque ex alia, quàm ex patris subsistentia & essentia genitum. Quod quidem

sic

ſic expoſitum, rectum videbatur aſſenſione approbare. Nam nonnullos veteres Epiſcopos,& ſcriptores, viros ſanè diſertos & illuſtres, in patris & filij diuinitate explicanda hoc verbo Conſubſtantiali vſos fuiſſe cognouimus. Sed de fide in concilio Nicæno expoſita diuulgataque hæc hactenus: cui quidem omnes ad vnum aſſenſi ſumus non temerè & inconſulto,ſed ſecundum ſententias coram ipſo ſanctiſsimo Imperatore propoſitas diſcuſſaſque, & communi omnium conſenſu propter cauſas, quæ ſuprà commemoratæ ſunt, approbatas. Quinetiã anathematis formulã, quæ poſt fidem explanatam ab illis propoſita eſt, approbandã quoq; putauimus, propterea quòd vetet ne quiſquam vocibus à ſcripturis abhorrentibus(ex quibus in eccleſias omnis fere confuſio & diſcordia inuecta eſt) omnino vtatur. Etenim cum nulla ſcriptura diuinitus inſpirata his vocibus vſa ſit, Filium Dei ex nihilo ortum eſſe,& tempus fuiſſe aliquando,cum non eſſet, & quæ ſequuntur in eandem ſententiam,minimè conſentaneum videbatur, eas vel proferre,vel docere. Cui ſententiæ tam præclarè decretæ conſtitutæque nos conſenſimus: quandoquidem nunquam antehac eiuſmodi verba vſurpare conſueuimus. Iſta ad vos, fratres chariſsimi, neceſsitate coacti miſimus,non ſolum vti vobis decretum, quod noſtram diſquiſitionem & aſſenſionem ſecutum eſt, planum faceremus,verùm etiam vt intelligeretis,quòd primo, dum ea, quæ aliter ab alijs ſcripta erant, animum noſtrum offendere videbantur,in vna eademque ſententia (ſicut ratio poſtulabat) ad extremam vſque horam perſtitimus. Verùm poſtea facilè ſanè & ſine vlla contentione ea, quæ nullam habebant offenſionem, tum demum amplexati ſumus. Cum nobis verborum ſenſum & ſententiam æquis animis diſquirentibus illa, quæ expoſita erant, conſentire viderentur cum his, quæ in fidèi formula ante propoſita à nobis conceſſa & probata fuerant.

Præſentis Arianorum maledicentiæ, ex Euſebij Cæſarienſis Epiſcopi libris increpatio.
CAP. XIII.

QVòd autem vox Conſubſtantiale non ſit noua, neque à patribus id temporis Nicææ congregatis inuenta, ſed antiquitus à maioribus ad poſteros deducta, Euſebius locuples teſtis eſt. Quinetiam quòd omnes tum in vnum coacti communi conſenſu fidem illic expoſitam approbarint, idem author non in eadem ſolum epiſtola, verùm etiam alio in opere, in quo vitam Conſtantini magni ſummis laudibus effert, manifeſtò oſtendit. Sic enim ſcribit. Hic iſta Latino ſermone, altero eadem interpretante, locutus, ſermonem omnem deinceps concilij præſidibus tradidit. Ibi tum alij vicinos accuſare cœperunt: alij & pro ſe reſpondere, & crimen in aduerſarios deriuare. Cum igitur multa eſſent ex vtraque parte propoſita, magnaque controuerſia in ipſo diſputationis ingreſſu concitata, Imperator toleranter ac placidè omnibus animum attendere: ſtudio acri prolatas ſententias ſenſim excipere: viciſsim ferre opem vtriq; diſceptantium parti: eos magna cum contentione digladiantes, paulatim reconciliare: conferre cum ſingulis comiter & benignè ſermonem: Græcoq; vtens ſermone (nam ne huius quidem linguę ignarus fuit) ſuauis & dulcis erat: alijs perſuadere, alios ſermone lenire, alios, qui diſertè diximſſent, collaudare, omnes denique ad concordiam reducere contendebãt: vſq; eò, vti tandem eos in omnibus rebus, quæ in quæſtionem aliquando veniſſent, tum conſpirantes animis, tum opinionibus adeo conſentientes redderet, vt non modò concors fides inter eos vigeret, ſed etiam vnum idemq; tempus in ſalutari feſto Paſchatis celebrando obſeruandum ab omnibus concederetur. Iam verò, quæ erant communi omnium ſententia decreta, cuiuſque manu ſubſcripta fuerunt, & in commentarios relata. Ac paulo infrà, iſta quoque addit. Cum hæc ad hunc modum eſſent conſtituta, omnibus fecit poteſtatem ad ſua domicilia reuertendi. Illi lætitia geſtientes, redierunt. Cum illi hoc modo, qui propter diſſentientes opiniones longo quaſi interuallo ab ſe mutuò diuulſi erant, tanquam in vnum corpus eſſent denuò coagmentati, deinceps vna apud omnes viguit ſententia, ipſius Imperatoris conſenſu confirmata. Proinde Imperator de proſpero rei euentu lætus, illis, qui concilio neutiquam interfuiſſent, per literas fructum eiuſdem vberem præbuit: populoque vniuerſo cum per agros, tum per ciuitates diſperſo, ingentem pecuniæ vim diſtribui mandauit: ſic feſtum diem ad recolendam vigeſimi anni regni ſui memoriam celebratum cohoneſtauit. Quocirca Ariani, quamuis alijs patribus contradicere haud impium eſſe cenſeant, huic tamen, quem admirari ac ſuſpicere ſolent, cum fidem Nicææ expoſitam omnium conſenſu approbatam doceat, fidem adhibere debent. Quinetiam cum ſuorum ipſorum patrum quoque opiniones impugnent, deberent tamen, vbi turpiſſimam Arij mortem & plane horribilem intellexerint, omnibus viribus, vt dicitur, impiam doctrinam ab eo in lucem editam fugere. Verùm quoniam veriſimile eſt modum eius mortis non omnibus cognitum eſſe, idcirco ipſe equidem, qualis fuerit, explicabo.

De Arij morte ex Athanaſii Epiſtola.
CAP. XIIII.

ISTE Arius diu Alexandriæ commoratus, tametſi denuò conuentus eccleſiaſticos petulanter inſectari ſtuduit, tamen ſimulauit ſe impiam ſuam doctrinam abijcere, & fidei formulam à patribus editam amplexaturum pollicitus eſt. Verùm vbi neque diuino illi Alexandro, neque Athanaſio, qui eiuſdem cum in epiſcopatu, tum in officijs pietatis exequendis ſucceſſor fuit, perſuadere non potuit,

potuit, rurſus opera ac ſtudio Euſebij Nicomedienſis adiutus, Conſtãtinopolim propere contendit. Quas autem res, cum eò veniſſet, molitus fuerit, & quam ſententiam à Deo iuſto iudice exceperit, illuſtriſsimo Athanaſius in literis, quas ſcripſit ad Apionem, diſertè exponit: quarum literarum eam partem, quæ ad has res pertinet, in hiſtoriam includam, quæ ita habet. Quanquam ipſe non eram tum Conſtantinopoli, cum Arius mortem oppetebat, Macarius tamen presbyter, rem, vt geſta eſt, mihi accuratè narrauit. Arius Euſebianæ factionis labore à Conſtantino Imperatore accerſitur Conſtantinopolim. Qui cum eo veniſſet, rogatus ab Imperatore, vtrùm fidem catholicæ eccleſiæ teneret, iurat ſe recte credere, libellumq; ſcriptum de ſua fide ei dat. Cauſas autem, pro quibus ab Epiſcopo Alexandro eiectus fuerat, occultat, ſimulat tamen ſe propter voces quaſdam ab ipſis ſacris literis depromptas eccleſia exturbatum. Eum igitur Imperator, cum iuraſſet ſe illas non tutatum opiniones, pro quibus Alexander eum eccleſia expulerat, liberum dimiſit cum his fere verbis: ſi recta eſt fides tua, bene iuraſti, ſin autem impia eſt fides tua, & tamen iuraſti, Deus de cœlo de te ferat iudicium. Quapropter cum ab Imperatore ſic dimiſſus eſſet, factio Euſebiana per vim, qua vti conſueuerat, eum in eccleſiam voluit introducere. Verùm beatæ memoriæ Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus ei reſtitit, dixitque nullũ hæreſeos inuentorem in communionem recipiendum eſſe. De reliquo autem Euſebiani minari. Quemadmodum, inquiunt, contra tuam voluntatem Arium curauimus ab Imperatore accerſendum, ſic te inuito (erat tum quidem dies ſabbati) cras in hac ipſa eccleſia conuentus nobiſcum aget. Quibus auditis, Epiſcopus Alexander dolore ingenti cruciatus, ingreditur in eccleſiam, & manibus ad Deum ſublatis, lamentari, conqueri, & in ſanctuario in faciem procidere, & humi proſtratus, preces fundere cœpit. Aderat vnà Macarius, & cũ eo ſimul orauit: eiuſq; precantis vocem audiuit. Iſta duo à Deo poſtulauit, ſic locutus: Si Arius cras in eccleſia conuentus aget, dimitte me ſeruum tuum, & ne ſimul perdas pium cũ impio: ſin clemens parces eccleſiæ tuæ (te quidem ei velle parcere certo ſcio) conſidera verba Euſebianorum, & ne des in ruinam & contumeliam hereditatem tuam. Tolle Arium è medio, ne illo in eccleſiam ingreſſo, tum hæreſis vnà cum eo ingreſſa videatur, tum deinceps impietas pietatis locum occupet. Hæc precatus Epiſcopus, deceſsit, valde anxius. Deinde res accidit horrenda & plane incredibilis. Nam poſt minas Euſebianorum, Epiſcopus Alexander ſe defixit in precibus: Arius autem fretus præſidio Euſebianorum petulanter admodum ſe geſsit: & ingreſſus latrinas, illud ipſum ventris poſcente neceſsitate, de repente pronus, vt ſcriptum eſt, factus, crepuit medius: atque collapſus illico animam efflauit, non modò communione, ſed etiam vita priuatus. Talem igitur fuiſſe Arij mortem conſtat. Euſebiani autem, etſi caſum eum vehementer erubuerunt, tamen Arium, vtpote ſuæ ſectæ fautorem tumulo condiderunt. Beatæ verò memoriæ Alexander, eccleſia lætante, conuentum, vt pietas & ſacra doctrina poſtulat, cum omnibus fratribus celebrare, preces fundere, & Deum gloria vehementer efferre cœpit, non quòd ex morte Arij lætitiam capiebat, abſit illud quidem (extat namq; mortali cuiq; ſancita lex, vt ſemel moriatur) ſed quòd hoc mortis genus non hominum iudicijs conſtitutum fuit, ſed Dominus ipſe, vbi inter minas Euſebianorum, & Alexandri preces dijudicarat, Arianam hæreſim prorſus condemnauit, oſtenditque eam communione indignam eſſe eccleſiaſtica, atque adeo omnibus planum fecit, quòd quamuis tum Imperatoris, tum omnium hominum teſtimonio & approbatione confirmata fuiſſet, tamen erat ab ipſa veritate penitus condemnata. Tales manipulos ex perniciofis ac peſtiferis ſeminibus collegit Arius, inque hac vita pœnarum ſibi in futura infligendarum vidit quaſi prĕludia, & ſupplicio iſto prĕſenti, quod ſubibat, ſuam ipſius perſpicuè coarguit impietatem. Verùm iam ad pietatem Imperatoris explicandam ſermonem transferam. Nam ad omnes populos Imperio Romano ſubiectos dedit literas, quibus tum eos hortabatur, vt priorem errorem deponerent, tum ſuadebat, vt Seruatoris noſtri doctrinam perdiſcerent, tum denique omnes ad hanc veritatem amplexandam inuitabat. Quinetiam Epiſcopos cuiuſque ciuitatis exuſcitabat ad eccleſias ædificandas, non literis ſolum impellendo, verùm etiam pecuniam prolixè & liberaliter largiendo, & impenſas ad earum ædificationem ſuppeditando. Sed literæ ipſe melius rem declarabunt, quæ ſe habent ad hunc modum.

Imperatoris Conſtantini de eccleſiarum ædificatione epiſtola. *CAP. XV.*

Victor Conſtantinus, Max. Auguſtus, Euſebio, S.

QVemadmodum ad hoc vſque tempus ob impiæ voluntatis inſtitutum, & graues tyrannidem ſeruos Dei ac Seruatoris perſequentem pro certo cognoui, & ſatis perſuaſum habui, omnium eccleſiarum ædificia, vel negligentia corruiſſe, vel impendentis periculi metu, multo minus, quàm debuerant, refecta fuiſſe, Frater chariſsime: Sic nunc cum libertas omnibus reſtituta ſit, & draco ille Dei Opt. Max. prouidentia, noſtroque miniſterio de communi Reip. adminiſtratione depulſus, arbitror equidem & virtutem ac potentiam diuinam omnibus ſatis conſtare, & eos, qui vel timore, vel infidelitate, vel alijs quibuſdam peccatis lapſi ſunt, cum illum, qui reuera Deus eſt, iam agnoſcant, in veram & rectam viuendi viam redituros. Quibuſcunque igitur eccleſijs, vel ipſe prĕſis, vel alijs in locis alij Epiſcopi, presbyteri, & diaco-

diaconi, quos nosti, præficiantur, per te admoneantur, vt earum ædificia sedulo accurentur: quò vel ea, quæ remanent, reficiantur, laxioraque fiant, vel vbi necessitas postulauerit, noua de integro extruantur. Quę verò res ad ædificationem necessariò requiruntur, eas quidem cum ipse, tum alij tuo nomine à præfectis, & rectoribus prouinciarum petent. Hisce enim per literas à me significatum est, vt omni studio & propensione animi ea, quę fuerint à tua sanctitate prescripta, subministrent. Deus te, Frater charis. diu florentem seruet. Ista de ecclesijs ædificandis episcopis cuiusque prouinciæ per literas significauit. Quæ autem de sacris libris comparandis scripserit ad Eusebium Palæstinum, ex ipsis literis facile est cognoscere.

Altera eiusdem epistola de sacris codicibus parandis. CAP. XVI.

Victor Constantinus Maximus, Augustus, Eusebio, S.

CVM in vrbe, quæ nomen suum ex nostro nomine traxit, Dei patris, ac Seruatoris nostri prouidentia iuuante, maxima sit hominum multitudo, quæ se sanctissimæ ecclesiæ adiunxerit, quò omnia, quæ ad religionem pertinent, indies in eo loco magis magisque crescant, videtur operæ precium, vt plures ibi ecclesiæ extruantur. Proinde tu, quod nostræ voluntati visum est, alacri animo capesse. Tuæ enim prudentiæ significare consentaneum duximus, vt quinquaginta volumina in membranis parares, quæ sint tum ad legendum facilia, tum idonea ad vtendum, tum denique ad portandum accommodata: eaque à librarijs, qui & scitè norint scribere, & eam artem accuratè teneant, describi præcipias. Atque eos sacrę scripturæ libros complectantur, quorum præparationem & vsum ad ecclesiam erudiendam maximè necessarium esse scis. Literæ verò à nostra clementia ad generalem Quæstorem datæ sunt, vti omnia, quæ ad istos libros parandos requiruntur, suppeditanda curet. Vt autem quam primum hæc descripta volumina comparentur, tuarum partium erit sedulò prouidere. Etenim duos publicos curs accipiendi, quibus eò conuehantur, ex istarum nostrarum literarum authoritate, tibi, vt par erat, potestatem fecimus. Ita enim & ea, quę concinne descripta sunt maximè, ad nos facillimè comportabuntur, & eò certe facilius commodiusque, si vnus ex ecclesiæ tuæ diaconis istud munus exequatur. Qui, vbi ad nos accesserit, nostram benignitatem probè experiatur. Deus te, Frater charissime, seruet incolumem.

Tametsi quidem ex his literis satis magnam coniecturam capere, imò verò satis manifestò intelligere possumus, omni laude cumulatum Imperatorem, totum suum studium ad sacrosanctum Dei cultum amplificandum conuertisse: tamen præter ea, quæ suprà dicta sunt, ponam in medio præclaram eius operam in sepulchro Seruatoris ædificijs exornando susceptam. Cum enim certior factus esset, eos, qui in simulachris colendis more Corybantum insanirent & baccharentur, sepulchrum Domini mole terræ obruisse, eo quidem consilio, vt memoriam salutis nostræ obliuione delerent, (quippe supra illum locum, fanum lasciuæ deæ Veneris, quò virginalem diuæ Mariæ partum ludibrio exponerent, extruxerant) mandauit, vt primum execrabile illud ædificium diueretur: deinde vt deturbaretur agger ille impuris & sceleratis victimis contaminatus, & longe extra vrbem eijceretur: tum vt templum amplissimum pulcherrimumque ibi fabricaretur. Verùm ex epistola Imperatoris, quam ad Ecclesiæ Hierosolymitanæ præsulem scripsit, hæc res multo euidentius cognosci poterit. Præsul autem illius ecclesiæ fuit Macarius, cuius suprà mentionem fecimus: qui & magno concilio Nicæno interfuerat, & vnà cum alijs Episcopis contra nefariam Arij blasphemiam strenuè decertauerat. Epistola hæc quidem est.

Alia eiusdem epistola ad Macarium Hierosolymitanum Episcopum de Dei templo extruendo. CAP. XVII.

Victor Constantinus, Max. Macario, S.

TANTA Seruatoris nostri erga nos benignitas declarata est, vt nulla tam accurata dicendi ratio & vis sit, quæ præsens miraculum pro dignitate explicare posse videatur. Nam vt insigne illud sanctissimæ illius passionis monimentum, quod terræ visceribus iam pridem abditum, tot tamque multis annorum conuersionibus delituisset, tum illucesceret seruis Dei, cum illi, communi omnium hoste deuicto, in libertatem essent vindicati, omnem profectò hominum admirationem longe superat. Etenim si omnes, qui in vniuersi orbis terrarum ambitu sapientes videantur, in vnum locum congregati, aliquid pro rei dignitate dicere aggrederentur, ne minimæ eius parti oratione ex æquo satisfacere possent. Miraculi namque fides tanto plus vniuersum humanæ rationis & naturæ captum vincit, quantò res cœlestes & diuinæ humanis sunt valentiores. Quapropter hoc vnum mihi semper in primis propositum sit ad dicendum, quòd sicut vera fides se ipsa quotidie nouis miraculis patefacit, sic nostri omnium animi omni modestia & concordi alacritate ad sanctas euangelij leges colendas attentiores fieri debent. Præterea illud, quod cuique perspicuum esse arbitror, pro certo tibi cum primis persuasum velimus, hoc nobis præ cæteris rebus omnibus maximæ curæ esse, vt locus ille sacer, quem Dei iussu, turpissima simulachrorum mole, tanquam graui quodam onere imposito, purgauimus, quemque & primis mundi temporibus ipsius Dei iudicio sanctum habitum esse, & postea etiam, quia fidem passionis Seruatoris tanquam è tenebris in lucē euocarit, multò clariorem

orem suæ sanctitatis significationem dedisse cognouimus, pręclara ędificiorum structura exornetur. Par est igitur, vt tua prudentia ita opus disponat, & proinde res quasque accuret necessarias, quò non modo sanctuarium templi reliquis omnibus, quæ vbiq; sunt, pulchritudine antecellat, sed etiam cæteræ eius partes tales sint, vt omnia templa, quæ in singulis ciuitatibus primas tenent, huius ædificij dignitate longe superentur. Ac de erigendis parietibus, exquisitoque artificio perpoliendis, tum Dracliano, amico nostro, qui nonnullas aliarum prouinciarum partes administrat, tum vestræ etiam prouinciæ præfecto, scito curam à nobis esse impositam. A nostra enim benignitate illis imperatum est, vt qui artifices, qui operarij, quæcũ res aliæ fuerint ad illud ædificium necessariæ à tua prudentia discant, ac statim ipsorum prouisione eò mittantur. Quod autem attinet ad columnas ex marmore conficiendas, quas ipse existimaueris vel ad decus illustriores, vel accommodatiores ad diuturnitatem fore, cum eas quasi summatim tecum consideraueris, fac ad nos diligenter perscribas: vt cũ exliteris tuis, quibus rebus opus fuerit, intellexerimus, vndique eędem illo comportari possint. Nam locus ille, qui totius orbis terrarum facilè primas fert, omnibus ornamentis meritò illustrandus est. Testudinem verò sanctuarij laqueatámne facere, an alio quodam fabricæ genere extruere placeat, abs te certior fieri velim. Quòd si fiat laqueata, scitè quoque inaurari poterit. Restat igitur, vt tua sanctitas illis, quorum iudicio, vt suprà dictum est, rem permisimus, quot operarijs, artificibusque, quantis deniq; sumptibus opus fuerit, quàm celerrimè significet: quinetiam nos non solum de columnis ex marmore conficiendis, verùm etiam de testudinis laquearibus (si modò illud fabricæ genus pulchrius esse censeas) quàm primum facias certiores. Deus te, frater charissime, diu seruet incolumem.

De Helena Constantini Imperatoris matre, & diligentia, quam circa sacri templi fabricationem impendit. CAP. XVIII.

HVius Epistolæ perferendæ negocium non alius quispiam, quàm ipsa Imperatoris mater, tam præclari filij procreatrix, cuius laus omnium piorum ore ac sermone prædicata est, susceptit: quæ & hoc eximium mundi luminare peperit, & pietatis alimenta ei suppeditauit. Hæc itineris labores subire non recusauit, neq; senectutis inualitudinem (nam paulò ante mortem, quã octogesimum annum ætatis agens oppetebat, istud iter fecit) omnino animo complexa est: sed postquã vidit locum illum, qui particeps fuit afflictationum pro communi omnium salute susceptarũ, confestim execrabile illud Veneris fanũ deturbari, & aggerẽ ex vrbe exportari iussit. Qua re confecta, sepulchrum, quod diu abstrusum iacuisset, emersit, & simul tres cruces, quæ prope illud Domini monumentum erant reconditæ, repertæ sunt. Quòd autem vna ex his Domini nostri, & seruatoris Iesu Christi crux fuit, reliquę verò duę latronum, qui pariter cum eo crucibus suffixi fuerant, extiterunt, ad vnum omnes sine controuersia crediderunt: Sed tamen ignorarunt prorsus, quæ illarum corpus Domini sustinuisset, & guttis preciosi eius sanguinis aspersa fuisset. Cæterum sapientissimus ille & plane diuinus Macarius, vrbis illius antistes, tali via illorum animos dubitatione liberare aggressus est. Mulieri cuidam nobili morbo diuturno oppressæ vnamquanque crucem sigillatim, precibus ad Deum simul ardenter fusis, admouens, crucis seruatoris virtutem facilè perspexit. Nam vt primum ea mulieri adhibita fuit, illico grauis ille morbus depulsus est, & homo ipsa ad integram valetudinem restituta. Itaque Imperatoris mater, cum id, quod erat in optatis, ad hunc modum didicisset, clauorum partem in Imperatoris galeam artificiosè includendam curauit, quò capiti filij consuleret, & hostium tela depellerentur, partem equi illius freno admiscuit, quo tum Imperatorem tutum ac securum redderet, tum veterem prophetiã explere posset. Nam olim prædixerat Zacharias propheta: quod est in freno equi, erit sanctum Domino omnipotenti. Cap. 14. Quod autem ad crucem seruatoris attinet, partem illius in Imperatoris palatio locandam, reliquum autem in capsa argentea reponendum curauit, illudque dedit Episcopo illius ciuitatis, hortataque illum est, vt ad posteritatem velut monimentum salutis nostræ reseruaretur. His rebus constitutis, artifices materię cuiusque generis vndique cogere, templaque & ob magnitudinem amplissima, & illustrissima ob splendorem extruere cœpit: quorũ pulchritudinem amplitudinemq; oratione describere, valde superuacaneum arbitror, præsertim cum omnes pij, propè dixerim, illo procurrant, operumque magnificentiam suis ipsorũ oculis aspiciant. Porrò autem illustrissima illa, & maxima digna admiratione imperatrix, aliud facinus, quod posterorũ memoriæ merito commendari debet, obijt. Nam mulieres, quæ toto vitæ tempore virginitatem excolebant, primum omnes in vnum congregari, & sedibus præparatis accumbere iussit: deinde illa ipsa ancillæ munus exequi, apponere cibaria, pocula illis porrigere, fundere vinum, & gutturnium cũ malluuio afferre, aquam denique earum manibus, dum lauant, ministrare non dedignata est. Quas res, atque alias similes hisce cum confecisset, redijt ad filium. Atque non multò post, læto animo ac tranquillo, vbi filio de pia viuendi ratione plurima præceperat, & eum benedictionibus, quæ ab exeuntibus è vita dari solent, muniuerat, hinc ad alteram vitam demigrauit. Cui post mortẽ talis tributus est honos, qualis ei, quæ Deum omnium moderatorem tam assiduo atque adeo ardenti studio coluerat, meritò tribuendus erat.

De Eusebij Nicomedensis iniqua ac præter ecclesiæ leges ad sedem Constantinopolitanam translatione.

CAP. XIX.

INterea temporis factio Ariana à suis perditis non destitit consilijs. Nam hanc ob causam suarum manuum subscriptionibus formulam fidei communi totius concilij Nicæni consensu editam approbauere, ad eum plane finem, vt ouium pellibus induti, rapacium agerent partes luporum. Simul atque enim diuinus ille Alexander, Episcopum dico Byzantij (sic namque Constantinopolis id temporis appellabatur) qui precibus, tanquam telis quibusdam Arium confoderat, ex hoc corporis ergastulo ad præclarius vitæ domicilium migrauerat, Eusebius propugnator impietatis, parua habita ratione decisionum earum, quarum conscribendarum paulò antè vnà cum alijs Episcòpis author fuerat, confestim relicta Nicomedia, ad sedem Episcopatus Constantinopolitani per ambitum arrepsit, idque contra ecclesiæ canonem, qui vetat tum Episcopos, tum etiam presbyteros de vnius ciuitatis sede, ad alterius se sedem trãsferre. At mirum non est, eos, qui velut furiarum tedis agitati, diuinitatem vnigeniti filij insectari non sunt veriti, etiam audacter libereque alias leges violasse. Neque Eusebius istud facinus nunc primò tentare, sed idem ipsum iam pridem admittere non dubitauerat. Nam cum ecclesiæ Berytensis administratio eiesset concredita, inde ad Episcopatum Nicomediæ gerendum se transtulit. Ex quo Episcopatu etiam post concilium ob impietatem, quam palam commiserat, & Theognis Episcopus Nicææ vnà, exturbatus est. Quam rem planam facit Imperatoris Constãtini epistola, quam secundo scripsit ad Nicomedenses. Cuius epistolæ finem in historiam nostram includam. Sic enim scribit ad Nicomedenses.

Imperatoris Constantini aduersus Eusebium Nicomedensem & Theognium ad Nicomedenses epistola. CAP. XX.

QVis innocentem multitudinem ista docuit? Eusebius videlicet, tyrannicæ crudelitatis administer. Nam quòd tyranni partibus penitus adhęserat, ex multis illius rebus gestis facile potest intelligi: Siquidem istud partim episcoporum, eorumque verè episcoporum cædes testantur, partim crudelissima Christianorum persecutio palam clamat. Neque certe de iniurijs illius, quibus me affecerit hoc loco verba faciam: per quem aduersariorum contra me concursus, quantum fieri poterat maxime procurabantur, qui & oculis tãquam speculatoribus me obseruauit: quin etiam ministerio prope militari, quò tyranno opẽ ferret, perfunctus est. Ac nemo existimet me imparatum minusq; instructum esse, etiam ad istas res si opus fuerit, certissimis argumentis confirmandas. Verissimè enim ostendi potest, tum presbyteros, tum diaconos à me manifestò deprehensos, qui Eusebium assiduè stipabant. Sed hæc missa facio, quæ non dicuntur à me, quòd ipse ea grauiter & iniquo animo feram, sed quò eos suæ ipsorum pudeat inscitiæ. Illud solum metuo, illudque animum cura implicatum tenet, quòd vos video in huius criminis societatem vocari. Nam improba Eusebij institutione, & peruersa doctrina, conscientia vestra à veritate deflexit. Verùm huius rei expedita est & facilis curatio, si modò Episcopũ fidelem & animo simplici ac sincero nacti, oculos ad Deum denuò conuertere volueritis. Quod quidem in præsentia est in vestra situm potestate, quodque etiam dudum penes vestrum iudicium fuerat, nisi aut Eusebius ipse, de quo dixi, aut alius quidam eorum, quibus cum conuentus agere solet, huc præceps ruisset, & rectum eligendi ordinem impudenter conturbasset. Sed quoniã mihi de hoc ipso Eusebio pauca apud vos dicẽda sunt, non vos præterit concilium Nicææ celebratum, cui ipse, sicut conscientiæ meæ munus postulabat, interfui: non alio sane animo, quàm vt tum concordiam inter omnes constituerem, tum maximè omnium eam ecclesiæ perturbationem, quæ ex Arij Alexandrini amentia orta est, reprimerem, penitusque inde summouerem. Quæ quidem perturbatio illico ex absurdo & pernicioso conatu Eusebij vires collegit. Nã quanta concursione, amantiss. honoratissimique fratres, iste Eusebius, vtpote ipsa conscientia conuictus, quanta cum ignominia, mendacijs vndique deprehensis aggressus est, primum certos quosdam homines subornare, qui pro eo deprecarentur, deinde à me auxilium petere, ne tanti sceleris damnatus, honoris sui gradu deijceretur. Huius rei testis est mihi Deus, qui tum mihi, tum vobis benignus perpetuò adsit, quòd & meum peruertit iudicium, & turpiter à veritate abduxit, quod vobis etiam planum faciam. Nam tum omnia gesta sunt ex eius sententia, qui perniciem plane pestiferam adhuc intra cogitationis suæ domicilium occultam tenuit. Ac primum, vt cætera illius nequitiæ facinora taceam, audite, quæso, quid sceleris cum Theognide, quem suæ socium habebat amentiæ, conscíuerit. Ipse forte quosdam Alexandrinos, qui à fide nostra defecerant, huc mitti iusseram: quandoquidem eorum opera disidij flamma incensa erat. Sed isti honesti boniqúe scilicet Episcopi, qui vera concilij dijudicatione ad pœnitentiam agendam reseruati sunt, non solum eos admiserunt ad se, & secum in tuto collocarunt, verum etiam illorum deprauatis moribus communicarũt. Quamobrem erga istos ingratos aliquod supplicii censũi statuendũ: & propterea mandatum dedi, vt à suis abrepti sedibus, quàm longissimè relegarentur. Iam vestrum est ea fide in Deum aciem mentis vestræ intendere, in qua vos semper mansisse constat, & in qua manere, omniaque pietatis officia exequi consentaneum est. Quod si ita fiat, vt episcopos tum vitæ integritate, tũ sana doctrina, tum benignitate in omnes eximios habeamus, iure lætari debemus. Sin autem quisquam temeritate & audacia accensus, eas ecclesiæ pestes vel memoria, vel laudibus celebrare aggrediatur, confestim opera ac diligentia famuli Dei, (meipsum dico) pœnas suę inscitiæ dabit. Deus vos, fratres chariss. incolumes seruet. Isti igitur quanquam tum & honorum gradibus abdicati, & ciuitatibus eiecti erant, & Nicomediæ episcopatum Amphion, Nicææ autem Chrestus obtinuit, tamẽ rursus machinis, quibus antè vti consueuerant, vsi, & Imperatoris facilitatem, velut subsidium ad fraudem faciendã nacti, certamine redintegrato, priorem suam recuperauere potestatem.

De veteratoria fraude ab Eusebio & complicibus suis contra sanctum Eustathium Antiochenum episcopum excogitata. CAP. XXI.

EVsebius, postquam, vt dixi modò, ad Episcopatus Constantinopolitani honorem per vim planè tyrannicam ascendit, maiore comparata potentia, tum quòd Imperatori in proximo habitans, eum frequenter adiret, tum quòd ex crebra eius consuetudine authoritatem nactus esset, insidias iam veritatis propugnatoribus struere cœpit. Ac primum se magno flagrare desiderio visendi Hierosolymam simulauit: & cum Imperatorem hoc pacto fefellisset (prætexuerat enim se templum ab imperatore ibi extructum, quod omnium sermone celebratum fuit, velle visere) cum maximo honore Constantinopoli decessit: quippe Imperator eirhedas, & alias res, quibus eum ornaret, suppeditauit. Eum comitatus est Theognis Episcopus Nicææ, suorum perditorum consiliorum, vt suprà dictum est, particeps ac socius. Qui cum aduentarent Antiochiam, amicitia erga Eustathium vultu ac fronte simulata, honorificentissimè excepti sunt. Nam magnus ille Eustathius, defensor veritatis, fraternam plane illis præstitit beneuolentiam. Illi autem, vbi venere ad sacra Hierosolymorum loca, & Eusebium episcopum Cæsareæ, Patrophilum Scythopolitanum, Aëtium Lyddæ Episcopum, & Laodiceæ Theodotum suæ opinionis fautores, aliosque, quos labes Ariana infecerat, viderunt, facinus, quod per insidias molirentur, illis aperuerunt: quibus comitati, rediere Antiochiam. Quòd autem cæteri episcopi, quos modo nominaui, eò vnà aduentarunt, honoris maioris causa factum esse prætendebatur illud quidem, sed re ipsa fraus ad veram pietatem oppugnandam parabatur. Nam cum meretricem, cuius formæ pulchritudo venalis erat, mercede conduxissent, & linguæ suæ operam vt ipsis locaret, ei persuasissent, primum ad concilium vnà ueniunt: deinde alijs omnibus inde exire iussis, misellam illam introducunt mulierculam. Illa puero, qui etiamnum eius sugebat vbera, ostensò, dixit se ex concubitu Eustathij eũ concepisse & peperisse, & ore impudenti vociferata est, illum pueri patrem esse. Itaque Eustathius, cũ criminationem istã perspicuè falsam esse pro certo cognosceret, iubet mulierculã, si quem huius facinoris consciũ haberet, in mediũ adducere. Quę cũ responderet se nullũ obiecti criminis habere testem, æquissimi illi iudices postulant ab ea iusiurandum. Et quanquã lex palam clamat: In ore duorum aut trium testium ratũ sit omne verbum. & Apostolus manifestò præcipit, nullũ crimen presbytero illatum sine duobus, aut tribus testibus admittẽdum, isti tamen spretis diuinis legibus accusationẽ contra tam illustrẽ episcopum nullo omnino teste adducto, admittere non dubitarunt. Simul atq; igitur mulierculam ea, quæ dixerat antea, iureiurando confirmauerat, impudenterq; clamaret, puerum reuera Eustathij esse, illico iudices illi veritatis scilicet fautores, sententiã contra eum tanquam adulterum pronunciauere. Cum aũt alij Episcopi (aderant enim non pauci, doctrinæ apostolicę propugnatores, quibus fraudulenti Eusebij conatus non erant omnino incogniti) apertè cõtradicerent, obstarentq; quò minus magnus Eustathius iniquam illam sententiam exciperet, facinoris authores maxima cum celeritate ad Imperatorẽ contendunt. Cui cum persuasissent crimen Eustathio intentatũ verum esse, & æquã abdicationis sententiã, perfecerunt, vt Eustathius pietatis & castitatis athleta, velut adulter simul & tyrannus in exilium pelleretur. Ille igitur per Thraciam profectus, vrbem quandam Illyriæ petiuit.

Matth. 18.
2. Cor. 13.
1. Tim. 6.

De Episcopis hæreticis Antiochiæ post sancti Eustathij mortem constitutis. CAP. XXII.

POst discessum Eustathij, Eulalius episcopus Antiochiæ pro illo deligitur. Quo paulò pòst mortuo, Antiocheni habebant in animo Eusebium Episcopum Cæsareæ ad se transferre. Verùm cum & Eusebius ab vno episcopatu ad alterum transferri recusasset, & Imperator illud ipsum fieri vetuisset, Euphronium elegerunt. Quo etiam vita defuncto (annum enim & menses aliquot postquam electus erat, vixit) ecclesiæ illius episcopatus Placentio delatus est. In horum omnium animis similiter delituit Ariana labes. Quapropter quàm plurimi tum ex clero, tum ex populo, quibus propositum erat Deum sanctè & sincerè colere, relictis publicis ecclesiæ conuentibus, separatim per se conuentus agere cœperunt. Quos quidem Eustathianos omnes propterea nuncupauere, quòd post abitum Eustathij in vnum coiuissent. Sed vt ad miseram illam meretricem redeam, ea in morbum grauissimum maximeque diuturnum delapsa, insidias atque adeo tragœdiam factionis Eusebianæ aperuit, & non duos trẽsue sacerdotes, sed quàm plurimos de fraudulentis Eusebij conatibus certiores fecit: seque mercede conductam illud fictum crimen Eustathio intẽdisse: & tamen iusiurandũ, quo se obstrinxerat, non prorsus falsum esse: Nam

Eustathium quendam fabrum ærarium pueri patrem fuisse. Atque hæc quidem ab optima illa scilicet factione Eusebiana Anthiochiæ patrata sunt.

De Indorum fide. CAP. XXIII.

PER idem tempus diuinæ cognitionis lux apud Indos orta est. Nam cum eximia Imperatoris Constantini fortitudo & pietas singularis per omnium ora volitaret, & Barbari vndique vsu experientiaq; didicissent pacem bello longe anteponendam esse, liberè ac fidenter omnes mutuam inter ipsos societatem inierunt. Ac multi visendi causa, non pauci mercaturæ faciendæ, perlonga susceperunt itinera. Quo quidem tempore Tyrius quidam philosophiæ peritus, desiderio extremæ Indiæ visendæ incensus, duobus comitatus adolescentibus, fratris sui filijs, eò profectus est. Qui simul atque animi sui desyderium expleuerat, conscensa naue in patriam redire maturat. Inter vias nauiaquationis gratia ad littus appulsa, Barbari forte in eos incursione facta, nonnullos demersere, alios abduxere captiuos. Ille autem Tyrius in mortuorum numerum ascriptus est: adolescentes verò ad regem Indorum deducti: quorum alteri Aedesius, Frumentius alteri nomen fuit. Cum longo tempore iam illius regionis Rex periculum istorum fecisset, & ingeniosos esse perspiceret, suæ ipsius familiæ curam illis imposuit. Quod si quisquam sit, qui verbjs meis minime fidem abhibeat, secum consyderet, res à Iosepho gestas, & regnũ Aegypti ab eo administratum. Reuocet porro in memoriam prophetam Danielem, & tres illos athletas, qui tam strenue pro pietate decertarunt. Etenim illi in bello capti, regni Babyloniorum administrationem obtinuere. Mortuo autem Indorum Rege, vixere cum filio suo permagno honore affecti. Ac quoniam in vero Dei cultu educati erant, mercatores, qui eo commeabant, cohortati sunt, vt in vnum congregati (vti fert mos Romanorum) diuina ministeria obirent. Longo verò iam tempore dilapso, veniunt ad regem, & mercedem suæ erga illum beneuolentiæ postulant non aliam quidem, quàm vt ipsis faciat potestatem in patriam reuertendi. Qua re impetrata, in fines Romanorum aduentant: atque Aedesius rectà Tyrum proficiscitur: Frumentius autem studium erga pietatem pluris faciens, quàm aspectum parentum, Alexandriam contendit: docetque illius ecclesiæ episcopum, Indos maxima duci cupiditate luminis diuinæ cognitionis percipiendi. Tenuit quidem id temporis ecclesiæ illius gubernacula Athanasius. Qui cum has res audiuisset, quis, inquit, melius, quàm tu, vel ignorantiæ caliginem ab oculis animorum huius gentis dispellere, vel splendorem diuinę prædicationis illis porrigere poterit? Quæ cum dixisset, ei sacrosanctum episcopatus munus impertit: mittitque ad animos illius gentis pietatis doctrina excolendos. Ille igitur tum patria relicta, tum longissimi pelagi traiectu neglecto, ad gentem contendit culturæ diuinæ penitus expertem. Quam quidem, diuina gratia iuuante, summa cum animi alacritate excoluit. Nam miraculis, quæ more apostolorum edebat, eos qui verbis & doctrinæ suæ cõtradicere conabantur, in suam pertraxit sententiam: & prodigijs, quę faciebat, sua dicta confirmans, quàm plurimos in dies singulos fidei Christi adiunxit.

Daniel. 3.

De Iberorum ad pietatem traductione. CAP. XXIIII.

QVemadmodum Frumentius viam Indis ad Dei monstrauit cognitionem: sic eodem tempore mulier quædam capta in bello, Iberes ad veritatem traduxit. Hæc enim assiduis in precibus se defixit: ei lectº fuit & molle stragulum, saccus humi explicatus: ieiunium summarum delitiarum numerauit loco: hac laboriosa viuendi ratione dona assecuta est planè apostolica. Nam quoniam Barbaris propter artis medendi inopiam in more positum erat, vt si quando in morbum incideret, alius alium adiret, & ab ijs, qui modò ægrotauerant, atque ad integram erant restituti valetudinem, diligenter perdisceret curationis modum, mulier quædam ad hominem illam, quam dixi modo, summa laude ornandam, cum puero morbo vexato recta accedit: orat vt quid agendum sit, ab ea doceatur. Illa acceptum puerum in lecto suo collocat: Deum vniuersitatis architectum supplex precatur, vt benignus puerũ morbo liberet. Qui eius precem amplexus, puerum sanauit. Inde admirabilis illa mulier in omnium ore ac sermone versari cœpit. Quod eius factum etiam ad reginę aures perlatum est. Itaque statim illam accersit ad se. Nam ipsa fortè graui morbo afflictata iacuit. Mulier ne quid suprà quàm sexus muliebris fert, tentare videretur, reginæ postulatum denegauit. At regina necessitate compulsa, minimè quid regia sua dignitas postularet, animo complexa est, sed propere ad captiuam ipsa contendit. Mulier eam itidem in suo abiecto ac vili reponit lecto, precesque, medicamentum planè salutare, morbo adhibet. Regina igitur è morbo recreata, mercedem curationis longe amplissimam, aurum nempe, argentum, indusia, pallas, & id genus alia dona, quæ regalis poscit magnificentia, mulieri apportat. Sancta autem & diuina planè mulier dixit his sibi minime opus esse: seque veri Dei cultus cognitionẽ magnæ mercedis loco ducere. Et quoad eius fieri poterat, diuinis præceptis reginã erudiuit: hortatur vt sacrosanctum templum ad honorem Christi, qui eam morbo eripuerat, exædificaret. His rebus auditis, regina redijt ad palatium. Quam tam breui curatam esse supra modum admiratur Rex. Deinde potentiam Dei, quem captiua colebat, ei aperit: orat, vt eum solum Deum agnoscat, templũ ei extruat, & vniuersam suam gentem ad eius cultum traducat. Rex autem miraculum in

Vide Ruff. & nota.

in sananda coniuge editum laudat ille quidem plurimum, sed tamen templum fabricare noluit. Aliquanto igitur temporis spatio interposito, ipse forte cõfert se venatum: quem benignus Dominus non aliter atq; olim Paulum, inter venandum cepit. Nam caligo ei de repente offusa, impedimento fuit, quo minus longius progrederetur. Atque cæteri venatores claris lucis radijs, vt assolet, vsi sunt: iste autem solus relictus, cęcitatis vinculis tenebatur irretitus. Qui, licet in tam ancipiti loco vita eius posita esset, viam tamen salutis cito inuenit. Nam simul vt incredulitatem suam in memoriam redegerat, & Deum captiuæ sibi inuocarat adiutorem, caligo ab oculis depulsa est. Itaque profectus ad captiuam illam mulierem sane admirabilem, rogat, vt templi extruendi modum ipsi ostendat. Eam autem ille, qui Besilielem singulari architectandi peritia imbuebat, tanta gratia donauit, vt sacrosancti templi formam exquisitè describeret. Quam cum Iberes ab ea haberent descriptam, fodere & exædificare cœperunt. Postquam ædificium perfectum absolutumque fuit, & tectum ei impositum, & soli sacerdotes desiderabantur, præstabilis illa mulier hanc rem facile expediuit. Nam persuasit Regi, vt legatos ad Imperatorem Romanum mitteret, postularetque vt sibi doctor aliquis veræ in Deum pietatis mitteretur. Rex igitur consilium eius amplexatus, legatos mittit. Imperator Constantinus amator pietatis ardentissimus, petitionis causa intellecta, cum legatos summa humanitate & beneuolentia complexus est, tum virum fidei, doctrinæ, & piæ vitæ ornamentis eximiè decoratum, atque adeo ad episcopatus gradum euectum, præconem diuinæ cognitionis Iberũ genti cum donis quàm plurimis misit. Atq; sicut istorum postulationi ab eo benigne prospectum est: sic illorũ, qui in Perside pietatis alumni erant, sua sponte curã suscepit ac prouidentiam. Nam cum certior factus esset eos ab impijs exagitari, & eorum regẽ errori deditum varios insidiarum modos contra eos moliri, literas ad eum scripsit, quibus & ad pietatem sectandã eum cohortatus est, & vt pij homines suum honorem retinerent, postulauit. Verùm ipsa epistola singulare scriptoris studium multò commodius declarabit.

Act. 9.

Imperatoris Constantini ad Saporam Persarum regem pro Christianis epistola. CAP. XXV.

Epistola Constantini Imperatoris ad Saporam Persarũ regem de prouidentia Dei, qua populi sui saluti consulit.

QVemadmodum fidem sacratam conseruando, lucis veritatis particeps fio, sic lucem veritatis, tanquam ducem sequendo, ad sacratæ fidei cognitionem recta peruenio. Idcirco per ista (Sicut rerum euentus confirmant) sanctissimam religionem agnosco, huncque cultum, magistrum cognitionis illius, qua Deus Opt. Max. intelligitur, me habere profiteor. Atque huius Dei virtutem, adiutricem assecutus, ab extremis Oceani oris exorsus, vniuersum inde orbem terrarum, ad firmam salutis spem excitaui. Nam regiones, quotquot erant crudelibus admodum tyrannis redactæ in seruitutem, atque adeo quotidianis calamitatibus oppressæ, propeque labefactatæ, omnes mea opera ac subsidio meliorem vitæ conditionem recipientes, quasi cu ratione quadam refocillati sunt. Hunc ego Deum veneror cuius signum exercitus meus Deo dicatus, suis humeris portans, eò quo æqui iustique ratio vocat, rectà proficiscitur, nobisque per illorum clarissimos triumphos continuo gratia rependitur. Hunc Deum memoria sempiterna me recolere confiteor: in hunc altissima loca incolentem pura & syncera mente assiduè contemplor: hunc genibus flexis inuoco: omnem detestabilem cruorem ac cædem victimarum fugio: odores in eisdem nefarios & execrandos vito: omnem terrestrem declino splendorem. Quibus rebus omnibus sceleratus & infandus error gentilium contaminatus, complures nationes, atque adeo vniuersa fere hominum genera deiecit de sublimi, inque ima barathri loca detrusit. Quæ enim Deus, rerum omnium moderator, quo hominibus prouideat, propter clementiam suam in lucem ad vsum vitæ necessarium protulerit, ea ad cuiusque libidinem rapi conuertique neutiquam permittit: Sed puram solum mentem & animum labe vacuum ab hominibus requirit, hisque virtutis & pietatis actiones ponderat. Nam modestiæ & mansuetudinis lætatur officijs: mites diligit: authores seditionis odit: fidem amat: infidelitatem coercet supplicio: omnem potentiam superbia inflatam perfringit: pœna mulctat insolentium contumeliam: fastu elatos radicitus extirpat: humilibus & patientibus iniuriarum ea, quæ ad dignitatem pertinent, tribuit. Sic etiam imperium iustum magno æstimat & auxilio suo confirmat: conscientiamq; verè regiam tranquilla pace munit. Neque sanè videor mihi errare, frater mi, dum istum vnum solumque Deum esse, qui est omnium dux & parens, ingenuè confiteor: quem plerique eorum, qui huius imperij clauum tenuerunt, insano errore & amentia adducti, dedita opera penitus pernegarunt. Verùm illos omnes eiusmodi exitus, velut scelerum vindex, oppressit, vt vniuersum posterorum hominum genus eorum calamitates exempli loco his, qui similia cum illis facta imitari voluerint, ante oculos ad cõtemplandum proponat. Ex quorum numero illum, quem ira Dei, tanquã fulmen quoddam è nostris finibus extruserit, inque vestros transportarit, vnum fuisse arbitror: qui quidem turpitudinis suæ quasi trophæum apud nos multorum sermone nobilitatum, apud vos in omnium conspectu statuit. Quinetiam illud præclarè cecidit, vt nostra ætate, supplicium de eiusmodi hominibus sumptum ob oculos omniũ euidenter po-

ter poneretur. Nam quibusdam illorum, qui nuper populum Deo consecratum nefarijs edictis exagitauissent, ipse equidem oculis aspexi pœnas inflictas esse. Quapropter magna Deo habeatur gratia, quòd summa illius prouidentia factum est, vt vniuersum hominum genus, quod legi diuinæ colendæ se addixerit, pace ipsi reddita restitutaque exultet & glorietur. Hinc persuasum habeo, res tum singulas, tũ vniuersas, in optimo & tranquillissimo statu locatas esse, quòd Deus omnes homines per sinceram & spectatam ipsorum religionem ex concordi consensu in sacro eius numine venerando natam, ad se aggregare dignatus sit. Isto verò hominũ genere, Christianos dico (de his enim omnis mihi sermo institutus est) cum audio prouincias eas, quæ in Perside facile primas tenent, quàm maxime, sicut mihi in optatis erat, refertas, quanta me voluptate affectum esse existimas? Sicut igitur tibi pulcherrimè, sic illis non minus præclare contingit, quòd propterea Deum patrem, omnium rerum dominum ita tum tibi ipsi, tum illis clementem ac propitium habiturus es. Quocirca quoniam tantus es & tam eximius princeps, istos ipsos tibi commendo: & quoniam pietate tam inlignis es, tuæ concredo fidei. istos, amabo te, vti tuam benignitatem decet, amplectere. Nam per fidem & tibi ipsi es, & nobis immensum quoddam beneficium præstaturus. Tantam curam imperator facilè præstantissimus de viris pietate eximijs suscepit: atque non suis solum subiectis studiose prospexit, verumetiam illis, qui alienę parebant ditioni pro virili consuluit. Quã ob causam Deo ipse curæ fuit: Vnde & Europæ totius, & Affricæ, quinetiam maximæ partis Asiæ imperio potitus est, & suos subiectos sibi beneuolos habuit, & freno gubernationis suæ libentibus animis obsequentes. Porrò autem barbarorum, alij sua sponte ei inseruire in animum induxerunt: alij idem præstiterunt bello deuicti. Vbique trophæa ab eo erecta: Vbique ille ipse victor, imperator declaratus. Sed quoniam hæ res ab alijs pluribus verbis prædicatæ sunt, idcirco illis relictis ad historiam veniamus. Quemadmodum omnium ore celebratus imperator curas ac studia plane apostolica versabat animo: Sic sacerdotes non modò non in ecclesia ædificanda, sed in eius fundamentis penitus disturbandis operam suam posuerunt. Nam qui istis stabiliendis per doctrinam apostolicam animum adijciebant, hos falsis cuiusque generis calumnijs confictis, suis honorum gradibus abdicarunt. Etenim qui facinus illud memorabile contra magnum illum Eustathium consciuissent, horum inuidia hactenus minimè exaturata fuit: sed in alia firmissima pietatis arce cuniculis oppugnanda magnopere laborare, variasque machinas ei admouere aggressi sunt. Quam quidem tragœdiam, quantũ fieri potest, breuissimè hoc loco explicabo.

De paratis contra sanctum Athanasium insidijs.
CAP. XXVI.

CVM episcopus ille egregius Alexander, qui tam strenue contra Arij blasphemiam decertauerat, quinque menses post concilium Nicææ celebratum finem viuendi fecisset, ecclesiæ Alexandrinæ episcopatum capessit Athanasius: vir à puero diuinis & sacris literis institutus, & singulis ordinum ecclesiasticorum muneribus cum summa omnium admiratione perfunctus. Iste in magno illo ac celebri concilio Nicæno egregiè ac virili animo pro doctrina apostolica luctatus, quemadmodum à veritatis defensoribus magnam laudem adeptus est, sic apud eius oppugnatores, velut aduersarius in graue odium & plane capitale incurrit. Qui cum adolescens esset, consuetudine illius excellentis Alexandri assiduè vsus est, choroque diaconorum præfuit. Vbi verò Ariani, qui vnigenitum Dei filium oppugnare secum decreuerant, experientia docti intellexere propensum atque alacre eius in tuenda veritate studium, & iam ad ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula suscipienda designatum cognouere, eius administratione suam potentiam labefactatum iri existimarunt. Qua de causa tale quoddam facinus moliri cœperunt. Cum Meletius ille, quem concilium Nicænum abdicauerat, tumultus ac turbas tum in Thebaide, tum in Aegypto, quæ ei finitima est, ciere non desisteret, Ariani militibus quibusdam mercede conductis (sic enim fore putabant, vt crimen simulatum confictumque suspicione careret) persuadẽt, vt propere contenderent ad imperatorem, Athanasium per calumniã insimularent, quòd tributa Aegypto imposuerat, & aurum inde collectum homini tyrannidem exercere molienti suppeditarat. Qui cum imperatorem hoc modo essent ludificati, effecerunt vt Athanasius Constantinopolim duceretur. Ille vt primum eo venit, tum falsam accusatorum criminationem refutauit, tum ad ecclesiæ administrationem, quæ ei diuinitus delata erat, restitutus est.

Imperatoris Constantini ad Alexandrinos epistola.
CAP. XXVII.

ISTas quidem res aperte declarat Imperatoris epistola, quam scripsit ad ecclesiam Alexãdrinam: cuius partem extremam in hanc nostram historiam includere non incommodum existimaui. Improborũ hominum maleuolẽtia vestro episcopo, mihi credite fratres, nihil omnino nocere potuit: quorũ studium huc solum spectabat toto vt ætatis tempore in eiusmodi maleficijs consumpto contritoque, nullus ipsis in hac vita relinqueretur pœnitentiæ locus. Itaque vobis ipsi sitis adiumento: illud amplexamini, quod amorẽ possit inter vos conciliare: omnibus viribus eos insectamini, quibus in optatis est mutuã inter vos concordiã extinguere. Atque ad Deum oculis mentis vestræ coniectis, vos vestramque salutem amate. Ipse equidem vestrum episcopum Athanasium lubens ad me admisi: sicq; eum affatus sum, vt hominem (quemadmodum mihi persuadeo) qui Deum sancte religioseque colit.

Altera aduersus Athanasium structa fraus.
CAP. XXVIII.

ATne sic quidem impios Arianos puduit, sed aliam talem de integro texere fabulam aggressi sunt, qualem nemo veterum tragicorum comicorúmque aliquando effinxerit. Nam accusatoribus ex sua ipsorum factione conductis, eos deducunt ad imperatorem. Illi clamant Athanasium virtutis athletam multa infanda scelera consciuisse. Horũ causam tutatus est Eusebius Theognis, & Theodorus Perinthius (Perinthus autem hoc tempore Heraclea nominatur) dicunt istas res adeo indignas intollerabilesque, vt hominum aures eas audire refugiant. Proinde persuadent Imperatori, vt Cæsariæ Palestinæ (ibi enim complures erant Athanasio infesti) concilium conuocetur, iuberetque in ea vrbe iudicium de Athanasio exerceri. Imperator autem illis, vtpote sacerdotibus obsecutus (siquidem ignorabat penitus fraudulentos eorum conatus) quod postulauerant, fieri mandauit. Verùm sanctus Athanasius, intellecto iudicum odio, ad concilium non venit. Ariani igitur, ansa inde ad calumniandum arrepta, & bello contra veritatem suscepto, præter alia nefanda facinora, tyrannidis præterea & contumaciæ eum coram Imperatore insimulant. Neque certe spes eos frustrata est. Nam Imperator alioqui mansuetissimus, eorum verbis ad iracundiam prouocatus, scripsit ad Athanasium epistolam, qua & bilem suam aperuit, & ei, vt Tyrum peteret, mandauit. Etenim quoniam suspicabatur (quemadmodum ego censeo) Athanasium Cæsareæ, propter illius vrbis antistitem, minime velle comparere, idcirco iussit, vt concilium Tyri cogeretur. Itaque scripsit ad concilium epistolam, dignam sane homine pietatis insignibus eximiè decorato: quæ se habet ad hunc modum.

Imperatoris Constantini ad Concilium epistola.
CAPVT XXIX.
Constantinus Augustus Sancto Concilio Tyri conuocato.

FVisset planè consentanium, & his tam prosperis temporibus maxime accommodatum, vt ecclesia catholica à seditionibus libera & vacua fuisset, & famuli Christi omni nota iam penitus caruissent infamiæ. Sed quoniam quidam, velut insanæ contentionis furore agitati (tantum enim abest, vt eos vitam ipsis dignam traducere dicam) omnia perturbare permiscereque nituntur (quæ res sanè omnem calamitatem videtur longe superare) propterea vos vestra sponte, vt dicitur, currentes hortor, vt abiecta omni cunctatione in vnum conueniatis, ad concilium frequentes accedatis, his qui auxilij indigent, subsidio sitis, fratres in periculo versantes liberetis, membra seditione distracta reducatis ad concordiam, ea denique in quibus erratum est, dum tempus ad eam rem fert, corrigatis: vt tot tantisque prouincijs animorum consensum, quem (proh nefas) paucissimorum hominum insolentia dissipauerit, de integro restituatis. Atque quòd ista res Deo omnium rectori pergrata, quodque & nobis optatissima, & vobis ipsis, si pacem inter eos concilietis, non adumbratæ sed veræ gloriæ materia futura sit, arbitror omnes iuxta mecum velle libenter confiteri. Nolite igitur moram facere, sed omnes animi neruos huc intendentes, de propositis controuersijs ritè & conuenienter decidere laborate, & cum omni videlicet alacritate ac fide vndique conuenite: quam Seruator ille, quem nos sanctè colimus, propè voce emissa, à nobis maximè semper flagitat. Nec quicquam eorum, quæ ad meam diligentem curam pertinent, desiderabitur. Quæ autem per literas mihi significastis, omnia à me confecta sunt. Misi igitur ad eos, quos volebatis, episcopos, vt ad vos aduentantes, vobiscum sua sensa & cogitationes communicent. Misi etiam Dionysium, virum consularem, qui eos, quos ad concilium oportet vobis vnà accedere admoneat, & tum quæ gerantur, tum maxime vt omnia ordine & ratione fiant, accurate videat. Quòd si quis (sicut minime suspicor) nostrũ mandatum etiam iam callidè reijcere studens, recuset ad concilium aduentare, hinc à nobis aliquis mittetur, qui eum regio mandato de dignitate sua deijciat, doceatque non decere quenquam decisionibus Imperatoris pro veritate editis aduersari. Erit igitur vestræ sanctitatis officium, vt de cætero summo animorum consensu & iudicio his in quibus vel dedita opera peccatum est, vel per errorem delictum, conuenientem curationem non ad odium alicuius, vel ad gratiam, sed vt canon ecclesiasticus apostolicusque flagitat, excogitetis: vti tum ecclesiam omni liberetis blasphemia, tum meas curas ac solicitudines releuetis, tum denique pacis beneficium his, qui iam seditionibus perturbantur, præstantes, maximum gloriæ decus vobis ipsis colligatis. Deus vos, fratres charissimi, seruet incolumes. Quare cum ipsi hac de causa Tyri essent congregati, aduentarunt eò etiam alij nonnulli, qui ob doctrinæ prauitatem accusabantur: in quorum numero fuit Asclepas episcopus Gazæ. Illo quoque aduentauit Athanasius. Sed primum accusationis Athanasio intentatæ velut tragœdiam exponere, deinde ea, quæ ad iudicium de eo latum, quod tam multis in ore est, literis persequi constitui.

De Concilio Tyri celebratõ. *CAP. XXX.*

ARsenium quendam communionis Meletianæ episcopum quidam ex eius factione eo quidem consilio occultant, vt diu ab hominum oculis remotus latitet. Interea temporis, manu cuiusdam hominis mortui

abſciſſa, eam ſale conditam, in capſa lignea reponunt, circumferunt vndique, manũ eſſe prædicant Arſenij, eamque ab Athanaſio exciſam prædicant, & propterea illum vocant homicidam. Verùm ſummi numinis oculus, qui omnia contemplatur, non diu Arſenium latitare paſſus eſt: ſed primũ in Aegypto, Thebaide compertum eſt eum adhuc viuere. Deinde Tyrum vſque diuina prouidentia deductus eſt. Ibi tum manus illa ad hanc tragœdiam comparata, coram iudicibus proferebatur. Iſtum Arſenium Athanaſij neceſſarij conquirunt, adducunt, cogunt in diuerſorio parumper latere. Interim illuſtris ille Athanaſius primo mane venit ad concilium. Ad quem accuſandum introducta eſt muliercula libidinoſa ac petulans: clamat impudenter ſe pæſſam eſſe virginitatem, ſed ab Athanaſio, quem hoſpitio exceperat, per vim compreſſam, & inuitam ſtupratam fuiſſe. Quæ cum dixiſſet, ingreditur Athanaſius, quem accuſauerat, presbytero perquam laudato, cui Timotheus nomen erat, comitatus. Vbi verò à iudicibus imperatum Athanaſio fuit, vt crimini reſponderet, ipſe obticuit, perinde ac ſi Athanatius non eſſet, atq; Timotheus ſic muliercula alloquitur: Egóne tecũ aliquãdo rem habui, egóne in tuas ædes ingreſſus ſum? Tum illa impudentius petulantiuſq; clamare, digladiari cum Timotheo: manum educere: oſtendere annulũ ac dicere: Tu mihi abſtuliſti virginitatem: tu caſtitate me ſpoliaſti: aliaque, quæ impudentes meretrices propter intemperantiæ exuberantiam loqui ſolent. Ad hunc modum igitur tum his, qui fabulam texuerant, ignominiæ, tum iudicibus, qui facinoris conſcij erant, pudoris inuſta nota, muliercula educta eſt è concilio. Tum magnus ille Athanaſius, non eſt dimittenda mulier, ſed inquirendum in eam, cognoſcendumque quis hæc crimina confinxerit. At Ariani vociferati, alia contra eum multò grauiora reſtare crimina, quæ nulla dicendi arte acuminéae dilui poſſent. De quibus cum proferrentur, non audiendi, ſed cernendi ſenſus iudicium faceret. Quæ cum dixiſſent, capſam, de qua tam creber ſermo fuit, oſtendunt, & manum ſale conditam detegunt. Tum ſinguli, qui eam conſpicabantur, clamorem tollere: ac pars eorum ſcelus verè admiſſum eſſe putabant, pars rem fictam falſamque eſſe ſciebant, & Arſenium adhuc occultatum latitare arbitrabantur. Atque vix momento temporis ſilentium fuit, cum Athanaſius cui crimen intendebatur, ſciſcitatus eſt à iudicibus, ecquis inter eos Arſenium noſceret. Cùm à multis reſponſum eſſet ſe accuratè hominem noſcere, eum introduci iubet: ac rurſus ſic percontatur: hiccine eſt Arſenius à me quidem interfectus, ab iſtis autem quæſitus, poſt cædem affectus contumelia, & dextra manu priuatus? Vbi verò aſſenſum eſt illum ipſum eſſe, Athanaſius exuit eum pallio, & vtranque manum tum dextram, tum ſiniſtram oſtendit, aitque: Aliam manum nemo, opinor, quæret. Nam amplius quàm duas manus ab vniuerſitatis conditore accepit nemo. Quibus rebus ad hunc modum patefactis, cum oporteret & accuſatores, & iudices, qui facinoris erant conſcij, præ pudore ſe in latebras abdere, optaréque vt tellus ſibi dehiſceret, concilium tumultu ac ſeditione complere, veneficum appellare Athanaſium, eum hominum oculos præſtigijs fefelliſſe affirmare cœperunt, quinetiam, qui eum paulò antè cædis reum egerant, ijdem ipſi hominem diſcerpere mactaréque aggrediuntur. Verùm quibus negocium ab Imperatore dabatur vt paci ac tranquillitati prouiderent, cædem prohibuerunt. Nam Athanaſium, qui in cauſæ diſceptatione ſuperior diſceſſerat, hoſtium manibus ereptum, in ſcapham curauerunt imponendum, ſicque eius ſaluti conſuluerunt. Qui rectà ad Imperatorem profectus, totam tragœdiam, vt geſta eſt, ei narrat. Aduerſarij autem quoſdam ſuæ opinionis epiſcopos, Theognidem dico, epiſcopum Nicææ, Theodorum Perinthium, Marim Chalcedonium, Narciſſum Cilicem, & alios eiuſdem doctrinæ fautores, ad Mareotem, quæ eſt regio Alexandriæ ditioni ſubiecta, quaéque nomen ex Lacu Mario inuenit, miſerunt. Qui cum in eo loco mendacia quædam contra Athanaſium confinxiſſent, quoſdamque commentarios de eiſdem falsò compoſuiſſent, & calumnias antà patefactas tanquam veras criminationes contexiſſent, ad Imperatorem hæc omnia deferenda curauerunt.

De eccleſiæ dedicatione Hieroſolymis, ac ſancti Athanaſii proſcriptione. CAP. XXXI

HIS rebus geſtis, illi Hieroſolymam proficiſcuntur. Nam eo totum concilium Tyri conuocatum petere mandauerat Imperator. Quinetiam alios omnes epiſcopos vndique ad eam ciuitatem commeare iuſſerat, quo templa ab ipſo ædificata conſecrarent. Miſit etiam illo vnà nonnullos principes, viros ſibi familiaritate & beneuolentia coniunctiſsimos, pietatis & fidei ornamentis eximiè decoratos, quibus mandatum dedit, vt non epiſcopis ſolum & eorum comitibus, verùm etiam omnibus egentibus, qui illùc confluerent, omnia neceſſaria largè & liberaliter ſuppeditarent. Porrò ſacroſanctum altare aulæis planè regalibus, & monimentis lapidibus preciosis auroque colluſtratis, adornabatur. Ad hunc modum igitur feſto ſplendidiſsimo celebrato, epiſcoporum ſinguli domum rediere: Imperator autem, cum de celebris feſti ſplendore & magnificentia certior factus eſſet, incredibilem animo cepit lætitiam, & omnium bonorum largitorem Deum propterea laudibus extulit, quòd iſtud poſtulatum benignus ipſi conceſſerat. Poſtquam verò Athanaſius ad eum venit de iniquo iudicio conqueſturus, epiſcopos quos ea de re accuſabat, ad ſe aduentare iubet Imperator. Qui ſimul vt acceſſerunt, calumniaſq; ſuas manifeſtò deprehenſas animaduerterunt, illis, quas iã ante confinxerant, relictis, referunt Imperatori, Athanaſium minatum eſſe ſe prohibiturum, quo minus frumentum, vt ſolet, Alexandria Conſtantinopolim adueheretur. Quibus verbis fidem adiungens Imperator, Athanaſium mittit in exilium, iubetque vt Treuerim vrbem Galliæ ſe conferat. Iam trigeſimus regni ſui annus agebatur.

De beati Conſtantini Imperatoris teſtamento. CAP. XXXII.

ANno & paucis menſibus dilapſis, cum Imperator eſſet Nicomediæ, grauiter ægrotare cœpit. Cumque ſecum conſideraret, quàm incertus ſit humanæ vitæ exitus, donum ſacroſancti baptiſmatis accepit. Ad hoc namque tempus iſtud ideo diſtulerat, quòd magno tenebatur deſiderio hoc ſalutare lauacrum in Iordane fluuio percipiendi. Tres filios imperij reliquit hæredes, Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem natu omnium minimum. Athanaſium magnum Alexandriam redire iuſsit, idque præſente Euſebio epiſcopo Nicomediæ, & contraria ei ſuadere laborante.

Pro eodem Imperatore defenſio. CAP. XXXIII.

NEmini certè mirum videri debet, quòd Imperator in fraudem illectus, tam illuſtres viros ſolum vertere coegit. Nam fidem adhibuit epiſcopis, qui occultate ſtudebant veritatem, illuſtrem quandam vitæ ſpeciem præ ſe ferentes, qua Imperatorem dolo deluſerunt. Neque ſanè eos fugit, qui ſunt in ſacris literis eruditi, Dauidem prophetam reuera deceptum fuiſſe. Quem non pontifex, ſed
2.Reg.16. verna & verbero (Sibam dico, qui falſum crimen contra Miphiboſeth detulit ad regem iliuſque agrum, ſuum ita reddidit) veteratoriè circumuenit. Atque iſta quidem dico, non quò prophetam infimulem, ſed quo pro Imperatore reſpondeam: oſtendamque humanæ naturæ imbecillitatem, & doceam ſimul non ſolis accuſatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus ſit habenda fides, ſed alteram aurem integram ſeruandam reo.

De ſancti Conſtantini Imperatoris obitu. CAP. XXXIIII.

POſtea verò quàm Imperator ex hoc terreſtri regno ad alterum multo præſtabilius tranſlatus fuit, præfecti, duces, & reliqui omnes illuſtres viri, eius corpus in loculo aureo repoſitũ Conſtantinopolim deportant: quod quidem milites omnes comitantur, partim antecedentes, partim ſubſequentes, ſeq; tam præclaro Imperatore orbatos grauiter lamentantur. Nam eum ſibi patris benigniſsimi loco fuiſſe pro certo compererant. Quod autem ad corpus eius attinet, quantum honoris interim illi delatum ſit, quanto temporis ſpatio, dum principes viri filij reditum expectarent, in palatio manſerit, literis perſequi non neceſſe arbitror, præſertim cum alij eadem ſcriptis mandarint: quorum libros quiſque pro arbitratu legere poterit, indeque cognoſcere, quibus præmijs quamque honorificis rerum vniuerſarum moderator Deus famulos ſibi beneuolos remuneretur. Quibus ſi quiſquam minime fidem habeat, cum magnifica illa opera, quæ circa eius ſepulchrum, & ſtatuam hodie cernuntur, oculis aſpexerit, credat ſaltem ſacris literis, & Domino dicenti: glorificantes me glorifico, & qui me ſper- 1.Reg.2.
nunt, ipſi quoque ſpernentur.

Finis primi libri.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRI, ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER SECVNDVS.

De ſancti Athanaſii reditu. CAP. I.

DIVINVS ille Athanaſius biennio integro & menſibus quatuor Treueri commoratus, reuertit Alexandriam. Quo quidem tempore Conſtantinus filius Conſtantini Magni natu maximus, qui Galliæ verſus occidentem imperium obtinuit, literas ad eccleſiam ſcripſit Alexandrinam, quæ ita ſe habent.

Imperatoris Conſtantini, Conſtantini filij, ad Alexandrinos epiſtola. CAP. II.

Conſtantinus Cæſar populo catholicæ eccleſiæ, quæ eſt Alexandriæ, S.

VEſtræ prudentiæ minimè obſcurum eſſe arbitror, quid cauſæ fuerit, cur ſacroſanctæ legis, & doctrinæ euangelicæ interpres Athanaſius à patre meo in Galliam relegatus ſit: ne ſcilicet per nefariam improborum quorundam peruerſitatem (nam agreſtis infeſtorum & crudelium hoſtium immanitas eius capiti periculum intenderat) vulnera planè inſanabilia ſuſtinere coactus fuiſſet. Quocirca vt hanc nequam hominum malitiam effugeret, ex illorum quaſi faucibus qui ei ſtruebant inſidias, ereptus eſt, iuſſuſque vt ſub mea ditione vitam degat, quo non aliter ac ſi in ea ciuitate verſaretur, in qua antehac vixerit, omnibus rebus ad vitam neceſſarijs (licet eius eximia virtus diuina ope freta graues aſperioris fortunæ ærumnas pro nihilo putet) abundare circumfluereque poſsit. Quamobrem cum pater meus Conſtantinus Auguſtus, dignus ſanè ob res præclare geſtas, qui

qui ſempiternæ memoriæ commendetur, haberet in animo, epiſcopum illum ad propriam ſedem locumque veſtræ cum primis ſanctimoniæ gratia reſtituere, & morte, vt ſors humana fert, antè occupatus occumberet, quàm id, quod erat ſibi in optatis, explere poſſet, conſentaneum certe exiſtimaui, vt ipſe inſtitutum tam pij Imperatoris mihi exequendum ſuſciperem. Quanta autem obſeruantia & honore hominem complexus fuerim, ab eo ipſo, ſimul atque in veſtrum conſpectum venerit, facile intelligetis. Nec mirum ſanè, me iſtud humanitatis officium erga illum declaraſſe, nam tum quædam veſtri deſiderij, quaſi effigies, tum grauis hominis perſona ante oculos mentis obuerſata, animum meum ad hoc ipſum commouit, vehementerque cohortata eſt. Deus vos, fratres mei chariſsimi, ſua prouidentia diu ſeruet incolumes. Cum iſtis Conſtantini literis ſanctus Athanaſius redit Alexandriam. Quem omnes tum ciues, tum ruſtici, tum nobiles, tum plebei, cupidè libenterque excipiunt, exceptis ſolum Arianis, quibus eius reditus moleſtiæ & angori fuit. Quapropter Euſebius, Theognis, & quotquot eorum factioni adhærebant, ſuas machinas ad Athanaſium oppugnandum de integro admouere, & calumnias in aures Conſtantij Imperatoris, qui filius Conſtantini minor natu fuit, contra eum callidè infundere cœperunt. Sed qua ratione hoc factum ſit, & quemadmodum iſte Imperator à vera doctrinæ apoſtolicæ regula deflexerit, deinceps commemorabo.

Quomodo Conſtantius Imperator à rectafide abductus fuerit. CAP. III.

CONſtantiæ Licinij cõiugi, & ſorori Conſtantini, magna interceſsit familiaritas cum presbytero quodam Ariana labe infecto: qui tametſi erroris morbum, quo laborabat, non palam oſtendit, tamen aſsiduè, dum cum illa ſermonem conferebat, dixit Arium falſo accuſatum eſſe. Huic Conſtantiæ frater eius Conſtantinus Imperator multo omnium illuſtriſsimus, poſt mortem Licinij, viri ſui impij, omni cura ac ſtudio proſpexit, eamque ex viduitate nihil incommodi capere paſſus eſt. Quinetiam cum mortem iam eſſet obitura, ei præſto fuit, neque vllum officij genus, quod ad eam curandam ſpectabat, prætermiſit. Quo quidem tempore illa presbyterum illum accerſi iubet, Imperatoremque ſupplex orat, vt ei prouidere velit. Quòd Conſtantinus & tum ſe facturum pollicitus eſt, & poſtea promiſſum re ipſa præſtitit: quippe conceſsit presbytero, vt eius conſuetudine atque adeo ope pro arbitratu ſuo vteretur. At presbyter, licet in maximo honore apud Imperatorem eſſet, tamen cum videret Imperatoris animum de religiouis doctrina confirmatum, ſuæ prauitatis morbum neutiquam ei aperire auſus eſt. Sed poſtquam Conſtantinus ad regnum immortale migrarat, & regnum imperiumque hoc caducum filijs teſtamento diſtribuerat, cum nemo illorum ei morienti adeſſet, iſti ſoli presbytero teſtamentum concredidit, iuſsitque vt illud Conſtantio traderetur. Nam veriſimile erat hunc, quoniam propius aberat Nicomedia, citius quàm reliquos duos eò peruenturum. Hac de cauſa igitur presbyter & notus Conſtantio (dedit namque ei teſtamentum, ſicut Conſtantinus imperauerat) & perfamiliaris factus eſt: iuſſuſque vt crebro ipſum adiret. Qui vbi inconſtantem Conſtantij mentem, eamque non aliter atque arundinem à contrarijs ventis huc illucque agitatam facilè flecti vidit, confidenti animo bellum contra doctrinam euangelicam ciere cœpit. Atque tempeſtatem, qua eccleſiæ iactabantur, ſimulatè lamentatus, illius authores eſſe dixit eos, qui vocem ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantiale, minimè in ſcripturis repertam doctrinæ fidei adieciſſent: hancque rem vnam tum inter ſacerdotes, tum inter laicos non parum diſcordiæ proſeminaſſe. Deinde Athanaſium & eius doctrinæ fautores inſimulare, parareque contra eos inſidias aggreditur. Hoc adiutore vſi Euſebius, Theognis, & Theodorus Perinthius (erat quidem Theodorus vir doctrina præter ceteros exquiſita, ſcripſitque commentarios in ſacra euangelia: vulgo Heracleotes nominatur) frequenter admodum, quoniã habitabant in proximo, in Imperatoris venere conſpectum, reditumque Athanaſij ab exilio multorum malorum cauſam extitiſſe dixere: & non Aegyptum ſolum, verùm etiam Palæſtinam, Phœniciam, & alias finitimas gentes turbulentis illorum fluctibus grauiter agitare.

De ſecunda Beati Athanaſii relegatione, & Gregorij tum ordinatione tum morte. CAP. IIII.

HIS & ſimilibus rationibus cum leuem in primis & flexibilem Conſtantij animum oppugnaſſent, perſuaſere vt Athanaſius eccleſia pelleretur. Athanaſius autem, intellectis eorum inſidijs, clam ſe ſubduxit Alexandria, & recta in Occidentem contendit. Etenim Iulium epiſcopum, qui tum Romanam rexit eccleſiam, Euſebiani de criminibus, quæ falſo contra Athanaſium confinxerant, per literas certiorem fecerant. Ille eccleſiæ canonem ſecutus, & eos iuſsit Romam venire, & diuinum Athanaſium, quo pro ſe in iudicio ipſe reſponderet, vocauit. Qui vt primum fuit accerſitus, eò maturè contendit. Tragœdiæ autem authores Romam ideo non ſunt profecti, quòd intellexerunt ſua mendacia manifeſtò fore deprehenſa. Qui vbi oues gregis Alexandrini paſtore deſtitutas vident, quendam nomine Gregorium, lupum videlicet in locum paſtoris, ſubſtituunt. Qui ad ſex annos multo maiore crudelitate, quàm agreſtes belluæ, in gregem vſus, tandem à ſuis ipſius ouibus miſerè extinctus fuit, debitaſque ſuæ improbitatis pœnas perſoluit.

De Paulo Conſtantinopolitano epiſcopo. CAP. V.

AThanaſius verò ad Conſtantẽ accedens (Conſtantinus enim filius Conſtantini natu maximus, in bello interemptus erat) de factionis Arianæ inſidijs conqueri, bellum contra fidem apoſtolicam excitatum lamentari, & tum patris, tum magni concilij Nicæni, quod ille conuocauerat, eum in memoriam reducere cœpit: quinetiam decreta patrum, quibus ille vnà interfuerat, ab eo lege confirmata fuiſſe. Talia cum gemitu & lachrymis apud Conſtantem Imperatorem elocutus, eum ad patrem æmulandum excitauit. Nam ſimul atque iſta audiuit, literas ſcripſit ad fratrem, quibus eum hortabatur, vti hæreditatem pietatis paternæ integram inuiolatamque ſeruaret. Illum enim imperium pietate ſtabiliuiſſe, tyrannos, qui Romanos oppreſſerant, profligaſſe, & Barbaros vndique in ſuam poteſtatem redegiſſe. Quibus literis perſuaſus Conſtantius, mandatum dedit, vt epiſcopi tum Orientis, tum Occidentis Sardicam, quæ eſt in Illyria vrbs gentis Daciæ primaria, aduentarent. Nam alijs multis morbis vexabatur eccleſia, ad quos curandos cõcilium neceſſario requirebatur. Etenim Paulum, epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui pro ſana doctrina ſe periculis offerebat, Ariani, tanquam ſeditionis authorem ac ducem accuſabant: aliaque nonnulla ei obiectabant crimina, quæ per calumniam pietatis præconibus inferre ſolebant. Verùm populus veritus aduerſariorum inſidias, hunc Paulum Sardicam id temporis proficiſci non ſinit. Paulò autem poſt Conſtantius Imperator, cuius animus facillimè huc illuc impellebatur, Arianorum ſuaſu Paulum Conſtantinopoli exturbauit, & ad Cucuſum, paruũ oppidum olim ditioni gentis Cappadociæ ſubiectum, nunc autem Armeniæ minori adiunctum, relegandum curauit. At ne hac quidem Pauli in ſolitudine commoratione contentierant rerum omnium perturbtaores Ariani, ſed miſſis eò quibuſdam ſuæ cruentæ voluntatis adminiſtris, eum violẽta morte affecerũt. Quod etiam Diuus Athanaſius in Apologia, quam pro ſuæ fugæ defenſione conſcripſit docet, his fere verbis. Ariani, vbi Paulum epiſcopum Conſtantinopolitanum perſecuti, in oppido Cucuſo Cappadociæ reppererunt, palam curauere ſtrangulandum, Philippo præfecto, qui illorum hæreſeos præſes fuit, & perditorum conſiliorum miniſter, carnifice ad eam rem vſi. Eiuſmodi cædibus nobilitata eſt Ariana blaſphemia. Nam talia ſcelera contra Dei famulos admiſſa, furori eorum aduerſus vnigenitum Dei filium accenſo pulchrè reſponderunt.

De Macedonio & hæreſi ab eo introducta. CAP. VI.

VBI autem Paulum hoc modo ad mortem, imò verò ad regnum cœlorum miſerant, Macedonium in eius locum ſufficiunt: quem quoniã pari ratione cum ipſis blaſphemiam contra Spiritum ſanctum vſurpabat, ſuæ opinionis & doctrinæ fautorem exiſtimarunt. Verùm non ita multò pòſt, iſtum quoq; de epiſcopatus illius gradu propterea deiecerunt, quòd quem ſacra ſcriptura filium Dei nominat, creaturam vocare recuſauit. Qua de cauſa hic ab Arianis ſegregatus, propriæ cuiuſdam ac ſeparatæ ſectæ author & patronus factus eſt: quippe filium patri conſubſtantialem dicere noluit. Sed docuit eum genitori in omnibus ſimilem eſſe, & Spiritum ſanctum creatum aperte aſſeruit. Atque has quidem res non longo tempore pòſt, ita vt diximus, geſtas eſſe conſtat.

De Sardicenſi concilio. CAP. VII.

DVcenti & quinquaginta epiſcopi, ſicut eſt à veteribus memorię proditum, Sardicæ in vnum conuenere: quo etiam acceſsit magnus ille Athanaſius, Aſclepas epiſcopus Gazæ, cuius ſupra facta eſt mentio, & Marcellus Ancyræ, quæ eſt vrbs Galatiæ primaria, qui tempore magni concilij Nicæni epiſcopus fuerat. Aduentarunt illo præterea horum accuſatores, & præfecti phalangis hæreticorum, qui dudum de Athanaſio iudicium exercuerant. Verùm quoniam concilij conſtantiam, & ſanam de decretis diuinis ſententiam exploratè cognitam habebant, cum eſſent vocati, minimè ingredi voluerunt: Sed accuſatores vnà cum iniquis Athanaſij iudicibus ſe inde ſubduxerunt. Quam rem commodius docebit concilij epiſtola: eamque quo eorum facta euidentius appareant, in hiſtoria intexere conſtitui.

Literæ Synodicæ ab Epiſcopis qui illic conuenerant ad vniuerſos orbis Epiſcopos conſcriptæ. CAPVT VIII.

Sanctum Concilium ab Epiſcopis Romæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, Aphricæ, Sardiniæ, Pannoniæ, Myſiæ, Daciæ, Dardaniæ, & Daciæ inferioris, Macedoniæ, Theſſaliæ, Achaiæ, Epiri, Thraciæ, Rhodopæ, Aſiæ, Cariæ, Bithyniæ, Helleſponti, Phrygiæ, Piſidiæ, Cappadociæ, Ponti, Phrygiæ minoris, Ciliciæ, Pamphyliæ, Lydiæ, inſularum Cycladum, Aegypti, Thebaidis, Lybiæ, Galatiæ, Palæſtinæ, Arabiæ, per Dei gratiam Sardicæ celebratum, omnibus vbique Epiſcopis, & miniſtris catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, dilectis fratribus in Domino, S.

ETſi ab Arianis multa ſcelera, idque non raro, contra Dei ſeruos rectam fidem conſeruantes iam pridem edita ſunt (nam adulterina & falſa doctrina ſuppoſita, veræ ſyncerique doctrinę patronos de ſuis honoris gradibus deturbare moliebantur) tamen nuper tantus impetus ab illis aduerſus fidem factus eſt, vt fama eius ad aures vſque ſanctiſsimorum Imperatorum permanarit. Quocirca diuiniſsimi illi Imperatores, iuuante Dei gratia, nos ex varijs prouincijs & ciuitatibus congregarunt, & hoc ſanctum concilium Sardicæ cogi ſtatuerunt, vt non modo omnis tolleretur diſſenſio, verùm etiam deprauata de fide doctrina reiecta, vera pietas in Chriſtum

ſola apud omnes conſeruaretur. Venêre enim
episcopi de oriente Imperatorum religioſiſsi-
morum impulſu, potiſsimum quidem pro-
pter crebros rumores de Chariſ. fratribus &
collegis noſtris, Athanaſio epiſcopo Alexan-
drino, Marcello epiſcopo Ancyræ, quæ eſt in
Galatia, & Aſclepa Gazę epiſcopo diſsipatos.
Fortaſsis etiam tales de illis calumniæ ad vos
perlatę ſunt, quòd veſtras quoq; aures eiſdem
conturbare inſtituebant: eo quidē conſilio,
vt tum criminibus ab ipsis aduerſum inno-
centes confictis haberetur fides, tum impro-
ba ipsorū hæreſis in nullā omnino ſuſpicionē
vocaretur. Cæterū non diu permiſſa fuit illis
poteſtas talia ſcelera admittendi. Dominus e-
nim eſt, qui eccleſijs præeſt, quiq; pro his om-
nibus mortē oppetijt, & per easdē nobis om-
nibus in cœlū aditum patefecit. Nā quemad-
modum Euſebius, Maris, Theodorus, Theo-
gnis, Vrſacius, Valens, Menophantus & Ste-
phanus literas cōtra collegas noſtros, de qui-
bus modo dictum eſt, Athanaſium nempe e-
piſcopum Alexandrinum, Marcellum epiſco-
pum Ancyræ, vrbis Galatiæ, & Aſclepā epi-
ſcopum Gazæ ad collegam noſtrum Iulium,
eccleſiæ Romanæ epiſcopū ſcripſere, ſic ſcri-
pſere quoque aduerſarū partiū epiſcopi, quò
tum integritatē & innocentiā Athanaſij col-
legæ noſtri verè teſtificarentur, tum Euſebia-
norū facta, nihil aliud in ſe complecti, quàm
mendacia & calūnias pene innumerabiles o-
ſtenderent. Et quāuis falſæ eorū criminatio-
nes tū ex eo in primis, quòd accerſiti à chariſ-
ſimo fratre & collega noſtro Iulio nō aduen-
tarunt, tū ex literis ab eodē ipſo Iulio ſcriptis
omnibus conſtare poſsint (nā veniſſent certè,
ſi modo ea facinora, quæ contra collegas no-
ſtros commiſerant, ſe Iulio poſſe probare non
dubitaſſent) tamen ſuos fraudulentos cona-
tus ex rebus, quas in hoc ſancto ac celebri cō-
cilio geſſerint, multo clarius apertiuſq; pate-
fecerunt. Vbi enim venere Sardicā, & fratres
noſtros Athanaſium, Marcellum, Aſclepam,
& alios adeſſe videre, in iudiciū venire metu-
ebant. Ac licet ſemel, iterum, ac ſæpius eſſent
vocati, minime tamen morem geſſerunt. Et
tametſi cum alij epiſcopi, qui in vnum conue-
nerāt, tum Oſius in primis, ſenex certe ad-
modum venerandus, qui propter prolixum
ætatis tempus, propter fidei confeſsionem,
propter grauiſsimos denique exantlatos la-
bores ſummo honore & reuerentia proſe-
quendus erat, expectarent eos, rogarentq́ue,
vt venirent in iudicium, quo quæ de collegis
abſentibus diuulgauerant, & aduerſus illos
ſcripſerant, ea preſentes ipſi vera eſſe conuin-
cere poſſent, tamen vocati, vt diximus, non
venerunt. Vnde ſanè declararunt manifeſto
ſuas ipsorum calumnias, & tergiuerſatione
velut voce emiſſa, ſuas inſidias & molitiones
veteratorias palam prędicarunt. Nam qui ſu-
is dictis confidunt, ij ea coram aſſeuerare non
recuſant. Sed, quoniam iſti in iudicio compa-
rere nolebant, arbitramur profecto iam ne-
mini obſcurum eſſe (quamuis illi rurſus om-
nia per dolū eludere in animum induxerint)
quòd cum nihil habeant, quo de collegas no-
ſtros plane conuincant, illis tamen & obtre-
ctare abſentibus, & præſentes vitare ſtudent.
Siquidem, fratres chariſſ. iudicio intereſſe
detrectabant, non ſolum propter calumnias,
quas ipſi contraiſtos excogitarint, ſed etiam
quòd videbāt ibi præſto futuros alios, qui eos
erant varijs de criminibus accuſaturi. Nam
proferebantur in medium vincula, ferrum,
homines ab exilio reuerſi: venerunt etiam in
iudicium collegæ noſtri, qui ab alijs in exilio
detentis redierant: adfuerunt præterea cog-
nati & neceſſarij eorum, qui iſtorum malefi-
cijs interibant. Et quod omnium maximum
eſt, præſto erant epiſcopi: quorum vnus vin-
cula & catenas, quibus iſtorum opera con-
ſtrictus fuiſſet, protulit: alij mortē ab eiſdem
non paucis per calumniam illatam teſtaban-
tur. Etenim vſque eo iſtorum prorumpebat
amentia, vt epiſcopum trucidare aggrederen-
tur: & certe eum trucidaſſent, niſi ex eorum
manibus elapſus fuiſſet. Porrò comparuit in
concilio beatæ memoriæ Theodolus, collega
noſter, qui eorundem effugiſſet calumnias:
ſiquidem per calumniam eorum mors ei de-
creta fuit. Quinetiam alij oſtendere plagas
gladijs inflictas, alij fame ab illis ſe penè ex-
tinctos conqueri cœperunt. Atque hæc teſti-
monijs confirmare non plebei homines, ſed
integræ eccleſiæ: quarum gratia qui eò ve-
nerant, & earum legatione fungebantur, do-
cebant milites gladijs cinctos, & turbas ho-
minum clauis inſtructas ab iſtis comparatas
eſſe: iudicum item minas, literas fictas ab
eiſdem ſuppoſitas oſtendebant. Nam perle-
gebantur in concilio literæ Theognidis, quas
contra collegas noſtros Athanaſium, & Aſcle-
pam, quò Imperatoris animum aduerſum eos
incenderet, conſcripſit. Quæ literæ fuere di-
aconorum Theognidis iudicio deprehenſæ.
Adde his virgines nudatas ſtatutaſq́ue in pu-
blico, incendia eccleſiarum, collegas denique
in cuſtodias incluſos. Quæ mala omnia non
aliam ob cauſam, quàm ob impiam Arianō-
rum hæreſim factitata ſunt. Nam quicunque
eorum doctrinæ conſentire renuebant, hi
eiuſmodi cruciatus effugere nullo modo po-
tuerunt. Ariani igitur cum iſta animis an-
tè agitaſſent, videbantur ſibi in eiuſmodi ad-
ducti anguſtias, vt quid liberè agerent, non
haberent. Nam cum puderet eos propterea
facinorum ſuorum, quòd ea amplius tege-
re non poterant, veniunt Sardicam, vti opini- ἀπορίρριψις.
onem hominibus afferrent, ſe nihil omni-
no deliquiſſe. Verùm vbi vident eos, quos
falsò inſimulaſſent, quos ſupplicijs affeciſ-
ſent, adeſſe, quinetiam vbi tum accuſatores
tum iudices ſuorum ſcelerum ante oculos
poſitos cernunt, in concilium etiam vocati,
intrare noluerunt. Porrò autem cum collegæ
noſtri Athanaſius, Marcellus, & Aſclepas ma-
gna libertate contra eos loquendi vterentur,
grauiter conquererentur, poſtularent, vti ad-
eſſe vellent, pollicerentur denique ſe non ſo-
lum

lum calumniam eorū refutaturos, verùm et-
iam plane demonſtraturos, quæ ſcelera con-
tra eccleſias edidiſſent, iſti ſuorum improbe
factorum conſcientia erant tantopere perter-
riti, vt tum inde aufugerent, tum per fugam
calumniam ſuā aperirent, tum clam ſubducen
do maleficia ab ſe commiſſa manifeſtò fateri
viderentur. Et quanquam eorum improbitas,
& calumnia non ex rebus ſolum antè ab ipsis
geſtis, verùm etiam ex his vel maxime, oculis
cuiuſq; ſubijcitur, tamen ne ex fuga ſua velut
anſam ad noua maleficia arripiant, cōſultum
ducebamus facinora ab illis deſignata verbo
veritatis accurate expendere. Qua re quidem
ita conſtituta confectaq́ue, cōperimus ex ipſo-
rum factis, eos verè calumniatores eſſe, & ni-
hil aliud molitos, quàm vt inſidias collegis no
ſtris tenderent. Nam Arſenius, quem ab Atha
naſio interfectum prædicabant, adhuc ſuper-
ſtes eſt, & in numero viuentium cernitur.
Ex qua re vna certe, commenta de crimini-
bus, quæ paſsim contra pios diuulgaſſent, per-
ſpicuè deprehenduntur. Quinetiam cum ru-
morem de calice tanquam à Macario presby-
tero Athanaſio confracto ſparſiſſent, nonnul-
li, qui Alexandria, Mareote, & ab alijs locis
Sardicam venerant, apertè teſtabantur, ni-
hil eiuſmodi à Macario admiſſum eſſe. Epi-
ſcopi item Aegypti per literas ſcriptas ad Iu-
lium collegam noſtrum ſatis confirmabant,
nullam omnino fuiſſe de ea re ſuſpicionem.
At prædicant porrò ſe commentarios contra
eum ſcriptos habere: quos profecto licet ex
vna parte confectos conſtet, tamen cum per
eoſdem & de gentilibus, & de catechuminis
haberetur queſtio, vnus ex catechuminis in-
terrogatus reſpondebat ſe intus fuiſſe, cum
Macarius in eo loco præſto eſſet. Alius quo-
que de eiſdem rogatus, dixit Iſchyrā, de quo
tam crebros rumores iſti diſsipaſſent, morbo
vexatum in cellula decubuiſſe. Ex quo perſpi
cuum eſt, tum nulla prorſus myſteria id tem-
poris ideo celebrata fuiſſe, quod Catechu-
meni intus erant, tum Iſchyram non adfu-
iſſe, ſed iacuiſſe in cellula morbo oppreſſum.
Etenim idem ipſe Iſchyras totus ex nequitia
& fraude factus, tametſi falſo mentitus eſſet,
affirmando Athanaſium librum quendam ex
ſacra ſcriptura cremaſſe, tamen ſe eodem tem
pore, quo Macarius ibi adfuerat, confeſſus eſt
in lecto ægrotum decubuiſſe: adeo vt inde ſe
calumniatorem eſſe planè proderet. Deni-
que calumniæ merces Iſchyræ data eſt, nimi-
rum vt epiſcopus nuncuparetur, cum non-
dum presbyter factus erat. Nam venere ad
concilium duo presbyteri, qui antè cum Me-
letio communicarant, poſtea autem à beato
Alexandro epiſcopo Alexandriæ in eccleſi-
am recepti erant, hiq́ue præſentes cum Atha-
naſio teſtimonium dixere Iſchyram nūquam
fuiſſe ordinatum presbyterum, neque Mele-
tium in Mareote, vel eccleſiam omnino habu-
iſſe, vel miniſtrum. Et tamen iſti eum, qui nun-
quā fuiſſet presbyter, iam tamen eſt factus epi-
ſcopus, pro ſe teſtem adducūt, quo poſsint, dū
ſtruunt calumias, hoc epiſcopi nomine audi-
tores obſtupefacere. His accedit, ꝙ liber col-
legæ noſtri Marcelli legebatur, indeq; Euſe-
bianorum fraus erat manifeſto deprehenſa.
Nam quæ ille quærendo diſceptandoq; poſu-
erat, iſti ex eis, vtpote conceſsis & affirmatis
anſam calūniandi ceperunt. Itaq; legebantur
& ea ipſa, & alia, quæ deinceps ſequebantur,
quæq; ante eaſdem quæſtiones poſita erant:
ex quibus compertum eſt fidē Marcelli ſanam
ſynceramq; eſſe. Neque enim Deum verbum
ex ſancta Maria initium cepiſſe, ſicut iſti affir-
mant, neq; regnum eius finem habiturum, ſed
ipſum tum principij, tum finis penitus expers
eſſe ſcripſit. Aſclepas quoq; collega noſter cō-
mentarios proferebat, qui Antiochię preſen-
tibus ſuis accuſatoribus, & Euſebio epiſcopo
Cæſareę confecti erant. Atque ex iudicū ſen-
tentijs in eiſdem contentis, ſe inſontē decla-
rauit. Non ſine cauſa igitur, fratres chariſs. iſti
accerſiti ad concilium, non obtemperarunt:
non ſine cauſa iudiciū effugerunt. Nam ſcele-
rum conſcientia exagitati, fuga ſuas calumni-
as confirmarunt: perfeceruntq́ue vt crimini-
bus, quæ accuſatores eorā aduerſum eos cita-
bant oſtēdebantq́ue, fides adhiberetur. Qui-
bus omnibus illud præterea adiungendū eſt,
quòd eos, qui ob Arij hæreſim in crimen vo-
cati, & ab eccleſia eiecti erant, non modo ad
ſe receperunt, verùm etiam ad altiorem di-
gnitatis gradum extulerunt. Nam & diaconos
ad presbyterij honorem, & presbyteros ad e-
piſcopatum euexere non aliam ob cauſam,
quàm vt tum impiam doctrinam diſperge-
rent lateq; propagarent, tum piā ac ſynceram
fidem funditus delerent labefactarentq́ue. I-
ſtorum autem proximè & ſecundum Euſebi-
anos principem locū obtinent Theodorus Hera-
cleæ, Narciſſus Neroniadis Ciliciæ, Stepha-
nus Antiochiæ, Laodiceæ Georgius, Acacius
Cæſareę Paleſtinæ, Epheſi, quę eſt vrbs Aſiæ,
Menophantus, Vrſacius Singidonis Myſiæ,
Valens denique Murſi Pannoniæ epiſcopus.
Etenim iſti illis, qui ſecum ex Oriente vene-
rant, non dedere poteſtatem vel veniendi in
ſanctum concilium, vel eccleſiam Dei omni-
no adeundi. Qui dum iter faciunt verſus Sar-
dicam, cogunt inter ipſos ſeparatim concili-
um, atq; paciſcuntur cum minis adiectis, ſe
cum venirent Sardicā, nequaquam vel ad iu-
dicium acceſſuros, vel intraturos in ſanctum
ac celebre concilium, ſed ſimul vt eò perue-
nirent, & ſe accedendo ad eā vrbem, ſuo per-
functos officio oſtenderent, quā primum in-
de fugituros. Quas res poſſumus cognoſcere
ex collegis noſtris, Macario Paleſtinæ, & Aſte-
rio Arabiæ, qui tametſi cum eis vnà venerant,
iam tamen ab eorū infidelitate ſe ſepararunt.
Iſti enim ad ſanctum conciliū aduentantes, a-
iebāt, ſe omnia, quæ geſsiſſent, per vim ſibi il-
latā coactos geſsiſſe: adiungebantq́; etiam il-
lud, nempe ꝙ rectæ veræq́ue fidei cupiditate
incenſi, huc venire ab illis fuiſſent prohibiti:
quandoquidē aduerſum ipſos ab eorū opini-
one diſcedere cupientes minas iactare, mul-

taque imperare cœpisse. Quam ob causam omnes in vnis ædibus manere volebant, neque sibi ipsi fecere potestatem vt vnus ab alio vel ad minimum temporis spatium se separaret. Sed vt summatim dicamus, Sicut minimè cõsentaneum erat calumnias, ab istis excogitatas, vincula, cędes, verbera, literas fraudulentas falsoque confictas, virgines nudatas statutasque in publico, ecclesiarum euersiones, incendia, decessiones à minorũ ciuitatum & ecclesiarum gubernatione, ad maiorũ, & quod est omnium maximum, impiam Arij hæresim per eos contra veram fidem excitatam silentio præterire in obscuroque relinquere: Sic æquum videbatur, vt charissimos fratres nostros & collegas, Athanasium episcopum Alexandriæ, Marcellum Ancyræ Galatiæ, & Asclepam Gazæ episcopum, & cęteros, qui cum illis domino ministrant, innocentes & sceleris puros declararemus, scriberemusq; ad cuiusque eorum diœcesin, quo populus ecclesiæ, quæ est ipsorum cuiusque propria, de sui episcopi integritate certior fiat, huncque habeat pro episcopo, eiusque aduentum expectet: eos autem, qui instar luporum in ecclesias ipsorum irruissent, Gregorium dico, qui in Alexandrinã ecclesiã, Basilium, qui in Ancyram, & Quintianum, qui in ecclesiam Gazę irrupit, neque nominet episcopos, neq; Christianos putet, neque vllam cum illis omnino habeat communionem, neque vllas ab ijs recipiat literas, neque ad eos scribat. Quod verò attinet ad Theodorum episcopum Heracłeę, quę est ciuitas Europę, ad Narcissum Neroniadis Ciliciæ, ad Acacium Cæsareæ Palęstinæ, ad Stephanum Antiochiæ, ad Vrsacium Singidonis Mysiæ, ad Valentem Myrsorũ Pannoniæ, ad Menophantum Ephesi, & ad Georgium Laodiceæ episcopum, quanquam metu perculsi, ab Oriente Sardicã non aduentarũt, tamen quia sunt non solum à Beato Alexandro episcopo Alexandrię abdicati, verùm etiam nõ minus, quàm eos, quos supra posui, dementi Arij hæresi infecti, & in grauia etiam crimina vocati, eos sacrosanctum concilium communibus suffragijs de episcopatus gradu dimouit: & non modo non esse episcopos, sed ne communione fidelium dignos iudicauit. Nam qui filium à patris substantia & diuinitate separant, qui verbum à patre alienum arbitrantur, hi meritò & excludendi sunt ecclesia catholica, & Christianorum nomine penitus priuandi. Itaque vobis omnibus anathema sunto, propterea, quod sunt verbum veritatis
Gal. 1. cauponati. Nam idem ipsum præcipit apostolus: Si quis vobis euãgelizauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit. Iubete igitur vt nemo cum his cõmunicet. Non est enim com mercium vllum luci cum tenebris: hos omnes à vobis quàm longissimè ablegate. Neque e-
1. Cor. 6. nim est vlla consensio Christo cũ Belial. Cauete, fratres Charis. ne vel scribatis ad eos, vel literas ab eis recipiatis. Vobis enitendum est, fratres & collegæ, vt spiritu præsentes, concilio nostro consentiatis, eique vestra subscriptione suffragemini, quo concordia ab omnibus collegis nostris vbique integra conseruetur. Illos autem tum excludimus communione, tum ecclesię catholicę finibus expellimus, qui asserũt Christum Deum quidem esse, sed non verum Deum: filium esse, sed non verum filium: genitũ esse simul & ingenitum. Ita se, GENITVM, intelligere fatentur (his enim verbis vtuntur) quod genitũ est, existit. Quinetiam Christo, qui est ante secula, finem tribuunt & initium, qui non in tempore, sed ante omne tempus generationem habet. Item q; nuper duæ viperæ ex aspide Ariana editæ sunt, Valens & Vrsacius: qui quidem insolenter se efferunt, nec dubitant se Christianos dicere, cum tamen & verbum Dei, & spiritum sanctum, crucifixum esse, occisum, mortuum, & à mortuis excitatum, constanter asseuerent. Porrò ista coniurata hæreticorum turba contendit varias patris, & filij, & spiritus sancti subsistentias esse, easque separatas. Nos autem hanc accepimus doctrinam, sic didicimus, hanc habemus catholicam traditionem, fidem, confessionem, videlicet quòd vna sit hypostasis (quam vocem hæretici vsurpant pro substantia) patris, filij, & spiritus sancti. Quod si percontentur à nobis quæ sit filij (vt ipsi intelligunt) substantia, respondemus eam vnam eandemque esse cum ea, quæ est verè patris substantia, neque patrem vnquam sine filio fuisse, neque filium sine patre, neque posse esse verbũ, quod spiritu caret. Est enim absurdissimum affirmare patrem aliquando fuisse sine filio: imò vero nec patrem nominandum, nec posse esse absque filio, ipse filius locuples testis est, cum dicat: Ego in patre, Ioan. 14.
& pater in me est: & rursus: Ego & pater vnum sumus. Ioan. 10. Neque quisquam nostrum negat eum genitum esse, sed genitum ante omnia dicimus, quæ visibilia, inuisibiliaque vocant: fabricatorem, & opificem archangelorũ, angelorum, mundi, humani generis. Nam ait scriptura: Sapientia omnium artifex me docuit. Sap. 7.
Et alio in loco: omnia per ipsum facta sunt. Ioan. 1.
Quod si initium habuerit, semper esse nõ poterat: quandoquidem verbum Dei, cum semper extiterit, principium non habebat, neq; Deus finem habiturus est. Porrò non dicimus patrem filium esse, neque rursus filium patrem esse: sed pater, pater est, & filius, patris filius est. Confitemur item filium potentiam patris esse: confitemur verbum Dei patris esse, præter quod non est aliud. Quinetiam, verbum, verbum Dei esse, sapiẽtiam, potentiam, & verum filium esse affirmamus. Sed non sicut cæteri filij appellantur, filium dicimus: siquidem illi, aut propter hunc dij sunt per regenerationem, aut propterea quòd digni habiti sunt, filij appellantur: non autem propter vnam cum Deo substantiam, quæ est patris & filij. Confitemur etiam eum & vnigenitum esse & primogenitum: sed vnigenitum verbum, quod semper erat, & est in patre: primogenitum autem propter naturam, quam habet cum homine communem. Differt

fert tamen à creatura communi, propterea q; est primogenitus ex mortuis. Confitemur præterea illum Deum esse: confitemur vnam esse patris & filij diuinitatem. Neque tamen quisquam est, qui aliquando neget patrem filio maiorem, non quod aliam habet essentiam, aut quod ab eo differt, sed quia ipsum nomen patris maius est, quàm filij. Et propterea deprauata & execrabilis est Arianorum interpretatio, qui contendunt seruatorem ideo
Ioan. 10. dixisse, Ego & pater vnũ sumus, quod sit inter eos consensus & concordia. Porrò autem omnes ad vnum, qui sumus catholici, stultam atque adeo deplorandam eorum sententiam condemnauimus, qui dicunt, quòd quemadmodum mortales homines, vbi decidere cœperint, mutuis iurgijs odium contrahunt, & tamen postea redeunt in gratiam, eodem modo Deus omnipotens pater, & filius inter se dissentire discordareque possunt: quod quidem nedum ad cogitandum, verùm etiam ad existimandum est omnium scelestissimum. Nos verò & credimus, & affirmamus, & intelligimus sacram illam seruatoris sententiam, quæ ita se habet: Ego & pater vnum sumus, de æternitate essentiæ, quæ est vna eadẽque in patre & in filio, capiendam esse. Item que illud perpetuò credimus hũc sine principio, & sine fine cum patre regnare, & eius regnũ nec tempus habere, quo terminetur, nec qua cõsumatur, defectionem. Nam quod semper est, nunquam cœpit esse, nec aliquãdo deficere potest. Postremò credimus & mente cõplectimur esse paracletum, spiritum sanctum, quem nobis ipse Dominus & pollicitus est, & misit: atque hunc missum, non autem passum credimus: sed hominem, quem filius induit, quem assumpsit ex Maria virgine, passum esse, quia homo pati potest. Est enim homo, mortalis: Deus autem immortalis. Credimus quoque, quòd resurrexit tertia die: nõ tamen quòd Deus in homine, sed homo in Deo excitatus est, quem patri suo obtulit pro dono, quemque à peccato & internecione liberauit. Credimus denique quòd opportuno præfinitoque tempore sit omnes & de omnibus iudicaturus. At verò tanta est Arianorum inscitia, & tam crassa caligine cæcata est eorum mens, vt lucem veritatis videre nequeant, neque intelligant sensum huius sententiæ: vt & illi in nobis vnum sint. Planum certe est, cur vnum dixerit: quòd scilicet apostoli, tametsi spiritum sanctum Dei acciperent, tamen non idcirco spiritus erant, neque quisquam eorum vel verbum, vel sapientia, vel potentia Dei, vel vnigenitus erat (sic autem loquitur
Ioan. 17. scriptura: quemadmodum ego & tu vnum sumus, sic & isti in nobis vnum sint) sed hæc Domini sententia has res accuratè distinxit. Non enim in eo sensu dixit, In nobis vnum sint, quo dixit, sicut nos vnum sumus, Ego & pater, sed vt discipuli inter se coniuncti copulatique, vnum essent fide, & confessione, & per gratiam ac verum cultum Dei patris, quinetiam per Domini Seruatoris nostri benignitatem & amorem vnum esse possent. Ex hac epistola & accusatorum calumnia, & iniquitas eorum, qui iam pridem de Athanasio & reliquis episcopis iudicarant, & sincera ac sana patrum in hoc concilo doctrina manifestò potest intelligi. Nam beati illi patres non solum nos ea docuerunt quę ad diuinam trinitatis naturam pertinent, verumetiam quid de mysterio incarnationis dominicæ sentiendum sit, enucleatè tradiderunt. De quibus rebus cum Constans Imperator certior factus esset, videretque fratris sui Constantij Ieuitatem, ægre admodum tulit. Succensuit etiam grauiter illis, qui ista tã subdole moliti fuissent, quique flexibilem Imperatoris animum illexissent in fraudem. Itaque duos episcopos, quos ex eorum numero, qui Sardicę conuenerant, ad eam rem delegerat, cum literis ad fratrem vnà cum Saliano prætore, viro ἐρατηγόν.
& pietatis & iustitiæ insignibus eximie ornato, misit. Quæ literæ non hortationem solum, & consilium, verùm etiam minas dignas sane pio Imperatore complexæ sunt. Nam scripsit primũ, vt duobus illis episcopis aures attentas præberet, & iniqua facinora à Stephano, & alijs admissa diligenter cognosceret: deinde gregi suo restitueret Athanasium, quippe cum & calumnia accusatorum, & iniqua eorũ, qui dudum de eo iudicarant, sententia, atque adeo acerbum in eum odium perspicue deprehensum esset. Postremò ista adiecit, se nisi his conditionibus obtemperaret, & quod æquitas postulat, exqueretur, Alexandriam profecturum, ouibus, à quibus tantopere expetebatur, restituturum Athanasium, & hostium turbam inde exturbaturum. Constantius igitur his literis Antiochiæ, vbi tum cõmorabatur, acceptis, pollicetur se facturum, quod socius imperij & communis de rep. curæ particeps ipsi per literas significarat.

De Euphratæ & Vincentio Episcopis, & dolis qui in illos intendebantur.
CAP. IX.

Verùm Ariani, veritatis oppugnatores his rebus grauiter commoti, perditum atq; impium plane facinus edere moliuntur. Interim duo illi episcopi ad domum quandam in cliuo positam diuertunt: Prætor autem aliud capessit diuersorium. Stephanus, qui id temporis susceptis ecclesiæ Antiochenæ gubernaculis, naufragium in ea facere constituebat, cum alios habuit suorum tyrannicorum scelerum adiutores, quorum vsus opera, verę doctrinæ patronos varijs affecit incommodis, tum iuuenem quendam, animo ad audaciam proiecto, vita impia ac scelerata, qui istorum dux fuit, quique non homines solùm è foro abducere, contumelijs vexare, verberibus cædere, verùm etiam facta in ædes irruptione, tum homines, tũ mulieres grauitate insignes impudenter extrahere non veritus est. Sed ne longius sim in istius nequitia describenda, vnum solum facinus ab eo contra viros facile præstantissimos admissum exponam, ex

quo de reliquis eius nepharijs maleficijs aduersus optimos viros patratis satis coniecturæ capere poterimus. Iste primum ad quandam meretricem accedens, dixit peregrinos quosdam nuper venisse, qui noctu eius operam requirebant: deinde quindecim hominibus seditiosis collectis, hos circa sepes cliuum ambientes occultat: venit eò cum meretrice, & signo seditiosis, quod præscripserat, dato, vbi intellexit facinoris conscios adesse, pergit ad atriensem ianuam diuersorij, in quo duo episcopi pernoctabant. Quam apertam offendens (vnum namque è seruis ad id faciendum pecunia conduxerat) introducit meretricẽ: cui ostio ostenso cubiculi, in quo alter episcopus forte dormiebat, ingredi iubet, ipse it interea seditiosos suos accersitum. Euphrates verò (hoc enim episcopo ætate prouectiori nomen fuit) in cubiculo exteriore dormiuit. Vincentius autem (sic namque alter appellabatur) in interiore cubiculo quieti se dederat. Dum meretrix intrat cubiculi limen, Euphrates sentiens pedum strepitum, percuntatur quis sit, qui introiret. Respondente autem meretrice, Euphrates grauiter animo conturbatur, ratus sane dæmonem esse, qui vocem muliebrem effinxerat. Ac statim Christi Seruatoris implorat auxilium. Onager vero (ita enim dux illius improbæ & seditiosæ turbæ vocabatur) qui præter manuum pedumque vim, armis præterea ad pios oppugnandos vsus est, cum factiosorum turba in domum ingreditur: episcopos iniquos appellat, ,,pter-ea quòd ipsis in animo esset iniquum exercere iudicium. Multo igitur sublato clamore, serui accurrunt: surgit è lecto Vincentius atque occlusa atrij ianua, septem ex seditiosis illis prehenduntur. Onager cum reliquis aufugiebat. Cum illis autem vnà, qui prehensi erant, custoditur meretrix. vbi illuxit dies, episcopi prætorem qui cum ipsis venerat, excitant: vnà adeunt palatium: grauiter contra audacia Stephani facinora vociferantur: dicunt istius scelera non iudicium neque quæstionem requirere. Prætor autem maxime omnium cœpit aduersus Stephanum clamare: orare Imperatorem, vt de iniquo indignoque eius facinore non in episcoporum concilio, sed pro tribunali iudicium quæratur. Seque pollicetur primum episcoporum clericos, qui facinoris conscij erant, supplicio coercendos traditurum. Stephani quoque ministros ait eodem modo puniendos esse. At cum Stephanus petulanti ore illis contradiceret, affirmaretque plagas clericis non infligendas esse, placuit Imperatori & magistratibus, vt quæstio de facto in regia haberetur. Itaque primum interrogatur meretrix, quis eam ad episcoporum diuersorium deduxisset. Tum illa, iuuenis quidam, inquit, ad me accedens, dixit & peregrinos venisse in vrbem, & meam operam postulare. Sub vesperum igitur redit ad me, & ad diuersorium rectà deducit: deinde cum turba hominum, quam quæ fuerat, paratam offendisset, eam per ianuam atrij in ædes introducit: & in cubiculum exterius intrare iubet. Narrabat præterea meretrix, quid episcopus rogasset, quo pacto metu perculsus, Dei opem precibus imploraſſet, & quemadadmodum denique seditiosi illi in ædes irruissent.

De Stephani abdicatione. CAP. X.

HIS rebus cognitis, iudices minimum natu eorum, qui comprehensi erant, in medium adduci iubent, qui non vsque eo expectabat, quoad verberibus rem fateri cogeretur, sed facinus factum illico aperit, & Onagrum illius authorem fuisse plane fatetur: qui coram adductus impellente atq; adeo iubente Stephano illud ipsum se fuisse affirmat aggressum. Ad hunc modũ ergo intellecta Stephani improbitate, primũ episcopis, qui tum aderant, mandatum dant, vt hominem abdicent episcopatu: deinde illi ipsi eum ecclesia penitus expellant. Non tamen propterea ecclesia labe Ariana omnino liberata est. Nã ei successit in episcopatus illius administratione Leontius genere Phryx, animo versutus, & saxis in vndis maris latentibus similis. Sed de isto quidẽ paulò pòst dicam plura. Per id temporis Constantius, cum pro certo comperisset fraudulentos aduersum episcopos conatus, scripsit ad magnum Athanasium, semel, iterum, ac tertiò, quò illum, vt de occidente reuerteretur Alexandriam, impelleret. Vnam autem eius epistolam breuem illã quidem historiæ hoc loco adnectam.

Constantij ad Athanasium Epistola. CAP. XI.

Constantius Victor, Augustus, Athanasio S.

QVanquam per superiores literas tibi significabamus, vt animo securo ad nostram aulam accederes, propterea quòd in animo erat te ad tuam sedem mittere, tamen has literas etiam tuæ grauitati dedimus, vti publico vehiculo conscenso, ad nos absque omni diffidentia ac timore aduentare properes, quò rebus, quarum cupiditate duceris, maturè potiri queas.

Sancti Athanasii reditus secundus. CAP. XII.

IStarum literarum impulsione redeuntem Athanasium benignè excepit Constantius, & ecclesiam Alexandrinam denuo capessere iussit. Verùm qui tum apud Imperatorem authoritate & gratia plurimum poterant, ijque erroris Ariani contagione infecti, aiebant Athanasium debere vnam præbere ecclesiam illis, qui cum eo communicare nollent. Quæ cum dixissent Imperatori, & Imperator Athanasio, respõdet Athanasius se debere quidem Imperatoris mandatis obsequi, se tamen velle alia quædam ad eum referre, eaque postulare sibi itidem cõcedi. Imperatori autem pollicenti libenter ei concessurum, quicquid peteret, ait eos, qui Antiochiæ communicare recu-

recusarent cum his, qui obtinent ecclesias, opus habere ecclesia, & propterea vnam ædem sacram illis similiter iure tribuendam esse. Vbi verò annuit Imperator, & postulationem vtpote rectam æquamque approbauit, hæreticæ phalangis præfecti, neutri parti ecclesias tribuendas esse censebant. Ob hanc causam Constantius admiratus Athanasium, Alexandriam dimisit. Iam tum occubuerat Gregorius, ab ipsis Alexandrinis cæsus. Quocirca Alexandrini suo viso pastore, publica conuiuia celebrare, festos dies agere splendidissimos, eum magno honore afficere, & Deum denique laudibus extollere cœperunt.

De tertio eiusdem exilio & fuga. CAP. XIII.

VErùm non longo tẽporis spatio interposito, vbi Constans extremum vitæ diem obijt, rursus hi, qui Cõstantij animũ, quo volebant, impellere potuerunt, reuocant eum in memoriam tum dissensionis cum fratre propter Athanasium susceptæ, tum quod parum aberat, quin ruptis naturæ vinculis, bellum inter ipsos mutuò ea de re concitassent. Quibus rationibus impulsus Constantius, iubet D. Athanasium non exilio solum, sed morte mulctari. Itaque Sebastiano quodam duce cum ingentibus copijs ad eam rem misso, dat mãdatum, vt Athanasium, velut sceleratum & impium è medio tollat. Cęterùm quo pacto & dux Athanasium adortus sit, & ille eius manus effugerit, nemo melius, quàm ille ipse, qui in hoc discrimen venerit, & mirandum in modum inde ereptus sit, explicare poterit. Sic enim in Apologia, quã scripsit pro fugæ suę defensione, narrat. Exquirant sedulò modum decessionis meæ, eamq; à suis cognoscant. Quippe erant quidam Ariani, qui comitabãtur milites, quò tum eorum incitarent animos, tum nos illis vtpote ignotos ostenderent. Quod si hoc modo eorum animi minimè omnino commoueantur, tamen vbi quod deinceps dicam, audiuerint, pudore affecti, conquiescant. Iam quidem nox aduentauerat, & nonnulli è populo totã noctem in vigilijs contriuit, propterea quod sequenti die sacra expectabatur communio. Dux aũt repente cũ militibus amplius quinq; millibus, qui tum alijs armis, tum strictis gladijs, arcubus, telis, & clauis instructi erant, vti antè dictum est, accedit. Atq; militibus in proximo collocatis circundat ecclesiã, ne vlli inde egressi, eorum manus effugerent. Ego verò, quoniam neutiquam consentaneum existimaui populum in tanta perturbatione deserere, sed potius eorum salutis causa subeundum esse periculum, assidens in solio, diacono mandaui, vt psalmum legeret, populusq; attente auscultaret, cum recitaret hanc particulam, Quoniam in seculum misericordia eius: sicque omnes pariter de ecclesia decederent, domumq; abirent. Verùm cũ dux deinceps vi irrupisset in templũ, & milites vt nos cõprehenderent, sanctuarium circũsedissent, non clerici solũ, verùm etiã nõnulli è populo, qui in eo loco erãt, vociferari cœperunt, oraręq; vt nos iã discederemus. At ego acrius negare, me non antè discessurũ, quàm omnes sigillatim egressi essent. Itaq; consurgẽs, orationem fieri imperaui, omnesque dum fieret, abire rogaui. Nam satius esse dicebam, vt ipse in periculum venirem, quàm vt vlli è nostris aliquid acciperent incommodi. Proinde egressis quàm plurimis, & cæteris subsequentibus, monachi quidam, & clerici, qui vnà no biscum erant, pariter ad solium nostrum accedentes, nos extraxere è sanctuario. Ad hũc modum igitur (veritatem testem cito) cum militum pars obsiderent sanctuariũ, pars ecclesiam circuibant, domino duce itineris, & conseruatore, per mediam turbam transiuimus, & clam illis decessimus: Deum magnis efferentes laudibus, quòd non populum prodideramus, sed illo saluo præmisso, nos etiam euaseramus incolumes, & insidiatorum manus effugeramus.

Psal. 106.

De Georgio ac nepharijs eius Alexandriæ facinoribus. CAP. XIIII.

VBI Athanasius ex cruentis eorum manibus hoc modo elapsus esset, Georgio lupo alteri illarum ouium grex commissus est, qui maiorem in eas crudelitatẽ, quàm quisquam lupus, aut vrsus, aut pardus in oues exercere solet, exercuit. Nã virgines, qui perpetuæ castitati se addixissent, coegit non modo Athanasij denegare cõmunionem, verùm etiam fidei patrum anathema denuntiare. Suę verò crudelitatis socium atque adiutorem habuit Sebastianum quendam ordinum militarium præfectum: qui in media vrbe, accenso rogo, virginibusq; nudis propter eum collocatis, fidem negare iubet. Quæ sanè spectaculum acerbum & miserum fidelibus pariter & infidelibus constitutæ, ignominiam illã pro magno honore duxere, & verbera cupide ac libenter pro fide sustinuere. Sed audiamus istarum pastorem Athanasium, à quo ista multò apertius ac planius exponuntur. Sic enim scribit. Tum Georgius, qui ab illis ex Cappadocia missus erat, tempore quadragesimæ accedens, perditos illos conatus, quos ab eis didicerat, ipse adauxit. Nam post septimanam Paschatis transactam, virgines in carcerem conijci cœptæ sunt: Episcopi constricti vinculis, à militibus abduci: ædes à viduis & orphanis abripi: direptiones fieri, in familias irrumpi: noctu ex ædibus vi deportari Christiani: ædes obsignari: fratres clericorum, pro clericis in vitæ periculum vocari. Permultum acerbitatis habuere ista quidem, sed multò plus ea, quæ sunt postea tentata. Septimana namque sacrosanctã Pentecosten subsequenti, populus, vbi ieiunauerat, in cœmiterium propterea ad orationem egreditur, quòd omnes Georgij detestarentur communionem. Verùm vt primum ille insignitè improbus hoc intellexit, prefectum ordinum militarium Sebastianum, qui Manichæus fuit, contra illos incitat. Ille deinceps

cum militum turba, qui arma, gladios diſtrictos, arcus & tela geſtabant, ipſo die dominico in populum impetum facit. Cum verò paucos admodum orantes offenderet (nam maxima pars, quia hora præterijſſet, deceſſerat) talia admiſit facinora, qualia ab illo admitti conſentaneum erat. Rogum enim incendere: virgines propter ignem ſtatuere: eas vt fidem Arianam profiteri ſe dicerent, cogere cœpit. Vbi eas non poſſe vinci animaduertit, ignisque flammas prorſus contemnere, detractis veſtibus, ſic eas in ora ac vultus verberare, vt diu pòſt ægrè à ſuis noſcerentur. Quinetiam viros quadraginta prehendere: eos nouo more ac modò verberibus cædere. Nam palmarum viminibus recens ex arboribus exciſis, quę ſuos adhuc habebant aculeos, ita terga illorum dilacerauit, vt nonnulli propter aculeos in ipſorum dorſa penitus infixos, ſæpius chirurgos adire cogerentur: alij, qui tam acerba cruciamenta ferre nequibant, mortem oppeterent. Omnes autem viri, quibus adhuc ſuppetebat vita, vnà cum virginibus ad magnam Oaſin à militibus relegati. Corpora mortuorum, facinore iam recens edito, ſuis reddi minimè permiſſa: ſed illa proiecta inhumataque (ſic ipſis libitum eſt) occultabant ijdem ipſi milites, quò populo afferrent opinionem, ſe tam crudelis facinoris minimè conſcios fuiſſe (iſtud inſani illi errore mentis occæcati, patrarunt) ſed cum mortuorum neceſſarij & familiares propter confeſſionem ſuorum lætitiâ animis caperent, propter corpora autem in mœrore & luctu verſarentur, eorum impietas crudelitasque maiore cum infamia & turpitudine patefacta eſt. Porrò autem Epiſcopos Aegypti, & Libyæ, Ammonium videlicet, Muium, Caium, Philonem, Hermem, Plenium, Pſenoſirin, Nilammonem, Agathonam, Anagamphum, Marcum, Dracontium, Adelphium, Ammonium alterum, alterum etiam Marcum, Athenodorum: presbyteros autem Hieracē & Dioſcorum, actutum in exilium miſero. Atque iſtos è patrijs ſedibus exturbantes adeo acerbè & crudeliter tractauere, vt nonnulli eorum, inter vias, alij in exilio morte occumberent. Nam triginta & amplius epiſcopos interfecerunt, & exemplum Achab imitati, ad veritatem è medio tollendā omni cura & cogitatione incubuerunt. Idem Athanaſius ad virgines illas, qui acerbos illos cruciatus pertuliſſent, orationes quibus eas conſolaretur, ſcripſit, in quibus quidem inſeruit iſta, ob hāc cauſam nulla veſtrum in mœſtitia ſit. Quamuis iſti impij vobis inuideant ſepulturam, & funera ducere prohibeant: (nam hactenus quidem Arianæ tragœdiæ exitus) & portas occludant, & propter monumenta, tanquam laruæ aſsideant, obſeruantes ne mortuorum quiſquam tumulo condatur. Iſta quidem facinora, aliaque his ſimilia à Georgio fuere Alexandriæ patrata. Diuus autem Athanaſius nullum locum tam munitum eſſe cenſuit, vti ineo tutus eſſe poſſet, pręſertim cum Imperator mandatum dediſſet, vt vel viuus adduceretur ad ſe, vel caput illius mortui apportaretur: eſſetque pollicitus ampliſsimam mercedem ei, qui hoc præſtare vellet.

De Concilio Mediolanenſi. CAP. XV.

QVanquam autem ipſe Conſtantius, cum Magnentius poſt Conſtantis mortem imperio verſus occidentem potitus eſſet, ad iſtius tyrannidem expugnandam in Europam cum exercitu profectus eſt: tamen ne iſtud quidem graue bellum, quod contra eccleſias ſuſceptum erat, ſedauit. Nam Ariani Conſtantio, cuius animus tum facilè ad omnia impelli poterat, tum erroris Ariani contagionne infectus erat, perſuadent, vt Mediolani, quod eſt oppidum Italiæ, concilium conuocaret: ac primum omnes, qui eò conuenirent, abdicationi, quæ Tyri ab iniquis illis iudicibus ſigillatim aduerſus quoſdam epiſcopos facta eſt, aſſentiri cogeret: deinde vt Athanaſio eccleſijs eiecto, aliam fidei doctrinam componerent. Itaque epiſcopi literis Imperatoris acceptis eò conuenerunt quidem, ſed tamen neutram earum rerum fieri permiſerunt: imò verò coràm ipſum aperte coarguerunt Imperatorem, vtpote iniqua & planè impia iubentem: & propterea fuerunt tum eccleſijs expulſi, tum ad vltimas orbis terræ oras incolendas condemnati. De qua re etiam diuinus ille & admirabilis vir Athanaſius ſcribit in Apologia ſua his ferè verbis. Quis tantum ſceleris dicendo poterit exprimere, quantum iſti conſciuerint? Nam nuper cum eccleſiæ pace fruerentur tranquilla, & populus in conuentibus preces, Epiſcopus Romæ Liberius, & Paulinus primariæ vrbis Galliarum, & Dionyſius primariæ vrbis inſulæ Sardiniæ Epiſcopus, & Euſebius Epiſcopus etiam Italiæ: qui omnes, quoniam boni epiſcopi erant, & veritatis præcones, ſedibus patrijs abrepti ſunt, inque exilium acti, nulla alia cauſa culpáue contra illos allata, quàm quòd hæreſi Arianæ conſentire, & calumnijs eorum ac falſis criminibus, quæ contra nos confinxerant, ſubſcribere noluerunt. Quod autem ad magnum Oſium, ſenem in primis venerādum, & verè confeſſorem attinet, de eo certe orationem inſtituere, ſuperuacaneum arbitror. Nam neminem fortaſſe præterit, hunc quoque ab iſtis exilio mulctatum: qui profecto ſenex eſt non obſcurus, ſed omnium facile illuſtriſsimus. Nam in quo concilio non ille primas tulit? Cui non perſuaſit eius de recta fide inſtituta oratio? In qua eccleſia non præclariſsima extant illius gubernationis monimenta? Quis mœrore afflictus acceſsit vnquam ad eum, qui non lætus ab eo diſceſſerit? Quis egens ab eo opem petijt, qui non voti compos abierit? Et tamen in hunc ſuam exercere maleuolentiam non dubitarūt, propterea quòd cum calumnias, quas impietate adducti contexuerant, exploratè cognitas haberet, criminibus contra nos doloſe cōparatis ſubſcribere recuſauit.

Quocirca quæ ſcelera aduerſus illos ſanctos viros edita fuerint, ex his quæ citauimus, facile cognoſci poteſt. Quæ autem contra alios etiam quàm plurimos Arianæ phalangis præfecti per inſidias machinati fuerint, idem vir diuinus in eodem opere itidem perſequitur. Quem, inquit, Ariani inſectati ſunt, cui comprehenſo non pro arbitratu contumelias impoſuerint? Quis ab illis conquiſitus, quem cum inuenerint, non ita tractarint, vt vel mortem miſerandum in modum oppeteret, vel membra corporis cruciamentis haberet prorſus labefactata? Nam quæcunque iudices ſtatuunt, ea iſtorum impulſione ſtatuunt: imò verò iſti eorum voluntatis & nefarij conatus adminiſtriſunt. In quo tandem loco non exiſtit aliquod eorum improbitatis monimentum? Im quem ſuæ ſectæ & opinionis aduerſarium non falſas criminationes veteratorię, more Iezabel, non confinxerunt? Cui eccleſiæ luctum, illorum non attulerunt inſidiæ? Nam in magno mœrore eſt Antiochena propter Euſtathium confeſſorem, & verè orthodoxum. Balanæenſis pro Euphratione lamentatur. Eccleſiæ Ponti & Antaradi ob Quintianum & Carterium lugent. Adrianopolitana flet ſe orbatum pio Eutropio & Lucio eius ſucceſſore, quem iſti vinculis & catenis ſic excruciarunt, vt mortem inde obiret. Ancyrenſi porro eccleſiæ priuari Marcello, Berœenſi Cyro, & Gazenſi Aſclepa, maximo plane dolori fuit. Hos namque iam pridem contumelia affectos iſti veteratores exilio mulctandos curauerant. At Theodulum, & Olympium epiſcopos Thraciæ, nos præterea & presbyteros noſtros propterea vndiq; conquiri effecerunt, vt ſi eſſemus vſquam reperti, capitis ſupplicio afficeremur. Itaque ſic fortaſſe morte occubuiſſemus, niſi præter eorum voluntatem etiam tum ipſorum manus effugiſſemus. Nam literas ea de re, contra Olympium quidem ad Donatum Proconſulem, contra nos autem ad Philagrium dederant. Eiuſmodi fuere ſcelera, quæ iſta impia factio contra ſanctos viros admiſit. Oſius, de quo dixi, Cordubæ fuit Epiſcopus: qui ſicut in celebri illo Concilio Nicæno magnam laudem adeptus eſt, ſic in Sardicenſi omnium, qui eo conueniebant, facile primas obtinuit. Porrò Liberij Epiſcopi longe excellentiſsimi liberam pro veritate diſputationem, & ſermonem plane admirabilem, quem habuit cum Conſtantio Imperatore, hoc in loco ponere conſilium eſt. Nam hæc à pijs viris, qui id temporis vixerunt, ſunt propterea ſcriptis prodita, quòd ad acuendum excitandumque rerum diuinarum ſtudioſos plurimum momenti habere putabantur. Iſte Liberius, Iulio Syluestri ſucceſſore mortuo, Romanam gubernauit eccleſiam.

Liberij Epiſcopi Romani & Conſtantij Imperatoris Dialogus. CAP. XVI.

Dialogus Conſtantij Imperatoris & Liberij Papæ Romæ.

IMPERATOR CONST. Nos, quoniam Chriſtianus es, & noſtræ ciuitatis epiſcopus, idcirco duximus operæ precium te accerſere: hortarique vt communionem nefarię impij Athanaſij dementiæ repudies. Nam hoc rectè ſe habere cenſet totus terrarum orbis: & eū ſententia concilij ab eccleſiaſtica communione ſegregandum iudicauit. LIBERIVS EPISC. Iudicia quidem eccleſiaſtica, ò Imperator, ſumma cum æquitate fieri debent. Quapropter, ſi tuæ clementiæ ita viſum ſit, iudicium haberi iubeto. Et ſi Athanaſius videatur damnationem commeruiſſe, tum ſententia prout ordinis eccleſiaſtici formula poſtulat, contra eum pronunciabitur. Nam fieri non poteſt, vt quemquam condemnemus, de quo non factum ſit iudicium. CONST. Totus terrarum orbis non de eius impietate ſolum, verùm etiam quòd ſemper tempus ludere conatus eſt, ſententiam tulit. LIBER. EPISC. Qui eius damnationi ſubſcripſerunt, non res geſtas ipſi oculis aſpexerant, ſed hoc eſt ab illis factitatum, vel quòd gloriam abs te aſſequi, vel quòd metu perculſi, vel deniq; quòd infamiam extimeſcere viderentur. CONST. Quid eſt, quæſo, gloria, quid metus, quid infamia? LIBER. Qui gloriam Dei non amplexantur, ſed tua munera ei prætulerunt, hi hominem abſque iudicio condemnabant, quē nunquam oculis vidiſſent: quod eſt à Chriſtianorum officio plane alieniſsimum. CONST. Atqui in Concilio Tyri celebrato de Athanaſio, cum ipſe præſto adeſſet, iudicium factum eſt, & omnes orbis terrarum Epiſcopi, qui in eo concilio aderant, eum condemnarunt. LIBER. EPISC. Nunquam ſane de eo præſente iudicium exercebatur. Nam epiſcopi, qui ibi conuenerant, illum tum condemnabant, cum è conſeſſu egreſſus fuerat: & certe temere atque inconſulto condemnabant. Hoc loco EVSEBIVS Eunuchus, Athanaſius, inquit, alienus à fide catholica in concilio Nicæno declaratus eſt. LIBERIVS. Quinq; tantummodo, qui cum eo vnà nauigarant, in Marioteiudicium de eo fecerunt: quos quidem aduerſarij eius eò miſerant, vt contra eum reum factum commentarios contexerent. Atque ex iſtis, qui miſsi erant, duo exierunt è vita, Theognis nimirum & Theodorus: reliqui tres, hoc eſt, Mares, Valens, & Vrſacius, etiamnum ſuperſunt. A quibus ad eā rem miſsis, in concilio Sardicenſi ſententia de hac controuerſia lata eſt: qui etiam in eodem concilio libellos ſupplices dederunt: poſtularuntque veniam pro eo, quòd commentarios, vnius partis ſuffragijs per calumniam contra Athanaſium in Mareote confecerant: quos libellos iam habemus in manibus. Vtris iſtorum, Imperator, nobis credendum communicandumque eſt? illiſne qui primo eos condemnarint, ſecundo autem veniam petierint, an his, quorum iam ſint condemnati ſententijs? Hic tum EPICTETVS epiſcopus, non fidei inquit cauſa, Imperator, hodie, neque iudiciorum eccleſiaſticorum

rum faciendorum ſtudio adductus Liberius hunc inſtituit ſermonem, ſed quo poſsit apud ſenatores Romanos gloriari ſe rationibus Imperatorem ſuperaſſe. *CONST.* Tantáne orbis terræ pars Liberi, in te reſidet, vt tu ſolus homini impio ſubſidio venire, & pacem orbis ac mundi totius dirimere audeas? *LIBERIVS.* Eſto quod ego ſolus ſim: non tamen propterea cauſa fidei ſit inferior. Nam olim tres ſolum erant reperti, qui regis mandato reſiſterent. Tum *EVSEBIVS* Eunuchus, Tu, inquit, Imperatorem noſtrum facis alterum Nabuchodonozor. *LIBER.* Minimè ſane, ſed non minus temerè tu hominem condemnas, de quo nullum factum ſit iudicium, quàm ille olim. At ego æquum cenſeo, vt primum generalis proponatur epiſcoporum ſubſcriptio, qua fides in concilio Nicæno expoſita confirmatur: deinde vt fratribus noſtris ab exilio reuocatis, & ad ſuas ipſorum ſedes reſtitutis, ſi iſti, qui nunc tumultus cient, fidei apoſtolicæ aſſentire comperiantur, tunc omnes contendamus Alexandriam, vbi reus, vbi accuſatores & cauſæ eorum patronus ſunt atque litigantium cauſa diligenter cognita, ſententiam de ea pariter feramus. *EPICTETVS.* At ad epiſcopo eò conuehendos equi, iumenta & rhedæ, quibus curſus publicus confici ſolet, non ſatis erunt. *LIBER.* Negocia eccleſiaſtica publicam vecturam non deſiderant: quandoquidem eccleſię ad Epiſcopos ſuos ad mare vſque deducendos ſatis habent facultatum. *CONST. IMP.* Res, de quibus conſtituta eſt formula, refringi nequeunt: ſiquidem plurium epiſcoporum rata debet eſſe ſententia. Tu ſolus impij illius amicitiam amplexaris. *LIBER.* Nunquam auditum eſt, Imperator, reo abſente, iudicem de impietate ac ſcelere ſententiam pronunciaſſe, quaſi priuatum odium in hominem exerceat. *CONSTAN.* Etſi omnes communiter, me tamen maiori quàm cæteros, affecit iniuria. Nam non contentus eſt poſt fratris noſtri maioris natu Conſtantini internecionem, ſed beatæ memoriæ Conſtantem minorem natu fratrem nunquam ceſſauit ad inimicitias nobiſcum ſuſcipiendas incitare: quod ſane factum fuiſſet, niſi nos æquiore animo & incitantis & incitati bilem tuliſſemus. Quare præclaram illam victoriam à Magnentio & Siluano partam, non tanti facerem, quanti iſtius ab eccleſiaſticarum rerum adminiſtratione abdicationem. *LIBERIVS.* Noli per epiſcopos tuas vlciſci inimicitias. Nam virorum eccleſiaſticorum manus ſanctificationi vacare debent. Quapropter ſi placet, iube epiſcopos ad proprias ſedes reſtitui. Atque ſi videantur cum eo, qui etiam iam rectam veramque fidem in Concilio Nicæno expoſitam tuetur, conſentire, tum in vnum conuenientes, paci orbis terræ prouideant: perficiantque, vt non compertum ſit aliquando hominem, qui non deliquerit, damnatum eſſe. *CONST.* Vnum eſt, quod quæritur. Volo, vt tu eccleſiarum communionem amplectaris, & deinde Romã redeas. Proinde conſule paci, ſubſcribe, vt Romã reuertaris. *LIB.* Iam fratres, qui ſunt Romæ, valere iuſsi. Nam leges eccleſiaſticas obſeruare, pluris faciendum cenſeo, quàm habere Romæ domicilium. *CONST.* Itaq; triũ dierum ſpacium tibi concedimus ad deliberandũ, vtrum ſubſcribere volueris, & ita Romam redire, an tecum conſtitueris, quẽ ad locum transferri placeat. *LIB.* Spatium trium dierum, aut menſium rationem non mutat. Quare mitte me, quo lubet. *CONST.* Poſt biduum, cũ iudicium habitũ fuerit de Liberio, ſi conſiliũ non mutet, exulet velim vſq; Bercæam Thraciæ. Liberio inde decedenti Imperator miſit in ſumptum quingentos aureos. Liberius aũt ei, qui attulerat, dixit: Abi domũ, & iſtos ipſos aureos redde Imperatori. Siquidem eis opus habet ad militũ ſtipendia. Imperatrix itidem miſit ei totidẽ. Quos eũ, qui apportauerat, iubet quoq; Imperatori tribuere. Sunt enim, inquit, illi ad militarẽ expeditionem neceſſarij. Quod ſi is eorum non indigeat, det Auxentio & Epicteto. Nam illi eiſdem egent. Poſtea verò quàm iſtos recuſauerat aureos accipere, Euſebius Eunuchus, alios ei affert. Ad quem Liberius: tu, inquit, eccleſias orbis terrę expilaſti, & iam mihi vt damnato, egentique affers eleemoſynam. Abi primum, & Chriſtianus ipſe fias. Ac triduo confecto, Liberius nulla accepta pecunia, in exilium mittitur.

Vide Epiph. interpre. & lib. de imag. Magiſtratuum Rom.

De exilio & reditu ſancti Liberij. CAP. XVII.

ISTE ſtrenuus veritatis propugnator & victor illuſtris Liberius, Thraciam, ſicut erat ei imperatum, rectà contendit. Biennio dilapſo, Conſtantius proficiſcitur Romam. Magiſtratuum autem & nobiliũ coniuges, orant maritos, vt à Conſtantio ſupplices petant, vti paſtor Liberius ſuo gregi reddatur: ſeque niſi eum exorarent, deſeruturas eos, & ad egregium illũ paſtorẽ conuolaturas. Quibus reſponderunt mariti, ſe non parũ Imperatoris irã extimeſcere: & cũ viri ſint, nullam fortaſſe veniã ab eo impetraturos. Quod ſi vos ipſæ Imperatorem pro Liberio deprecari volueritis, eſt vobis plane condonaturus: atq; è duobus alterum eueniet, vt vel veſtram vobis ſit conceſſurus poſtulationem, vel ſi minus ad id faciendum adduci poſsit, vos illęſas dimiſſurus. Quo conſilio audito, pręſtantes illę fœminæ, ſplendide, vt ſolent, & magnifice amictæ, accedunt ad Imperatorem, vt eas ex veſtitus ſplendore nobiles illuſtreſque eſſe arbitratus, tum reuerentia erga ipſas, tum clementia vtendum exiſtimaret. Quæ cum hoc modo ornatæ ad eum aduentaſſent, orant, vt vrbis paſtore orbatæ, & luporum expoſitę inſidijs miſereatur Quibus reſpondet Imperator, altero paſtore ciuitati non opus eſſe, quippe cum haberet vnum, qui ei poſſet prouidere. Etenim ſucceſſum eſt Liberio à fideli quodam illius diacono, nomine Felice: qui tametſi fidem in concilio Nicæno expoſitam ipſe ſeruauit integram, tamen cum illis, qui eandem

eandem labefactare ſtudebant, liberè communicauit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in eccleſiam, dum ille intus erat, iugredi voluit. Quam rem etiam mulieres Imperatori ſignificarunt. Qua cauſa ſic inflectebatur Imperatoris animus, vt paſtorem illum longe præſtantiſsimum Romam redire, vtroſque communiter inter ſe eccleſiam illam regere iuberet. Itaque lectis Imperatoris in circo literis, plebs clamat, æquam eſſe Imperatoris ſententiam. Nam bifariam diuiſos eſſe ſpectatores, quibus nomen impoſitum eſt ex colorum varietate: & propterea alterum epiſcopum his, illis alterum præeſſe debere. Itaque cum hoc modo Imperatoris literas irriſione luſiſſent, omnes vno ore vociferantur: Vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus epiſcopus. Has enim voces emittere rectum eſſe cenſebant. Quibus vocibus cum pietate & iuſtitia à pia plebe profuſis, redijt Epiſcopus Liberius. Felix autem clam Roma ſe ſubducens, ad aliam vrbem migrauit. Iſta quidem hiſtoriæ de concilio epiſcoporum Mediolani celebrato, narrandi ſerie ſeruata attexui. Iam igitur ad rerum geſtarum ordinem reuertor.

De Ariminenſi concilio. CAP. XVIII.

FIdei igitur propugnatoribus expulſis, illi, qui Imperatoris animum, quo vellent, impellere potuerunt, quoniam fidem ſibi ſuæq; ſectæ aduerſariam ſe perfacile labefactare poſſe cenſebant, & doctrinam Arij confirmare, perſuadent Conſtantio, vt concilium epiſcoporum tum orientis, tum occidentis Arimini cogeret: mandaretque vt hæ voces, *SVBSTANTIA*, & *CONSVBSTANTIALIS* (quæ tanquam machinæ quædam ad perniciosam Arij & fraudulentam ſectam expugnandam à patribus erant excogitatæ) ex fidei formula tollerentur. Ex his enim diſſenſionem in eccleſias inuectam dicebant. Poſteaquam autem epiſcopi Arimini conuenerunt, illi qui macula Ariani erroris erant aſperſi, reliquam epiſcoporum in vnum coactorum multitudinem ſuis præſtigijs in fraudem inducere moliebantur, & maxime epiſcopos occidentis, quorum mores ſimplices erant, & ſinceri. Dicunt enim corpus eccleſiæ minimè diſtrahi debere ob duas voculas, eaſque in ſacris literis neutiquam ſcriptas, ſed dicendum eſſe filium patri per omnia ſimilem: vocem autem, *SVBSTANTIAM*, vtpote in ſcriptura non repertam, miſſam faciendam eſſe. Verùm Epiſcopi, fraude iſtorum intellecta, eis, qui hęc dicebant, interdixerunt eccleſia, ſuamque mentem per literas Imperatori ſignificarunt: dixeruntque ſe patrum, qui in concilio Nicæno conuenerant, filios & hæredes eſſe. Quòd ſi quicquam eorum decretis præclariſsimè conſtitutis vel adijciant, vel detrahant, ſe ipſos plane ſpurios declaraturos, quippe cum patres ſuos inſimulare viderentur. Verùm epiſtola ab ipſis ad Conſtantium ſcripta, exquiſitam eorum fidei regulam apertius planiuſque explicabit.

Epiſtola Synodica ab Epiſcopis qui eo conuenerant, ad Imperatorem Conſtantium conſcripta.

CAPVT XIX.

Concilij Arimini congregati epiſtola ad Conſtantium Imperatorem conſcripta.

QVoniam tum mandatum Dei, tum tuæ pietatis edictum ita poſtulat, idcirco ea, quæ olim de fide fuerint decreta, noſtris ſuffragijs ſtabilienda iudicamus. Nam cuncti epiſcopi ex omnibus ciuitatibus ad occidentem ſitis, Arimini in vnum conuenimus, vt & fides eccleſiæ catholicæ fieret illuſtrior, & illius aduerſarij perſpicuè deprehenderentur. Poſtquam igitur diu deliberatum eſt, placuit eam fidem, quæ ex antiquis ducta temporibus hactenus permanſerit, quæque à prophetis, ab euangeliſtis, ab Apoſtolis denique per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, tui imperij defenſoris, conſeruatoriſque valetudinis prædicata ſit, firmè retinere, retentam perpetuò defendere. Abſurdum enim, imò nefas certè videbatur, quicquam commutare in illis, quæ rectè vereque definita eſſent, quæque fuiſſent ab omnibus in Concilio Nicæno coactis, tui patris Conſtantini Imperatoris illuſtriſsimi ſubſidio accuratè exquiſita excuſſaque, quorum denique doctrina & ſententia per omnium hominum aures menteſq; peruaſiſſet, palamque eſſet prædicata. Cuius vnius doctrinæ vi Arij hæreſis expugnata, prorſusque extincta: cuius etiam adiumento, non ea ſolum, ſed aliæ quoque hæreſes extirpatæ. Cui profecto aliquid adijcere tutum non eſt, & ab ea quicquam detrahere, periculoſum. Quòd ſi alterutrum iſtorum eueniat, erit tantæ aduerſarijs impunitas propoſita, vt quod libeat, licenter exequantur. Itaque Vrſacius & Valens, quoniam iam pridem animos ſuos Ariano dogmate implicauerant, & noſtra erant propterea communione ſegregati, non modò illos, vt eiuſdem communionis denuo fierent participes, pœnituit delictorum, quæ ſe admiſiſſe ſua ipſorum conſcientia plane arguebat, verum etiam, vt ipſorum ſcripta teſtantur, veniam obnixè poſtulauere. Quibus de cauſis omnia eis crimina remiſſa fuerunt, atque condonata. Iſta quidem eo tempore gerebantur, quo concilium Mediolani habitum eſt, præſentibus eccleſiæ Romanæ presbyteris. Cum igitur intelligamus Conſtantinum, principem certe omnium poſterorum memoria poſt mortem celebrandum, diligenter elaboraſſe, vt fides illa Nicæa literis prodita, accuratiſsime perquiſita exploratáque eſſet, abſurdum ſanè videretur, eo iam poſt acceptum baptiſmum vita defuncto, & ad tranquillitatem ſibi debitam profecto, aliquid in ea nouare, & tot ſanctos confeſſores ac martyres, qui huius doctrinæ authores inuentoreſque fuerunt, quique vt vetus eccleſiæ catholicæ poſcebat inſtitutum, omnino ſenſerunt, inque eo perſtiterunt perpetuo, prorſus contemnere. Quorum fidem ad tui imperij tempora Deus per Dominum

noſtrum

nostrum Iesum Christum perduxit: cuius auxilio sic tuum creuit imperium, vt vniuersi orbis terrarum gubernacula teneat. At contrà, miserabiles illi & animo præditi planè deplorato, nefario impetu incitati, se impiæ doctrinæ præcones denunciare, & totum veritatis institutum euertere studuerunt. Nam vt primum conciliũ ex tuo edicto in vnũ coibat, ij sue fraudis inuolucrum retexerunt: & simul atq; Germanium, Auxentium, & Caium, qui seditionẽ ac discordiã induxissent, pari opinionũ varietate irretitos animaduertebant, tentauerunt per dolũ & tumultũ aliquid noui decidere. Quorum doctrina, quanquam vna erat, tamen totam blasphemiarum turbam lõge superauit. Verũ vbi intellexere eos, neq; eiusdẽ opinionis esse, neq; in perditis eorum conatibus cũ illis cõspirare, ad nostrũ cõfessum se transtulerũt: perinde ac si iã cõtrariam doctrinã scriptis mãdare in animo haberent. At nõ longo tẽpore pòst, eorũ mentes sunt facile patefactæ. Quocirca vt status ecclesiæ non eiusmodi iactaretur fluctibus, & omnia turba ac tumultu volutata miscerentur, percommodum videbatur, vt tũ vetera decreta firma stabiliaque manerent, tũ isti à nostra cõmunione excluderentur. Atq; ob hanc causam legatos ad tuã clementiã cũ literis misimus qui te doceãt, mentẽ ac sententiã concilij: quibus quoque dedimus mandatũ, vt authoritate in primis testimonioq; legũ olim rectè sancitarum veritatem confirmarent, atq; adeo tuæ significarent æquitati, non vt Vrsacius, & Valens dixerunt, pacẽ futurã esse, si instituta ritè & legitime facta euertantur (qui enim fieri potest, vt pacis authores sint hi, qui pacis vincula ruperint?) sed dissidium & seditionem inde cum in alijs ciuitatibus, tum in ipsa ecclesia Romana excitatam fore. Quamobrem tuam clementiã obtestamur, vt benignis auribus, ac vultu placido nostrã legationẽ excipias: neq; permittas quicquam nouari ad contumeliam eorum, qui vita excesserint, sed nobis facias potestatem in his, quę sunt à maioribus (quos quidẽ ingeniose & prudenter, spiritu sancto illis opem ferente, omnia transegisse constat) decreta sancitaque, firmè perseuerandi. Nam ea, quæ ab istis nouata sunt, in credentium animis incredulitatẽ inserunt: in infidelium autẽ, crudelitatẽ. Obsecramus etiã, vt episcopis, qui in exteris regionibus vitam degunt, quiq; & ætatis ingrauescentis molestia, & paupertatis onere grauiter afflictantur, tuo mandato copia fiat domum tuto reuertendi, quò ecclesiæ episcopis suis minimè destitutę maneant. Porrò aũt istud præter cætera flagitamus, ne quid vel detrahatur veteribus decretis, vel omnino adijciatur, sed omnia, quæ à pia patris tui memoria ad hoc vsq; tẽpus obseruata fuerũt, rata firmaq; permaneant: neq; de cętero nobis quicq̃ de ijs rebus facessas negocij, aut à nostris ipsorũ ecclesijs nos abesse sinas, sed episcopi versentur cum suis ipsorũ gregibus, vt precibus, & Deo sancte colendo tranquillis animis vacent, orentque sedulo pro tua salute, imperio, & pace, quam Deus tibi sempiternã benignus largiatur. Legati nostri tum subscriptiones, tum nomina episcoporum ad te perferunt: qui etiam sacrarum literarum testimonijs tuam benignitatem ea, quę ad decreta pertinent, satis accuratè docere possint. Hac epistola ad Constantium perscripta, & legatis cum eadem missis, qui multum apud Imperatorem authoritate & gratia poterant, quique Arianæ sectæ principes erant, epistolam quidem acceptam Imperatori reddiderunt, sed legatos ipsos intromittere noluerunt: quippe Imperatoris animus, inquiunt, curis de Rep. susceptis districtus tenetur. Quod propterea ab istis factũ est, quòd putabant episcopos, quia longam moram ægrè essent laturi, desideraturique ad vrbes sibi cõmissas redire, coactos fore, vallum, quod contra hæresin struxerant, subruere disturbareque. Sed frustrà hic conatus ab ipsis susceptus est. Nam generosi illi fidei propugnatores aliam denuò scripsere ad Imperatorem epistolam, oraueréque vt tum reciperet legatos, tum ipsos à concilio dimitteret. Quam epistolam in historiam etiam inseram.

Altera ad Constantium epistola.

CAPVT XX.

Victori Constantio Imperatori Episcopi Arimini congregati S.

TVAE Clementiæ literas accepimus, Imperator sanctissime, ex quibus didicimus, tibi propter necessaria Reip. negocia, eo tempore non satis suppetiuisse ocij cum legatis nostris colloquendi: nobisque in mandatis dare, vt eorum reditum vsque eo expectemus, quoad tua prudentia intellexerit ea, quæ sunt à nobis conuenienter maiorum nostrorum institutis decisa decretaque. Cæterum iam per hasce literas confitemur, tibiq; confirmamus nos à nostro proposito & sententia nequaquam discessuros. Legatis etiam nostris, vt idem præstarent, imperauimus. Quamobrem rogamus te, vt placido vultu, literas hasce à nostra modestia ad te perscriptas legendas cures: quinetiam ea quæ nostris legatis obeunda imposuimus, æqui bonique consulas. Illud præterea tua benignitas iuxta nobiscum intelligit, quàm tristis & acerba res sit, tot ecclesias in tuis istis beatissimis temporibus Episcopis suis destitutas esse. Et propterea tuam clementiam iterum atque iterum obtestamur, Imperator augustissime, vt ante hyemis asperitatem, modò tuæ pietati visum fuerit, nobis ad nostras ecclesias reuertendi facias potestatem, quò possimus Deo patri omnipotenti, & Domino Seruatori nostro Christo, filio eius vnigenito, pro tuo regno consuetas preces cum populo fundere, sicut & ante semper fecimus, & adhuc facere non desistimus.

De Concilio apud Nicæam vrbem Thraciæ habito, & fidei expositione ab illo descripta.

CAP. XXI.

HAC

HAC epistola ad Imperatorem allata, Ariani cum eius animum ad iracundiam incitassent, perficiunt vt plurimi Episcopi Nicæam vrbem Thraciæ inuiti traducerentur. Quorum partem propter animorum simplicitatem callidè circumueniendo, partem minis perterrendo impellunt, vt eadem machina ad pietatem oppugnandam vtantur quam ipsi iam pridem excogitarant: nimirum vt has voces, *SVBSTANTIA*, & *CONSVBSTANTIALIS*, ex fidei formula eximant, inque earum loco *SIMILIS* ponant. Fidei autem formulam ab istis factam, non vt quæ recte se habeat, sed vt quæ factionem Arianam manifestò coarguat, hoc loco citare est animus. Qua tamen impij huius nostræ ætatis hęretici nõ contenti sunt, sed pro hac voce *SIMILIS*, vocem *DISSIMILIS* vsurpare non verentur.

Peruersa fidei formula Nicææ Thraciæ edita.

Credimus in vnum & solum verum Deum, patrem omnipotentem, ex quo omnia. Et in vnigenitum filium Dei, ante omnia secula, & ante omne principium ex Deo genitum: per quem omnia facta sunt, visibilia & inuisibilia: vnigenitum solum ex solo patre. Deum de Deo, similem patri, qui eum genuit, secundum scripturas: cuius generationem nemo nouit, nisi solus pater, qui genuit illum. Hunc nouimus vnigenitum Dei filium à patre missum: descendisse de cœlis, sicut scriptum est, in destructionem peccati & mortis, & genitum ex spiritu sancto & Maria virgine secundum carnem sicut scriptum est, & cum discipulis versatum esse, & vniuersa œconomia plene iuxta patris voluntatem expleta, crucifixum, mortuum & sepultum. Descendisse ad inferos, quem infernus ipse exhorruit: resurrexisse à mortuis tertia die, versatum denuo cum discipulis: & diebus quadraginta completis, assumptum ad cœlos: sedere ad dexteram patris: venturum in extremo resurrectionis die, cum gloria patris, vt reddat vnicuique iuxta opera sua. Et in spiritum sanctum, quem ipse vnigenitus Dei filius, Christus, Dominus & Deus noster, promisit se missurum generi humano paracletum, sicut scriptum est, spiritum veritatis, quem ipse misit, quando assumptus erat ad cœlos, & sedebat ad dexteram patris, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos. Nomen autem substantiæ, quod à patribus simpliciter ponebatur, quodque ignoratum à populo, offendiculum peperit, visum est, quoniam in scripturis nusquam profertur, illud omnino tollere: & quia diuina eloquia de patris & filij substantia non meminerunt, nullam prorsus deinceps illius facere mentionem. Atque certe in persona patris, & filij, & spiritus sancti vna subsistentia, id est, substantia, ne nominari quidem debet. Nos ergo, sicut literæ sacræ nos docent, filium similem patri dicimus. Omnes autem hæreses, & quæ iam antea condemnatæ sunt, & quæ nuper exortæ, si huic fidei formulæ modò expositæ repugnent, anathema sunto. Huic formulæ nonnulli metu perterriti, alij dolo delusi subscripserunt. Qui autem ei consentire noluerunt, hi erant ad vltimas orbis terræ oras relegati.

Commentarius synodicus ad Illyricos Episcopos de Concilio Ariminensi à Damaso, & occidentalibus Episcopis scriptus.

CAP. XXII.

QVod autem ista fidei formula ab omnibus veritatis athletis, & ab his potissimum, qui versus occidentem habitabant, reprehensa sit, ex literis ab eisdem ad Illyrios conscriptis satis constare potest. Inter eos vero, qui istarum literarum authores erant, principem locum obtinuit Damasus, in Ecclesiæ Romanæ primatu successor Liberij, vir plurimis virtutis insignibus eximiè ornatus. Nonaginta habuit episcopos, ex Italia & Gallia Romæ in vnum coactos, qui his literis consenserunt. Quorum nomina hoc loco citarem, nisi quòd superuacaneum esse arbitror. Eorum literæ scriptæ sunt ad hunc modum.

Episcopi ad sanctum Concilium Romæ conuocati, Damasus, Valerianus, & cæteri, dilectis fratribus Episcopis, qui sunt in Illyrico, in Domino Salutem.

ETsi nobis pro certo persuasum est, sacerdotes Dei sanctissimi, vos sacrosanctam fidem nostram, quæ doctrina apostolorum fundata est, firmè retinere, eamque populo prædicare, quæ certe à decretis patrum, à quibus par est reliquos erudiri, nulla ex parte discrepat, tamen significatum est nobis à fratribus, qui in Gallia, & in agro Venetorum habitant, nonnullos ad hæresin amplexandam omni studio incumbere. Quod quidem malum, ne existat, non modò præcauere debent Episcopi, verumetiam quicunque errores, vel quorundam inscitia, vel simplicitate eorum, qui peruersas interpretationes secuti sunt, in Ecclesiam inuecti videantur, his se opponere, concilioque prouidere, ne deinceps in varias discrepantesque doctrinas denuo prolabantur imperiti, sed quoties dissentientes opiniones ipsorum auribus inculcatæ fuerint, firmè patrum sententijs adhærescant. Hac de causa à nobis decisum est, vt Auxentius nominatim condemnetur. Quare omnes legis diuinæ doctores, qui ditioni Romanæ subijciuntur, eaque legis sunt, sapere, & fidem varijs doctrinis nequaquam contaminare debent. Etenim vbi primum vitiosa Arianorum doctrina & blasphemia vigere inciperet (quæ etiam hoc tempore latissime serpit) trecenti decem & octo Episcopi, patres nostri, habito Nicææ concilio, hoc muro ad arma diaboli arcenda, fidem nostram cinxere, & hac antidoto venena depulere mortifera, sic vt crederetur, vnam esse patris & filij substantiam, vnam deitatem, virtutem vnam, vnam potentiam, vnam figuram, quinetiam spiritum sanctum vnam eandemque cum illis substantiam

habere

habere & subsistentiam. Eũ autem, qui aliter sentiret, à nostra communione iudicarũt alienum. Quam salutarem decisionẽ, & decretum planè venerandũ, nonnulli postea alijs nouis decretis violare labefactareq; studuerũt. At verò initio, quod peccatũ erat ab illis, qui Arimini formulã fidei cõcilij Nicæni nouare retractaréue coacti sunt, aliqua ex parte, ꝓpterea sarciebatur, ꝙ se disputatione alio tempore habita fatebãtur à veritate abductos, quodq; suã fidei formulã nequaq̃ sententiæ concilij Nicæni aduersari cogitabant. Siquidem numerus episcoporũ, qui erant Arimini in vnum cõgregati, præiudicij vim habere non debet, præsertim cũ formula illa cõposita sit, neque episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neq; Vincentio, qui tot annis episcopatũ integre gesserat, neq; alijs eidem consentientibus: cumq; etiã quod est omniũ maximũ, illi ipsi, vti antè diximus, qui in fraudem illecti, à veritate deflexisse visi sunt, & post ad meliorem mentem denuo traducti, planè testentur, hanc formulã sibi magnopere displicere. Itaq; vestra integritas manifestò videt, hanc fidem solam, quæ authoritate apostolica Nicęæ stabilita est, firmè perpetuo tenendam esse. Atque de hac ipsa fide tum episcopos orientis, qui se de ecclesia catholica esse profitentur, tum occidentis etiam episcopos, nobiscum vnà gloriari constat. Porrò autem pro certo credimus eos, qui alia opinione tenentur irretiti, propter suum conatum breui fore & à nostra segregatos communione, & nomine episcoporum priuatos, vt tandem populo errore ipsorum liberato detur respirandi locus. Nam multitudinis error tamdiu nullo modo corrigi poterit, quãdiu episcopi eodem tenentur implicati. Quocirca facite, vt vestræ reuerentiæ iudicium cum omnium Dei sacerdotum iudicio, cui vos firme & constanter adhærere credimus, omnino consentiat. Quod si fiat, eandem vobiscum rectam credendi viam nos quoque debemus insistere. Vestra charitas, quæso, ad nos rescribat, vt inde lætitiam capiamus. Valete fratres honoratissimi.

Athanasii Alexandrini episcopi de eodem concilio epistola. CAP. XXIIII.

QVinetiam magnus ille Athanasius in epistola scripta ad Afros eadem ferè de concilio Arimini habito cõmemorat. Quas res, inquit, cum ita se habere constet, quis est eorum approbaturus sententiam, qui vel de concilio Ariminensi, vel vllum aliud præter Nicænum, allegant. Imò verò quis non oderit eos, qui patrum abrogant decreta, & quæ recentiore memoria Arimini per contentionem & vim constituta sunt, illis præferunt. Quis porrò istorum sententiæ velit accedere, qui ne sua quidem instituta ipsi approbant? Nam qui, vti suprà diximus, amplius decem fidei formulas (alio namque tempore aliam ac nouam semper componebant) in suis concilijs conscripserunt, aperte demonstrant se ipsos singula sua reprehendere concilia: idemque istis, quod olim Iudæis proditoribus accidit. Vt enim illi solo fonte aquæ viuentis relicto, vti scribit Hieremias propheta, lacus sibi foderunt, qui non possunt aquam continere: ita isti pugna contra generale concilium suscepta, sibi multa constituerunt concilia, omniaque inania atque adeo fabulis similia. Itaque ne aures quidem patefaciamus his, qui vel Ariminense, vel vllum aliud concilium allegant, quàm Nicænum. Qui enim Ariminense laudant, videntur sanè rerum in eo gestarum penitus ignaros esse. Siquidem si eas cognoscerent, non dubium est, quin de ipso concilio ne verbum quidem facerent. Nam vos non præterit, Fratres, certiores videlicet factos ab his, qui à vobis profecti sunt Ariminum, Vrsacium, Valentem, Eudoxium, & Auxentium, quibus cum vnà erat etiam Demophilus, propterea in eo abdicatos esse, quòd alia decreta præter ea, quę fuerant in concilo Niceno sancita, conscribere voluerunt. Et cum esset ab illis postulatum, vt hæresi Arianæ anathema denunciarent, non solum illud facere renuerunt, verùm etiam eam vehementius acriusque propugnare studuerunt. Attamen ab episcopis, qui veri serui Domini erant, rectamque fidem amplexabantur, ad ducentos ferè numero, decisum est, vt omnes concilio Nicæno acquiescerent, ac præter illud amplius nihil vel quærendum, vel sentiendum. Quod quidem Constantio, qui concilium illud cogi mandauerat, etiam per literas significarunt. Verùm qui Arimini erant abdicati, rectà profecti ad Constantium, perfecerunt, vt qui contra eos sententiam abdicationis pronunciauerant, tum afficerentur contumelijs, tum minis deterrerentur, ne ad suas ipsorum ecclesias redirent, sed hyemis asperitate in Thracia afflictarentur, quorebus ab istis nouatis consentirent. Quòd si qui sunt, qui concilium Ariminense prædicatione efferant, primum ostendant abdicationem eorum, quos suprà diximus, deinde quæ deciderunt Episcopi: videlicet præter ea, quæ patres in concilio Nicæno suis sententijs confirmauerant, nihil omnino quærendum, neque vllum aliud concilium ei anteponendum esse. Cæterùm de his quidem rebus apud eos silentium est: illas autem pro se afferunt quæ in Thracia per vim gerebantur. Ex quibus perspicuè declarant sese, tum fautores esse sectæ Arianæ, tum à sana sinceraque fide prorsus alienos. Quòd si quis voluerit celebre istud concilium episcoporum Nicææ coactorum, cum istorum concilijs accuratè comparare, vt synceram pietatem illorum, ita istorum stultam temeritatem facile animaduertet. Nam qui Nicęæ in vnum cõuenerunt, non vt abdicati, illic conuenerunt, sed vt hi, qui Filium Dei eandem habere cum Patre substantiam confessi sunt. At isti semel, & iterum antea, atque in ipso concilio Ariminensi iam tertiò abdicati, non dubitarunt etiam

etiam scriptis statuere, neminem debere dicere Deum vel substantiam habere, vel subsistẽtiam. Hactenus Athanasius. Eiusmodi sunt fraudes & machinæ, quas Arianismi professores in Occidente contra veritatis dogmata comparauere.

De Leontij Antiocheni episcopi versutia, & quomodo eum liberè Flauianus & Diodorus reprehenderint. CAP. XXIIII.

Lacium vocat Epiphanius.

ANtiochiæ verò post Stephanum, qui in Placidi locum suffectus, conuentibus ecclesiasticis eiectus fuit, Leontius primatum capessit: quem dignitatis gradum contra concilij Nicæni decreta adeptus est. Nam sua ipsius manu sibi execuerat testiculos. Cuius facinoris causa, etiam à B. Athanasio tradita est. Leontius, inquit, cũ crimini ei daretur, quod cum muliere adolescentula, nomine Eustolia, versabatur, prohibereturque illius vti consuetudine, sibi ob eam causam excidit testiculos, vti cum ea liberè versari posset. Verùm suspicionem in quam vocatus erat, eo pacto ab se minimè amouit. Sed hoc factum, quoniam presbyter erat, grauiorem causam cur abdicaretur, attulit. Porrò de reliqua eius vitæ institutione, ista etiam scribit. Quod, inquit, ad improbos eius mores, & astutiam attinet, breuiter quoque perstringam. Primum tametsi sordibus erat Arianę blasphemię inquinatus, tamen eas callidè admodum occultare studuit. Etenim cum clerum & laicam etiam multitudinem in duas partes diuisam cerneret, & alteram quo laudes Filij magis celebrarent, hanc coniunctionem, *ET*, adhibere, alteram autem hanc præpositionem, *PER*, in eodem ponere, & cum ad Spiritũ sanctum ventum esset, prępositionem, *IN*, adijcere, ipse totam glorificationem tacitus secum recitauit, adeo vt qui prope eum erant, solum hanc particulam, *IN SECVLA SECVLORVM* audirent. Quod si non alia eius facinora extarent, quę possent sceleratam animi eius nequitiam in oculis omnium collocare, non sine causa diceret aliquis hæc ab eo excogitata esse, quo populi concordiæ prouideret. Verùm cum multa & grauia scelera contra ecclesiæ patronos machinatus sit, & homines impietate refertos, summa cura ac studio complectendos censuerit, apertè declarauit se labem illam Arianam occultasse, tum quòd extimesceret multitudinem, tum quòd graues minas Constantij contra eos, qui audebant filium patri dissimilem dicere, iactatas formidaret. Quem eius animum rerum gestarum euentus planè aperuerũt. Nam qui doctrinam sequebantur apostolicam, illis iste neque prospexit, neque vllum omnino honorem detulit ecclesiasticum. At qui insano Arij cæcati erant errore, eius opera maximam sunt authoritatem consecuti, & ad sacrosanctos ecclesiæ ordines elati. Per idem tempus Aetius magister Eunomij, qui suis conatibus blasphemiam Arianam auxerat, in numerum diaconorum ascriptus est. Itaque Flauianus & Diodorus, qui tum seuerum viuendi genus pietatis ergo colebant, tum apertè doctrinam propugnabant apostolicam, insidias Leontij contra pietatem comparatas palam coarguerunt: dixeruntque Aetium malis viuendi institutis educatum, qui nihil aliud moliebatur, quàm vt ex impietate viam sibi ad honorem muniret, & per ecclesiæ perniciem diaconi nomine dignaretur. Ob quam causam minantur se tum ecclesiæ illius communionem derelicturos, tum profecturos in occidentem, vti fraudulentos eius conatus ibi declararent. Quibus rebus perterritus Leontius, eo quidem ministerio abdicauit Aetium, interim tamen reuerebatur. Isti duo admirabiles viri, Flauianus & Diodorus, quanquam sacerdotij administrationem nondum sunt consecuti, sed annumerati laicis, tamen noctu & interdiu ad pietatis studium omnes sedulò excitarunt. Hi primi, psallentium choro in duas partes diuiso, hymnos Dauidicos alternis canendos tradiderunt. Quæ res primum incepta Antiochiæ, vbique peruasit, & ad vltimas orbis terræ oras peruagata est. Hi etiam, rerum diuinarum studiosis ad martyrum monimenta in vnum congregatis, totam noctem vnà cum illis Deum hymnis celebrando contriuerunt. Quas res cum videret Leontius, eos prohibere non propterea censuit tutum esse, quòd animaduertebat multitudinem illos optimos viros summa complecti beneuolentitia, sed oratione, lenitate quadam & blandiloquentia colorata, postulat ab illis, vt hoc ministerium in ecclesijs obire vellent. Hi igitur, licet eius nequitiam exploratè cognitam haberent, nihilominus tamen eius postulationi morem gerunt, & omnes consueti sui ministerij participes alacri admodum animo in ecclesias conuocant, hortanturque vt ibi sanctissimum dominum nostrum hymnis celebrent. Attamen Leontius haudquaquam inde adduci poterat, vt suam coerceret improbitatem, sed modestiæ suscepta persona, detestabilia Stephani & Placiti scelera occultauit. Nam istos peruersa & pestifera doctrina infectos, licet vitam libidinosam & intemperantẽ consectarentur, in numerum tamen presbyterorum atque diaconorum ascriuit. At, qui omnibus virtutum generibus erant exornati, quiq; firmè doctrinæ apostolicæ adhærescebãt, eos permisit honoris penitus expertes esse. Ob quam causam clerus complures habuit heretica labe contaminatos: sed tamen maxima pars populi veram sanamq; doctrinam tuebatur: & propterea doctrinæ depraua tæ authores, suam blasphemiã palam proferre non audebãt. Verùm impia & cõscelerata facinora à Placito & Stephano Antiochiæ designata propter multitudinem separata tractatione, propter magnitudinem autem lugubri illa Dauidis querela egent. Etenim de his non inscitè dici potest, quòd Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput. In populum tuum malitioso animo egerunt, & con-

Gloria Patri & Filio.

Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.

Psal. 82.

& consilium inierunt cõtra sanctos tuos. Dixerunt, venite, & disperdamus eos degente, & non memoretur nomen Israel vltrà. Sed nos iam, quod reliquum est historiæ scribere ipsi aggrediamur.

De ijs quæ Eudoxius Germanicensis nouabat, & de Basilij Ancyræ Episcopi & Eustathij Sebastiæ contra illum dimicatione. CAP. XXV.

GErmanicia est vrbs in loco, quo Cilicum, Syrorum & Cappadocum fines terminantur, sita: subiecta autem ditioni Euphratesiæ prouinciæ. Cuius ecclesiæ antistes Eudoxius, simul vt Leontium mortuum intellexit, contendit Antiochiam, illiusque vrbis episcopatum per ambitum arripit, vineamque Domini tanquam aper sylvestris vastat. Nam non suam improbitatem more Leontij velut inuolucris obtexit, sed palam contra doctrinam apostolicam rabiem suam exercuit, eosque qui ei contradicere audebant, incommodis cuiusque generis implicauit. Eodem tempore Basilius post Marcellũ ecclesiæ Ancyræ, vrbis primariæ Galatiæ, suscepit gubernacula. Sebastiæ autem primariæ vrbis Armeniæ antistes fuit Eustathius. Isti iniquitate & rabie Eudoxij intellecta, audacia eius facinora Imperatori Constantio per literas significarunt. Id temporis Constantius, quò vulnera à tyrannis Reip. inflicta illis iam è medio sublatis, sanaret, in occidente commorabatur. Hi duo episcopi, magna cum Imperatore familiaritate iuncti, propter præstabilem viuendi rationem summam apud eum authoritatem consecuti sunt.

De Concilio rursus Nicææ coacto. CAP. XXVI.

HIS rebus cognitis, Constantius scripsit literas ad Antiochenos nunquam Eudoxio factam à se potestatem illius ecclesiæ episcopatum obtinendi (istud enim idem ille Eudoxius prędicauerat) & propterea mandauit, vti tum vrbe expelleretur, tum pro rebus Nicææ, vrbis Bythiniæ gestis concilioque illuc conuocato pœnas daret. Siquidem idem ipse Eudoxius perfecerat per illos, quibus rerum in palatio administrandarum cura erat imposita, vt Nicæa concilio celebrando assignaretur. Cæterùm huius vniuersitatis moderator Deus, qui res futuras perinde atque præteritas intelligit, admirabili quodam terræmotu concilium impediuit. Nam maximã vrbis partem deturbauit terræmotus ille, & quàm plurimos eius habitatores è medio sustulit. Qua re intellecta episcopi, qui ibi in vnum conuenerant, maximo timore perculsi, ad suas ecclesias reuerterunt. Quod quidem factum diuinæ planè sapientiæ ascribendũ arbitror. Nam cum in illa vrbe fidei apostolicæ doctrina à sanctis patribus descripta esset, & alij postea ibi congregati, contrariam doctrinam describere in animo haberent, Deus, qui ecclesijs, prouidere non desinit, concilium illud propterea prohibuit, ne ex similitudine nominis ansam Ariani arriperẽt ad fraudem, néue concilium illud, Nicænum quoque appellando, simplicium animos circumuenirent.

De Concilio Seleuciæ quæ est vrbs Thraciæ habito, & quæ res orthodoxis Episcopis Constantinopoli contigerunt. CAP. XXVII.

ALiquanto tẽporis spatio interiecto, Constantius ab Eudoxij accusatoribus impulsus, Seleuciæ concilium conuocari mandat. Est quidem Seleucia, vrbs Isauriæ ad mare sita, quæ inter vrbes illius gentis facilè primas tenet. Ad hanc vrbem Episcopos oriẽtis, quin etiam Ponticos & Asianos frequentes accedere iubet. Per idem tempus Acacius Cæsareæ, vrbis primariæ Palęstinæ, Eusebio mortuo, episcopatum gesit: quem quidem Concilium Sardicense abdicauerat, sed ille contempta tanta Episcoporum multitudine, sententiæ contra se latę restitit. Primatum autem Hierosolymorum post Macarium illum, cuius sæpe à me facta est mentio, obtinuit Maximus: vir ob certamina pro pietate suscepta egregiè nobilitatus. Cuius & oculus dexter erutus fuit, & dextri pedis flexus prorsus labefactatus. Isto ad vitam immortalem translato, Cyrillus alacris & promptus doctrinæ apostolicæ propugnator, in episcopatus gradu locatur. Isti duo, Cyrillum dico & Acacium, inter se de primatu digladiantes, populum suarum ecclesiarum grauissimis affecerunt incommodis. Nam Acacius leui arrepta occasione, abdicauit Cyrillum, Hierosolymisque expulit. Cyrillus autem proficiscitur Antiochiam, quam pastore orbatam repperit. Inde Tarsum petens, cum Siluano, viro plane admirabili, & Ecclesiæ illius id temporis antistite, ætatem degit. Quam rem vt accepit Acacius, literas dedit ad Siluanum, eumque de Cyrilli abdicatione certiorem fecit. At Siluanus, quoniam & reuerebatur Cyrillum, & multitudinem, quæ Cyrilli doctrinam cupidissime amplexata est, nonnihil pertimescebat, à ministerio ecclesiastico illũ minime prohibuit. Vbi episcopi conuenerunt Seleuciam, Cyrillus, cum Basilio, Eustatio, Siluano, & reliquis fit concilij particeps. Accedit etiam Acacius ad conuentum episcoporum, qui erant centum quinquaginta numero, dicitque se non prius cum illis de rebus in deliberationem vocatis communicaturum, quàm Cyrillus, vtpote episcopatu abdicatus, è Cõcilio excluderetur. Itaque nonnulli pacis studiosi orant Cyrillũ, vt è Concilio egrediatur, pollicẽturque, post factam de doctrina fidei dijudicationem, de eius causã disceptatum iri. Quorum consilio cum minimè obtemperaret Cyrillus, Acacius illis relictis, abijt: atque profectus ad Eudoxium, eum metu liberauit, animumq; reddidit, propterea, quòd Eudoxio promisit se tum patronum causæ suæ, tum adiutorem fore. Atque cum vetuisset illum in Concilium intrare, cum eo vnà petit Constantinopolim. Nam Constantius ab occidente reuersus, ibi tum com-

commorabatur. Acacius Imperatoris animum, cum conuentum Episcoporum coram imperatore accusasset, vocassetque illum cœtum perditorum hominum ad perniciem & exitium ecclesiarum collectum, magnopere ad iracundiam incendit, præcipue tamen criminibus, quæ aduersus Cyrillum contexuerat, bilem ei commouit. Nam aiebat sacram stolam ex aureis filis contextam, quam excellentissimus Imperator Constantinus ad Ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam Macario illius vrbis Episcopo donauerat, vt ea amictus, sacrosancti baptismatis ministerium obiret, Cyrillum vendidisse, hancque mercatum esse quendam eorum, qui in pulpito scenæ cantare solent: eam induisse, inter saltandum lapsum esse, & casu obtritum interijsse. Hunc Episcopos habentes Concilij socium, de rebus controuersis iudicare, & de aliorum causis disceptare aggressos. Ista arrepta occasione, qui primas in palatio obtinuerunt, persuadent Imperatori, vt nõ vniuersum episcoporum cœtum (multitudinis enim consensum admodum extimescebant) sed decem primarios solum ad se conuocaret. Atq; in istorum numero fuere Eustathius, Armenius, Basilius Ancyrę Galatiæ, Tarsi Siluanus, Eleusius Cyzici episcopus. Hi accedentes ad Imperatorem, obsecrabant, vti Eudoxij blasphemia & nequitia coerceretur. At Imperator doctus ex aduersariæ factionis sectatoribus, dicebat de illis rebus primum disceptandum, quæ fidem attingunt: deinde eius causam accurate cognoscendam esse. Cum autem Basilius superiore sua consuetudine confidens, Constantium Imperatorem, vtpote doctrinæ Apostolicæ insidias tendentem, liberè coargueret, Constantius iniquo tulit animo, & Basilium, tanquam procellæ in ecclesijs obortæ autorem tacere mandauit. Vbi verò Basilius dicendi finem fecerat, Eustathius, ò Imperator, inquit, quoniam placet de rebus fidei disceptari, considera quæso, blasphemias ab Eudoxio in vnigenitum dei filium impudenter iactatas. Ac statim vt ista dixerat, formulam fidei ab Eudoxio scriptam tradidit Imperatori, in qua præterea alia multa impia verba, hæc præterea fuere posita: Quæ dissimili ratione proferuntur, ea sunt essentia dissimilia: At vnus deus pater ex quo omnia, & vnus dominus Iesus Christus, per quẽ omnia, dissimilem habent prolationem, nimirum Ex quo, & per quem, proinde filius patri dissimilis est. Quam fidei formulam cum recitari iussisset Constantius, & impietate in ea comprehensa grauiter cõmotus esset, percontatur ab Eudoxio, vtrum ipse illam scripsisset. Qui extemplo negauit se eam scripsisse: nam Aetius, inquit, scripsit. Hic est idem ipse Aetius, quem Leontius olim, veritus accusationem Flauiani & Diodori, abdicauit diaconatu, quemque Georgius, qui Alexandrinis tendebat insidias, & socium impie dictorum, & scelerate factorum adiutorem habuit: qui tamen id temporis apud Eudoxium vnà cum Eunomio ætatẽ degit. Nam mortuo Leontio, & Eudoxio Ecclesiæ Antiochenæ præsulatum per ambitum nacto, redijt Aetius ab Aegypto, secumque Eunomium deduxit. Ac cum doctrina secum consentientem reperiret Eudoxium, & prẽter impietatem, sibariticam etiam mollitiem ac delitias consectantẽ, nullum locum Antiochia sibi commodiorem ad habitandum existimauit. Itaque simul cum Eunomio Eudoxij toris velut clauo affixus adhærescens, vitæ modum, qui est assentatorum proprius, studiose excolere, & modò huius, modò illius consuetudine vti, ventri deniq; & abdomini sedulò inseruire cœpit. Tũ Imperator, hac re cognita, iubet Aetium introduci. Cui ingresso illam fidei formulam ostendit: scisciturat num ipse esset eiusmodi verborũ parens. Aetius rerũ, quę gerebantur, prorsus inscius, & quorsum eius rogatum spectaret, ignarus, ratus tamen se ex confessione non parum laudis adepturum, se illorum verborũ parentem esse dixit. Imperator igitur, immani eius impietate perspecta, confestim mittit in exiliũ, & ad locum quendam Phrygiæ duci iubet. Atque iste quidem ignominiam, fructũ suę blasphemiæ accipiens, regia exturbatus est. Eustathius autem Eudoxiũ quoque eadem sentire affirmat. Nam Aetiũ eiusdem cum eo & domus, & mensæ fuisse participẽ: & quo eius inseruiret voluntati, blasphemiæ scribendæ se socium præbuisse: satisque argumenti esse, eum illius formulæ perscriptę conscium esse, quòd Aetium dixerat eius authorẽ fuisse. Tum Imperator, at in iudicando, inquit, non est nitendũ coniecturis, sed res gestæ sunt accurate perueſtigãdæ. Cui Eustathius, proinde, inquit, fac Eudoxius nobis omnibus persuadeat, se non opinione cũ Aetio consentire, sed formulæ ab eo scriptæ anathema indicere. Quã postulationem Imperator lubens amplexatus, ita fieri mandat. At Eudoxio tergiuersari, multas etiã quærere vias, quibus postulatũ illud effugeret. Vbi verò Imperatorẽ illud grauiter ferentẽ, & minantem se eum, vtpote impię opinionis cũ Aetio participẽ, in exilium itidẽ eiecturũ videt, suam doctrinam, quã necdum id temporis, verùm etiã postea defendebat, omnino inficiatus est. Atqui cõtra vrgebat, Eustathiũ cum suis debere verbo ὁμουσίῳ quia in scriptura minimè extaret, anathema denunciare. Imò verò, inquit Siluanus, voces, *Ex nihilo*, et *Creatura*, et ἑτεροούσιον id est, *Alterius Substantiæ*, quę neq; in sacris literis repertę sunt, neq; oraculis prophetarũ, neq; apostolorũ doctrinę consentiẽtes, reijciendæ sunt, & ex omnibus diuinis cõuentibus excludẽdæ. Cui assensit Imperator, & illos his vocib⁹ anathema indicere iussit. Illi etsi primò cõtradicere instituerũt, postea tamẽ, pspecta Imperatoris ira, eas ipsas voces, quas Siluanus ipsis ꝓposuerat, licet ægrè, peritus eiurarũt. Ac deinceps acrius instare cœperũt, vt verbũ quoq; ὁμοούσιον anathemate dãnaretur. Cęterũ Siluan⁹ ratiocinatiõe ritè vereq; cõclusa,

cum illis, tum Imperatori respondit. Si deus Filius neque ex nihilo, neque creatura, neque ex vlla alia essentia existat, idcirco deo Patri consubstantialis est, & deus de deo, & lumen de lumine, & eandem habet cum genitore naturam. At verò quãquam ista & firma ratione, & vera concludebat, tamen nemo eorum, qui aderãt, eio obtemperauit: imò verò factio Acaciana Eudoxianaq; contra Siluanum crebros clamores tollere, Imperator etiã adeo ira exardescere cœpit, vt eum cum suis fautoribus in exilium pellere minaretur. Tum Eleusius & Siluanus cum alijs nonnullis, dicunt in eius situm potestate, supplicium de ipsis sumere, sed pietatem sectari, vel impietatem penes se ipsos esse, & propterea nunquam patrum doctrinam proditurros. Ibi Constantius, qui eorũ sapientiam, fortitudinem, & in tuenda doctrina apostolica loquendi libertatem admirari debuerat, eos eiecit ecclesijs, & alios in eorum loca substitui mandauit. Eo tempore Eudoxius sedẽ ecclesiæ Constantinop. per tyrannidem occupauit. Eleusio etiam episcopatu Cyzici exturbato, eius locum obtinuit Eunomius. His rebus ad hunc modum gestis, imperator per literas iubet Aetiũ abdicari. Vnde ipsi Aetij impietatis consortes inducti, suæ ipsorum doctrinæ sectatorẽ abdicarunt: scripseruntq́ue etiã ad Georgium ecclesię Alexandrinæ Antistitem epistolam, qua quid Aetio factum esset, significarunt. Quam quidem epistolam ideo historiæ adnectam, vt eorum improbitas (quippe & fautores suæ doctrinæ, & eiusdem aduersarios eodem ferè modo tractarunt) omniũ oculis manifestò subijciatur.

Epistola Synodica contra Aetium scripta.
CAP. XXVIII.

Exemplar Epistolæ à toto Concilio ad Georgium, contra Aetium ipsius diaconum, ob nefariam suam blasphemiam scriptæ.

Sanctum Concilium Constantinopoli cõuocatum Domino honoratissimo Episcopo Alexandriæ Georgio, S.

QVòd Aetius ob nefaria sua scripta, eaq́ue σκανδάλων, id est offendiculis referta, à concilio condemnatus sit, in eo certè episcopi aliud nihil, quàm quod canones Ecclesiæ postulabant, effecerunt. Nam primum abdicatus est diaconatu, deinde ecclesia exclusus: postremò hortationes adhibitæ, ne quisquã sceleratas eius legeret epistolas, sed ab omnibus propterea abijcerentur, quod inanitatis nonnihil & damni complexę sunt. His accedit, quòd illi, & ijs qui in eadẽ opinione ac sententia cum eo perseuerent, anathema denũciauimus. Atque consentaneũ sanè erat, vt omnes Episcopi, qui in hoc Concilio conuenerant, communi consensu eum, vt autorẽ offendiculorum, turbarum, schismatum, tumultuosi sermonis per orbem terræ grassantis, & mutuę denique in ecclesijs seditionis execrarentur, vnoq́; ore de sententia contra eum pronunciata concordarent. Attamen contra vota nostra, contraq́; omnem expectationem Seras, Stephanus, Heliodorus, Theophilus, & eorum socij, neque sunt nostris suffragati sententijs, neq; suffragijs de eo latis subscribere voluerunt, idq; cum Seras ipse aliud etiam arrogans facinus, & plenũ insaniæ prædicto Aetio criminis loco obiectaret: eum nimirum temeraria audacia elatum affirmasse, Deũ sibi reuelasse ea, quæ vsq; ab Apostolorum temporibus hactenus occultauerat. Post quæ insana & insolentia verba, à Sera de Aetio pro testimonio citata, illi, quos supra posuimus, ne precibus quidem adduci persuaderiq́ue poterant, vt in iudicio de illo ferendo nobis suffragerentur. Nos tamen patientibus animis eorum causa ad prolixũ temporis spatium ferre sententiam distulimus, nunc indignando, nunc adhortando, increpando interdum, aliquando obnixè orando, vt nobiscum conuenirent, cõsentientemq́ue toti concilio sententiam pronunciarent. Itaq; expectamus diu, si forte nos audire, si intelligere, si deniq; cedere vellent. Verùm vbi longo tempore expectando, nullo modo eos ad nostris de Aetio sententijs obsequendum inducere poteramus, canonem Ecclesię eorum amicitię anteponendum arbitrati, eos à communione Ecclesiæ excludendos decernimus, dato illis ad sententiã mutandam ad resipiscendum, & ad alacri animo cum cõcilio concordandum consentiendumq́ue, sex integrorũ mensium spatio. Quod si intra pręstitutum diem, mutato consilio, amplecterentur cũ fratribus concordiã, & decretis ab illis de Aetio sententijs assentirentur, tum non solum vt reciperẽtur in ecclesiam, verùm etiã vt suam in concilijs loquendi libertatem, & mutuã nobiscum charitatem recuperarent, statuimus: Sin aũt in proposito susceptoq́; consilio per hominum facilitatem pertinaciter manerent, & canones ecclesiasticos contẽnerent, episcopatus dignitate dimouendos esse: q́ si depositionẽ expectauerint, alios in eorum loca episcopos substituendos, vt sacrosancta ecclesia ad ordinem sibi conuenientẽ redacta, secum ipsa cõsentiat, vinculo charitatis ab omnibus omnium gentium episcopis, eadem dicendo, eademq́ue mente & sententia in vnum cohærescendo, firmè conseruato. Quare ista ad tuam reuerentiã scripsimus, vt intelligas decreta concilij: quę te obseruantem optamus, per gratiam Christi tuas ecclesias tranquillè legitimeq́ue moderari.

Quæ causa Eunomianos & Arianos diremerit.
CAP. XXIX.

EVnomius verò tametsi in suis libris istum Aetium extollit, hominẽ dei vocat, & multis varijsq́; laudibus exornat, tamen in eo concilio eorum sententijs qui eum abdicabant, assensit, & ab eisdem Episcopus ordinatus est. Eudoxius autem, Acacius, & eorũ socij decretis Nicææ Thraciæ editis, quorum supra mentionem fecimus, assensi, ecclesijs Basilij & Eleusij regendis alios delegerunt. De quibus sigillatim disserere superuacaneum arbitror. Itaque res duntaxat ab Eunomio gestas explanabo. Vbi Eunomius Eleusio adhuc viuente, ecclesiæ Cyzicensis moderationẽ nactus est, Eudoxius, sana & syncera fide plebis perspecta, intellectoq́ue Imperatoris odio contra eos, qui dicebant vnigenitum dei filium conditum esse, admonuit Eunomium, vt suam occultaret opinionem, eamq́ue minimè aperiret illis, qui causam ad eum accusandum sedulò aucupabantur. Nam tempus, inquit, opportunum nacti, prædicabimus ea, quæ nunc silentio tegimus, eorumq́ue ignaros docebimus, & contradicentes aut oratione persuadendo, aut cogendo vi, aut supplicijs afficiendo, in nostram sententiam pertrahemus. Cui admonitioni morem gerens Eunomius, suam ex occulto promit impietatem. At verò qui sacris literis educati institutiq́ue erant, cum animaduerterent latentem istorum fraudem, iniquo animo tulerunt illi quidẽ, sed tamen palã illis contradicere, temeritatis potius, quã prudentiæ existimarunt. Itaque persona hæreticæ prauitatis induta, domum ad eos veniũt, orantq́ue vt verè suam doctrinam ipsis exponere velint, & non permittãt eos varijs doctrinis huc illucq́ue ferri. Tum demũ Eunomius fidenti animo, aperuit suam quam celauerat opinionem. Addunt porrò illi iniquè, imò verò impiè ab eo factum fore, si non omnes eius moderationi commissi, veritatis fierẽt participes. Iste hisce rationibus & alijs eiusmodi adductus, in publicis ecclesiæ conuẽtibus deinceps suã blasphemiam patefecit. Illi igitur studio ardẽti incitati, Constãtinopolim properè contendunt. Ac primũ nomen Eunomij deferunt apud Eudoxium. A quo reiecti, veniunt ad imperatorem, apud eũ de perniciosa Eunomij doctrina conquesturi: eius dicta Arij blasphemiam impietate longe superare prædicant. Vnde imperator ira accensus, mandatum dat Eudoxio, vt curet Eunomium adducendum: & si criminis conuictus foret, Sacerdotij dignitate priuet. At cum sæpenumero accusatores Eudoxium ad id impellerent, ipseq́; tergiuersaretur, accedunt denuo ad imperatorem, queruntur, clamant nihil factum ab Eudoxio, quod erat imperatũ, sed permissum ab eo, vt illustris ciuitas impijs Eunomij blasphemijs exposita labefactetur. Tandem Constantius minatur se Eudoxiũ in exilium eiecturum, nisi accersat ad se Eunomium, & de criminibus ei intentatis conuictum, supplicio coerceret. His minis perterritus Eudoxius significat per literas Eunomio, vt fugiat Cyzico, eiq́ue crimini dat, quòd suæ admonitioni & consilio non paruisset. Eunomius igitur metu perculsus, se inde subduxit ille quidem, sed hanc ignominiæ notam non tacitus ferens, proditionis accusat Eudoxium, & tum sibi tum Aetio factam ab eo iniuriã dicit. De cętero igitur conuentum separatum sibi constituit. Nam quicunque conscij erãt eorum in doctrina consensionis, ab Eudoxio, vt proditionis conuicto deficiunt: seq́ue coniungunt cum Eunomio, nomenq́; ab eo sumptum ad hodiernum diẽ retinent. Inde Eunomius sectæ cuiusdam princeps factus, Arij blasphemiam accessione quadam impietatis adauxit. Quòd autem ambitioni inseruiẽs, separatum conuentum constituit, rerum euentus loquitur. Etenim cũ Aetius abdicatus, ecclesia pelleretur, non vnà cum eo abijt, licet magistrum eum & hominem dei nũcupet, sed mansit firmè Eudoxio coniunctus. Vbi autem impietatis pœnas luisset, non cõcilij acquieuit sententiæ, sed iam episcopali dignitate spoliatus, episcopos & presbyteros ordinauit. Atque hæc gesta sunt Constantinopoli.

De vrbis Nisibis obsidione, & apostolica Iacobi Episcopi vita. *CAP. XXX.*

CVm Sapores rex Persarum contra Romanos bellum gereret, Constantius collecto exercitu, venit Antiochiam. Quo quidẽ tempore hostes erant profligati nõ exercitus Romani viribus, sed virtute Dei, quem pij viri inter Romanos sanctè coluerunt. Victoriæ autem rationem ac modum hoc loco exponere decreui. Nisibis vrbs, quam nonnulli Antiochiam Mygdoniæ appellãt, in finibus, quibus Romanorum & Persarum terminatur imperium, posita est: cuius Episcopus, moderator, & dux fuit Iacobus, de quo supra mentio facta est. In isto clari gratiæ apostolicę radij elucebant. Cuius admirabilia, & multorum celebrata sermonibus miracula, quoniam in historia, quæ inscribitur Philotheus, complexus sum, ea rursus enumerare, vt superuacaneum, sic alienum ab instituto arbitror. Itaq; vnum duntaxat narrationis propositæ causa commemorabo. Vrbem cui iste Episcopus præfuit, Romanorum ditioni subiectam, fortè Persarum exercitus obsidebat. Quam ad septuaginta dies obsessam, tametsi multas machinas mœnibus admouebat, & ea vndiq; varijs bellicis tentabat instrumentis, atque adeo vallo & fossa circundabat, capere tamen omnino non potuit. Postea alueo fluuij per mediam vrbem labentis, qui Mygdonius vocatur, satis longo interuallo supra vrbem obstructo, & ripis ad ingentem altitudinem, vti impetum aquæ inhiberent, exaggeratis, vbi videt tantam aquæ copiam, vt de cætero aggerem inundaret, subito eam, velut machinam, in murum pręcipiti cursu ferri permittit. Cuius impetus tam vehemens fuit, vt murus eum non potuerit sustinere, sed in alteram partem inclinatus, ad terram ruerit. Eandem calamitatem altera muri pars, per quam erumpebat fluuius, etiam passa est: quandoquidem, cum aquæ violentiam non posset ferre, disturbata concidit. Quod vbi vidit Sapores, spem concepit animo, se nullo negotio reliquam vrbem expugnaturum. Atque ille quidem ideo quiescit, vt cœnosa aquæ inundatio arescere, & flumen vado transiri posset. Postridie autem, vbi cum omnibus copijs vrbi appropinquabat, expectabatq́ue per disiectas muri partes in eam ingredi, tum murum vtrinque de integro ędificatum, tum labo-

laborem à se frustra susceptũ videt. Nam diuinus ille vir, Iacobus, suæ precationis virtute non solum militum aliorumq; incolarum confirmauit animos, verũ etiam murũ denuo extruxit, & machinis oppositis, hostes irruentes repulit. Quas res perfecit non accedendo ad mœnia, sed intus in sacrosancto templo Deum precibus enixè sollicitando. Sapores autẽ non modò ędificandi celeritate obstupefactus est, verumetiã visione quadam perterritus. Etenim vidit in ipso muro quẽdam regali planè vestitu amictum: cuius purpura & diadema mirè resplendescebant. Quẽ imperatorem Romanũ esse suspicatus, minabatur illis mortem, qui nuntiarãt eũ minimè adesse. Qui cum constanter affirmarent, vera esse, quæ dixerãt, & Constantium imperatorẽ esse Antiochię, intellexit cũ visionis significationẽ, tum Deum pro Romanis (sic enim aiebat) bellum gerere. Itaque miser rem indignatus, telum coniecit in aerẽ, non quòd putabat Deum se pòsse ferire, quem sciebat corporis expertem, sed ꝓ impetum insaniæ suæ sustinere non potuit. Eodem tempore Ephraim, vir sanè admirabilis, & scriptor inter Syros facile excellentissimus, orat Iacobum vt cõscendat mœnia, Barbaros conspicetur, & execrationis tela in eos cõijciat. Cuius postulationi obsecutus sanctus vir, in quandam turrim ascendit. Ac cum videret ingentem eorum multitudinem, non aliud est illis imprecatus, quã vt ciniphes ac culices in eos immitterentur, vti minutarum bestiolarum morsu potentiam eius, qui ipsis Romanis auxilium tulerat, agnoscerent. Quare à Deo postulata, statim ciniphum & culicum examina tanquã nubes Persarum copijs circunfunduntur. Atq; tum elephantorũ proboscidas, quę sunt instar fistulæ, tum equorum & aliorum iumentorum aures naresque compleuerunt. Qui cum bestiolarũ morsum ferre non possent, frena rumpere, sessores deijcere, & aciem disturbare cœperunt. Ac tandem relicto exercitu, fugiunt, quantum possunt. Itaque miserrimus ille rex, cũ ex hac leui & clementi castigatione potentiam Dei, curam piorũ gerentis, perspexisset, inde domum reuertitur, ex ea obsidione non victoriam, sed ignominiam consecutus.

De Antiocheno Concilio, & quæ illic contra sanctum Meletium statuta fuerunt.

CAP. XXXI.

PER idem tempus Constantius Antiochiæ commoratus, cum iam pax erat & tranquillitas reipub. allata, & bellum Persicum confectum, episcopos denuo in vnum conuocat, cogitque eos omnes et vocem ὁμοούσιον id est, eiusdem substantiæ, et vocem etiam ἑτεροούσιον id est, diuersæ vel alterius substantiæ, penitus negare. Id tẽporis ecclesia Antiochena propterea erat pastore destituta, ꝓ Eudoxius, qui post Leontiũ illam sedẽ per vim occupauerat, ex ea expulsus fuit, & post multa cõcilia celebrata Constantinopolitanã ecclesiã contra leges & æquitatem obtinuit. Quare ipsi tum in vnũ coacti (siquidem permulti erãt, & ab omnibus locis collecti) dixerũt pastorem gregi assignãdum: deinde cõmuniter cum eo de doctrina fidei veniendum in deliberationem. Illo ipso tempore Meletius, vir plane diuinus, vrbis cuiusdam Armeniæ antistes, quoniam difficiles & pertinaces sui gregis mores ferre non poterat, alium ad locum se transtulit ad vitam quietè tranquilleque degendam. Istum Ariani fautorem esse suę sectæ, & doctrinæ socium suspicati, postulant à Constantio, vt ei committatur ecclesiæ Antiochenæ moderatio. Nam nullam non legem audacter & liberè perfringebant, dum suam impietatem stabilire molirentur. Atque fundamentum, quo eorum nitebatur blasphemia, erat sanctarum legũ violatio. Siquidem multas eiusmodi res in multis locis nouabãt. Qui autem doctrinæ adhærescebant apostolicæ, quoniam sanã illustris illius Meletij doctrinam, & præstabilem vitæ rationem, & virtutis denique diuitias pro certo cognoscebant, ei deligendo ipsi quoque suffragantur, & decretum de ea edendum, & ei ab omnibus subscribendum studio, quantum fieri potest maximo, curant. Quod quidem decretum tanquam commune quoddam pactum Eusebio episcopo Samosateno, egregio sane & generoso veritatis athletæ, ab vtrisque traditur asseruandum. Vbi verò magnus ille Meletius erat ab imperatore accersitus, illico venit Antiochiam. Cui procedunt obuiam omnes sacerdotes, & cætera etiam ministrorum ecclesiasticorum caterua, & tota denique ciuium multitudo. Aderant etiam Iudæi & Gentiles cupiditate celebrem illum Meletium visendi inflammati. Imperator autem dat mandatum tum illi, tum cæteris, qui dicendi facultate valebant, vt hanc sententiam: Dominus condidit me initio viarum suarum ad opera sua, populo explicarent: iubeque notarijs, qui ad celeriter scribendum erant exercitati, vt verba cuiusq; exciperent, ratus sane eo pacto doctrinam eorum multo accuratiorem fore. Itaque primus Georgius Episcopus Laodiceæ, in suaue erroris sui virus euomuit. Secundo loco Acacius Episcopus Cæsareæ doctrinam quasi mediam interiectam, quippe quæ sicut ab illorum blasphemia abfuit longissimè, sic non integram & sinceram doctrinæ apostolicæ formam habuit. Tertius surrexit magnus ille Meletius, qui quæ sit recta verbi Dei pradicandi regula ostendit. Nam ad veritatem, velut ad amussim omnia dirigens, nimium & parum facilè deuitauit. Quare cum ei à multitudine tribueretur permagna laus, & omnes illum orarent, vt breuem quandam & compendiariam de fide doctrinam ipsis traderet, primum tres ostendit digitos: deinde duobus compresis & vno extenso relicto, istam insignem protulit sententiam. Tria quidem sunt, quæ intelliguntur, sed tanquam de vno loquimur. Aduersus hanc doctrinam illi, quorum animos morbi

Prouerb. 8.

Ariani

Ariani contagio infecerat, cœperunt acuere linguas, calumniam contexere, dicere diuinum Meletium Sabellianum esse. Proinde suadent Constantio, qui non aliter atque Euripus facilè huc illucque ferebatur, vt Meletium patrijs sedibus expelleret. Quod quidem perficiunt: atque ad eius locum capessendum deligunt Euzoium, egregium doctrinæ Arianæ patronum. Nam istum ipsum magnus ille Alexander, Episcopus Alexandriæ, vnà cum Ario diaconatu abdicauerat. Populi autem pars, quæ sanam amplexabatur doctrinam, quæque ab Ariana factione se separauerat, ad ecclesiam apostolorum in Palæa (sic enim locus ille dicitur) sitam, frequens confluit. Nam triginta annos post insidias Eustathio, viro sane omni genere laudis excellenti, collocatos, doctrinæ Arianæ impietatem pertulerant, spe temporum sustentati meliorum. Verùm vbi apud ipsos impietatem inualescere vident, & doctrinæ apostolicæ fautores tum palam bello oppugnatos, clam appetitos insidijs, & diuinum Meletium patrio solo eiectum, & Euzoium hæresis patronum pro eo in Episcopatus gradu locatum, venit illis in mentem non verborum solum, quæ olim dicebantut ad Loth, nempe, saluans salua animam tuam, sed etiam legum euangelicarum, quæ manifestò sic præcipiunt: Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, & proijce abs te. Eadem quoque Dominus de manu & pede sanciuit, adiecitque: bonum est tibi vt pereat vnum ex membris tuis, & non totum corpus tuum mittatur in gehennam. Ad hunc modum igitur constat ecclesiam dissensione diuisam esse.

Gen. 19.

Matth. 5.

De Eusebio Episcopo Samosatensi.

CAP. XXXII.

EVsebius verò ille admirabilis, cuius supra feci mentionem, cuique commune de Meletio decretum commissum fuit, cum videret pacta violata, ad vrbem sibi concrediam abijt. Ariani autem veriti, ne decreti illius conscripti testimonio plane coarguerentur, persuadent Constantio, vt nuntium mitteret decretum ab Eusebio petiturum. Imperator ergo eorum impulsu, mittit nuntium, qui equis in itinere crebro mutatis, quàm celerrimè tum aliquo proficisci, tum responsa referre consueuerat. Vbi venit ad Eusebium, & mandata Imperatoris ei exponit, Eusebius vir sane nunquam satis laudatus, non possum, inquit, commune decretum apud me depositum reddere, nisi omnes, qui meæ fidei illud commiserunt, in vnum conueniant. Quod responsum nuntius refert ad Imperatorem. Ille ardens iracundia, nuntium mittit denuò, iubet decretum reddi: additque in literis se mandasse nuntio, vt nisi redderet illud, dexteram eius amputaret, cum tamen hęc ad eum perterrefaciendum solum scripsisset: siquidem vetuerat tabellarium illud facere, quod per literas Eusebio minatus fuerat. Simul atque vero diuinus ille vir, resignatis literis, intellexit supplicium, quod Imperator ei minatus fuerat, non dexteram modò, sed leuam etiam extendit, iubetque vtranque abscindere. Nam decretum, inquit, non reddam, quod Arianæ improbitatis tam clarum indicium dat. Itaque Imperator, intellecta eius animi magnitudine & constantia, & tum eum plurimum admiratus est, & postea laudibus efferre non destitit. Etenim inimici præstantes aduersariorum virtutes, magnitudine rerum gestarum ad id compulsi, etiam admirari solent. Per id temporis Constantius cum accepisset Iulianum, quem Cæsarem totius Europæ declarauerat, res magnas per seditionem moliri, & contra eum qui illi tantum honoris detulerat, exercitum cogere, decedit de Syria, & in Cilicia supremum vitæ diem obijt. Nam quoniam paternæ pietatis hæreditatem neutiquam seruabat integram, idcirco adiutore, quem pater ei reliquerat, omnino destitutus fuit: & ob eam causam se fidem mutasse grauiter & acerbè lamentatus est.

Secundi libri finis.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRI, ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER TERTIVS.

De Iuliani Imperio. *CAP. I.*

Constantius quidem, quoniam à fide paterna deflexerat, tristitia & mœrore oppressus, abijt è vita. Iulianus autem ex Europa trajiciens in Asiam, certior de morte Constantij factus est: & propterea fidenti animo, vtpote qui nullum iam haberet aduersarium, imperium capessit.

Quòd à puero in pietate educatus, postea in impietatem deuenit. *CAP. II.*

ISte Iulianus, cum adhuc tenera esset ætate, necdum ex pueris excessisset, lac suxit piæ sinceræque doctrinæ. Quinetiam cum pubescceret, & ipsam attingeret adolescentiam, eandem doctrinam tenuit. Nam veritus Constantium, qui dum extimescceret tyrannidem, cognatos è medio sustulerat, in lectorum numerum ascriptus est, & sacros libros in Ecclesiasticis conuentibus perlegit. Sacram item ædem Martyrum construxit ille quidem, sed martyres eam non æqui bonique consuluerunt, propterea quòd præuiderant illum à

vero Dei cultu ad impietatem deflexurum. Nam fundamentis eius ad similitudinem inconstantis & leuis mentis Iuliani agitatis, ædes prius, quàm consecraretur, disiecta corruit. Itaq; hic primæ & secundæ ætatis Iuliani modus fuit.

Quomodo primum impietatem supprimens, eam postea patefecerit. CAP. III.

POstea verò quàm Constantius venit in Occidentem, quo bellum aduersus Magnentium gerendum eum pertraxerat, & Gallum Cæsarem Orientis renuntiauit, qui & vir pius fuit, & ad extremum vitæ diem pietatem excolere non destitit, Iulianus metum, qui ei perutilis & necessarius fuerat, eiecit ex animo, & iam armare se audacia, & contrà quàm debuerat imperij cupiditate exardescere cœpit. Proinde perlustrare Græciam, conquirere vates & ariolos, sciscitaturus ab illis, votine compos futurus esset. Atque incidit fortè in hominem, qui hoc ei prædicere pollicitus sit: qui quidem deducto eo in fanum simulachrorum, & intra eius adyta collocato, fraudulentos dæmones inuocat. Quibus specie, qua solent, apparentibus, metus coegit Iulianum signo Crucis frontem suam signare. Dæmones igitur dominici trophæi conspicati figuram, & suæ ipsorum cladis recordati, confestim euanuerunt. Tum præstigiator, causa cur fugerent intellecta, Iulianum obiurgat: qui tum timorem, in quo erat, declarauit, & se virtutem Crucis vehementer admirari dixit. Nam dæmones, quoniam eius figuram ferre non poterant, aufugisse. Cui præstigiator, ne inquit, amabo te, sic existimes. Siquidem non ob eam causam, quam tu affers, formidabant, sed tuum factum detestati, se ab oculis nostris remouerunt. Ita miser ab eo in fraudem impulsus, tum impijs initiatur mysterijs, tum pectus eius scelere completur, & infelix propter imperij cupiditatem pietate omnino spoliatur. Attamen imperium nactus, diu suam occultat impietatem. Nam milites disciplina veræ pietatis imbutos præter cæteros extimuit. Siquidem primum nunquam satis laudatus ille Constantinus & eorum animos vetere liberauerat errore, & doctrina veritatis accurate erudierat: deinde eius filij disciplinam, quam pater in eorum animis inseuerat, multò magis confirmabant. Etenim tametsi Constantius quorundam suasu in fraudem inductus, verbum ὁμοούσιον non approbauit, tamen ipsam rem, quæ verbo significabatur, syncere & ex animo confessus est. Quippe ingenitum filium, ante secula à patre genitum, Deum verbum nominauit, eosque honore penitus abdicauit ecclesiastico, qui auderent eum creaturam nuncupare: cultumqque simulachrorum prorsus vetuit. Aliam præterea rem ab eo gestam dignã sane prædicatione commemorabo, ex qua vna eius erga pietatem studium satis cognosci poterit. In bello nanq; contra Magnentium suscepto, toto suo exercitu coacto in vnum, omnes cohortatus, vt diuina percipiant mysteria: quippe exitum vitæ tum aliàs semper, tum in bello potissimum incertum esse, presertim cum in eo infinita tela, iacula, hastæ vtrinque mittantur: quinetiam intentur gladij, ficæ, & alia instrumenta bellica, quibus violenta infertur mors. Proinde oportere singulos stolam illam preciosam induere, quæ in illa altera vita nobis omnibus cum primis necessaria est. Quòd si quisquam eam vestẽ accipere recuset, eum inde iam domum abire iubet. Nam se nolle cum hominibus mysterijs minimè initiatis bellum gerere.

De Episcoporum reditu. CAP. IIII.

IVlianus autem, quoniam has res pro certo cognoscebat, idcirco impietatem, quam continebat animo, neutiquam patefecit: sed quo omnium sibi conciliaret beneuolentiam, episcopos à Constantio ecclesijs eiectos, & ad vltimas orbis terræ oras relegatos, ad suas ecclesias redire iussit. Itaque hoc edicto promulgato, Antiochiam diuinus reuertit Meletius: Athanasius multorum sermone celebratus Alexãdriam redijt. Eusebius item & Hilarius episcopi Italiæ, & Lucifer Sardiniẽ insulæ pastor, qui in Thebaide Aegypto finitima (illò enim Constantius eos relegauerat) vitam degerant, domum reuenere. Isti duo cum alijs nonnullis eiusdem doctrinæ fautoribus in vnum coacti, dixere ecclesias ad concordiam reducendas esse. Nam constabat non solum aduersariæ doctrinæ patronos eas oppugnare, sed ipsas mutua inter se dissensione distrahi. Etenim Antiochiæ, corpus ecclesiæ, quod sanam sectabatur doctrinam, in duas partes diremptũ fuit: quandoquidem omnes, qui propter excellentissimum virum, Eustathium, ab alijs se separauerant, seorsum perpetuò conuentus agebant: qui autem stabant à Meletio illo admirabili, hi à factione Ariana segregati, in Palæa (sic enim locus dicebatur) sacrosancta mysteria celebrabant. Et tamen tum horum tum illorum vna erat eademque fidei confessio. Nam cœtus vterque doctrinam fidei in concilio Nicæno editam propugnauit: solaque contentione de alia re suscepta, & amore quo suos complectebantur antistites, dissensere. Neque alterius mors discordiam dirimere poterat. Siquidẽ ante electionem Meletij, mortuo iam Eustathio, cum veræ pietatis fautores post Meletij exilium, & ordinationem Euzoij se ab impiorum communione seiunxissent, separatimque conuentus facerent, nullo modo induci poterant Eustatiani, vt cum illis concordia colligarentur. Attamen Eusebius & Lucifer viam sedulo perquirebant, qua eos ad concordiam adducerent. Atque Eusebius orabat Luciferum, vti Alexandriam pereret, vt cum magno Athanasio de hac re communicaret: pollicebaturque se laborem de illis reconciliandis suscepturum.

De Paulini

De Pauli ordinatione. CAP. V.

AT Lucifer non est Alexandriam profectus, sed rectà contendit Antiochiam. Ac multis verbis tum apud hos, tum apud illos de concordia habitis, cum Eustatianam factionem, cuius princeps ac dux fuit Paulinus presbyter, ei rei contradicere animaduerteret, inconsideratè sane Paulinum eorum creauit episcopum. Quæ res dissensionem illam multo diuturniorem reddidit. Nam durauit octoginta quinque annos, ad præsulatum videlicet Alexandri, omnibus laudis insignibus meritò exornandi: qui ecclesiæ Antiochenæ clauum obtinens, omnes indagare vias, & omne studium alacritatemque animi conferre non destitit, quo concordiam constitueret, & membrum segregatum cum reliquo ecclesiæ corpore conglutinaret. Lucifer igitur diu Antiochiæ commoratus, discordiam adauxit. Eusebius autem aduentans Antiochiam, simul ac morbum, mala iam adhibita curatione, vix aut ne vix quidem posse sanari intellexit, conscensa naue, in occidentem reuertitur. Lucifer quoque redit Sardiniam: cœpitque nouam quandam doctrinam doctrinæ ecclesiasticæ adijcere. Vnde qui eam sint amplexati, ex eius nomine nomen traxerunt, suntque ad longinquum temporis spatium Luciferiani appellati. Verùm extincta est post hæc doctrina, & obliuione penitus deleta. Ista post reditum episcoporum gesta accepimus.

Quot & quàm nefanda gentiles, impetrata ab eo potestate, in Christianos ausi fuerint. CAP. VI.

PORrò dum Iulianus suam obtexit impietatem, vrbes seditionibus redundare cœperunt. Nam gentiles errori colendorum simulachrorum addicti, magna cum confidentia aperire illorum fana, celebrare nefanda, & obliuione conterenda mysteria, in aris ignẽ accendere, contaminare terram victimarum cruore, aerem nidore & fumo inficere aggrediuntur: & à dæmonibus, quos colebant, ad insaniam adacti, circumcursitare per plateas, scurrarum more petulanter & contumeliose sanctos insectari, nullum denique genus conuitij & probri prætermittere. Quare veræ pietatis professores, cum istorum blasphemiam ferre nullo modo possent, vicissim conuitia in eos intorquere, & errorem ab illis defensum acriter refutare. Vnde impietatis architecti iracundia exardescere, & licentiam ab Imperatore concessam, velut subsidium ad audaciam nacti, plagas illis planè insanabiles infligere. Nam Imperator scelestissimus, cum illius partes fuissent, paci subiectorum prouidere, ipse populum ad mutuo inter se dissidẽdum odio, incitauit. Nam in audacissimorum sceleribus contra modestissimos viros editis conniuebat, & Vrbanos militaresque magistratus, hominibus crudelissimis & maxime impijs (qui tametsi verę pietatis amatores palam hostias simulachris immolare minime cogebant, tamen omni genere contumeliæ eos affecerunt) concredebat. Abstulit præterea congiaria sacerdotibus à Constantino magno donata. Quæ autem maleficia hi, qui falso simulachrorum cultu tenebantur obstricti, id temporis admiserint, quanquam permulta sunt, & opus separatum postulant, ego tamen ex multis pauca sumam mihi ad commemorandum. Ascaloni & Gazæ, quæ sunt vrbes Palæstinæ, primum virorum sacerdotij dignitate exornatorum, & mulierum perpetuam virginitatem professarum ventres discindunt: deinde farciunt hordeo: ad extremum eos porcis deuorandos obijciunt. Sebastæ item, quæ est vrbs ditioni gentis, de qua supra dixi, subiecta, Ioannis Baptistæ tumulum aperiunt: ossa tradunt igni absumenda, & eorum cineres passim dispergunt. Scelus autem ab illis in Phœnicia patratum, quis est quæso, qui sine lachrymis possit commemorare? Nam Heliopoli, quæ est vrbs Libano finitima, execrabiles isti gentiles recordati facinoris Cyrilli diaconi, qui regnante Constantino diuino quodam zelo accensus, multa simulachra, quæ in ea vrbe colebantur, confregerat, non modò eum interfecerunt, verumetiam dissecto ventre iecur eius degustare non sunt veriti. Verùm Deum omnia contemplantem hoc celare non poterant, sed debitas sui maleficij pœnas ei dederunt. Nam quotquot illius sceleris labe inquinati sunt, primum amiserunt dentes, qui pariter omnes ad vnum excidebant: deinde linguas perdiderunt, quæ putredine tabefactæ, exore effluebant: postremo oculis orbati sunt: quorum calamitatibus veræ pietatis vis clarè prædicata est. Emesæ item, vrbis vicinæ, Baccho mulieroso ecclesiam, à Christianis nuper ædificatam, dedicauerunt, statuamque planè ridiculam sexum vtrunque, virilem scilicet & muliebrem repręsentantem, in ea collocarunt. Preterea Dorystoli, quæ est insignis vrbs Thraciæ, Aemilianus, inuictus Christi athleta, à Capitolino totius Thraciæ præfecto in rogum coniectus est. Adde his facinus planè tragicum contra Marcum Episcopum Arethusæ gestum, quod profecto Aeschyli & Sophoclis in oratione maiestatem requirit, vti immanis illius crudelitas tragicè explicetur. Iste temporibus Constantini delubro simulachrorum disiecto, Ecclesiam Christi in eius loco extruxit. Arethusij igitur intellecto Iuliani proposito, odium, quod aduersus eum conceperant, expromunt. Qua re cognita, Marcus primum legi euangelicæ obsecutus, fuga salutem petere conatur. Verùm vbi certior factus est quosdam ex suis pro se comprehensos, redit domum, & se genti crudeli tradit. Itaque Arethusij cum eum cepissent, non miserati vt senem, non vt virtutis cultorem reueriti sunt, sed virum eximiæ vitæ & singularis doctrinæ ornamentis decoratum torquere aggrediuntur. Ac primum corpus exutum vestibus, verberibus cædere, & membris omnibus infligere plagas: tum in fœtidas

cloacas

cloacas conijcere: inde rursus eductum gregi adolescentulorum tradere, quibus dant mandatum, vt eum stylis confodiant. Deinceps inuoluere reti, & oleo piscium & melle vngentes, sublimem in æstu ardentissimo sub dio suspendere, quo vespas & apes ad epulandum inuitarent. Quibus rebus confectis, ad alterum è duobus faciendum compellere, vel vt delubrum, quod diruerat, denuo extruat, vel vt sumptum ad illud extruendum suppeditet. At ille cruciatus illos toleranter ac placidè perpessus, negat se quicquam eorum, quę proposuerant, facturum. Isti verò quoniam arbitrabantur eum præinopia tantam pecuniæ vim non posse numerare, dimidiam summam ei condonare, iubereque reliquam dissoluere. Ille suspensus in sublimi, & stylis confossus, à vespis & apibus ambesus, non modo nullam dedit doloris significationem, verùm etiam impios lepide irrisit, dixitque eos abiectos esse, & humi repere, se autem erectum, & in sublimi positum. Ad extremum isti exiguā pecuniæ portionem petere. Quibus ille, perinde impium esse obulum in impium opus impendere, atque summam pecuniæ vniuersam. Proinde sic tandem euicti, eum dimittunt, cum eius admirati fortitudinem & constantiam, tum mutata sententia, ad rationem vitæ penitus contrariam traducti: siquidem ex eius ore veram pietatem postea didicerunt.

Quas aduersus Christianos leges tulerit.
CAP. VII.

ALia præterea infinita maleficia, illo tempore, terra mariqueab impijs contra pios fuere commissa. Etenim Deo infestus tyrannus Iulianus de reliquo leges aduersus verum Dei cultum aperte promulgare cœpit. Ac primum vetuit, ne Galilæi (sic enim fidei Seruatoris nostri consecratos nuncupabat) poeticam, rhetoricam, aut philosophiam discerent. Nam nostris ipsorum, inquit, pennis, vt est in prouerbio, percellimur: Siquidem nostrorum scriptorum præsidijs muniti, contra nos bellum suscipiunt. Postea etiam aliam tulit legem, qua mandauit, vt omnes Galilæi, id est Christiani, è militia pellerentur.

De sancti Athanasii relegatione & fuga.
CAP. VIII.

PER idem tempus Athanasius, athleta veritatis in omni certaminum genere exercitatus, in aliud rursus discrimen adducitur. Nam dæmones eius, tum in concionando, tum in precando, vim non ferentes, suos ministros ad eum conuicijs lacerandum armant. Qui vt alias multas voces, dum ab impietatis patrono contendebant, vt Athanasium in exilium eijcerent, sic hanc apposuerunt, si Athanasius Alexandriæ maneat, neminem gentilem mansurum. Eum enim omnes ad suum cœtum suasu adducturum. Cui postulationi assensus Iulianus, dedit mandatum, vt Athanasius non patria solum, verùm etiam vita spoliaretur. Cum autem discipuli eius ei metuerent, eum prædixisse fertur, tumultum eum breui compressum fore. Nam nubem appellauit, quæ celerrime dissiparetur. Veruntamen vbi intellexit quosdam ad se conquirendum missos, se clam inde subduxit, & reperto ad ripam fluminis nauigio, recta in Thebaidem traiecit. Qui autem iussus erat, vt eum occideret, factus de eius fuga certior, quantum potest, persequitur. Ac cum quidam ex familiaribus Athanasij anteuertisset, diceretque hominem eum propere persequi, nonnulli, qui comitabantur Athanasium, orabant, vt de via in solitudinem deflecteret. At ipse dat mandatum gubernatori, vt nauigium versus Alexandriam dirigat. Sic igitur illis ei, qui persequebatur, obuiam factis, venit homo ille, qui mandatum de Athanasio interficiendo acceperat, sciscitaturque, quantum inde abesset Athanasius: Cui Athanasius respondet, eum non longe abesse, sicque dimittit: ipse autem redit Alexandriam, atque reliquo tempore, quo vixit Iulianus, ibi delituit.

De Apolline Daphnæo, & sancto Babylæ.
CAPVT IX.

IVlianus, cum in animo haberet, bellum contra Persas gerere, ad omnia oracula, quæ erant intra fines imperij Romani, consulenda homines è suis summa beneuolentia sibi coniunctos misit. Ille ipse verò supplex orat Apollinem Daphnæum, vti quæ sibi essent euentura, ostenderet. Respondet Apollo mortuos quosdam in proximo humatos impedimento esse quo minus daret vaticinia. Eos igitur primum inde transferendos esse: deinde, quid futurum sit se prædicturū pollicetur. Nam se, nisi purgato luco, nihil posse dicere. Eodem tempore in eo loco reliquiæ inuicti martyris Babylæ & adolescentum, qui vnà cum eo pro fide decertarant, repositæ iacuerunt. Atque falsus vates apertè monstrauit se gratia illius martyris à consuetis & commentitijs oraculis edendis prohibitū. Quod vbi intellexit Iulianus (non enim ignarus fuit virtutis, quæ in vetere pietate martyrum residebat) nullum quidem corpus mortuum inde deportandum curauit, sed imperauit Christianis, vt reliquias duntaxat inuictorum martyrum ex eo loco transferrent. Qui ad lucum lubentibus animis profecti, loculum in bigis collocant, omnesque ad vnum antecedentes saltare, psalmosque Dauidicos canere cœperunt: & inter singula versuum membra hæc verba interponere: Confundantur omnes qui oderant sculptilia. Nam martyris translatione dæmonem euictum existimarunt.

De Theodoro confessore. CAP. X.

IVlianus autem dedecoris notam ex ea re sibi inustam non ferens, postridie eius diei principes illius solemnis pompæ comprehendi iubet. Salustius, qui tum præfectus erat, impietati deditus, tametsi tyrano persuadere conatur, ne Christianis gloriæ appetentibus illud præstet, quod episcopis in optatis sit, tamen cum videret eum minime posse suam iram cohibere, primum adolescentem quendam diuino amore inflammatum, qui in foro forte ambulabat, arripi: deinde in patibulo palam suspendi: tum loris eius tergum lacerari, lateraque testis acutis perfodi iubet. Quo cruciatus genere eum à primo diluculo ad vesperum vsque torquere non destitit. Postea catenis ferreis vinctum in custodia asseruari imperat. Postridie mane de his rebus certiorem facit Iulianum, adolescentis fortitudinem exponit, talibus factis & se profligatos fore, & Christianorum gloriam multò fieri illustriorem ait. Qua ratione adductus Deo odiosus tyrānus, alios deinceps tormentis affligi non permisit, imò verò etiam Theodorum (hoc enim adolescenti illi, & generoso veritatis athletæ nomen fuit) carcere liberari iubet. Qui rogatus à quibusdam, ecquid doloris, acerba illa & crudelia tormenta passus, sensisset, respondet se initio aliquantum doloris sensisse: at postea ei apparuisse quendam, qui linteo molli & frigido faciem sudore manantem continenter tergebat, iubebatque bono animo esse. Et propterea cum carnifices ab eo cruciando cessarent, se non voluptatem, sed afflictationē ideo sensisse, quòd is, qui eius leuasset cruciatum vnà discesserat. Itaque dæmon ille falsus vates, tum martyris auxit gloriam, tum sua mendacia patefecit. Nam fulmen de cœlo delapsum, vniuersum incendit delubrum, & ipsam Apollinis statuam in cineres redegit: quæ intus lignea quidem erat, sed extrà auro obducta. Qua re cognita, Iulianus auunculus Iuliani, orientis præfectus, propere Daphnen contendit, quò deo, quem colebat, maturè subsidio veniret. Sed vbi vidit eum, qui nomine duntaxat Deus erat, in cineres redactum, verberibus cædit æditiuos: suspicatur tamen delubrum ab aliquo Christiano incensum fuisse. Aeditui etiam dum vapulabant, nihil falsi dicere voluerunt, sed incendium dixerunt non humi habuisse initium, sed cœlitus demissum esse. Et rustici quidam, qui in proximo habitabant, eò aduentantes, fulmen se vidisse è cœlo delatum affirmarunt.

Quomodo vasa sacra confiscauerit.
CAP. XI.

VErum impij Gentiles, quanquam hæc ita accidisse pro certo cognoscebant, tamen contra Deum vniuersarum rerum moderatorem se armare cœperunt. Tyrannus item sacra vasa in ærarium regium inferri, & portas Ecclesiæ, quam Constantinus ædificarat, obserari mandat, quo nullus aditus illis, qui in eo conuentus agere solent, omnino pateret. Hanc Ecclesiam id temporis occupabant Ariani. In sacrosanctum autem templum ad vasa sacra auferenda simul ingrediuntur, Iulianus præfectus Orientis, Felix regij thesauri Quæstor, & Elpidius priuatæ pecuniæ & facultatum Imperatoris procurator, quem Romani comitem Priuatum appellare consueuerunt. Felicem verò & Elpidium, cum essent Christiani, quò impio Imperatori gratificarentur, à vera religione ac pietate desciuisse ferunt. Iulianus autem, cum esset in templo, aduersus sacram mensam minxisse dicitur: atque Euzoio eum prohibere conanti colaphum infregisse, dixisseque res Christianorum diuina cura ac prouidentia prorsus destitutas esse. Felix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus (Constantinus enim & Constantius splendidè & amplè ea conficienda curauerant) ecce, inquit, quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur.

Quas impietatis suæ pœnas dederit, tum Iulianus Imperatoris auunculus, tum impij item alij.
CAP. XII.

SEd isti tyranni pro his impijs & insanis facinoribus non diu post pœnas persoluerunt. Nam Iulianus confestim in grauē morbum delapsus, visceribus putredine exesis, interijt: atque stercus non amplius per partes illas corporis, per quas naturaliter egeri solet, emisit, sed sceleratum eius os, instrumentum blasphemiæ, partis illius ad stercus eijciendū natæ, locum obtinuit. Ferunt eius vxorem, mulierem ob fidei præstantiam egregie nobilitatam, hæc ad maritum dixisse: Debes merito, mi vir, Christum seruatorem laude prædicare, quod tibi hac castigatione suam potentiam ostenderit. Nam quem oppugnasses plane te præterijsset, nisi consueta sua lenitate vsus, has plagas diuinitus tibi inflixisset. Miser igitur partim coniugis oratione, partim cruciatu sibi imposito morbi causam perspiciens, orat Imperatorem, vt ecclesiam his quibus erat ablata, redderet. Sed neque ei hoc persuasit, & ipse extemplo migrauit è vita. Felix autem de repente flagello etiam cælitus impacto oppressus, sanguinem dies noctesque ex ore fudit: quippe sanguis ex omnibus vndique corporis vt ita dicam vasis, quibus continebatur, ad eam partem confluxit. Itaque vniuerso eius sanguine ad hunc modum exhausto, statim extinctus est, & æternæ morti traditus. Has quidem pœnas isti pro sua impietate dederunt.

De filio sacerdotis. CAP. XIII.

PEr id temporis, adolescens quidam, filius sacerdotis, in impia educatus religione, se in numerum piorum aggregauit. Nam mulier quædam illustris ob pietatem, & diaconatus munere dignata, matri huius adolescentis perfamiliaris, eum cum matrem aduentantem (adhuc quidem valde adolescens erat) forte salutauit, magnopere est eum ad veram pietatem cohortata. Mortua verò matre, venit ad eam adolescens, & consuetam ab ea disciplinam perdiscit. Atque firmè in animo defigens eius consilia, percōtatur magistram, qua via possit superstitionem patris deuitare, & veritatis, quam illa prædicabat, compotem fieri.

fieri. Cui illa, oportet, inquit, patrem deferere, & illi tum & illius fabricatorem præponere: & alteram petere ciuitatem, in qua potes latitare, & impij tyranni manus effugere: pol licebaturque sei ei rei prospecturam. Tum adolescens, at, inquit, deinceps veniam ad te, & tibi meam animam committam. Paucis interpositis diebus, Iulianus Daphnen contendit, publicum epulum celebraturus: Cumque eo vnà proficiscitur sacerdos, adolescentis pater, qui Imperatorem comitari consueuerat. Adolescens erat cum patre, & frater vnà. Isti nanque in cibo Imperatoris aqua lustrali expiando ædituorum munere fungebantur. Septem dies festum Daphne agi solet. Primo die adolescens, vbi toro ustans Imperatoris, obsonia aqua lustrali expiauerat, consuetoque scelere polluerat, curriculo currit Antiochiam, & ad eximiam illam mulierem recta profectus, ego, inquit, venio ad te, vti à me promissum est. Tu ergo saluti tam corporis, quàm animæ consulito, promissumque præstato. Quamobrem illa surgens extemplo, adolescentem deducit ad Meletium: qui eum in superiore parte ædium, in quibus habitabat, commorari iussit. Pater autem quærere adolescentem, perlustrare vndique Daphnen, atque ad vrbem contendens, circuire plateas, & angiportus, circumferre in omnes partes oculos non cessat. Quod quidem fecit, magno illius inueniendi desiderio incensus. Vbi ventum est ad eum locum, in quo erant ædes Meletij, oculis sublatis, videt eum ex tabulato despicientem: ad quem accurrens, inde abstraxit abduxitque. Atque ei domum reducto, primum permulta inflixit verbera: deinde verucula candentia manibus, pedibus, & dorso impegit: postremo conclusit in cubiculo, ostio foris obserato, ipseque Daphnen reuertit. Ista ille ipse cum ætate iam admodum exacta erat, mihi narrauit: addidit que etiam, se numine afflatum, & diuina repletum gratia, omnia patris simulachra confregisse, eorumque irrisisse imbecillitatem. Postea verò complexum animo facinus, quod consciuerat, cœpit patris aduentum pertimescere, orasseque Christum Dominum, vt ipsi ferret auxilium, seras perrumperet, & ostia patefaceret. Nam tua causa, inquit, hæc & perpessus sum, & admisi. Quæ cum dixisset, excidisse seras, & ostia aperta esse. Inde igitur recurrisse ad magistram: quæ eum veste induit muliebri, & postquam in chamera collocasset, iterum ad Meletium deduxit. Meletium verò Cyrillo, qui tum Hierosolymorum fuit Episcopus, ipsum commisisse, & ita noctu iuisse in Palæstinam. Post mortem autem Iuliani iste adolescens patrem ad veram traduxit religionem. Etenim cum istud, tum alia nonnulla nobis ipse narrauit. Quare isti hoc modo ad Dei cognitionem adducti, veram salutem consecuti sunt.

De Iuuentino & Maximiano Romanis.

CAP. XIIII.

IVlianus verò liberius, imò verò impudentius aduersus verum Dei cultum arma ferre: & quanquam personam induebat modestiæ, tamen retia parare, atque tendere plagas cœpit, quę homines errore deceptos in impietatis pernicię inducerent. Nam primum fontes, tum qui in vrbe erant, tum qui Daphne, sceleratis victimis contaminare, quò singuli, qui aquam gustarent, tetra nequitiæ labe inficerentur. Deinde quæ in foro exponebantur, eadem sceleris macula inquinare. Nam panes, carnes, fructus, olera, & alia omnia escu lenta aqua lustrali aspergebantur. Quæ cum viderent Christiani, etsi non poterant non gemere, lamentari, & scelera illa impensè detestari, tamen eisdem vescuntur, legi Apostoli obsecuti ita iubenti: Quicquid in macello venditur, comedite, nihil dijudicantes propter conscientiam. At duo tamen viri re militari præstantes (erant nanque scutati milites, & satellites Imperatoris) in quodam conuiuio acerbius & maiore cum animorum ardore horrenda illa scelera deplorant, verbisque trium puerorum planè admirabilium, qui Babyloni olim se tam præclarè gesserant, vtuntur: Nam inquiunt: Tradidisti nos regi iniquo, qui te deseruit supra omnes gentes terræ. Quæ verba vnus ex conuiuarũ numero indicauit Imperatori. Ille confestim optimos illos viros ad se adduci iubet: percunctatur, quid dixerint. Illi tum occasionem ex Imperatoris rogato sibi oblatam arbitrati, liberè quid sentirent eloquendi, insigni quodam zelo incitati, dixerunt ista: Nos in vera educati religione, ò Imperator, & legibus in primis præclaris, quas Constantinus & eius filij tulerunt obsecuti, non possumus non grauiter & acerbè iam lamentari, cum videamus omnia impio scelere referta, & tum esculenta, tum poculenta nefandis & execrabilibus victimis contaminata. Ista nos & domi ingentem vim lachrymarum profundere, & coram te iam flebiliter conqueri coegerunt. Ista solum in tuo imperio nos male habent. Quæ cum audiuisset mansuetissimus ille scilicet, & sapientiæ studio deditissimus (ita enim à sui similibus appellabatur) exuit personam modestiæ, & se impium impietatis scelestum prodidit, iussitque graues & acerbas plagas illis imponi, atque sic hac vita priuauit, imò verò iniquo illo & calamitoso tempore eripuit, & coronas victoriæ eis conciliauit. Causam autem cur eos supplicio affecisset, non in veram pietatem, pro qua erant è medio sublati, sed in petulantiam, transtulit. Siquidẽ eos propterea multatos dixit, quòd ipsum contumelijs vexarant. Atque ista id circo diuulgari mandauit, quòd veritatis athletis & nomen martyrum, & honorem inuideret. Istorum alter Iuuentinus, Maximinianus alter appellatus est. Istos Antiochia velut strenuos pietatis athletas venerata, magnifico tumulo mandauit, & ad hodiernum vsque diem

1. Cor. 10.

Dan. 3.

Vide homil. Chrysost. de his martyr.

hodiernum vsque diem quotannis festo publico eos honorifice celebrat.

De Valentiniano, qui postea imperio potitus est.

CAPVT XV.

ALij præterea, qui in altis honoris gradibus collocati erant, simili in Iulianum loquendi libertate vsi, similes quoq; victoriæ coronas consecuti sunt. Etenim Valentinianus, qui pòst obtinebat imperium, id temporis militum hastatorum in palatio merentium tribunus, singulare studium, quo erga pietatis defensionem flagrabat, manifestò declarauit. Nam cum amens ille ac stupidus tyrannus Iulianus in fanum fortunæ choreas ducens ingrederetur, & æditui vtrinque ad ianuas consisterent, vti introeuntes, aqua lustrali, vt ipsi opinabantur, expiarent, tribunus Valentinianus, imperatorem præcedens, qui huius rei gratia vtrunque imperium consecutus est, vbi videt guttam aquæ suæ læuæ aspersam, pugnis cædit æditum, seque inde non expiatum, sed turpi labe pollutum ait. Quod factum execrabilis tyrannus conspicatus, eum ad castellum in solitudine situm relegauit, ibique vitam degere iussit. At Valentinianus, anno & paucis mensibus interiectis, imperium tanquam mercedem suæ confessionis obtinet. Nam Deus, iustus iudex, pietatis studiosos non in illa vita beata solum honore & gloria afficit, verùm etiam spem de præclaris illis pręclarorum laborũ remunerationibus, quæ in cœlo expectantur, conceptam, etiam donis in hac vita suppeditatis planè confirmat. Erat porrò alia machina ad pietatẽ oppugnandam à tyranno excogitata. Nam cum aurum, vt vetus mos ferebat, militum ordinibus distribueret, primum ipse solio regali consedit, propeque locari iussit aram plenam carbonum, & thus in quadam mensa poni. Deinde mandatum dedit, vt singuli, qui aurum essent accepturi, primum thus inijcerent aræ, tum ab ipsius dextera aurum sumerent. Istum erroris laqueum plurimi ignorabant penitus: at qui antè, quisnã esset, didicissent, morbo simulato, ne illo irretirentur, effugiebant. Nonnulli pecuniæ inducti cupiditate, suam neglexerunt salutem: alij metu fracti, veram pietatem prodiderunt.

De Confessoribus alijs. *CAP. XVI.*

POst istam perniciosam pecuniæ distributionem, nonnulli, qui aurum acceperant, in conuiuio quodam fortè vnà epulantur. Quorum vnus, sumpto in manum poculo, non antè bibebat, quàm salutare crucis signum adhibuisset. Atque cum quidam è conuiuis eum increparet, diceretque illud rei paulò antè ab eo gestæ prorsus repugnare, scisciitatur quid sit quod in factis suis repugnantiam habere asserat. Ille tũ aræ, thuris, & negatæ fidei eum in memoriam redigit: aitque ista confessioni Christianæ prorsus aduersari. Quibus auditis complures ex conuiuis flebiliter eiulare, lamentis se dedere, & capillum lacerare cœperunt: surgentesque de conuiuio, per forum cursitare, se Christianos esse clara voce profiteri, Imperatoris artibus impulsos esse in fraudem, palinodiam canere, & cladem inscitia fortè acceptam, pugna renouata sarcire velle. Cum eiusmodi querela & clamore contendunt ad regiam: contra tyranni fallacias vociferantur: postulant in ignem conijci, vti igne inquinati, igne denuo expientur. Hæc & alia his similia locuti, scelerati tyranni animum ad insaniam adegerunt. Itaque primũ capita ceruicibus abscindi iubet. Quos ad supplicium extra vrbem subeundum abductos permagna populi multitudo secuta est: quæ quidem & magnitudinem animorum, & loquendi in pietate tuenda libertatem, quæ in illis elucebat, suspexit atque admirata est. Vbi autem ventum est ad locum, in quo malefici puniri solent, qui erat inter eos natu maximus, orat carnificem, vt primum minimum natu securi percutiat, ne ille aliorum cædem intuens, præ timiditate succumbat. At simul vt iste humi posuerat genua, & carnifex ensem vagina eduxerat, nuntius quidam accurrit illis veniam indicaturus, qui cum longo interuallo à loco abesset, clamore vetuit cædem fieri. Tum ille natu minimus molestè ferens se à cæde liberatum, Romanus, inquit, (sic enim vocabatur) nequaquam dignus erat, qui martyr Christi appellaretur. Atqui malitiosus ille tyrannus tametsi cædem athletis illis inferri idcirco prohibuit, quòd inuidia inflammatus, illos voluit martyrij gloria priuare, tamen non siuit eos suas ipsorum incolere ciuitates, sed ad extremas imperij Romani oras relegauit.

De Artemio duce & Publia diaconissa, & diuina eius in loquendo libertate, & Iudæis templum ædificare conantibus, & inflictis illis diuinitus plagis.

CAP. XVII.

IDem porrò tyrannus Artemium militum in Aegypto merentium ducem, propterea quòd cum illum magistratum Constantij temporibus nactus, plurima simulachra confregerat, non solum exuit bonis, verùm etiam obtruncauit. Hæc sunt mansuetissimi illius & iræ temperantissimi (ab impijs enim his nominibus appellatur) egregia facinora. Hoc loco præterea historiam de fœmina quadam præstantissima planè memorabilem narrabo. Nam fœminæ etiam diuino pietatis amore ac studio armatæ, huius tyranni rabiem prorsus contempserunt. Publia fœmina illis temporibus nobilissima, & propter virtutis suæ præstantiam plurimorum celebrata sermonibus, matrimonij iugo aliquamdiu copulata, fructum deo, dignum sane admiratione obtulit. Nam Ioannes, qui longo tempore presbyteris Antiochiæ præfuit, & sæpe ad primatum apostolicum suffragijs delectus, semper illum honoris gradũ recusauit, ex eius

ventre, tanquã ex admirabili solo editus est. Hæc mulier chorum virginum perpetuam castimoniam professarum secum habens, Deum omnium opificem ac seruatorem hymnis assiduè celebrare solet. Ac cum Imperator illac prætergrederetur, virgines inter se multo clariore voce canunt, ratæ illum conscelerratum tyrannum contemnendum esse, & omnium irrisione ludendum. Canebant autem illos potissimum psalmos, quibus debilitas simulachrorum scitè deridetur, & cum Dauide dicebant: Simulachra gentium, argentum & aurum opera manuum hominum. Ac postquam versus, qui illa sensus omnis expertia esse pronunciant, recitauerant, istum adiungebant: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. His Iulianus cum maxima animi egritudine auditis, iussit vt eo prætergrediente conticescerent. At Publia eius leges paruo æstimans, maiore cum alacritate chorum virginum in vnum coegit, & illo prætereunte denuo cantare mandauit: Exurgat deus, & dissipentur inimici eius. Itaque tyrannus grauiter commotus, iubet magistram chori ad se adduci: quã cum anum propter ætatem ingrauescentem cum primis venerandam cerneret, tamen neq; canicie corporis ad misericordiam illius capiendam, neque animi virtute ad honorem ei tribuẽdum inducitur, sed satelliti cuidam dat mandatum, vt vtramque malam verberet, & genas cruentet manibus. Illa hanc cõtumeliam pro summo honore ducens, domum reuertitur, & tyrannum, vt solebat, spiritualibus cantilenis perstringit: nõ aliter quàm ipse cantilenarũ scriptor, & magister Dauid, qui malignum spiritum, quo Saul agitabatur, compressit. Etenim iste tyrannus, vbi sceleratos dæmones sibi familiares reddiderat, Corybantum more furere, & contra verum dei cultum rabiem exercere non destitit. Nam ea ratione adductus, Iudæos contra verè Christianos armauit. Ac primum eos in vnum coactos interrogat, quid sit causæ, cur cum lex hostias immolare præcipiat, non immolent. Atque vt primum responderant, vnum locum ad cultum præscriptum esse, illico ipse dei hostis Iulianus, iubet templum dirutum de integro extrui: qui dum existimabat (quæ eius fuit inscitia) prædictionem Domini se posse eludere, eius veritatem magis confirmauit. Quæ verba cum Iudæi cupidè audiuissent, omnibus suis tribulibus per totum orbem terrarum dispersis mãdata eius significarunt. Qui eò vndique confluentes, tum pecuniam, tum propensum studium ad templi ædificationem conferunt. Ad quod quidem opus tyrannus ipse, qui mandatum dederat, quàm plurima suppeditat, non magnificentiæ suæ declarandæ, sed oppugnandæ veritatis cupiditate inflammatus. Mittit etiam vnà cum illis præfectum operis, idoneum sane impiorum mandatorum administrum. Ferunt autem Iudeos ligones ex materia argentea, palas etiam & sportas confecisse. Ac cum fodere inciperent, & aggerem exportare, tametsi multa milia hominum in hoc opere faciendo interdiu laborem suũ collocabant, tamen noctu aggerem sua sponte in fossam denuo translatum fuisse. Diruisse prętereа veteris ædificij reliquias, dũ in spem veniunt omnia de integro construendi. Verùm postquam infinitos gypsi & calcis modios in vnum congesserant, ex improuiso ventos vehementes cœpisse spirare, turbines ingruere, tempestates ac procellę oriri, qui totam illam materiam penitus dissipauerunt. Ac cum pergerent porrò insanire, nec diuinæ benignitatis indulgentia sapere vellent, primum terræ motum maximũ factum esse, & eos qui diuinis Christi mysterijs minimè initiati erant, supra modum obstupefecisse. Sed vbi metum deposuerant, ex defossis fundamentis erupisse ignem, combussisse fossorũ quàm plurimos, alios in fugam vertisse. Noctu item permultis in porticu quodam vicino dormientibus, subitò ædificium cum tecto disiectum esse, oppressisseq; omnes, qui ibi se quieti dederant. Eadem quoque nocte, & postridie rursus, fulgentem crucis salutaris formam in cœlo visam esse, ipsaque Iudæorum vestimenta crucis figuris, nõ fulgentibus illis quidem, sed ex nigro colore confectis signata. Quas res, illos dei aduersarios conspicatos, & plagas cœlitus inflictas admodum veritos, aufugisse inde, & recta domum se recepisse, plane confessos esse eum verè deum, quem maiores sui cruci affixissent. Quæ tametsi ad aures Iuliani permanabant (in omnium namque ore versabantur) tamen illius cor non aliter atque Pharaonis olim, prorsus occaluit.

Psal. 113.

Psal. 67.

1. Reg. 16.

De expeditione eius contra Persas, & oris in loquendo libertate nobilis ciuis Beræensis, & pædagogi prædictione.
CAP. XVIII.

POstea verò quàm Persæ de morte Constantij facti certiores, animos collegerant, & bello ante denunciato, in fines Romanorũ inuadebant, visum est Iuliano, quanquam propugnatore Deo carebat, exercitum cogege. Sed ante quàm arma sumeret, misit nuncios ad Delphos, ad Delum ac Dodonem, ad alia denique oraculorum loca scisciatum vates, vtrum bellum ei gerendum sit. Illi autem bellum suscipere iubent, pollicenturq; victoriam. Vnum verò ex oraculis, quo eorũ mendacia perspicuè coarguantur, hoc loco citabo: quod ita se habet.

Ibimus in Tharem Superi, victoria certa est.
Mars ego ductor ero, diuum inuictissimus armis.

Quemadmodum hi, qui Apollinem deum disertum, & Musarum principem vocant, ridiculos istorum carminum numeros lepidè irrideant licet: Sic ego comperto huius dei mendacio, vicem Iuliani in errorem inducti meritò deplorare possum. Iste deus Tigrim Therem fluuium nũcupauit, propterea quòd est θηρίον id est, bestia eodem nomine appellata.

Hic fluuius è montibus Armeniæ erumpens, labitur per Assyriam, & tandem in sinum Persicum influit. His igitur oraculis deceptus miser, & somniabat victoriam, & post bellum Persicum Galilæos adoriri cogitabat. Nam Christianos vocauit Galilæos, ratus quidem ex eo nomine notam ignominiæ illis impressurum. At debuerat, præsertim cum esset in literis educatus, secum considerasse, nominis mutationem ad alicuius famam lædendam momentum habere planè minimum. Nam neque Socrati, si Critias nominatus fuisset, neque Pythagoræ, si Phalaris, labes vlla ex nominum mutatione aspersa fuisset infamiæ, neque Nereus, si Thersites vocatus, pulchritudinem sibi datam à natura amisisset. Sed istorum nihil Iulianus, tametsi eorum cognitionem accuratè tenebat, mente complexus est: Sed putauit ex nomine haudquaquam nobis conueniente, nostram se posse existimationem violare. Atque oraculorum commentis fidem adiungens, minabatur se in ecclesijs Christianorum lasciuæ deæ simulachrum collocaturum. Etsi cũ his minis proficiscebatur, tamen Berœę ab vno viro deuictus est. Is tametsi ob alias res illustris fuit (quippe in Berœensi rep. gerenda principem locum obtinuit) tamen singularis pietatis amor quo flagrabat, eum multo reddidit illustriorem. Nam cum ad impietatem id temporis regnantem filium delapsum cerneret, expulit domo, & palam abdicauit. Qui ad Imperatorem in diuersorio vrbi vicino commorantem accedens, ei tum quid ipse sentiret, tum quo pacto pater ipsum abdicasset, exponit. Tyrannus autem iubet adolescentem animo esse tranquillo, pollicitus se eum in gratiam cum patre reducturum.

Itaque vbi venit Berœam, principes viros ciuitatis vocat ad conuiuium: in quorum numero erat adolescentis pater. Quem cum filio suæ ipsius accumbere mensæ imperat, atque circiter medium epulum sic patrem adolescentis alloquitur. Est iniquum planè, mea quidem sententia, alicuius animum, qui ad altetam religionem deflexerit, vi cogere, & inuitum ad contrariam traducere. Quapropter ne cogas filium etiam nolentem tuæ assentiri opinioni, quandoquidem neque ego tibi vim affero, licet perfacile te posim compellere, vti meæ sententiæ obsequaris. Tum pater adolescentis fide in Deum animum exacuens, de istoccine, inquit, scelerato, ò Imperator, verba facis, qui & Deo odiosus est, & mendacium veritati anteponit? Rursus Iulianus personam induens mansuetudinis, heus tu, inquit, desine maledicere. Atque ore ad adolescentem conuerso, mihi, inquit, tuæ res curæ erunt, quandoquidem patri, vt istud agat, persuadere non queo. Ista quidem narratio non est frustra à me instituta: quippe ex ea plane ostendere volui, non modò admirabilẽ diuini hominis in loquendo libertatem, verùm etiam quòd erãt quàm plurimi, qui tyranni illius potentiam penitus contemnerent. Etenim Antiochię itidem vir quidam facile optimus, qui adolescentibus doctrina instituendis operam dabat, magnam familiaritatem, vtpote multo literatior, quàm vulgus præceptorum solet, conflauit cum eo, qui id temporis inter doctores primas tenebat, Libanium dico tam crebris sermonibus apud sophistas celebratum. Qui cum impius esset, expectaretque victoriam, & minas Iuliani ante oculos mentis statueret, à ludimagistro, quò nostrę religioni quasi per iocum irrideret, sciscitatur, quid rerum gerat Fabri filius. Qui diuina completus gratia, prædixit, quod erat paulò pòst euenturum. Nam huius, inquit, vniuersitatis opifex deus, quem tu per risum fabri filium nominas, loculum fabricatur. Neque certe multi dies præterierant, cum nuncius allatus est de scelerati illius morte, qui in loculo reconditus, & ad sepulchrum elatus, se frustra minas iactasse declarauit: ex qua vna re dei gloria fuit magnopere illustrata.

De sancti Iuliani monachi prophetia.
CAP. XIX.

POrrò autem Iulianus cognomento Sabba (sic nanque lingua Syriaca vocabatur) cuius vitam in historia nostra, qui Philotheus inscribitur, literis mandauimus, eorum viuendi genus, qui sunt expertes corporis, in corpore imitatus, cum esset de Iuliani minis certior factus, longe attentius preces deo omnium moderatori adhibuit. Atque eodem ipso die, quo Iulianus interfectus est, quanquam iter viginti dierum & amplius aberat ab exercitu, cædem eius inter precandum cognouit. Nam ferunt eum dum dominum clementem & benignum supplex oraret, derepente fletum repressisse, & effusum in lætitiam exultasse gaudio, hilarique vultu cœpisse intueri: qua re voluptas quam capiebat animo, manifestò declarata est. Quem familiares eius cum ita mutatum cernerent, orasse vt causam lætitiæ ipsis indicaret: eum autẽ respondisse, aprum sylueſtrem, hostem vineę domini, debitas scelerum in Christum admissorum pendisse pœnas, & mortuum iacere, ne amplius Christianis insidias struat. Quibus cognitis, omnes triumphare gaudio, & hymnum, quo deo gratias agerent, cantare cœperunt. Postea autem facti erant certiores ab illis, qui mortem eius nunciabant, sceleratum illum tyrannum extinctum eadem die ac hora, qua diuinus ille senex Iulianus eum cecidisse & cognouerat & prædixerat.

De Iuliani Imperatoris in Persia cæde.
CAP. XX.

IStius tyranni temeritatem mors eius apertissimè declarauit. Nam transmisso flumine, quod Romanorum à Persarum diuidit imperium, & exercitu traducto, confestim incendit naues, quò milites ad bellum gerendum non persuadendo impelleret, sed necessitate

ſitate cogeret. Verùm optimus quiſque dux milites ſuos animorum alacritate complere, & ſi eos animis cadere fortè viderit, verbis confirmare, & ad ſpẽ erigere ſolet. At iſte contrà, nauibus quibus in reditu flumen tranſirent, incenſis, ſpem illico ſalutis præcidit. Quinetiam cum commeatus militibus neceſſarius vndique conquiri, & ad exercitum comportari debuiſſet, ſapiens iſte neque domo ſecum aduehi iuſſerat, neque hoſtium agris depopulatis, ſatis magnam alimenti copiam illis ſuppeditauit. Nam relicto ſolo culto & habitato per incultum & deſertum copias traduxit. Ibi milites non modò potione & cibo, verùm etiam ducibus itineris deſtituti, atque in loco etiã ſolitario oberrantes, cœpere tandem ſui Imperatoris inſcitiam perſpicere. Deinde cum quererentur & ingemiſcerent, ex improuiſo eum vulneratum offendunt, rabie contra conditorem ſuum furentem, Martem bellicoſum ipſi, vti promiſerat, auxilium minime tuliſſe: Appollinem falſa vaticinatum eſſe: Iouem denique fulminantem non in ſuum interfectorem fulmen torſiſſe. Itaque qui antè minas inſolenter iactauerat, iam miſerè humi proiectus iacuit. Attamen qui debitam illam plagam ei impoſuerit, ad hodiernum vſq; diem à nemine pro certo cognitum eſt. Nam alij à quodam ſenſum oculorum effugiente incuſſam, alij quendam ex Iſmaelitis, qui Nomades appellantur, eam inflixiſſe: alij à milite, qui famis & ſolitudinis moleſtias ęgrè ferebat, illatam dicunt. Verùm ſiue homo, ſiue angelus enſem in eo infixerit, conſtat ſanè eum, qui facinus commiſit, diuinæ voluntatis adminiſtrum fuiſſe. Ferunt porrò ipſum tyrannum, ſimul ac plagam acceperat, manum protinus ſanguine impleuiſſe, illumq; proieciſſe in aerem, ac dixiſſe: Viciſti Galilæe, & ſimul tum confeſſum eſſe victoriam, & blaſphemiam (adeò enim à mẽte abalienatus erat) in Deum impudenter locutum.

De præſtigijs apud Caras poſt interitum eius deprehenſis. CAP. XXI.

POſt huius tyranni cædẽ, fraudulentę præſtigiarum ſuarum machinæ manifeſtò deprehenſæ ſunt. Nam cum ſtolidus ille per Caras vrbem, quæ etiã adhuc multas impietatis reliquias retinet, iter faceret, relicta ad læuam Edeſſa, vtpote pietate & vero Dei cultu præclarè ornata, ingreſſus in delubrum, quod apud impios in maximo honore erat, iubet portas, poſtquam in eo nefanda quędam myſteria cum ſceleris ſui ſocijs obijſſet, non obſerari ſolum, verùm etiam obſignari, & milites quoſdam eas aſsiduè obſeruare, ne quiſquã donec ipſe reuerteretur, intraret. At poſtquam nuntiatum erat eum eſſe mortuum, & pium imperatorem impio ſucceſsiſſe, quidam in illud delubrum introeuntes, admirabilem ſcilicet huius Imperatoris fortitudinem, ſapientiam, addo etiam pietatem, perſpicuè deprehendunt. Nam vident mulierculã capillo ſuſpenſam, manibus extenſis, cuius ventre diſſecto, ſceleratus iſte forſitan ex eius iecore diuinauit ſe victoriã à Perſis reportaturum. Atque hoc quidem ſcelus Caris deprehenſum eſt.

De capitibus in Antiochiæ palatio inuentis, & publicis Antiochiæ choreis ac tripudijs. CAP. XXII.

PORrò Antiochiæ dicitur multas capſas in palatio refertas hominum capitibus, multoſque puteos cadaueribus humanis repletos. Eiuſmodi namque facinora execrabilium deorum poſcebat diſciplina. Vrbs verò Antiochia, vt primum tyrannum trucidatum intellexit, epula publica, crebroſq; conuentus celebrare: & non in eccleſijs ſolum & martyrum monumentis tripudiare, verùm etiam in theatris crucis prædicare victoriam, & tyranni vaticinia irriſioni & ludibrio habere cœpit. Voces autem Antiochenorum contra eum emiſſas, ponam equidem hoc loco, quò earum memoria poſsit ad poſteritatem remanere. Nam vno ore conclamarunt omnes, Vbi tua ò Maxime, ò ſtolide, vaticinia: Vicit Deus & Chriſtus eius. Per id enim temporis erat vir quidam nomine Maximus, qui tametſi philoſophum ſe eſſe profitebatur, erat tamen reuera magus, futuraque ſe poſſe prædicere iactitabat. Antiochenos autem duorum maximorum apoſtolorum Petri & Pauli doctrina imbutos, & ardenti amore omnium dominum ac ſeruatorem cõplexos, Iulianum perpetuò, cuius memoria hominum animis meritò excidere debebat, deteſtatos eſſe, Iulianus ipſe locuples teſtis eſt: qui ob eam cauſam librum aduerſum eos edidit, et μισοπωγωνα, id eſt, Barbæ odium, inſcripſit. Sed cum iſto Antiochenorum tripudio pro morte Iuliani tyranni facto finem huic libro imponam. Nam nefas planè puto impium tyrannum in eundem ſermonem cum pio imperatore concludere.

Finis tertij libri.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRI, ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER QVARTVS.

De Iouiani imperio & pietate. CAP. I.

POſt interfectum Iulianum, duces vnà cum præfectis in vnum coacti, iniuere conſilium quis ad regendum imperium deligendus eſſet, & quis tum ad militum ſaluti in hoſtili ſolo ſapientia & conſilio prouidendum, tum ad recreandum ſtatum reip. Rom. in acie nouaculæ, vt dicitur, ob Iuliani iam mortui temeritatem poſitum, maxime idoneus videretur.

A qui-

A quibus dum de hac re deliberatũ erat, exercitus in vnum congregatus, Iouianum poſtulat imperatorem, qui neque dux, neque ex eorum numero, qui ſecundas poſt duces obtinebant, fuerat, ſed tamen vir apprime nobilis, illuſtris, & multarum rerum cauſa inſignis. Nam corpore robuſtiſsimo fuit, animoq; excelſo: quinetiam in bello gerendo ſolebat & in acrioribus certaminibus facilè primas ferre. Porrò contra impietatem liberè loquebatur, tyranni potentiam contemnebat, animi propenſione cum ſeruatoris martyribus coniungebatur. Itaque duces conſenſum exercitus, velut ſuffragationem diuinam arbitrati, producunt in medium præſtantiſsimũ illum virum, celerrimè primum ſuggeſto conſtructo, in eo collocant. Deinde cum omnes nomina, quę ſunt imperatorum propria ei tribuiſſent, & Auguſtum ac Cæſarem appellaſſent, vir ille admirabilis ſua conſueta loquendi vſus libertate, & neque magiſtratus, neque milites, vt ad deteriorem partem deflecterent, omnino veritus, non poſſum, inquit, cum ſim Chriſtianus, eiuſmodi hominibus imperare, neque regere Iuliani exercitum, qui tam peſtiferæ doctrinæ præceptis imbutus ſit. Nam qui ſunt ita inſtituti, hi diuina deſtituti prouidentia, tum ab hoſtibus facilè expugnari, tum eiſdem materiam ad lętitiam prębere ſolent. Quibus verbis auditis, milites conclamare vno ore, ac dicere. Ne animus tibi, ò Imperator, vlla æſtuet dubitatione, neque noſtri imperium tanquam improbum deuites. Nam & Chriſtianis hominibus, & diſciplina veræ pietatis educatis imperabis: Siquidem, qui ſunt inter nos ætate prouectiore, hi à Conſtantino eruditi erant: qui autem adoleſcentiores, illi præceptis Conſtantij inſtruebantur. Tempus certè imperij Iuliani, qui iam morte occubuerit, vt perexiguum, ita non ſatis ad erroris perniciem animis eorum qui eadem infecti erant, altius infigendam, fuit.

De ſancti Athanaſii reditu. CAP. II.

HAc militum oratione vehementer delectatus Imperator, concilium deinceps init de ſalute reip. & quo modo exercitum hoſtili è regione poſsit incolumem reducere. Verùm non tam multo egebat conſilio, quippe cum fructus ex pietatis ſeminibus perceptus, ei ſubſidio eſſet. Nam extemplo rerum vniuerſarum gubernator Deus, ſe illius curam ſuſcepiſſe declarauit, & dubitationem, in qua verſari videbatur, penitus ei ſuſtulit. Etenim rex Perſarum, ſimul vt intellexit eum creatum imperatorem, primũ legatos de pace ad illum mittit: deinde imperat cibaria militibus eius deferri, & res ad victum neceſſarias venales in ſolitudine exponi. Itaque pacto ad triginta annorum ſpatium fœdere, Iouianus exercitum iam confirmatum & robuſtum hoſtili è regione eduxit. Vt primum autem in ſui imperij fines ingreſſus eſt, primùm ſanciuit legem, quæ iubebat omnes epiſcopos ab exilio reuerti, & eccleſias illis, qui fidei formulam in concilio Nicæno editam inuiolatam ſeruauerant, reſtitui. Scripſit porrò literas ad Athanaſium illum egregium huius doctrinæ propugnatorem, ab eoque flagitauit, vt accuratam de ſacroſancta fide doctrinam ſibi conſcriberet. Ille igitur illuſtrioribus epiſcopis in vnum conuocatis, reſcripſit ad Iouianum, hortatusque eſt, vt formulam fidei in concilio Nicæno factam ſeruet, vtpote quę doctrinę apoſtolicæ penitus conſentiret. Athanaſij autem & reliquorum epiſcoporum epiſtolã ad legentium vtilitatem hoc in loco inſerere operæ pretium putaui.

Epiſtola Synodica de fide, à ſancto Athanaſio ad Iouianum Imperatorem ſcripta. CAP. III.

Religioſiſſimo, & Clementiſſimo Victori, Auguſt. Iouiano, Athanaſius, & reliqui Epiſcopi, qui nomine omnium Aegypti, Thebaidis, & Lybiæ epiſcoporum in vnum conuenerunt, S.

RErum cœleſtium teneri deſyderio, & earum perdiſcendarum ſtudio duci, pium Imperatorem cum primis decet. Nam eo pacto cor habebis reuera in manu Dei poſitum, & imperiũ pacatè ac tranquillè ad multorum annorum curricula adminiſtrabis. Et quoniam tua pietas fidem eccleſiæ catholicæ à nobis cupit diſcere, domino ea de re gratijs actis, nihil conſultius nobis viſum eſt, quàm vt te de fide in concilio Nicæno communi patrum conſenſu confirmata, in memoriã redigeremus. Nam nonnulli, iſta reiecta, tum nobis, quòd ſectam Arianam ſequi nolebamus, varias ſtruxerunt inſidias, tum hæreſes & ſchiſmata in eccleſiam catholicam inuexerunt. Cæterùm vera ac pia in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fides omnibus patefacta eſt, atque ex ſacris literis ſatis cognita recognitaque. Nã in iſta ſancti martyres mortẽ oppetiuere, & iam cum domino domicilium habent. Quæ quidẽ fides perpetuò manſiſſet inuiolata, niſi quorundam hæreticorum nequitia eam peruertere temerè laboraſſet. Nam Arius, & eius fautores hanc labefactare, & impietatem in eius locum introducere ſtuduerunt: dixeruntque filium Dei ex nihilo ortum eſſe, creaturam eſſe, factum eſſe, mutabilem eſſe, atque multos hoc errore cæcarunt: adeò vt hi, etiam qui in aliquo numero habendi videbantur, eorum blaſphemia à veritate pariter abducerentur. Itaque ſancti patres noſtri, quò huic malo obſiſterent, ad concilium Nicænum, vti ſupra diximus, conuenientes, hæreſi Arianæ anathema denuntiarunt: fidemque eccleſię catholicæ ſcriptis ratam fecerunt, ad eũ planè finem, vti hac vbique diuulgata, erroris incendium ab hæreticis excitatum, prorſus extingueretur. Itaque hæc fides paſsim in omnibus eccleſijs ſyncerè & lecta & prædicata fuit. Verùm nonnulli, quoniam habebant in animo hæreſim Arianã renouare, hanc fidem

à patribus in concilio Nicæno confirmatam antiquare non sunt veriti: alij verò simulant se eidem assentiri illi quidem, sed re ipsa pernegant, dum hanc vocem ὁμοούσιον peruerse interpretantur: ijdemque isti in spiritum sanctum loquuntur blasphemiam. Nam eum creatum esse & factum per filium asserunt. Nos igitur cum ex tali blasphemia non exiguam perniciem populo allatam fore videremus, dabamus operam necessariò, vti fides in concilio Niceno roborata, tuæ pietati traderetur, quò ipse intelligas, tum quàm accuratè ea descripta sit, tum quanto in errore versentur hi, qui fidem contrariam doceant. Nam pro certo scias, velimus August. Sanctissime, hanc ipsam ab omni seculorum memoria prædicatam fuisse. Hanc confirmarunt sancti patres Nicææ coacti: huic omnes vbique ecclesiæ assensæ sunt, vt Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes ecclesiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Isauriæ, & ecclesię Aegypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, & regionum finitimarum ecclesiæ, Orientis denique ecclesiæ, exceptis paucis, qui sectæ fauent Arianæ. Nam istarum omnium re ipsa exploratè cognitam habemus sententiam, literasque ab illis accepimus, proque certo scimus, August. Sanctissime, quòd quamuis pauci huic fidei contradicant, non tamen præiudicium inde potest orbi terræ fieri vniuerso. Nam isti diu contagione hæresis Arianæ infecti, studio iam acriore veritati resistunt. Atque tametsi tua pietas fidem à trecentis decem & octo episcopis in concilio Nicæno confirmatam noscat, nos tamen dedimus operam, vt à nobis eam accuratè intelligat, & propterea infrà subiunximus: quæ ita se habet. Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium effectorem: Et in vnum dominum Iesum Christum, filium Dei, genitum à patre vnigenitum, hoc est ex patris substantia, Deum de deo, lumen de lumine, Deũ verum de deo vero, genitũ non factũ, consubstantialem patri: per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlo, incarnatus est, homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, ascendit ad cœlos, venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in spiritum sanctum. Illis autem, qui dicunt tempus fuisse, cum filius Dei non erat, & non ante fuisse, quàm nasceretur, & ex nihilo ortum esse, & ex alia subsistentia vel substantia, quàm patris constare, vel creatum esse, vel posse conuerti mutariue, sancta, catholica, & apostolica Ecclesia indicit anathema. In hac fide, sanctiss. August. tanquã diuina & apostolica perseuerandum est necessario, neque probabilitate sermonis, pugnaciue oratione eam inuertere cuiquam tentandum: quod amentes Ariani semper factitarunt: dixeruntque filium Dei ex nihilo ortum esse, tempus fuisse, cum non erat, conditum esse, factum esse, mutabilem esse. Nam ob hanc causam, vti antè dictum est, concilium Nicenum eiusmodi errori denuntiauit anathema, & veram fidem communi consensu confirmauit. Non enim simpliciter patres illi filium dixere patri similem, ne simpliciter similis Deo, non autem de Deo Deus verus crederetur, sed scriptis asseuerarunt consubstantialem esse patri: quod est proprium ingenui & veri filij ex vero & natura patre geniti. Quinetiam neque spiritum sanctum à patre & filio separarunt, sed ei vnà cum patre & filio in vna sanctæ trinitatis fide, propterea quòd vna est in sancta trinitate diuinitas, gloriam tribuerunt.

De restituta Ecclesiis annona, & imperatoris morte. CAP. IIII.

HAc perlecta epistola, tum cognitio Imperatoris, quam de rebus diuinis imbiberat, confirmata est, tum amor eius erga easdem magis cœpit exardescere. Itaque conscripsit legem, quæ iubebat frumenti cõgiarium, quod Constãtinus magnus ecclesijs donauerat, eisdem reddi. Nam Iulianus, qui contra Deum ac seruatorem nostrum bellum suscepit, illud vetuerat dari. At quoniam fames ex Iuliana impietate in remp. illata, obstabat, quo minus totum congiarium, quod Constantinus largitus fuerat, in ecclesias cõferretur, idcirco Iouianus tertiã partem solum id temporit pręberi mandat: pollicetur que fame sedata, integrum congiarium donatum iri. Atque primordijs imperij sui eiusmodi legibus illustratis, decedit Antiochia, & ad Bosphorum contendit. Dadastanæ verò (is pagus est in finibus Bithyniæ & Galatiæ situs) è vita migrauit: qui tametsi ipse maximo præclarissimoque viatico instructus, iter ad cœlum ingressus est, tamen illis, qui suaues eius mores, dignos planè Imperatore, degustauerant, non exiguum mœrorem reliquit. Arbitror equidem huius vniuersitatis moderatorem Deum, quò nostram improbitatem acrius coerceat, primum nobis suppeditare bona, deinde nos eisdem denuò spoliare: atque altero quidem docere, quàm facilè possit, ea, quæ vult, præbere, altero autem nos coarguere, velut eiusmodi beneficia parum promerentes, & eo pacto ad vitam rectius honestiusque siue instituendam impellere.

De Valentiniani imperio, & quomodo fratrem suum Valentem in imperij societatem adsciuerit. CAP. V.

QVo quidem tempore milites, repentina morte imperatoris cognita, eum vita defunctum, vt patrem luxerunt: atque Valentinianum illum, qui manu æditiuum percusserat, fueratque in castellum amandatus crearunt Imperatorem: virum non fortitudine solum, verumetiam prudentia, temperantia, iustitia, & corporis proceritate præstantem. Qui animo adeò excelsofuit & verè regio, vti cum exercitus consortem imperij imperij ei conaretur adiungere, illud, quod omnibus in ore est, fertur dixisse: In vestra manu positum erat, milites, cum imperator non eram, mihi imperij gubernacula tribuere, verùm cum iam ea susceperim, non vestrarum partium, sed mearum solum est de cætero communi reipublicę administrationi consilio & sapientia prouidere. Quę eius verba tũ admirati milites, tum amplexati, se ad eius nutum & voluntatem accommodarunt. Ille, fratre de Pœonia accersito, qui nondum opinionum & doctrinæ varietate ab eo discrepabat, consortem imperij (quod vtinam nunquam fecisset) designauit. Cui Asiæ & Aegypti tradidit dominatum, sibique Europæ administrationem reseruauit. Atque in occidentem profectus, illius regionis pręclaris instruxit legibus, exordiumque à veræ pietatis prędicatione cepit. Nam cum Auxentius, ecclesię Mediolanensis episcopus, labe Ariana infectus, & in multis concilijs abdicatus, è vita exiuisset, Imperator iste, accersitis ad se episcopis, sic apud eos verba facit. Est vobis, vtpote sacris & diuinis literis institutis exploratè cognitum, qualis debeat esse is, qui sit ad episcopatum gerendum delectus: & quòd necesse sit gregem suum non doctrina solum, verùm etiam præclara viuendi ratione moderari, & se cuiusq; virtutis exemplar ei præbere, suæque disciplinæ rectam vitæ & morum institutionem testem habere. Quare hominem ita instructum in sede & gradu episcopali iam collocate, vti & nos, à quibus hoc gubernatur imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus, & illius reprehensionem (nam cum simus homines, errore labi necesse est) velut medicinam animorum cupidè amplexemur.

De Ambrosii Mediolanensis Episcopi ordinatione. CAP. VI.

HAc oratione ab Imperatore habita, Concilium Episcoporum contendit ab eo, vti ipse, vtpote sapientiæ & pietatis insignibus præclare exornatus, episcopum deligat. At ille, maior est, inquit, hæc prouincia, quàm quæ viribus nostris sustineri possit. Proinde vos diuina repleti gratia, & illius splendore illuminati, multò melius hoc episcopi deligendi negocium transigetis. Illi igitur egressi, separatim per se de eo deliberare cœperunt: ciuitatis autem habitatores inter ipsos dissidere, quorum alij hunc, illum alij deligere contendebant. Nam qui errore Auxentij erant imbuti, hi suæ opinionis fautoribus suffragati sunt: qui autem à partibus sanæ & syncerę doctrinæ stabant, illi rursus episcopum secum de fide consentientem habere laborarunt. Hac dissensione cognita, Ambrosius vrbis præfectus, veritus ne quid nouarum rerum molirentur, propere ad ecclesiam contendit. Illi, seditione compressa, vno ore omnes postulant, vti Ambrosius, qui adhuc sacris baptismi mysterijs non erat initiatus, ipsis designetur episcopus. Quare audita, Imperator iubet illum egregium virum extemplo & initiari mysterijs, & episcopum ordinari. Nouerat enim mentem eius omni perpendiculo rectiorem esse, & sententias eius quaq; regula exquisitiores. Atque coniectura ex consensu eorum, qui dissentientem sectabantur doctrinam, ducta, suffragationem illam diuinitus factitatã arbitratus est. Postea verò quàm Ambrosius diuinum sacrosancti baptismatis munus adeptus erat, & gratiam episcopalem receperat, dicitur Imperator longe præstantissimus (nam rebus his gestis intererat) hymnum ad gratias Seruatori ac Domino agendas recitasse, his ferè verbis. Gratia sit tibi, Domine omnipotens, & Seruator noster, quòd cum ipse corpora huic viro commisissem, tu etiam animas ei commendasti: indeque declarasti meam iustam fuisse sententiam. Paucis post diebus, cum Diuus Ambrosius valde liberè apud Imperatorem verba faceret, restij; nonnullas tanquam minus rectè à magistratibus administratas coargueret, respondit Imperator: noui iam pridem tuam in loquendo libertatem. Qua exploratè cognita, non modò non tuæ in episcopum ordinationi restiti, verùm etiam suffragatus sum. Quare sicut diuina præscribit lex nostrorum animorum erratis medicinam facito. Ista sunt ab Imperatore & dicta Mediolani, & factitata. Porrò autem cùm accepisset quosdam in Asia, & Phrygia doctrinam fidei in controuersiam vocasse, Concilium in Illyrico cogi mandat: atque res decretas stabilitasque ab episcopis, qui ibi in vnum conuocati, fidem Concilij Nicæni confirmauerant, ad eos, qui de fide inter se contendebant, misit: scripsitq; ad illos quoque literas: quarum fratrem suum participem fieri voluit, eumque vti episcoporum decretis adhęresceret, cohortatus est. Citabo quoque legem, quæ & pietatem perspicuè ostendit Valentiniani, & sanam itidẽ Valentis de religione doctrinam, quam eo tempore amplectebatur, manifesto declarat.

Imperatoris Valentiniani, & Valentis de consubstantiali, ad Asianam Diœcesim epistola. CAP. VII.

Imperatores Max. semper August. Victores, August. Valentinianus, Valens, & Gratianus, Episcopis diœceseos, Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ, in Domino S.

VBi frequenti in concilio in Illyrico coacto multum in vtranque partem de salutari Dei verbo disceptatum erat, beatissimi episcopi, trinitatem consubstantialem esse, hoc est, patrem, & filium, & spiritũ sanctum, certis rationibus ostenderunt. A qua fide ne digitum quidem, vt aiunt, deflectentes, debito cultu religionem præpotentis regis prosequuntur. Quam etiam nostra celsitudo passim prædicari mandauit. Attamen non est hęc causa cur quidam dicant se religionem sequi Imperatoris, qui hunc mundum gubernat, neglecto scilicet illius mandato, qui nobis de salute nostra præcepta dat. Est enim pręceptũ euan-

euangelij Dei nostri, qui hanc habet velut ratam definitamque sententiam: Reddite, quæ
Marc. 12. Luc. 20. sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.
Quid ergo vos dicitis episcopi, & verbi salutaris antistites? Quòd si vos eadem decernatis, tum certè vos mutuò ipsi complectimini: & imperatoria celsitudine nolite abuti. Nolite persequi veros Dei ministros, quorum precibus & bella sedantur in terra, & incursiones angelorum, qui à Deo desciuerunt, arcentur. Qui etiam orando pestiferos dæmones repellere nituntur: qui vectigalia, vti leges postulant, pensitare non recusant: qui potestati imperatoriæ non refragantur. Sed sanctè & sincerè tum mandatum præpotentis regis, Dei obseruant, tum nostris legibus obsequuntur. At constat vos obstinatè his rebus restitisse. Nos patientia semper à principio vsque ad finem vsi sumus. Vos contrà animi vestri impotentiæ obsecuti estis. Sed nos à vestra culpa volumus esse vacui & puri, non aliter atque Pilatus, qui cum de Christo iam tum inter nos vitam agente haberetur quæstio, noluit eum interficere: & rogatus à Iudæis, vt cruci affigeretur, se conuertere ad Orientem, petere aquam manibus, easque lauare cœpit, simul hæc locutus: Innocens sum à
Matth. 27. sanguine iusti huius. Ob quam causam nostra Celsitudo semper istud imperauit, ne quis persequatur, ne quis quem submergat, vocétue in inuidiam Christi agricolas, néue procuratores summi regis exagitet, ne regnantibus nunc uobis nihil hinc emolumenti consecuti, postea vnà cum sceleris exhortatore in ea quæ testamenti ipsius sunt damna incurratis, id quod in Zachariæ sanguine euenie-bat. Nam funesti illi perinde ac pestifer dæmon, qui cædis illis socius erat, mortis supplicio traditi, adueniente cœlitus rege nostro Iesu Christo disrupti perierunt. Istud mandatum dedimus præsentibus audientibusque ea, quæ facta sunt, Amegetio, Ceronio, Damaso, Lampone, & Brintesio. Porrò ipsa acta ad vos misimus, vt intelligatis, quæ hoc præclarum concilium decreuerit. Nam his literis attexuimus decreta concilij, quæ summatim complectuntur ista. Sententiam magni & orthodoxi concilij Nicæni sequentes, confitemur filium patri consubstantialem esse. Neque certe ita intelligimus consubstantialem, vti quidam olim exponebãt, qui non syncerè & ex animo concilio Nicæno subscripserunt: neque vt alij, qui hoc tempore illos appellant patres, & vim huius verbi, Consubstantialis tollunt, sequunturque opinionem eorum, qui tradiderunt per hanc vocem, Consubstantialem, nihil aliud significari, quàm Similem: per quam vocem filius nulli creaturæ per ipsum conditæ, sed soli patri similis ostenditur. Qui ista tradunt, filium Dei nihil aliud quàm creaturam eximiam esse impiè plane definiunt. Nos autem non aliter sentimus, atque duo concilia, quorum alterum iam Romæ, alterum habetur in Gallia, nimirum vnam eandemque essentiam esse patris, & filij, & Spiritus sancti, in tribus personis, hoc est in tribus perfectis, vt Græci loquuntur, ὑποστάσεσι. Confitemur item, vt est in fidei formula Nicæa edita, consubstantialem Dei patris filium carnem sumpsisse ex sancta virgine, inter homines habitasse, impleuisse omnem pro nobis œconomiam, nascendo, patiendo, resurgendo, & in cœlos ascendendo: venturum quoque denuo, vt in die iudicij, prout quisque se gessit in vita, reddat cuique: carni vniuersæ visum fore, diuinam suam demonstraturum potentiam, Deum, carne indutum, non hominem indutum diuinitate. Illis autem, qui contraria sentiunt, anathema denuntiamus. Pari ratione his, qui non ingenuè dicunt anathema ei, qui asserit filium non antè fuisse, quàm nasceretur, sed tradit eum vi & facultate prius in patre fuisse, quàm re ipsa genitus esset, anathema denuntiamus. Nam istud dici potest de omnibus creaturis, quæ non semper cum Deo sunt, sicut filius semper cum patre est, æterna generatione genitus. Ista de actis concilij summatim complexus est Imperator. Ego verò ipsas concilij literas historiæ adiungam.

Illyrici Concilij libellus Synodicus de fide.

CAP. VIII.

Episcopi Illyrici Ecclesiæ Dei, & Episcopis Diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, & Pacacianæ, in Domino S.

CVm in vnum essemus coacti, & diu multumq; de salutari verbo disceptatũ esset, tandẽ confirmauimus trinitatẽ consubstantialem esse, patrem, filium, & Spiritum sanctum. De qua re consentaneum videbatur literas ad vos perscribere, non captiosè & vafrè ea, quæ ad cultum trinitatis pertinent, tradendo, sed cum humilitate animi de illis decernendo. Has nostras literas misimus per dilectum fratrem nostrũ & collegã Elpidiũ presbyterum. Est quidẽ literis proditũ non in epistola nostra manu scripta, sed in libris Seruatoris nostri Iesu Christi: Ego sum Pauli, ego verò A- 1. Cor. 2.
pollo, ego Cephæ, ego Christi. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Atq; nostra modestia his potuisset esse contenta, vt nullas omnino literas ad vos scriberet: quippe cum vestra prædicatione, qua Spiritum sanctum à patre & filio separatis, tantus error omnibus prouincijs, quæ à vobis administrantur, iniectus sit. Itaque coacti sumus dominum & collegam nostrum Elpidium, cum literis Roma, quæ est caput imperij, ad vos mittere, vt discat, vtrum vestra prædicatio ita se habeat, an non. Nam qui opinantur trinitatem non esse consubstantialem, anathema sunto. Et si quis cum huiusmodi communicare deprehensus sit, anathema esto. His autem, qui prædicant trinitatem consubstantialem esse, regnum cœlorum paratum est. Quare obsecramus vos fratres, ne aliud doceatis, néue aliud opinemini, sed prædicetis perpetuò trinitatẽ consubstãtialẽ esse, quò

quò positis hæredes regni Dei fieri. Dum hac de re scriberemus ad vos, commonefacti sumus vt in his nostris literis scriberemus etiam de episcoporum, collegarum scilicet nostrorum, institutione, vt si quoquo modo fieri queat è magistratibus qui episcopatu functi, probata spectataq; fide fuerunt, cooptentur, sin autem tales non reperiantur, è sacerdotum collegio. Ad eundem modum tũ presbyteri tum diaconi de ordine sacerdotali sumantur, vt omni ex parte inculpati sint, minime verò de curia aut militum ductoribus. Atque propterea non erat animus ad vos pluribus scribere, quòd vnum omnium nomine ad vos misimus, dominum & collegam nostrum Elpidium, vt accuratè discat, vtrum vestra prædicatio ita se habeat, vti à domino & colleganostro Eustathio accepimus. De cætero, fratres, tametsi dudum in errore versati estis, tamen vetere homine deposito, nouum induite. Atque idem ipse frater & collega noster Elpidius, docebit vos veræ fidei prædicationem: nimirum quòd sancta illa trinitas consubstantialis est, & Deus pater cum filio, & Spiritu sancto sanctificatur, glorificatur: & quòd pater in filio existit, & filius in patre, vnà cum Spiritu sancto in omnem æternitatem. Qua re perspicuè declarata, poterimus verè confiteri sanctam trinitatem consubstantialem esse, vti formula fidei olim in concilio Nicæno edita vult, quam etiam patres nostri confirmarunt. Itaque hac fide prædicata, poterimus scelesti dæmonis retia euitare. Quo represso, copia erit cum nos per literas ad pacem conciliandam mutuò salutandi, tum vitam quietè tranquilleque degendi. Proinde scripsimus ad vos, vt Arianos, qui sunt concilij sententia abdicati, positis cognoscere: qui quidem neque filium ex patris essentia constare, neque Spiritum sanctum confiteri volunt. Quorum nomina subiunximus: Polychronius, Telemachus, Faustus, Asclepiades, Amantius, Cleopater. Atque hæc quidem ad hunc modum acta sunt, ad gloriam patris, & filij, & Spiritus sancti in sæcula sæculorum, Amen. Vos ad multorum annorum curricula optamus in Deo patre & filio Seruatore nostro Christo, cum sancto Spiritu valere plurimum.

De Audianorum hæresi. *CAP. IX.*

ISta cura ab Imperatore longe illustrissimo de doctrina Apostolica suscepta fuit. Eodem tempore Audæus quidam tum genere, tum lingua Syrus, nouorum dogmatum inuentor vixit: qui iam dudum nefaria scelera parere cœperat ille quidem, sed tum oculis omnium ea subiecit. Nam primum stultè & inconsideratè intellexit illud: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quippe Deum formam habere humanam existimauit, & membris corporis circundatum suspicatus est, neque sensum ac sententiam sacræ scripturæ omnino percepit, quæ non raro Dei actionibus nomina humanorum membrorum tribuit. Et propterea, quorum ingenia res paulò subtiliores non capiunt, ad hoc modo de diuina prouidentia sentiendum perfacilè inducuntur. Huic impietati alias non dissimiles opiniones adiunxit. Nam ex Manetis errore aliquid decerpens, Deum omnium rerum moderatorem, neque ignis neque tenebrarum opificem esse asseruit. Verùm qui eius sectam sequuntur, ista aliaque, quæ sunt de genere eodem, occultant: quos fertur ab ecclesiasticis conuentibus propterea segregatos esse, quòd pars illorum execrabile exercent fœnus, pars mulierum consuetudine, non vt lex postulat coniugij, sed nefariè impieque vtuntur. Cęterùm si qui ab istis vitijs sunt vacui, hi cum illis liberè communicant: & ob eam causam prædicant se separatim vitam degere, sicque suorum dogmatum celant blasphemiam. Est tamen hæc simulatio plena arrogantiæ, & ex doctrina pharisaica plane nata. Nam accusant illi quidem ipsum animorum & corporum medicum, & quodammodo sic cum sanctis Apostolis verba faciunt: Quare cum publicanis
Mat. 2. & peccatoribus manducat magister vester? Etiam per prophetam de huiusmodi Deus sic loquitur: Qui dicunt, mundus sum, ne me tangas: hic est fumus iræ meæ. Sed istorum refutare dementiam non est huius quidem temporis: Ad ea igitur quæ sequuntur, percurramus.

De Messalianorum hæresi. *CAP. X.*

PER idem tempus Messalianorum hæresis cœpit pullulascere. Hos, qui nomẽ eorum in Græcum vertunt, εὐχίτας, id est, precatores vocant. Habent etiam aliam appellationem ex rei effectu ductã. Nuncupantur enim ἐνθουσιασταί, id est, spiritu aliquo afflati, propterea quod vim dæmonis cuiusdam in animos suos admittunt, eamque Spiritus sancti præsentiam esse arbitrantur. Quorum autem mentes hæc contagio penitus infecerit, hi laborem manuum, velut vitiosum & improbũ auersantur: atque quieti se dedentes, visa somniorum, prophetias nominant. Huius hęresis principes sunt, Dadoes, Sabbas, Adelphius, Hermas, Symeones, & alij præterea, qui à communione ecclesiastica minimè se separant, propterea quòd diuinam escam, de qua Christus Dominus sic loquitur: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, viuet in æternum, neque prodesse cuiquam neque obesse affirmant. Porrò erroris morbum occultare nituntur, & post reprehensiones impudenter negant se eo laborare, & illis, qui in eadem sunt opinione, quam ipsi animo complectuntur, ecclesia interdicũt. Ob hanc causam Letoius ecclesiæ Melitinensis episcopus, vir singulari studio erga pietatem exardescens, cum videret multa monasteria, imò verò speluncas latronum, hunc contraxisse morbum, ea incendit, & lupos à grege abegit. Eodem modo præstantissimus ille Amphilochius, vrbis primariæ Licaoniæ pastor, & moderator

moderator totius nationis, cum intellexisset eam pernicie in illa loca inuasisse, denuò repulit, & greges, quos ipse verbo pauit, illa labe eripuit. Quinetiam Flauianus, Antiochiæ episcopus, vir multorum sermone celebratus, cum accepisset hos Edessæ ætatem agere, & suum venenum in vicinorum animos infundere, missa ad eos monachorum turba, deduxit Antiochiam, & morbum, quem pernegabant, extorsit ad hunc modum. Primum dixit accusatores calumniari, & mentiri testes: deinde Adelphium admodum senem, benignè vocat ad se, propè assidere iubet. Tum, quoniam, inquit, ò senex, ad longinquum temporis spatium vitam propagauimus, idcir co & natura humana, & fraudulenti dæmonum aduersariorum conatus nobis accuratius perspecti sunt & cogniti. Multoque etiam vsu, quæ & quanta sint dona gratiæ, edocti sumus. Isti cum sint iuuenes, & nihil istarũ rerum exquisitè norint, sermones spirituales audire vix aut ne vix quidem ferunt. Itaque tu, quæso, dic mihi, qua ratione affirmetis, & spiritum contrarium recedere à vobis, & sancti spiritus gratiam aduentare. His verbis senex ille delinitus, venenum occultatum exprompsit vniuersum, dixitque diuini baptismatis lauacrum, his, qui eo tincti erant, nihil omnino prodesse, sed solas preces ardentes dæmonem in animis habitantẽ expellere. Nam singulos, qui eduntur in lucem, ex primo parente, vt naturam, ita dæmonum seruitutem traxisse. Quibus ex animis oratione expulsis, spiritũ sanctum deinceps accedere, suamq; præsentiã tum sensibus, tum visui ostendere, & nõ corpus solũ perturbationum motibus liberare, verũ etiam animũ inclinatione ad deteriora prorsus eripere, adeo vt de cætero neq; ieiunio opus sit ad corpus coercendũ, neq; doctrina ad refrenandam eius libidinem, & ad danda præcepta, quibus recta viuendi via incedere discat. Et qui sit huius rei compos factus, non modò à lasciuis corporis concitationibus liberum fore, verùm etiam præuidere futura, & sanctam trinitatem oculis cernere. Itaque diuinus ille Flauianus, fœtido isto fonte effosso, & impijs eius riuulis patefactis, miserum senem sic affatur: O malis diebus onuste & inueterate, tuum ipsius os te coarguit, haud ego: tua labia contra te testimonium dicunt. Itaque erroris morbo retecto, Syria exacti erant illi quidem, sed in Pamphiliam profecti, eam eadem pernicie referserunt.

Quonam pacto Valens in hæresim deflexerit. CAP. XI.

IAm verò ad reliquam historiam veniam, & tempestatem, quæ multos fluctus, eosque turbulentissimos in ecclesijs excitauit, primũ explanabo. Nam Valens potitus imperio, quanquam primò doctrinæ apostolicæ ornamentis decoratus, cum Gotthi Istrum traiecissent, & Thraciam popularentur, consilio inito de colligendo exercitu, & bello contra eos suscipiendo, non putauit sibi consentaneum, vt nudus diuina gratia expeditionem faceret, sed se perfecta sacrosancti baptismatis armatura tegeret, idque præclarè & sapienter admodum. postea tamen & nimia animi mollitie diffluere, & veritatem aperte prodere cœpit: idemque ei accidit misero, quod primo nostro parenti Adam. Nam verborum lenocinijs coniugis suæ delinitus; in seruitutem datus est, & factus non captiuus solum, sed etiam muliebrium verborum fallacijs obsequens. Siquidem illa erroris Ariani laqueis ante irretita, maritum in eosdem inducere laborauit: cuius hortatu in horrendũ blasphemiæ barathrum præceps cum ea deiectus est. Eudoxius autem, qui adhuc ecclesiæ Constantinopolitanæ clauum tenebat, non vt eam rite gubernaret, sed tanquam nauem vndis obrueret, hos non modò in hunc induxit errorem, verùm etiam eidem consecrauit.

Quomodo Episcopos qui virtute maximè pollebant, extorres fecerit. CAP. XII.

EOdem tempore igitur, dum Valens sacro baptismatis initiatur mysterio, Eudoxius eum miserum obstringit iureiurando, vt in eo impio dogmate perseueret, & omnes, qui contrariæ doctrinæ adhærescunt, vbique ecclesijs exigat. Itaque Valens relicta doctrina apostolica, hoc pacto ad partem aduersariam traductus est. Atque non longo temporis spatio interposito, cætera, quæ iusiurandum postulabat, executus est. Nam Antiochena ecclesia magnum eiecit Meletium: Samosatena diuum Eusebium: Laodicensem autem Pelagio, pastore sane egregio orbauit. Qui cum adolescens esset, duxit vxorem. Primoque nuptiarum die, in ipso nuptiali thalamo, sponsæ persuasit, vt castitatẽ pluris quàm concubitum æstimaret, & vt amorem fraternum pro coniunctione iugali teneret, edocuit. Verùm quanquam temperantiæ munus hoc pacto probe administrauit, & alias quoque habuit virtutes huic persimiles, quæ pariter cum ea velut choros ducebãt, ac propterea communi omnium consensu ad præsulatum illum ascenderat, tamen splendores illos vitæ præclarè institutæ hostis veritatis minimè reueritus est: Sed tum istum in Arabiam, diuum Meletium in Armeniam, in Thraciam autem Eusebium, qui doctrina apostolica diuulganda permultos labores collocasset, relegauit. Iste Eusebius cum multas ecclesias pastoribus orbatas intellexisset, habitu militari indutus, & capite tiara operto, Syriam, Phœniciam, & Palæstinam peragrauit, quò tum presbyteros & diaconos crearet, tum alia Ecclesiastica obiret officia. Quòd si quando in Episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos Ecclesijs, quæ carebant pastoribus, præfecit.

De Eusebio Episcopo Samosatensi. CAP. XIII.

IAM

IAM verò quantam animi magnitudinem quantamque sapientiam idem Eusebius demonstrarit, cum edictum Imperatorium, quo iubebatur in Thraciam proficisci, ad eum esset perlatum, arbitror his, qui eius rei ignari sunt, pernecessarium ad cognoscendum. Sub crepusculum enim venit nuntius, qui hoc edictum afferebat: quem tacere, & causam aduentus occultare iubet. Nam si plebs, inquit, studio pietatis educata intellexerit, te demerget in flumen, & à me certe pœnæ tuæ mortis expetentur. Hæc locutus, & vespertino precum ministerio de more perfunctus, tempore, quo somnus solet obrepere, senex solus, fide vnius famuli fretus, ex vrbe egreditur. Sequitur famulus, ceruical tantum & librum secum deportans. Cum autem ventum est ad ripas fluminis (Nam muros vrbis præterlabebatur Euphrates) conscensa naue, iubet remiges recta traijcere Zeugma. Vbi illuxit dies, iste Zeugma appulit: Samosata querelis & luctu redundarunt. Nam eius discessu per famulum illum qui necessarijs Eusebij quædam exposuerat mandata, & quinam essent eum comitaturi, qui etiam libri vnà exportandi, indicauerat, patefacto, omnes se pastore orbatum lamentabantur. Itaque frequentes per flumen nauigare quò eum quærant, cœperunt. Atque vt primum ad eum veniunt, videntque pastorem suum desyderatum, conqueri, gemere, & ingentem vim lachrymarum fundere, quo persuadeant ei, vt apud ipsos maneat, & minime sinat oues lupis tradi. Verùm cum persuadere non possent, audiuissentque eum recitantem præceptum Apostoli, quo perspicuè iubemur magistratibus & potestatibus obtemperare, pars aurum, pars argẽtum, vestem alij, alij famulos ei offerunt, vtpote in regionem peregrinam, & longe illinc sitam profecturo. Iste autem paucis quibusdam rebus ab his, qui erant familiaritate coniunctiores, acceptis, vbi omnes tum doctrinæ, tum precationis armis communiuerat, & magnopore cohortatus fuerat, vti dogmata apostolica viriliter propugnarent, ad Istrum contendit. Illi ad vrbem suam reuersi, se ipsi mutuò excitare, & luporum incursiones fortiter depellere nituntur.

De pijssimo Samosatensium & Antiochi presbyteri & Euolcij Diaconi zelo. CAP. XIIII.

ATque hoc loco ardentem & sinceram eorum fidem exponam, quandoquidem iniuriam me illis facturum censerem, si ea non scriptis ad memoriam sempiternam proderetur. Postea verò quàm Ariani gregem pastore longe optimo priuarant, & alterum in eius surrogarant locum, nemo ex vrbis incolis, vel pressus egestate, vel diuitijs affluens, famulus vel artifex, agricola vel consitor, vir vel mulier, iuuenis vel senex, ad conuentum ecclesiasticum, vt moris erat, accedere voluit, sed episcopus solus agebat: quippe nemo aut in eius venit conspectum, aut cum eo sermonem contulit, licet diceretur vitam apud eos valde modestè instituisse. Cuius rei hoc erit argumenti, quod sum iam dicturus. Cum ei in animo esset se in balneo lauare, famuli, quò ingredi cupientes prohiberent, fores balnei occluserunt: at ille, vbi videt multitudinem pro foribus stantem, fores aperiri, & omnes audacter se in balneo vnà lauare iubet. Idem quoque præstitit in interiore balneo testudineato. Nam cum sibi lauanti multos astare cerneret, mandat vt fruantur vnà aquis calidis. Illi autem taciti consistebant. At iste eos honoris causa ita stare arbitratus, surgens ocyus, egreditur è balneo. Illi verò aquam hæreticæ nequitiæ contagione infectam esse rati, eam in cloacam emittunt, nouamque sibi infundi imperant. Qua re cognita, iste vrbe relicta, abijt, quippe stultitiæ, imò verò summæ dementiæ putauit esse, vrbem infestam, & communem simultatem erga ipsum exercentem incolere. Quapropter vbi Eunomius (ita enim vocabatur) Samosata reliquerat, tametsi Lucium in eius locum sufficiebant, lupum planè, & insidiatorem ouium, tamen oues desertæ à pastore, pastoris munus ipsæ obierunt. Nam doctrinam Apostolicam integram conseruarunt. Verùm in quantum odium etiam iste ab omnibus vocatus sit, historia, quam deinceps narrabo, docebit. Pueri in foro pilam mutuò contorsere, quo quidem ludo se admodum oblectabant. Ac forte fortuna, dum transibat illac Lucius, pila è manibus pueri cuiusdam elapsa, per asini eius pedes peruoluebatur. Pueri autem vociferari, quippe pilam scelere pollutam existimarunt. Qua re intellecta, dat mandatum vni ex comitum suorum numero, vt maneat, discatque quid factum sit. Pueri verò igne accenso, pilam per eius flammam torquent, sicq; eam purgatum iri arbitrati sunt. Ac tametsi non sum nescius hoc puerile esse, & inueteratæ consuetudinis velut reliquias, tamen satis indicij inde capi potest, quàm esset secta Ariana illi vrbi odiosa. At verò Lucius Eunomij mansuetudinem neutiquam est imitatus, sed sicut persuasit magistratibus, vti illi alios complures sacris initiatos in exilium mitterent, ita ipse eos potissimum, qui sanctam diuinamque propugnabant doctrinam, ad vltimas imperij Romani oras relegauit. Euolcium dico diaconum, quem Oasin vsque, de cuius solitudine multus habetur sermo, amandauit, & Antiochum tum cognatione cum Eusebio coniunctum, cuius sororis filius erat, tum multis recte factis nobilitatum, tũ sacerdotali dignatum honore, ad extremos Armeniæ fines expulit. Quàm verò præclarè iste pro diuina doctrina decertarit, postea ostendemus. Vbi Diuus Eusebius post multa certamina, postque victorias totidem martyrij corona donatus fuit, conuentus populi, vt assolet, in vnum conuenit. Accessit etiam eo Iouianus id temporis episcopus Pergæ, qui aliquamdiu communioni Arianæ adhæserat. Itaque cum omnes ad vnum Antiocho ad Eusebio auunculo succe-

dendum suffragati essent, & ad sacram mensam deduxissent, coegissentque genua flectere, simul ac conuersus vidit Iouianum dexteram sibi imponentem, manum eius repulit, imperauitque vt à numero eorum, qui ipsum consecrarent, segregaretur, dixitque se nullo modo posse ferre dexteram illam sibi imponi, quæ sacra mysteria per blasphemiam consecrata receperat. Verùm ista non diu pòst acciderunt. Illo autem tempore in Armeniam interiorem amandatus est. Diuus Eusebius prope Istrum vitam traduxit: quo quidem tempore Gotthi, vti eius scripta declarant, Thraciam populabantur, eiusque ciuitates obsidebant.

De sancto Barsa Edessæ episcopo, & clericis qui cum eo vna relegati erat. CAP. XV.

BArsem præterea, cuius gloria etiam hoc tempore perillustris est, non Edessæ solum, quam gubernabat, & in ciuitatibus ei finitimis, verùm etiam in Phœnicia, Aegypto, & Thebaide (per has nanque nationes vniuersas fama eius propter virtutis splendorem permanauerat) primum Valens eum Aradum insulam incolere mandauit. At vbi intellexit infinitas hominum multitudines ad eum confluere, etenim Apostolica repletus gratia morbos verbo depulit, Oxyrinchum, quod est oppidum Aegypti, relegauit. Rursus postquam eius gloria omnes etiam eò frequentes pertraxit, ad castellum misit, in extremis oris illius regionis positum, vicinumque barbaris, qui illic habitant, cuius nomen Pheno est. Valens senem illum idoneum sanè regno cœlorum incolam, adducendum curauit. Ferunt eius lectum in Arado insula ad hodiernum diem remanere, multo sanè honore decoratum. Nam multi morbis vexati, vbi in eo decubuerint, ad integram valetudinem per fidem restituuntur.

De persequutione quæ Edessæ sæuiebat, & Eulogio & Protogene Edessenis presbyteris. CAP. XVI.

VAlens autem, grege pastore orbato, Lupum in pastoris locũ substituit. Et quoniam omnes, vrbe relicta, extra mœnia conuentus agebant, ipse Edessam proficiscitur. Ac Modesto, qui id temporis præfectus erat, imperat, suos milites, qui tributa solebant exigere, in vnum cogat, & reliquas copias, qui aderant, assumat, quò multitudinem congregatam dissipent, virgis fustibusque cædant, & alijs instrumentis bellicis, si opus sit, castigent. Itaque præfectus prima luce, imperatum facit. Qui dum per forum transibat, mulierculam infantem gestantem manibus, & admodum properantem videt. Nam militibus omnibus contemptis, primum eorum perrupit agmen: quandoquidem animus eius diuino amore accensus, hominum violentiam nihil extimuit, sed eiusmodi terrores pro risu habuit, & ludibriò. Quam tum conspicatus præfectus, cum quid factum esset, intelligeret, eam iubet ad se adduci, rogat, quò se conferre velit. Tum illa, cognoui, inquit, insidias contra famulos Dei paratas, & in animo est ad fratres fide mecum consentientes contendere, magno flagrans desyderio cædem à vobis intentatam vnà cum illis subeundi. At infantem, inquit, præfectus, quorsum tandem tecum fers? Vt mecum, inquit, mortis optatissimæ particeps fiat. Quæ cum præfectus à muliere accepisset, & ex eius animo aliorum omnium alacritatem perspiceret, refert ad Imperatorem, & cædem illis frustra illatam fore docet. Nam & ipsi, inquit, nihil præter dedecus inde consequemur, & eorum tamen propensum ac paratum studium haudquaquam extinguemus. Quæ cum dixisset, tametsi perfecit, vt multitudo cruciatus expectatos minimè subiret, tamen eius præsides, presbyteros dico & diaconos, iubentur abduci, & alterum è duobus præstare, nempe vel communicare cum Lupo, vel in vltimas imperij oras relegari. Itaque vt primum omnes in vnum coegerat, leni & blanda oratione conatur persuadere, vti legibus Imperatoris morem gerant. Nam est, inquit, extremæ dementiæ, vt pauci homines Imperatori tam multis, tamque prepotentibus viris moderanti resistant. Ac quoniam omnes taciti constitere, præfectus Eulogium eorum presbyterum primarium, virum sanè magna laude prædicandum sic alloquitur: Cur tandem non respondes ad ea, quæ dixi modò? Sanè, inquit, non putabam me minime rogatum, quicquam debere respondere. Atqui præfectus, multa, inquit, verba feci, quò vos ad ea, quæ sint vobis emolumento futura cohortarer. Tum Eulogius, est, inquit, tua ad omnes habita oratio, & propterea absurdum certè putaui, vt ipse, alijs à respondendo exclusis, solus responderem. Verùm si à me libet quicquam scisciscitari, non te celabo, quid sentiam. Cui rursus præfectus, proinde, inquit, communica cum Imperatore. Ad quem Eulogius dissimulanter quidem, sed valdè facetè respondet: nunquid cum imperio est etiam sacerdotij dignitatem consecutus? Præfectus igitur, intellecta ironia cœpit grauiter succensere, conuicia in presbyterum iacere, & hæc quoque verba addere. Non istud dixi, ò stupide, sed vos, vti quibuscum communicet Imperator, cum eisdem communicetis, adhortatus sum. Atque simul vt senex dixerat se habere pastorem, cuius nutum sequerentur, præfectus octoginta pariter comprehensos in Thraciam amandauit. Qui dum abducebantur in exilium, cultu & obseruantia summa dignati sunt. Nam ciuitates & pagi processere illis obuiam, & maximum honorem, vtpote inuictis Christi athletis deferunt. Sed aduersarij inuidia armati, referunt ad Imperatorem, idem ipsum, quod hisce hominibus dedecori fore putabatur, summum honorem attulisse. Qua re cognita,

re cognita, Valens dat mandatum, vt bini duntaxat simul eant, & pars in Thraciam, pars ad extremos Arabiæ fines, alij in quædam Thebaidis oppidula dispergantur. Ferunt autem crudelissimorum quorundam opera tum eos, quos natura coniunxerat distractos fuisse, tum qui fratres erant, ab se mutuò segregatos. Eulogium verò, qui alijs præfuit presbyteris, & Protogenem secundum ab eo in Antinonen, quæ est in Thebaide, relegatum. Quorum virtutem obliuione obrui non sinant. Postquam enim compererunt episcopum illius vrbis eandem secum fidem amplexantem, ecclesiasticis conuentibus communicarunt illi quidem: sed cum viderent paucos admodum in vnum coeuntes, & ciuitatis habitatores gentiles esse accepissent, doluerunt certè plurimum, vt par erat, & eorum infidelitatem grauiter lamentati sunt. Attamen non satis esse censuerunt dolore propterea tangi, sed quoad poterant, eorum animos sanare laborarunt. Nam Diuus Eulogius in cella conclusus, dies noctesque totas vniuersitatis gubernatorem Deum orauit. Protogenes autem vir apprimè admirabilis, in literis educatus ab Eunomio, & in celeriter scribendo exercitatus, cum locum repperisset idoneum, ludum aperuit, & pueris docendis operam dedit: atque eos non modò exercuit ad celeri manu scribendum, verùm etiam sacra Dei eloquia edocuit. Nam hymnos Dauidis tanquam dictata illis proposuit, & eas apostolicæ doctrinæ sententias, quas eorum ingenijs accommodatas putabat, ediscendas tradidit. Ac cum vnus ex pueris in morbum esset delapsus, venit ad domum eius, & dexteram ægrotantis tangens, precibus, morbum depulit. Quare intellecta, aliorum puerorum patres eum ad suas quoque ædes deducunt, orantque vt liberis morbo vexatis opem ferat. At ille respondit, se non prius Deum precaturum vti morbum depellat, quàm qui ægrotaret, baptismi lauacro tinctus esset. Cui rei à patribus libenter assensum est. Nam sanitatis desiderium eos ad istud faciendum impulit, & simul tum animo, tum corpore sanati sunt. Verùm si quando quenquã ex numero ægrotãtium ad diuinã spiritus sancti gratiam recipiendam induxisset, eum ad Eulogium deducit, pulsat ostium, oratvti tum aperiat, tum sigillum dominicum ei, quem verbo dei ad fidem traxisset, imponat. At cum Eulogius ægrè ferret, velut precibus interruptis, tum Protogenes, est, inquit, errantium salus magis necessaria. Itaque mirari omnes Protogenem, cum eum eiusmodi miracula edere, & tam multis lucem diuinæ cognitionis impartire cernerent, primas Eulogio concessisse, & eos quos verbo dei ceperat, ad illum deduxisse. Meritò igitur multò maiorem præstantioremque virtutem in eo esse suspicati sunt. Postea verò quàm tempestas persecutionis sedata fuit, & ecclesijs allata tranquillitas, istique duo iussi domum reuerterunt, omnes eos producere, lamentari eorum discessum, lachrymas fundere cœperunt, & maximè omniũ ecclesiæ illius antistes, quippe qui illis in agro dominico colendo deinceps careret. Vbi in patriam veniunt, Diuus Eulogius, Barse illo magno ad vitam nullis aspersam molestijs translato, ecclesiæque ab eo gubernatæ clauum obtinet. Protogeni autem illi admirabili dabatur in mandatis, vti Carras coleret, vrbem sane incultã & spinis Gentilium refertam, multosque & graues requirentem labores. Atque hæc quidem, pace in ecclesijs constituta, acciderunt.

De sancto Basilio Cæsariensi Episcopo, & quæ contra ipsum à Valente & Modesto præfecto intentata sunt. CAP. XVII.

VAlens autem, tota propè dixerim, Christi ecclesia pastoribus nudata, Cæsaream, quam Cappadoces accolunt, proficiscitur. Quo quidem tempore Basilius, præclarum orbis terrarum luminarq, illius ecclesiæ antistes fuit. Ad quem Valens mittit præfectum, iubetque vti vel ei persuadeat communionem Eudoxij amplexari, vel si minus illud posset efficere, ecclesia illum eijcere. Nam celebris viri illius fama, quę ad eius aures permanarat, impedimento fuit, quo minus illum primum adoriretur, ne generoso animo impetum excipiens, eumque repellens, exemplum alijs præberet fortitudinis. Attamen quod moliebatur, simile visum est aranearum telæ. Nam alij episcopi cum veteribus de religione acquieuere decisionibus, tum velut quædam turres fidei murum firmum tenuere. Cum autem præfectus Cæsaream venisset, Basilium Magnum accersitum honorificè excipit, leni & blanda oratione compellat: hortatur vt cedat tempori, & ne propter nimis curiosam dogmatum obseruationem, eamque paruò æstimandam, tot tantasque ecclesias prodat. Pollicetur se imperatoris amicitiam ei conciliaturum, beneficiaque multis alijs inde euentura prædicat. Cui diuinus ille vir, pueris, inquit, hæc quidem oratio conuenit: siquidem illi ac sui similes eiusmodi verba auidè arripiunt: at qui sunt in sacris literis educati, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinunt, sed pro istorum defensione si opus sit nullum non mortis genus libenter amplectuntur. Quod autem ad imperatoris amicitiam attinet, eam cum pietate iunctam magni æstimo: sed si ea careat, perniciosam esse dico. Ac cum præfectus grauiter commotus esset, diceretque eum amentem esse, tum Diuus Basilius, me inquit, hanc semper amentiam opto habere. Postea verò quàm egredi iussus erat, & quid sibi agendum sit secum deliberare, posteroque die suam declarare sententiam, & huic orationi etiã minę adiunctę, fertur vir ille omni laude cumulandus respondisse: Ego quidem certe idem, qui iam sum, cras ad te redibo: tu verò ne nu-

tes sententiam, sed minis vtaris velim. Isto cum illo habito sermone, præfectus factus obuiam Imperatori, nuntiat ei quæ dixerat Basilius, docet eius virtutem, & quàm virili & excelso animo sit, exponit. Quo quidem tempore imperator tacitus in palatium ingreditur. Vbi autem vidit in familiam suam plagas cœlitus demissas (nam & filius graui morbo afflictatus, iam iam erat è vita migraturus, & coniunx varijs calamitatibus oppugnata fuit) istarumque miseriarum causam agnouit, diuinum hominem, quem minatus fuerat se supplicio affecturum, orat, vt domum ad se veniat. Duces autē imperatoris mandata conficiunt. Magnus igitur Basilius tum profectus ad regiam, & filium Imperatoris morti vicinum conspicatus, pollicetur eum ad vitam reuersurum, modò sacrosancto baptismate à pijs hominibus donaretur. Quæ cum dixisset, exiuit. Imperator verò iureiurando, more dementis Herodis obstrictus, quibusdam sectæ Arianæ, qui aderant, pueri baptizandi negocium dat. Puer extemplò obijt mortem. Itaque Valentem pœnitebat, qui mente complexus, quantum ex iureiurando suo verè obseruato accepisset incommodi, recta ad templum sanctum se confert: fitque doctrinæ Basilij magni auditor, & consueta dona altari offert: Basilius autem eum intra sacra Aulæa, vbi ipse sedebat, venire iubet: ad quem longam orationem de dogmatis diuinis instituit, eique docenti Valens auscultauit. Aderat etiam quidam nomine Demosthenes, culinæ imperatoriæ præfectus, qui more planè barbaro orbis terræ magistrum Basilium reprehendit. At diuus Basilius subridens, Demosthenem, inquit, illiteratum vidimus. Vbi verò ille maiore exardescens iracundia, minari cœpit, tuum est, inquit Basilius ille magnus, iusculorum curare condimenta. Nam cum aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes. Atque ita ei à Basilio responsum est. Imperator autem sic Basilium admirari cœpit, vti agros, quos ibi habuit pulcherrimos, pauperibus, quorum curam susceperat, quique corpore toto labefactati, maxima egebant curatione, donaret. Itaque ad hunc modum Magnus Basilius primum Valentis impetum deuitauit. Secundò autem cum eò accederet, rerum antè gestarum oblitus (quippe eius mens à quibusdam veteratoribus expugnata fuit) hortatur Basilium, vt ad partem aduersariam se transferat: Deinde cum ei persuadere non posset, iubet edictum de illo in exilium mittendo conscribi. Quod cum sua manu ratum facere conaretur, ne apicem quidem vnum alicuius literæ facere potuit: Siquidem ruptus est calamus, neque id semel, sed iterum, ac tertio accidit. Ac cum impium illud edictum confirmare impensius laboraret, concussa est dextera, tremorque eam occupauit. Atque cum animo esset præ metu prope attonito, chartam manibus dilacerauit. Vnde rerum omnium moderator deus satis perspicuè ostendit, tum quòd alijs eius permissu eadem ipsa obtigerunt, tum quòd Basilius ope illius insidijs ereptus fuit. Atque vt in isto Basilij negocio potentiam suam monstrauit, sic in illo altero suæ prouidentiæ genere fortitudinem præstantissimorum hominum curauit palam prædicandam. Valentem igitur in hunc impetum facientem spes frustrata est.

De sancti Athanasii morte & Petri successione.
CAP. XVIII.

ALexandriæ porrò cum victor Athanasius post multa cōfecta certamina, post totidem etiam reportatas coronas ex huius vitæ laboribus ereptus esset, & ad vitam vacuam à molestijs translatus, Petrus, vir facilè optimus præsulatum illum obtinuit, quem primum B. Athanasius suo suffragio designarat, eiusque electioni ab omnibus tam sacerdotibus, quàm magistratibus assensum est. Populus quoque vniuersus acclamationibus quantum lætitiæ percepisset, demonstrauit. Nam laborum ab Athanasio susceptorum socius & particeps fuit, & cum eo tum ibi vitam degente, tum peregrinante semper versatus est, & varios labores cum illo vnà exantlauit. Quapropter episcopi vicini eo simul ire maturāt: & qui vitam sęuera disciplina exigebant, ij ea relicta, ad Petrum in sede Athanasij collocandum se conferunt.

De exturbatione Petri, & Lucij Ariani inductione. *CAP. XIX.*

POstea verò quàm in sede episcopali locatus erat, præfectus illius prouinciæ collecta Gentilium & Iudæorum multitudine, Ecclesiæ parietes circumsedit, deditque Petro mandatum, vt exiret: atque adeo minatus est se eum, nisi exiret, inuitum inde exturbaturum. Atque ista egit, simulans quidem se velle imperatori gratificari, & contrariam doctrinam tuentes grauibus afficere incommodis, sed reuera, vt impiæ iræ, qua exardescebat, indulgeret. Nam colendis simulachris penitus addictus erat, & festi splendidissimi loco habuit, turbulentam Ecclesiæ iactationem. Proinde Petrus ille admirabilis, cum bellum ex inopinato ortum videret, clam Ecclesia egreditur, & conscensa naue, Romam contendit. Paucis intermissis diebus, Euzoius Antiochia Lucium secum ducens Alexandriam aduentat, eiq; tradit Ecclesias. De cuius impietate ac scelere Samosata satis fecissent periculi. Populus autem doctrina Athanasij educatus, cum contrarium alimentum sibi præberi cerneret, conuentus ecclesiasticos deseruit. Quapropter Lucius subsidio satellitum qui simulachra colebant, vsus, alios verberibus cædere, includere in carcerem alios, nōnullos per vim in fugam vertere, quorundam ædes instar barbarorum vastare cœpit. Cæterum à Petro illo admirabili hæ res sunt multò accuratius in epistola explanatæ: quam epistolam ipse equidem, vbi vnum sce-

lus à Lucio editū exposuero, in historiā inseram. Erant in Aegypto homines, qui angelicā plane viuendi rationem summo studio excolentes, à tumultu ac strepitu ciuili se remouerent, vitamque in solitudine degere instituerēt, & loca arenosa planeq; sterilia redderent frugifera, & ex virtute, quam velut legem viuendi sibi proposuissent, fructum deo gratissimum pulcherrimumque afferrent. Quod vitæ genus tametsi alij complures colere inceperant, tamen Antonius ille multorum ore ac sermone celebratus se ordinum illorum qui seueram hanc & monasticā viuendi disciplinam sectati sunt, magistrum longè præstantissimum prębuit: atque solitudinē palęstram virtutis monachis effecit. Cuius discipulos (nam ille ipse cum maximo & præclarissimo viatico iam ad portum tranquillitatis appulerat) infelix ille & plane miser Lucius persecutus est. Nam principes sacrosancti illius chori, Macarium dico, illum celebrem, & gentilem eius, quinetiam Isidorum, & alios præterea è speluncis educens, quandam in insulam ab impijs hominibus habitatam, quæ nullum vnquam pietatis magistrum admiserat, relegauit. Ac cum nauigium ad littus insulæ appropinquaret, dæmon, quem insulani colebant, relicto simulachro sibi dedicato, in quo iam diu suum domicilium habuerat, filiam sacerdotis in furorem compulit, & bacchantem ad idem ipsum littus, ad quod remiges nauem appulerant, deduxit: cuius lingua pro instrumento vsus, eadem per eam contenta voce effudit verba quæ mulier olim Philippis habens spiritum Pythonis. Omnesque tum viri, tum mulieres audiuere dæmonem illum dicentem: ò vestram potentiam: ò famuli Christi, vbique à vobis abigimur: ex ciuitatibus, & pagis, ex montibus & collibus, ex solitudine ab incolis deserta. Sperabamus quidem in hac insula ætatem agentes, vestris telis fuisse liberatos, de qua iā spe decidimus. Nam persecutores vos istuc amandarunt, non vt vos afficerent molestia, sed vti nos vestro aduētu hinc expellerēt. De insula igitur decedimus: vestrę namq; virtutis radijs, tanquā telis percellimur. Hæc & his similia locuti, puellam prostrauere ad terram, ipsique prorsus euanuere. Diuinus autem ille sanctorum chorus puellam precibus excitauit, & sobriam ac sanam genitori reddidit. Huius miraculi spectatores ad sanctorum illorum pedes prouoluti, orant vti per eos salutis viaticum assequantur: delubrum simulachrorum diruunt, atque piæ doctrinæ splendore illuminati, sacrosancti baptismatis gratia donati sunt. Quibus rebus in vrbe Alexandria palam cognitis, omnes pariter cœperunt Lucium conuitijs lacerare, atque adeo dicere iram Dei ipsos oppressuram, nisi diuinus sanctorum illorū cœtus dimissus esset. Itaque Lucius veritus tumultū ciuium, fecit copiā sanctis viris ad speluncas suas reuertendi. Quanquam verò ex his detestabilis eius nequitia & impietas satis cognosci potest, tamen Petri illius admirabilis epistola multò accuratius scelera ab eo admissa explanabit. Sed ne nimis longus sim, ea duntaxat, quæ sunt in media epistola posita, citabo.

De ijs quæ Lucij impulsu Alexandriæ contigerunt narratio, ex Petri Alexandrini Episcopi epistola. *CAPVT XX.*

PRouinciæ illius præfectus Palladius, professione Gentilis, & simulachris colendis semper deditus, quoniam sæpe animo instituerat bellum contra Christum gerere, tandem copijs, quas suprà dixi, in vnum coactis, Ecclesiam non aliter atque Barbaros subiugare maturat. Tum verò, tum inquam, facinora longe improbissima admissa fuere. Quæ dum volebam solum commemorare, eorum memoria tantum mihi attulit doloris, vti immensam vim lachrymarum profuderim. Quæ sane ægritudo me diu admodum oppressisset, nisi diuina quadam cogitatione eam lenire aggressus fuissem. Nam copiæ in Ecclesiam Theonæ (sic enim vocabatur) ingressæ, pro verbis grauib⁹ & ecclesia dignis, simulachrorum laudes decantare, pro diuinarum literarum lectione, plausus indecoros edere, fractasque voces cum obscœnitate fundere, & contumelias in Christi virgines iacere non sunt veriti. Quales quidem contumelias lingua proferre reformidat, quippe cum dictu turpes sint. Nam quisnam bene sanus, cum eas tantummodo audiret, non aures penitus obstrueret? Imò verò optaret se potius surdum esse, quàm vt tantam obscœnitatem auribus acciperet. Sed vtinam verborum turpitudine contenti, in ea re solum deliquissent, & non improbitate factorum, verborum petulantiam longe superassent. Nam conuitium, quale cunque illud sit, est quidem tolerabile, præsertim his, in quorum animis Christi prudentia, & doctrina diuina habitat. At isti vasa iræ aptata ad interitum, nasuti, qui strepitum lasciuum, sonorum, & velut ex aquæ ductu, vt ita dicam, erumpentem, per nares effundebant, vestes sanctarum Christi virginum, quarum pius vitæ cultus exemplar viuendi sanctorum angelorum expressit, dilacerare, easque nudas, vti in lucem editæ erant, per vrbem triumphi loco ducere, & pro sua libidine petulanter & obscœnè irridere cœperunt, denique quæ perpetrata sunt tum crudelia erant tum peregrina. Quòd si quis his rebus ad misericordiam inductus, eos vel vi prohibere, vel hortando à talibus facinoribus dissuadere conaretur, non sine vulneribus discessit. Verùm proh dolor, multæ virgines per vim stupratæ, complures etiam fustibus in capite cæsæ, mutæ iacuerunt: quarum corpora tumulis mandandi nulla omnino permissa potestas est. Et propterea complura earum corpora, quæ sunt ab illarum parentibus cum multo gemitu quæsita, nondum reperiuntur. Sed quid inter res magnas, eas quæ sunt exigui momenti, per-

ſequor. Aut quid in his immoror, & non ad eas, quæ propter acerbitatem me ad ſe rapiunt, properè ſermonem transfero? Quarum, certo ſcio, vos magna capiet admiratio, & velut attoniti iuxta nobiſcum conſiſtetis, obſtupeſcentes admodum, quòd dominus tanta clementia vſus ſit, ac non funditus hanc vniuerſitatem deleuerit. Nam quæ neque facta ſunt, vti ſcriptum eſt, neque audita in diebus patrum noſtrorum, hæc impij in ipſo altari deſignarunt. Nam velut in proſcenio, in quo turpis aliqua ageretur fabula, puerum maſculum, qui ſexum denegauerat virilem, & muliebrem ſibi affinxerat, quique tum oculos habebat, vt ſcriptis proditum eſt, ſtibio oblitos, & vultum ſimulachrorum more, fuco rubentem, habitu muliebri in ipſo ſancto altari, vbi pro ſpiritus ſancti deſcenſu inuocari ſolet, corpore in orbem acto, & manibus huc illucque cum geſtu iactatis, ſaltare compulerunt: atque in riſum immoderatum effuſi, nefarias voces ore extulerunt. Rurſus cum iſtud quoque ad rectum ordinem ſpectare, & præterita facinora decora potius, quàm nefaria exiſtimarent, vnum ex ſuis turpitudine inſigniter nobilitatum, & vt pudore, ita veſtibus, ſicut natus erat, nudatum, in ſummo Eccleſiæ ſolio collocant, turpemque contra Chriſtum concionatorem appellant. Nam pro verbis diuinis turpitudinem, pro graui oratione petulantiam, pro pietate impietatem, pro continentia ſtuprum, adulterium, concubitum cum maſculis prædicauit: docuitque cum alia, tum furtum, cibum, & potionem, vitæ hominum vtilia eſſe. Quæ cum ita ſe haberent, & ipſe de Eccleſia deceſsiſſem (qui enim ibi manere poteram, vbi incurſiones à militibus factæ, vbi multitudo argento conducta ad ſeditionem, vbi nimia pecuniæ cupiditas, vbi turbæ gentilium ampliſsimis promiſsis ad maleficia inuitatæ?) noſter ſcilicet ſucceſſor Lucius, qui partes Lupi nequitia & improbe factis agere impenſe ſtudebat, quique epiſcopatum non conſenſu epiſcoporum orthodoxorum in vnum conuenientium, non ſuffragijs verè clericorum, non poſtulationi populi, vti ſacri eccleſiæ canones præſcribunt, ſed pecunia tanquam dignitatem quandam, vt ita dicam, ſecularem emerat, illo cum mandato aduenit. Iſtum autem comitati ſunt (ſolus enim in vrbem ingredi nõ poterat) non epiſcopi vlli, non presbyteri, non diaconi, non populi multitudo, non monachi hymnos ex ſacris literis depromptos cantãtes, ſed Euzoius, qui iam pridem in ſancto & celebri concilio Nicæno, cum diaconus eſſet in vrbe noſtra Alexandria, vnà cum Ario abdicatus fuerat, nunc autem præſul eccleſiæ Antiochenæ, quam velut peſtis labefactat, & Magnus quidam, Comes prouincialiũ largitionum, cum ingenti militum manu, vir nullo non impietatis genere ſemper nobilitatus: qui Iuliani temporibus eccleſiam Beryti (ea autem eſt vrbs Phœniciæ peri lluſtris) incenderat, ſed Iouiano piæ memoriæ Imperatore regnante, eandem ſuis ipſius impenſis erat denuò ædificare coactus, parumq; aberat, quin ſecuri fuiſſet percuſſus, niſi multis pro eo deprecantibus, veniam ab Imperatore impetrauiſſet. Itaque vos, qui incredibili pietatis ſtudio flagratis, quorum opem ad hæc ſcelera vindicanda imploro, hinc conſyderare debetis, quæ & quanta maleficia ab iſto, quẽ dixi, tyranno Lucio, qui in nos impetum fecerit, contra eccleſiam Dei deſignata ſint. Nam non à veſtra pietate ſolum, verùm etiam ab epiſcopis omnibus orthodoxis ſæpenumero abdicatus, ciuitatem ei iuſtis de cauſis admodum infenſam occupauit. Quinetiam non modò, vti inſipiens ille blaſphemus in Pſalmis loquitur, quòd Chriſtus non eſt verè Deus, ſed etiam vitæ inſtitutis & ipſe corruptus eſt, & alios corrumpit, inque maledictis contra ſeruatorẽ ab his, qui creaturam creatoris loco colunt, iactatis plurimum delectatur. Et quid quæſo cauſæ eſt, cur cum ſimili cum Gentilibus opinione imbutus ſit, nõ noua quadam & inaudita impudentia ſceleratus Deum colere audeat? In cuius conſpectu Gentiles has laudes prædicarunt: Gratus eſt nobis tuus, ò epiſcope, aduentus, qui filium Dei negas. Serapis te amplectitur, hucq; adduxit. Atque iſti quidem in eo excipiendo nomen ſimulachri ſui patrij recitarunt. Porrò autem vix momentum temporis iam præterierat, cum Magnus, quem ſuprà nominaui, indiuiduus impietatis iſtius comes, ſatelles truculentus, ſatrapa crudeliſsimus, copijs commiſsis ſuæ curæ in vnum collectis, presbyteros & diaconos numero decem & nouem, quorum nonnulli octogeſimum ætatis annum præterijſſent, comprehendit, & de illis velut in aliquo ſcelere, eoque Romanorum legibus contrario deprehenſis iudicium publicum exercere, & ignarus legum, quæ ſunt pro Chriſtianæ pietatis defenſione ſancitæ, eos compellere cœpit, vti auitam fidem ab apoſtolis per patrum ſucceſsionem nobis traditam proderent: affirmauitque Valentem Auguſtum imperatorẽ clementiſsimum hac re vehementer delectatum iri. Poſtremo cum maxima contentione vocis hæc verba protulit: ò miſeri, obſequimini, Arianæ opinioni aſſentite. Nam diuinum numen, licet illa quam colitis religio vera ſit, ſi non veſtra ſponte, ſed neceſsitate adducti, ab ea diſcedatis, veniam vobis daturus eſt. Etenim in his, quæ neceſsitate peccantur, relinquitur excuſationi locus: ſed cũ ſua ſponte quiſquam deliquerit, carere reprehenſione non poteſt. Quocirca ijs rationibus ante oculos mentis poſitis, abiecta omni cunctatione, alacri animo noſtræ accedite ſententiæ, & dogmati Ariano, quod iam Lucius (eum namque nominauit) palam prædicat, ſubſcribite: pro certo perſuaſi, quòd ſi iſtius doctrinæ obtemperaueritis, ſitis pecuniam, opes, & honores ab Imperatoribus conſecuturi: ſin autem reſtiteritis, tũ carceres, tormenta, quæſtiones, flagella, & carnificinæ vobis ſubeundæ ſunt: tum pecunijs, vnà cum poſſeſsionibus

nibus orbati eritis, tum denique eiecti è patria, ad loca moleſtiſsima incolenda condemnabimini. Ad hunc modũ igitur generoſus iſte dux, minis cum fraude temperatis, omnes à pia doctrina & ſententia partim cohortando, partim cogendo deducere ſtuduit. At verò illi, quoniam pietatis proditionem plus habere acerbitatis vti reuera habet, quàm vllum cruciatus genus, exiſtimabant, demum neceſſitate cõpulſi, his verbis ei reſponderunt, virtuteque & virili animorum celſitate, fraudem eius pariter & minas profligarũt: Deſine poſthac, deſine his vocibus nos perterrere: à verbis inanibus proferendis tu te cohibe. Nam nos neque nouitium, neq; recentem colimus Deum. Ac tametſi tu velut fluctibus iactaris, ſpumam ore temerè fundis, & tanquam ventus violentus in nos cum impetu ruis, tamen nos ad extremum vſque ſpiritum, ſumus doctrinæ pietatis firmè adhæſuri. Neque certè vnquam ſenſimus Deum potentiæ, ſapientiæ, aut veritatis expertem eſſe, neque patrem interdum exiſtere, interdum non exiſtere, vti impia Arianorum opinio fert, neque filium in tempore ortum, aut momentaneum eſſe opinati ſumus. Nam ſi filius, ſicut Ariani ſomniant, creatura ſit, & non ſit patri conſubſtantialis, inde efficeretur, vt pater quoq; non ſit: quippe ſi, vt illi ſentiunt, quodam tempore non extabat filius, pater etiam quodã tempore non fuit. Verùm ſi pater ſemper exiſtit, filio videlicet, vero germine, & non ex ſeminis profluuio enaſcentis, exiſtente (Deus enim impatibilis) quid eſt cur non demens & inſanus exiſtimetur ille, qui filium, per cuius gratiam factum eſt, vt ſint omnia, quodam tempore non fuiſſe ſentiat? Nam patres noſtri per vniuerſum orbem terrarum diffuſi, ex quorum fide iſti excidentes, meritò ſanè patre carere dicantur, Nicęę in vnum conuocati, peruerſæ Arij opinioni, cuius patrocinium iſte nouitius ſuſceperit, anathema denuntiarunt, & filium non ex alia eſſentia, quàm patris, quod tu nos iam dicere vrges, ſed ex eadem ipſa conſtare aſſeruerunt. Quod quidem præclarè & cum pia cogitatione complexi, filium ex crebra vocum è ſacris literis petitarum collatione patri conſubſtantialem ingenuè confeſsi ſunt. Itaque cum hæc & alia ijs ſimilia dixiſſent, ad multorum dierum ſpatium in carcerem eos concluſit Magnus, ratus ſe eo pacto illos à pia ſententia deducturum. Verùm illi non aliter atque fortiſsimi in ſtadio athletæ, omni metu penitus depoſito, ſe rebus præclarè à patribus diuina mente & cogitatione geſtis quaſi perungentes, multò excelſiores animos ad pietatem propugnandam habuerunt, tormenta nihil aliud, quàm virtutis gymnaſium arbitrati. Sic igitur cum decertarent, & ſpectaculum, vti ſcribit beatus Paulus, tum angelis tum hominibus fierent, accurrit tota ciuitas, viſura Chriſti athletas verberaiudicis eos torquentis tolerantia vincẽtes, & contra impietatem per patientiam erigentes trophæa, & triumphos aduerſum Arianos agentes: quos quidem per minas ac fraudem oppreſſos, dirus iſte hoſtis libidini eorum, qui impietatem contra Chriſtum exercebant, ſe dediturum cenſuit. Cum igitur tormentis crudeliter eis infligendis fatigatus eſſet, populusque vniuerſus varijs querelæ generibus, & multo luctu vteretur, truculentus ille dux, qui omnem exuerat humanitatem, conſuetis ſuis copijs denuo ad tumultum ciendum collectis, Chriſti athletas ad iudicium, imò verò ad iniuſtam condemnationem vocat, eosque ad littus maris ſiſti iubet: in quo loco cum ſimulachrorum cultores, & Iudæi mercede conducti, more ſuo, contra eos vociferarentur, & illi manifeſtæ inſanorum Arianorum impietati cedere nollent, ſententiam de illis populo vniuerſo ante tribunal grauiter lamentante, pronunciat Magnus, vt Alexandria exacti, ad incolendam Heliopolim, vrbem Phœniciæ, tranſportarentur: in qua quidem vrbe ne vnus quidem habitabat, qui Chriſti nomen audire (omnes enim ſimulachra colebant) omnino ſuſtineret. Itaque iuſſis illis actutum nauem conſcendere, ille ipſe in littore ſtans (nam in balneis publicis, quæ propè inde aberant, eos condemnauerat) enſem diſtrictum illis oſtendit, ratus quidem ſe terrorem iniecturum eis, qui ancipiti gladio ſpiritus infeſtos dæmones ſæpenumero vulneraſſent. Dat igitur mandatum, vt iam cum neque commeatum vllum in nauem impoſuiſſent, neque quicquam omnino haberẽt, quo exilij moleſtias ſubleuarẽt, inde ſoluãt. Quo quidem tempore ipſum mare, (quod planè mirandum eſt, & propè incredibile) vndis agitatum ſpumare cœpit, rei indignitatem, credo, ægrè ferens, & penitus, vt ita dicam, recuſans eos viros excipere, ne eo pacto iniqui mandati exequendi particeps fieret. Quippe his, qui ignari erant, barbaram & immanem iudicis voluntatem perſpicuè patefecit: adeò vt verè dici poſſit, hac re cœlum ipſum obſtupuiſſe. Quinetiam tota ingemuit ciuitas, & adhuc lugere non deſinit. Nam pars alternis manuum ictibus pectora tundendo ingentem ſtrepitum edere, pars manus ſimul & oculos ad cœlum tollere, quò Deum de vi ſibi illata teſtarentur, & ita ferè loqui: Audi cœlum, & auribus percipe terra, quàm iniqua atque adeo indigna edita ſint facinora. Denique omnia luctu redundare, planctus, & eiulatus, per vniuerſam vrbem peruadere, flumenque tantum lachrymarum derepente manare, vti ipſum mare ſua inundatione obruere videretur. Cum autem dux iã ad littus aſtans, imperaret remigibus, vt vela erigant, tum fiebat fletus promiſcuus virginum, fœminarum, ſenum & iuuenum, tum lamenta cum amaris lachrymis permiſta, tum clamores ab omnibus rãingentes editi, vt maris vndoſi murmur, quod tumidi fluctus mutuò colliſi excitare ſolent, propemodum obſcurarent. Vt primũ verò athletæ Chriſti, quos diximus, appulere Heliopolim, vbi omnes erant

ſuperſtitioni dediti, vbi inſtituta diaboli ad voluptatem explendam comparata, vbi horrenda ferarum latibula (nam montes vndique cœlum propter altitudinem penè attingentes, vrbem illam obuallabant) & omnes deinceps in media vrbe communiter, & ſinguli priuatim lamentari, & lugubres voces fundere inceperunt, dabatur mãdatum à Palladio, vrbis illius præfecto, homine ſuperſtitioni deditiſsimo, vt omnino lachrymare deſinerent. Vnde multi qui plorabant, hique præ diuino zelo ſtrenui eccleſiæ propugnatores arrepti, primum in cuſtodiam conijciebantur, deinde verberibus cæſi, lacerati, & tormentis affecti, ad metalla, quæ ſunt in Phenneſo, & Proconneſo, amandabantur. Inter quos complures erant monachi, ad numerum viginti trium, qui quò ſæuiam diſciplinam excolerent, in ſolitudine habitarunt: quibus cum vnà diaconus, qui literas tum conſolationis, tum communionis à Damaſo epiſcopo Romano ad nos attulerat, manibus à tergo colligatis, à lictoribus palam, tanquam maleficus inſigniter improb⁹ trahebatur. Qui acerbioribus tormentis, quàm quiſquam homicida, excruciatus fuit, cuius, ceruices lapidibus, & plumbo crudeliter verberatę erant. Poſtremò naue ad traijciendum conſcenſa, eodem modo, cum eo, atque cum cæteris actum eſt. Nam omni opeac ſubſidio deſtitutus erat, & propterea frontẽm ſigno ſanctæ crucis conſignauit, ſicq; metallis æneis, quæ ſunt in Phenneſo, traditus eſt.

Porrò autem cum iudex tenera puerorum corpora torqueret, quidam eorum poſt cruciatus remanſere iure ſepulturæ defraudati, idque cum parentes, fratres, cognati, & tota, penè dixerim, ciuitas poſtularet, vt vnum hoc, atque adeo vltimum vitę ſolatium illis tribueretur. Sed ò ſæuam iudicantis, imò verò condemnantis crudelitatem. Nam qui pro pietate decertarint, idem cum homicidis iudicium ſubeunt: corporaque eorum manent inſepulta: & qui pro fide ſtrenuè dimicarint, beſtijs & volucribus obijciuntur ad vorandum: qui denique patres cęſorum conſcientiæ cauſa commiſerati ſint, tanquam impij facinoris autores, ſecuri feriũtur. Quæ Romanorum lex, quæ Barbarorum ſentẽtia vindicauit in eos, qui patribus cæſorum condoluerunt? Vbinam tale ſcelus à quoquam veterum fuit vnquam patratum? Olim Pharao iuſſerat Hebræorum maſculos trucidari. Verùm inuidia & metu adductus hoc mandatum dedit. At quæ tum gerebantur, quanto ſunt his, quæ modò deſignata ſunt, mitiora? quanto optabiliora, ſi in iniuria optio vlla ſit? quanto tolerabiliora, ſi ſcelus cum ſcelere (licet ſcelera aliud ab alio ſeiungi nequeant) velimus comparare?

Sunt iſta quæ commemoro, incredibilia quidem, immania, dira, crudelia, & barbara, ſine miſericordia, amara: Sed tamen amentes Arianii in illis inſolenter gloriati ſunt, atque adeo tripudiarunt. Cum enim tota ciuitas in luctu & mœrore eſſet (nulla enim domus erat, in qua, vti in Exodo ſcriptis proditum eſt, non iaceret mortuus) hi, quorum crudeles animi nullo modo exſaturari poterant, non conquieuerunt, ſed ſcelus de integro exercere aggreſsi ſunt. Nam voluntatem ſuam, quæ ad deteriora inclinabat, pateſacientes, ſuæ maleuolentiæ virus in illius prouinciæ epiſcopos effundere cœperunt. Siquidem opera Magni, quem diximus, Comitis largitionum, ſatellitis ad iniuriam ſatis inſtructi, nonnullos eorum in iudicium adducere, alijs quo libitum erat modo inſidias parare, eo conſilio, vti omnes vbique impietatis laqueis irretirent, nihil intentatum relinquentes. Quin etiam omnia loca circuire non aliter atque diabolus ipſorum hæreſeos parens, quærentes quem deuorent. Atqui cum in eo, quod conabantur, ab omnibus ſe deſtitutos viderent, vndecim tamen epiſcopos Aegypti, viros, qui ab ineunte ætate ad ſummam vſque ſenectutem ſolitudinem ſæueræ diſciplinæ cauſa incoluerant, qui ſanctam ac ſynceram fidem audacter & liberè prędicarant, qui pietatis dogmata vnà cum lacte nutricis ſuxerant, qui victoriam contra dæmones reportarant, qui virtute aduerſarium repreſſerant, qui Arianam hæreſim ſuis, vt aiunt, coloribus depinxerant, Magno illo, quem ſuprà nominauimus, velut inſtrumento crudelitatis vſi, in exilium eiecerunt, oppidumque nomine Dioceſaræam à Iudæis, qui dominum interficiebant, habitatam, incolere compulerunt. Et tamen non aliter, quàm Orcus, morte fratrum minime ſatiati, vbique terrarum, velut amentes ac ſtupidi, ſuæ crudelitatis monumenta relinquere non verentur, atque adeò maleficijs ſe nobilitare ſtudent. Ecce enim rurſus eccleſiæ catholicæ clericos qui Antiochię commorabantur, quique cum quibuſdam monaſticæ vitæ ſpectatis, tragica eorum ſcelera teſtata apud omnes relinquere conſtituerant, iſti vocibus maledicis contra eos in aures Imperatoris infuſis, Neocæſaream vrbẽ Ponti relegandos curauerunt: qui quidem propter locorum aſperitatem, vita quoque breui ſpoliati ſunt.

Tales quidem tempora illa tulere tragœdias: quæ tametſi ſilentio & obliuione obruendæ ſunt, tamen literarum monumentis produntur ad eos coarguendos, qui linguis petulantibus dominum ſunt inſectati: qui quidem morbo blaſphemiæ infecti, non modò in totius vniuerſitatis dominum & moderatorem Deum conuitia iacere, verùm etiam contra pios eius famulos bellum exitiale ſuſcipere non dubitarunt.

De Mania Saracenorum regina, & Moſis monachi ordinatione. CAP. XXI.

PEr idem tempus Iſmaelitæ agros imperio Romano finitimos populati ſunt: quorum dux fuit Mania, quæ non cõplexa mente eam, quam

quam habuit naturam, animos viriles ſibi ſumpſit. Eademq; poſt multa commiſſa prælia, primum fœdus cum Romanis ferit: deinde luce diuinæ cognitionis accepta, poſtulat epiſcopum genti ſuæ deſignari, Moſen quendam, qui in finibus Aegypti & Palæſtinæ habitabat. Cuius poſtulationi aſſenſus Valens, diuinum illum hominem Moſen Alexandriam adduci iubet, ibique gratia epiſcopali donari. Vbi verò adductus eſt, viditque Lucium ſibi manum imponere velle, abſit, inquit, vt tua manus me conſecret. Nã tua inuocatione Spiritus ſancti gratia in neminem deſcendit. Cui Lucius, vnde, inquit, iſta conijcis? Non conijcio, inquit, ſed certò equidem ſcio. Etenim pugnas contra doctrinam Apoſtolicam, & contrariam ipſe doces: atque cum verbis blaſphemię, impiè facta coniungis. Quis namque impius non tua cauſa conuentus eccleſiaſticos petulanter inſectatus eſt? Quis è laudatorum virorum numero non per te exulauit? Quam immanitatem barbaram maleficia abs te in dies ſingulos admiſſa non longè ſuperarunt? Quæ cum animo valdè fidenti diximſſet, Lucius eius verbis attentè auditis, eum interficere magnopere cupiebat ille quidem, ſed tamen metuebat, ne bellum, extinctum de integro accenderet. Quamobrem ad alios epiſcopos, quos ille ipſe poſtulauerat, deduci iuſsit. Poſtremò Moſes, vbi cum fide admirabili gratiam epiſcopalem receperat, ad illos, qui eum requirebant, profectus eſt, & partim doctrina Apoſtolica, partim miraculis eos ad veritatem traduxit. Atque Alexandriæ quidem eiuſmodi ſcelere à Lucio admiſſa, & diuina prouidentia mirè compreſſa cognouimus.

De rebus truculenter Conſtantinopoli geſtis. CAP. XXII.

COnſtantinopoli autem, Ariani nauem pijs presbyteris refertam ſine armamentarijs in altũ propellunt. Deinde quibuſdam ſuæ ſectæ fautoribus in aliud nauigium impoſitis, mandatum dant, vt nauem presbyteris refertam incendant. Qua re confecta, presbyteri cum igne & mari pauliſper conflictantes, tandem in profundum demerguntur, coronamque martyrij recipiunt.

Valens verò longiſsimo temporis ſpatio Antiochiæ vitam degens, impunitatem conceſsit gentilibus, Iudæis, & alijs quibuſque, qui nomen Chriſtianorum ſibi aſſumentes, doctrinam euangelio repugnantem prædicabant. Etenim qui ſuperſtitioſo errore obſtricti tenebantur, myſteria gentilitia obierunt: & cæca opinio à Iouiano poſt mortem Iuliani extincta, iſtius Imperatoris permiſſu reuireſcere cœpit. Atque Dialia, Dionyſia, & Cereris feſta non in occulto peragebant Gentiles, vti regnante pio Imperatore aſſolent. ſed per medium forum bacchantes curſitabant. Solis autem Apoſtolicæ doctrinę propugnatoribus tyrannus iſte ſe hoſtem præbuit. Nam primum illos ſacris ædibus (Iouianus enim nunquam ſatis laudatus Imperator eis eccleſiam recens ædificatam dederat) exturbauit: qui ſimul atq; ad montis radicem in vnum conuenerunt, hymnis Dominum celebrare, diuinaque recitare eloquia cœperunt: infeſtos aeris turbulenti impetus toleranter perpeſsi ſunt, interdum pluuia, nonnunquam niue & frigore, aliquando vehementiſsimo ſolis ardore afflicti. Verùm Imperator ne hac quidem commoditate, licet valde laborioſa, fruendi permiſit illis poteſtatem, ſed miſsis ad eam rem militibus, eorum conuentum diſsipauit.

Quòd Flauianus & Diodorus orthodoxorum conuentum Antiochiæ congregabant. CAP. XXIII.

AT Flauianus & Diodorus tanquam rupes quædam fluctus irruentes fregerunt. Nam Meletio longè à ſuo grege vitam degere coacto, hi duo curam gregis ſuſcipiunt: & tum lupis ſua fortitudine & ſapientia reſiſtunt, tum ouibus conuenientem curationem adhibent. Itaque à radicibus montis depulſi, oues ad ripas vicini fluminis paſcebant. Non enim more eorum, qui Babylone olim captiui tenebantur, organa ſuſpenderunt, ſed conditorem & patronum ſuum in omni loco dominationis eius hymnis celebrarunt. Cæterùm ne iſto quidem in loco conuentum piorum paſtorum Chriſtum Dominum diuinis laudibus efferentium agi hoſtis ille paſſus eſt.

Proinde duo illi paſtores admirabiles, diuinis ouibus velut in gymnaſium bellicum coactis, ſpirituales herbas eis demonſtrant. Atque Diodorus, vir ſapientiſsimus fortiſsimuſque, tanquam fluuius limpidus & ingens, tum ſuorum animos fortitudinis riuulis irrigauit, tum aduerſariorum blaſphemias ſyncerę doctrinæ vndis penitus obruit. Qui vt generis ſplendorem pro nihilo putauit: ſic ærumnas pro fidei defenſione lubens perpeſſus eſt. Flauianus autem optimus vir, etſi ex patritijs ortus, tamen ſolam pietatem nobilitatis loco numerauit: & tanquam paleſtræ magiſter magnum Diodorum, velut athletam in omni certaminis genere exercitatiſsimum perunxit. Nam id temporis quanquam ipſe in conuentibus eccleſiaſticis minimè concionatus eſt, illis tamen, qui illud munus obibant, magnam copiam argumentorum & ſententiarum è ſacris literis petitatum ſuppeditauit. Atque vt illi arcus contra Arianam blaſphemiam tendebant, ita hic ex mente tanquam ex pharetra tela eis ſubminiſtrabat. Quinetiam hæreticorum retia priuatim & publicè diſputando, facile diſrupit, & argumenta ab illis propoſita aranearum telis ſimilia eſſe demonſtrauit. Iſtis duobus ſe in prælio ſocium præbuit Aphraates, cuius vitam in hiſtoria noſtra, quæ inſcribitur Philotheus, conſcripſimus. Nam ſalutem ouium ſuæ ipſius tranquillitati anteponens, gurguſtio, in quo vitam monaſticam excoluerat, relicto, labores paſcendi gregis dominici ſibi impoſuit. At licet

ſuperuacaneum putem hoc loco commemorare,quantas virtutis opes collegerit,præſertim cum in alio opere illud ipſum literis conſignarim,vnam tamen rem ab eo geſtam,huic peraccommodatam hiſtoriæ percenſebo.

De ſancto Aphraate monacho.
CAP. XXIIII.

ORontes fluuius palatium à Septentrionibus prœterfluit. Ameridie autem ampliſſima duarum contignationum porticus, turres vtrinque habens excelſas, in ipſo vrbis muro ædificata eſt. Inter palatium & fluuium eſt via publica, quæ eos, qui per portas ſuas ex vrbe egrediuntur, excipit, rectaque ad agros ſuburbanos ducit. Hac forte tranſiens diuinus ille Aphraates, ſe ad bellicum gymnaſium, quo ſanctis omnibus conuenientem curationem adhiberet, contulit. Hunc Imperator, oculis de ſublimi ex porticu regia deiectis, vidit pallio vili ac ſordido indutum, & cito gradu, licet confectum penè ætate, incedentem. At cum quidam dixiſſet, hic eſt ille Aphraates, ex cuius nutu pendet ciuitas vniuerſa, ibi tum Imperator, cedo, inquit, quò te conferas? Ille tum ſapienter ſanè & appoſitè, pro tuo, inquit, regno precaturus. Tum Imperator, at domi, inquit, tibi manendum eſt, & intra cellam, vti lex monaſtica poſtulat, orandum. Cui diuinus ille vir, præclarè admodum, inquit, dicis, ò Imperator: iſtud ſanè mihi faciendum eſt, & hactenus feci, dum oues Seruatoris pace fruerentur. Verùm quoniam iam magnopere conturbantur, & multum illis impendet periculi, neceſſe eſt omnes vias perſequi, non modò ne à feris capiantur, ſed etiam vt conſeruentur incolumes. Nam dicito mihi, quæſo, ò Imperator, Si filia alicuius eſſem, & ſederem in conclaui, vti ædes curarem, atque deinde cernerem flammam in eas incidiſſe, ædeſque paternas iam conflagrare, dicito mihi, inquam, quid me facere oporteret, intúſne manere, & ædes incenſas negligere, expectareque donec flammæ impetus longius peruaderet, an relicto conclaui ſurſum deorſumque curſitare, & aquam afferre, qua flammam extinguerem? Hoc certè te reſponſurum conſtat. Nam hæ ſunt partes filiæ prudentis & prouidæ. Atque hoc ipſum nos agimus ò Imperator. Etenim cum tu iam in patris noſtri ædes flammam inieceris, nos circuncurſitamus, quò eam maturè poſsimus extinguere. Quæ cum locutus eſſet Aphraates, Imperator ei interminatus, conticuit. Verùm vnus ex eius cubiculariis grauiores contra hominem diuinum iactauit minas, & propterea talem plagam accepit. Forte ei cura balnei commiſſa fuit, qui ſimul vt Aphraatem verbis contumelioſis inſectatus fuerat, ad balneum Imperatori parandum ſe contulit. Cumque ingreſſus eſſet, repente de poteſtate mentis deturbatus, in aquam calidiſsimam minimeque temperatam ſe præcipitauit, illicoque obijt mortem. Imperator autem ſedens, illum expectat, vti indicet, quando in balneum intrandum ſit. Vbi verò multum temporis præterierat, alios mittit, qui moræ cauſam ei ſignificent. Hi ingreſsi in balneum, cum omnia intus loca oculis luſtraſſent, tandem offendunt hominem in aqua feruente minimeque temperata mortuum, corpuſque eius ardore diſſolutum. Qua re Imperatori nunciata, didicere omnes quantum ponderis Aphraatis haberet oratio. Attamen de impia ſua doctrina minimè deſtiterunt, ſed more Pharaonis cor ſuum indurarunt: ipſeque ille Imperator, quamuis cognito ſancti viri miraculo obſtupeſceret, non tamen eius furor contra pietatem incitatus conſedit.

De ſancto Iuliano, & Antonio magno.
CAP. XXV.

EOdem tempore ille famæ celebritate inſignis Iulianus, cuius ſuprà mentionem feci, & relinquere ſolitudinem, & Antiochiam venire coactus eſt. Nam cum Ariani, educati mendacijs, & ad calumnias contexendas valde parati, magnum illum virum ſuæ ſectę fauere conſtanter affirmarent, tria veritatis luminaria, Flauianus, Diodorus, & Aphraates, Acacium ſtrenuum virtutis athletam, qui poſtea eccleſiam Bercœnſem valde ſapienter gubernabat, mittunt ad Iulianum, virum omni genere laudis præſtantem, oratum, vti in infinitam hominum multitudinem miſericordem ſe præbeat, aduerſariorum de ſe confictum mendacium coarguat, doctrinam denique veritatis confirmet. Huius quidem miracula, quæ tum abeundo, tum reuertendo, tum denique in ampliſsima illa vrbe edidit, ſunt à nobis in hiſtoria noſtra, quæ Philotheos dicitur, literarum monumentis mandata: quam hiſtoriam, qui has res accuratè cognoſcere deſiderant, poterunt pro arbitratu perlegere. Quòd autem totam ciuitatis multitudinem ad conuentus nobiſcum agendos conciliarit, neminem arbitror in dubium vocaturum, ſi modò humanam naturam diligenter conſyderet. Nam res admirabiles & præter omnium opinionē, omnes ad ſe pertrahere ſolent. Atque quòd iſte miracula planè eximia edidit, teſtes ſunt illi ipſi veritatis aduerſarij. Idem ipſum iam pridem temporibus Conſtantij, ab Antonio magno Alexandriæ factitatum eſt. Nam relicta ſolitudine, totam illam circuibat vrbem, quò omnes doceret, tum Athanaſium prœconem veritatis, tum Arianos veritatis hoſtes eſſe. Itaque non ignorabant illi ſancti viri, quę res cuique tempori eſſent accommodatæ, & quando ſolitudinis otium eſſet amplectendum, quando rurſus vrbana negocia quieti ſolitariæ præferenda.

Quinam alij monachi hoc tempore celebres exiterint. *CAP. XXVI.*

ERant etiam eodem tempore alij vitæ monaſticæ diſciplina valde præſtabiles. Nam in ſolitudine Chalcidenſi Abitus, Martianus, Abraames, & alij præterea non pauci in corporibus perturbationibus obnoxijs vitam ab omni perturbatione vacuam traduxerunt. In Apamea item Agapetus, Symeones, Paulus, & alij ineo vitæ genere facile primas tulerunt. In ſolitudine porrò Zeugmatenſi Publius & Paulus. In Cyreſtenſi quoque vir ab omnibus laudatus Acepſemas, ſe concluſit in cellulam, & eum vitæ modum ſexaginta annos continuos tranſegit, neque viſus à quoquam, neque cuiquam locutus. Ad de his Zeugmatium, virum cum primis admirabilem: qui tametſi luminibus orbatus erat, tamen circuibat ſedulo, quo tum confirmaret oues, tum lupos dimicando profligaret. ob quam cauſam cellula eius monaſtica incenſa fuit: alteram tamen Traianus, dux fideliſsimus, ei ædificauit, aliaſque res ad cultum vitæ neceſſarias impertijt. In ſolitudine etiam Antiochena, Marianus, Euſebius, Ammianus, Palladius, Symeones, Abraames, & alij quoque, qui imaginem Dei, ad cuius ſimilitudinem conditi erant, integram conſeruarunt. Atque tum horum, tum illorum vitam ſcriptis prodidimus. Itemque mons, qui vrbi illi ampliſsimæ imminet, huiuſmodi floribus pratenſibus pulchrè veſtitus eſt. Nam in eo cum magna nominis celebritate vixit Petrus Galata, & eius gentilis Aegyptius: quinetiam Romanus, Seuerus, Zeno, Moſes, Malchus, & alij quàm plurimi, vulgo quidem ignoti, Deo autem penitus perſpecti & cogniti.

De Didymo Alexandrino & Ephraim Syro.
CAP. XXVII.

PER idem tempus Edeſſæ vixit, vir planè diuinus Ephraim: Alexandriæ verò Didymus cum laude floruit. Quorum vterque contra doctrinam veritati aduerſariam libros edidit. Atque Ephraim lingua vſus Syriaca, ea eximium ſpiritalis gratiæ ſplendorem effudit. Nam etſi doctrinam Gentilium non deguſtauerat, multiplices tamen ac varios eorum errores refutauit, & cuiuſq; fraudis hereticę imbecillitatē ſub omniū aſpectum ſubiecit ad cōtemplandum. Quinetiam cum Harmonius Bardeſaſanis filius, cantilenas quaſdam iam olim compoſuiſſēt, & impietate cum ſuaui earum concentu permiſta aures permulſiſſet audientium, eoſque in laqueos exitij induxiſſet, iſte, arrepto inde eodē concentus genere, pietatem cum eo miſcuit, atque audientibus medicinam tum iucundiſſimam tum vtiliſsimam adhibuit. Iſtis cantilenis celebria martyrum inuictorum feſta multò ſplendidiora fiunt. Didymus autem à puero ſenſu orbatus oculorum, poeticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Ariſtotelis ratiocinandi modos, & eloquentiam Platonis, aurium adiumento didicit: quibus artibus vſus eſt, non vt veritatem inde hauriret, ſed vt eam illis tanquam armis contra mendacia defenderet. Porrò ſacræ ſcripturæ non literam ſolùm, ſed ſenſus ac ſententias accuratè perdidicit. Atque inter eos qui monaſticæ & ſæueræ viuendi diſciplinæ, ſtudioque virtutis operam nauarent, iſti quos diximus, id temporis præ cæteris excelluerunt.

Quinam hoc tempore in Ponto & Aſia epiſcopi claruerint, & de ijs quæ à Valente de bello ad Valentinianum magnum ſcripta ſunt, & eius reſponſio, & de Terentij comitis pietate.
CAP. XXVIII.

EX eorum autem numero, Gregorius vterque, Nazianzenus, & Nyſſenus tulere principatum: quorum hic frater Baſilij magni fuit, ille ſocius ſtudiorum eius, & adiutor fuit. Iſti in Cappadocia pro pietate dimicantes, facile primas obtinuerunt. In eiuſdem cum illis laudis ſocietatem venit Petrus: qui Baſilij & Gregorij frater germanus fuit, quique tametſi humaniore literatura non perinde vt illi, inſtructus erat, pio tamen viuendi genere admodum excelluit. Porrò in Piſidia. Optimus, & Amphilochius in Lycaonia pro auita fide ſtrenue decertantes, aduerſariorum impetus repulerunt. In Occidente item Damaſus Epiſcopus Romanus, & Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus eos, qui tela in eccleſiam longo interuallo interiecto, coniecerant, cōtrà feriebant. Quibus cum vnà alij extremas orbis terræ oras incolere coacti, ſcriptis tum ſuorum confirmauere animos, tum hoſtes profligauere. Nam rerum omnium gubernator Deus gubernatores tempeſtatis magnitudini pares dedit: & acerbæ hoſtium incurſioni virtutem Ducum oppoſuit: & medicamenta temporis iniquitati accommodata & valde ſalubria tribuit. Atque non ſolum ad hunc modū eccleſijs prouidit benignus Dominus, verùm etiam alijs quibuſdam rationibus eas diligenter accurauit. Nam gentem Gotthicam excitauit ad bellum, eo quidem conſilio, vti Valentem, qui contra pios ſolum prælio decertare didicerat, in Boſphorum pertraheret. Itaq; ſtultus ille tandem ſua ipſius intellecta imbecillitate, literas ſcripſit ad fratrem, quibus exercitum ab eo poſtulauit. Ad quem reſcripſit frater nefas eſſe homini bellum gerenti cum Deo opem ferre, cuius temeritas meritò coercenda eſſet. Quo reſponſo etſi miſer ille grauiter diuexatus erat, non tamen deſtitit ab audacia, ſed perrexit ad aciem contra veritatem inſtruendam toto animo incumbere. Nam cum Terentius, dux longè præſtantiſsimus, & pietatis inſignibus egregiè exornatus, ab Armenia, erectis victoriæ trophæis, reuertiſſet, Valenſque ei imperaſſet, vti donum aliquod pro laboribus peteret, ipſeque donum quod cupiebat, dignum homine pietatis inſtitutis educato Valenti indicaſſet (petebat enim non aurum, non argentum, non agros, non domum, ſed vt vna eccleſia illis, qui pro doctrina Apoſtolica ſe in diſcrimen obtuliſſent, concederet) Valens accepto libello ſupplici, & cognitis rebus, quæ

quæ in eo continebantur, admodum stomachatus, illum dilacerauit, iusſitque vt alias res peteret. Terentius verò, collectis laceris libelli particulis, accepi, inquit, iã abs te, ò Imperator, donum, habeoque: neque aliud petam. Nam quid ego animo instituerim, iudicet ille, qui huius vniuersitatis iudex est.

De Traiani ductoris exercitus linguæ libertate. CAP. XXIX.

VAlens, vbi traiecto Bosphoro, venit in Thraciam, primùm quoniam bellum vehementer extimescebat, longo tempore Constantinopoli ipse commoratus est: Traianumque ducem contra Barbaros misit cum exercitu. At postquam Traianus ab hostibus superatus reuertit, Valens illum conuitijs valde lacerare, & mollitiem ignauiamque ei obijcere cœpit. At ille liberè, vti virum generosum decebat, non ego, inquit, ò Imperator, victus sum, sed tu ipse prodidisti victoriam, qui contra Deum aciem instruere non desinis, & ita eius auxilium Barbaris concilias. Nam abs te oppugnatus, se illis adiungit. Atque Deum semper sequitur victoria, & ad eos accedit, quibus Deus se ducem præbet. Non nosti, inquit, quos viros ecclesijs expuleris, & quibus eas tradideris? Ista quidem ita se habere & Arintheus, & Victor, qui duces quoque erant, ingenue confessi sunt: Imperatoremque hortati, ne reprehensiones cum veritatę coniunctas iniquo animo ferret.

De Isaacio monacho Constantinopolitano, & Bretanionis Scythiæ episcopi in coarguendo austeritate. CAP. XXX.

FErunt Isaacem, qui in eo loco cellam habebat monasticam, vbi vidit Valentẽ cum exercitu egredi, contenta voce ei dixisse: Quò proficisceris, ò Imperator, qui auxilio Dei, quem contra bellum gesseris, prorsus destitutus es? Nam quoniam tu multorum linguas ad blasphemias aduersus eum loquendas acuisti, & pios laudibus illum celebrantes ecclesijs exturbasti, idcirco ille Barbaros aduersus te concitauit. Desine igitur tu bellum contra eum facere, & ipse bellum contra te commotum sedabit. Redde gregibus optimos pastores, & victoriam facile reportabis. Quòd si his omnibus neglectis, bellum suscipias, rerum euentu experiere, quàm durum sit contra stimulos calcitrare. Nam neque ipse reuerteris, & exercitum præterea amittes. Cui admodum iratus Imperator, reuertar, inquit, & te interficiam, falsæque prædictionis pœnas abs te repetam. Tum ille minas neutiquam veritus, clara voce, Eneca, inquit, si quid falsi me dixisse deprehenderis. Bretannion quoque omni genere virtutis insigniter decoratus, totius Scythiæ episcopus, animo diuino pietatis amore accenso, pestiferam dogmatum Arianorum corruptelam, & iniqua facinora Valentis contra sanctos edita coarguit, & cum sanctissimo Dauide clamauit: Loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar. Psal. 118.

De Valentis exercitu contra Gotthos misso, ac quomodo Valens impietatis pœnas persoluerit. CAP. XXXI.

AT Valens, optimis illis consiliarijs spretis, exercitum in expeditionem præmisit: illeque ipse in pago quodam commoratus, victoriam expectauit. Cæterùm milites eius Barbarorum impetum haudquaquam sustinentes terga dant, inque fuga trucidantur. Nam Barbari eos cum celeritate fugientes, quantum poterant, persequebantur. Atque ad pagum, in quo Valens de clade suorum certior factus, latitare conabatur, accedentes, igni iniecto, illum ipsum pietatis aduersarium vnà cum pago cremarunt. Hoc modo igitur impius ille tyrannus etiam in hac vita pœnas pro sceleribus luit.

Quid causæ fuerit quod Gotthi in Arianorum errorem inciderint. CAP. XXXII.

HOC loco, quemadmodum Barbari pestifera erroris Ariani pernicie infecti fuerint, arbitror operæpretium his, qui eius rei ignari sunt, enucleatè explanare. Vbi Istro transmisso, cum Valente pacis fœdera iunxerant, eodem momento Eudoxius ille infamia notatus persuadet Imperatori, vt Gotthos qui olim cum diuinæ cognitionis luce primùm illuminati essent, doctrina Apostolica fuerant instituti, ad suam traducant communionem. Nam opinionis coniunctione & consensu pacem firmiorem fore dixit. Qua approbata sententia, Valens eorum ducibus hanc de doctrinæ consensione conditionem proponit. Qui responderunt se nullo modo velle auitam doctrinam deserere. Eodem tempore Vlphilas eorum fuit episcopus, cui facilè obsequebantur, eiusque verba pro ratis legibus habebant. Quem cum Eudoxius & verborum lenocinijs deleniuisset, & pecuniæ inescasset illecebris, perfecit vt Barbaros illos ad communionem Imperatoris amplectendam induceret. Adiecit præterea, quò facilius ei persuaderet, contentionem illam ex ambitione solum ortam, nullamque omnino doctrinæ esse differentiam. Itaque ad hodiernum diem Gotthi patrem maiorem esse filio dicunt illi quidem: sed filium creaturam appellari, licet cum his, qui illud dicant, communicent, nequaquã ferre possunt. Quinetiam ab auita doctrina non penitus destiterunt. Etenim Vlphilas, cum eis communionem Eudoxij & Valentis persuadere conaretur, dixit nullam esse in doctrina discrepantiam, sed ex inani & leui contentione eam in ecclesiam discordiam inuectam fuisse.

Quarti libri finis.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRI, ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER QVINTVS.

De Gratiani Imperatoris pietate. CAP. I.

QVàm diuturnã impunitatem omnium moderator Deus his concedere, qui contra ipsum audacia furiunt, & quàm grauibus supplicijs eos, qui longinqua eius patientia abutuntur, afficere soleat, res gestæ à Valente, & pœnæ ei irrogatæ satis illustri posteris ac testato documento esse poterunt. Nam clemens ille & benignus dominus, misericordia & iustitia velut libra & lancibus hominum facta ponderans, cum videat aliquem magnitudine scelerum benignitatis suæ modum superasse, debito eum coercet supplicio, ne longius ad perniciem prolabatur. Mortuo Valente, Gratianus qui patrem quidem Valentinianum, patruum autem Valentem habebat, toto imperio Romano potitus est. Nam iam pridem post mortem patris, Europæ susceperat gubernacula, illoque etiamnum superstite consors imperij fuerat. Quare Valente mortuo absque liberis, tum Asiam, tum partes Libyæ, quæ ditioni Romanorum parebant, obtinuit.

De Episcoporum reditu. CAP. II.

ISte Imperator, statim vt declaratus erat, pietatem, quam animo tenebat, multo reddidit illustriorem, & imperij quasi primitias omniũ gubernatori Deo obtulit. Nam conscripsit legem, qua iubebat, tum pastores eiectos in exilium, redire, suisque gregibus restitui, tum sanctas ecclesias tradi his, qui Damasi communionem amplexarentur. Hic Damasus episcopus Romanus fuit in illius ecclesiæ administratione successor Liberij: vir sanè propter vitæ præstabilis ornamenta insignis: qui quoad eius fieri poterat, doctrinam Apostolicã assiduè tutatus est. Vt autem lex, quam dixi modò, maiorem haberet authoritatem, misit cum ea ducem Saporem, virum id temporis propter nominis & famæ celebritatem facilè præstantissimum, cui dedit in mandatis, vt tum Arianæ blasphemiæ præcones, tanquam feras quasdam agrestes ex sacrosanctis templis exigeret, tum optimos pastores sanctis eorum gregibus restitueret.

De contentione Paulini, & Apolinaris Laodicensis nouatione, & Meletij philosophia, & pia in Deum affectione. CAP. III.

QVanquam verò istud mandatum apud singulas gentes sine contentione conficiebatur: tamen Antiochiæ vrbis totius Orientis primariæ, discordiæ flamma de eo incensa fuit: quæ ita se habet. Doctrinæ Apostolicæ propugnatores, vti ante dictum est, erant in duas partes diuisi: quarum vna statim post insidias contra Eustathium magnum comparatas, Arianam nequitiam detestata, conuentus separatim egit, Paulinumque habuit antistitem: altera post Euzoium ordinatum episcopum, ab impijs Arianis se vnà cum Meletio viro insigni, segregans, & pericula illa, quæ recensuimus, subiens, sapientissima Meletij doctrina gubernata est. Porrò autem Apolinaris Laodicensis, alteri iam parti se ducem præbuit: qui tametsi pietatis personam induebat, & doctrinæ Apostolicæ patrocinium suscipere videbatur, paulò pòst tamen se eiusdem aduersarium esse palam prodidit. Etenim de natura diuina differens, oratione planè adulterina vsus est: quippe in ea dignitatum gradus cõstituere, & œconomię Christi mysterium imperfectum affirmare, & animam rationis participem, cui corporis moderatio commissa est, salute, quæ per Christum nobis parta est, priuatam dicere non dubitauit. Nam hanc animam, vti eius ferebat opinio, Dei verbum non sumpsit, neque ei vel medicari, vel vllum honorem tribuere dignatum est: sed corpus terrenum à potestatibus, quæ sensum oculorum effugiunt, veneratione affici, animam autem, quæ est ad imaginem Dei, infrà manere, labe peccati aspersam asseruit. Multas item alias pestiferas opiniones, propter mentem errore & ignoratione cæcatam docuit. Nam interdum carnem Christi à sancta virgine sumptam esse, nonnunquam eam simul cum Deo verbo è cœlo descendisse, aliquando ipsum verbum Dei carnem factum esse illud quidem, sed à nobis nihil accepisse confessus est. Alias quoque fabulas & nugas diuinis adiunxit promissionibus, quas in præsentia percensere superuacaneum arbitror. Iste dum eiusmodi opiniones docebat, non suos solum illarum contagione contaminauit, verùm etiam earundem labem in nonnullos è nostris transfudit. Qui tamen postea cum suam ipsorum tenuitatem perspicerent, oculosque ad ecclesiæ splendorem conuerterent, omnes, paucis quibusdam exceptis, ad ecclesiæ quidem communionem se receperunt, sed morbum, quo ante erant infecti, non depulerunt à se, sed eundem in animos nonnullorum, qui dudum fide robusti ac valentes erant, insuderunt. Ex hac radice lethalis illa pernicies enascebatur, quæ asseuerauit vnam carnis & diuinitatis Christi naturam esse, quæque diuinitatem vnigeniti Dei filij passam esse docuit: & alia quoque nonnulla, quæ cum in populo, tum in sacerdotibus magnam discordiam concitauit. Sed ista quidem postea acciderunt. Id temporis autem aduentante Antiochiam Sapore duce,

cum

cum legem Gratiani ostendisset, Paulinus se à partibus Damasi stare constanter affirmat. Idem quoque affirmat, morbo erroris sui occultato, Apollinaris. At diuinus ille Meletius, se & quietè gessit, & ab eorum contentione continuit. Flauianus verò, vir sapientissimus, qui adhuc fuit ex numero presbyterorum, ad Paulinum, duce audiente, sic verba facit: Si Damasi communionem, ò amice, amplecteris, nobis tuę & illius doctrinę consensum cognationemque manifestò commonstra. Nam ille vnam trinitatis essentiam confitetur, tresque personas palam prædicat: at tu contra, personarum trinitatem penitus tollis. Quare osten de doctrinę consensum, & ecclesias capesse, vti lex iubet. Qui cũ illi os hac refutatione obturasset, ita Apollinarem alloquitur: Demiror ò amice, te non solum tam impudenter velle veritati repugnare, cum certò scias, Damasum, virum sanè admirabilem, affirmare, perfectam nostram naturam à Deo Verbo sumptam esse, verùm etiam contrariã opinionem docere. Nam mentem nostram salute priuas tu qui dem. Quòd si nos hęc tibi obiectando, falsa dicimus, iam ergo tute nouã doctrinam à te primum in lucem editam denega: Damasi doctrinam amplectere, & sacrosanctas ecclesias capesse. Cum autẽ sapientissimus Flauianus certis verisque rationibus eorum compressisset audaciã, Meletius, vir omniũ mansuetissimus, comiter admodũ & benignè Paulinũ cõpellat his verbis: Quoniã & mihi istarũ ouium procurationem cõmisit Dominus, & tu aliarũ curam suscepisti, ipsæq; oues inter ipsas veræ pietatis cõmunione consentiunt, greges, ò amice, concordiæ vinculis coniungamus, & contentionẽ de primatu dirimamus. Et cum oues cõmuniter pascamus, communẽ illis ritè moderandis curam adhibeamus. Quòd si sedes contentionem gignit, ego hanc contentionẽ à nobis repellere conabor. Nam ponamus, quæso, in ea librum euangelij, & vtrinque nos sedeamus. Quòd si ipse prius è vita abiero, tu solus, amice, gregem moderaberis: sin autem tibi illud contigerit, ego rursus curam ouium pro virili geram. Verùm tametsi ista placidè & leniter à Meletio dicebantur, Paulinus tamen illis minimè acquieuit. Itaque dux Sapores, eorum, quæ vtrinque dicta erant, iudex constitutus, Magno Meletio ecclesias tradidit: Paulinus autem ouium, quas ab initio à reliquis segregauerat, antistes permansit.

De Eusebio episcopo Samosatensi. CAP. IIII.

APollinaris verò ab ecclesiarum gubernatione repulsus, deinceps doctrinã quam ipse recens excogitarat, palam prædicare, & se principem sectæ profiteri cœpit. Est quidem ex multo maxima parte Laodiceæ commoratus. Antiochiæ autem iam pridem Vitali manus imposuerat, viro ob singulare & eximium viuendi genus magnopere nobilitato, & doctrina quidem instituto Apostolica, postea tamen erroris labe inquinato. Diuinus verò Meletius, Diodorum illum, cuius anteà mentionem feci, qui nauem ecclesiæ in grauissima tempestate incolumem seruauerat, Tarsi pastorem designauit, Cilicumque gentem ei concredidit. Episcopum autem Apameæ, Ioannem creauit, qui illustri genere ortus quidem fuit, sed suis ipsius rectè factis, multò maiorem splendorem, quàm ex maiorum rebus præclarè gestis est consecutus. Nam non doctrinæ solum, sed præstabilis vitæ ornamentis insigniter decoratus erat. Hic turbulentis procellæ temporibus conuentum eorum, qui fide secum consentiebant, gubernauit, sociumque habuit & adiutorem Stephanum virum cum primis laudatum. Verùm istum diuinus Meletius ad alia transtulit certamina. Nam vbi intellexit Germaniciam labe Eudoxij infectam, eum velut medicum (nam & humanior literatura, & sacris scripturæ doctrinis ab ineunte ætate instructus fuerat) ad morbum curandum misit. Neque certè spes eum frustrata est. Siquidem spiritalis doctrinæ subsidio lupos in oues mutauit. Porrò Magnus Eusebius ab exilio reuersus, Acacium, qui in magna gloria apud omnes fuit, Bercœæ episcopum ordinauit: Theodotum autem Hierapolis, cuius sæuera viuendi disciplina ad hodiernum diem ab omnibus celebrata est. Eusebium Chalcedonis, & Cyri nostræ Isidorum antistitem constituit: vtrumque admirabilem, & diuino pietatis studio egregiè exornatum. Ferunt quoque eundem, Eulogium illum, qui pro doctrina Apostolica strenuè decertauerat, quique in Antinone vnà cum Protogene relegatus erat, pastorem Edessæ (iam enim diuinus Barses è vita excesserat) creauisse: Protogenem autem certaminum eorundem socium, Carris, vrbi haud sana doctrina imbutæ, tanquam medicũ ad eius errores curandos, præfecisse: postremum autem episcopum ab eodem diuino viro ordinatum, fuisse Marin, quem Dolichæ paruo oppido, & per id temporis morbi Ariani contagione admodum infecto præposuit. Quem quidem Marin, virum sanè præstantem, & omni virtutum genere eximiè illustratum, cum Eusebius ille magnus in sede episcopali collocare vellet, Dolicham contendit. In quem oppidum ingredientem mulier quædam peruersæ Arij doctrinæ peste admodum laborans, regulã è superiore loco deiecit, qua caput eius diminutum fuit: quo quidem vulnere paulò pòst ex hac ad alteram longè præstabiliorem vitam migrauit. Qui cum iam esset moriturus, eos, qui aderant, iureiurando obstrinxit, ne vllum supplicium de ea, quæ facinus fecerat, omnino sumerent. Etenim in ea imitatus est tum suum dominum, qui pro his, qui eum cruci affixerant, sic orauit: Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, tum conseruum Stephanum, qui post crebros lapidum ictus, quibus obrutus erat, clamauit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, Tali mortis genere

Luc. 23.

Acto. 7

Eusebius

Eusebius ille magnus post multa pro fide confecta certamina occubuit: qui licet Barbarorum in Thracia effugisset crudelitatem, impiorum tamen hęreticorum manus haudquaquam effugit, sed per eos coronam martyrij consequutus est. Ista post reditum episcoporum fuere facitata. Gratianus autẽ de Thracia à Barbaris, qui Valentem combusserant, vastata, certior factus, relicta Italia, in Pannoniam proficiscitur.

De Theodosio militum duce. CAP. V.

PEr idem tempus Theodosius, vir cum ob maiorum splendorem, tum ob suam ipsius fortitudinem percelebris, & propterea in inuidiam non ab illis modò, qui pares erant dignitate, verùm etiam à tribulibus suis vocatus in Hispaniam, vbi & natus fuerat, & educatus, ætatem degit. Itaque imperator incertus animi, quid ageret (quippe Barbaros adeo insolentes effecerat victoria, vti difficiles admodum expugnatu tum essent, tum viderentur) tandem sibi persuasit, si Theodosium ducem belli gerendi constitueret, imperium malis, in quibus versabatur, penitus liberatum iri. Quare confestim Theodosium euocat ex Hispania, ducem creat, & cum exercitu, quem in vnum collegerat, mittit. Qui fide communitus, alacri animo & erecto iter suscipit: & ingressus in Thraciam, Barbarosque ex aduerso venientes conspicatus, aciem, velut prælium facturus, instruit. Facta autem leui pugna, cum Barbari Romanorum impetum sustinere non possent, aciem deserunt, atque terga dantes, fugæ se mandãt: quos Romani, quantum poterant, persequuntur, magnaque Barbarorum fit cędes. Nam non à Romanis solum, sed ab se mutuò interfecti conciderunt. Quare cum quàm plurimi essent ad hunc modum trucidati, & pauci, qui latere poterant, Istrum traiecissent, dux ille longè præstantissimus Theodosius, copijs suis in vrbes vicinas distributis, ad imperatorem Gratianum celerrimè, quò suæ victoriæ ipse nuntius esset, proficiscitur. Atque cum imperator, quæ narrabãt, ne credibilia quidem putaret, & factum supra modum miraretur, illi quos stimuli pungebant inuidiæ, aiunt eum & fugæ se dedisse, & exercitum amisisse. Theodosius igitur postulat ab illis, qui contradicerent, vti mittant nuntios, perque eos multitudinem Barbarorum interfectorum diligenter cognoscant: facilè namque esse ex spolijs numerum perdiscere. Cui orationi assensus imperator, misit nuntios, qui res gestas explorarẽt, eique postea referrent.

De illius imperio, & quæ res per quietem viderit. CAP. VI.

DVci autem optimo Theodosio interim apud Gratianum cõmoranti, diuina quędam visio ab ipso omnium rectore deo obiecta est. Videbatur enim videre diuinum Meletium ecclesiæ Antiochenæ præsulem, lęuam sibi imperatoriam inijcere, & coronã illi honori conuenientẽ capiti imponere. Quæ cum noctu secundum quietem vidisset, prima luce cuidam ex familiaribus indicauit. Ille somnium manifestum esse, & nihil obscuri ambiguiue in se complecti dixit. Ac perpauci dies iam intercesserant, cum redierũt nuntij, qui ad res à Theodosio gestas explorarẽ cognoscendas profecti fuissent, retuleruntq; permulta Barbarorum millia trucidata esse. Itaq; imperator iam pro certo persuasum habens, se non sine summo imperij commodo eum ducem delegisse, imperatorem quoque designauit, & illis imperij partibus, quas Valẽs rexerat, ei commissis, ipse in Italiã contendit, Theodosiumque in imperij partes ei traditas dimittit. Qui vt primum imperiũ obtinuit, ecclesijs præ cæteris rebus diligenter prospicere cœpit, & vt episcopi suæ ditionis Constantinopolim ire maturent, imperat. Nam sola ea imperij pars Ariana labe passim commaculata fuit: pars autem versus occidentem ab ea libera vacuaque permansit. Siquidẽ Constantinus filius Constantini natu maximus, & Constans minimus natu, paternam fidem integrã conseruabant: quinetiam Valẽtinianus, imperator Occidentis, veram pietatem synceram & incorruptam custodiebat.

Quinam insignes fuerint Ariana factionis antistites. CAP. VII.

IMperij verò pars, quę spectat ad Orientem, ex multorum nequitia hanc erroris labem contraxit. Nam Arius presbyter Alexandriæ, vrbis Aegypti, istam contra filiũ Dei blasphemiam primus omnium in lucẽ edidit. Deinde Eusebius, Patrophilus, & Aetius Palęstini: Paulinus, & Gregorius, Phœnices: Laodiceæ, Theodotus, & eius successor Georgius: post hos Athanasius, & Narcissus Cilices, semina ab Ario per nequitiam iacta nutriuerunt. Tum Eusebius, & Theognis Bithyni: Menophantus Ephesius, Theodorus Perinthius, Maris Chalcedonius, & alij quidam ex Thracia, sola improbitate nobilitati, diu istaz ianiorũ semina & rigarunt, & fouerunt. His malis agricolis subsidio fuit cum nimia Constantij facilitas, tum improba Valentis nequitia. Ob hanc causam solũ Theodosius episcopos Constantinopoli in vnum cõuenire mandauerat. Qui cum omnes ad centum quinquaginta numero eò aduenissent, vetuit ne quisquã ei indicaret, quis esset magnus ille Meletius. Volebat enim ex visione, quæ ei in somnio apparuisset, illum agnoscere. Vbi autẽ in palatium ingressus est, totus episcoporũ cœtus, ad magnum Meletium, cæteris omnibus relictis, accurrit: & veluti filius patris amantissimus, diu admodum paterno aspectu frui cupit: eum complecti, oculos, labra, pectus, caput, & dexteram, quæ coronam ei imposuerat, osculari cœpit: quinetiam, visionẽ quæ se ei obtulerat, exponere. Postremò cæteros omnes humanitùs excipere, & vt de rebus propositis consilium ineant, tanquam patres benignè orare.

De coacto Constantinopoli Concilio.
CAP. VIII.

EOdem tempore Gregorius, qui nouissimè iam ecclesiam Nazianzenam rexerat, Constantinopoli vitam egit: & partim Arianæ blasphemiæ se fortiter opponendo, partim sancti populi animos aqua doctrinæ euangelicæ rigando, partim oues à grege aberrantes conquirendo, partim denique eas ab herba lethali liberando, gregem ex paruo magnum effecit. Hunc cum vidisset diuinus Meletius, & propositum eorum qui canonē conscripserunt, considerasset (nā quò ambitionis materiam præciderent vetuerunt episcopum de vna sede ad alteram transferri) ratum fecit, vti diuinissimus ille Gregorius Constantinopolitanum præsulatum teneret, ipseque non longo tempore interposito, ad vitam doloris & ęgritudinis expertem migrauit, quem omnes, qui dicendo aliquid poterāt, funebribus orationibus egregiè laudare aggressi sunt. At Timotheus episcopus Alexandriæ successor Petri illius, qui Athanasij in eo pręsulatu, velut hæres fuit, Maximum quendam Cynicum, statim vt pilos Cynicos ei iam abraserat, episcopum Constātinopolis pro Gregorio illo admirabili ordinauit. Iste Maximus erat etiam peruersæ doctrinæ Apollinaris præstigiis admodum cæcatus. Cæterùm episcopi id temporis Constantinopoli in vnum coacti, facinus tam absurdum non tulere. Erant enim viri planè admirabiles, & diuinę pietatis ac sapientiæ studio accensi. Ex quorum numero fuit Helladius Basilij Magni in episcopatu successor: Gregorius item & Petrus, fratres Basilij: Amphilochius etiam Lycaonię Antistes, ex optimis Pisidarum & Cilicum. Aderant præterea Diorus Pelagius episcopus Laodicensis, & Eulogius Edessæ, Acacius quoque & Isidorus nostræ ecclesiæ episcopus: Cyrillus Hierosolymorum, & Gelasius Cæsariæ Palęstinæ, vir & doctrina, & moribus insignis, & alij denique plurimi virtutis athletæ. Omnes hi tunc ab episcopis Aegypti se segregantes, diuinos conuentus cum Gregorio Magno celebrarunt. At diuinus ille Gregorius orat illos, vt cum iam de concordia constituenda conuenissent, ea quæ ad concordiā mutuam spectent, vnius hominis iniuriæ præferre velint. Nam ego inquit, multis curis liberatus, ad tranquillitatem quæ mihi pergrata est, memet recipiam: & vos itidem post longum illud & graue bellum pace optatissima fruimini. Valde enim absurdum esset, vt iam è telis hostium erepti, mutuò alius alium ferire, & nostras ipsorum vires conterere aggrederemur: quandoquidem eo pacto hostibus non parum daremus lætitiæ. Quare virum conquirite præstabilem, & sapientem, qui prouinciam tam plenam curarum tum capessere, tum probè administrare possit, eumque episcopum designate. Quibus rationibus persuasi præstantissimi illi pastores, Nectariū, virum patritium, generis splendore eximium, & virtutibus cuiusque modi exornatum, illius vrbis amplissime episcopum creauerunt: Maximum autem vtpote Apollinaris amētia imbutum, episcopali dignitate spoliarunt, eique ecclesia interdixerunt. Porrò autem cum canones pro recta ecclesiæ administratione conscripsissent, statuissentque, vt fidei formula in concilio Nicæno edita, firma ac stabilis maneret, singuli domum reuerterunt. Sequenti æstate, quàm plurimi eorum ad eandem vrbem denuò regressi (necessaria enim ecclesiæ negotia eos illò reuocauerant) epistolā à concilio episcoporum in Occidente coactorum accepere: quæ illos hortabatur, vt Romam, vbi iam maximus episcoporum cœtus congregatus erat, accederent. At tam longū iter suscipere, cum nihil inde lucri se facturos putarent, omnino recusarunt illi quidem: sed tamen scripserunt epistolam, qua tum tempestatem contra ecclesias excitatam eis significabant, tum illorum subnotabant in ea re negligentiam, tum denique doctrinam apostolicam summatim perstringebant. Verùm ea ipsa epistola eorum, qui ipsam scripserint, fortitudinem & sapientiam multò apertius declarabit.

Libellus Synodicus à concilio Constantinopolitano ad episcopos missus. *CAP. IX.*

Dominis honoratissimis, & cùm primis reuerendis fratribus, ac collegis, Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Auemio, Basilio, & cæteris sanctis episcopis in celebri vrbe Roma conuocatis, sanctum concilium orthodoxorum episcoporum in ampla vrbe Constantinopoli coactorum in Domino Salutem.

MVltitudinem calamitatum nobis à dementis sectæ Arianæ principibus inflictarum vestræ reuerentię tanquam earundem ignarę exponere narrareq; erit fortasse superuacaneum. Nam neque vestram pietatem res nostras tam paruo æstimare arbitramur, vt de his docendi sitis, pro quibus deberetis nobiscum vnà condolescere, neque eiusmodi sunt tempestates illæ, quibus vndique iactamur, vti propter earum paruitatem vos latere queant. Quinetiam tempus persecutionis adeo nuper præterijt, vt non illi solum, qui in eo afflictati erant, verùm etiam eorum amici, qui propter amorem in doloris cum illis venerant societatem, recentem eius memoriam teneant. Nam heri, propè dixerim, & nudius tertius, nonnulli exilij vinculis liberati, & infinita fere afflictationum genera perpessi, ad ecclesias suas redierunt. Aliorum autem exilij cruciatibus extinctorum reliquiæ duntaxat in patriam sunt reportatæ. Quidam post reditum ab exilio, in furorem hæreticorum adhuc sæuientem incidentes, grauiora tormenta in sua ipsorum, quàm in aliena regione tolerarunt, & more Beati Stephani, lapidibus obruti occubuerunt. Alij varijs cruciamentis dilacerati, stigmata Christi, & vibices in corpore adhuc circunferunt. Porrò pecuniæ iacturam, amissiones

siones ciuitatum, quas incolebant, proscriptiones singulorum, insidias, contumelias, carceres, quis poterit enumerare? Nam afflictationum genera nobis impactarum vix numero comprehendi possunt, propterea fortasse quòd pœnæ peccatis debitæ nobis persoluendæ erant, fortasse autem quòd benignus deus per ingentem rerum aduersarum multitudinem nos exercere volebat. Pro quibus deo certè agendę sunt gratiæ, qui per tot cruciatus suos seruos erudiuit, & secundum multitudinem miserationum suarum, rursus eduxit nos in refrigerium. Nobis quidem diuturno otio, & multo tum tempore, tum labore ad ecclesiarum emēdationem opus est, vti corpus earum tanquā diuturno morbo vexatum, curationibus pedetentim adhibitis recreantes, tandem ad pristinam pietatis sanitatem reducamus. Nam etsi videmur persecutionis asperitate penitus liberati, & ecclesias diu ab hæreticis occupatas modò recuperasse, tamen lupi nobis permultum facessunt molestiæ: atque licet ab ouilibus abacti sint, in syluis tamen greges diripere, conuentus contrarios nobis audacter opponere, populi seditiones concitare non cessant: denique nihil omnino prætermittunt, quod ecclesijs quicquam adferre possit incommodi. Itaque erat, vt diximus, pernecessarium, vt in his rebus ritè constituendis plus temporis collocaremus. Iam verò quoniam vos, quò fraternam vestram erga nos charitatem declararetis, concilio dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria per imperatoris sanctissimi literas accersiuistis, ne cum nos soli iam antea res acerbas subire coacti essemus, nunc imperatoribus de pietate consentientibus sine nobis vos regnaretis, sed potius, vti loquitur apostolus, vt nos
1. Corinth. 4. vobiscum conregnaremus, est certè nobis in optatis, si posset fieri, ecclesijs penitus relictis, vestro desiderio, aut necessario potius eccle-
Psal. 54. siæ negocio inseruire. Quis enim nobis dabit pennas, vt columbæ, & volabimus & requiescemus apud vos? Verùm quoniam hoc modo ecclesiæ nuper renouatæ nudarentur, & res à plerisque fieri omnino non queat, propterea quòd Constantinopoli mandato literarum, superiore anno à vestra rguerentia post concilium Aquiliense ad sanctissimum imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsq; faciendum nos præparauimus, atque de hoc vno concilio celebrando consensum episcoporum, qui in prouincijs manserant, vnà nobiscū attulimus, idcirco neq; longiore itinere opus esse expectabamus, neq; de vllo alio omnino ante acceperamus, quàm Constantinopoli in vnū conuentum esset. Huc accedit, quòd temporis præstituti angustia neque ad longius iter parandum, neque ad episcopos in singulis prouincijs, qui sunt eiusdem nobiscum communionis, de hac re commonefaciendos, neque ad eorum consensus obtinendos, satis spacij dedit. Itaque cum & hæ res, & aliæ præterea complures maiori parti episcoporum impēdimento sint, quò minus ad vos veniant, idcirco quod secundo in loco faciendum erat, tum ad statum rerum ecclesiasticarum ritè ordinandum, tum ad ostendendum, quanti vestram erga nos charitatem æstimemus, illud certè fecimus: quippe orauimus reuerendiss. honoratissimosque fratres & collegas nostros episcopos, Cyriacum, Eusebium, & Priscianum, vti laborem ad vos proficiscendi suscipere non grauarentur. Qui quidem non solum vobis exponent, quàm nostra voluntas pacis studiosa sit, & quo pacto nihil aliud, quàm ecclesiæ concordiam sibi proponat, verùm etiam quàm ardenti studio ad sanam fidem tuendam accensi simus, perspicuè significabūt. Nam persecutionum procellas, cruciatus, minas imperatorias, crudelem magistratuum violentiā, aliarumque rerum incommodarum tētationes, quas ab hæreticis sustinuimus, pro fide euangelica à CCCXVIII. sanctis patribus Nicææ vrbis Bithyniæ confirmata sustinuimus. Etenim ista fides tum à nobis, tum à vobis, tum ab omnibus, qui non verbum verę fidei peruertūt, approbari debet: quippe cum & antiquissima sit, & lauacro baptismatis, quo tincti sumus, consentanea, & nos doceat credere in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, hoc est in diuinitatem, potentiam, & substantiam vnam patris, & filij, & spiritus sancti, æqualem dignitatem, & coæternum regnum in tribus perfectis ὑποστάσεσι, id est, in tribus perfectis personis: adeo vt neque quicquam loci detur pestiferæ Sabellij hæresi, qua confunduntur personæ, hoc est, proprietates earum tolluntur, neque blasphemia Eunomianorum, Arianorum, aut eorum, qui spiritum sanctum oppugnant, quicquam habeat ponderis: quæ quidē essentiam, naturam, & diuinitatem trinitatis discindit, & ei, quæ nec creata est, & consubstantialis est, & coæterna est, naturam posterius genitam, aut creatam, aut quæ sit alterius essentię tribuit. Nos autem doctrinam dominicæ incarnationis integram & perfectam tenemus, & neq; œconomiam carnis Christi vel animæ, vel mentis expertē, vel imperfectam esse asserimus, sed agnoscimus verbum dei ante secula omnino perfectum esse, & perfectum hominem in nouissimis diebus pro nostra salute factum esse. Atque ista de fide à nobis liberè ingenueque prædicata summatim disseruimus: de quibus pleniorem cognitionem animis poteritis percipere, si libellum concilio Antiochiæ conuocato de fidei decisione editum, & eum etiam, qui superiore anno à concilio generali compositus est, legere placuerit: in quibus tum fidem nostram vberius exposuimus, tum hæresibus nuper excogitatis anathema scriptis proditum denuntiauimus. De administrationibus autem, quæ sunt cuiusq; ecclesiæ propriæ, cum vetus, vti nostis, lex est, tum sanctorum patrum in concilio Nicæno decisio, vt videlicet singularum prouinciarum antistites, vnà cum finitimis, modò ipsis ita visum

ſum fuerit episcopis, miniſtros ad eccleſiarum commodum in ſuis ipſorum prouincijs ordinent. Ex cuius legis & deciſionis præſcripto ſcitote tum alias quoque eccleſias apud nos adminiſtratas eſſe, tum illuſtriſsimarum eccleſiarũ ſacerdotes delectos. Vnde eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, recens, vt ita dicam ẹdificatæ, quanquam ex hæreticorum blaſphemia, tanquam ex ore leonis per miſericordiam dei nuper eripuimus, reuerendiſsimum ſanctiſsimumque Nectarium in cõcilio generali, communi omnium conſenſu, præſente Theodoſio imperatore religioſiſsimo, totius denique cleri, totiuſque ciuitatis ſuffragijs epiſcopum conſtituimus. Eccleſię autem vetuſtiſsimæ & verè apoſtolicę Antiochiæ vrbis Syriæ, in qua primo venerandum Chriſtianorũ nomen auditum eſt, reuerendiſs. & ſanctiſsimum Flauianum, epiſcopi illius prouinciæ & diœceſeos orientalis in vnum conuenientes, tota illa eccleſia, vti canon poſtulat, ſuffragante, & velut vno ore virum illum honorifice collaudante, epiſcopũ ordinarunt: quæ quidem ordinatio vti legitima, communi Concilij conſenſu approbata eſt. Porrò eccleſię Hieroſolymitanę, quæ eſt aliarum omnium mater, reuerendiſs. & Sanctiſsimum Cyrillum epiſcopum vobis oſtendimus, tum ab epiſcopis prouinciæ, vti canon vult, iam pridem creatum eſſe, tum plurima prælia aduerſus Arianos varijs in locis confeciſſe. Quibus rebus tanquam legitimè & ſecundũ eccleſiæ Canones conſtitutis obſecramus veſtram reuerentiam, vti congratuletur: ſpiritali charitate nos mutuo deuincente, & timore domini qui omnem humanam affectionem reprimit, eccleſiarumq; ædificationem amori illi & beneuolentiæ, qua ſingули ſingulos complectuntur, longè anteponit. Quòd ſi doctrina fidei ad hunc modum communi conſenſu ſtabilita ſit, & charitas Chriſtiana in nobis cõfirmata, poſthac deſinemus dicere illud, quod ab apoſtolis condemnatum eſt, nimirum, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: atque omnes cum ſimus Chriſti, qui in nobis non eſt diuiſus, corpus eccleſiæ, dei largiente gratia, integrum conſeruabimus, & ad tribunal domini fidẽti animo noſmet ſiſtemus. Iſti contra Arij, Aetij, & Eunomij inſaniam, quinetiam contra Sabellij, Photini, Marcelli, Pauli Samoſateni, & Macedonij amentiã ſcripſerunt. Simili ratione & nouæ Apollinaris doctrinæ palam anathema indixerunt: quandoquidem nos inquiunt, doctrinam incarnationis dominicæ integram tenemus, & neque carnis eius œconomiam animæ mentiſúe expertem, aut imperfectam aſſerimus.

1. Corinth. 3.

Synodicus libellus aduerſus Apolinarem & Timotheum à Damaſo epiſcopo Romano conſcriptus. CAP. X.

DAmaſus item vir omni genere laudis florentiſsimus, ſimul vt hanc ſectam exortam accepit, non Apollinarem ſolum, verùm etiam Timotheum eius diſcipulũ abdicauit: quam rem epiſcopis etiã Orientales eccleſias gubernãtibus ſignificauit per literas: quas literas in hiſtoriam illigare non incommodum exiſtimaui.

Damaſi Papæ epiſtola ad Orientales epiſcopos contra Apollinarem Antiochenum & Timotheum eius diſcipulum hæreticos.

QVòd veſtra charitas debitam ſedi apoſtolicæ reuerentiã tribuit, filij honoratiſsimi, vobis ipſis quoq; maximo ſanè honori eſt. Nam tametſi in ſancta eccleſia, in qua ſanctus Apoſtolus ſedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ ſuſcepimus, tractanda ſint, nobis primæ partes deferuntur, tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longè inferiores eſſe. Verũ ob hanc cauſam omnibus modis laboramus, vti ad gloriam beatitudinis eius, ſi qua ratione poſsimus, tandem aliquando perueniamus. Sciatis velim, fratres, nos Timotheum illum profanum, Apollinaris hæretici diſcipulum, cum impio ſuo dogmate iam pridem abdicaſſe: & ob eã cauſam credimus reliquias eius nihil in poſterũ momenti habituras. Quòd ſi antiquus ille ſerpens, ſemel atque iterum ictus, ad ſuam ipſius pœnam augendam reuixerit, & extra eccleſiam eiectus, nonnullos etiamnũ fideles ſuis mortiferis venenis quibus eos tentare aggreditur, ad exitium trahere non ceſſet, vos hanc eius aſtutiam, velut peſtem quandam declinate, & recordamini ſedulò tũ fidei ab apoſtolis traditæ, tum huius vel maximè, quæ eſt à ſanctis patribus in concilio Nicæno ſcriptis prodita, inque ea gradum firmè defigentes, immobiles perſtate, & ne poſthac ſuſtinete vt vel clerici veſtri, vel laici inanes ſermones, quæſtionéſue obſcuras audiant. Iam enim ſemel formulam edidimus, vt qui ſe Chriſtianum profiteatur, illud teneat quod ab apoſtolis traditum eſt: quippe diuinus Paulus ſic loquitur: Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Nam Chriſtus filius Dei, dominus noſter, generi humano per paſſionem ſuam pleniſsimam ſalutem reddidit, vt totum hominem peccatis implicatum, ab omni peccato liberaret. Hunc ſi quis aut imperfectam humanitatẽ, aut imperfectam diuinitatem habuiſſe dixerit, ſpiritu diaboli completus, ſe filiũ gehennæ oſtendit. Itaque quid eſt cur abdicationem Timothei à me rurſus requiratis, qui etiam hic iudicio ſedis apoſtolicæ, Petro quoque epiſcopo Alexandriæ præſente abdicatus eſt, vnà cum magiſtro ſuo, Apollinari, qui item in die iudicij debitas pœnas & ſupplicia perſoluet. Quòd ſi ille, qui veram ſpem in Chriſtum vnà cum fidei confeſsione mutarit, velut ſpem quandã ſalutis retinens, alios quoſdã, qui ſunt leuiores, ad ſuam perducat ſententiam, ſciant illi ſe propterea cum eo ſimiliter perituros, quod animum aliquando induxerint eccleſiæ canoni repugnare. Deus vos, filij honoratiſsimi, ſeruet incolumes.

Galat. 1.

Alia item nonnulla epiſcopi in ampliſsima vrbe Roma coacti contra varias hæreſes conſcripſe-

ſcripſerunt, quæ neceſſe putaui huic hiſtoriæ attexere.

Alter eiuſdem Synodicus contra diuerſas ſectas libellus CAP. XI.

Confeſsio fidei Catholicæ, quã Damaſus Papa miſit ad Paulinum epiſcopum Theſſalonicæ, vrbis Macedoniæ.

QVoniam poſt concilium Nicænum eiuſmodi error emerſit, vt quidam profano ore dicere audeant, Spiritum ſanctum per filium factum eſſe, anathema denuntiamus omnibus, qui non liberè prędicant ſpiritum Sanctum vnius & eiuſdem tum eſſentiæ, tum poteſtatis cum patre & filio. Pari ratione anathema indicimus Sabelliani erroris fautoribus, qui dicunt patrem & filium eundem eſſe. Anathemate itẽ damnamus Arium, & Eunomium, qui pari impietate, licet verbis diſcrepent, tum filium, tum ſpiritũ ſanctum creaturã eſſe aſſerunt. Sint porrò Macedoniani multati anathemate, qui ex radice Ariana exorti, non impietatem, ſed nomen ſolum commutarunt. Photino quoque ſit pœna anathematis irrogata, qui hereſin Ebionis renouans, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ex Maria ſolum editum aſſeuerat. Illi præterea anathemati addicantur, qui duos filios eſſe affirmãt, vnum ante ſecula, & alterum poſt carnem ex Maria ſumptam. Anathema etiã illis adiudicauimus, qui aſſerunt, quòd in carne humana verbum dei loco animę rationis participis habitauit. Nam idem ipſum dei verbum non animæ rationis & mẽtis compotis locum in corpore quod ſibi ſumpſerat, obtinuit, ſed noſtrã animam, hoc eſt ratione & mente præditam, expertem tamen peccati, accepit, ſeruauitque. Denique ſit illis inflictum anathema, qui dicunt verbum dei productione & contractione à patre ſecerni, ipſumque eſſentiæ expertem eſſe, aut morte interiturum ſceleratè impieque prædicant. Eos autem, qui ab eccleſijs, in quibus vixerunt, ad alias ſe tranſtulerint, vſq; eo ſint à noſtra communione alieni, quoad ipſas ad vrbes redierint, in quibus erant primum ad aliquem honoris eccleſiaſtici gradum elati. Quòd ſi quis in alterius locum, qui ſedem mutauit, cooptatus ſit, tantiſper à dignitate ſacerdotali vacet ille, qui ciuitatem propriam deſeruerit, dum qui ei ſucceſſerit, obdormierit in domino. Si quis non dixerit, patrem ſemper eſſe, ſemper eſſe filium, & ſemper ſpiritum ſanctum, anathema eſto. Si quis negauerit filium genitum à patre, hoc eſt, ex diuina eius eſſentia, anathema eſto. Si quis negauerit filium Dei perinde verum Deum, vt pater verus deus eſt, & omnia poſſe, omnia ſcire, patrique ęqualem eſſe, anathema eſto. Si quis dixerit filium Dei, cum in carne viueret, inq; terris degeret ætatem, non in cœlis etiam cum patre fuiſſe, anathema eſto. Si quis dixerit filium Dei, cum paſſus ſit in cruce, & non in carne ſolum & anima rationis participi, quam accepit in forma ſerui, vti ſacris literis proditum eſt, ſed in ſua etiam diuinitate dolorem ſuſtinuiſſe, anathema eſto. Si quis negauerit verbum dei paſſum in carne, crucifixum in carne, mortem guſtaſſe in carne, & primogenitũ ex mortuis fuiſſe, quatenus vita eſt, & deus author vitæ, anathema eſto. Si quis negauerit eum in carne, quã ſumpſit, ſedere ad dexteram patris, in qua etiam venturus eſt ad iudicium de viuis & mortuis exercẽdum, anathema eſto. Si quis negauerit ſpiritum ſanctum verè & propriè ex patre eſſe, perinde atque filium ex diuina eſſentia, & deum dei verbum, anathema eſto. Si quis dixerit ſpiritum ſanctum non perinde omnia poſſe, omnia ſcire, & vbique terrarum adeſſe, vt patrem & filium, anathema eſto. Si quis dixerit ſpiritum ſanctum creaturam eſſe, aut per filium factum eſſe, anathema eſto. Si quis negauerit patrem omnia per filium incarnatum, & ſpiritum ſanctum condidiſſe, hoc eſt viſibilia, & inuiſibilia, anathema eſto. Si quis negauerit vnam patris, & filij, & ſpiritus ſancti diuinitatem, authoritatem, poteſtatem vnam, gloriam, dominatum vnum, vnum regnum, voluntatem, & veritatem, anathema eſto. Si quis negauerit tres veras perſonas eſſe, patris, filij, & ſpiritus ſancti, ſemper viuere, omnia continere viſibilia & inuiſibilia, omnia poſſe, omnia iudicare, omnibus vitam tribuere, omnia fabricare, omnia conſeruare, anathema eſto. Si quis negauerit ſpiritum ſanctum ab omni creatura perinde adorandum, vt patrem & filium, anathema eſto. Si quis de patre & filio rectè ſentiat, de ſpiritu ſancto autem non item, hæreticus eſt: quandoquidem omnes hæretici, qui de filio Dei, & de ſpiritu ſancto prauè ſentiunt, in Iudæorum & Gentilium infidelitate verſari deprehenduntur. Si quis deitatem diuiſerit, dixeritque patrem Deum, filium Deum & ſpiritum ſanctum Deum ſeparatim, affirmaueritque etiam deos dici, & non Deum, propter vnam diuinitatem & potentiam, quã credimus, & agnoſcimus, patris & filij, & ſpiritus ſancti, cum ſit vnus Deus in tribus perſonis, aut rurſus ita exceperit filium & ſpiritum ſanctum, vti patrẽ ſolum, Deum dici, aut non vnum credi Deum exiſtimet, anathema eſto. Nam nomen deorum & angelis, & omnibus ſanctis à Deo donatum eſt. In patre & filio & ſpiritu ſancto propter vnam æqualemque diuinitatem non nomina deorum, ſed nomen Dei noſtri effertur & ſignificatur: vt credamus, quòd in patrem & filium, & ſpiritum ſanctum baptizati ſumus, & non in nomina archangelorum, aut angelorum, ſicut Hæretici, Iudæi, & Gentiles delirãt. Hæc igitur Chriſtianorum ſalus eſt, vt credentes in trinitatem, id eſt, in patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, & baptizati in eandem, credamus quoque vnam in ea deitatem eſſe, vnam potentiam, vnam diuinitatem, & eſſentiam denique vnam.

De morte Gratiani & Maximi tyrannide. CAPVT XII.

Ista quidem, dum vita adhuc Gratiano ſuppeteret, geſta ſunt. Vbi autem is poſt res in bello pręclarè geſtas, poſt ciuitates modeſtia & æquitate temperatas, ex inſidijs interijt, nullo filio, hærede imperij relicto, ſed fratre ſolùm admodum adoleſcente, qui patris nomine appellabatur, Maximus quidam adoleſcentia Valentiniani (ſic enim vocabatur) contempta, dominatum Occidentis per vim arripuit.

De Iuſtina Valentiniani coniuge, & tenſis contra Ambroſium inſidijs.
CAP. XIII.

PEr idem tempus Iuſtina Valentiniani Magni coniunx, & mater adoleſcentis, Arianæ doctrinæ ſemina, quæ olim exceperat, filio expromit. Nam fidei ardore mariti ſui cognito, toto, quo ille vixit, tempore hæc occultare ſtuduit. Verùm cum filij ſui animum mollem & flexibilem cerneret, errorem in mente ſua delitescentem profert audacius. Adoleſcens autem matris monita vſui ſibi fore arbitratus (nam ad eſcam illecebris ſuis naturam delinientem, oculis mentis adiectis, lethalem hamũ minime perſpexit) primùm cum Ambroſio hac de re communicat: ratus, ſi hunc ad ſuam perduceret ſententiam, ſe alios perfacilè ſuperaturum. At verò Ambroſius reuocat eum in memoriam pietatis paternæ, & vt hęreditatem, quam ab eo acceperat, integram ſeruet, cohortatur. Exponit ei pręterea doctrinarũ differentiam, & quomodo hę cum doctrina domini, & apoſtolorũ prædicatione conſentiãt, illæ legibus eccleſiæ ſpiritus ſancti inſtinctu ſancitis perſpicuè repugnent. Adoleſcens verò, vtpote adoleſcẽs, & à matre errore cęcata incitatus, tantũ aberat, vt Ambroſij aſſentiretur orationi, vt etiã iracundia inflammatus, eccleſię parietes turmis peditum, tum graui, tum leui armatura tectorum, circunſideret. Vbi aũt fortiſsimum illum Chriſti bellatorem his rebus minime perterrefactum videt (eas enim prolaruis, quæ ad terrendos adoleſcentulos obijci ſolent, habebat Ambroſius) tandem bile commotus, palam dat ei mandatum, vt è ſacris templi veſtibulis egrediatur. Tum Ambroſius, non ſum iſtud, inquit, volens facturus, neque ouile ouium proditurus lupis, neque blaſphemiæ authoribus ſacroſanctum Dei templum traditurus: ſed ſi libet me interficere, hic intus vel gladio, vel cuſpide haſtæ confodito. Sum enim cupidè & libenter hanc cædem excepturus.

De ijs quæ Maximus tyrannus Valentiniano Iuniori ſignificauit.
CAP. XIIII.

LOngo autem tempore pòſt, vbi Maximus de facinore contra pręclariſsimum veritatis pręconem Ambroſium per Valentinianum admiſso certior factus eſt, ſcribit ad Valentinianũ literas: hortaturq; vt tum à bello contra pietatem faciendo deſiſtat, tum ne paternã pietatem prodere moliatur. Poſtremò minatur bellum, ſi non obtemperet, ſe contra eum ſuſcepturum. Atque quod literis ſignificauerat, factis certè præſtitit. Nam collecto exercitu, Mediolanum, vbi ætatem agebat Valentinianus, maturè contendit. Cuius aduentu cognito, Valentinianus fugit in Illyricum: iam edoctus experientia, quid commodi ſibi maternum attuliſſet conſilium.

De ijs quæ eadem de re à Theodoſio Imperatore ſcripta fuerint.
CAP. XV.

THeodoſius autem omni laude cumulatus imperator, cum certior factus eſſet tam de rebus ab adoleſcente Valentiniano imperatore geſtis, quàm de tyranni Maximi literis, ſcribit ad Valentinianum, qui in Illyricum profugerat, non debere eum mirari, quòd ſibi Imperatori terror incuſſus fuerat, & robur tyranno adiunctum. Nam imperatorem pietatem armis oppugnaſſe, tyrannum autem eandem defendiſſe. Atque illum hac prodita, inermem in fugam coniectum: hunc ea velut armis munitum, eum illa nudatum deniciſſe, pietati enim eius legiſlatorem fauere. Iſta quidem cum longè à Valentiniano abeſſet, ſcripſit Theodoſius. Atque ſimul vt accepit de fuga Valentiniani, venit ei ſubſidio: illumque iam è proprio imperio eiectum, & ad ſuam ditionem accedentem conſpicatus, primùm animo eius adhibet curationem, impietatis morbum altius inſitum euellit, & ad pietatem paternam reducit. Deinde iubet bono animo eſſe: contra tyrannum bellum gerit: ſine ſanguinis effuſione adoleſcenti reſtituit imperium: & tyrannum interficit. Nam rem iniuſtam ſe facturum putauit, & fœdera cum Gratiano pacta violaturum, ſi non pœnas de interfectoribus eius expeteret.

De Amphilochio Iconij epiſcopo.
CAP. XVI.

POſt Theodoſij illinc reditum, Amphilochius ille admirabilis, cuius ſæpius à me iam facta eſt mentio, acceſsit oraturus imperatorem, vti ex vrbibus Arianorum conuentus eijciat. At imperator poſtulationem illam nimis ſæueram & inhumanam arbitratus reijcit. Sapientiſsimus igitur Amphilochius, re ad tempus tacita, aliam rationem ad id, quod volebat obtinendum, eamque planè memorabilem excogitauit. Nam cum alio tempore fortè intra palatium eſſet, videretque aſtantem imperatori filium ſuum Arcadium, qui nuper imperator creatus fuerat, ipſum imperatorem Theodoſium, vt mos eſt, ſalutauit ille quidẽ, ſed filium ſine honore dimiſit. Imperator aũt ratus Amphilochium oblitum officij, iubet ad filium accedere, eumq; oſculari. At Amphilochius reſpondit, ſatis eſſe, q̃ ei honorem habuerat. Itaq; Theodoſius rem acerbè & grauiter ferens, probrum filio obiectum, iniuriæ loco ſibi ipſi illatæ numerauit. Tum ſapientiſsimus Amphilochius, declarans Imperatori quod animo inſtituebat, contenta voce, vides, inquit, ò Imperator, quàm ægrè ignominiam filij tui patiare, imò verò illis, qui in eum inſultant, vehementer ſuccenſes. Credas igitur mihi velim, huius vniuerſitatis rectorem Deum, eos, qui contra filium ſuum vnigenitum loquuntur blaſphemias, itidem deteſtari, & tanquam ingratos erga Seruatorem & patronum ſuum odio proſequi. Cuius inſtitutum cum hoc pacto intellexiſſet Imperator, facta eius dictaque ſimul admiratus, legem protinus conſcripſit, quæ vetabat conuentus ab hæreticis agi. Verùm omnes communis humani generis aduerſarij tendiculas vitare non adeò facile eſt. Nam qui morbum intemperantiæ effugerit, idem auaritiæ laqueo irretitus tenetur. Quòd ſi ab alio etiam vitio ſit victoriam conſecutus, ex altera parte patet inuidiæ voragò ad eum abſorbendum parata: ſin autem hanc quoque tranſilierit, reperiet rete ſibi obiectum iracundiæ. Alias denique pedicas tendit diabolus hominibus propè infinitas, quibus eos illaqueatos ad exitium perducat. Habet quoque corporis perturbationes inſeruientes machinis, quas contra animos hominum fabricatus eſt. Sola autẽ mens ſua vigilantia reportat victoriam: & inclinatione, qua in rerum diuinarum amorem propendet, impetum machinarum diabolicarum frangit. Quapropter admirabilis iſte Imperator, humanæ naturæ particeps, à perturbationibus minimè vacuus fuit: quippe immoderata animi concitatione cum iuſta iracundia coniuncta impulſus, facinus crudele & neſarium commiſit. Quod quidem ad legentium vtilitatem hoc loco commemorabo. Nam eiuſmodi profectò eſt, vt Imperator iſte admirabilis ob id tum in crimen meritò vocari, tum contrà ſumma laude ac prædicatione efferri debeat.

De cæde Theſſalonicæ facta, & Ambroſii epiſcopi in iurgando libertate, & Imperatoris pietate.
CAP. XVII.

THeſſalonica vrbs eſt ampliſsima illa quidem, & multis hominibus frequentata: quæ tametſi ſubiecta eſt ditioni Macedonum, præ cunctis tamen vrbibus Theſſaliæ, Achaiæ, & aliarum gentium plurimarũ, quas præfectus Illyriæ moderatur, primas obtinet. In hac, cum fortè ſeditio concitata eſſet, magiſtratus aliquot obruti lapidibus fuere, & grauibus contumelijs vexati. Quibus rebus nuntiatis, Imperator bile accenſus, flammam neutiquam repreſſit iracundiæ, neque freno rationis eius impetum cohibuit, ſed illius arbitrio permiſit pronuntiandæ ſententiæ de ſupplicio Theſſalonicenſibus irrogando poteſtatem. Iracundia igitur hanc authoritatem nacta, velut tyrannus omnia ſuo nutu gubernans, ruptis habenis, & iugo rationis excuſſo, gladios iniquè contra omnes diſtrinxit, & inſontes pariter cum ſontibus trucidauit. Nam ſeptem hominum millia, vti ferunt, interfecta fuere: in qua occiſione non iudicium anteceſſerat, neque authores tam horrendi facinoris iuſta & legitima ſententia condemnati, ſed omnes ſimul, veluti ſpicæ in meſſe deſectæ, conciſi fuerunt. Hac miſeranda & lugubri calamitate cognita, Ambroſius ille, de quo ſuprà diximus, Imperatori Mediolanum aduentanti, & in ſacrum templum ingredi cupienti, extra ſacra veſtibula obuiam procedit, vetatque in templum intrare, & his fere verbis eum affatur: Eſt veriſimile, ò Imperator, te ignorare cædis abs te perpetratæ magnitudinem, neque poſt ſedatam iracundiam, ratione admiſſum facinus peruidere. Nam imperatorius fortaſſe principatus peccatum agnoſcere non ſinit, ſed poteſtas obfundit rationi caliginem. Verùm quę ſit natura noſtra, & quàm fragilis ac fluxa, conſiderandum eſt, & in auitum pulueren, ex quo orti ſumus, & in quem recaſuri, acies mentis intendenda, neque ipſe ſplendore purpuræ deceptus, corporis illa operti imbecillitatem ignorare debes. Quinetiam illis imperas, qui & eiuſdem ſunt naturæ participes, atque adeo conſerui. Vnus enim Dominus omnium & rex, huius vniuerſitatis fabricator Deus. Quibus igitur oculis intuebere templum illius, qui eſt omnium Dominus, quibus pedibus ſanctum illud ſolum calcabis? Qui, quæſo, manus iniuſta cæde & ſanguine reſperſas, extendere audes, & eiſdem ſacroſanctum corpus Domini accipere. Aut quomodo venerandum eius ſanguinem ori admouebis, qui furore iræ iubente tantum ſanguinis tam iniquè effudiſti. Recede, igitur, & ne conare nouo ſcelere, ſcelus antè editum augere: ſed capeſſe vinculum, quo vt ligeris, Dominus omnium cœlitus ſententiam dat. Quod quidem vinculum vim habet, & morbum animi depellendi, & te ad ſanitatem reſtituendi. Huic orationi obſecutus Imperator (nam diuinis educatus eloquijs, accuratè norat, tum quæ eſſent officia ſacerdotum, tum quæ regũ propria) cum gemitu & lachrymis ad palatium reuertitur. Atque longo temporis ſpacio dilapſo (octo enim menſes iam præterierant) Seruatoris natalitia fuere celebrata. Imperator autem conſidet in palatio, lamentis ſe dedens, & magnam vim profundens lachrymarum. Quod cum animaduertiſſet Ruffinus, qui tum magiſter aulæ fuit, magnaque apud Imperatorem authoritate, vtpote familiaritate ei coniunctior, ad illum accedit: rogat cauſam fletus. Tum Imperator lugens acerbius, & maiorem in modum flens, tu, inquit, Ruffine, ludis. Nam quantis ipſe in malis verſer, non ſentis. Ego verò gemo, & meam ipſius deploro calamitatem, dum mente complector, quàm facilis aditus ad ſacrum templum ſeruis & mendicis pateat, liberque illis ad dominum ſuum deprecandum detur introitus, mihi autem non modò ad illum locum, verùm etiam ad cœlum ipſum acceſſus præcluſus ſit. Nam venit mihi in mentem ſententiæ à Domino prolatæ, quæ palam dicit: Quemcunque ligauerit ſu-

Matth. 6. tis ſuper terram, erit ligatus & in cœlis. Cui Ruffinus, curram, inquit, ſi placet, ad epiſcopum, ei ſupplicabo, perſuadebo q̃ue vt tua ſoluat vincula. At non eſt, inquit, Imperator, tibi morem geſturus. Noui enim adeò iuſtam æquamq; Ambroſij eſſe ſententiam, vt non metu poteſtatis imperatoriæ ſit legem diuinam violaturus. Verùm cum inſtaret Ruffinus, pollicereturq̃ue ſe Ambroſio perſuaſurum, Imperator iubet properè abire: ipſeq̃ue falſa ſpe inductus, & Ruffini confiſus promiſsis, paulò pòſt ſequitur. Vt primum autem Ruffinum Diuus vidit Ambroſius, videris mihi, inquit, Ruffine canum impudentiam imitari. Nam tametſi tuo ſuaſu tam crudelis facta eſt cædes, tu tamen ita perfricuiſti os, vt nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei inſaniuiſſe. Vbi verò Ruffinus obnixè eum orauerat, dixeratq̃ue Imperatorem breui eò venturum, Sanctus Ambroſius diuino zelo accenſus, ego, inquit, Ruffine, prædico me illum ab introitu ſacri veſtibuli prohibiturum. Quòd ſi imperium mutarit in tyrannidem, cædem lubens equidem excipiam. Quibus auditis, Ruffinus Imperatori per internuntium ſignificat, hortaturq̃ue vt maneat in palatio. Quæ cum Imperator in medio foro accepiſſet, eo, inquit, illuc nihilominus, quò iuſtas debitaſq̃ue contumelias ſub eam. Vbi verò ad ſacros templi parietes aduenit, non ingreditur in templum ille quidem, ſed ad epiſcopum, qui in ędicula ſalutatoria ſedebat, accedens, obſecrat, vt vincula ſibi ſoluat. At Ambroſius eius aduentum dixit eſſe tyrannicum, eumq̃ue ipſum contra Deum inſanire, & illius leges proterere. Tum Imperator, non obſtinato animo, inquit, leges ſancitas impugno, neque ſacra veſtibula per nefas introire cupio, ſed oro, vti mihi ſoluas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui eſt dominus omnium, & ne mihi occludas ianuam, quam ille omnibus, quos peccatorum ſuorum pœniteat, patefecit. Cui Ambroſius, quam tu, inquit, pœnitentiam, poſt tam graue ſcelus admiſſum, oſtendis? Quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia curatu ſananda adhibuiſti? Tuum eſt, inquit Imperator, medicamenta oſtendere, eaq; temperare, & vulnera, quæ ęgrius curantur, obligare: meum autem, quæ ſunt adhibita, accipere. Tum Diuus Ambroſius, quoniam, inquit, iracundiæ permiſiſti iudicium, & non rectæ rationi, ſed animo irato obſecutus, ſententiam pronunciaſti, conſcribe legem, qua deinceps ſententiæ per iracundiam pronunciatæ irritæ ſint & nullius momenti: cognitioneſq̃ue cauſarum de cæde, & publicatione bonorum ad triginta dies ſcriptis proditæ maneant, vti recta ratione de illis iudicium des. Atq; diebus illis confectis, qui decreta illa ſcripſerint, mandata tua tibi oſtendant. Ac tum quidem compreſſa iracundia, ratione ſola cauſam expendens, inquires in decreta, & ita perſpicies iniquáne ſint, an æqua. Quòd ſi iniqua deprehenderis, certum eſt ea decreta ſcriptis mandata te dilaceraturum: ſin æqua, confirmaturum, ſicq̃ue manifeſtò intellecturum, numero dierum interiectarum, nihil de authoritate decretorum rectè ſancitorum omnino detractum eſſe. Iſtud conſilium Imperator, quoniã prudentiſsimum eſſe cenſebat, libenter amplexatus, iubet extemplo legẽ conſcribi, ſuaq̃ue ſubſcriptione confirmat. Qua re confecta, Diuus Ambroſius eius vincula ſoluit. Itaq; Imperator fideliſsimus in ſanctum templum ingreſſus, non ſtans Dominum precatus eſt, neque genibus flexis, ſed pronus humi abiectus, verſum illum Dauidis recitauit: Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me Pſal. 118. ſecundum verbum: atque capillum manibus lacerans, frontem ferire, lachrymarum guttis ſolum rigare, veniamq̃ue ſupplex petere cœpit. Vbi autem tempus poſtulauit, vt dona ſacræ menſæ offerret, ſurgit, atque non minorem lachrymarũ vim, quàm antea, effundens, in ſanctuarium ingreſſus eſt. Cum verò dona, vti ſolebat, obtuliſſet, intus prope cancellos manſit. At rurſus magnus ille Ambroſius non conticuit quidem, ſed locorum differentiam eum docuit. Ac primum ſciſcitatur, ecqua re egeret. Et cum reſpõdiſſet Imperator, ſe expectare diuinorum myſteriorum perceptionẽ, ſignificauit illi per primarium diaconum, qui ei miniſtrabat, ad loca interiora ſolis ſacerdotibus aditum patere, eademq̃ue à lijs omnibus inacceſſa eſſe, nec debere tangi. Iubet igitur, vt exeat, & cum reliquis laicis conſiſtat. Nam purpura, inquit, Imperatores, non ſacerdotes efficit. Quam admonitionem itidẽ excepit lubens Imperator fideliſsimus: reſponditq̃ue ſe non animi confidentia inductum, manſiſſe intra cancellos, ſed hanc conſuetudinem Conſtantinopoli didiciſſe. Quare habeo, inquit, etiam pro hac medicina gratiam. Tantis & tam eximijs virtutis ornamentis enituit, tum epiſcopus, tum Imperator. Vtrunque enim admiror, alterum propter ingenuam loquendi libertatem, alterum propter facilem obedientiam, & illum propter diuini zeli ardorem, hunc autem propter ſynceram fidem. Imperator autem pietatis præcepta, quæ ab illuſtri illo epiſcopo didicerat, etiam cum reuertiſſet Conſtantinopolim, obſeruauit. Nam cum diuino quodam feſto ad templum denuo veniret, ſtatim vt dona ſacræ menſæ obtulerat, exiuit. Atque cum Nectarius, qui id temporis illius eccleſiæ antiſtes fuit, rogaret, cur non maneret intus, gemens, inquit, ægrè tandem didici, quid inter Imperatorem interſit, & Epiſcopum: ægrè tandem repperi veritatis magiſtrum. Nam ſolum Ambroſium noui Epiſcopum, dignum eo nomine. Tantum cõmodi reprehenſio à viro virtute præſtanti adhibita ſecũ apportare ſolet.

De Placilla Imperatrice. C A P. X V I I I.

A Alia porrò cauſa ſuppetebat huic Imperatori, ex qua ſimiliter vtilitatis ꝓcepit nõ parum,

parum. Nam coniunx eius nunquam deſtitit diuinas leges ei in memoriam redigere, ſeq̃ue primum eiſdem accuratè ipſa erudierat. Siquidem ea non imperatorio principatu ſe inſolenter extulit, ſed diuinum, quo flagrabat, deſiderium augere ſtuduit. Quippe beneficij mangnitudo amorem erga dominum multo reddidit ardentiorem. Itaque ad eos ſubleuandos, qui mutilata corpora, membraq̃ue omnia labefactata haberent, nihil non diligentiæ & curæ adhibuit, atque ad eam rem non ſeruorum, ſeu ſtipatorum opera vſa eſt, ſed illa ipſa hoc fungi miniſterio, adire eorum hoſpitia, & ſingulis neceſſaria ſuppeditare voluit. Simili quoque ratione eccleſiarum hoſpitia viſere, ægrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, iuſculum guſtare, patinam illis deferre, frangere panem, offas porrigere, eluere pocula, omnia denique alia munera obire, quæ ſerui & ancillæ exequi ſolent. Atque illis, qui eam ab hoc genere miniſterij auocare ſtuderent, reſpondit, aurum diſtribuere decere Imperatorem: ſe autem pro ipſo imperio ei, qui id ipſum dederat, illam operam offerre debere. Quinetiam percrebrò ſolet marito dicere: ſemper te, mi vir, oportet cogitare, qui olim fueris, & qui iam ſis. Iſta aſsiduè animo complectens, non te ingratum oſtendes erga patronum, ſed imperium, quod ſuſcepiſti, iuſtè & legitimè gubernabis, atque eo ritè adminiſtrando eum, qui ipſum donauerit, auguſtè ſancteq̃ue coles. Eiuſmodi ſermonibus ſemper cum viro habitis, ſemina virtutum animo eius mandata, præclariſsimè commodiſsimeq̃ue rigauit.

De ſeditione Antiochiæ ſuſcitata. C A P. X I X.

IStа quidem ante virum migrauit è vita: poſt cuius mortem, non ita diu, facinus quoddam fortè fortuna commiſſum accepimus, quod incredibilem amorem Imperatoris, quo eam complexus eſt, perſpicuè patefecit. Imperator crebritate bellorum coactus, nouum quoddam & peregrinum tributi genus ciuitatibus impoſuit: quod quidem Antiochia non tulit, ſed plebs, cum videret eos, à quibus exigebatur tributum, propter inficiationem ſuſpendi, cum alia patrat maleficia, quæ multitudo imperita occaſionem ſeditionis nacta, patrare ſolet, tum ſtatuam æneam omni genere laudis exornandæ Placillæ (id enim nomen imperatrici fuit) deturbat, & per magnam vrbis partem trahit. Quibus auditis, Imperator, vt par erat, grauiter cõmotus, omnia priuilegia vrbi illi adimit, & principatum Laodiceæ vicinæ ciuitati tribuit. Quippe iſtud Antiochenos ægerrimè laturos (Nam Laodicenſes ab antiquis iam temporibus aduerſus Antiochenos graui inuidia exarſerant) exiſtimauit. Poſtremò ſe vrbem incenſurum, penituſq̃ue vaſtaturum minatur, atque adeo in pagum redacturum. Porrò magiſtratus quoſdam, in illo audaci facinore deprehenſos, prius interfecerunt, quàm de ipſa tragica clade Imperator certior factus eſſet. Imperator autem, quanquam omnia quæ fuerat minatus, imperauit fieri, tamen lex, quæ hortatu magni illius Ambroſij lata erat, obſtabat, quo minus fierent. Vbi verò nuncij, qui vrbi Imperatoris minas exponerent, eò adueniunt, nempe Elebechus, id temporis dux exercitus, & Cæſarius præfectus palatij, quem Romani magiſtrum aulę vocant, omnes minis illis perterriti in magno metu erant. At virtutis athletæ, qui ad montis radices habitabant, quiq̃ue permulti erant, & viri optimi, hos duos & monere & hortari cœperunt. Ex quorum numero fuit ſanctiſsimus Macedonius, vir tum rerum, quæ in communi vita geruntur, inſcius, tum literarum ſacrarum prorſus ignarus. Iſte in montium verticibus vitam agens, noctes dieſq̃ue omnium Seruatori ſynceras preces offerre ſolet: qui neque Imperatoris violentiam pertimeſcere, neque de poteſtate eorum, qui miſsi erant, laborare viſus eſt, ſed in media vrbe, prehenſo alterius pallio, ambos ex equis deſcendere iubet. Illi verò cum viderent ſenem ſtatura exigua, pannis ſordidis amictum, primò indignari quidem: Sed vt primum à quibuſdam eorum, qui antecedebant, viri illius virtutem didicerant, deſilire de equis, illius genua amplecti, veniam denique petere cœperunt. Macedonius diuina imbutus ſapientia, tali oratione eos compellat.

Dicite, viri chariſsimi, Imperatori hæc verba: Non ſolum Imperatorem eſſe, verùm etiam hominem. Itaque ne oculos tantummodo ad imperium adijciat, ſed ſuam ipſius naturam mente complectatur. Nam cum homo ſit, illis imperat, qui ſunt eiuſdem naturæ participes. Humanam autem naturam ad imaginem & ſimilitudinem Dei fabricatam eſſe. Quare ne tam crudeliter & inhumanè imaginem Dei è medio tolli iubeat. Nam bilem mouet opifici, cum eius imaginem contumelioſe tractet. Conſyderet enim quàm iniquo animo tulerit ipſe æneam coniugis imaginem contumelia affectam eſſe, ſe tamen in imaginem Dei contumelioſum eſſe non dubitare. Ac quantum interſit inter imaginem inanimã & animatam, viuam, & rationis compotem, omnibus, qui ſunt mente præditi, perſpicuum eſt. Illud præterea ſecum cogitet, nobis perfacile eſſe, pro vna ænea imagine, multas fabricari, ſed eum non omnino poſſe facere vel pilum vnũ illorum, qui interfecti ſunt. Hac audita oratione, viri illi admirabiles eam ad Imperatorem retulerunt: qua cum eius iracundiæ flamma reſtincta eſſet, pro minis, quas iactauerat, ſcripſit literas, quibus ſe purgaret, iræq̃ue cauſam in illis expoſuit. Non oportebat, inquit, ſi quid à me peccatum eſſet, coniugem, mulierem ſummis laudibus meritò decorandam, poſt mortem tantã contumeliam ſubire, ſed ſi qui mihi ſuccenſuiſſent, in me furentis animi impetus conuertiſſe debuerant. Adiunxit etiam ſe acerbè tuliſſe, & valde

valde animi discruciatum esse, cum intellexisset quosdam à magistratibus trucidatos fuisse. Ista quidem à me sunt propterea commemorata, quòd tum iniquum putabam, vt libertas loquendi à Macedonio monacho longè præstantissimo vsurpata, obliuione deleretur, tum perutilem illam legem magni Ambrosij suasu conscriptam, omnium oculis subijcere cupiebam.

De Idolorum delubris vndequaq; dirutis.
CAP. XX.

HIS confectis rebus, Imperator fidelissimus omne suum studium ad errorem Gentilium euertendum transtulit, legesque promulgauit, quibus imperatum erat, vt simulachrorum fana diruerentur. Nam Constantinus Magnus omnibus laudis præconijs meritò efferendus, qui primus imperium vero Dei cultu exornare studebat, videns adhuc orbem terrarum cæco errore furentem, tametsi vetuit omnino dæmonibus immolare hostias, non tamen eorum delubra demolitus est, sed mandatum solum dedit, ne quisquam ad ea accederet. Quinetiam istius filij sunt paterna diligenter persecuti vestigia. Iulianus autem impietatem renouare, & flammam veteris fraudis iam pridem extinctã de integro accendere laborauit. At contra Iouianus imperio potitus, simulachrorum cultum omnino vetuit. Valentinianus quoq; ille magnus, eisdem legibus Europam præclare gubernauit. Cæterùm Valens sicut alijs omnibus permisit potestatem eam quam vellent religionem amplectendi, & eos colendi Deos, quos ipsi pro Deis haberent, ita aduersus solos doctrinæ Apostolicæ propugnatores bellũ continenter gessit. Itaque toto tempore, quo ille regnabat, ignem in aris accendere, libamenta, & hostias simulachris immolare, celebrare quoque in foro epula, Gentiles non destiterunt: quinetiam mysterijs Bacchi initiati, cũ scutis cursitare, dilacerare canes, furere, bacchari, alia denique agere, quæ magistri sui improbitatem satis apertè declarabant. Quæ omnia cum fidelissimus Imperator pro certo comperisset, extirpauit radicitus, & sempiterna obliuione obruenda curauit.

De Marcello Apameorum episcopo & fano Iouis ab eo deiecto. *CAP. XXI.*

ATque ex episcoporum numero Marcellus, vir in rebus omnibus longè præstantissimus, lege, tanquam machina bellica, omnia delubra vrbis, cuius episcopatũ ipse administrabat, prorsus expugnauit. Qua in re gerenda fiducia in Deum potius, quàm multorum hominum manu adiutus est. Atq; hoc loco facinus in primis memorabile ab eo factum narrabo. Vbi Ioannes, episcopus Apameæ, cuius antè feci mentionem, mortẽ obierat, in eius locum diuinus Marcellus, vir spiritu, vt Apostoli præceptio vult, efferuescens, substitutus est. Venit fortè Apameã prefectus Orientis, duobus ducibus cũ duobus hominum millibus comitatus. Qui quidem, plebe propter metũ sibi à militibus iniectũ quiescẽte, delubrum Iouis, quod amplissimũ fuit, & multis ac varijs ornamentis illustratũ, deturbare aggreditur. Verùm cum structuram eius valde solidam & firmè compactam cerneret, existimauit lapidum coagmentationem nullo modo posse dissolui. Nam lapides erant grandissimi, arctè inter se iuncti, & ferro præterea ac plumbo colligati. Qua re præfectum deterritum cum videret diuus Marcellus, eum ad alias vrbes amandauit, ipseque Deum impensè precatus est, vt viam sibi ad illius delubri euersionem aperiret. Itaque primo mane, vir quidam, qui neque architectus, neque lapidarius fuit, neque vllam aliam artem nouit, sed lapides & ligna humeris portare assueuerat, sua sponte eò venit. Qui vt accessit, pollicitus est se delubrum facillime demoliturum, solumque mercedem postulauit, qua duos opifices conduceret. Quam simul atque sanctus episcopus ei daturum promiserat, eiusmodi quiddam excogitauit homo ille. Delubrum habebat porticum quadratam erectam in sublime, sibique adiunctam. Hanc sustentabant columnę maximè pares proportione ipsi templo: ambitus autem cuiusque sedecim cubitorum fuit. Lapis, ex quo erant fabricatæ, natura durissimus, nec facile lapidariorum instrumentis cedens. Quarum singulas cum vndique suffodisset iste, & ædificia illis innixa tignis oleagineis suffulsisset, ad aliud eodem modo transijt. Nam tribus columnis ad hunc modum suffossis, nijcit tignis flammam. Verùm dæmon quidam ater apparens, tigna, vt eorum fert natura, igne absumi non patitur, sed impetum flammæ cohibet. Vbi vero istud sæpius egerant, videbantque machinam illam frustra admotam, episcopo sub meridiem fortè dormienti rem indicant. Ille confestim ad sanctum Dei templum properè contendit, aquam in vase afferri iubet, quam sub sacrosancto altari ponit. Ipse autem humi in faciem prostratus, Dominum benignum & clementem precatur, ne tyrannidem dæmonis longius serpere permittat, sed tum eius patefaciat imbecillitatem, tum suam ipsius potentiam ostendat, ad eum finem, vt infidelibus nulla maioris cæcitatis inde detur occasio. Hæc & alia his similia locutus, cum aquam signo crucis signasset, Equitium, vnum ex diaconis, fide & pietatis studio egregiè munitum, aquam iubet accipere, ocyus ad delubrum currere, & cum fide eam spargere, tignisque flammam adhibere. Qua re confecta, dæmon aquæ aspersæ vim non ferens, penitus aufugit. Ignis autem aqua suæ naturæ maximè aduersaria, velut oleo fotus, tigna occupat, eaque momento temporis prorsus absumit. Itaque columnæ, basi sublata, corruunt, aliasque duodecim secum deijciunt. Ipsum præterea templi latus columnis cohærens, violento illarum casu pariter deturbatum est. Cuius ingenti fragore tota adeo personabat ciuitas, vt omnes ad ipsum illud delubrum spectandum concurrerent. Atque simul vt intellexere dæmonem infestum fugatum esse, hymnorum concentu, vno ore omnes celebrarunt. Eodem modo sanctus ille episcopus, alia quoque simulachrorum fana demolitus est. Quanquam alias res ab isto viro cum maxima omnium admiratione gestas narrare possum (etenim literas tum ad inuictos Christi martyres dedit, tum recepit ab illis vicissim, tum denique corona martyrum ipse donatus est) tamen has in præsentia narratione supersedeo, ne cum nimis sim lõgus, afferam lectoribus fastidium. Quare ad aliam rem gestam commemorandam sermonem conuertam.

Rom. 12.

De Theophilo Alexandrino episcopo, & quæ illic in Idolorum demolitione gesta fuerunt.
CAP. XXII.

AThanasio illi multorum celebrato sermonibus Petrus, vir planè admirabilis, successit. Petro autẽ Timotheus: Timotheo Theophilus, vir cum summa prudentia, tum animo valde excelso præditus. Cuius opera vrbs Alexandria errore in simulachris colendis liberata est. Nam non modò simulachrorum delubra, concussis eorum fundamentis, diruit, verùm etiam subdolas sacerdotum vereratorum machinationes eorum oculis, quos in fraudẽ deduxerant, subiecit ad contemplandum. Etenim sacerdotes isti statuas, quarum pars æneæ, pars ligneæ fuerunt, cauas introrsus effecerant, tergaque eorum parietibus affigentes, vias quasdam latentes & obscuras per ipsos parietes ad illas diduxerant. Deinde per adyta fanorum in eas ingressi vias, se in statuas ipsi abdiderant, indeque velut ex statuarum ore, quæ libitum ipsis erat, imperarunt. Quibus auditores circumuenti, imperata fecerunt. Has igitur sapientissimus Episcopus demolitus, sacerdotum præstigias, populo ab illis decepto aperuit. Porrò autem in fanum Serapidis, quod omnium, quæ erant in toto orbe terrarum, amplissimum, vt fertur, & pulcherrimum fuit, ingressus, vidit statuam adeo immani magnitudine, vt spectatores ea vehementer perterrerentur. Et præter magnitudinem, falsus quidam rumor affictus fuit, terræmotum, si quis ad eam propius accederet, suboriturum, exitiumque omnibus inde allatum iri. At verò episcopus hunc rumorem nihil aliud esse, quàm anicularum ebriarum delirationem arbitratus, spreta magnitudine statuæ, vtpote inanimæ, dat mandatum cuidam, qui securim habebat, vt alacri ac prompto animo Serapidem feriat. Qui cum statuam percussisset, conclamare omnes, veriti nimirum rumorem vulgò iactatum. At Serapis, accepta plaga, neque dolore, quia ligneus, neque vocem emittere, quia inanimus fuit. Postea verò quàm caput illi abscissum est, mures ex interiore corporis parte gregatim excurrere. Quippe Aegyptiorum deus murum domicilium fuit. Trunco autem statuæ in minutas particulas dissecto, hæ in rogum conijciuntur. At caput, inspectantibus illis, qui statuam illam coluerant, imbecillitatemque dei sui deridentibus, per vniuersam vrbem raptatur. Hoc modo igitur dæmonum delubra terra marique solo fuere æquata.

De Flauiano Antiocheno episcopo, & Occidentalium partium propter Paulinum seditione.
CAP. XXIII.

FLauianus verò, qui vnà cum Diodòro in multa atque ardua certamina pro ouium Christi salute descenderat, in præsulatu Antiocheno Magni Meletij successor fuit. Atque cum Paulinus ecclesiæ administrationem capessere vellet, cœtus sacerdotum restitit: dixitque eum, qui consilium Meletij repudiauerat, post mortem eius, non debere illius sedem occupare: imò verò qui multis ac præclaris nobilitatus erat laboribus, & quàm plurimis periculis se pro ouibus obtulerat, eum pastorem creandum esse. Quæ res Orientium à Romanis, tum ab Aegyptijs odiũ valde diuturnum peperit. Nam ne Paulino quidem iam mortuo, simultas compressa est, sed cum Euagrius eius sedem post illum obtinuisset, non destiterũt inimicitias cum Magno Flauiano exercere, idque cum Euagrius contra legem ecclesiæ designatus esset. Quippe solus Paulinus eum ordinauerat: in qua re complures simul canones violauit. Siquidem canones neque faciunt potestatem cuiquam iam mortem oppetituro, quenquam in locum suum sufficere: atque omnes prouinciæ episcopos iubent in vnum ad eam rem conuocari. Quinetiam vetant rursus quenquam absq; tribus episcopis, episcopum constitui. Attamen horum nihil scire cupientes, Euagrij communionem sunt illi quidem amplexati, Imperatorisque animum contra Flauianum incitare obnixè studuerunt. Nam cum Imperatori nimis acriter instando multum sæpe exhibuissent molestiæ, accersit eum Constantinopolim, & Romam proficisci iubet. At Flauianus respondet hyemem iam esse. Itaque pollicitus se ineunte vere imperata facturum, in patriam reuertit. Sed episcopi Romani, non Damasus solum ille admirabilis, verùm etiam post illum Syricius, & Anastasius Syricij successor, vehementius in Imperatorem inuecti essent, dixissentque eum illos, qui tyrannidem contra se exercere molirentur, opprimere, sed his qui per tyrannidem Christi leges euertere studerent, impunitatem concedere, eum accersit denuo Imperator, Romamque vt contendat, cogere laborat. Tum sapientissimus Flauianus liberè ei non sine maxima omnium laude respondet: Si qui me, ò Imperator, vt fidem minimè synceram ac sanam profitentem insimulent, dicántue vitam me traducere indignam sacerdotio, cum illis ipsis iudicibus vtar, tum pronunciatam ab eis lubens subibo sententiam: sin autem de sede & præsulatu digladientur,

entur, neque agam cum illis iudicio, neque his, quos eam dignitatem adipiscendi studium tenet, aduersabor, sed cedam equidem volens, meque ipse præsulatu abdicabo. Quare tu, cui libitum est, sedem Antiochenam tribuito. At verò Imperator hanc eius animi magnitudinem & sapientiam magnopere admiratus, in patriam reuerti, & ecclesiam sibi commissam sedulò pascere iubet. Longo vero iam tempore intermisso, Imperator Romam denuò aduentans, in idem crimen rursus ab episcopis vocatus est, quòd scilicet tyrannidem Flauiani non represserat. Tum Imperator eos dicere iubet, quod sit tyrannidis genus. Nam ipse, inquit, Flauiani partes suscipiam, & causam eius agam in iudicio. Cum autem illi responderent, se non posse cum Imperatore iudicio disceptare, hortatur, vti deinceps concordiam in ecclesia constituant, dirimant lites, & inanis contentionis flammam extinguant. Nam Paulinum iam pridem è vita excessisse, & Euagrium contra leges ecclesiæ designatum fuisse episcopum: quinetiam omnes ecclesias Orientis Flauiano præsuli adhærescere. Atque præter eas, Asianam præterea diœcesim, Ponticam & Threijciam cum eo communicare, eique se addixisse. Illyriam porrò vniuersam agnoscere eum inter episcopos Orientis principatum obtinere. Huic hortationi obsecuti episcopi occidentis, promittunt se simultatem depositurosq; & legatos, qui à Flauiano mitterentur, admissuros. Qua re intellecta, Diuus Flauianus episcopos quosdam illustrissimos, presbyteros etiam Antiochiæ, & diaconos Romam misit. In qua legatione principem locum tenebat Acacius episcopus Bercœæ oppidi Syriæ, vir omnium ore ac sermone passim celebratus. Qui vnà cæteris Romam aduentans inimicitias ad decem & septem annos continuatas extinxit, ecclesiasq; pacem restituit. Qua re audita, Aegyptij quoque, odio sedato, sunt concordiam amplexati. Id temporis Innocentius, successor Anastasij, ecclesiæ Romanæ antistes fuit, vir ingenij & prudentiæ ornamentis egregiè instructus: Alexandrinæ autem Theophilus, de quo suprà meminimus.

De Eugenij tyrannide, & Theodosij Imperatoris obsidei ipsius meritum victoria.
CAP. XXIIII.

AD hunc modum fidelissimi Imperatoris opera, pax in ecclesijs constituta est. Ante quod tempus idē Imperator, cognita morte Valentiniani, & Eugenij tyrannide, in Europam exercitum traducit. Eodem tempore Ioannes quidam monasticum vitæ genus excolens, vixit in Aegypto: qui gratia Spiritus sancti imbutus, sciscitantibus multas res futuras prædixit. Ad istum misit Imperator nuntium quæsitum, an bello (aiebat enim de eo fieri certior) cum tyrannis decertaret. Qui vti prædixerat eum in priore bello victoriam sine sanguine potiturum: sic in posteriore post multam hominum cædem superiores laturum præsignificauit. Qua spe inductus Imperator, complures ex hostibus acie instructa telis confixit, multosque ex Barbaris, qui ei auxilio venerant, amisit. Ibi cum duces dicerent nimis paucos ad prælium de integro ineundum superesse, hortarenturque, vt bellum aliquandiu intermitteret, quò ineunte vere, exercitu collecto, hostes multitudine deuincerent, Imperator fidelissimus eorum consilium repudiauit. Nam non committendum est, inquit, vt salutaris crux tantæ arguatur imbecillitatis, Herculisque statuæ tantum virtutis nostro testimonio tribuatur. Quippe vt crux nostrum exercitum, ita illa hostium antecedit. Qua oratione cum tanta in Deo fiducia habita, cum copiæ relictæ & paucæ admodum essent, & animis fractæ, sacra æde in vertice montis, vbi castra fecerat, reperta, totam noctem huius vniuersitatis gubernatorem precibus solicitauit. Sub tempus autem noctis, quo galli cantare solent, somnus eum oppressit. Qui humi stratus, videre sibi visus est duos viros candido vestitu amictos equis albis vehi, qui ipsum bono animo esse, timorem abijcere, prima luce arma capere, & exercitum in aciem educere iubent. Nam se auxiliares & velut antesignanos ad eum missos esse, & alterum esse Ioannem Euangelistam, Philippum Apostolum alterum. Hac oblata visione, Imperator preces fundere non desistit, sed attentiore cogitatione eas Deo adhibet. Eadem quoque visio, militi secundum quietem apparuit, qui præfecto suo eam narrauit: ille eum deducit ad tribunum militum, tribunus autem ad ducem. Dux noui aliquid inde portendi ratus, Imperatori significat. Tum Imperator, non mea, inquit, causa hæc oblata est visio (ipse namque illis, qui victoriam promiserant, fidem habui) sed ne quispiam existimaret me, vtpote prælij faciendi cupidum, eam confinxisse. Huic igitur militi Deus mei imperij propugnator hanc obtulit visionem, vt mihi eandem narranti certum testimonium daret. Nam mihi primum communis omnium dominus illam ostenderat. Quare omni metu prorsus amoto, antesignanos nostros, & principes belli gerendi sequamur: atque nemo bellantium multitudine metiatur victoriam, sed eorum potentiam, qui se duces nobis præbent, quisque consyderet. Hac oratione militum animis valdè confirmatis, omnes de monte deducit. Tyrannus autem, cum videret milites procul à se ad prælium ineundum paratos, ornat exercitum, & aciem instruit. Ipse verò colle quodam occupato, ait militibus suis, Imperatorem iam quasi mori cupientem, & desiderio ex hac vita abeundi flagrantem prælio decertare. Dat igitur mandatum ducibus, vt eum viuum ad se & vinculis constrictum adducerent. Postea verò quàm phalanges ordine locatæ erant, satis anima duerti poterat, tum quàm ingentes hostium copiæ essent, tum quàm paucæ cum imperatore in acie iungerentur. Cum autem tela vtrinque conijci cœpta sunt, tum antesignani imperatoris verè promissa præstitere. Nam ventus violentus è regione hostibus irruens, illorum sagittas, iacula spiculaque in ipsos retorquet, adeò vt nullum teli genus eis adiumento fuerit, neque miles grauis armaturæ, neque sagittarius, neque iaculator imperatoris exercitum lædere potuerit. Quinetiam tanta puluerис copia in eorum facies impetu ferebatur, vti palpebras occludere, & pupillas oculorum puluerис vi grauiter oppugnatas tegere ac tueri eos coegerit. Imperatoris autem exercitus, nullo damno incommodóue ex illa turbine accepto, fidentibus animis hostes trucidant. Qui quidem, his rebus perspectis, & diuino auxilio quod imperatoris copijs allatum erat, cognito, abiectis armis, veniam ab imperatore supplices petunt. Ille autem flexit animum, & illorum misericordiam capit: iubet denique tyrannum celeriter ad se adduci. Illi igitur properè collem ascendunt, in quo tyrannus ignarus rerum iam gestarum considebat. Qui cum eos anhelantes videret, ipsaque anhelitus crebritate aduenientiadi indicantes celeritatem, victoriæ nuntios esse suspicatus est. Rogat num Theodosium, vt illis erat imperatum, vinctum adducerent. Cui illi, non eum, inquiunt, adducimus ad te, sed te hinc ad eum abducimus. Hoc namque in mandatis dedit summus huius vniuersitatis moderator Deus. Quæ cum dixissent, ei è solio erepto vincula inijciunt, abducunt vinctum, & qui paulò antè insolenter gloriatus fuerat, captiuum ad Theodosium deducunt. Imperator autem primùm iniuriarum in Valentinianum, & impiè occupatæ tyrannidis eū in memoriam reuocat. Deinde bellorum contra imperium legitimum susceptorum causa cum irrisione reprehendit. Reprehendit etiam statuam Herculis, qua fretus tam audax temerariumque facinus admiserat. Postremo iustam equamq; de supplicio illi irrogando sententiam pronuntiat. Talē se Theodosius tum in pace, tum in bello præstitit: quippe semper diuinum implorauit auxilium, semperque illud consecutus est.

De Theodosij Imperatoris morte.
CAP. XXV.

HAc parta victoria, Theodosius in morbum delapsus, filijs imperium distribuit: ac maiori natu eam partem, quam ipse rexerat, minori autem Europæ tradit gubernacula. Vtrumque veram pietatem colere hortatur. Ea enim & pacem conseruari, bellum extingui, hostes in fugam verti, trophea erigi, & victoriam denique constare. Hac hortatione filijs adhibita, obijt mortem, cuius gloria sempiternæ memoriæ commendata est.

De Honorio Imperatore, & Telemacho monacho. *CAP. XXVI.*

FIlijistius Imperatoris, sicut successores paterni imperij, ita pietatis illius heredes extiterunt. Nā Honorius Europæ potitus imperio, pugnas gladiatorias quæ Romæ olim fieri consueuerant, tali inductus occasione sustulit. Telemachus quidam vitam excolens monasticam, profectus ex oriente, hac de causa Romā contendit. Ac dum sceleratum illud edebatur spectaculum, in stadiū ipse ingreditur, atq; ad gladiatores descendens, mutuam inter eos dimicationem sedare nititur. Itaque crudelis cædis spectatores accensi iracundia, & à dæmone, qui ex illa sanguinis effusione voluptatē capiebat, ad furorem impulsi, pacis authorem lapidibus obruerunt. Qua re cognita, Imperator admirabilis Telemachum in martyrum inuictorum numerum ascripsit, crudele aūt illud spectaculi genus penitus sustulit.

De Arcadij Imperatoris pietate, & Ioannis Chrysostomi ordinatione. *CAP. XXVII.*

CONstātinopoli autem, mortuo Nectario, qui illam gubernarat ecclesiam, Arcadius, cui illa imperij pars obuenerat, cum Ioannem, eximij orbis terrarum luminare Antiochiæ in cœtum presbyterorum ascitum intellexisset, accersit ad se, & ab episcopis in vnum conuocatis contendit, vt eum consecrent episcopum, & præclarę illius vrbis pastorem constituant. Hoc vno argumento imperatoris ergaras diuinas studiū satis declarari potest. Per idem tempus Antiochiæ antistes fuit Flauianus, Laodiceę autem Elpidius, qui vixerat vnà cum magno Meletio, eiusq; vitæ rationem accuratius repræsentauit, quàm cera formas ab annulis in ea impressas solet. Iste magno Pelagio successit: Diuo autem Marcello successit Agapetus, vir cum primis excellens, quem tempore, quo hæreticæ ingruebant procellæ, in palæstra monastica magnam laudem adeptum supra demonstraui. Seleuciæ autē ad radices montis Tauri sitæ episcopus, Maximus fuit Ioannis illius illustris condiscipulus: Mopsuestiæ Theodorus. Ambo doctores erāt insignes. Diuus porrò Acacius cum prudentia, tum vitæ ratione clarus, Ecclesiam Bercœæ rexit. Galatiæ pastor fuit Leōtius, vir multis virtutis generibus insigniter exornatus.

De diuina huius episcopi in loquendo libertate.
CAP. XXVIII.

MAgnus ille Ioannes, susceptis ecclesiæ Constantinopolitanæ gubernaculis, cœpit iniqua quorundam facinora grauiter coarguere, imperatorem eiusque coniugem salutariter admonere, orare sacerdotes, vt ex præscripto legum ab ecclesia sancitarum vitam instituant: eos autem, qui istas temere violare aggrediebantur, aditu sanctuarij prohibere. Nam non est æquū, inquit, vt sacerdotali honore fruantur, hi, qui vitā eorum, qui sunt verè sacerdotes, non studiosè imitentur? Atque hoc modo prospexit, non illi solū ciuitati, verùm etiā toti Thraciæ, quæ est in sex episcopatus diuisa, & cunctę etiam Asiæ, quę vndecim habet

bet antiſtites. Ponticam præterea eccleſiam, quæ eundem habet epiſcoporum numerum, quem Aſia, eiſdem legibus adornauit.

De fanis Idolorum in Phœnicia ab eo deiectis.
CAP. XXIX.

POrrò cum certior factus eſſet, Phœniciam etiamnum ad nefaria dæmonum myſteria celebranda cæco furore ferri, monachos diuino pietatis ſtudio inflammatos, in vnum cogit. Eosque cum edictis imperatorijs ad ſimulachrorum fana demolienda mittit. Opificibus autem & eorum miniſtris, qui iſta deturbarent, mercedem non ex imperatoris prompſit ærario, ſed fœminas cum diuitijs circumfluentes, tum fide præclarè inſtructas induxit, vti ſumptus in eam rem (docuit namq; quanta laus ex tali largitione colligi ſoleat) affatim & liberaliter ſuppeditarẽt. Itaque reliqua dæmonum delubra hoc pacto ſolo æquanda curauit.

De Gotthorum eccleſia. *CAP. XXX.*

CVm videret præterea gentem Scythicam doctrinæ Arianę laqueis irretitam teneri, molitus eſt ſedulò inde eam eripere: ad quam prædam capiendam hanc viam excogitauit. Complures, quĩ eadem lingua loquebantur, presbyteros, diaconos, & lectores ordinauit, illisque vnam tribuit eccleſiam: quorum opera multos errore lapſos, eccleſiæ reconciliauit. Nam ille ipſe plerunque ad eam eccleſiam profectus, cum illis locutus eſt, interprete vtriuſque linguæ perito vſus: aliosque dicendi facultate inſtructos, ad idem ipſum faciendum induxit. Iſta quidem in vrbe illa præſtitit, compluresque errore imbutos, veritate doctrinæ apoſtolicæ explanata, ad viam ſalutis reduxit.

De prouidentia quam pro Scythis habuerat, & quo pacto Marcioniſtas inſectatus fuerat.
CAP. XXXI.

ITemque cum accepiſſet Scythas, qui Nomadæ vocantur, quique propter Iſtrum accolebant, ſitienter quidem ſalutem appetere, ſed habere neminem, qui ſitim ſuam ſalutaris doctrinæ fluentis reſtingueret, viros laborum apoſtolicorum imitatores conquiſiuit, eosque illis erudiendis præfecit, literas autem eius ad Leontium epiſcopum Ancyræ perſcriptas, quibus tum Scythas ad fidem conuerſos eſſe ſignificabat, tum orabat, vt viros idoneos ad rectam ſalutis viam illis monſtrandam mitteret, ipſe equidem perlegi. Porrò aũt vbi intellexit peſtiferam Marcionis hæreſin nõnullos in noſtra regione pagos occupaſſe, ſcripſit ad eum, qui id temporis epiſcopus illius eccleſiæ fuit, hortatus, vt hæreſim illam inde expelleret: atque quò ei in eo negocio exequendo adiumento eſſet, edicta imperatoris ad illum mittenda curauit. Sed de eccleſijs, more Diui Pauli apoſtoli, quàm animo ſollicito eſſet, ex his rebus geſtis ſatis conſtare poterit.

De Gainæ poſtulatione, & Ioannis Chryſoſtomi reſponſione. *CAP. XXXII.*

SVnt autem alia ipſius facta, quæ eius loquendi libertatẽ perſpicuè declarare queant. Exempli gratia: Gainas quidam genere Scytha, animo barbaro, inſolentia planè tyrannica per id temporis dux fuit, & non modò exercitui ex ſua gente collecto, verùm etiam vnà Romanis, tum equeſtribus, tum pedeſtribus copijs præfuit. Quem quidem non ſolum alij omnes, ſed etiam imperator ipſe (quippe eum tyrannidẽ moliri ſuſpicabatur) magnopere extimuit. Iſte labe aſperſus Ariana, poſtulat ab imperatore vnum ex ſacris templis ſibi dari. Imperator autem reſpondet ſe de ea re capturum conſilium, & vnum ei curaturum promittit. Itaque diuino illo Ioanne accerſito, ei poſtulatum Gainæ exponit, commemorat eius potentiam, moliri tyrannidem indicat, orat, vt templo donato furentem eius animum placet. Cui nobilis ille vir, ne, inquit, iſtud ei polliceare, neque ſanctum dare canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, vt qui deum verbum ſanctè & auguſtè laudibus & hymnis celebrant, expellantur è ſacro templo, idemque tribuatur his, qui contra eum loquuntur blaſphemias. Atque ne barbarum illum omnino metuas, imperator, ſed me & illum in vnum locum conuoca, tuque ſilentio vtriuſque noſtrum ſermoni auſculta. Ego certè me hominis linguam refrenaturum ſpero, perſuaſurumque ne poſtulet, quod ei concedi non debeat. Quibus auditis, imperator vehementer lætatur, & poſtridie eius diei vtrunque accerſit. Gainas quidem promiſſum expoſcit: magnus autem Ioannes reſpondet illi ex aduerſo: non licere imperatori, qui pietatem colere inſtituat, aliquid contra res ſacras temere moliri. Cui quidẽ dicenti templum ſibi dari oportere, reſpondet Ioannes, templũ ſacrum apertum eſſe, neminemque eum prohibere, quo minus in eo, ſi libeat, preces deo fundat. Tum Gainas, at ego, inquit, alterius ſectæ ſum, & cũ hominibus eius ſectæ vnum ſanctum templum habere pôſtulo. Atque iſtud quidem non immeritò peto, quippe qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At premia, inquit Ioannes, tibi ꝓpterea tributa labores tuos longè ſuperant. Nam dux es, & honore conſulari dignatus: quinetiam tecum debes conſiderare, quis fueris olim, & qui iam ſis: quæ etiam præterita tua inopia, & in qua iam abundantia vitam degas. Quibus quoque veſtimentis prius indutus eſſes, quàm Iſtrũ traieceris, & quibus iam opertus. Complectere igitur animo, quàm pauci ſint labores, & quàm ampla præmia: atque noli erga eos, qui tibi honorem hunc detulerint, ingratus eſſe. Hac oratione habita, Ioannes, celebris totius orbis terrarum doctor, os obturauit Gainæ, atque adeo obmuteſcere coegit. Temporis autẽ interuallo interiecto, Gainas tyrannidem, quam molitus fuerat, manifeſtò patefecit, atque collecto in Thra-

Thracia exercitu, prędas agere, & multa loca vaſtare cœpit. Quibus rebus cognitis, omnes cum magiſtratus, tum ſubiecti metu exhorreſcere: atque nemo erat, qui vel cum eo in acie conſligere animum induxerit, vel legationem apud eum obire ſe tuto poſſe exiſtimarit. Nam barbarum eius & crudelem animum quiſque ſuſpectum habuit.

De Chryſoſtomi ad Gainam legatione.
CAP. XXXIII.

ID temporis alijs omnibus velut metu perculſis relictis, itum eſt ad Ioannem, inuictiſſimum illum Chriſti bellatorem: ſuadetur ei, vt legatus ad Gainam proficiſcatur. Ille verò, nulla habita ratione vel diſceptationis contra Gainam antè ſuſceptæ, vel ſimultatis inde ortæ, prompto animo in Thraciam contendit. Quare Gainas, cognito legati aduentu, & animi eius alacritate pro pietatis defenſione conſyderata, longo interuallo ei lubens procedit obuiam, atque prehenſam illius dexteram oculis ſuis apponit, liberosque ſacra eius genua complecti cogit. Sic quidem virtus vel infeſtiſſimos afficere pudore, & obſtupefacere ſolet.

De ijs quæ propter Chryſoſtomum euenerunt.
CAP. XXXIIII.

VErùm inuidia illuſtrem ſapientiæ Ioannis ſplendorem nõ tulit, ſed ſuis machinis admotis, non vrbem Conſtantinopolim ſolum, verùm etiam vniuerſum orbem terrarum cum eloquentia illius, tum ſapientia orbauit. Ipſe equidem ad hanc hiſtoriæ partem iam oratione prouectus, neſcio quo animo affectus ſim. Nam dum iniurias ei illatas narrare inſtituo, virtutem eorum, qui illarum iniuriarum authores erant, nonnihil reuereor. Qua de cauſa eorum nomina ſilentio prętermittere animus eſt. Iſti quoniam varias cauſas habere videbantur, cur cum eo ſimultatem gererent, eximiam eius virtutem videre noluerunt, ſed miſeris quibuſdam accuſatoribus conquiſitis, tametſi crimen perſpicue falſum eſſe intellexerunt, tamen concilio longè extra vrbem conuocato, ſententiam aduerſus eum pronuntiarunt. Itaque imperator ſacerdotibus fidem adhibens, illum longe ab vrbe relegari mandat. Ioannes autem, cum neque accuſationem audiuiſſet, neq; ei reſpondiſſet, velut criminum ſibi illatorum cõuictus, vrbem deſerere cogitur, & Hieron oppidũ (ſic enim nauale illud nominatur) in oſtio Ponti ſitum contendere. Cum verò noctu terræmotus factus eſſet, & terror inde Imperatrici incuſſus, Conſtantinopoli vrbi Mariæ præmitttuntur prima luce legati ad Ioannem exulem, oratum vt quàm primũ ad vrbem redeat, periculumque ei impendens depellat. Poſt quos alij mittuntur legati: poſt illos etiã alij, adeo vt Boſphorus refertus eſſet legatorum turba. Vbi verò fideliſsimus populus iſtud intellexit, oſtium Propontidis nauigijs operuere. Omnes nanque cum cereis accenſis ei obuiam fiunt. Atque pro eo quidem tempore hoſtium illius coniurata manus diſsipata eſt. Sed pauci iam interceſſerant menſes, cum deintegro in vnum coiuere: pœnasque ab eo expetiuere non criminum ſolum, quæ ei falsò obiecerant, verùm etiã miniſterij in eccleſia, ꝗ poſt abdicationẽ obierat. Ad quos reſponder, ſe neque in iudicio egiſſe cauſam, neq; crimina obiecta audiuiſſe, neque dediſſe pro ſua ipſius defenſione reſponſum, neque præſentem condemnatum, ſed abſentẽ in exilium ab imperatore eiectum, & denuò ad ſedem epiſcopalem reuocatum. Attamen aduerſarij eius altero concilio non ad cauſam cognoſcendam coacto, ſed vt imperatori perſuaderent, iuſtam & legitimam ipſorum eſſe ſententiam, non ſolum eum ciuitate expellunt, verùm etiam ad paruum & deſertum quoddam Armeniæ oppidum, quod Cucuſus dicitur, amandant. Inde rurſus educentes, ad Pityuntem tranſferunt. Id oppidũ eſt velut terminus, quo Pontus, & imperium Romanũ diſtinguuntur, Barbaris crudeliſsimis finitimum, ſed clemens dominus non permiſit egregium ſuum athletam ad eiuſmodi hominum cœtum deduci. Nam vbi venit Comana, ad vitam immortalem, & cuiusque expertem moleſtiæ migrauit. Corpus autem, quod tot præclara certamina confecerat, propter buſtum Baſiliſci martyris (id enim ſanctus martyr per ſomnium mandauerat) conditum eſt. Quot quidem epiſcopi illius cauſa ſuis exturbati fuerunt eccleſijs, & ad extremas orbis terræ oras relegati, quot etiam monachi ſimili ſupplicij genere mulctati, hoc loco percenſere ſuperuacaneum arbitror, eoque pacto longius hiſtoriam prouehere, præſertim cum mea quidem ſententia, ea, quę triſtitiam afferant, contrahenda ſint in anguſtum, & errata eorum, qui ſint fidei ſocietate nobiſcum coniuncti, ſilentio tegenda. Atqui cõplures eorum, qui erant iniuriarũ authores, pœnas perſoluerunt, quorũ ſupplicia alijs non parum attulere commodi. Iſtud iniquũ facinus contra Ioannem admiſſum epiſcopi Europæ præter cæteros deteſtati ſunt. Nam ſe à communione illorum, qui illud conſciuerãt ſeparauere: quibus totius Illyriæ cuncti ſe adiunxere epiſcopi. Porrò autem quàm plurimi epiſcopi ciuitatũ verſus orientẽ ſolem ſitarũ, à facinoris cõmunione ſe ſeiunxerũt quidem, ſed corpus eccleſię minimè diſtraxerunt. Quinetiã iſto excellenti totius orbis terrę doctore mortuo, epiſcopi Occidentis non prius cum epiſcopis Aegypti & Orientis, & Boſphori & Thraciæ communicare voluerũt, quàm nomen illius ſanctiſsimi viri in tabulas, quibus nomina epiſcoporum mortuorum continebantur, retuliſſent. Atque Arſacium eius ſucceſſorẽ ne ſalutare quidem dignati ſunt. Atticum autem, qui ſuccedebat Arſacio, quique ſæpe legatos ad eos miſerat, ſæpeque pacem poſtulauerat, poſtea tandem, cum Ioannis nomen in tabulis inſcripſiſſet, receperunt.

De episcoporum successione, & Alexandro Antiocheno episcopo.
CAP. XXXV.

EOdem tempore Cyrillus filius sororis Theophili Alexandriæ episcopus fuit, auunculi in eo præsulatu successor. Ecclesiæ Hierosolymitanę episcopatum tunc gessit Ioannes, vir planè insignis, succesitque Cyrillo, de quo suprà facta est mentio. Ecclesiam verò Antiochenam administrauit Alexander, cuius pia vitæ ratio pulchrè cum episcopatu consentiebat. Nam toto vitæ tempore ante susceptum episcopatum in palæstra monastica contrito, cum plurimum se exercuisset, generosum athletam se planè declarauit: quippe tum oratione docuit alios, tum vitæ consuetudine orationem confirmauit. Iste successit Porphyrio, qui post Flauianum illius ecclesiæ clauum tenens, multa suæ benignitatis monimenta post se reliquit. Cui quidem summa etiam animi prudentia non parum attulit splendoris. Diuinus autem Alexander, sæuera vitæ disciplina, studio sapientiæ, egestate voluntaria, eloquentia, alijs denique spiritus sancti donis admodum excelluit. Itemque factionem magni Eustathij causa inchoatam (quæ quò minus iam pridem esset cum reliqua ecclesia denuò sociata, Paulinus impedimento fuit, & post eum Euagrius) sua persuasione & consilio, cætero ecclesię corpori adiunxit, & talē diem festum, qualem nemo aliquando viderit, ex insperato celebrandum curauit. Nam omnibus eadem fide consentientibus in vnum collectis, tam sacris initiatis, quàm laicis, ad illorū conuentum accedit. Atque assumptis sibi, qui cantare nouerant, vnoque hymnorum concentu contexto, à porta quadam paruula ad occidentem spectante vsque ad maximum templum totam plateam compleuit hominibus, & fluuiū rationis participem, similitudinem fluuij præterlabentis mirè adumbrantem, effecit. Quæ cum Iudæi, Ariani, & Gentilium reliquiæ, quæ perpaucæ erant, viderent, gemere & lamentari cœperunt, quòd alios iam fluuios in ipsum ecclesię quasi mare illabi cernebant. Iste preterea primum Magni Ioannis nomen in tabulis ecclesiæ inscribendū curauit.

De reliquiarum Ioannis, quæ postea facta fuit, importatione, & Theodosii Iunioris ac fratrum eius fide.
CAP. XXXVI.

POstea verò ipsæ etiam Ioannis doctoris præstantissimi reliquiæ fuere Constantinopolim vrbem primariam traductæ. Itaque fidelis hominum cœtus, pelagus, nauigiorum multitudine, velut continentem efficiens, Bosphori ostium ad Propontidem situm luminaribus cooperuere. Hunc thesaurum is, qui iam imperium administrat, qui vt aui nomen fert, ita synceram eius pietatem seruat, in illam vrbem importandum curauit. Idemque vultu & oculis in sancti illius viri loculo defixis, pro parentibus preces fudit, oraturitque vt iniuriarum per ignorationem factārum veniam illis tribueret. Iam pridem autem eius parentes mortem obierant, illo iam tū valde adolescente orbo relicto. Sed vt orbitatis molestias experiretur, parentū & maiorum suorū deus neutiquam passus est. Nam & eū ipsum pietatis educauit alimentis, & imperium vacuum à seditionibus conseruauit, & animos, si qui ad tyrannidem propenderent, compressit. Quorum beneficiorum semper memor, patronum suum laudibus & hymnis celebrare non cessat. Atque huius hymnorum concentu dei laudandi consuetudinis socias habet sorores suas, toto vitæ tempore virginitatem excolentes: quæ & pro summis delitijs habent literarum commendationem sacrarum, & pro certo solidoque thesauro rerum egentibus necessariarum suppeditationem. Et quanquam iste imperator multis alijs virtutibus eximiè decoratus erat, clementia tamen vel maximè, mansuetudine, animi tranquillitate, quæ nullis procellis agitari poterat, fide denique syncera & spectata. Cuius rei certissimum argumentum ostendam. Vir quidam vitam excolens monasticam, animo paulò audaciore præditus, ad imperatorem rei cuiusdam petendæ gratia accedit. Quod cum sæpius frustra fecisset, imperatori ecclesiastica interdicit communione, vinculoque ecclesiæ ei iniecto, decedit. Imperator autem fide cum primis excellens, accedens ad palatium cum tempus instaret conuiuij, & omnes conuiuæ adessent, dixit se non prius capturum cibum, quàm ecclesiæ vinculo solueretur. Proinde vnum ex familiarissimis ad episcopum mittit, oratum, vt potestatem faciat ei, qui ipsum ligauerat, vinculo soluendi. Cum autem episcopus respondisset, non debere cuiusque vinculum admittere, significassetque eum solutum esse, non tamen solutione illa contentus est, donec ille qui eum ligauerat, magno cū labore conquisitus, communioni illum restituisset. Eiusmodi namque erat imperatoris erga leges diuinas fides. qua etiam inductus, simulachrorum delubra, quæ etiamnum reliqua erant, adeo funditus deturbari euertique mandauit, vt ne vestigium quidem veteris gentilium erroris (istam namque sententiam in edicto de illis demoliendis conscripto inseruit) posteris restaret ad intuendum. Atque ex his pietatis seminibus fructum continuum percepit. Nam hac de causa omnium moderator deus eius saluti sedulo prospexit. Etenim cū Rhoilus dux Scytharū, qui Nomadæ dicuntur, traiecto Istro cum ingentibus copijs Thraciam populari & prædas agere inciperet, & Constantinopolim vrbem primariam obsessurum, momentoque tēporis capturū, atque adeo solo æquaturum minaretur, deus fulminum iactu, & facibus cœlitus demissis cum illū combussit, tum vniuersum eius exercitum penitus absumpsit. Non dissimile quiddam etiam in bello Persico deus eius causa præstitit. Nam cū Persæ, negocijs Romanorum, quibus districti tenebantur, cognitis, contra vicinos suos, ruptis fœderibus, bellū facerent, neq; quisquam illis tum ab hostibus oppugnatis subsidio veniret (imperator enim pace iamdudum facta confisus, duces suos & milites ad alia bella gerēda miserat) Deus immenso imbre & maxima copia grandinis in eorū exercitum demissa, tum eos prohibuit ab itinere vlterius faciēdo, tū equorū cursum impediuit: adeò vt viginti diebus viginti stadia vsque eo conficere non possent, quoad duces Romani collectis suis in vnū militibus, aduentarent. Porrò aūt altero prælio antè cōmisso, istos ipsos, cum iam vrbē imperatoris nomine nuncupatā obsidione cinxissent, ludibrio deus exposuit. Nam cum Gororanes amplius triginta dies cum omnibus copijs vrbem hanc circunsedisset, & multa instrumenta bellica ad vrbes capiendas accommodata ad murum applicasset, & infinitas tentasset machinas, & alias turres extra mœnia extruxisset, solus diuinus Eunomius illius vrbis episcopus ei restitit, & machinationum adiectarum impetum penitus repressit. Ac cum duces nostri contra hostes prēliari renuerent, & obsessis opem ferre non auderent, iste episcopus se hostibus opponendo, vrbem seruauit incolumem. Nam cum vnus ex regulis barbaris consuetam blasphemiam in Deum iaceret, & in morē Rhabsacis & Sennacherib verba execrabilia funderet, furoreque incitatus, minaretur se sacrosanctum Dei templum incendio vastaturum, sanctus iste vir rabiem eius non ferens, balistam Thomæ apostoli nomine inscriptam ad pinnas muri statui, & ingentem lapidem in ea imponi, nomineque illius, in quem barbari blasphemias coniecerant, eum emitti iubet. Qui directò in illum regulum delatus, & in nefarium eius os impactus, vultū deformauit, caput cōminuit, & cerebro dispersit humum. Quod cū vidisset dux Gororanes, qui spe vrbis capiendæ exercitum collegerat, inde decessit, iptōq; rerum euentu se victū planè declarauit. Atq; ob hanc causam metu perculsus, fœdera cū Romanis percussit. Ad hunc modū summus omniū rector Deus fidelissimi imperatoris saluti cōsuluit: qui quidem & se famulū eius esse ingenuè agnoscit, & debitū domino prestat obsequiū.

8. Paralip. 32.

De Theodotio Antiocheno episcopo.
CAP. XXXVII.

ISte imperator reliquias, vt dixi, pręclari illius mundi luminaris Ioānis Constantinopolitani illarum admodum appetenti reddidit. Sed istud postea factū est. Innocentio illi episcopo Romano viro longè præstātissimo successit Bonifacius: Bonifacio Zosimus: Zosimo Celestinus. Hierosolymis autē post Ioannem illum admirabilem mortuum, Praylius vir, qui nomini suo pulchrè respondebat, illius ecclesiæ rectionem capessit. Antiochię verò, Diuo Alexandro vita defuncto, Theodotus, continentiæ velut margarita, ecclesiæ præsulatum obtinuit: vir mansuetudine insignis, & accurata vitę institutione egregiè exornatus. Qui sectam Apollinarem oratam, vt se cum reliquo Christi grege iungeret, cæteris ecclesiæ ouibus aggregauit. Multi tamen eorum, insignem erroris labem, qua antè erāt inquinati, minimè eluerunt.

De persecutione in Persia excitata, & qui illic martyrium perpessi sunt.
CAP. XXXVIII.

PEr idem tempus, Isdigerdes rex Persarum persecutionem contra ecclesias concitauit, occasione ex re gesta, quam sum deinceps narraturus, arrepta. Audas episcopus, vir multis virtutis generibus ornatus, zelo non opportuno illō quidem accensus, Pyreum (templa enim in quibus πῦρ, id est ignis, eorum Deus colitur, Pyrea vocāt Persæ) demolitus est. De qua re rex per Magos certior factus, Audam accersit. Ac primum placidè eum coarguit, & Pyreum denuò ædificare iubet. Qui cum ei contradiceret, negaretque se illud facturum, rex omnes ecclesias Christianorum se diruturum minatur. Atque certè quod verbis minabatur, re ipsa perfecit. Nam vt primum Audam diuinum illum virum trucidari mandauerat, ecclesias deturbari iussit. Quod autem ad Pyrei euersionem attinet, haud opportunè equidem illud factum fuisse existimo. Nam sanctus apostolus Athenas aduentans, & ciuitatem superstitioso simulachrorū cultu cæcatam videns, aram quandam ab illis honoratam minimè diruit, sed verbo eorum ignorationem redarguit, & veritatem illis patefecit. Attamen quòd Audas templum simulachri deturbatum extruere rursus noluit, sed interfici potius, quàm illud efficere, eum magnopere admiror, & corona dignum iudico. Nam par impietas est, mea quidem sententia, ignem adorare, atque ei ædificare delubrum. Hinc igitur persecutionis tempestas orta, grauissimos & turbulentissimos fluctus contra pietatis alumnos concitauit: quæ procella triginta annos continuos à Magis velut à quibusdam turbinibus agitata duraui. Magos autem vocant Persæ, qui elementa in deos referunt. De quorum commentitijs fabulis alio in opere, in quo eorum quæstiones dissoluebamus, satis enucleatè disseruimus. Porrò Gororanes, filius Isdigerdis, post mortem patris, vt regni paterni, sic belli contra pietatem à patre commoti successor extitit: quippe pater moriens, hæc duo coniuncta filio reliquit. Tormentorum autem genera, & noua cruciamenta pijs hominibus ab illis inflicta vix dicendo explicari poterunt. Nam quorundam manibus, aliorum autem tergis corium detrahunt. Aliorum capita, à fronte exorsi, ad barbam vsque cute exuunt. Nonnullos primū cœperunt arundinibus semifectis circundare, & incisiones, corporibus applicare, deinde robustis vinculis à capite ad pedes vsq; circumligare, & singulos calamos vi arctè constringere, vt partem cutis, ad quam admotę erant arundines, eo pacto grauiter lacerantes,

Bararanes à veteribus Secrate.

acriores doloris morsus efficerent. Quinetiam lacus effodere, eos summa cum diligentia inungere: deinde ingentem soricum numerum in eos concludere: postremò pietatis athletas, eorum manibus pedibusque constrictis, ne bestias abigant, soricibus velut alimentum obijciunt. Sorices autem fame oppressi, sensim carnes sanctorum absumunt, sicque diuturnum & acerbum cruciatum illis afferunt. Itemq; carnifices isti à conscelerato illo naturæ nostræ inimico, & veritatis hoste edocti, tormenta alia his quidem multò asperiora excogitare: Sed tamen ne eo quidem modo athletarum fortitudinem & constantiam retundere potuerunt. Nam sua sponte accurrebant magno desiderio mortis oppetendæ, per quam aditus ad vitam immortalem patefit, inflammati. Quorum duos trésue in memoriam reuocabo, quo per hos etiam aliorũ fortitudo cognosci queat. Hormisdam quendam, virum in Persis apprime nobilem, ex genere Achemenidarum oriundum patre præfecto cum Rex eum Christianum esse accepisset, ad se adduci & Deũ Seruatorem pernegare iubet. At Hormisda, quod imperas, ò Rex, neque iustum est, neque vtile. Nam quicunq; didicerit Deum omnium gubernatorem facilè contemnere, eumq; denegare, multò facilius Regem, quippe cum homo sit, mortalis naturæ particeps, cõtempturus est. Quòd si qui tuum imperium pernegauerit, ò Rex, grauissimo dignus sit supplicio, quãto grauius meretur ille quidem, qui omnium rerum effectorem pernegat. Rex autem quem oportuerat sapientissimã eius orationẽ admiratum esse, athletam generosum, diuitijs & honore spoliauit: deditque ei mandatum, vt omnibus vestibus, solo subligaculo excepto, exutus, camelos, qui erant in exercitu, duceret. Cum verò dies complures iam preterissent, Rexq; tabulato despiciẽs videret optimum illum virũ & radijs solis exustum, & conspersum vndiq; puluere, nobilitate ac splendore patris illius in memoriam reuocato, primum iubet eum adduci ad se, & indusio linteo vestiri: deinde arbitratus eius animũ partim cruciatu preterito, partim humanitate erga eum iam declarata mollitum esse, nunc demũ, inquit, obstinatione deposita, filium fabri negato. At ille, diuino zelo accensus, indusium dilacerauit: quo ad regem proiecto, sic eum affatur. Si me huius causa pietatem deserturum putas, habeas tibi donũ cum impietate. Hac eius fortitudine perspecta, Rex eũ è palatio nudũ exturbauit. Porrò idem Rex Suenem mille seruorum dominũ, qui ei contradicebat, quiq; fabricatorem huius vniuersitatis pernegari haudquaquã sustinebat, primũ percõtatur, quis ex eius seruis improbissimus esset, deinde ei tradit reliquorum dominatum, ipsumque dominum Suenẽ illi inseruire iubet. Quinetiam domini sui coniugẽ ei in matrimoniũ dat, ratus eo pacto se veritatis propugnatorem Suenem de sententia deductum. Verè spes eum frustráta est. Nam Suenes domum supra petrã ædificatam habuit. Post hos Beniamin diaconum comprehendi, & in carcerem conijci mandat. Biennio verò pòst, legatus Romanus venit ad regem, de alijs rebus cum eo acturus. Qui de diacono certior factus, impetrat eià rege liberationem. Rex autem iubet Beniamin polliceri se doctrinam Christianam cum nullo mago cõmunicaturum. Legatus quidem recipit Beniamin regis mandata effecturum. At Beniamin, cum legatnm de hac re ipsum admonentẽ audiuisset, respondit, non posse fieri, vt doctrinam lucis quã à Deo acceperat, nõ alijs impartiret. Nam abscondere talentum, quantum mereatur supplicij historiam euangeliorum apertè docere. Matth. 25. Verùm Rex id temporis huius responsi ignarus, iubet illum è vinculis eximi. Qui quidem, vt solebat, homines ignorationis tenebris obcæcatos, inde eripere, & ad lucẽ, quæ sola intelligentia percipitur, adducere non cessauit. Anno autem pòst res ab eo gestę regi indicantur. Qui iubet eum adduci, & deum, quem colebat, denegare. Tum ille sciscitatur à rege, quo supplicio mulctandus sit is, qui eius regnum deserat, & alterius ditioni se subijcere animum inducat: morte, inquit rex, & pœna grauissima. Cui rursus sapiẽtissimus vir, quo pacto igitur, inquit, coercendus est homo ille, qui effectorem & opificem omnium derelinquat, & vnum è conseruis deum consecret, eique cultum vero Deo debitum tribuat? Quibus verbis rex grauiter commotus, viginti arundines præacutas per vngues manum ac pedum traijci iubet. Vbi autem videt eum hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rursus arundinẽ in membrum genitale intrudi mandat: quæ sæpius extracta insertaque, dolores ei incussit planè inexplicabiles. Post istud inflictum supplicium, impius ille & immanitate efferatus tyrannus, virgam robustam, crassam, & propter ramos vndique eminentes valde asperam, in imam alui sedem infigi iubet. Quo cruciatus genere generosus Christi athleta oppressus, extremum spiritum edidit. Infinita ferè id geuus scelera ab illis impijs fuere admissa. Neque cuique mirum videri debet, omnium rerum administratorem deum, eorum feritatem impietatemque tolerasse. Etenim quotquot imperatores ante imperium Constantini Magni regnarunt, contra veritatis professores insana rabie furere non desierunt. Atque Diocletianus ipso salutaris passionis die, cunctas ecclesias, quæ in toto Romano erant imperio, demolitus est. Verùm vix nouem iam anni intercesserant, cum & illæ ipsæ denuo florere, atque multò maiore amplitudine & splendore quàm antea enitere cœperunt, & tyrannus ille vnà cum imperi etate extinctus est. Atque dominus tum hæc bella contra Christianos excitata fore, tum ecclesiam inuictum iri prædixerat. Quinetiam ipsi rerum euentus nos docent, bellum plus commodi, quàm pacem nobis solere apportare. Nam hæc nos molles, morosos, & timidos

Sannem, vocat Epiph.

reddit: illud autem animos acuit, & res præsentis vitæ tanquam fluxas contemnere facit. Verùm de his alijs in libris sæpe disseruimus.

De Theodoro Mopsuestiæ episcopo.
CAP. XXXIX.

PER id temporis, quo diuinus Theodotus Antiochenam rexit ecclesiam, Theodorus episcopus Mopsuestiæ, qui totam Christi ecclesiam sua doctrina erudierat, & contra vniuersas hæreticorum phalanges victoriam reportauerat, obijt mortem. Iste & Diodori viri excellentissimi doctrinæ particeps factus est, & sanctissimi Ioannis socius & adiutor. Nam communiter inter ipsos sapientiæ præcepta ex spiritualibus Diodori fluentis hauserunt. Triginta sex annos præsulatum gessit Theodorus, neque vnquam cessauit tum contra Arianam & Eunomianam sectam velut in acie dimicare, tum clandestinum Apollinaris manipulum impugnare, tum optimam herbam sanctis Christi ouibus suppeditare. Cuius frater Polychronius ecclesiam Apameensem tum propter præstantiam doctrinæ, tum propter piæ vitæ splendorem præclarissimè gubernauit. Isto quidem in loco finẽ historiæ facere animus est: atque omnes, qui sint eam aliquando perlecturi, vehementer oratos volo, vt precibus suis meos labores compensare non grauentur. Spatium quidem centum & quinque annorum ista complectitur historia, quę initium habet ex rabie Ariana, exitum autem à morte hominum præstantissimorum, Theodori & Theodoti.

FINIS.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS ERANISTES
SEV POLYMORPHVS, IN QVO TRIBVS DIALOGIS CONTRA QVOSDAM SVI TEMPORIS HAERETICOS acerrimè & subtilissimè disputat.

Eiusdem, Hæreticorum improbarum nugarum ac fabularum compendium.

Eiusdem, Diuinorum decretorum seu dogmatum epitome.

Interprete Gentiano Herueto Aurelio.

SVNT nonnulli, qui cùm nec ex genere, nec ex eruditione, nec ex rebus præclarè gestis vllam laude dignam claritatem habeant, improbis studijs insignes euadere contendunt. Talis erat ille Alexander Faber ærarius, qui cùm nihil in se egregium, & suspiciendum haberet, non generis nobilitatem, non dicendi facultatem, non regendi populi artem, non ducendi exercitus scientiam, non rerum in bello fortiter gestarum commendationem, & solummodo sordidam, & illiberalem exerceret artem, ex sola sua aduersus diuinissimum Paulum insania notus extitit. Porrò autem Semei quoque homo planè obscurus, & omnino illiberalis, ex sua aduersus diuinum Dauid insolentia celeberrimus euasit. Iam verò Manichæorum quoque Hæresis inuentorem ferunt seruum fuisse Mastigiam, & à gloriæ cupiditate impulsum, execrandum illum religionis ritum conscripsisse. Hoc ipsum nonnulli quoque nunc faciunt, qui expetendam virtutis gloriam, propter eos, qui illam præcedunt, labores, fugientes, ignominiosissimam, & longè miserrimam sibi famam peperere. Cùm enim nouorum decretorum primi esse authores desiderassent, ex multis sectis impietatem emendicarunt, & hanc perniciosam hæresim constituerunt. Ego autem paucis cum eis conabor disserere, tum vt eis aliquid remedij afferam, tum vt eis, qui sani sunt & integri, 2. Tim. 4. 2. Reg. 16.

prouideã. Libri autẽ à me scripti nomẽ est Eranistes, seu Polymorphus, hoc est, Emẽdicator, seu forma multiplex. Cùm enim à multis ijsq; impijs hominibus infausta sua decreta emendicarint, varia & multiplicata cogitata proferunt. Quòd enim Deum solum Dominum Christum nominant, est Simonis, & Cerdonis, & Marcionis, & aliorum, qui huic execrandæ sententiæ sunt affines. Quòd autem ex virgine quidem natiuitatem fatentur, sed eam dicunt fuisse traiectitiam, nec Deum verbum quidquam ex virgine accepisse, ex Valentini, & Bardisanis, & eorum, qui non sunt ab illorum opinione remoti, prodigiosis dictis surripuerunt. Quòd autem Domini Christi diuinitatem, & humanitatem vnam naturam appellant, ex Apollinaris nugis suffurati sunt. Rursus autem quòd Christi diuinitati animi perturbationem tribuunt, ex Arrij, & Eunomij blasphemia ceperunt. Vt reuera videatur eorum principium, mendicorum vestibus, quæ ex diuersis pannis consarcinantur, non dissimile. Quamobrem Eranistem, seu Polymorphum, hoc est Emendicatorem, seu forma multiplicem, hunc librum appello. More autem Dialogi procedit oratio, vt quæ interrogationes, & responsiones, propositiones & solutiones, obiectionesque, & cætera, quæ sunt Dialogorum formæ propria, contineat. Eorum autem qui interrogant, & respondent, nomina non inseram orationi, quemadmodum qui olim fuerunt ex Græcis viri docti, sed extra in versuum initijs adscribam. Illi enim ijs, qui omne doctrinæ, & disciplinæ genus peruaserant, quiq; toto vitæ tempore in dicendi arte versati erant, sua scripta offerebant. Ego autem ab ijs etiam qui eloquentiæ mysterijs non sunt initiati, volo & lectionem, & vtilitatis inuentionem facilè posse perspici. Hoc autem ita erit, si personæ eorum, quæ disserunt, ex nominibus quæ extra adscripta sunt, manifestæ fuerint. Atque ei quidem, qui pro Decretis Apostolicis decertat, Orthodoxus nomen est. Alius autem Eranistes, id est Emendicator, nominatur. Sicut enim eum qui à multis misericordia motis alitur, πρωνοιαπλῶ, id est, mendicum, nominare consueuimus, & χρηματιθὴν eum qui scit pecunias colligere: ita etiam huic ex eius studijs acceptum cognomen imposuimus. Rogo autem eos, qui in eum inciderint, vt absque vllo anticipatæ opinionis præiudicio veritatem examinent. Nos enim, vt res sit aperta, curam gerentes, Librum in tres Dialogos diuidemus. Et primus quidem esse immutabilem vnigeniti filij diuinitatem contendet. Secundus autem inconfusam, si ita mihi piè dicere fas est, Domini Christi diuinitatis & humanitatis vnionem fuisse ostendet. Tertius autem fuisse impatibilem, & ab omnibus perturbationibus, passionibusque remotam seruatoris nostri diuinitatem decertabit. His autem peractis certaminibus, quædam alia veluti certaminum additamenta adijciemus, vnicuique capiti ratiocinationem adiungentes, & apertè ostendentes id à nobis seruari quod ab Apostolis prædicatum est.

IMMVTABILIS DIALOGVS PRIMVS.

ORTHODOXVS ET ERANISTES.

ORTHODOXVS.

MElius quidem esset nos consentire, & doctrinam apostolicam integram, ac sinceram conseruare. Sed quoniã nescio quam ob causam soluta cõcordia, nobis noua decreta proponitis, absque vlla, si videtur, contentione, veritatem communiter quæramus.

ERAN. Nos quidem inquisitione non egemus, exactè enim veritatem tenemus.

ORTH. Hoc etiam Hæreticorum vnusquisque existimat. Quinetiam Iudæi, & Græci se veritatis decretorum authores existimant, nec ij soli, qui Platonis & Pythagoræ scita colunt, sed etiam qui sunt partiũ Epicuri, & qui

sunt omnino impij, & ab omni probabili opinione alieni. Non conuenit autem iam anticipatæ opinioni seruire, sed veram cognitionem inquirere.

ERAN. Suasioni tuæ acquiesco, & quod à te instituitur accipio.

ORTH. Quoniam ergo vt priorem admitteres adhortationem facilè persuasus es, velim rursus ne tu humanis rationibus veritatis inquisitionem permittas, sed Apostolorum, & Prophetarum, & qui eos secuti sunt sanctorum vestigia inquiras. Hoc enim solent facere viatores, quando à via regia deflexerint, vt semitas considerent, si aliquorum recedentium, aut venientium pedum typos habeant, aut hominum, aut equorum, aut asinorum, aut mulorum, & quando inuenerint, instar canum vestigia persequuntur, nec prius desistunt, quàm rectam viam recuperauerint. *Viatores.*

ERAN. Ita faciamus. Tu ergo præi, vt qui orationem inceperis.

ORTH. De diuinis ergo nominibus, substantia inquam, & hypostasibus, personisque & proprietatibus, primum certi quid constituamus, cognoscamusque, & definiamus quamnam inter se habeant differentiam. Deinde quæ deinceps sequuntur, attingemus.

ERAN. Pulcherrimum, & maximè necessarium dedisti nostro sermoni exordium. Si hæc enim rectè diiudicata, & constituta fuerint, nostra facilius procedet disputatio.

ORTH. Quoniam ergo hæc ita fieri oportere nobis visum est, respondesodes. Dei Patris, & vnigeniti filij, & sanctissimi Spiritus vnam substantiam dicimus, quemadmodum à diuina scriptura tam veteri, quàm noua, & à Patribus, qui Niceæ conuenerunt, docti sumus, an Arij blasphemiam sequentes? *Niceæ.*

ERAN. Confitemur esse vnam sanctæ Trinitatis substantiam.

ORTH. Hypostasim autem aliquid ne aliud, quàm substantiam significare putamus, an substantiæ esse aliud nomen existimamus?

ERAN. Est ne aliqua differentia inter substantiam & hypostasim?

ORTH. Si externa quidem spectetur sapientia nulla est. Nam & substantia, seu essentia, id quod est, significat, & id quod subsistit est hypostasis. Sed si Patrum doctrina: quam habet differentiam commune, & proprium, vel genus & species, ac indiuiduum, eandem habet substantia & hypostasis.

ERAN. Dic paulò clarius de genere, specie, & indiuiduo.

ORTH. Genus quidem dicimus animal. Multa enim simul in eodem significat. Nam & quod est ratione præditum, & quod est expers rationis significat. Et eorũ quæ sunt rationis expertia, rursus sunt multæ species. Alia enim sunt volucria: alia vitam ancipitem degentia: alia pedestria: alia natatilia. Porrò autem vnumquodque eorum rursus in multa diuiditur. Pedestrium enim aliud quidem est Leo, aliud Pardus, aliud autem Taurus, & alia innumerabilia. Ita etiam volucrum, & aliorum sunt multæ species, sed eorũ tamen omnium genus est animal: species autem quę prius dictæ sunt. Ita etiam hoc nomen homo, est huiusce naturæ nomen commune. Significat enim & Romanum, & Athenienseṃ, & Persam, & Soromatam, & Aegyptium, & vt semel dicam, quotquot sunt huius naturæ participes. Hoc autem nomen, Petrus, vel Paulus, non vtique id quod est naturæ commune significat, sed quempiam hominem. Nemo enim, qui Paulum audierit, ad Adam, vel Abraham, vel Iacob suam cogitationem conuertit: Sed is solus ei in mentem venit, cuius appellationem audiuit. Sed si hominem simpliciter & absolutè audiuerit, non in aliquod indiuiduum cogitationem defigit, sed Indum etiam, Scytham, & Massagetam, & vniuersum, vt semel dicam, humanum genus cogitat. Idque nos non natura solum, sed etiam diuina scriptura docet. Dixit enim Deus, inquit, Delebo hominem, quem formaui, à facie terræ. Hoc autem dixit de innumerabilibus hominibus. Cùm enim plus quàm bis mille & ducenti anni post Adam preterijssent, per inundationem hominibus exitium attulit. Ita etiam dicit beatus Dauid, Homo cùm in honore esset, non intellexit, non hunc, vel illum, sed omnes homines communiter accusans. Inuenire autem licet eiusmodi innumerabilia. Sed non opus est de hac re plura dicere. *Genus.*

ERAN. Communis, & proprij discrimen aperte ostensum est. Sed ad substantiam & hypostasim redeamus.

ORTH. Sicut ergo hoc nomen homo, commune huius naturæ nomen est, ita etiam diuinam substantiam, vt quæ sanctam trinitatem significet: hypostasin autem, vt quæ aliquam vel Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti personam declaret, accipimus. Hypostasim enim, personam & proprietatem idem significare dicimus, ea, quæ à sanctis Patribus sunt definita, sequentes.

ERAN. Hæc ita habere confitemur.

ORTH. Quæcunque ergo dicuntur de natura diuina, ea sunt communia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt Deus, Dominus, Opifex, Omnipotens, & quæ sunt his similia.

ERAN. Hæc citra vllam controuersiam sunt trinitatis communia.

ORTH. Quæ autem rursus hypostases significant, ea non sunt vtique sanctæ Trinitatis communia, sed sunt illius hypostasis, cuius sunt propria. Quemadmodum hoc nomen Pater, & itemque ingenitus, sunt patris propria. Et rursus hoc nomen Filius, & itidem vnigenitus, & Deus verbum, non Patrem, nec sanctum Spiritum, sed Filium significant. Sanctus quoque Spiritus, & Paracletus, spiritus hypostasim declarant. *Spiritus.*

ERAN. Non vocat ergo sancta scriptura Spiritum, Patrem, & Filium?

ORTH. Spiritum vocauit, & Patrem, & Filium, id quod est diuinæ naturæ incorporeum, & quod circumscribi non potest, per hoc signifi-

significans, spiritum autem sanctum solam spiritus hypostasim nominat.

ERAN. Hoc quoque est ab omni dubitatione remotum.

ORTH. Quoniam ergo aliqua quidem diximus esse sanctæ Trinitatis communia, aliqua verò vniuscuiusque hypostasis propria, hoc nomen, Immutabile, dicimus ne esse commune substantiæ, an proprium alicuius hypostasis?

ERA. Immutabile, cõmune est Trinitatis, neque enim fieri potest, vt Trinitatis sit hoc quidem immutabile, illud verò mutabile.

ORTH. Optimè dixisti. Sicut enim mortale esse, commune est hominum, ita sanctę Trinitatis commune est, esse immutabile, vertique, & variari non posse. Est ergo immutabilis vnigenitus quoque Filius, sicut & Pater, qui ipsum genuit, & sanctus spiritus.

ERAN. Immutabilis.

ORTH. Quomodo ergo, quod in Euangelio dicitur adducentes, verbum caro factum est, mutationẽ immutabili naturæ tribuitis?

ERAN. Non per mutationem, ac conuersionem ipsum carnem factum esse dicimus, sed quemadmodum ipse scit.

ORTH. Si non carne accepta, caro factus esse dicitur, duorum alterum dicere necesse est, vel ipsum mutationem in carnem sustinuisse, vel existimatione quidem, & apparitione talem visum fuisse, sed reuera carnis expertem Deum esse.

ERAN. Hæc est Valentianorum, & Marcionistarum, & Manichæorum opinio. Nos autem edocti sumus confiteri Deum verbum verè incarnatum esse.

ORTH. Incarnatum autem esse, quomodo intelligitis, carnem ne accepisse, an in carnem conuersum esse?

Ioan. 1. *ERAN.* Quæ nos Euangelistam dicentem audiuimus, verbum caro factum est.

ORTH. Illud autem factum est, quomodo intelligitis?

ERAN. Qui mutationem in carnem sustinuit, caro factus est, & iam dixi, quemadmodum ipse scit. Nos autem scimus nihil esse, quod ipse non possit. Nam & aquam Nili in sanguinem, & diem in noctem mutauit, & mare terram solidam & continentem effecit, & aridam, aquisq; carentem solitudinem aquis repleuit. Audiuimus etiam Prophetam dicentem. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra.

ORTH. Creaturam creator transformat vt voluerit, est enim mutabilis, eiusque qui ipsam fabricatus est nutum sequitur. Ipse autem habet naturam immutabilem, & quæ nec verti, nec variari potest. Et ideo de creatura quidem dicit Propheta, Qui facit omnia, & transformat. De Deo autem verbo dicit magnus Dauid, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Et rursus ipse Deus de seipso, Ego sum, & non mutor. Psal. 101.

ERAN. Quæ sunt occultata non oportet quærere.

ORTH. Nec quæ sunt declarata penitus ignorare.

ERAN. Incarnationis quidem me latet modus, audiui autem, quòd verbum carò factum est.

ORTH. Si mutatus, caro factus est: nõ mansit, quod prius fuerat. Hoc autem ex multis similitudinibus facilè sciri potest. Nam arena quædam, cum igni consuetudine & coniunctione inita, primum quidem liquida & fluida redditur, deinde in vitrum concrescit, & simul cum mutatione vnà quoque appellationem commutat, non est enim amplius arena, sed vitrum nominatur.

ERAN. Ita est.

ORTH. Et qui vitis fructum vuam nominamus, quando eã expresserimus, non vuam, sed vinum nominamus.

ERAN. Maximè.

ORTH. Ipsum quoque vinum, cùm fugerit, & mutatum fuerit, non amplius vinum, sed acetum nominare solemus.

ERAN. Verum.

ORTH. Ita etiam cùm coactum lapidem dissoluimus, non amplius lapidem, sed calcem appellamus. Innumerabilia quoque alia possunt inueniri, quæ vnà cum mutatione nomen quoque commutant.

ERAN. In confesso est.

ORTH. Si ergo Deum verbum mutationem in carnem sustinuisse dicitis, cur nam ipsum, Deum, & non carnem appellatis? Naturæ enim mutationi conuenit appellationis mutatio. Si enim, quando ea quæ mutantur, habent aliquam cum ijs, quæ prius erant, cognationem, acetum enim cum vino habet aliquam propinquitatem, & vinum cum fructu vitis, & vitrum cum arena, ea post mutationem aliam sortiuntur appellationem: Vbi infinita est differentia, & tanta, quanta si conferatur culex cum vniuersa creatura, tam quæ sub aspectum cadit, quàm quæ visum effugit (tantum enim est, vel potius maius interstitium inter naturã carnis & diuinitatis) quomodo fieri potest, vt post mutationem prior maneat appellatio? Psal. 101. Mal. 3.

ERAN. Sæpè dixi, quòd non per mutationem caro factus est, sed manens quod erat, factus est quod non erat.

ORTH. Sed illud, factum est, nisi apertum fiat, conuersionem, & mutationem videtur innuere. Nisi enim carne accepta caro factum est mutatum caro factum est.

ERAN. Hoc accepit, à vobis inuentum est, Euangelista enim dicit. Verbum caro factum est. Accepit.

ORTH. Videris vel diuinam scripturam ignorare, vel si scias, te improbè gerere. Ego autem te vel esse ignarum, vel improbum conuincam. Responde, ergo. Diui Pauli doctrinam fateris spiritalem?

ERAN. Maximè.

ORTH. Et eundem spiritum per Euangelistas & Apostolos dicis esse operatum?

ER. Ita dico. Ita me docuit scriptura Apostoli-

1. Cor. 12. stolica. Diuisiones enim, inquit, sunt Gratiarum, idem autem spiritus, & rursus. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens seorsum vnicuique sicut vult, & rursus. Habentes autem eundem spiritum fidei.

ORTH. Opportunè Apostolica testimonia adduxisti. Si ergo eiusdem spiritus esse dicimus Euangelistarum & Apostolorum doctrinam, audi Apostolum id quod in Euangelio dicitur interpretantem. Ad Hebræos enim scribens ita dicit. Non enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Responde itaque, Quid intelligis semen Abrahæ? An non id quod habuit Abraham secundum naturam, habuit etiam semen Abrahæ? Heb. 2.

ERAN. Non omnia, Christus enim peccatum non fecit.

ORTH. Peccatum non est naturæ, sed malæ electionis, maliq́ue instituti, & ideo non dixi indefinitè, Quod habuit Abraham, sed quod habuit secundum naturam, hoc est corpus, & animam ratione præditam. Dic ergo apertè, an confiteris semen Abrahæ & corpus esse, & animam ratione præditam? nisi forte in hoc quoque tibi conuenit cum nugis Apollinaris. Sed etiam aliunde te hoc quoque fateri compellam. Dic ergo, Iudæi corpus ne habent, & animam ratione præditam? Apollinar.

ERAN. Clarum est eos habere.

ORTH. Quando ergo Prophetam dicentem audiemus, Tu autem Israel fili mi Iacob quem elegi, Semen Abrahæ, quem dilexi, non solum carnes Iudæos existimamus? Non intelligimus homines, qui constant ex corporibus, & animis?

ERAN. Verum.

ORTH. Et semen Abrahæ, non animæ, & mentis expers, sed quod omnia habet quæcunque Abrahæ naturam effingunt?

ERAN. Qui hæc dicit, duos adornat filios.

ORTH. Qui autem Deum verbum in carnem conuersum esse dicit, nullum dicit filium. Caro enim ipsa per se non est filius. Nos autem vnum filium confitemur, qui semen Abrahæ apprehendit, vt ait diuinus Apostolus, & hominum salutẽ procurauit. Si autem tibi non placet doctrina Apostolica, apertè confitere.

ERAN. Dicimus ergo Apostolos dixisse repugnantia. Videtur igitur quodammodo repugnare illud Verbum caro factum est, ei quod est, Semen Abrahæ apprehendit.

ORTH. Tibi non animaduertenti, vel temerè contendenti, videntur repugnare, quæ rectè conueniunt. Iis enim qui sapienter considerant, non videntur. Docet enim diuinus Apostolus, quòd non conuersus Deus, verbum caro factum est, sed Abrahæ semine apprehenso. Simul etiam & factam Abrahæ promissionem in memoriam reuocat. An non meministi promissionum, quæ Abrahæ ab vniuersorum Deo datæ sunt?

ERAN. Quarumnam?

ORTH. Quando ex paterna eum domo eduxit, & eum in Palæstinam venire iussit, non dixit ei, Benedicentes te benedicam, & maledicentibus te maledicam, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ? Gen. 12.

ERAN. Recordor harum promissionum.

ORTH. Recordare ergo etiam pactorum conuentorum, quæ à Deo cum Isaac & Iacob facta sunt. Nam eis quoque easdem dedit promissiones, secundis, & tertijs priora confirmans.

ERAN. Eorum quoque memini.

ORTH. Hæc autem pacta conuenta interpretans Diuus Paulus in Epistola ad Galatas, dicit. Abrahæ autem dictæ sunt promissiones & semini eius. Nõ dicit & seminibus eius, tanquam de multis, sed tanquam de vno qui est Christus, apertissimè ostendens Christi humanitatem, quæ ex semine Abrahæ germinauit, & quæ Abrahæ facta est, promissionem impleuit. Gal. 3.

ERAN. Hæc ab Apostolo dicta sunt.

ORTH. Hæc quidem satis sunt ad soluendam omnem, quæ mouetur, controuersiam. Ego tamen aliam quoque prædictionem tibi in memoriam reuocabo. Iacob Patriarcha hanc benedictionem, quæ sibi & patri & auo data erat, Iudę filio solo dedit. Sic autem dicit, Non deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est, & ipse expectatio gentium. An non admittis hanc prędictionem, vt quæ de Christo seruatore dicta sit? Gen. 49.

ERAN. Iudæi huiusmodi Prophetias interpretantur, ego autem Christianus sum, credens diuinis scripturis, & de seruatore nostro prophetias absque vlla dubitatione recipio.

ORTH. Quoniam ergo te prophetijs crẽdere confiteris, & quæ prædicta sunt, de seruatore nostro diuinata fuisse dicis, considera deinceps quis sit scopus eorum quæ dicit apostolus. Quæ enim Patriarchis factæ erant, promissiones finem accepisse ostendens, admirabilem illam vocem emisit. Non enim angelos vtique apprehendit, propemodum dicens, Vera est promissio, imposuit Deus finem promissionibus, apertus est gentibus fons benedictionis. Deus semen Abrahæ apprehendit, per eum superius promissam salutem procurat: per eum gentium expectationem confirmat.

ERAN. Prophetica cum Apostolicis optimè coniuncta sunt.

ORTH. Item rursus diuinus Apostolus, Iudę beneficium nobis in memoriam reuocans & ipsum quoque finem accepisse ostendens, clamat. Clarum est enim quòd ex Iuda exortus est Dominus. Idem autẽ fecit & propheta Michæas, & Matthæus Euangelista. Ille enim prædixit. Hic verò historiæ testimonium adiunxit, & quod est in primis admirabile, eos, qui sunt veritatis hostes manifestissimi, Herodi apertè dixisse, dixit, quòd Christus nascitur in Bethleem. Scriptum est enim inquit, Heb. 7.

Matth.2. Mich.5. quit, Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda. Ex te enim mihi exibit dux, qui reget populum meum Israel. Nos autem id quoque subiungamus, quod à Iudæis malignè prætermissum est, dum imperfectum testimonium adducunt. Cùm enim dixisset Propheta, ex te egredietur mihi Dux, subiunxit. Et egressus eius à principio sæculi.

ERAN. Optimè fecisti, quòd totum Prophetæ posuisti testimonium. Ostendit enim esse Deum, qui in Bethleem natus est.

Christ. Deus homo. *ORTH.* Non solum Deũ, sed etiam hominem. Hominem quidem, vt qui ex Iuda secũdum carnem germinauit, & in Bethleem natus est. Deũ autem, vt qui est ante sæcula. Hoc enim, Ex te mihi egredietur Dux, generationem secundum carnẽ, quæ in extremis diebus facta est, ostendit: illud verò, egressus eius à principio à diebus sæculi, eum ante sæcula extitisse apertè pronunciat. Ita etiam diuinus Apostolus in epistola ad Romanos, veterem Iudæorum fœlicitatem in deterius mutatam esse deflens, diuinamque promissionem, & datam eis legem in memoriam reuocans, hoc quoque adiecit. Quorum patres, & ex quibus Christus secũdum carnẽ, qui est in omnibus super omnes Deus, benedictus in sæcula sæculorum Amen. Atqui eundem esse omnium opificem, dominum, & gubernatorem, vtpote Deum ostendit, & ex Iudæis germinasse, vt qui homo sit. Rom. 9.

ERAN. Ecce autem, qui hoc interpretatus est, ad Hieremiæ prophetiam quid dixeris? Illa enim ipsum solum Deum prædicat.

ORTH. Quam dicis Prophetiam?

ERAN. Hic est Deus noster, non reputabitur alius præter ipsum, inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob filio suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. In his Propheta, nec de carne, nec de humanitate, nec de homine, sed de solo Deo prædixit. Bar. 3.

ORTH. Alicubi ergo ratiocinatione opus est. Diuinámne naturam sub aspectum cadere posse dicimus? An non credimus Apostolo, qui dicit, Immortali, inuisibili, soli Deo?

ERAN. Citra vllam controuersiam, diuina natura sub aspectum non cadit.

ORTH. Quomodo ergo videri poterat diuina natura sine corpore? An non meministi eorum verborum Apostoli, quæ apertè docent diuinam naturam non posse videri? Sic autem dicit, Quem nullus homo vidit, nec videre potest. Si ergo ab hominibus, dico etiam ab Angelis, videri non potest diuina natura, dic quomodo, qui sub aspectum non cadit, ab hominibus visus est?

ERAN. Propheta dixit, quòd in terra visus est.

1. Tim. 1. *ORTH.* Et Apostolus dixit, Immortali, inuisibili, soli Deo, & quem nullus homo vidit, nec videre potest.

ERAN. Quid ergo? falsúmne dicit, ppheta?

ORTH. Absit. Diuini enim spiritus sunt & hæc, & illa verba. Quæramus ergo quomodo inuisibilis visus est.

ERAN. Ne mihi rationes, & humanas ratiocinationes adduxeris. Ego enim soli diuinæ scripturæ fidem habeo.

ORTH. Nullam rationem admittes, quæ non diuinæ scripturæ testimonio confirmetur?

ERAN. Si mihi ex diuina scriptura dubitationis solutionem attuleris, admittam, & minimè contradicam.

ORTH. Scis ne quòd dictum Euangelij per Apostoli testimonium paulò antè explicauimus. & nobis declarauit Apostolus quomodo verbum caro factum sit, apertè dicens, Non enim angelos vtique apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Idem ergo nos quoque docebit Apostolus, quomodo Deus sermo in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.

ERAN. Ego autem credo ijs, quæ dicũtur ab apostolis & Prophetis. ostende ergo prophetiæ interpretationem, vt iam pollicitus es.

ORTH. Ad Timotheum scribens diuinus Apostolus, hæc quoque adiecit. Manifeste magnum est pietatis mysterium. Deus manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, visus angelis, prædicatus gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Clarum est ergo quòd sub aspectum quidem non cadit diuina natura, caro autem cadit, & per eam, quæ videri potest, quæ non videri potest, visa est, & per eam fecit miracula, & suam reuelauit potentiam. Manu enim videndi sensum fabricatus est, & eum, qui à natiuitate cæcus erat, curauit, & rursus surdo auditum restituit, & præpeditam alligatamque linguam soluit, digitis quidem pro instrumento vtens, sputum autem, tanquam salutare aliquod medicamentum, adhibens. Ita rursus cùm super mare ingressus est, suæ diuinitatis omnipotentiam ostendit. Aptè ergo dixit diuus Apostolus, Deus manifestatus est in carne. Per illam enim apparuit natura quæ videri non poterat. Per illam, ipsam viderunt angelorum quoque aliqui. Visus est enim inquit, angelis. Nobiscum ergo etiam incorporeæ naturæ vt hoc dono fruerentur euenit. 1. Tim. 6. 1. Tim. 3. Manus Christi mirifica. Deus quomodo angelis visus.

ERAN. Ergo priusquam seruator apparuisset, Deus non videbatur ab angelis.

ORTH. Apostolus dixit, quòd manifestatus in carne, angelis visus est.

ERAN. Atqui Dominus dixit. Videte ne contemnatis vnum horum paruorũ, qui sunt minimi. Amen enim dico vobis, quòd angeli eorum quotidie vident faciem patris vestri, qui est in cœlis. Matth. 18.

ORTH. Sed Dominus rursus dixit, Patrem non vidit quisquam, nisi qui est à Deo, is vidit Patrem. Et ideo Euangelista quoq; apertè clamat. Deum nemo vidit vnquam, & confirmat quod à Domino dictum est. Vnigenitus enim, inquit, filius qui est in sinu patris, ille narrauit. Magnus quoque Moyses, cùm naturam quæ sub aspectum non cadit videre desiderasset, audiuit ipsum Dominum Deum dicentem. Nemo videbit faciem meã, & viuet. Ioan. 6.

ERAN. Quomodo ergo intelligemus, & Angeli eorum quotidie vident faciem patris vestri?

ORTH. Sicut solemus intelligere ea, quæ dicuntur de hominibus, qui Deum vidisse existimati sunt.

ERAN. Dic clarius, non enim intellexi.

ORTH. Nunquid potest Deus videri ab hominibus?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Et tamen audimus diuinam scripturam dicentem. Visus est Deus Abrahæ ad quercum Mambræ. & Esaiam dicentem. Vidi Dominum sedentem in throno alto & sublimi. Idem quoque dicit Michæas, & Daniel, & Ezechiel. De Mose autem legislatore dicit historia. Locutus est Dominus Moysi facie ad faciem, perinde ac si quis loquatur amicus ad amicũ suum. Quin etiam ipse quoq; vniuersorũ Deus dicit, Ore ad os ipsi loquar in specie, & non per ęnigmata. Quid ergo dicemus, quod diuinam naturam viderunt? Esa. 6. Deut. 34. Num. 12.

ERAN. Minimè. Ipse enim Deus dixit. Nemo videbit faciem meam, & viuet.

ORTH. Mentiuntur ergo, qui se Deum vidisse dixerunt?

ERAN. Absit. ea enim videbant, quæ ab ipsis videri poterant.

ORTH. Ex eorum ergo qui vident viribus Dominus Deus reuelationes metitur.

ERAN. Maximè.

ORTH. Et hoc per Prophetã manifestum reddidit. Ego enim inquit, impleui visiones, & in Prophetarum manibus assimilatus sum. Non dixit, visus sum, sed assimilatus sum. Assimilatio autem, non significat eandem eius, qui videtur, naturam. Neque enim Regis imago ostendit ipsius Regis naturam, etiam si expressos, & euidentes Regis characteres referat. Assimilatio.

ERAN. Hoc est obscurum, & non satis apertum.

ORTH. Ergo nec Dei substantiam viderunt, qui reuelationes illas contemplati sunt.

ERAN. Quis autem ita insanierit, vt hoc dicere audeat?

ORTH. Dictum est tamen, quod viderũt.

ERAN. Dictum est.

ORTH. Nos autẽ & pijs rationibus vtentes, & diuinis sententijs credentes, quæ apertè clamant, Deum nemo vidit vnquam, dicimus ipsos non vidisse diuinam naturam, sed quasdam visiones, quæ eorum facultati conuenirent, nec eius modum excederent.

ERAN. Ita dicimus.

ORTH. Ita ergo de Angelis intelligamus, audientes, Quotidie vident faciem Patris vestri. Non enim vident diuinam substantiam, quæ nec circunscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ vniuersa cõprehendit, sed quandam gloriam, quæ eorum viribus respondeat sitque eis commoderata.

ERAN. Hæc ita habere in confesso est.

ORTH. Postquam autem homo factus est, visus est etiam Angelis, vt vult diuus Apostolus, non in similitudine gloriæ, sed vero, & viuo vtens veluti quodam velo, carnis integumento. Manifestatus est enim, inquit, in carne, iustificatus in spiritu, visus angelis.

ERAN. Hoc quidem, vt quod scripturæ sit, admisi, nominum autem innouationes non admitto.

ORTH. Quodnam nos nomen innouauimus?

ERAN. Illud veli nomen. Quæ enim scriptura Domini carnem velum appellauit? Velum caro Christi.

ORTH. Videris non valde diligenter legere sacram scripturam. Non enim certe reprehendisses, quod à nobis tanquam in similitudine dictum est. Primum enim, quod per carnem manifestatam esse naturam quæ sub aspectum non cadit, dixit Apostolus, permittit vt carnem diuinitatis velum intelligamus. Deinde diuinus Apostolus in Epistola ad Hebræos aperte hoc nomine vsus est. Ita autem dicit. Habentes ergo fratres, libertatem in introitu Sanctorum in sanguine Iesu, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen id est carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedentem cum veritate, ingrediẽtem cum vero corde in plenitudine fidei &c.

ERAN. Demonstratio hęc est, cui contradici nõ potest. Apostoli enim testimonio confirmata est.

ORTH. Ne nos ergo rerum nouarum accuses. Tibi enim præbebimus aliud quoque Prophetæ testimonium, quod carnem Domini vestem & indumentum nominat. Vestim.

ERAN. Si non videatur perplexum & ambiguum, non contradicemus, & tibi gratias habebimus.

ORTH. Efficiam vt de veritate promissi ipse feras testimonium. Scis quod cùm Iacob Patriarcha Iudam benediceret, Iudæ principatũ Domini natiuitate circumscribit? Non deficiet, inquit, princeps ex Iuda, nec Dux ex femoribus eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. Hanc autem prophetiam antea confessus es de Christo fuisse vaticinatam. Genes. 49.

ERAN. Confessus sum.

ORTH. Recordare ergo eorum quæ deinde sequuntur. Ita enim dicit. Cuius presentiam gentes expectant. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ indumentum suum.

ERAN. De vestibus dixit Patriarcha, non de corpore.

ORTH. Ostende ergo, quando, vel vbi in sanguine vuæ lauerit indumentum.

ERAN. Tu ostende quod his corpus purpureum reddiderit.

ORTH. Velim te paulò magis mystice respondere. Adsunt enim fortasse nonnulli, qui non sunt initiati mysterijs.

ERAN. Ita audiam, & ita respondebo.

ORTH. Scis quod seipsum Vitem Dominus appellauit?

Ioan. 15. *ERAN.* Scio eum dixisse. Ego sum Vitis vera.

ORTH. Vitis autē fructus expressus quomodo appellatur?

ERAN. Vinum.

Ioan. 19. *ORTH.* Quando autem seruatoris latus milites lancea sauciauerunt, quid ex eo profusum esse dicunt, qui Euangelia conscripsere?

ERAN. Sanguinem & aquam.

ORTH. Sanguinem ergo vuæ seruatoris sanguinem appellauit. Si enim Dominus vitis est nominatus, fructus autem vitis, vinum appellauit, sanguinis autem & aquæ ex Domini latere manantis riui per reliquum corpus inferne descenderunt: Iure ergo & appositè prædixit Patriarcha, Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ indumentum suum. Sicut enim nos mysticum vitis fructum, post sanctificationem, Domini sanguinem nominamus, ita veræ vitis sanguinē vuæ sanguinem nominauit.

Eucharistia. *ERAN.* Mystice simul & dilucide, quod propositum fuerat, ostensum est.

ORTH. Etsi ea quæ dicta sunt, tibi ad fidem faciendam satis sunt, ad veritatem tamen confirmandam aliam probationem adijciam.

ERAN. Rem mihi gratam facies si id feceris, vtilitatem enim auxeris.

ORTH. Scis quod Deus suum corpus panem appellauit?

ERAN. Scio.

ORTH. Porrò etiam alibi carnē triticum nominauit.

Ioan. 12. *ERAN.* Hoc etiam scio. Audiui enim eum dicentem, Venit hora vt glorificetur filius hominis. &, Nisi granum tritici quod cecidit in terram, mortuum fuerit, solum manet: sin autem mortuum fuerit, fert multum fructum.

ORTH. In mysteriorum autē traditione, corpus panem appellauit, & sanguinem, id quod in calice infusum & commixtum est.

ERAN. Ita nominauit.

ORTH. Atqui, & quod est secundum naturam corpus, corpus iure vocabitur, & itidem sanguis.

ERAN. In confesso est.

ORTH. Seruator quidem certè noster nomina commutauit, & corpori quidē, id quod erat symboli ac signi nomen, imposuit: symbolo autem, quod erat corporis. Ita cùm se vitem nominauisset, sanguinem, id quod erat symbolum, appellauit.

ERAN. Hoc quidem verè dixisti. Vellem autem scire causam mutationis nominum.

ORTH. Manifestum est institutum ijs, qui sunt diuinis mysterijs initiati. Volebat enim eos, qui sunt diuinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur, sed propter nominum permutationem, mutationi, quę fit ex gratia, credere. Qui enim, quod natura corpus est, triticum & panem appellauit, & vitem rursus seipsum nominauit, is symbola & signa quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honorauit, non naturam quidem mutans, sed naturę gratiam adijciens.

Mutatio.

ERAN. Et mystice mystica dicta sunt, & aperte declarata sunt, quæ non sunt nota omnibus.

ORTH. Quoniam ergo in confesso est, & Patriarcham corpus Domini vestem & indumentum nominasse, ad dicendum autem de diuinis mysterijs ingressi sumus, dic per veritatem, cuius symbolum & figuram esse existimas alimentum sanctissimum, Diuinitatis ne Domini Christi, an corporis & sanguinis?

ERAN. Clarum, quod illorum, quorum etiam appellationem susceperunt.

ORTH Corporis & sanguinis dicis?

ERAN. Ita dico.

ORTH. Vt decet amicum veritatis dixisti. Etenim Dominus cùm accepisset symbolum, seu signum, nō dixit, Hoc est deitas mea, sed, Hoc est corpus meum. & rursus, Hic est sanguis meus. & alibi, Panis autem, quem dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Ioan. 6.

ERAN. Vera sunt hæc, sunt enim diuina eloquia.

ORTH. Si ergo vera, corpus vtique habuit Dominus.

ERAN. At ego ipsum dico incorporeum.

ORTH. Sed ipsum corpus habuisse fateris.

ERAN. Ego dico quòd verbum caro factum est, ita enim doctus sum.

ORTH. In dolio, vt videtur, perforato, vt est in prouerbio, haurimus. Post omnes enim illas probationes, & eorum, quæ obijciebantur, solutiones, eodem reuolueris.

ERAN. Non ego tibi mea dicta, sed Euangelica profero.

ORTH. Ego autem Euangelicorū interpretationem non ex Propheticis, & Apostolicis dictis attuli?

ERAN. Illa non sufficiunt ad soluendum, quod quæritur.

ORTH. Atqui ostendimus, quod cùm esset inuisibilis, manifestatus est per carnem. Quinetiam ipsam carnis cognationem à sanctis viris docti sumus. Semen enim Abrahæ apprehendit. Dominus quoque Deus dixit Patriarchæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Et Apostolus. Clarum enim est quod ex Iuda exortus est Dominus, & multa alia eiusmodi testimonia adduximus. Quoniam autem etiam alia audire desideras, audi Apostolum dicentem, Omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus, ad offerendum dona & sacrificia constituitur. Vnde etiam necesse est eum habere aliquid, quod offerat. Heb. 5.

ERAN. Ostende ergo, quòd adsumptum corpus obtulit.

ORTH. Ipse diuinus Apostolus in eodem loco apertè docet. Paulò pòst enim sic dicit. Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Non dixit In corpus conuertisti, sed Heb. 10.

corpus

corpus adaptasti mihi. Significat autem eam, quæ à spiritu facta est, corporis formationem, vt dicit Euangelium. Ne timeas enim, inquit, accipere Mariam vxorem tuam. Quod enim in ea generatum est, ex spiritu sancto est. Matth. 1.

ERAN. Virgo ergo corpus tantū genuit.

ORTH. Ne ipsam quidem syllabarū compositionem, sententiam quidem certè, vt videtur, minime assecutus es. Modum enim conceptionis, non generationis docet Ioseph. Non enim dixit. Quod ex ipsa generatum, hoc est factum, vel formatum, ex spiritu sancto est. Quoniam enim Ioseph ignorans mysterium, adulterium suspicatus fuerat, sancti spiritus efformationem apertè edoctus est. Hæc per prophetam significans, dixit, Corpus autem perfecisti mihi. Cùm esset spiritalis diuinus Apostolus, id quod prædictum fuerat interpretatus est. Si est ergo sacerdotum proprium offerre munera, Christus autem, quod ad humanitatem quidem attinet, Sacerdos appellatus est, non aliam autem hostiam quàm suum corpus obtulit, Dominus ergo Christus corpus habuit. Ioseph adulteram suspicatur.

ERAN. Quod sæpe dixi, dico quod neq; deus Verbum apparuit incorporeum, nec ipsum tamen corpus accepisse, sed carnem factum esse affero.

ORTH. Quantum video, cum Valentini, & Marcionis, & Manetis sodalibus nobis certamen institutum est, imò, quod magis est, nec illi quidem immutabilem naturam in carnem vnquam fuisse conuersam dicere ausi sunt.

ERAN. Est à Christianis alienum maledicere.

ORTH. Non maledicimus, sed pro veritate pugnamus, & valde ægre ferimus, quod aduersus ea, quæ minimè sunt dubia, tanquam aduersus dubia, confertis, vt aiunt, manibus decertetis. Ego vero illiberalem hanc tuam contendendi cupiditatem compescere & infirmare conabor. Respondeergo, pollicitationum, quæ Dauid à Deo factæ sunt, meministi?

ERAN. Quarum?

ORTH. Quas in octuagesimo octauo psalmo propheta posuit.

ERAN. Scio multas pollicitationes fuisse factas Dauid. Quasnam ergo in præsentia requiris?

ORTH. Quæ de Domino Christo factæ sunt.

ERAN. Ipse, quæ ab eo dicta sunt, in memoriam reuoca. Ipse enim demonstrationes te allaturum es pollicitus.

ORTH. Audi ergo statim in principio psalmi prophetam Deum collaudantem. Cùm enim propheticis oculis præuidisset futuram populi iniquitatem, & quæ propter eam euentura erat, captiuitatem, Domino suo vera eius promissa in memoriā reuocat. Sic enim dicit, Misericordiæ tuæ Domine, donec præparabitur veritas tua. Per hæc autem omnia, docet propheta & promissionē, quę per Dei benignitatem facta est, & promisi veritatem. Deinde dicit quænam, & quibusnam sit pollicitus, ipsum Deum loquentem ostendens. Disposui, inquit, testamentum electis meis. Electos aūt vocauit Patriarchas. Deinde subiungit. Iuraui Dauid seruo meo. Dicit autem etiam de qua re iurauit. Vsque in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in generatione & generationē sedem tuam. Dic ergo, quemnam existimas appellatum esse semen Dauid? Electi patris archa. Semen Dauid.

ERAN. De Solomone promissio facta est.

ORTH. Ergo cum Patriarchis de Solomone pacta cōuenta fecit. Antè enim quæ de Dauid dicta sunt promissiones, quæ illis factæ sunt, in memoriam reuocauit. Disposui, enim inquit, testamentum electis meis. Pollicitus autem erat Patriarchis se in semine eorum benedicturum omnes gentes. Ostende ergo benedictas gentes per Solomonem.

ERAN. Hanc ergo promissionē, non per Solomonem, sed per seruatorem nostrum impleuit Deus.

ORTH. Promissis ergo, quæ Dauid facta sunt, Dominus Christus finem imposuit.

ERAN. Ego existimo Deū fecisse has promissiones, vel de Solomone, vel de Zorobabel.

ORTH. Paulò antè Marcionis, & Valentini, & Manetis verbis vsus fueras, nunc autem ad sectam ex diametro contrariam te contulisti. Iudęorum enim impudentiam defendis. Est autem hoc propriū eorum, qui à recta via diuertunt. Huc enim & illuc oberrant, per viam minimè tritam ingredientes.

ERAN. Eos qui maledicto vtuntur, Apostolus è regno expellit.

ORTH. Si temere maledicant. Nam diuinus etiam Apostolus opportune nonnūquam insectatione vsus est. & Galatas quidem stultos nominat, de alijs autē dicit Homines corrupti mente, reprobi circa fidem. & rursus de alijs, Quorum Deus venter est, & gloria ignominia ipsorum, & cætera.

ERAN. Quamnam ego maledicti tibi occasionem præbui?

ORTH. Quod apertissimos veritatis hostes alacriter & vehementer defendis. An non tibi videtur hæc esse pijs iustissima causa, vt indignentur?

ERAN. Et quosnam ego defendi, qui aduersus veritatem decertent?

ORTH. Nunc Iudæos.

ERAN. Qui & quonam modo?

ORTH. Iudæi Solomoni & Zorobabel has prophetias accommodant, vt Christianorum quæstionē minime posse consistere ostendant. Sufficiunt autem vel hæc verba ad confutandam eorum iniquitatem. Vsque in æternum enim, inquit, præparabo sedem tuam. Non solum autem Solomon, & Zorobabel, quibus tales prophetias accommodant, cùm præscriptū tempus vixissent, vitæ terminum acceperunt: sed etiam vniuersum Dauid genus extinctum est. Quis enim nouit hodie aliquem, qui Dauidica radice descenderit?

ERAN. Qui ergo dicuntur Iudæorū patri-

Patriarchæ. archæ, non ſunt ex cognatione Dauidica?

ORTH. Minime.

ERAN. Sed vndenam deriuantur?

Herodes. *ORTH.* Ex Herode alienigena, qui ex patre quidem erat Aſcalonites, ex matre autem Idumæus. Quanquam ipſi quoque omnino interierunt, & tempus præterijt, ex quo eorum principatus finem cepit. Dominus autem Deus ſe non ſolum ſemen Dauid in æternum conſeruaturum, ſed eius etiam regnum ſtabile & integrum cuſtoditurum eſt pollicitus. Aedificabo, enim inquit, in generatione & generationem ſedem tuam. Videmus autem & genus eius perijſſe, & regnum finem cepiſſe. Quinetiam hæc videntes, ſcimus in vniuerſi Deum mendacium non cadere.

ERAN. Clarum eſt veracem eſſe Deum.

ORTH. Si ergo Deus verax eſt, vt reuera verax eſt: pollicitus eſt autem Dauid, ſe & genus in æternum ſeruaturum, & regnum nulla ſucceſsione interruptum cuſtoditurum: neque genus autem nec regnum videmus, vtrunque enim ceſſauit: quomodo ijs, qui contradicunt, Deum veracem eſſe perſuadebimus?

ERAN. Reuera ergo prophetia Dominum Chriſtum prædicat.

ORTH. Quoniam ergo confeſſus es, ea, quę ſunt pſalmi quoque intermedia, communiter conſideremus. Prophetiæ enim intelligentiam facilius aſſequemur.

ERAN. Præi mihi in indagando. ego enim veſtigijs tuis inſiſtens, conſequar.

ORTH. Cùm Deus multa de ſemine ſit pollicitus, quòd & in mari & in terra dominabitur, & ijs qui in terra regnant erit ſuperior, & Dei primogenitus vocabitur, Deumque patrem liberè, & audacter appellabit, hæc quoque adiecit, In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & thronum eius ſicut dies cœli.

ERAN. Supra naturam humanam eſt promiſsio. Immortalitatem enim & æternitatem vita & honor complectitur, homines autē non admodum magno durant temporis ſpatio, natura enim exiguis vitæ limitibus circumſcribitur: & regnum habet etiam in vita multiplices & varias mutationes. Soli ergo ſeruatori Chriſto conuenit promiſsi magnitudo.

ORTH. Perge ergo etiam ad reliqua. ita enim firmior, ac ſtabilior euadet tua de hac re ſententia. Dicit enim rurſus vniuerſorum Deus. Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius vt luna perfecta in æternum, & veritatē promiſsionis oſtendens, ſubiunxit. Et teſtis in cœlo fidelis.

ERAN. Oportet ijs, quæ à fideli teſte promiſſa ſunt, abſque vlla dubitatione credere. Si enim hominibus vera dicere profeſsis, etiam ſi quæ dicuntur iureiurando non confirmauerint, fidem adhibere ſolemus, quis eſt adeo ſtupidus, & attonitus, vt vniuerſi effectori diffidat, qui ſuis dictis iuſiurandum adijcit? Qui alijs enim iurare prohibet, vt conſilij ſui immobilitatem oſtenderet, quemadmodum dicit Apoſtolus, iuſiurādum interpoſuit, vt per duas res immobiles, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, validam conſolationem habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem. Heb. 6.

ORTH. Si ergo abſque controuerſia vera eſt promiſsio, apud Iudæos autem Prophetæ Dauid nec genus nec regnum videmus, certo credamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſemen Dauid, quod ad humanitatem attinet, nominari. Ipſe enim habet & vitam, & regnum æternum.

ERAN. Non dubito, ſed ſic habere confiteor.

ORTH. Et hæc quidem ſufficiūt ad apertè oſtendendā Dei, & ſeruatoris noſtri, quam ex ſemine Dauid accepit, humanitatem. Vt autem plurium teſtimonio omnem omnino dubitationem abigamus, audiamus Deum, per vocem Eſaię prophetæ, quę Dauid factæ ſunt pollicitationum recordantem. Diſponam enim, inquit, vobis teſtamentum æternum. Et oſtendens legiſlatorem ſubiunxit. ſancta Dauid fidelia. Quoniam enim ea Dauid pollicitus eſt, & per Eſaiam eſt locutus, promiſſum quoque perficiet. Et reliqua prophetiæ, quæ deinceps ſequuntur, his congruunt. dicit enim. Ecce teſtimonium in gentibus. Dedit ipſum principem & imperantem in gentibus. Ecce gentes, quæ te non nouerunt, te inuocabunt: & populi qui te neſciunt, ad te confugient. Hęc autem nulli eorum, qui ex Dauid deſcenderunt, conuenit. Quis enim eorum, qui ex Dauid deſcenderunt, princeps gentium, vt ſcribit Eſaias, conſtitutus eſt? Quænam autem gentes, aliquem eorum, qui ex Dauid deducti ſunt, orantes, tanquam Deum inuocauerunt? Eſa. 55.

ERAN. De ijs, quæ ſunt manifeſta, non eſt longiori oratione vtēdum. Etenim hæc quoque Domino Chriſto conueniebant.

ORTH. Ad aliud ergo propheticum teſtimonium tranſeamus: & eundem prophetam dicentem audiamus. Egredietur virga, de radice Ieſſe aſcender. Eſa. 11.

ERAN. Exiſtimo hanc prophetiā factam eſſe de Zorobabel.

ORTH. Si quæ deinceps ſequuntur, audieris, non manebis in tua opinione, nam nec ipſi Iudæi hanc prædictionem ſic intellexere. Subiungit enim propheta. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Dei, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, ſpiritus timoris Dei implebit ipſum. Hæc aūt nemo vnquam nudo homini tribuerit. Nam etiam valde ſanctis dantur, ex diuiſione ſancti ſpiritus gratię. Teſtis eſt diuus Paulus dicens, Etenim datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij aūt ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, & cætera. Hic autem propheta, eū, qui de radice Ieſſe eſt germinaturus, dicit habere omnes ſpiritū operationes.

ERAN. Aduerſus hæc contēdere eſt aperta inſania.

ORTH.

ORTH. Audi ergo ea, quæ ſequuntur. Videbis enim nonnulla eorum, quæ vel humamam naturam ſuperant. Ita enim dicit. Non ſecundum opinionem iudicabit, neque ſecundum famam arguet, ſed iudicium faciet in iuſtitia humili, & arguet in rectitudine nobiles terræ: & percutiet terram ſermone oris ſui, & ſpiritu per labra perimet impium. Horum autem quæ prædicta ſunt, alia quidem ſunt humana, alia verò diuina. Iuſtitia enim, & veritas, & rectitudo, & perpetua in iudicando conſtantia declarant virtutem, quæ humanæ naturæ conuenit.

ERAN. Per hæc apertè didicimus, quòd ſeruatoris noſtri præſentiā Propheta per hæc vaticinatus eſt.

ORTH. Quæ conſequuntur, apertius docebunt veritatem interpretationis. Subiungit enim. Tunc paſcetur lupus vna cum agno, & quæ ſequuntur. Per quæ docet & morum differentiam, & fidei concordiam. Porrò autem prædictionis teſtem habemus rerum experientiam. Nam & eos qui ſuas diuitias iactitant, & qui in paupertate victitant, ſeruos & dominos, eosq; qui imperio parent, & qui imperant, & milites, & priuatos, & eos qui orbis terrarum ſceptra tenent, vna excipit piſcina, vna omnibus offertur doctrina, vna omnibus menſa myſtica apponitur, & quilibet credentium æquali parte fruitur. Eucharistia.

ERAN. Sed hæc Deum eſſe, qui prædicitur, oſtendunt.

ORTH. Non ſolum Deum, ſed etiam hominem. ea autem de cauſa ſtatim cum Prophetiam incepiſſet, dixit virgam ex radice Ieſſe eſſe germinaturam. Et cùm prædictionem perfeciſſet, iterum accepit procemium. Dixit etenim. Et erit radix Ieſſe, & exurgens ad imperandum gentibus, in eo gentes ſperabunt, & erit requies eius honor. Ieſſe autem pater Dauid. Dauid autem facta eſt cum iureiurando promiſsio. Non appellaſſet autem vnicam ex Ieſſe germinaturam, Dominū Chriſtum ſi Deum tātummodo eum eſſe ſciuiſſet. Prædixit autem prophetia etiam terrarum orbis mutationem. Impleta eſt enim, inquit, vniuerſa terra, vt cognoſcat Dominum, vt aqua multa operiat maria.

ERAN. Audiui quidem Prophetica vaticinia. Vellem autem clare ſcire an etiam Diuinus Apoſtolorum chorus dicit Dominum Chriſtum germinaſſe ex ſemine Dauid ſecundum carnem.

ORTH. Nihil poſtulaſti arduum, ſed valde facile & expeditum. Audi ergo primum Apoſtolorum clamantem. Propheta cùm eſſet Dauid, & ſciret quòd iureiurando iuraſſet illi Deus de fructu lumbi eius excitaturum, vt ſecundum carnem Chriſtus ſederet ſuper ſedem eius, prouidens locutus eſt de reſurrectione eius, quòd neque derelicta eſt in inferno anima eius, neque caro eius vidit corruptionem. Ex his facile ſcire potes, quòd etiam ex ſemine Dauid ſecundum carnem germinauit Dominus Chriſtus, & non ſolum carnem, ſed etiam animam habuit. Act. 2.

ERAN. Quis alius ex Apoſtolis hæc prædicauit?

ORTH. Suffeciſſet quidem vel ſolus magnus Petrus, veritati teſtimonium ferens. Etenim cùm Dominus ab eo ſolo pietatis teſtimonium excepiſſet, eam inſigni beatitudine confirmauit. Quoniam autem alios quoque hoc prædicantes audire deſideras, audi. In Antiochia Piſidiæ, cùm Paulus & Barnabas concionarentur, ij Dauid mentionem facientes, hæc ſubiunxerunt. Huius ex ſemine Deus ſecundum promiſsionem excitauit Iſraeli ſaluatorem Ieſum, &c. Ad Timotheum quoque ſcribens Diuinus Apoſtolus, hæc etiam poſuit. Memor eſto Domi- Matth. 16. Act. 13. Tim. 2.
num Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundum Euangelium meum. Et ad Romanos ſcribens, ſtatim in principio meminit Dauidicæ cognationis. Sic enim dicit. Paulus Apoſtolus, & cætera. In ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem &c. Rom. 4.

ERAN. Sunt quidem frequentes, & veræ demonſtrationes. Dic mihi autem, cur quod deinceps ſequitur ex teſtimonio prætermiſisti.

ORTH. Quia de humanitate non etiam de diuinitate dubitas. Quòd ſi de diuinitate dubitaſſes, de ea tibi probationes attuliſſem. ſufficit tamen dicere, Secundum carnem, ad declarandam, quæ ſilentio prætermiſſa eſt, diuinitatem. Si communis enim hominis doceam cognationem, non dico, Hic illius ſecundum carnem filius, ſed dico ſolum, filius. Ita etiam diuinus Euangeliſta ſcripſit genealogiam. Abraam enim inquit, genuit Iſaac: & non adijcit, ſecundum carnem. Iſaac enim homo ſolum extitit. ſimiliter etiam aliorum meminit, erant enim homines, nec quidquam præter naturam habebant. Verùm enimuero de Domino Chriſto diſſerentes veritatis præcones, & ijs, qui ignorabant inferiorem cognationem oſtendentes, adiungunt illud, ſecundum carnem, hac ratione ſignificantes deitatem, & docentes quòd non homo ſolum, ſed etiā Deus ante ſæcula Chriſtus Dominus. Matth. 1.

ERAN. Multa quidem & Apoſtolica, & prophetica adduxiſti teſtimonia, Ego autem credo Euangeliſtæ, qui dicit, Verbum caro factum eſt.

ORTH. Ego quoque credo huic diuinæ doctrinæ, verùm eam piè intelligo, quòd ſcilicet carne accepta, & anima ratione prædita, caro factum eſſe dicitur: ſin autem nihil ex noſtra natura accepit Deus ſermo, non ſunt vera quæ cum patriarchis à Deo vniuerſorum cum iureiurando facta ſunt pacta conuenta: inutilis autem eſt & Iudæ benedictio: falſa verò eſt, quæ Dauid facta eſt, promiſsio: ſuperuacanea eſt & virgo, quæ Deo incarnato nihil noſtræ naturæ attulit: quæ autem prophetæ prædixerunt, nondum finem

cepere, inanis ergo est prædicatio nostra, inanis fides nostra, vana quoque est spes resurrectionis, mentitur etiam vt videtur Apostolus, cùm dicit, Suscitauit, & considere nos
Eph. 2. fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Si enim nostræ naturæ nihil habuit Christus Dominus, falso quidem nostræ primitiæ appellatus est, corporis autem natura non excitata est ex mortuis, sed neque in cœlo à dextris sedem assecutus est. Quòd si nihil horum assecutus est, quomodo Deus nos suscitauit, & cum Christo sedere fecit, qui nihil ad eum secundum naturam attinemus? Sed hæc dicere impium est. Diuinus enim Apostolus, licet nondum facta sit resurrectio communis, nec regnum cœlorum ijs qui crediderunt datum sit, clamat tamen, Suscitauit, & considere nos fecit in cœlestibus in Christo Iesu, docens quod cùm primitiæ nostræ resurrectionis & sessio à dextris fuerit, nos quoque resurrectionem omnino consequemur: & vnà cum primitijs gloriæ sunt participes, qui habent naturæ communionem, & sunt participes fidei.

ERAN. Et multa & vera dicta exposuisti, sed vellem scire sententiam dicti Euangelici.

ORTH. Externa interpretatione tibi minime opus est. Ipse enim Euangelista seipsum
Ioan. 1. interpretatur. Cum enim dixisset, Verbum caro factum est, subiunxit, Et habitauit in nobis, Græce ἐσκήνωσεν, Tentoria fixit in nobis, hoc est, fixis in nobis tabernaculis, & veluti quodã templo, carne à nobis accepta vsus, dicitur factũ fuisse caro. & docens quòd à mutatione omnino alienũ remansit, subiunxit, Et vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre, plenum gratię & veritatis. Carne enim amictus, nobilitatem paternam ostendebat, & diuinitatis radios emittebat, & dominicæ potestatis splendorem euibrabat, latentem naturam miraculis aperiens. His sunt similia, quæ scripsit ad Philippenses diuinus Apostolus.
Phil. 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei, & cætera. vsque ad Mortem crucis. Vide autem quàm sint inter se cognata, quæ ab eis prædicata fuerunt. Euangelista dixit, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Apostolus, Serui formam accipiens. Rursus dixit Euangelista, Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Apostolus, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo. Et, vt paucis dicam, ambo docent, quod cùm esset Deus, & Dei filius, & patris gloria circundatus, & eandem haberet naturam & potentiam cum genitore, & cùm esset in principio, & esset apud Deum, & Deus esset, & creaturas esset fabricatus, serui formam accepit, & videbatur quidem hoc solum esse, quod cernebatur, erat autẽ Deus humana natura indutus, & hominum salutem procurabat. Hoc significat illud, Verbum caro factum est. & illud, In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Hoc enim solum videbant Iudæi, & ideo dicebant illi. De bono opere non lapidamus te, sed de Ioan. 10.
blasphemia, quòd cũ sis homo, facis teipsum Deum. Et rursus. Hic homo non est ex Deo, quia sabbatum non seruat.

ERAN. Iudæi cæcutiebant propter suam infidelitatem, & hanc ob causam vtebantur his verbis.

ORTH. Si autem etiam Apostolos resurrectionem hæc dicere inueneris, admittes interpretationem.

ERAN. Audio eos in nauigio post maximum tranquillitatis miraculũ dicentes, Qua- Matth. 8.
lis est hic homo, quod & mare & venti ei obe- Luc. 8.
diunt? Hoc quidem demonstratum est. Sed Mar. 4.
dic mihi, diuinus Apostolus eum in similitudine hominis fuisse factum dicit?

ORTH. Quod acceptum est, non similitudo hominis, sed hominis natura. Serui enim forma, sicut & Dei forma, Dei natura intelligitur. Ipse quidem certe qui eam accepit, in similitudine hominis factus est, & habitu inuentus vt homo. Cùm enim Deus esset, videbatur esse homo, propter eam naturam, quam susceperat. Euangelista autem illud, In similitudine hominis factum esse, dicit carnem factum esse. Vt autem scias, quod sunt contrarij & repugnantis spiritus discipuli qui Seruatoris nostri carnem inficiantur, audi magnum Io-
annem dicentem in Catholica. Omnis spiri- Ioan. 4.
tus qui confitetur Iesum Christũ in carne venisse, ex Deo est. &, Omnis spiritus qui non confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo non est, & hoc est Antichristi.

ERAN. Probabiliter quidem interpretatus es. Ego autem vellem scire, quomodo antiqui Ecclesiæ Doctores illud, Verbum caro factum est, intellexerint.

ORTH. Oportebat te quidem Apostolicis probationibus credere. Quoniam autem sanctorum quoque Patrum requiris interpretationem, ego hanc quoque tibi, si Deus velit, medicinam afferam.

ERAN. Ne mihi viros obscuros, aut ambiguos adduxeris. eiusmodi enim hominum interpretationem non admittam.

ORTH. Videtur ne tibi fide dignus celeberrimus ille Athanasius, qui fuit clarissimũ Athanasius.
Ecclesiæ Alexandrinæ lumen?

ERAN. Maxime.

ORTH. Suis enim, quas pro veritate perpessus est, afflictionibus, doctrinam confirmauit. Audi ergo eum scribentem ad Epictetum. Ita autem dicit. Quod apud Ioannem dicitur, Verbum caro factum est, hanc habet intelligentiam, sicut etiam ex eo quod est huic simile potest inueniri. Scriptum est enim apud Paulum. Christus pro nobis factus est male- Galat. 3.
dictum. Quemadmodum non quod ipse maledictum factus sit, sed quod pro nobis maledictum suscepit, maledictum factus est, ita non quod conuersus sit in carnem, sed quod carnem pro nobis susceperit, dicitur factus caro. Hæc quidem diuinissimus Athanasius. Gregorius autẽ, cuius insignis ad omnes glo- Gregorius.
ria peruasit, qui olim quidem regiã vrbem, quæ

quæ in ostio Bosphori sita est, gubernauit, postea autem Nazianzum habitauit, aduersus Apollinaris præstigias sic scripsit ad Cledonium.

ERAN. Vir fuit illustris, & eximius propugnator pietatis, & veræ religionis.

ORTH. Audi ergo eum dicentem. Illud ergo, Verbum caro factum est, mihi videtur perinde esse, ac cùm dicitur, illum factum esse peccatum & maledictum &c. Vsque ad, Qui morbos nostros portauit.

ERAN. Congruit vtriusque interpetatio.

ORTH. Quoniam ergo eos, qui & Australium, & Borealium partium pastores fuerunt, tibi inter se conuenire ostendimus, age te quoque ad celeberrimos Occidentis Doctores, tanquam hospitem deducamus, qui alia quidem lingua, sed non alia sententia, interpretationem conscripsere.

Ambrosius. *ERAN.* Audio Ambrosium, qui Mediolani Archiepiscopalem sedem administrauit, aduersus omnem quidem hæresim se præclare gessisse, pulcherrima autem scripsisse, & quæ cum Apostolorum doctrina conueniunt.

ORTH. Eius tibi interpretationem afferam. Hæc autem dicit in libro de Fide. Sed scriptum est inquit, Verbum caro factum est. Quod scriptum est non nego. Sed vide quod dicitur. Sequitur enim. Et inhabitauit in nobis, hoc est, in carne humana habitauit. Miraris scriptum esse, Verbum caro factum est, carne à Deo verbo sumpta, quando etiam de peccato, quod non habuit, dictum est.
2. Cor. 5. Factus peccatum, hoc est, non peccati natura & operatio effectus est, sed vt nostrum peccatum carne crucifigeret. Cessent ergo dicere verbi naturam mutatam esse, quod caro assumpta sit. Alius est enim qui ad sumpsit, aliud quod assumptum est. Post hos, conuenit audire Doctores, qui sunt ad Orientem, hæc enim sola pars nobis restat ex vniuerso terrarum orbe. Et oportebat eos quidem primos veritati ferre testimonium. Apostolicæ enim prædicationis primi fuere participes. Sed quoniam aduersus primogenitos pietatis filios, vestras linguas acuistis, easque mendaciorum cote ad secandum præparastis, vltimum eis locum dedimus, vt cùm alios primum audiueritis, deinde quæ ab illis dicta sunt, cum ijs, quæ ab his dicuntur, comparaueritis, eorum quidem concordiam admiremini, & à vestro linguæ
Flauianus. morbo cessetis. Audite ergo Flauianum, qui Antiochenæ Ecclesiæ clauum longissimo tempore sapienter tenuit, & Arianicis fluctibus potentiores, quas rexit ecclesias, effecit, Euangelicum dictum interpretantem. Verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis, non in carnem mutatum est, neque Deus esse destitit: sed illud quidem fuit in æternum, hoc autem factum est ex diuino consilio, & ex quadam dispensatione, cùm ipse suum templum ædificasset, & passione, & generatione in eo habitauit. Si autem etiam veteres Palæstinos vis audire, præbe aures in primis admirabili Gelasio, qui Cæsariensem agrum diligenter coluit. Hæc ergo dicit in concione Apparitionis Dominicæ. Disce veritatem à Ioanne piscatore, qui dicit, Verbum caro factum est, non ipsum mutatum, sed in nobis tanquam in tabernaculo habitans, aliud est tentorium, aliud verbum, aliud templum, & aliud Deus, qui in ipso inhabitat.

ERAN. Valde miror concordiam.

ORTH. Ioannem autem, magnum orbis terrarum lumen, qui primum quidem Antiochenam Ecclesiam maximo studio irrigauit, deinde regiam vrbem sapienter coluit, non putas Apostolicam fidei seruasse regulam?

ERAN. Valde quidem admiratione dignum eum doctorem existimo.

ORTH. Is omni ex parte optimus, hunc Euangelij locum est interpretatus. Ita autem dicit, Quare quando audieris, Verbum caro factum est, non perturberis, nec animo deijciaris, non enim substantia in carnem mutata est, hoc est enim extremæ impietatis, sed id quod est, manens, ita serui formam accepit. Quemadmodum enim quando dicit, Chri- Gal. 3.
stus nos redemit à maledicto legis factus pro nobis maledictum, non dicit, quod eius substantia à propria gloria discedens, maledicti substantia effecta est, hoc enim ipsi Dæmones intellexerint, nec qui valde stulti & vel naturali & communi sensu priuati fuerint, tantam cum impietate continent amentiam. Non hoc ergo dicit, sed quod nostro suscepto maledicto, non permittit nos esse deinceps maledictos, ita etiam hic carnem dicit ipsum factum esse, non mutata in carnem substantia, sed hac accepta, illa manente integra. Si autem tibi cordi sit etiam Seue- Seuerianus.
rianum Gabalarum audire pastorem, ego tibi eius quoque interpretationem afferam, tu vero aurem præbe. Illud enim, Verbum caro factum est, non ipsum à sua natura excidisse, sed nostram naturam accepisse significat. Si enim illud, factum est, mutationem existimas, si audieris Paulum dicentem, Christus nos redemit à maledicto legis, Gal. 3.
factus pro nobis maledictum, ita vt naturam, & in maledictum mutationem significet, dictionem acceperis. Sicut ergo illud, Factus maledictum, nihil aliud significat, quàm quod maledictum, quod erat aduersum nos, ipse in se suscepit: Ita etiam illud, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, nihil aliud significat, quàm quod carnem suscepit.

ERAN. Miror horum virorum concordiam & consensionem. Omnes enim dicta Euangelica sic interpretati sunt, perinde ac si simul conuenissent, & quod eis visum esset communiter conscripsissent.

ORTH. Maria quidem & mõtes maximis eos interuallis inter se inuicem distinguunt, sed eorũ consensioni locorum distantia nihil damni attulit. Omnes enim ab vna spiritali

gratia afflati, & initiati erant. Adduxissem tibi etiam fortissimorum veritatis propugnatorum, Diodori, & Theodori, interpretationes, nisi vos in eos viros infenso animo esse viderem, & Apollinaris in eos odio & maleuolentiæ successisse. Vidisses enim eos etiam alijs conuenientia scripsisse, & ex diuino fonte fluenta hausisse, ipsosque etiam sancti spiritus riuos extitisse. Sed hos quidem prætermittam. Perpetuum enim & implacabile bellum aduersus eos suscepistis. Ostendam autem tibi vere omni ex parte benedictum ecclesiæ Doctorem, & illius de diuina humanitatis susceptione sententiam, vt scias quænam de suscepta natura eius fuerit opinio. De illo enim Ignatio omnino audiuisti, qui per magni Petri dexteram Pontificatus gratiam suscepit, & cum Antiochenam Ecclesiam rexisset, martyrij corona redimitus est: & Irenæum, cui vt Polycarpi doctrina frueretur contigit, Occidentalium autem Gallorum lumen fuit: & Hippolytum, & Methodium Pontifices, & Martyres, & alios, quorum doctrinis nomina quoque adiungam.

Diodor. Theodor. Apollinar. Ignat.

ERAN. Valde cupienti mihi hæc quoque testimonia afferes.

ORTH. Audi ergo viros doctrinam apostolicam proferentes.

Sancti Ignatij Episcopi Antiocheni & Martyris ex Epistola ad Romanos.

Vere de Domino nostro persuasos, & certiores redditos, qui ex genere Dauid secundum carnem, filius autem Dei secundum diuinitatem & potentiam, vere factus ex virgine, tinctus à Ioanne, vt omnis iustitia ab ipso impleretur. Vere sub Pontio, & Herode Tetrarcha cruci pro nobis affixus in carne.

Eiusdem ex eadem Epistola.

Quid enim me iuuat, si quis me laudat, Dominum autem meum blasphemat, dum non confitetur eum carnem gestare? Qui autem hoc non dicit, eum perfecte negauit, tanquam qui cadauer mortuum circumferat.

Eiusdem ex eadem Epistola.

Si autem opinione tantum, & quòd ita videretur, hæc à Domino nostro facta sunt, ego quoque opinione vinctus sum, cur autem me ipsum morti tradidi, ad ignem, ad gladium, ad belluas? Sed qui sum prope gladium, sum prope Deum, solum in nomine Iesu Christi ad ei compatiendum. Omnia sustineo, ipso me confirmante perfecto homine, quem quidam ignorantes negant.

Eiusdem ex Epistola ad Ephesios.

Deus enim noster Iesus Christus in Mariæ quidem vtero gestatus est, ex semine quidem Dauid, ex sancto autem spiritu, qui natus est, & baptizatus, vt quod nostrum mortale est purgetur.

Eiusdem ex eadem Epistola.

Siquidem viritim omnes communiter in gratia ex nomine conuenitis in vna fide, & in vno Iesu Christo secundum carnem ex genere Dauid, filio hominis, & filio Dei.

Eiusdem ex eadem Epistola.

Vnus est medicus carnalis, & spiritalis, genitus ex ingenito in homine Deus, in morte vera vita, & ex Maria & ex Deo, primum patibilis, & tunc impatibilis Iesus Christus Dominus noster.

Eiusdem ex Epistola ad Trallianos.

Obsurdescite ergo, quãdo sine Iesu Christo vobis loquitur quispiam: qui est ex genere Dauid, qui ex Maria, qui vere natus est, vere comedit, & bibit, qui sub Pontio quidem Pilato passus est, crucifixus, & mortuus, videntibus cœlestibus, terrestribus, & inferis.

Irenæi Episcopi Lugdunensis ex tertio libro in hæreses. Iren.

Cur autem adiecerunt illud, In ciuitate Dauid, nisi vt à Deo factum Dauid promissum, quòd ex fructu ventris eius erit rex æternus, impletum annunciarent? Quod quidem promissum fecerat huius opifex vniuersi.

Eiusdem ex eodem libro.

Et dum dicit, Audite domus Dauid, erat significantis, quòd Deus Dauid erat pollicitus, se de fructu ventris eius æternum regem excitaturum. Is autem est qui ex virgine Dauid natus est.

Eiusdem ex eodem libro.

Si ergo primus Adam & patrem habuisset hominem, & ex semine esset genitus, consentaneum quoq; esset dicere secundum Adam ex Ioseph esse genitum, sin autem ille ex terra sumptus est, eius autem effictor est Deus, oportebat etiam eum qui instaurabat, & veluti de integro in summam caputque redigebat hominem, qui à Deo fuerat formatus, eandem cum illo generationis habere similitudinem. Cur ergo non rursus accepit limum Deus, sed ex virgine effecit, vt fieret formatio? Ne alia fieret creatura, nec aliud esset, quod seruaretur, sed ille ipse de integro restauraretur, conseruata similitudine. Valde ergo labuntur qui dicunt ex virgine eum nihil accepisse, vt carnis hæreditatem expellant, & similitudinem eijciant.

Eiusdem ex eodem libro.

Quandoquidem æqualis est eius in Mariam descensus. Cur enim in eam descendisset, si ex ea nihil erat sumpturus? Præterea si ex Maria nihil cepisset, nec quæ ex terra quidem capiuntur nutrimenta admisisset quibus ex terra sumptum corpus alitur, neque postquam quadraginta dies, vt Moses & Helias, ieiunauit, esurijsset, corpore sibi proprium requirente nutrimentum: nec Ioannes eius discipulus de ipso scribens dixisset, Iesus autem defessus ex itinere sedebat, nec Dauid de ipso longe prius exclamasset, Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, nec propter Lazarum fleuisset, nec sudasset guttas sanguinis, nec dixisset, Tristis est anima mea: nec puncto eius latere aqua & sanguis exijsset. Hæc enim omnia carnis è terra acceptæ signa sunt, quam in seipso à capite instaurauit, proprium figmentum conseruans. Ioan. 4.

Eiusdem ex eodem libro.

Quemad-

Adam.

Quemadmodum enim per vnius hominis inobedientiam, qui primo ex terra inculta factus erat, peccatores multi constituti sunt, & vitam amiserunt: ita oportebat etiam per vnius hominis obedientiam, qui primum ex virgine factus est, multos iustificari, & salutem recipere.

Eiusdem ex eodem libro.

Ego dixi, filij altissimi estis omnes, & dij, vos autem vt homines morimini. Hæc dixit ad eos, qui adoptionis donum non susceperunt, sed puræ Dei verbi natiuitatis incarnationem contemnunt, & ascensu ad Deum hominem priuant, & in Dei verbum, quod pro eis incarnatum est, ingrati sunt. Propterea enim verbum homo factum est, vt homo qui ipsum retinuerit, & adoptionem acceperit, fiat filius Dei.

Eiusdem ex eodem libro.

Cùm spiritus propter præfinitam œconomiam descenderit, & filius Dei vnigenitus, qui est etiam verbum patris, cùm venisset plenitudo temporis in homine incarnatus sit, & omnem, quæ est secundum hominem œconomiam & dispensationem impleuerit Dominus noster Iesus Christus, qui est vnus & idem, vt ipse Dominus testatur, & Apostoli confitentur, & Prophetæ prædicant: falsæ ostensæ sunt omnes eorum doctrinæ, qui ogdoades, & quaternioues, & visiones, seu falsas apparitiones inuenerunt.

Hippolyt.

Sancti Hippolyti Episcopi & martyris ex oratione, quam fecit in illud, Dominus pascit me.

Arca.

Porrò autem arca ex lignis, quæ putrescere non poterant, erat ipse Seruator. Eius enim tabernaculum nulli putredini obnoxium, & ab interitu alienum ideo prædicabatur, quòd nullam peccati putredinem produxisset. Qui enim peccauit, & confitetur, & dicit, Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Dominus autem erat à peccato alienus, vt qui ex lignis putrefactioni minimè obnoxijs, quod ad humanitatem attinet, nempe ex virginis, & spiritus Dei verbi, veluti auro purissimo, intra & extra esset contectus. Psal. 37.

Eiusdem ex Sermone in Helcanam & Annam.

Duc autem mihi ò Samuel in Bethleem iuuencam, quæ trahitur, vt ostendas eum regem qui ex Dauid nascitur, qui idem à patre Rex & Sacerdos vngitur.

Eiusdem ex eodem Sermone.

Dic mihi ò beata Maria, quid erat quod in tuo erat vtero conceptum, & quid erat, quod à te in virginali matrice gestabatur? Sermo erat Dei primogenitus, de cœlis ad te descendens, & homo primogenitus in vtero formatus, vt primogenitus sermo Dei homini primogenito coniunctus ostenderetur.

Eiusdem ex eodem Sermone.

Secundam autem, quæ per Prophetas facta est, vt per Samuel reuocans, & conuertens populum à seruitute alienigenarum. Tertiam autem, in qua incarnatus aderat, qui ex virgine hominem susceperat, qui etiam cùm vidisset ciuitatem, fleuit super ipsam.

Eiusdem ex sermone, qui est in principio Esaiæ.

Aegypto quidem mundum assimilauit, manufactis autem Idololatriam, terræ motui autem transmutationem, & eius euersionem, Dominum autem, verbum, nubem autem leuem, purissimum eius tabernaculum in quo tanquam in sede collocatus Dominus noster Iesus Christus, ingressus est in vitam ad concutiendum & labefactandum errorem. Sancti Methodij Episcopi & Martyris ex sermone de Martyribus. Adeo enim admirabile, & tanto studio expetendum est Martyrium, quòd ipse Dominus Iesus Christus Filius Dei se id honorare testatus sit. Non rapinam arbitratus se esse æqualem Deo, vt etiam eo dono hominem ad quem descendit coronaret. Method. Philip. 2.

Sancti Eustachij Episcopi Antiocheni & confessoris ex interpretatione Psalmi XV.

Atqui anima Iesu habuit vtriusque experientiam. Nam & fuit in loco humanarum animarum, & cùm intra carnem, viuit & subsistit. Ratione ergo prædita, & eiusdem cum animis hominũ substantiæ, sicut & caro est eiusdem substantiæ cum carne hominum, vt quæ ex Maria processerit.

Eiusdem ex libro de Anima.

Quid autem dixerunt, qui ad infantis educationem respexerint, vel ætatis incrementum, vel temporum accessionem, vel auctionem corporis? Vt autem prætermittam miracula, quæ in terra facta sunt, videant mortuorum resuscitationes, passionis signa, flagellorum cicatrices, plagarum vibices, perforata latera, clauorum typos, effusionem sanguinis, mortis signa, & vt omnia complectar, ipsam proprij corporis resurrectionem.

Eiusdem ex eodem libro.

Atqui si quis corporis generationem respicit, aperte inuenerit, quòd in Bethleem natus fascijs inuolutus est, & in Aegypto aliquandiu nutritus est propter immanissimi Herodis insidias, & in Nazareth ad virilem ætatem peruenit.

Eiusdem ex eodem libro.

Non est enim idem tabernaculum verbi & Dei, per quod contemplabatur diuinam gloriam beatus Stephanus.

Eiusdem ex sermone in illud, Dominus creauit me initium viarum suarum.

Si ergo generationis principium cœpit verbum, ex quo per maternum vterem traijciens, corporales tulit compages: constat quòd factus est ex muliere. Sin autem verbum, & Deus erat apud patrem superioribus retro sæculis, & vniuersa per eum facta esse dicimus, non est ergo factus ex muliere, qui est & genitis omnibus causa & author est, sed est Deus natura sufficiens, infinitus, & qui nec mente comprehendi potest, ex muliere autem factus homo est, qui in virginali vtero sancto spiritu compactus est.

Eiusdem ex eodem Sermone.

Templum enim proprie purum & impollutum, Templum.

lutum, quod est, quod ad humanitatem attinet, circa verbum tabernaculum, in quo facto tabernaculo Deus manifeste habitauit. Et hæc non probabilibus coniecturis moti dicimus. Huius enim templi solutionem & resuscitationem, qui Dei est natura filius, prædicens, hæc nos aperte docens suggerit, sceleratis dicens Iudæis. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum. Ioan. 2.

Eiusdem ex eodem libro.

Quando ergo hominem, templum ipsum fabricatus, sermo gestauit, corpore quidem ad homines accedens omnis generis miracula inuisibiliter effecit, Apostolos autem æterni regni prædicatores emisit.

Eiusdem ex interpretatione Psalmi XCII.

Clarum est ergo, quòd si vngens demonstrat Deum cuius sedem æternam dixit, manifestè quidem natura Deus ex Deo genitus est, qui vnxit. Qui autem vnctus est, acquisitam virtutem accepit, egregio templi opificio ornatus ex habitante in eo diuinitate.

Athan. Sancti Athanasij Episcopi Alexandrini, ex defensione facta pro Dionysio Episcopo Alexandriæ. Ego vitis, vos palmites, Pater meus agricola est. Ioan. 15. Nos enim, Domini, quod ad corpus attinet, cognati sumus & propterea dixit ipse. Annunciabo nomen meum fratribus meis: & quemadmodum palmites eiusdem cum vite substantiæ, & ex ea sunt, ita etiam nos cùm corpore Domini cognata, & eiusdem generis corpora habentes, accipimus ex eius plenitudine, & illud habemus radicem ad resurrectionem, & ad salutem. Cognati. Pater autem dictus est Agricola, ipse enim per verbum vitem effecit, quæ est corpus Domini.

Eiusdem ex eodem opere.

Vitis autem appellatus est Dominus, propter corporalem, quæ cum palmitibus, qui sumus nos, intercedit cognationem.

Eiusdem ex maiore de fide Oratione.

Quod scriptum est, In principio erat verbum, apertè diuinitatem significat. Illud autem, Verbum caro factum est, Domini humanitatem indicat.

Eiusdem ex eadem Oratione.

Gen. 49. Et illud, Lauabit in vino stolam suam, hoc est, in proprio sanguine, corpus, quod est, indumentum diuinitatis.

Eiusdem ex eadem Oratione.

Hoc enim, Erat, refertur ad eius diuinitatem, illud verò, Caro factum est, ad corpus. Verbum caro factum est, non in carnem resolutum, sed carnem gestans. Quemadmodum si dixerit qui spiam, Hic senex factus est, cùm non talis esset genitus, vel, miles factus est veteranus, cùm non prius esset talis, qualis factus est. Est autem Græce γέγονεν, quod & factum est, & fuit Latinè dici potest. Apoc. 1. Ioannes, ἐγενόμην, inquit, hoc est factus sum, seu fui in insula Patmo, in die Dominico, non quòd illic factus fuerit, sed dixit, ἐγενόμην ἐν πάτμῳ factus sum in Patmo, id eo quod est, accessi, vel adfui, ita etiam verbum ad carnem accessit, vt dictum est, Verbum caro factum est. Audi dicentem, Factus sum tanquam vas perditum, & factus sum tanquam homo sine auxilio inter mortuos liber. Psal. 87.

Eiusdem ex Epistola ad Epictetum.

Quis enim vnquam talia audiuit, quis docuit, quis didicit? Ex Sion enim egredietur lex, & verbum Domini ex Hierusalem. Esa. 2. Hæc autem vnde egressa sunt, quis infernus eructauit, quòd dicatur ex Maria acceptum corpus esse eiusdem substantiæ cum verbi diuinitate? vel quòd verbum in carnem, & ossa, & pilos, & totum corpus immutatum est? Corpus diuinitati hominis. Quis autem audiuit in Ecclesia, vel omnino apud Christianos, quòd adscitum & non naturale Deus corpus gestauerit.

Eiusdem ex eadem Epistola.

Quis autem audiens, quòd non ex Maria, sed ex sua substantia sibi corpus patibile verbum transformauerit, dixerit eum esse Christianum, qui hæc dicit? Quis autem hanc nefariam impietatem excogitauit, vt vel ei in mentem venerit, & dixerit, quòd qui dicit Domini corpus esse ex Maria, non vtique trinitatem, sed quaternionem esse in Deitate sentit? Quaternio tanquam qui ita affecti sunt, dicant propterea substantiam trinitatis esse carnem, quam Seruator ex Maria induit. Vndenam autem nonnulli æqualem ijs, quæ antè dicta sunt, impietatem eructauerunt, vt dicerent corpus non esse recentius verbi diuinitate, sed illi perpetuò coæternum extitisse, quandoquidem ex sapientiæ substantia compositum est? Coæternum

Eiusdem ex eadem Epistola.

Erat ergo humanum natura corpus, quod ex Maria natum est, vt volunt scripturæ diuinæ, verum autem erat, quoniam idem erat cum nostro. Soror enim nostra Maria, quoniam omnes sumus ex Adam, nemo autem de hoc dubitauerit, qui recordabitur eorum, quæ Lucas scripserit.

Sancti Basilij Episcopi Cæsariensis ex interpretatione Psalmi LIX. Basil.

Omnes alienigenæ iugo Christi se subiunxere, & ideo vsque ad Idumęam extendit calceamentum suum. Diuinitatis autem calceamentum caro est Deifera, per quam ad homines accessit. Caro Deifera.

Eiusdem, ex ijs quæ scripsit ad Amphilochium Episcopum de sancto spiritu

Et rursus hac dictione, Ex quo, pro ea quæ est, per quem, vsus est, vt quando dicit Paulus, Factus ex muliere. Hoc enim alibi nobis apertè distinxit, mulieri quidem conuenire dicens hoc, Ex viro factum esse, viro autem illud, Per mulierem, cùm dicit, Sicut mulier ex viro, ita vir per mulierem, simul quidem indifferentem, vt ita dicam, vsum indicans, simul etiam nonnullorum errorem obiter corrigens, qui existimant spiritale esse corpus Domini. Vt autem ostenderet quòd ex humana massa Deifera caro concreta & compacta est, vocem magis significantem, & maiorem emphasim habentem prætulit. Hoc enim, Per mulierem, traiectitiam tantum fuisse ge- Gal. 4. 1. Cor. 11.

nerationem videretur ostendere: illud autem, Ex muliere, communionem naturæ eius, quod nascitur, cum ea, quæ genuit satis ostendere.

Sancti Gregorij Episcopi Nazianzi ex priore expositione ad Clydonium.

Si quis dicit carnem de cœlo descendisse, & non hinc & ex nobis esse, anathema sit. Illud enim, Secundus homo è cœlo: &, Qualis cœlestis, tales & cœlestes: &, Nemo ascendit in cœlum, nisi de cœlo descendit, filius hominis, & si quid est aliud huiusmodi, existimandum est dici propter vnionem cum homine, quemadmodum & per Christum omnia facta esse, & habitare Christum in cordibus nostris, non qua Deus apparet, sed qua intelligitur, confusis, vt appellationibus, ita etiam naturis. 1. Cor. 15. Ioan. 3.

Eiusdem ex eodem libro.

Quæ est autem eis ratio susceptæ humanitatis seu incarnationis, videamus, vt ipsi dicunt. Siquidem vt contineretur Deus, qui alias contineri non potest, & tanquam sub velamine, carne, cum hominibus versaretur, est elegans eis suscepta persona, & pulcher repræsentationis actus. dicam quòd etiam nobiscũ aliter versari poterat, sicut in rubo ignis, & humana forma prius. Sin autem vt peccati condemnationem solueret, simili simile arripuit: sicut carne opus habebat, propter carnem condemnatam, & anima propter animam, ita & mente propter mentem, quæ non solum in Adam lapsa erat, sed etiam prior passa & affecta fuerat, vt dicunt etiam Medici de ægritudinibus. Quod enim mandatum accepit, id etiam mandatum non seruauit. Quod autem mandatum non seruauit, id etiam transgressionem perpetrare ausum est. Quod autem transgressum est, hoc etiam salute indigebat, quod autem salute indigebat, hoc etiam adsumptum est. Quòd ergo mens adsumpta sit, ostensum est, velint, nolint, Geometricis necessitatibus & demõstrationibus. Tu autem perinde facis, ac si, cùm alicuius hominis & oculus laboraret & pes ei lapsus esset, pedem quidem curares, oculum autem immedicatum relinqueres: vel cùm pictor aliquid non recte pinxisset, quod pictum quidem esset mutares: pictorem autem, tanquam is se rectè gereret, præterires. Quòd si ab his rationibus deturbati eo confugiunt vt dicant, Deum posse etiam sine mente hominem seruare. Potest vtique etiam sine carne, vel sola voluntate, sicut & alia omnia, quæ effecit, & efficit corporaliter. Tolle ergo vna cum mente carnem quoque vt omni ex parte perfecta tua sit amentia. Caro, Anima, mens. Similes.

Sancti Gregorij Episcopi Nisseni ex sermone de Abraham. Nissen.

Descendit ergo non nudum verbum, sed caro factum, non Dei forma, sed forma serui. Ioan. 5. Is est ergo qui dixit se non posse ex se aliquid facere. Non posse enim est imbecillitatis. Sicut enim luci tenebræ, & mors vitæ, ita potentiæ vt contraria imbecillitas opponitur. Atqui Christus est Dei potentia. Non est ergo omnino imbecilla, & impotens potentia. Si enim imbecilla est potentia, quid est potens? Quando ergo verbum pronunciat quòd non potest facere, clarum est quòd non vnigeniti diuinitati impotentiam tribuit, sed nostræ imbecillitatis impotentiam suo testimonio comprobat. Est enim caro infirma, sicut scriptum est, Spiritus quidem promptus, caro autem infirma. Matth. 17.

Eiusdem ex libro de perfectione vitæ.

Sed rursus verus legislator, cuius figura erat Moses, ex terra nostra sibi naturæ tabulas edolauit, neque enim matrimonium diuinitatis susceptricem ei carnem fabricatum est, sed ipse carnis suæ diuino digito conscriptæ latomus & lapidicida fuit. Spiritus enim sanctus venit ad virginem, & altissimi potentiam obumbrauit. Luc. 1. Postquam autem hoc factum est, euasit rursus natura valida & inuiolabilis, immortalis effecta diuini digiti impresionibus.

Eiusdem ex libro aduersus Eunomium.

Dicimus ergo, quòd cum in ijs, quæ prius dicta sunt, dixit sapientiam ædificasse sibi domum, carnis Domini verbo constructionem mysticè intelligit. Prouerb. 9. Non enim in alieno domicilio vera sapientia habitauit, sed ex corpore virginali habitaculum sibi ædificauit.

Eiusdem ex eodem opere.

Verbum erat ante sæcula, caro autem extremis temporibus facta est, nec conuertens contra quispiam dixerit vel eam esse ante sęcula, vel in vltimis temporibus factum esse verbum.

Eiusdem ex eodem opere.

Non de diuino & ab omni corruptione & interitu aliena est hæc vox, Creauit me, sed sicut dictum est de eo quod per diuinam dispensationem assumptum est ex creata nostra natura. Prouer. 8.

Eiusdem ex prima Oratione de Beatitudinibus.

Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit serui formam accipiens. Philip. 2. Quid mendicius in homine, quàm forma serui? Quid humilius in Rege eorum omnium quæ sunt, quàm ad mendicæ nostræ naturæ communionem venire? Rex regum, & Dominus dominantium, seruitutis formam sua sponte suscipit.

Sancti Flauiani Episcopi Antiocheni, ex sermone de Ioanne Baptista. Flauian.

Ne corporalem ergo coniunctionem intellige, nec coniugalem consuetudinem accipe. Tuus enim creator & opifex, corporeũ suum templum, quod ex te nascitur, fabricatur.

Eiusdem ex Oratione habita super eum locum, Spiritus Domini super me. Ezech. 61.

Audite dicentem. Spiritus super me, qua de causa vnxit me, nescitis, inquit, quæ legitis. Venio enim ad vos vnctus spiritu. Vrgitur autem spiritu, non natura, quæ sub aspectum non cadit, sed id quod est eiusdem nobiscum generis.

Amphi-

Amphil. Ioan. 14.

Amphilochij Episcopi Iconij, ex oratione in eum locum, Pater meus maior me est.

Discerne mihi deinceps naturas Dei & hominis. Neque enim homo ex Deo factus est, quod à Deitate exciderit : neque ex homine Deus, quod eo prouectus sit. Deum enim me & hominem dico. Quando autem & affectiones carni, & Deo miracula dederis, necesse est, vt etiam si nolis, quæ humiliter quidem dicuntur de homine ex Maria genito : Quæ autem sublimiter, & quæ diuinitati conueniunt, Verbo quod erat in principio. Propterea enim alicubi quidem loquor sublimiter, alicubi verò humiliter, vt per sublimia quidem verba ostendam inhabitantis verbi cognationem, per humilia autem, humilis carnis imbecillitatem significem. Vnde alicubi quidem dico me esse Patri æqualem, alicubi autem Patrem maiorem, non mecum quidem pugnans, sed ostendens quod Deus sum & homo: Deus quidem ex sublimibus: homo verò ex humilibus. Si autem vultis scire quomodo Pater meus maior me est, id dixi habita ratione carnis, & non personæ diuinitatis. Ioan. 5.

Eiusdem ex sermone in eum locum.

Adam. Nihil potest filius ex se facere. Quis autem fuit Adam in cœlis inobediens? Quis autem ex cœlesti corpore effictus est primum protoplastus? Sed formatus est à principio, qui ex terra factus est, Inobediens fuit, qui è terra factus est, rursus assumptus est qui erat è terra: & qui erat è terra, seruatus est, vt ita simul vera & necessaria videatur diuinę œconomię ratio.

Chrysost. *Sancti Ioannis Episcopi Constantinopolitani, ex oratione quam habuit, cùm Gotthus senex ante eum dixisset.*

Vide quod facit à principio, nostra natura induitur, quæ infirma & impotens erat, & deuicta fuerat, vt per ipsam depugnaret, & colluctaretur, & statim à principio arrogantiæ naturam radicitus euellit.

Eiusdem ex Genethliaco.

Idololatra. Quomodo enim non est extremi stuporis, ipsos quidem in lapides, & ligna, & viles statuas suos Deos inducentes, & tanquam in aliquo carcere includentes, se nihil turpe existimare facere, nec dicere: nos autem reprehendere qui dicimus, quòd Deus viuo templo ex sancto spiritu constructo, vniuersum terrarum orbem per ipsum iuuit? Si enim turpe est Deum in humano corpore habitare, multo magis in lapide & ligno, quanto lapis & lignum est homine vilius. Nisi forte his etiam materijs nullo sensu præditis nostrum genus ab illis vilius existimatur. Ipsi in lapides & canes : multi autem hæretici etiam in alia his multo turpiora Dei substantiam deducunt. Nos autem nihil vnquam horum ne audire quidem sustinuerimus. Illud autem dicimus, quòd puram carnem, & sanctam, & ab omni reprehensione alienam, & ad quam nulli vnquam vitio datus est aditus, ex virginali vtero cepit Christus, & suum vas sibi rectum & probum effecit. Et paulò pòst. Illud autem dicimus, quòd cùm Deus verbum, sibi sanctum templum construxisset, per illud, ex cœlis deductam agendæ vitæ rationem ad vitam nostram introduxit.

Eiusdem ex libro, quòd quæ humiliter dicta & facta sunt à Christo, non propter imbecillitatem potentiæ, sed propter diuersas œconomiæ rationes dicta & facta sunt.

Quænam autem sunt causæ, quòd & ipse, & Apostoli de ipso humilia dixerint? Prima quidem causa & maxima, quòd ipse carne indutus fuerit, & vellet & ijs qui tunc erant, & posteris omnibus fidem facere, quòd non est vmbra aliqua, nec figura tantum quod videtur, sed naturæ veritatis. si enim cùm tot humilia & humana & ipse & Apostoli de eo dixerint, potuit tamen Diabolus miseris aliquot hominibus persuadere, vt Diuinę œconomiæ rationem negarent, & auderent dicere, quòd carnem non suscepit, & omne humanitatis fundamentum tollerent : Si nihil eorum dixisset, quàm pauci fuissent, qui non in hoc barathrum inciderent. Paucas ex plurimis veritatis præconibus authoritates adduxi, ne eorum multitudine tibi aures obtunderem. Hæ autem sufficiunt ad ostendendum, quæ sit laudatissimorum virorum, de ea re sententia. Tuum autem est dicere quomodo habere videantur, quæ dicta sunt.

ERAN. Inter se quidem cõuenientia omnes dixerunt, & ij, qui terram ad orientem incoluerunt, cum ijs consentiunt, qui ad occidentem plantauere: permultam autem video in eorum dictis diuisionem.

ORTH. Hi viri fuerunt successores sanctorum Apostolorum, & nonnullis vsu venit, vt sacra eorum voce & admirabili visione fruerentur. Plurimi autem eorum martyrij coronis exornati sunt. fas ne ergo tibi videtur blasphemam & maledicam linguam aduersus eos vibrare? Contemporanei Apostolorum Ignat. & Irenæi.

ERAN. Hoc quidem facere timeo, sed multam diuisionem non admitto.

ORTH. Sed ego tibi rursus incredibile & inopinatum remedium afferam, vnum enim admirabilis vestræ hæresis doctorem, Apollinarem in medium producam, & similiter ac Sancti Patres, illud, Verbum caro factum est, intellexisse ostendam. Audi ergo compendiario eius libro quid de eo scripserit.

Apollinaris ex libello compendiario.

Si quod adsumit quis, is in id non vertitur, Christus autem carnem adsumpsit, Ergo in carnem non versus est. Et rursus paulò pòst subiungens, dicit. Etenim seipsum nobis in cognationem per corpus largitus est, vt seruaret, est autem pulchrius eo quod seruatur, id quod seruat. Estergo nobis multo pulchrius in ipsa corporis susceptione. Non esset autem pulchrius, si in carnem esset conuersus. Et paulò pòst ita dicit: Quod simplex est, vnum est. Quod autem compositum est, non potest esse vnum, mutationem vnici, verbi dixerit, qui ipsum carnem factum esse dicit. Si autem compositum vnum est, sicut homo, per compositionem vnum dicit, qui propter vnionem Apollinar.

nem cum carne, dicit, Verbum caro factũ est. Et rursus paulò pòst hęc quoque dixit, Incarnatio, exinanitio. Exinanitio autem non hominis, sed filij hominis, ostendit eum seipsum exinanijsse, per indumentum, non per mutationem. Ecce tibi indumenti quoque nomen attulit tuorum dogmatum Doctor. Porrò autem etiam in Libello de fide, sic dicit. Exinanitio.

Credimus ergo immutabili manente diuinitate, eius incarnationem factam esse ad reuocationem humanitatis, neque enim mutatio, nec transmotio nec inclusio facta est circa sanctam Dei potentiam. Et paulò pòst, Adoramus autem Deum, qui carnem ex sancta virginitate accepit, & propterea est quidẽ homo secundum carnem, Deus autem secundum spiritum. Iam verò etiam in alia expositione sic dicit. Confitemur filium Dei, fuisse filium hominis, non nomine, sed qui verè ex Maria virgine carnem accepit.

ERAN. Non existimabam hæc sentire Apollinarẽ. De homine enim aliter sentiebam.

ORTH. Ecce ergo didicisti, quòd non solũ Prophetæ, & Apostoli, & qui post eos sunt electi terrarum orbis doctores, sed etiã Apollinaris, qui nugas hæreticas cõposuit, & immutabilem fatetur Deum verbũ nec in carnem fuisse conuersum dicit, sed carnem suscepisse, & hoc in multis locis dixit, vt audiuistis. Ne ergo vestra blasphemia doctorem vestrum obscurare contendatis. Non est enim discipulus super magistrum, ait Dominus. Ioan. 13.

ERAN. Ego quoque confiteor Deum Verbum esse immutabile, nec in carnem fuisse conuersum, sed carnem suscepisse. Tot enim testibus repugnare est extremi stuporis.

ORTH. Visne vt reliquarum quoque quęstionum fiat solutio?

ERAN. Earum examinationem in crastinum reijcimus.

ORTH. Abeamus ergo nostra soluta congressione, & eorum quæ cõfessi sumus recordemur.

FINIS PRIMI DIALOGI.

INCONFVSVS DIALOGVS SECVNDVS.

ERANISTES, ET ORTHODOXVS.

ERANISTES.

Go quidem veni, vt sum pollicitus, oportet autem te alterũ duorũ facere, vt vel soluas quæsita, vel ijs, quæ à me dicuntur, assentiaris.

ORTH. Quam mihi proponis conditionem accipio, eam enim rectam & iustam existimo, oportet autem nos primum in memoriam reuocare vbinam heri reliquimus, & quem finem habuit nostra disputatio.

ERAN. Ego tibi eius finem redigam in memoriam. Memini enim nos fuisse confessos Verbum diuinum esse immutabile, & carnem accepisse, non ipsum in carnem esse conuersum.

ORTH. Videris ijs quæ visa & decreta sunt acquieuisse, ea enim verè in mentem reuocasti.

ERAN. Iam prius dixi, quòd qui tot & talibus doctoribus repugnat, insanit apertissimè. Non parum autem me mouit Apollinaris, eadem dicens cum Orthodoxis, quanuis in suis libris de incarnatione alia via apertè ingressus sit.

ORTH. Deum ergo carnem suscepisse dicimus?

ERAN. Maximè.

ORTH. Carnem autẽ quid intelligimus, corpus ne tantum, vt videtur Arrio & Eunomio, an corpus & animam? Caro.

ERAN. Corpus & animam.

ORTH. Quamnam animam, rationis ne compotem, an eam, quæ à nonnullis plantalis seu vitalis & vegetatiua dicitur? Cogũt enim nos rogare quæ non decet, Apollinaris scriptorum fabulosæ præstigiæ.

ERAN. Enimuero Apollinaris dicit animarum esse differentiam. Corpus animæ mens vnã hominis anima.

ORTH. Dicit hominẽ esse ex tribus compositum, ex corpore, & vitali anima, & rursus ex ea, quæ est ratione prædita, quam mentem appellat. Sancta aũt scriptura vnã tantùm nouit animam, non duas animas, idq; nos apertè docet primi hominis formatio. Accepit, enim inquit, Deus limum terræ & formauit hominem, & inspirauit in faciem eius spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Quinetiam Dominus in euangelijs dicit sanctis discipulis. Ne timete eos, qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere, magis autem timete eũ, qui corpus & animam potest perdere in gehenna. Diuinissimus quoque Moses cùm descripsisset numerũ eorum, qui descenderunt in Aegyptum, & dixisset cum quibusnam vnusquisque tribus princeps in- Gen. 2. Luc. 12. Matth. 10.

Exod. 1. gressus est, subiunxit, Omnes animæ ingressæ Aegyptum septuaginta quinque, vnam vniuscuiusque eorum qui ingressi sunt, animam nu
Act. 20. merâs. Et diuinus Apostolus in Troade, cùm omnes existimarẽt mortuum esse Eutychum, dixit. Ne turbemini, anima enim eius in ipso est.

ERAN. Apertè ostensum est vnumquemque hominem habere vnam animam.

ORTH. Sed Apollinaris dicit duas, & eam quidem quæ est expers rationis Deum Verbum accepisse: pro ea autem quæ est ratione prædita, ipsum in carne fuisse, & ea de causa interrogabam quamnam dicis animam cum corpore acceptam esse?

ERAN. Ego dico ratione prędítam. Diuinam enim sequor scripturam.

ORTH. Dicimus ergo à Deo Verbo susceptam perfectam serui formam.

ERAN. Perfectam.

Imago perdita deleta renouata. *ORTH.* Et iure perfectam. Quoniã enim primus homo sub peccato totus fuit, & diuinæ imaginis characteres perdidit, & Principem generis, genus est consecutum, necessario volens Opifex deletam renouare imaginem, tota suscepta natura, prioribus multo meliores characteres effinxit.

ERAN. Hæc quidem vera. Vellem autem primum, vt nobis certa, & rectè constituta esset nominum significatio vt disputatio absque vllo impedimento procederet, & nihil ambiguum quæsitum interrumperet.

ORTH. Optimè dixisti: Roga ergo quod velis.

Homo. *ERAN.* Iesum Christum oportétne vocare hominem?

ORTH. Neutrũ sine altero, sed vtrunque. Deus enim verbum hoc factum, Iesus Chri-
Matth. 2. stus nominatus est. Vocabis enim, inquit, nomen eius Iesum. Ipse enim seruabit populũ su-
Luc. 2. um à peccatis eorum. Et hodie nobis nascitur Christus Dominus de ciuitate Dauid. Sunt autem hæ voces angeli. Antequam autẽ carnem suscepisset, Deus, & Dei filius, & vnigenitus, & Dominus, & Deus Verbum, creatorq; & opi-
Ioan. 1. fex nominabatur. In principio enim, inquit, erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbũ, & omnia per ipsum facta sunt, & vita erat, & erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum, & quæ sunt his similia, & diuinam naturam declarantia. Postquam autem homo factus est, Iesus & Christus nominatus est.

ERAN. Ergo Deus solũ Iesus Dominus?

ORTH. Hominem factũ esse Deum verbum audis, & Deum solum vocas?

ERAN. Quoniam non conuersus homo factus est, sed mãsit id quod erat, oportet eum vocare id quod erat.

ORTH. Immutabile quidẽ Deus verbum & erat, & est, & erit. Humana autem suscepta natura, homo factus est. Oportet ergo nos vtramque naturam confiteri, & quæ accepit, & quæ accepta est.

ERAN. A meliore oportet nominare.

ORTH. Homo ille, animal inquam, simplex est, an compositus?

ERAN. Compositus.

ORTH. Ex quibus compositus?

ERAN. Ex corpore & anima.

ORTH. Harum autem naturarum vtra est præstantior?

ERAN. Clarum est quòd anima. Est enim & ratione prędita, & immortalis, & ei animalis principatus mandatus est. Corpus autem est mortale, & corruptioni & interitui obnoxium, & si ab anima separetur, ratione caret, & iacet mortuum. Animæ principatus.

ORTH. Oportet ergo sacram scripturam à præstantiore natura denominare animal.

ERAN. Ita nominat. Eos enim qui in Aegyptũ ingressi sunt, animas appellauit. In Se- Exod. 1.
ptuaginta, enim & quinque inquit, animabus descendit Israel in Aegyptum.

ORTH. A corpore autẽ nullam sacra scriptura appellauit?

ERAN. Eos qui carni seruierunt, carnes Caro.
vocauit. Ita enim dixit Deus, Non permane- Genes. 6.
at spiritus meus in his hominibus, quia carnes sunt.

ORTH Sine reprehensione autem nullum carnem vocauit?

ERAN. Non memini.

ORTH. Ego verò tibi in mentem reuocabo, & docebo, quòd etiam valde sanctos, carnes appellauit. Responde ergo, Apostolos quid vocaueris, spiritales an carnales?

ERAN. Spiritales, & spiritalium Principes & Doctores.

ORTH. Audi ergo diuinum Paulum di- Galat. 1.
centem, Quando autem placuit ei, qui me ex vtero matris meæ segregauit, & vocauit per gratiam suam, reuelare filium suum in me, vt ipsum annuntiarem in gentibus, statim nõ acquieui carni & sanguini, nec ascendi ad eos, qui ante me fuerant, Apostolos, an accusans Apostolos eos ita appellauit?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Sed ab ea quæ videtur natura nominans, & cum cœlesti vocatione, eam quæ fit per homines vocationem conferens.

ERAN. Verum.

ORTH. Audi verò etiam Dauid Psalmi- Psal. 64.
stam Deo canentem, & dicentẽ, Ad te omnis caro veniet: & Prophetã Esaiam vaticinãtem, Esa. 40.
Videbit omnis caro salutare Dei nostri.

ERAN. Apertè ostensum est, quòd etiam absque vlla insimulatione humanam naturam sancta scriptura ex carne nominat.

ORTH. Ego autem tibi aliud quoque ostendam.

ERAN. Quodnam aliud?

ORTH. Quòd diuina scriptura nõnullos accusans ab anima sola eos nominat.

ERAN. Et hoc vbi inuenies in diuina scriptura?

ORTH. Audi Dominum dicentẽ per pro- Ezech. 18.
phetam Ezechielem, Anima quæ peccat, ipsa morietur. Iam verò etiã per magnum Mosem Leuit. 4.
dicit, Anima quæ peccauerit. & rursus, Et Deut. 18.
erit,

erit, vt omnis anima, quæ nõ audierit prophetam illum, exterminetur. Et inueniri possunt multa alia eiusmodi.

ERAN. Hæc demonstrata sunt.

ORTH. Si ergo, vbi est naturalis vnio, & eorum quæ creata, & conseruata, & tẽpore sunt æqualia, coniunctio, non à sola præstantiore natura mos est sacræ scripturæ nominare hoc animal, sed à minore, & à maiore, quomodo nos reprehenditis, qui Dominum Christum cum eo quòd Deum confitemur, hominem quoque nominamus, idq; cùm multa nos hoc facere vehementer cogant?

ERAN. Et quid est, quod vos cogit Seruatorem Christum hominem nominare?

ORTH. Diuersa & omnino contraria Hæretica decreta.

ERAN. Et quæ quibus contraria decreta?

ORTH. Arrij & Sabellij: Ille quidẽ diuidit substantias, Hic verò confundit hypostases seu personas. Arrius quidẽ tres substantias inducit. Sabellius verò pro tribus vnam hypostasim esse dicit. Dic ergo quomodo est vterque morbus curãdus, an si ambabus affectionibus adhibeatur idem medicamentũ, an verò si vtrique quod aptũ & conducibile fuerit?

ERAN. Si quod fuerit vtrique aptum & conducibile.

ORTH. Arrio ergo persuadere conabimur, vt sanctæ Trinitatis substantiam confiteatur, eiusque rei probationes adducemus ex sacra scriptura.

ERAN. Ita faciendum.

ORTH. Cum Sabellio autẽ differentes, faciemus contrarium. De substantia enim nihil dicemus, etenim ipse vnam fatetur.

ERAN. Clarum.

ORTH. Quod autem eius opinionis malè affectum est, id curare conabimur.

ERAN. Maximè.

ORTH. Quonam autem morbo eum diximus laborare?

ERAN. Circa hypostases seu personas diximus eum claudicare.

ORTH. Quoniam ergo ille dicit vnã Trinitatis hypostasim, ostendimus ei sanctam scripturam tres hypostases seu personas prædicare.

ERAN. Hoc quidem est ita faciendum. Sed nos quod erat nobis propositum reliquimus.

ORTH. Minimè. De eo enim demonstrationes colligimus, & hoc statim cognosces. Dic ergo mihi, omnes Hæreses, quæ à Christo vocantur, confiteri ne existimas diuinitatem & humanitatem?

ERAN. Minimè.

ORTH. Sed aliquas quidem solam diuinitatem: aliquas verò solam humanitatem.

ERAN. Certè.

ORTH. Alias autem partem humanitatis.

ERAN. Ita opinor. Oportet autem nobis declarare, quemadmodum qui hoc modo, & qui illo sentiunt nominantur, vt fiat apertius, quod quæritur.

ORTH. Ego autem dicam. Simon, & Me- Hæreses de Christo.
nander, & Marcion, & Valentinus, & Basili-
des, & Cerdo, & Manes, apertè negauerunt humanitatem Christi. Artemon autem, & Theodorus, & Sabellius, & Paulus Samosatenus, & Marcellus, & Photinus, in blasphemiam ex diametro contrariam inciderunt. Christum enim hominem solum prædicant: quæ est autem ante sæcula, diuinitatem negant. Arrius autem & Eunomius creatã vocant vnigeniti Diuinitatem, solum autem corpus eum suscepisse dicunt. Apollinaris verò animatum quidem fatetur acceptum corpus, sed compotem rationis animã & honore & salute in suis scriptis priuat. Hęc quidem est corruptorum dogmatum differentia. Ipse autem dic verè & ingenuè, cũ eis ne aliquantisper disserere cònuenit, an ex abruptis deorsum præcipitantes, eos despicere, & valere iubere?

ERAN. Est inhumanum eos qui laborãt despicere.

ORTH. Conuenit ergo eorum & miseri, & pro viribus mederi.

ERAN. Maximè.

ORTH. Si corporibus ergo mederi scires, Morbus multiplex.
multi autem circumsistentes rogarent vt medereris, & diuersas affectiones ostenderent, vt verbi gratia, oculorum suffusiones, & aurium vlcera, & dolorem dentium: & hi quidem nerorum extensionẽ, illi resolutionem ac paralysim, & hic quidẽ bilis inundationẽ & repletionem, ille verò pituitæ. Dic mihi quid faceres, vnúmne omnibus medicamentũ componeres, an vnicuique morbo id quod cõuenit?

ERAN. Id scilicet quod vnicuique morbo conuenit, & ad morbum propulsandum est appositum.

ORTH. Ergo calidas quidem affectiones refrigerans, frigidas autẽ calefaciens, & intensa quidem remittens, resoluta autem corroborantibus medicamentis confirmans, & humida quidem exiccãs, sicca verò humectans, morbos quidem expelleres, ab ijs verò amissam sanitatem reduceres?

ERAN. Ita curare præcipit lex artis Medi- Medicãdi lex.
cæ. Contraria enim, inquiunt, contrarijs curantur.

ORTH. Sin autẽ plantandi arbores artem Plantandi ars.
teneres, ijsdémne arboribus eandem curam & culturam adhiberes, an malo quidem punico eam, quæ ei conuenit, & ficui, quæ est ei accommodata, & piro & malo similiter, & viti, quæ est ei apposita & congrua, & eam, vt semel dicam, arbori quæ conuenit?

ERAN. Clarum est quòd vnaquæque arbor propria cultura opus habet.

ORTH. Sin autem fabricãdarum nauium Fabricandi
artem exerceres, videres autem mali recepta- ars.
culum tui artificij opera indigere, eámne, quę clauo conuenit, curationem adhiberes, an eam, quæ mali receptaculo?

ERAN. Hæc quidem sunt extra omnem controuersiam. Vnumquodque enim propriam curam & studium requirit, & arbor, & pars corporis, & instrumenta, & partes nauis.

ORTH. Quomodo ergo non est miserum, corporibus quidem & rebus inanimatis cõuenientes curationes adhibere, in animis autem hanc medendi regulam non seruare?

ERAN. Est longè iniquissimum, & non solum iniuriæ, sed etiam insaniæ plenum. Quienim aliter faciunt, sunt ipsius medicinæ imperiti.

ORTH. Cum vnaquaque ergo Heresi disputantes, ei conueniens medicamentum adhibebimus.

ERAN. Maximè.

ORTH. Conueniens autem medicina est, id quidem, quod deest, adijcere, quod autem redundat, detrahere.

ERAN. Certè.

ORTH. Photinum ergo, & Marcellum, & eorum affines curare conantes, quanam re à nobis addita, medendi regulam impleuerimus?

ERAN. Diuinitatis Christi confessione, ea enim illis deest.

ORTH. De humanitate autem nihil eis dicemus. Hominem enim Christum Dominum confitentur.

ERAN. Rectè dicis.

ORTH. Si autem cum Arrio & Eunomio de Vnigeniti incarnatione disseramus, quid eos suæ confessioni addere suadebimus?

ERAN. Animæ adsumptionem. Dicunt enim Deum Verbum corpus solum adsumpsisse.

ORTH. Quid deest autem Apollinari, vt humanæ susceptæ naturæ rationem exactè teneat?

ERAN. Ne mentem ab anima disiungat, sed fateatur animam ratione prędità vnà cum corpore adsumptam esse.

ORTH. Ergo cum eo quoque de hoc disseremus.

ERAN. Maximè.

ORTH. Marcionem autem, Valentinum, & Manetem, & qui ad eos accedunt, quid diximus quidem in hac parte fateri, quid verò omnino negare?

ERAN. Quòd dixerunt quidem se credere in Christi diuinitatem, quod autem de humanitate dicitur, non admittunt.

ORTH. Eis itaq; persuadere tentabimus, vt quod de humanitate dicitur, amplectãtur, & ne visionem, ac imaginationem, diuinam œconomiam appellent.

ERAN. Ita facere conuenit.

ORTH. Eis ergo dicemus, quòd nõ oportet solum Deum, sed etiam hominem vocari Christum.

ERAN. Maximè.

ORTH. Quomodo fieri potest vt nos, qui recusamus hominem Christum vocare, hoc alijs præcipiamus? neque enim nostris concedent suasionibus, sed nos eadem sentire conuincent.

ERAN. Et quomodo nos idem cum illis sentimus, qui fatemur carnem & animam ratione præditam Deum Verbum sumpsisse?

ORTH. Si ergo res fatemur, cur nomina fugimus?

ERAN. Ab ijs quæ sunt præstãtiora Christum appellare conuenit.

ORTH. Serua ergo regulam, & ne crucifixum appellaueris, neq; à mortuis excitatum, & quæ sunt his similia.

ERAN. Sed hæc quidẽ sunt affectionum & passionum salutarium nomina: Passionum autem negatio, salutis est peremptio.

ORTH. Hoc autem nomen, homo, naturę nomen est. Huius autem reticentia, est naturæ negatio, naturæ autem negatio, est passionum peremptio, earum autem peremptio, efficit vt intereat & euanescat salus.

ERAN. Scire quidem adsumptã naturam conducibile esse statuo: orbis autem terrarum seruatorem hominem appellare, est de Domini gloria detrahere.

ORTH. Te ergo & Petro, & Paulo, & ipso etiam Seruatore sapientiorem existimas? Dominus enim dixit Iudæis. Quid me quæritis interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam erudiui à patre meo? Et multis in locis seipsum hominis filium appellauit. Benedictus autem Petrus cum populo Iudaico disserens ait. Viri Israelitæ audite verba hæc. Iesum Nazarenum virum à Deo approbatum in vobis. Et beatus Paulus, in Areopago, ijs, qui præerant, salutarem prędicationem afferens, inter multa alia hæc quoq; dixit. Tempora autem ignorantiæ respiciens Deus, nũc annunciat vbique omnibus vt pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo iudicaturus est in iustitia orbem, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Qui ergo nomen, quod à Domino, & Apostolis impositum est, & prædicatum, recusat, is seipsum vel magnis Doctoribus doctiorem existimat, atq; adeo etiam ipso sapientissimorum Doctorum fonte. *Ioan. 7.* *Actor. 2.*

ERAN. Illi infidelibus doctrinam attulerunt, nunc autem totius orbis pars maxima credidit.

ORTH. Imò sunt adhuc & Iudæi, & Gentiles, & innumerabiles Hereticorum cateruæ, & oportet vnicuique eorum conuenientem doctrinam exhibere. Quòd si etiam omnes eadem sentiremus, dic quid obest Christum Deum & hominem confiteri? An non diuinitatem in eo perfectam, & humanitatem similiter, cui nihil desit, consideramus?

ERAN. Hæc sæpè confessi sumus.

ORTH. Cur ergo nunc tollimus, quod sæpè confessi sumus?

ERAN. Vocare Christum hominem superuacaneum existimo, maximè cum fidelis quispiam cum fideliloquitur.

ORTH. Diuinum Apostolum fidelem esse putas?

ERAN. Fideliũ quidem omniũ magistrum.

ORTH. Timotheum autem dignũ hac appellatione existimas?

ERAN. Vt illius discipulum, & aliorum magistrum.

ORTH.

ORTH. Audi ergo magistrum magistrorum ad perfectissimum scribentem discipulum. Vnus Deus vnus etiã intercessor Dei & hominum homo Iesus Christus, qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus. Cessa ergo frustra nugari, & leges nobis de diuinis nominibus imponere. Quinetiam ipsum nomen intercessoris hic & diuinitatem & humanitatem significat. Neque enim si Deus solùm esset, appellatus fuisset intercessor. Quomodo enim inter nos & Deum intercessisset, si nihil nostri penitus habuisset? Sed quoniam Patri, vt Deus, coniunctus est, vt qui eandem habeat substantiam, vt homo autem nobis, à nobis enim accepit serui formam, meritò intercessor dictus est, vnione naturarum, diuinitatis, inquam, & humanitatis, ea quæ sunt distantia & disiuncta coniungens. *1. Tim. 2.*

ERAN. An nõ Moyses dictus est intercessor, cùm esset homo solùm? *Moses.*

ORTH. Ille erat typus & figura veritatis, figura autem non habet quęcunque habet veritas. Quamobrem nõ erat ille quidem natura Deus, sed tamen Deus nominatus est, vt figurã impleret. Ecce enim inquit, posui te Deum Pharaoni. Protinus ergo illi tanquã Deo etiam prophetam constituit. Aaron, enim inquit, frater tuus erit tibi propheta. Veritas autem, & Deus natura, & natura homo est.

ERAN. Et quis typum figurámue appellauerit eum, qui nõ habet euidentes archetypi exemplaris characteres?

ORTH. Vt videtur, Regis imagines, non vocas imagines Regis. *Imagines.*

ERAN. Imò voco.

ORTH. Atqui eæ non habent omnia, quæ habet exemplar archetypum. Primum enim sunt inanimes, & rationis expertes, deinde carent intestinis, cordeinquã, ventre, & iecore, & alijs quæ his coniuncta sunt. Præterea habent quidem formã sensuum, sed non habent eorum actionem, neque enim audiunt, nec loquuntur, nec vident, nec scribunt, nec incedunt, nec quidquam eorum quæ fiunt ab hominibus, & tamen Regis imagines vocantur. Ita etiam Moses intercessor, & Christus intercessor. Sed ille quidem vt typus & imago, hic verò vt veritas. Vt autem hoc tibi etiam per alia apertius ostendam, fac mihi in memoriam reuoces ea, quæ dicta sunt de Melchisedec in Epistola ad Hebræos. *Melchisedec.*

ERAN. Quænam?

ORTH. Vbi Leuiticũ Sacerdotium cum Christi sacerdotio cõparans, assimilauit quidem in alijs Melchisedec Christo Domino, sacerdotium autem dixit habere Dominum secundum ordinem Melchisedec. *Psal. 109.*

ERAN. Existimo diuinum ita dicere Apostolum. Hic enim Melchisedec Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, quio bviam factus est Abrahæ reuertenti à cęde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraam, qui primũ interpretatur Rex iustitiæ, deinde & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum habens, neq; finem vitæ, assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Existimo te de ijs verbis dixisse. *Hebr. 7.*

ORTH. De his dixi, & laudo quòd locum non dissecueris, sed totum posueris. Dic ergo, conuenit ne vnumquodq; eorum Melchisedech natura & veritate?

ERAN. Et quis fuerit tam audax, & tam temerarius, vt ea seiungat, quæ diuinus Apostolus ei adaptauerit?

ORTH. Dicis ergo hæc Melchisedec secundum naturam conuenire?

ERAN. Dico.

ORTH. Hominem eũ esse dicis, an aliam assumpsisse naturam?

ERAN. Hominem.

ORTH. Genitum, an ingenitum?

ERAN. Adducis admodum absurdas interrogationes.

ORTH. Tu quidem in causa es, qui tam apertè veritati repugnas. Responde ergo.

ERAN. Est vnus solus ingenitus, Deus & Pater.

ORTH. Genitum verò Melchisedech esse dicimus?

ERAN. Genitum.

ORTH. Sed id, quod de eo dicitur, docet contraria. Recordare enim eorum, quæ nuper in memoriã reuocasti. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neque vitæ finem habens. Quomodo ergo illi conuenit illud, Sine patre, sine matre? Quomodo autem hæc quoque, neque initium cepisse vt esset, neque finem capturum, non humanam naturam superant?

ERAN. Hęc reuera superant modum humanæ naturæ.

ORTH. Quid ergo, falsũmne dixisse dicemus Apostolum?

ERAN. Absit.

ORTH. Quomodo ergo fieri potest, vt & Apostolus de veritate testimoniũ ferat, & Melchisedec ea, quæ naturam superant, tribuat.

ERAN. Valde obscurus locus, & qui longiori in primis explicatione indiget.

ORTH. Qui volunt attendere, ij horũ verborum sentẽtiam facilè possunt assequi. Cùm enim dixisset diuinus Apostolus, Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens, subiunxit, Assimilatus autẽ filio Dei, manet in perpetuum sacerdos: & nos apertè docet, quòd Melchisedec eius, quæ humanam naturam superat, archetypum exemplar est Christus Dominus. Melchisedec quidem certe dicit assimilatum filio Dei, sic autem consideremus. Dicisne Dominum habuisse Patrem secundum carnem?

ERAN. Nullo modo.

ORTH. Quamobrem?

ERAN. Quoniam ex sola virgine genitus est.

ORTH. Iure ergo nominatur est sine parte.

ERAN. Verum.

ORTH. Dicisne eum, quod ad diuinam naturam attinet, habuisse matrem?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Ex eo ergo solo Patre, qui est ante sæcula, est genitus?

ERAN. In confesso est.

ORTH. Itaque & genealogia, vt qui ineffabilem eam, quæ ex patre est, generationem habeat, appellatus est. Generationem enim eius, inquit Propheta, quis enarrabit? *Esa. 53.*

ERAN. Rectè dicis.

ORTH. Ita ei hoc conuenit, neq; dierum initium, neque vitæ finem habere, neque enim habet principium, nec in eum cadit interitus, & vt semel dicam, est æternus, & Patri coæternus.

ERAN. Hæc ita mihi quoq; videntur. Oportet autem deinceps considerare, quomodo hæc etiam admirabili Melchisedec conueniant.

ORTH. Vt imagini & figuræ. Imago autẽ, sicut antè diximus, non habet omnia, quæ habet exemplar archetypum. Seruatori ergo hęc natura, & ipsa rei veritate cõueniunt: Melchisedec autem ea veteris genealogiæ historia attribuit. Cùm enim nos docuisset Patriarchæ Abrahæ patrem, Isaac autẽ patrem & matrem, & Iacob similiter, & eius filiorum, & eorum etiam genealogiam ostendisset, qui diu etiam ante nos fuerant, Melchisedec nec patrem dixit, nec matrẽ, nec eum ex aliquo ex filijs Noe genus ducere docuit, vt esset figura eius, qui verè est sine patre & sine matre. Hoc autem ita intelligere nos diuinus docuit Apostolus. In eodem enim loco hæc quoque adiecit. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.

ERAN. Et quoniam eorum, qui ipsum genuerunt, non meminit scriptura, potest sine patre, & sine matre vocari?

ORTH. Si verè esset sine patre & sine matre, non esset imago, sed veritas. Sed quoniam non hæc habet natura, sed ex diuinæ scripturæ œconomia, ostendit figuram veritatis.

ERAN. Oportet imaginẽ habere expressos & euidentes exemplaris characteres.

ORTH. An non homo Dei imago appellatur? *Homo Dei imago.*

ERAN. Non est imago Dei, sed ad Dei imaginem factus est.

ORTH. Audi ergo diuinum Apostolum dicentem, Vir quidem non debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei.

ERAN. Sit imago Dei.

ORTH. Oportet ergo, si est ita, vt dicis, eum seruare euidentes archetypi characteres, & nec esse creatum, nec compositum, sed nec esse circumscriptum. Oporteret eũ non secus ac ipse, ex ijs, quæ non sunt, fabricari. Oporteret eum verbo & sine labore omnia architectari, præterea autem nec ægrotare, nec animæ ægritudine affici, nec irasci, nec peccare, sed esse immortalem, & ab interitu & corruptione remotum, & omnia deniq; habere, quæ habet exemplar archetypum.

ERAN. Non est in omnibus homo imago Dei.

ORTH. Verùm in quibuscunque eum imaginem esse dederis, eum maximo interuallo à veritate abesse inuenies.

ERAN. In confesso est.

ORTH. Hocque vnum considera. Diuinus Apostolus filium patris imaginem appellauit. Dicit enim, Qui est imago Dei inuisibilis. *Dei imago.*

ERAN. Quid ergo, non habet filius omnia, quæ pater?

ORTH. Pater non est, nec sine causa, nec ingenitus.

ERAN. Si hæc haberet, non esset filius.

ORTH. Verum est quod dixi, non habere imaginem omnia quæ archetypon?

ERAN. Verum.

ORTH. Ita ergo etiam dixit diuinus Apostolus assimilatum esse Melchisedec Dei filio. *Colos. 1.*

ERAN. Demus illud, Sine patre, & sine matre, & sine genealogia ita esse vt dixisti. Illud autem, Neque initium dierum, nec vitę finem habens, quomodo intelligimus?

ORTH. Antiquam genealogiam conscribens diuinus Moses, docuit nos, quòd Adam, cùm tot annos natus esset, genuit Seth, & cùm tot annis vixisset, vitæ finem accepit. Ita etiam dixit de Seth & Enos, & alijs: Melchisedec & generationis initium, & vitæ finem silentio præterijt. Ergo si historia spectetur, nec initium dierum, nec vitæ finem habet, reuera autem Dei filius, nec esse cœpit, nec finem accipiet.

ERAN. In confesso est.

ORTH. In his autem maximis & verè diuinis fuit Melchisedec figura Christi Domini, in Sacerdotio autem, quod hominibus magis, quàm Deo conuenit, Dominus Christus Pontifex fuit secundum ordinem Melchisedec. Melchisedec enim gentium fuit Pontifex. Et Dominus Christus pro omnibus hominibus sanctum & salutiferum sacrificium obtulit.

ERAN. Multa de ea re verba consumpsimus.

ORTH. Etiam pluribus opus erat, vt scis, dixisti enim locum esse intellectu difficilem.

ERAN. Redeamus ad id, quod erat propositum.

ORTH. Quid autem à nobis quærebatur?

ERAN. Cùm dicerem non oportere vocare Christum hominem, sed solum Deum, & multa alia testimonia adduxisti, & hoc etiam dictum Apostoli, quod posuit scribens ad Timotheum. Vnus Deus, vnus etiam intercessor Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus.

ORTH. Memini quomodo ad hanc digressionem deflexímus. Cùm ego enim dixissem, quòd hoc ipsum intercessoris nomen, Seruatoris nostri duas naturas significat, tu dixisti etiam Mosem vocatum esse intercessorem, is autem homo solum erat, non autẽ Deus & homo, ea de causa necesse habui hęc persequi, vt ostendere figuram nõ habere omnia, quæ

quæ habet archetypus. Dic ergo, an confiteris seruatorem Christum etiam hominem appellari?

ERAN. Ego ipsum voco Deum, est enim Dei filius.

ORTH. Si eum Deum vocas, quòd doctus sis eum esse Dei filium, voca etiam hominem. Ipse enim seipsum sæpe filium hominis appellauit.

ERAN. Non conuenit ei hoc nomen, homo, sicut illud nomen Deus.

ORTH. Vt quod non sit verum, vel propter aliquam aliam causam?

ERAN. Hoc nomen Deus, est nomen naturæ, illud autem, homo, est appellatio seu vocabulum œconomiæ. *Oeconomia.*

ORTH. Oeconomiam autem veram ne dicimus, an imaginariam, & falsam?

ERAN. Veram.

ORTH. Si vera est gratia œconomiæ, Dei autem verbi incarnationem vocamus œconomiam: hoc quoque nomen, homo, verum est. Humana enim natura suscepta, homo appellatus est.

ERAN. Ante passionem vocabatur homo, post passionem autem non vocatus est amplius.

ORTH. Atqui post passionem & resurrectionem scripsit Timotheo epistolam diuinus Apostolus, in qua Christum seruatorem appellauit hominem post passionem & resurrectionem. Scribens enim ad Corinthios clamat. Quandoquidem enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et docens apertius de quo nam dicat, subiunxit, Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita etiam in Christo omnes viuificabuntur. Post passionem & resurrectionem diuinus Petrus cum Iudæis disserens, ipsum virum appellauit. Post eius in cœlos assumptionem, gloriosus Stephanus lapidibus appetitus, dixit Iudæis, Ecce video cœlos apertos, & filium hominis sedentem à dextris Dei. Ne nos ergo existimemus sapientiores magnis Dei præconibus. *1. Cor. 15.* *Actor. 7.*

ERAN. Non existimo me esse sapientiorem sanctis doctoribus, sed non inuenio vsum nominis.

ORTH. Eis ergo, qui negant humanitatem Domini, Marcionistis, inquam, & Manichæis, & alijs, qui hoc morbo laborant, quomodo persuaseris, vt confiteantur prædicationem veritatis, an non, si hæc & alia eiusmodi testimonia afferas, docens quod non est Deus solum, sed etiam homo Christus Dominus?

ERAN. Iis fortasse hæc afferre necesse est.

ORTH. Fideles autem cur non doceas veritatem dogmatis? Oblitus ne es legis Apostolicæ, quæ iubet esse paratum ad respondendum? Ita autem considereemus. Optimus Imperator cum solisne hostibus manus conferit, & in eos sagittat, & iaculatur, phalangesque eorum & ordines perrumpit: an suos etiam milites armat, & ordinat, & ad se fortiter *1. Pet. 3.* gerendum animos & spiritus excitat?

ERAN. Hoc ei potius faciendum est.

ORTH. Non sunt enim partes Imperatoris, vt ipse quidem pericula adeat, ipse stet in acie, sinat autem milites in vtramuis aurem dormire sed oportet eum etiam illis animum addere, vt stent in acie, & ordines rectè seruent.

ERAN. Verum.

ORTH. Hoc etiam dicit diuinus Apostolus. Ad eos enim qui crediderant scribens, dicit, Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere insidijs diaboli. Et rursus. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & cætera. Recordare etiam eorum, quæ antea diximus, quòd medicus quoque adijcit qualitatem, quæ deest naturæ. Si enim inuenerit redundantem frigidam, adijcit calidam, & similiter alias. Hoc etiam fecit Dominus. *Ephe. 6.*

ERAN. Et vbi ostendes hoc fecisse Dominum? *Ioan. 10.*

ORTH. In sanctis Euangelijs.

ERAN. Ostende ergo, & imple promissum.

ORTH. Quid Seruatorem Christum existimabant Iudæi?

ERAN. Hominem.

ORTH. Quòd autem etiam Deus erat, omnino ignorabant.

ERAN. Verum.

ORTH. Cùm ergo ignorarent, eosne didicisse oportuit?

ERAN. In confesso est.

ORTH. Audi ergo ipsum eis dicentem. Multa opera ostendi vobis à patre meo, propter quodnam eorum lapidatis me? Cùm autem dixissent, Non de bono opere lapidamus te, sed de blasphemia, quòd cùm homo sis, facis te ipsum Deum, subiunxit. In lege vestra scriptum est. Ego dixi, Dij estis. Si illos dixit Deos, ad quos Deus verba fecit, nec potest scriptura solui, Quem pater sanctificauit, & misit in mundum, is iure Deus vocatur. Vos me blasphemare dicitis, quod me dixi Deum esse. Si non facio opera patris mei, nolite credere. Nam & ego in patre meo, & pater in me est.

ERAN. In ijs quæ modo legisti, ostendisti Dominum se Iudæis Deum, non hominem ostendisse.

ORTH. Neque enim opus habebant discere, quod nouerant. Quòd enim homo erat, nouerant. Quòd autem Deus etiam esset non nouerant. Hoc autem ipsum etiam fecit in Pharisæis. Cùm enim vidisset eos tanquam ad communem hominem accedere, eos sic interrogauit. Quid vobis videtur de Christo, Cuius est filius? Cùm illi autem dixissent, Dauid, ipse subiunxit. Quomodo ergo Dauid in spiritu Dominum ipsum vocat? Dixit enim, inquit, Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Deinde ratiocinatur. Si ergo est eius Dominus, quomodo est eius filius? *Matth. 22.*

ERAN. Aduersus teipsum adduxisti testimonium. Dominus enim Pharisæos apertè

docuit, ne vocarent ipsum filium Dauid, sed Dominum Dauid. Per hæc autem clarè ostendit se Deum velle vocari, non hominem.

ORTH. Non attendis, vt videtur, sacram doctrinam. Neque enim sustulit quo minus vocetur filius Dauid, sed adiecit, oportere etiam credi eum esse filium Dauid. Hoc enim aperte docet illud, Si ergo Dominus eius est, quomodo est filius eius? Non dixit enim, Si Dominus est, filius non est, sed quomodo filius eius est? pro eo quod est, Qua ratione Dominus & qua ratione filius? Hæc autem Diuinitatem & Humanitatem aperte indicant.

ERAN. Non opus est syllogismis. Dominus enim manifeste docuit se nolle vocari filium Dauid.

ORTH. Oportebat ergo & cæcos, & Chananæam, & etiam turbas docere, ne eum vocarent filium Dauid. Nam & cæci clamabant, Fili Dauid miserere mei. & Chananæa, Fili Dauid miserere mei, Filia mea male à Dæmonio vexatur. & multitudo populi, Osanna fili Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. & non modò ægre tulit, sed etiam fidem laudauit. Cæcos enim à nocte longissima liberauit videndique eis actum donauit.

Matth. 20. Chananææ autem filiam instar Corybantis debacchantem, & furore percitam curauit, & longè sceleratissimum Dæmonem ab ea expulit. Cùm autem Pontifices & Pharisæi ijs

Luc. 19. succenserent qui clamabant, Osanna fili Dauid, non modò non prohibuit ne clamarent, sed etiam faustam illam acclamationem confirmauit. Amen, enim inquit, dico vobis, etiam si ij tacuerint, lapides loquentur.

ERAN. Ante resurrectionem has appellationes sustinuit, se dimittens ad eorum imbecillitatem, qui nondum sincere & germane crediderant: Sed post resurrectionem hæc nomina sun superuacanea.

ORTH. Age Beatum Paulum in quo ordine statuemus, inter perfectos an imperfectos?

ERAN. Non est ludendum in rebus serijs.

ORTH. Non est ergo negligenda lectura sacrarum scripturarum.

ERAN. Et quis est adeò miser, vt suam salutem negligat?

ORTH. Responde ad rogatum, & cognosces ignorantiam.

ERAN. Quòd rogatum?

ORTH. Quo in loco ponimus diuinum Apostolum:

ERAN. Clarum quòd inter perfectissimos, & perfectorum magistrum.

ORTH. Quando autem cœpit prædicare?

ERAN. Postquam Seruator est assumptus, venitque sanctus Spiritus, & insignis victor Stephanus fuit lapidatus.

ORTH. Is, cùm circa finem, vltimam scri-

2. Tim. 2. beret Epistolam ad discipulum Timotheum, & ei veluti paternam quandam hæreditatem in testamento traderet, hæc etiam adiecit. Memento Iesum Christum suscitatum à mortuis ex semine Dauid secundum Euangelium meum. Ostendit autem ea etiam quæ pro Euangelio passus est, ea ratione ostendens veritatem Euangelij. In quo, enim inquit, affligor vt male operans. facile esset multa mihi alia testimonia adducere, sed hoc superuacaneum existimo.

ERAN. Pollicitus te ostensurum, Dominum, quæ deerat doctrinam, ijs qui opus habebant, adijcere, quòd is cum Pharisæis quidem & alijs Iudæis de sua diuinitate disserebat, dixisti: Quòd autem etiam de carne doctrinam attulerit, non ostendisti.

ORTH. Fuisset quidem valde superuacaneũ disserere de carne quæ videbatur, apertè enim cernebatur & comedens, & bibens, & laborans & dormiens. Veruntamen vt multa eaque diuersa omittam quę fuerunt ante passionem, post resurrectionem diffidentibus Apostolis non diuinitatem ostendit, sed humanitatem. Videte enim inquit, manus meas, Luc. 24. & pedes meos, quod ipse ego sum. Palpate me, & videte quòd spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Ecce impleuimus quod polliciti sumus, ostendimus enim ijs, qui ignorabant Diuinitatem, allatam fuisse de ea doctrinam, ijs autem qui diffidebant resurrectioni carnis, eam fuisse ostensam. Cessa ergo contendere, & confitere duas esse naturas Seruatoris.

ERAN. Erant duæ ante vnionem, post- *Naturarum*
quam autem conuenerunt, vnam naturam *vnio.*
effecere.

ORTH. Quando autem dicis factam fuisse vnionem?

ERAN. Ego dico statim in ipsa cõceptione.

ORTH. Deum autem verbum dicis no non fuisse ante conceptionem?

ERAN. Imò dico eum esse ante sæcula.

ORTH. Carnem autem vnà cum illo extitisse?

ERAN. Minimè.

ORTH. Sed à Spiritu sancto fuisse formatam, postquam prædictum est ab Angelo?

ERAN. Ita dico.

ORTH. Non erant ergo duæ naturæ ante vnionem, sed vna tantum. Si enim vna præexistit quidem diuinitas, non simul autem existit humanitas, formata enim est post salutationem angelicam, formatione autem coniuncta est vnio: vna ergo natura erat ante vnionem, quæ semper est; & est ante sæcula. Verum enimuero hoc quoque rursus consideremus. Incarnationem, seu humanæ naturæ susceptionem aliquid ne existimas esse aliud, quàm vnionem?

ERAN. Non.

ORTH. Carne enim assumpta incarnatus *Incarnatio.*
est.

ERAN. Videtur.

ORTH. Coniuncta est autem adsumpti- *Assumptio.*
oni vnio,

ERAN. Ita dico.

ORTH. Vna ergo erat natura ante humanę naturæ

naturæ assumptionem. Si enim idem est vnio, & humanæ naturæ assumptio, homo autem factus est humana susceptа natura, accepit autem Dei forma serui formam, erat ergo vna natura diuina ante vnionem.

ERAN. Et quomodo idem est vnio, & *Susceptio.*
humanæ naturæ susceptio?

ORTH. Confessus es nuper hæc nomina non differre.

ERAN. Tu me tuis decepisti ratiocinationibus.

ORTH. Idipsum quod diximus, iterum resumamus.

ERAN. Hoc faciendum.

ORTH. Incarnatio differt ne ab vnione in ipsa rei natura?

ERAN. Vel maximè.

ORTH. Doce paulò fusius eius species.

ERAN. Quin ipsa nominum intelligentia ostendit differentiam. Incarnatio enim carnis assumptionem significat, vnio autem eorum, quæ sunt disiuncta, coniunctionem.

ORTH. Incarnationem autem dicisne vnione antiquiorem?

ERAN. Minimè.

ORTH. Sed in conceptione factam esse vnionem.

ERAN. Ita dico.

ORTH. Ergo si ne momentum quidem temporis intercessit inter carnis assumptionem & vnionem: assumpta autem natura non fuit ante assumptionem & vnionem, eandem quidem rem significat incarnatio & vnio. Vna erat ergo natura ante vnionem seu incarnationem: sed post vnionem duas dicere conuenit, eam videlicet quę assumpsit, & eam quę assumpta est.

ERAN. Ex duabus quidem naturis dico Christum, sed non duas naturas.

ORTH. Explica quomodo dicis illud, Ex duabus naturis, an vt argentum auro illitum, aut electri compositionem aut collam, quæ ex plumbo & stagno temperatur.

ERAN. Dico hanc vnionem esse nulli eorum similem, neq; enim dici, nec explicari potest, & omnem intelligentiæ captum superat.

ORTH. Ego quoque fateor vnionis rationem neminem posse consequi. Quòd autem vtraque natura etiam post vnionem pura & integra remansit, sacra me scriptura docuit.

ER. Et vbi me docuit hoc sacra scriptura?

ORTH. Ea vbiq; hac doctrina plena est.

ER. Affer eorum quæ dicis probationes.

ORTH. An tu non confiteris, quæ sunt vtriusque naturæ propria?

ERAN. Minimè post vnionem.

ORTH. Idipsum nos docuit sacra scriptura.

ERAN. Ego credo sacræ scripturæ.

ORTH. Cùm ergo audieris diuinum Io-

Ioan. 1. annem clamantem, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & omnia per ipsum facta sunt, & quæcunque alia huiusmodi, dicis carnem in principio fuisse apud Deum, & naturam Deum esse, & omnia fecisse, an Deum verbum, quod est à Patre ante sæcula genitum?

ERAN. Deo quidem verbo hæc conuenire dico, ipsum autem à carne vnita non separo.

ORTH. Nec carnem à Deo verbo separamus, nec vnione confusionem facimus.

ERAN. Ego vnam noui naturam post vnionem.

ORTH. Euangelistæ quando scripserunt Euangelia, ante vnionem, an longo tempore post vnionem?

ERAN. Clarum est quòd post vnionem, & natiuitatem, & miracula, & passionem, & resurrectionem & assumptionem in cœlos, & post aduentum sancti spiritus.

ORTH. Audi ergo Ioannem quidem di- Ioan. 1.
centem, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hic erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,
& cætera. Matthęum autem. Liber generatio- Matth. 1.
nis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraam, &
quæ sequuntur. Lucas quoque eius genealo- Luc. 3.
giam ab Abraam & Dauid recenset. Hæc ergo & illa vni naturæ accommoda. Sed non poteris. Etenim quod est, In principio esse, contrarium est, esse ex Abraam, & ei quod est, omnia fecisse, creatum proauum aut atauum habuisse.

ERAN. Hæc cùm dicis, filium vnigenitum in duas personas diuidis.

ORTH. Vnum quidem filium Dei & scio & adoro Dominũ Iesum Christum, diuinitatis autem & humanitatis didici differentiam. Tu autem qui dicis vnam naturam factam esse post vnionem, ei Euangeliorum proœmia accommoda.

ERAN. Tu nimis, vt videtur, validam, & fortasse etiam inexpugnabilem propositionem putas.

ORTH. Sit tibi expedita & facilis, nobis tantùm solue, quod quæritur.

ERAN. Vtraque Christo Domino conueniunt, & in principio esse, & ex Abraham & Dauid secundum carnem germinasse.

ORTH. Statuisti post vnionem non oportere vnam naturam dicere, tuam ergo legem ne transgrediaris, carnis mentionem faciens.

ERAN. Etiam absq; eo quòd carnis mentionem faciam, propositionem facile est soluere. Vtrumque enim Christo Seruatori attribuo.

ORTH. Ego quoque & hæc, & illa dico conuenire Domino Christo, sed duas in ipso naturas contemplans, & vtrique ea, quæ conueniunt, attribuens. Sin autem vna est natura Christus, quomodo fieri potest, vt illi ea, quæ sunt contraria, adaptes? Ei enim quod est, Esse in principio, contrarium est, ex Abraham & Dauid principium cepisse, atque adeò nescio quot generationibus post Dauid natum esse. Rursus autem ei quod est, omnia fecisse, contrarium est ex ijs, quæ facta sunt germinasse, & ei quod est ex Deo esse, parentes mortales

tales habuisse, eterno quoque contrarium est id, quod est recens. Atque ideo ita consideremus, dicimusne Deum verbum esse omnium opificem?

ERAN. Ita credere sacra nos scriptura docuit.

ORTH. Quoto autē die dicimus formatum esse Adam post cœli & terræ opificium?

ERAN. Sexto.

ORTH. Ab Adam autem vsq; ad Abraham, quot transiere generationes?

ERAN. Ego eas esse viginti existimo.

ORTH. Ab Abraham autem vsque ad Seruatorem nostrum Christum, quot generationes enumerat Matthæus Euangelista?

ERAN. Quadraginta duas.

ORTH. Si ergo vna est natura Dominus Christus, quomodo fieri potest vt idē sit tam eorum quæ sub aspectum cadunt, quàm quæ non cadunt, opifex, & post tot generationes à sancto spiritu in virginali vtero formatus sit? Quomodo autem est Adam effector, & eorum qui ab Adam descenderunt filius?

ERAN. Iam antè dixi & hęc & illa ei conuenire vt Deo incarnato. Vnam enim scio verbi incarnatam naturam.

ORTH. Nec nos, ò bone, duas Dei verbi naturas incarnatas esse dicimus. Vnam enim scimus Dei Verbi naturam, sed carnem qua incarnatus est, alius esse naturæ didicimus. Existimo autem te hoc quoque confiteri. Dic ergo per quamnam mutationem dicis incarnationem factam esse?

ERAN. Nescio quomodo, sed ipsum incarnatum esse credo.

ORTH. Improbè, & non secus ac Pharisęi, ignorantiam prætexis. Illi enim cùm viderēt quàm valida esset Domini interrogatio, & ne conuincerentur timerent, se nescire dixerunt. Ego autem aperte clamo diuinam incarnationem esse à mutatione liberam. Si enim per mutationem & conuersionem aliquam fuisset incarnatus, nec diuina nomina, nec res post conuersionem ei amplius conuenirent. *Incarnatio sine mutatione.*

ERAN. Sæpe confessi sumus Deum verbum esse immutabile.

ORTH. Carne ergo sumpta incarnatus est.

ERAN. Verum.

ORTH. Alia quidem est incarnati verbi natura, alia autem carnis, quam cùm accepisset Dei verbi natura, incarnata homo facta est.

ERAN. In confesso est.

ORTH. Non est ergo versum in carnem.

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Si ergo non conuersum, sed carne accepta incarnatum est, & hęc & illa tanquam incarnato Deo conueniunt, hoc enim paulò antè dixisti, non confusæ sunt naturæ, sed puræ, & integrę remanserunt. Si enim ita intelligamus, etiam Euangelistarum cōcordiam videbimus. Vnius enim vnigeniti, Domini inquam Christi, hic quidem diuinitatem, ille verò humanitatem prędicat. Ita etiam intelligere nos docet ipse Christus Dominus, nunc quidem seipsum filium Dei appellans, nunc autem filium hominis, & aliquāndo quidem matrem, vt quæ eum genuerit, honorat, aliquando autem vt Dominus increpat, & aliquando quidem eos qui ipsum filium Dauid nominant admittit, aliquando autem docet eos, qui nesciunt, se non solum esse filium, sed etiam Dominum Dauid, & vocat quidem Nazareth & Capernaum patriam: Rursus autem clamat, Priusquā Abraam fieret ego sum. Sacram autem scripturam multis eiusmodi refertam inuenies. Hæc autem non vnam naturam sed duas significant. *Ioan. 8.*

ERAN. Qui duas naturas in Christo considerat, in duos filios diuidit vnigenitum.

ORTH. Ergo etiam qui Paulum ex anima & corpore constitutū esse dicit, duos esse Paulos Paulum qui vnus est ostendit.

ERAN. Non est exemplum simile. *Anethasis similitudo dissimilis.*

ORTH. Ego quoque id scio. Hic enim est naturalis eorum, quæ sunt contemporanea, & creata, & conserua, vnio. In Domino autem Christo id totum est bonæ eius ac liberæ voluntatis, humanitatisque & gratiæ. Verùm hic etiam naturali vnione manente, pura & integra manserunt ea, quæ sunt naturarum propria.

ERAN. Si non commixta manserunt, quæ sunt naturarum propria, quomodo anima vnà cum corpore nutrimentum appetit? *Sitis, fames, somnus, corporis non animæ.*

ORTH. Non anima nutrimentum appetit. Quomodo enim id faceret, quæ est immortalis, & nutrimento melior ac præstantior? sed corpus, ab ea vitalem facultatem recipiens, sentit indigentiam, & quod defit accipere desiderat. Ita etiam quietem post laborem appetit, & somnum post vigiliam, & alia similiter. Cùm primum itaque facta est dissolutio, tum vitalem non habet amplius operationem, nec quod deficit appetit, & dum id non suscipit, corruptionem interitumque patitur.

ERAN. Vides esse animæ sitire & esurire, & quæ sunt his similia?

ORTH. Si hæc essent animæ, etiam postquam à corpore liberata est, & famē, & sitim, & alia similiter sentiret.

ERAN. Quænam ergo dicis animæ propria?

ORTH. Esse ratione prędita, simplicem, immortalem, & sub aspectum non cadere. *Animæ propria.*

ERAN. Quid autem corporis?

ORTH. Esse compositum, aspectabile, mortale.

ERAN. Ex his autem hominem compositum esse dicimus?

ORTH. Dicimus.

ERAN. Definimus ergo hominem animal præditum ratione, mortale.

ORTH. In confesso est.

ERAN. Eum aūt ex his & illis nominamus.

ORTH. Verum.

ERAN. Sicut ergo hic nō diuidimus, sed eundem vocamus & rationis participem & mortalem, ita etiam in Christo faciēdum est, & diuina & humana sunt ei tribuenda.

ORTH. Nostrum est quod dicis, etiam si non

non id perfectè tractaueris. Ita autem considera. Quando humanam animam examinamus, ea solum, quæ eius operationi & naturæ conueniunt, dicimus?

ERAN. Sola.

ORTH. Quando autem rursus de corpore verba facimus, non ea sola quæ sunt eius propria persequimur?

ERAN. Verum.

ORTH. Quando autem rursus de toto animali disserimus, audacter deinceps & hæc & illa adducimus. Homini enim conueniunt tam quæ sunt corporis, quàm quæ animæ propria.

ERAN. Pulcherrimè locutus es.

ORTH. Ita ergo etiam de Christo verba facere conuenit, & de naturis quidem differentes, vtrique tribuere, quæ ad eam pertinent, & scire aliqua quidem diuinitatis, aliqua verò humanitatis propria. Quando autem de persona loquemur, oportet ea facere communia, quæ sunt naturarum propria, & hæc & illa Christo Seruatori tribuere, & eundem vocare & Deum & hominem, & filium Dei, & filium hominis, & Dauid filium, & Dauid Dominum, & semen Abrahæ, & Abrahæ effectorem. & alia omnia similiter.

ERAN. Vnam quidem esse Christi personam eique diuina & humana conuenire, admodum rectè dixisti, & fidei decretum suscipio. Quod autem rursus dicis, oportere de naturis differentes, vnicuique quæ sunt eius propria tribuere, hoc mihi videtur vnionem soluere. Quamobrem ea, & quæ similiter dicuntur non admitto

ORTH. Atqui quando quæ de anima & corpore dicebantur examinabamus, magni tibi facienda, & æstimanda visa est illorum rationum diuisio, protinus enim bonis verbis & laude eam es prosecutus. Cur ergo in Christi Domini diuinitate & humanitate eandem regulam non admittis? An ne animæ quidem & corpori Christi diuinitatem & humanitatem exæquas? sed animæ quidem & corpori das inconfusam vnionem, commixtionem autem & confusionem sustinuisse audes dicere Christi diuinitatem & humanitatem?

ERAN. Ego quidem Christi diuinitatem, atque adeò vel ipsam carnem, anima & corpore multis ijsque infinitis partibus esse præstantiorem & pretiosorem iudico, sed vnam tamen naturam post vnionem esse dico.

ORTH. Et quomodo non est impium & miserum, dicere quidem animam corpori coniunctam, confusionis affectionem minimè subijsse: vniuersorum autem Domini diuinitatem nec potuisse propriam naturam integram conseruare, nec quam accepit humanam in suis finibus retinere, sed quæ confundi non possunt, confudisse, & quæ non permisceri, permiscuisse? Vna enim natura vt hæc suspicemur efficit.

ERAN. Ac mihi quidem fugiendum est nomen confusionis, duas tamen dicere naturas recuso, ne eo deueniam vt duos filios dicere censear.

ORTH. Ego autem studeo vitare vtrunque præcipitium, tam impiæ confusionis, quàm diuisionis impiæ. Mihi enim est æquè nefarium, & vnum filium bifariam diuidere, & duas esse naturas inficiari. Dic mihi autem per veritatem, si quis eorum, qui Arij & Eunomij factionem sequuntur, tecum differens, de filio retrahere conetur, & patre esse minorem & inferiorem ostendere, illa dicens, quæ dicere consueuerunt, & sacra scriptura illudasferens, Pater si possibile est, transeat à me calix iste. & illud, Nunc anima mea turbata est, & alia eiusmodi, quomodo has obiectiones dissolueris? Quomodo autem ostenderis ex ijs non effici minorem esse filium, nec alius substantiæ, sed esse ex patris substantia genitum? *Confusio naturarum. Diuisio personæ. Matth. 26. Ioan. 12.*

ERAN. Dixerim quòd sacra scriptura hęc quidem dicit theologicè, illa verò œconomicè, & quòd non oportet ea quæ œconomicè dicta sunt Theologicis attribuere.

ORTH. Atqui ille dixerit, quòd etiam in veteri Deus multa dicit œconomicè. Tale est enim illud, Audiuit Adam vocem Domini Dei ambulantis. & illud, Descendam & videbo an secundum clamorem eorum ad me venientem faciant, sin minus, vt cognoscam. & illud, Nunc cognoui quòd tu times Deum, & multa eiusmodi alia. *Gen. 3.*

ERAN. Ad hæc rursus responderim, quòd multiplex est œconomiarum differentia. In veteri enim est eiusmodi verborum œconomia, hic autem etiam rerum.

ORTH. Sed interrogauerit ille quarumnam rerum?

ERAN. Sed statim audiet, earum, quę pertinent ad incarnationem. Homo enim Dei filius, & verbis & factis aliquando diuinitatem ostendit, sicut certe hoc in loco ostendit & animæ, & carnis imbecillitatem, est enim timiditatis affectio.

ORTH. Sin autem excipiens dixerit, Atqui non animam, sed solum corpus accepit, diuinitas autem corpori pro anima vnita, omnia quæ sunt animæ suscepit, quibusnam rationibus contradictionem solueris?

ERAN. Ex sacra scriptura rationes afferens, & ostendens quòd non solam carnē, sed etiam animam Deus verbum suscepit.

ORTH. Et quasnam eiusmodi probationes inueniemus in scripturis?

ERAN. Non audiuisti Dominum dicentem, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem rursus habeo accipiendi eam, pono eam à meipso, vt rursus accipiam ipsam. Et rursus, Anima mea nunc turbata est. Et rursus, Tristis est anima mea vsq; ad mortem. & quòd à Dauid dictum est, & à Petro interpretatum, Non derelicta est in inferno anima mea, neque caro eius vidit corruptionem. Hæc, & quæcunque sunt eiusmodi, apertè ostendunt, quòd non solum corpus, sed etiam animam Deus verbum suscepit. *Ioan. 10. 8. Matth. 26. Psal. 15. Actor. 2.*

ORTH.

ORTH. Aptè admodum & ſapienter adduxiſti teſtimonia. Ille autem obiecerit quòd etiam ante humanæ naturæ ſuſceptionem, Iudæos Deus alloquens dixit, Ieiunium, & ſabbata, & feſta veſtra odit anima mea, deinde ratiocinans dixerit, quòd ſicut in veteri animam non habens, animæ meminit, ita etiam hic fecit. *Eſa.1.*

ERAN. Sed audiet rurſus, quòd etiã corporis partium ſacra de Deo differens ſcriptura meminit. Inclina, enim inquit, aurẽ tuam, & aperi oculos tuos, & vide. &, Os Domini hoc locutum eſt. Et manus tuæ fecerunt me, & formauerunt me. & alia innumerabilia. *Pſal. 44.*

ORTH. Si ergo etiã poſt incarnationem anima non eſt intelligenda anima: nec corpus ergo corpus intelligendũ eſt, & inuenietur viſio quædam & apparitio magnum œconomię myſterium, & nihil à Marcione & Valentino & Manete differemus. Nam illi etiam quædam eiuſmodi fabulantur. Quid ſi autem nobis differentibus venerit repentè quiſpiam ſectator Apollinaris, & roget, Quamnam, ò vir optime, dicis animam ſuſcepiſſe, quid reſponderis?

ERAN. Primum quidem, quòd vnam noui hominis animam, deinde adiecerim, Quòd ſi tu duas exiſtimas, & hanc quidem rationis expertem, illam verò ratione præditam arbitraris, eam quæ eſt ratione prædita ſuſceptam eſſe dico. Tu enim vt videtur eam habes, quæ eſt rationis expers, imperfectam noſtram ſalutem exiſtimans.

ORTH. Quid ſi eorum quæ dicis probationes poſtulauerit?

ERAN. Dabo facile, & ei reſponſa Euangelica in mentem reuocabo. Puer Ieſus creſcebat, & confirmabatur in ſpiritu, & Dei gratia erat in ipſo. Et rurſus. Ieſus autem proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum & homines. & dixerim quòd nihil horum conuenit diuinitati. Aetate enim corpus proficit, ſapientia autem anima, non quę caret ratione, ſed quæ eſt compos rationis. Ratione ergo præditam animam Deus verbum, qui eſt etiam ratio, nempe λόγος, ſuſcepit. *Luc. 2.*

ORTH. Valde quidem fortiter tres aduerſariorum perrupiſti cuneos, ſed vnionem illam, & iam diu iactatam commixtionem, ac confuſionem non ſolum bifariam, ſed etiam trifariam tuis verbis diſſoluiſti, & non ſolum diuinitatis & humanitatis differentiam oſten diſti, ſed ipſam etiam humanitatem bipertito diuiſiſti, aliud quidem eſſe animã, aliud corpus docens, vt non amplius duæ, vt dicebamus, ſed tres intelligantur naturæ Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti.

ERAN. An tu non aliam dicis eſſe ſubſtantiam animæ, quàm corporis.

ORTH. Nè.

ERAN. Quomodo ergo tibi viſum eſt admirabile quod dictum eſt?

ORTH. Quoniam duas dicere recuſas, tres naturas confeſſus es.

ERAN. Quæ contra aduerſarios ſuſcipitur cõcertatio nos hoc cogit facere. Quomodo enim aliter cum eis diſſeretur, qui carnis, vel animæ, vel mentis negant aſſumptionem, niſi eorum probationes ex ſacra ſcriptura afferantur? Quomodo autem eos qui de vnigeniti diuinitate detrahere contendunt, refellere, eorumque rabiem compeſcere poterimus, ſi non oſtẽderimus ſacrã ſcripturã alia quidem dixiſſe Theologicè, alia œconomicè.

ORTH. Verum eſt quod dicis, idipſum eſt enim quod dicimus, atq; adeò omnes qui firmam ac ſtabilem ſeruant regulam Apoſtolicam. Ipſe autem noſtrorum dogmatum defenſor apparuiſti.

ERAN. Et quomodo veſtra defendo, qui duos non dico filios?

ORTH. Vbi vnquam nos audiuiſti duos filios inducentes?

ERAN. Qui duas dicit naturas, non duos dicit filios?

ORTH. Tu ergo tres dicis filios: tres enim dixiſti naturas.

ERAN. Non poterant aliter ſolui quæ ab aduerſarijs objiciebantur.

ORTH. Hoc ipſum quoque à nobis audias, eoſdem enim habemus aduerſarios.

ERAN. Sed ego poſt vnionem non dico duas naturas.

ORTH. Atqui poſt multas vnionis generationes ijſdem nuper verbis vſus es. Tu tamẽ doce nos, quomodo dicis vnam naturam poſt vnionem? an quòd vna ex ambabus facta ſit, an quòd altera deleta altera remanſerit?

ERAN. Ego dico manſiſſe diuinitatem, humanitatem autem ab ipſa abſorptam eſſe ac deuoratam. *Humanitas abſorpta.*

ORTH. Hæc ſunt fabulæ Græcorum, & nugæ Manichæorum. Ego autẽ, vel eas in medium proferre erubeſco. Illi enim Deorum deuorationes, hi verò filiæ lucis, ſuis ſcriptis commendarunt. Nos autem huiuſmodi dicta, non ſolum vt impia, ſed etiam vt valde ſtulta refugimus & auerſamur. Quomodo enim ſimplex & incompoſita natura & quæ omnia complectitur, quam nec vllus vnquam aſſequi poteſt, nec vllis finibus circumſcribere, eam deuorauit naturam, quam adſumpſit?

ERAN. Vt mare, quod mellis guttam adſumpſit. Illa enim gutta ſtatim euaneſcit aquę maris permixta.

ORTH. Maris & guttæ eſt in quantitate differentia, & in vna quidem certè qualitate. Illud enim eſt maximum, hæc verò minima, & hæc quidem dulcis, illud verò ſalſum, in alijs autem quidem certè plurimam cognationem inuenire poſſumus. Habent enim vtraq; liquentem, & humidam, fluxamque naturam. Quinetiam hoc illis commune eſt quòd ſint creata & inanima. Corpus quoque & hæc & illud appellatur.

ORTH. Eſt ergo ſatis probabile, nec quidquam habet abſurdi, ſi quæ propè accedunt naturæ, permiſceantur ac confundantur, & altera ab altera perimatur. Hic autem eſt infinita diuerſitas, & tanta vt nulla omnino veritatis inue-

niatur ſimilitudo. Ego autem tibi etiam multa oſtendam, quæ commiſcentur quidem & confunduntur, ſed tamen pura & integra permanent.

ERAN. Et quis vnquam meram ac puram audiit mixtionem?

OR. Ego quidem efficiã vt hoc confitearis.

ERAN. Si verum eſſe quod dicetur apparuerit, veritati minimè repugnabimus.

OR. Reſpondeo ergo annuens, vel renuens, prout quod dicetur ſe tibi habere videbitur.

ERAN. Reſpondebo.

ORTH. Videtur ne tibi lux oriens omnẽ aerẽ implere, niſi forte ſi quis in ſpelũcis ſubterraneis incluſus nunquã illuminatus fuerit?

ERAN. Ita mihi videtur.

ORTH. Et lux tota per totum aerem procedere?

ERAN. Hoc quoque ita mihi videtur.

ORTH. Mixtio autem ac temperatura non per omnia procedit quæ miſcentur?

ERAN. Verum.

ORTH. Qui illuminatur autẽ, aerem, non lucem, & videmus, & nominamus?

ERAN. Maximè.

ORTH. Sed tamen etiam præſente luce, ſiccam qualitatem humidamq; ſentimus, ſæpe etiam frigidam & calidam.

ERAN. Ea ſentimus.

ORTH. Poſtquam autem lux receſsit, manet deinceps aer ipſe per ſe.

ERAN. Ea vera ſunt.

ORTH. Hoc quoque conſidera. Ferrum, quod cum igne coniungitur, candens ignitumque redditur?

ERAN. Maximè.

ORTH. Et ignis per totam eius ſubſtantiam procedit?

ERAN. Certè.

ORTH. Quomodo ergo non mutat ferri naturam ſumma vnio, & quæ per totum procedit commixtio?

ERAN. Atqui mutat omnino, neq; enim amplius ferrum, ſed ignis eſſe cenſetur. Iam verò habet etiam ignis operationem.

ORTH. An non ergo faber ferrarius ipſum adhuc ferrum nominat, & in incude ſtatuens ei malleum incutit?

ERAN. Hæc in confeſſo ſunt.

ORTH. Non corrupit itaq; ferri naturam ignis coniũctio. Si poteſt ergo inueniri inconfuſa mixtio, mera eſt & aperta inſania, in natura quę nec corrumpi, nec immutari poteſt, cogitare confuſionem, & naturæ quæ adſumpta ſit deletionem, & interitum, idq; cùm adſumpta ſit ad beneficium generis.

ERAN. Non dicimus eſſe deletam naturam quæ adſumpta eſt, ſed tantùm mutatam in ſubſtantiam diuinitatis.

ORTH. Non habet ergo genus humanum & priorem circumſcriptionem?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Quando autem accepit hanc mutationem?

ERAN. Poſt ſummam vnionem.

ORTH. Quando aũt eam dicis fuiſſe factã?

ERAN. Dixi ſæpe, in conceptione.

ORTH. Atque poſt conceptionem fuit & fœtus in vtero, & natus infans & fuit & dictus eſt, & à paſtoribus adoratus, & puer ſimiliter euaſit, & ita ab Angelo vocatus eſt, ſcis hęc, an nos fabulas fingere exiſtimas?

ERAN. Hęc nos docet ſanctorũ Euangeliorum hiſtoria, eique contradici non poteſt.

ORTH. Reliqua quoque conſideremus, non confitemur Dominũ fuiſſe circuncifum? *Circuncif. Chrs.*

ERAN. Confitemur.

ORTH. Cuius ergo fuit circuncifio, carnis an diuinitatis?

ERAN. Carnis.

ORTH. Cuius autem eſt augeri, ætateque & ſapientia proficere?

ERAN. Clarum eſt, nihil eorum conuenire Diuinitati.

ORTH. Ergo nec eſurire, & ſitire.

ERAN. Minimè.

ORTH. Sed nec ambulare, nec laborare, nec dormire, nec alia, vt ſemel dicam, eiuſmodi.

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Si facta ergo eſt in conceptione vnio hæc, omnia autem poſt conceptionem & natiuitatem facta ſunt, non ergo poſt vnionem ſuam naturam amiſit humanitas.

ERAN. Non recte definij. poſtquam enim à mortuis reſurrexit, accepit caro mutationẽ in naturam diuinitatis.

ORTH. Nihil ergo in ea manſit, poſt reſurrectionem, eorum quæ naturam declarant?

ERAN. Si manſit, ne facta quidem eſt diuina mutatio.

ORTH. Quomodo ergo diffidẽtibus diſcipulis & manus oſtendit & pedes?

ERAN. Sicut clauſis ianuis ingreſſus eſt.

ORTH. Sed ingreſſus eſt clauſis ianuis, quemadmodũ egreſſus eſt ex vtero, cùm virginis clauſtra obſiſterent, & ſicut in mari ingreſſus eſt, nondum autem vt tu dicis, facta erat naturæ mutatio.

ERAN. Oſtendit Dominus manus Apoſtolis, ſicut cum Iacob luctatus eſt. *Gen. 32.*

ORTH. Sed non ſinit Dominus nos ſic intelligere. Cùm enim diſcipuli cõiectaſſent ſe ſpiritum videre, hanc Dominus ſuſpicionem remouit, & naturam carnis oſtendit. Quid, enim inquit, turbati eſtis, & cur cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris? Videte manus meas, & pedes meos, quòd ipſe ego ſum. Palpate me, & videte quòd ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et videte quàm accuratè, & exactè locutus eſt. Non enim dicit, Carnem & oſſa eſſe, ſed carnem & oſſa habere, vt oſtenderet aliud quidẽ eſſe quod habet ſecundum naturã, aliud autem quod habetur. Sicut enim aliud quidem eſt id quod accepit, aliud quod acceptum eſt, vnus autem ex ambobus Chriſtus conſideratur: ita id quod habet, plurimum differt ab eo quod habetur, non tamen diuidit in duas perſonas id *Luc. 24.*

quod intelligitur. Dominus quidem, discipulis adhuc dubitantibus & cibum petijt, & cùm accepisset, comedit, nec visione tantùm cibum consumens, nec quod corpori deerat explens.

ERAN. Atqui duorum alterum necesse est eligas, vel enim egens sumpsit, vel non egens, visus est quidem comesse, verùm cibum non sumpsit.

ORTH. Cibo quidem nõ egebat corpus, quod factum immortale fuerat. De ijs enim
Matth. 22. qui resurgunt dicit Dominus. Illic nec vxores ducunt, nec nubunt, sed sunt tanquam Angeli. Quòd autem cibum sumpsit, testes sunt Apostoli. Beatus enim Lucas dixit in procemio Actuum, quòd conuescens cum Apostolis
Act. 2. Dominus iussit ne Hierosolymis discederent. Diuus autem Petrus dixit apertius. Qui cum eo comedimus, & bibimus, postquam resurrexit à mortuis. Quoniam enim eorum qui sunt in præsenti vita proprium est comedere, necessario Dominus carnis resurrectionem, ostendit per cibum & potum ijs qui ea vera esse non putabant. Hoc ipsum autem
Ioan. 12. fecit & in Lazaro, & in filia Iairi. Cùm eam enim suscitasset, iussit ei dari quod comederet, & vnà cum Lazaro conuiuium inijt, ostendens ea ratione veram esse resurrectionem,

ERAN. Si dederimus Dominum verè comedisse, demus etiam omnes homines post resurrectionem cibum sumere.

ORTH. Quæ consilio aliquo, & propter certam œconomiam à Seruatore facta sunt, non sunt regula & decretum naturæ. Etenim nonnulla fecit certo suæ dispensationis consilio, quæ ijs qui reuiuiscunt minimè euenient.

ERAN. Quænam hæc?

ORTH. Eorum qui resurgunt corpora nónne sunt à corruptione aliena, & planè immortalia?

1. Cor. 15. *ERAN.* Nos diuus Paulus ita docuit. Seminatur, enim inquit, in corruptione: surgitur in incorruptione. Seminatur in ignominia: surgitur in gloria. Seminatur in infirmitate: surgitur in potẽtia. Seminatur corpus animale: surgit corpus spiritale.

ORTH. Sed Dominus, qui minimè mutila & manca, sed integra & perfecta omnium corpora suscitat (neque enim cœcitas, nec claudicatio inuenietur in ijs, qui suscitantur) in suo corpore quæ à clauis facta erant foramina, & vulnus, quod in latere acceperat, reliquit. Huius autem testes sunt & ipse Dominus,
Luc. 24. & manus Thomæ.

ERAN. Verum.

ORTH. Si ergo post resurrectionẽ cibum sumpsit Dominus, manusque & pedes suis ostendit discipulis cum ijs, quæ erant in ipsis, clauorum foraminibus, & etiam latus cum ipso vulnere, quod ex ictu acceperat, eis autem dixit, Palpate me, & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: mansit ergo etiam post resurrectionẽ natura corporis, & non mutata est in aliam substantiam.

ERAN. Est ergo & mortale & patibile post resurrectionem?

ORTH. Nequaquam, sed à corruptione, & interitu alienum, & impatibile & immortale.

ERAN. Si est ab interitu alienum, & impatibile & immortale, in aliam naturam mutatum est.

ORTH. Ergo omnium quoque hominum corpora mutabuntur in aliam substantiam, erunt enim omnia ab interitu aliena, & immortalia. An non audiuisti Apostolum dicentem, Oportet enim corruptibile hoc induere 1. Cor. 15.
incorruptibilitatem, & hoc mortale induere immortalitatem?

ERAN. Audiui.

ORTH. Ergo manet quidem natura: mutatur autem quod est eius corruptibile, in incorruptionem, & mortale in immortalitatem. Sic autem consideremus. Quod est infirmum corpus, & quod sanum, ex æquo corpus appellamus?

ERAN. Ita est.

ORTH. Quamobrem?

ERAN. Quia vtrunque est eiusdem substantiæ particeps.

ORTH. Atqui videmus in ijs multã differentiam. Hoc est enim sanum, integrum, & illęsum: illud autem vel effossum oculum, vel crus saucium, vel aliquam aliam grauissimam habet affectionem.

ERAN. Sed circa eandem substantiã versatur vtrunque, & sanitas, & infirmitas.

ORTH. Corpus ergo substantia vocandũ, morbus autem & substantia accidens.

ERAN. Vtique. Nam hęc quidem corpori & accidunt, & recedunt.

ORTH. Corruptionem ergo, interitum & mortem, accidentia, & non substantias nominare conuenit, eueniunt enim, & recedunt.

ERAN. Conuenit.

ORTH. Ergo etiam hominũ corpora surgentia quidem, à corruptione ac interitu, & mortalitate liberantur, sed tamen propriam naturam non amittunt.

ERAN. Verum.

ORTH. Igitur corpus Dominicum surrexit quidẽ à corruptione & interitu alienum, & impatibile, & immortale, & diuina gloria glorificatum, & à cœlestibus adoratur potestatibus, corpus tamen est, & habet quam prius habuit circumscriptionem.

ERAN. In ijs videris dicere verisimilia & rationi consentanea. Sed postquam in cœlos assumptus est, non existimo te dicturum eum non fuisse conuersum in naturam diuinitatis.

ORTH. Ego quidem non dixerim humanis rationibus persuasus, nec sum vsque adeò audax & temerarius vt dicam aliquid, quod sacra scriptura silentio præterijt. Sed tamen audiui diuũ Paulum clamantem, Statuit Deus Act. 17.
diem in quo iudicaturus est terrarũ orbem in iusti-

iustitia, in viro quem præfinijt, fidem præbẽs omnibus, suscitans è mortuis seipsum. Didici
Actor. 1. etiam à sanctis Angelis, quòd veniet eo modo quo viderunt ipsum Discipuli euntem in cœlum. Viderunt autem naturam circũscriptam, non eam quæ circumscribi non potest. Audiui autem etiam Dominum dicentem. Videbi-
Matth. 26. tis filium hominis venientem in nubibus cœli. Scio verò esse circumscriptum quod videtur ab hominibus. Videri enim non potest natura, quæ non potest circumscribi. Porrò autẽ & sedere in throno gloriæ, & statuere qui-
Matth. 15. dem agnos à dextris, hœdos verò à sinistris, id quod circumscriptum est significat.

ERAN. Ergo nec antequam homo factus esset, erat eiusmodi vt circumscribi non pos-
Esa. 6. set. Vidit enim Propheta eum à Seraphim circundatum.

ORTH. Nõ vidit Propheta ipsam Dei substantiam, sed quandam visionem suæ facultati cõuenientem. Sed post resurrectionem, videbunt iudicis eam, quæ videtur, naturam.

ERAN. Pollicitus te dicturum non sine testimonijs, tu nobis tuas rationes adducis.

ORTH. Sacra scriptura hæc me docuit. Audiui enim Zachariam Prophetam dicentem.
Zach. 12. Videbunt in quem transfixerunt. Quomodo autem finem accipiet Prophetia, si qui crucifixerunt, naturam non cognoscent quã crucifixerunt? Audiui autem etiam præclarum vi-
Act. 7. ctorem Stephanum clamantem. Ecce video cœlos apertos, & filiũ hominis stantem à dextris Dei. Vidit autem eam quæ videtur naturam, non quæ sub aspectum non cadit.

ERAN. Hæc quidem ita scripta sunt. Sed postquam in cœlos assumptus est, existimo te non ostensurũ corpus à viris sancto spiritu inspiratis corpus dici.

ORTH. Maximè quidem etiã ea, quæ prædicta sunt, corpus apertè significant, quod enim videtur, corpus est, ostendam tamen etiam post assumptionẽ corpus Domini corpus
Ad Philip. 3. vocari. Audi ergo Paulum dicentem. Nostra enim conuersatio in cœlis est, ex quo etiam expectamus Seruatorẽ Dominum Iesum qui transformabit corpus humilitatis nostræ, vt fit conforme corpori gloriæ ipsius. Non est ergo mutatum in aliam naturam, sed mansit quidem corpus verum, diuina gloria impletum, & lucis emittens radios. Illi fient sanctorum corpora conformia. Sin autem illud in aliam naturam mutatum est, eorum quoque corpora similiter mutabuntur, fient enim illi conformia. Sin autem corpora sanctorum seruant suæ naturæ characterem, corpus quoque Domini similiter habet suam substantiam immutabilem.

Quomodo nostra corpora corpori Domini cõformia. *ERAN.* Erunt ergo corpora sanctorũ corpori Domini æqualia.

ORTH. Ab interitu quidem & corruptione erunt ea quoque aliena, & immortalitatis participia. Habebunt etiam gloriæ partem, & communionem, quemadmodum dicit Apo-
Rom. 8. stolus. Siquidem compatimur, vt etiam glorificemur, in quantitate autem magna potest inueniri differentia, & tanta, quantum differt Sol à stellis, vel potius quantum dominus à seruis, & quod illuminatur, ab eo quod illuminat. Suos tamen seruos etiam suis nominibus impertijt, & qui lux appellatur, sanctos quo-
que lucem vocauit. Vos, enim inquit, est is lux Matth. 5. 13.
mundi, & qui sol iustitię nominatur, dicit de seruis. Tunc fulgebunt iusti sicut sol. In qualitate ergo, non quantitate, erunt sanctorum corpora corpori Domini conformia. Ecce tibi apertè ostendimus quod nobis mandauisti. Sin autem tibi videtur, hoc quoq; aliter confideremus.

ERAN. Oportet omnem mouere lapidem, vt est in prouerbio, vt verum inueniatur, sed vel maximè cùm diuina decreta proponuntur.

ORTH. Dic ergo, Mystica symbola, quæ *Eucharistia.*
Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorumnam dicis esse symbola?

ERAN. Corporis & sanguinis Domini.

ORTH. Corporis, quod vere est, vel vere non est?

ERAN. Quod vere est.

ORTH. Optime, oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Etenim pictores imitantur naturam, & eorum quæ videntur depingunt imagines.

ERAN. Verum.

ORTH. Si ergo diuina mysteria corpus quod vere est repræsentant: ergo corpus etiam nunc Domini quoque corpus est, non in naturam diuinitatis muratum, sed impletum diuina gloria.

ERAN. Opportunè accidit vt verba faceres de diuinis mysterijs. Nam vel ex eo ipso tibi ostendam corpus Domini in aliam mutari naturã. Responde ergo ad mea interrogata.

ORTH. Respondebo.

ERAN. Quid appellas donum quod affer- *Ante inuocationem. Panis vinum.*
tur, ante inuocationem sacerdotis?

ORTH. Non oportet apertè dicere, est enim verisimile adesse aliquos mysterijs nõ initiatos.

ERAN. Respondeatur ænigmaticè.

ORTH. Id quod fit ex huiusmodi seminibus nutrimentum.

ERAN. Aliud autem signum quomodo nominamus?

ORTH. Commune etiã hoc nomen, quod potus speciem significat.

ERAN. Post sanctificationem autem quo- *Post cõsecrationem, corpus & sanguis.*
modo ea appellas?

ORTH. Corpus Christi, & sanguinem Christi.

ERAN. Et credis te fieri participẽ Christi corporis & sanguinis?

ORTH. Ita credo.

ERAN. Sicut ergo symbola Domini corporis & sanguinis, alia quidem sunt ante inuocationem sacerdotis, sed post inuocationem mutantur, & alia fiunt: ita etiam corpus Domini post assumptionem mutatur in diuinam substantiam.

ORTH. Quæ ipse texuisti retibus captus

es. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri, & tangi possunt, sicut & prius, intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & credun
Euch. adoratio. tur, & adorantur, vt quæ illa sint quæ creduntur. Confer ergo imaginé cum exemplari, & videbis similitudiné. Oportet enim figuram esse veritati similem. Illud enim corpus habet priorem quidem formam, & figuram, & circumscriptionem, & vt semel dicam, corporis substantiam. Immortale autem post resurrectionem factum est, & potentius quàm vt vlla in ipsum cadat corruptio, & interitus, sessioneque à dextra dignatum est, & ab omni creatura adoratur, vt quod appelletur corpus naturæ Domini.

ERAN. Atqui symbolum mysticum priorem mutat appellationem, neque enim amplius nominatur, quod prius vocabatur, sed corpus appellatur. Oportet ergo etiá veritatem, Deum, & non corpus vocari.

ORTH. Ignarus mihi esse videris, non e-
Panis vitæ. nim corpus solum, sed etiam panis vitæ nominatur, ita Dominus ipse appellauit. Porrò autem ipsum corpus diuinũ corpus nominamus, & viuificum, & Dominicum, docentes non esse commune alicuius hominis, sed Domini nostri Iesu Christi, qui est Deus & homo.
Heb. 13. Iesus enim Christus heri & hodie idem, & in sæcula.

ERAN. Multa quidem de hac re disseruisti, ego autem sequor sanctos, qui olim in ecclesia fulserunt. Ostende ergo illos post vnionem suis verbis naturas diuidere.

ORTH. Ego quidem ea, quæ ab illis scripta sunt, tibi legam. Tu autem sat scio admiraberis, eos in suis scriptis toties diuisionis mentionem facere, dum aduersus impias hæreses decertant. Audi ergo eos, quorum iam tibi testimonia citaui, hæc apertè & dilucidè dicentes.

Ignatius. *Sancti Ignatij Antiocheni Episcopi pars Epistolæ ad Smyrnæos.*

Ego etiam post resurrectionem ipsum in carne esse scio, & credo, & quando ad eos qui cum Petro erant, accessit, dixit eis. Accipite, palpate me, & videte quòd non sum demonium incorporeum, & protinus ipsum tetigerunt, & crediderunt. Eiusdem ex eadem epistola. Post resurrectionem autem vnà cùm ipsis comedit, & bibit, vt qui carnaliter & spiritualiter Patri esset vnitus.

Irenæus. *Irenæi antiqui Episcopi Lugdunensis ex libro secundo de Hæresibus.*

Vniuit ergo, sicut antè diximus, hominem Deo. Nisi enim homo vicisset hominis aduersarium, non iustè victus esset hostis. Et rursus. Nisi Deus dedisset salutem, eam non firmiter ac stabiliter haberemus. Et nisi Deo vnit° esset homo, non potuisset non esse corruptioni & interitui obnoxius. Oportebat enim intercessorem Dei & hominum, per suã cum vtrisque familiaritatem & necessitudinem, vtrosque in amicitiam & concordiam redigere, & Deo quidem hominem commendare, Deum autem in hominum notitiam deducere.

Eiusdem ex tertio libro eiusdem operis.

Et ideo rursus dicit in epistola. Quicunque
1. Ioan. 5. credit quòd Iesus Christus ex Deo genitus est, vnum & eundem sciens Iesum Christum, cui sunt apertæ portæ cœli propter suã in carne assumptionem, qui etiam in eadem carne, in qua passus quoque est, veniet, Patris gloriam reuelans.

Eiusdem ex quarto libro de Hæresibus.

Quemadmodum dicit Esaias, Filij Iacob
Esa. 27. germinabunt, & efflorescet Israel, & implebitur orbis fructu eius. In vniuerso ergo terrarum orbe fructu eius disseminato, merito relicta, & de medio sublata sunt, quæ aliquãdo quidem pulchrè fructum tulerunt, ex ijs enim quod ad carné attinet, Christus fructus productus est, & Apostoli, nunc autem non sunt amplius apta ad fructum ferendum.

Eiusdem ex eodem libro.

Interrogat autem etiam Ebionitas, quomodo possint seruari, nisi Deus esset, qui eorum salutem in terra operatus est, vel quomodo ad Deum procedit, nisi Deus ad hominem processerit.

Eiusdem ex eodem libro.

Qui ex virgine natum Emanuel prædicabunt, vnionem Dei verbi cũ sua creatura declarabant.

Eiusdem ex eodem opere.

Non enim hæc in visione, sed in veritatis substantia facta essent, si qui non erat homo, homo apparuisset, nec qui erat in veritate, mansisset spiritus Dei, quandoquidem spiritus videri non poterat, nec vlla esset in eo veritas, non enim essent illa, quæ viderentur, diximus enim antea, quòd Abraham, & reliqui prophetæ, eum propheticè videbant, id quod futurum erat per visionem prędicentes. Si ergo nunc etiam talis apparuit, cùm non esset qui videretur, prophetica quædam visio hominibus apparuit, & oportet eius aliam expectare prędentiam, in qua talis erit, qualis nunc videtur propheticè. Ostendimus autem hoc esse visione apparuisse, & nihil ex Maria cepisse. Neque enim verè carnem & sanguinem habuit, per quæ nos redemit, nisi antiquam Adę creationẽ in seipso instauauerit. Vani ergo & inepti Valentiniani, qui hæc decernunt, vt carnis vitam abijciant.

Sancti Hippolyti Episcopi pars, ex libro, qui est de distributione talentorum. Hippolytus.

Eos autem, & illos qui aliter sentiunt, dixerit quispiam esse vicinos, vt qui errent similiter. Nam illi etiam vel nudum hominem confitentur apparuisse Christum in vita, diuinitatis eius talentum negantes, vel Deum confitentes, rursus hominem renuunt, docentes, visione esse pulsos eorum visus, qui aspiciebant, vt homo non qui verè hominẽ gestauerit, sed apparenti quadam potius opinione, & existimatione fuerit, quemadmodum Valentinus, & Marcion, & Gnostici, dum carnem à verbo diuellunt, vnum talentum abijciunt, nempe

nempe carnis humanæ susceptionem.

Eiusdem ex Epistola ad Reginam quandam.

1. Cor. 15. Eum ergo dicit primitias dormientiũ, vtpo
Col. Apoc. 1. te mortuorum primogenitum, qui cùm surrexisset, velletque ostendere id esse excitatũ, quod erat etiam mortuum, dubitantibus Di-
Ioan. 20. scipulis, aduocato Thoma, ait, Palpa hic, & vide quòd spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.

Eiusdem ex oratione de Helcana & Anna.

Et ideo tria anni tempora prę figurabantur in ipso seruatore, vt quæ de ipso prędicta sunt ministeria, peragerent. In Paschate quidem vt ostenderet seipsum tanquam ouem sacrificandum, & verum Pascha ostendendum, vt dicit
1. Cor. 15. Apostolus. Pascha autem nostrum pro nobis immolatus est Christus. In Pentecoste autem, vt præsignificaret regnum cœlorũ, cùm ipse primus cœlos conscenderit, & hominem donum Dei obtulerit.

Eiusdem ex Oratione in magnum canticum.

Qui primum ex terra creatum hominem, perditum, & mortis vinculis alligatum, ab infimis inferis extraxit: qui à superis descendit, & eum qui erat inferius, in supernas partes deduxit: qui mortuorum Euangelistes seu felix annuntiator, animarumque redemptor, eorumq; qui sepulti erant, fuit resurrectio: is erat qui fuit deuicti hominis per se auxiliator, ei simile verbum primogenitũ protoplastum Adam in virgine visitans, spiritalis terrenum in matrice requirens. Qui semper viuens, eum qui per inobedientiam erat mortuus, & cœlestis terrenum ad superna vocabat. Ingenuus, qui seruum per suam obedientiam liberũ volebat efficere. Qui cùm hominem in terram solutum, & serpentis cibum effectum in adamantem vertisset, eumque in ligno suspensum Dominum aduersus victorem effecisset, is propterea per lignum victor inuenitur.

Eiusdem ex eadem Oratione.

Qui enim filium Dei incarnatum nunc nõ agnoscunt, agnoscent ipsum iudicem in gloria venientem, qui nunc in vili, humiliq; corpore iniurijs afficitur.

Eiusdem ex eodem sermone.

Ioan. 20. Etenim Apostoli cùm venissent ad monumentum die tertio, non inuenerunt corpus le
Mosis sepulchrum. su, quomodo filij Israel montem conscendentes Mosis sepulturam quærebant, & non inueniebant.

Eiusdem ex interpretatione secundi Psalmi.

Hic qui processit in mundum, Deus & ho-
Humanitatis argumenta. mo est. Et eum quidem hominẽ facilè est intelligere, quando esurit, & defatigatur, & fatigatus sitit, & timens fugit, & omni tristitia afficitur, & super ceruical dormit, & passionis calicem deprecatur, angoreque & ægritudine confectus sudat, & ab Angelis confirmatur, & à Iuda traditur, & à Caipha probris & contumelijs afficitur, & ab Herode contemnitur, & à Pilato flagellatur, & à militibus illuditur, & à Iudæis ligno affigitur, & ad Patrem clamans suum commendat spiritum, & inclinans caput expirat, & latus ei lancea pungitur, & sindone inuolutus in monumento ponitur, & tertio die à Patre suscitatur. Di-
Diuinitatis argumenta. uinitas autem eius rursus potest apertè videri, quando ab Angelis adoratur, & à pastoribus inuisitur, & à Simeone expectatur, & Annæ ostenditur testimonio, & à Magis quæritur, & per stellam significatur, & in nuptijs ex aqua vinum efficit, & mare ventorum commotum increpat, & super mare ambulat, & eum, qui à natiuitate cæcus erat, videre facit, & mortuum Lazarum quatriduanum excitat, multasque virtutes facit, & peccata remittit, & dat potestatem Discipulis.

Eiusdem ex Oratione in XXIII. Psalmum.

Venit ad portas cœlestes. Angeli vnà cum eo incedunt, sunt autem portæ cœlorum clausæ, nondum enim cœlos ascendit, nunc primum videtur à cœlestibus potestatibus caro ascendens. Dicitur ergo potestatibus ab Angelis, qui Seruatorem & Dominum præcurrunt, Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternæ, & introibit Rex gloriæ.

Sancti Eustachij Episcopi Antiocheni, & confessoris in inscriptionibus Eustachius.

πολυθεΐας.

Illinc ergo eũ in throno sancto sedere scripsit, significans quòd cum diuinissimo spiritu cõfessor effectus est, propter Deum in ipso assidue habitantem.

Eiusdem ex oratione de Anima.

Ante passionem quidem corporalem suam mortem semper prædicebat, se tradendum Sacerdotibus dicens, & crucis tropheum annuntians. Post passionem autem cùm post triduum à mortuis surrexisset, & dubitarent Apostoli, an suscitatus esset, & eis in ipso corpore apparuisset, se omnem quidem carnem cum ossibus habere confessus est: eorum autem oculis perforata latera, & ipsorum clauorum fissuras subijciens, ostendebat.

Eiusdem ex oratione habita super eo, Dominus creauit me initium viarum suarum.

Non enim dixit Paulus cõformes filij Dei, Rom. 8.
sed conformes imaginis filij ipsius, aliud quidem ostendens filium esse, aliud verò, imaginem ipsius. Filius enim diuina paternæ virtutis indicia ferens, est imago patris. Nam etiam similes qui ex similibus generantur: & qui nascuntur, veræ apparent genitorum imagines. Homo autem quem gestauit, est imago filij, quoniam & ex dissimilibus fiunt coloribus imagines, & hæ quidem compositione manu fabricatæ, illæ verò natura & similitudine factæ sunt. Hoc autem vel maximè dicit ipsum veritatis oraculum. Non enim incorporeus sapientiæ spiritus est corporalibus hominibus conformis: sed qui per spiritum corpore prędictum homo factus est character, is omnibus alijs fert membra numero æqualia, & simili vnicuique forma, ac specie indutus est.

Eiusdem ex eadem Oratione.

Quòd autem dicit corpus esse humanis

corporis cõforme, nos docet apertius, scribens ad Philippenses. Nostra conuersatio, inquit, in cœlis est, ex quibus etiam Seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, vt sit ipsum conforme corpori gloriæ ipsius. Si autem humile transformans corpus hominum, proprio corpori conforme constituit, inanis omnino demonstrata est aduersariorum calumnia. *Philip. 3.*

Eiusdem ex eadem Oratione.

Sed quemadmodum ex virgine natus, ex muliere factus esse dicitur, ita etiã sub lege factus esse scribitur. Quoniã per legalia præcepta quandoque incessit, quandoquidem & ipsum, cùm esset infans octo dierum, parentes magno studio circũcidere festinauerunt, sicut tradit Lucas Euangelista. Postea autem etiam in templum deduxerunt, vt sisterent Domino, purificationis oblationem peragentes, vt darent hostiam, prout dictum est in lege Domini, par turturum, vel duos pullos columbarum. Si ergo purificationis munera, vt lex volebat, pro ipso oblata sunt, & octauo die circumcisus est: ideo non sine causa cum sub lege factũ esse scribit. Neque verò verbũ erat legi subiectum, vt opinantur sycophantæ, cùm ipse esset lex, nec Deus indigebat lustrantibus & expiãtibus sacrificijs, cùm ipse denso, ac repentino motu omnia purificer, ac sanctificet, sed etiam si ex virgine humanum instrumentum susceptũ tulit, & sub lege fuit pro primogenitorũ dignitate purgatus & expiatus, non ipse egens horum subministratione, has obseruationes, cultusq; sustinuit, sed vt eos à legis seruitute redimeret qui venundati erant condemnationi maledicti. *Galat. 4.* *Luc. 2.*

Sancti Athanasii Episcopi Alexandrini, ex secundo libro aduersus Hæreses.

Et quemadmodum non liberati essemus à peccato & maledicto, nisi natura humana caro esset, quam verbũ induit, nihil enim nobis fuisset cõmune cum alieno: ita nec homo Deus factus esset, nisi natura ex patre, & verũ, & proprium esset eius verbum, quod caro factũ est. Propterea enim talis facta est coniunctio, vt diuinitati, quæ est secundum naturam, qui est secundum naturam, hominem coniungeret, firmaque ac stabilis esset eius salus & Deificatio. Qui ergo ex patre natura esse negant, & proprium eiusdem substantiæ filium: negent etiam eum veram carnem & humanam sumpsisse ex Maria virgine.

Eiusdem ex epistola ad Epictetum.

Si ex eo quòd sit & dicatur in scripturis ex Maria esse, & humanũ corpus Seruatoris, existimant pro Trinitate dici quaternionem, tanquam propter corpus facto additamento: valde falluntur, vt qui effectum effectori exequent, & existiment posse Deitati aliquid accedere, & ignorant quòd verbum non ideo caro factũ est, vt Deitati aliquaaccessio fieret, sed vt caro resurgeret, nec vt melius haberet, verbũ ex Maria processit, sed vt genus humanũ redimeret. Quomodo ergo existimãt, propter per verbum redemptum & viuificatum corpus, verbo viuificãti ad Deitatem aliquid accessisse? *Quaternio.*

Eiusdem ex eadem epistola.

Audiant quòd si verbũ esset creatura, non accepisset corpus creatura, vt hoc viuificaret. Quodnam enim creaturis est à creatura auxilium, quæ ipsa quoque salute indiget? Sed quoniam verbum, cùm esset creator, fuit ipse creaturarum opifex: propterea etiam in sęculorum consummatione ipse sibi creatum constituit, vt rursus ipsum vt creator renouare, & recreare posit. *Creatura nõ potest assumere.*

Ex Oratione de fide maiore.

Quę autem de eo adiecimus, Sede à dextris meis, de corpore Dominico dicta sunt. Si enim cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus, vt inquit Hieremias: omnia continet Deus: à nullo autem continetur: in quanam sede sedet? Corpus ergo est, cui dicit, Sede à dextris meis. *Psal. 109.* *Sedere à dextris.* *Hier. 23.*

Eiusdem ex eadem Oratione.

Corpus est ergo cui dicit, Sede à dextris meis, cuius etiam fuit inimicus Diabolus cum malis potestatibus, & Iudęi, & Græci, p quod corpus, Põtifex, & Apostolus & fuit, & dictus est, per id, quod nobis tradidit mysterium, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & sanguis noui testamenti, non veteris, quod pro vobis effunditur. Diuinitas autem neq; corpus habet, nec sanguinem sed homo: quem ex Maria portauit, eorum causa est, de quo dixerunt Apostoli, Iesum Nazarenum virum à Deo ostensum in vobis. *Matth. 26.* *Act. 2.*

Eiusdem ex tomo aduersus Arrianos.

Et quando dicit. Quare & Deus ipsum superexaltauit, & dedit ei nomẽ, quod est super omne nomen, de templo corporis eius dicit, non de diuinitate. Non enim exaltatur altissimus, sed caro altissimi exaltatur: & carni altissimi dedit nomen, quod est super omne nome, nec verbum Dei ab initio accepit, vt vocaretur: sed caro eius cum ipso deificata est. *Philip. 2.*

Eiusdem ex quadam oratione.

Et quando dicit, Nondum erat spiritus sanctus, quoniam Iesus nõdum erat glorificatus, dicit carnẽ eius nondum fuisse glorificatam. Non enim Dominus gloriæ glorificatur, sed caro domini gloriæ ipsa gloriam accipit, cum ipso in cœlum ascendens. Vnde dicit, Et spiritus adoptionis nondũ erat in hominibus, quia primitię acceptę ex hominibus, nondum cœlum conscenderant. Quæcunque ergo dicit scriptura accepisse filium, & esse glorificatum, dicit propter eius humanitatem, non diuinitatem. *Ioan. 7.*

Eiusdem ex eadem oratione.

Quare hic est verus Deus, antequã homo fieret, & etiã postquã factus est, intercessor Dei & hominũ Iesus Christus, vnitus patri secundum spiritum, nobis autem secundũ carnem, qui intercessit inter Deum & homines, qui non solum est homo, sed etiam Deus.

Sancti Ambrosii Episcopi Mediolanensis in expositione Fidei. *Ambrosius.*

Confi-

Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, ante omnia quidem sæcula sine principio à patre genitum secundum diuinitatem, in vltimis autem diebus ex sancta virgine Maria eundem incarnatum esse, & perfectum hominem ex anima rationali & corpore suscepisse, consubstantialem patri, secundum diuinitatem, & nobis consubstantialem secundum humanitatem. Duarum enim perfectarum naturarum vnio ineffabiliter facta est. Quamobrem vnum Christum, vnum filium Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei confitemur, scientes quòd Patri suo secundum diuinitatem coæternus existens, secundum quam est etiam hominum opifex, voluit post sanctæ virginis assensum, quando dixit Angelo, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, sibi ex ipsa templum inenarrabili & arcana ratione ædificare, & id sibi ipsi ex ipsa conceptione vnire, non coæternum ex sua substantia cœlitus allatum corpus, sed id ex nostræ substantiæ massa, hoc est, de virgine Maria, sumens, & sibi vniens, non Deus verbum in carnem conuersum, neque visum aut phantasma apparens, sed inconuertibiliter, & immutabiliter suam substantiam conseruans, sumptas nostræ naturæ primitias sibi vnijt, non Deus verbum sumens principium ex virgine, sed patri suo coæternum existens, nostrę naturæ primitias per multam bonitatem sibi vnire dignatum est, non confusum, sed in vtrisq; substantijs vnus & idem apparens, sicut scriptum est, Soluite templum hoc, & triduo excitabo illud. Soluitur enim Christus Deus, secundum meam substantiam, quam suscepit: & solutum excitat templum idem secundum diuinam substantiam, secundum quam etiam est omnium opifex: nunquam post vnionem, quam sibi ex ipsa conceptione vnire dignatus est, vel à suo templo recedens: vel propter ineffabilem benignitatem potens recedere. Sed est idem patibilis, & impatibilis, patibilis secundum humanitatem, impatibilis secundum diuinitatem. Videte enim, videte me, quòd ego sum, & non mutor. Cùm ergo suum templum Deus verbum excitasset, & naturæ nostræ resurrectionem, & renouationem in eo effecisset, & suis eam discipulis ostendisset, dicebat, Palpate, videte, quòd spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis, non esse, sed habere. Vt cùm & qui habet, & id quod habetur cogitaueris, non confusionem, non conuersionem, non mutationem, sed vnionem factam intelligas. Propterea & clauorum fissuras, & lanceæ puncturam ostendit, & coram discipulis comedit, vt per omnia nostræ naturæ resurrectionem in ipso esse renouatam eis fidem faciat, & quia secundum beatam diuinitatis substantiam est perpetuo inconuertibilis, immutabilis, impatibilis, immortalis, nulla re indigens: omnes affectiones, & passiones ex permissione suo templo inferri sinit: & ipsum propria potentia excitauit: & per suum templum perfectam nostræ naturæ renouationem effecit. Eos autem qui dicunt solum hominem Christum, vel patibile Deum verbum vel in carnem conuersum, vel habuisse corpus consubstantiatum, vel id è cœlis detulisse, vel visum ac phantasma esse, vel qui dicunt mortale Deum verbum opus habuisse, vt à Patre suscitaretur, vel inanimatum corpus sumpsisse, vel sine mente homiuem, vel duas Christi naturas per commixtionem confusas vnam naturam factas esse, & qui non confitetur in Domino nostro Iesu Christo duas esse naturas inconfusas, vnam autem personam, quatenus vnus Christus, vnus filius: eos anathematizat catholica & Apostolica ecclesia. *Luc. 1.* *Ioan. 2.* *Matth. 3.* *Luc. 24.* *Hæreses in Christum.*

Eiusdem.

Ergo si caro omnium in Christo contumelijs subiecta est, quomodo cum diuinitate vnius esse substantiæ existimatur? Si est enim vnius substantiæ verbum, & caro, quæ ex terra habet naturam, vnius ergo substantiæ est verbum & anima, quam perfectam accepit. Est enim vnius substantiæ verbum cum Deo, etiam secundum Patris & ipsius filij confessionem, quæ dicit, Ego & Pater vnum sumus, ergo etiam pater debet existimari eiusdem substantiæ cum corpore. Et quid ergo adhuc Arrianis succensetis, qui dicunt filium esse Dei creaturam, cùm ipsi dicatis Patrem esse vnius substantiæ cum creaturis? *Ioan. 10.*

Eiusdem ex Epistola ad Gratianũ Imperatorẽ.

Conseruemus diuisionem diuinitatis & carnis, siquidem vtrisque respondet filius Dei, quoniam vtræq; sunt in eo naturæ. Idem loquitur, sed non semper nobis. Attende autem quomodo nunc quidem gloriam, nunc autem passiones loquitur. Vt Deus, diuina loquitur, quoniam verbum est, vt homo, humilia loquitur, quoniam in ea substantia loquitur.

Eiusdem ex eodem libro.

Vnde illud quod lectum est, quòd Dominus gloriæ crucifixus est: ne in sua gloria crucifixum esse existimemus. Sed quoniam is est Deus & homo, secundum diuinitatem quidem Deus, secundum carnis autem assumptionem homo Iesus Christus Dominus gloriæ crucifixus esse dicitur, est enim vtriusque naturæ particeps, hoc est diuinæ & humanæ. In natura enim hominis passionem sustinuit, vt indiuisibiliter & Dominus gloriæ, & filius hominis esse dicatur, qui passus est, quemadmodum scriptum est, qui de cœlo descendit. *1. Cor. 2.*

Similiter eiusdem.

Sileant ergo vanæ de verbis quæstiones. Regnum enim Dei, sicut scriptum est, non est in persuasibilibus verbis, sed in ostensione potentiæ. Seruemus differentiam carnis & humanitatis. Vnus enim Dei filius, vnus vtraque dicit, quoniam vtraque natura in ipso est. Sed etsi idem loquitur, non vno tamen semper modo loquitur. Vides enim in ipso nunc quidem Dei gloriam, non autem passiones, affectionesque hominum. Vt Deus diuina

loquitur, quoniã verbum : vt homo, humana loquitur, quoniam in ea natura loquebatur.

Eiusdem ex libro de Incarnatione Domini aduersus Apollinaristas.

Sed interea dum eos coniungimus, exorti sunt alij, qui dicunt corpus Christi & diuinitatem esse vnius naturæ. Quis infernus tantã eructauit blasphemiam ? Arriani enim iam sunt ijs tolerabiliores, quorum infidelitas per hos confirmatur, vt magis contendant Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non esse eiusdem substantiæ, quoniam hi diuinitatem & carnem Domini vnius esse naturæ ausi sint dicere.

Eiusdem.

Et hic mihi quidem assiduè se tenere Nicenæ Synodi expositionem. Sed in illa expositione Patres nostri, non carnem, sed Dei Verbum ex vna esse in Patre substantia dixerunt: & verbum quidem ex Patris substantia accessisse, carnem autem ex virgine habuisse confessi sunt. Cur ergo nobis Nicenæ Synodi nomen prætendunt, noua autem, & quæ nostri maiores non cogitarunt, inuehunt?

Eiusdem aduersus Apollinarem.

Ne velis ergo corpus esse æquale diuinitati secundum naturam, etsi enim crediderís esse verum corpus Christi, & altari obtuleris ad transmutationem, non distinxeris autem naturam corporis & diuinitatis : tibi quoque dicemus. Si rectè obtuleris, rectè autem non diuiseris: peccasti, quiesce. Diuide enim quod nostrũ est, & quod verbi proprium. Ergo ego quidem non habebam quod erat ipsius, ille autem non habebat quod erat meum : & accepit quod erat meum, mihi impertiturus quæ sua erant, & hoc ad implementum, non ad confusionem accepit.

Eiusdem paulo post.

Cessent ergo qui dicunt quòd verbi natura in carnis naturam conuersa est, ne videatur ex eadem interpretatione mutata esse verbi natura, & eisdem cum corpore affectionibus, & passionibus corrupta esse. Aliud est enim quod assumpsit, & aliud quod assumptum est. Potentia accessit ad virginem, vt ei dicit Angelus, Virtus altissimi obumbrabit tibi, sed ex corpore virginis erat quod natum est, & propterea diuinus quidem est descensus, humana autem conceptio. Ipsa ergo non idem poterat quod corporis spiritus, & natura diuinitatis.

Basil. *Sancti Basilij Episcopi Cæsariensis, ex oratione de Eucharistia.*

Quamobrem ipse quidem propter amicum lachrymatus, ostendit humanæ naturæ communionem, nosq; ab ijs quæ sunt vtrinque immoderationibus & exuperationibus liberauit, nec vt in ferendis ijs quæ accidunt, nimis effœminati, mollesque videamur, nec vt eorum, quæ molesta sunt, nullum omnino sensum habeamus, permittens. Sic ergo esurijt Dominus, ei solido cibo perflato, & sitijt, consumpta in corpore humiditate, & defessus est, neruis & musculis ambulando extensis, non diuinitate oppressa labore, sed corpore, quæ ex natura consequuntur, accidentia suscipiente.

Ioan. 11. Luc. Mat. 4. Ioan. 19.

Eiusdem aduersus Eunomium.

Ego enim in forma Dei esse perinde existimo ac esse in Dei substantia. Sicut enim formam serui accepisse, in humanitatis substantia Dominum fuisse significat: ita cùm dicit in forma Dei esse, diuinæ substantiæ proprietatem constituit. *Esse in forma Dei & serui.* Phil. 2.

Sancti Gregorij Episcopi Nazianzeni, ex oratione de noua dominica.

Venturum rursus cum sua gloriosa præsentia iudicantem viuos & mortuos, non amplius quidem carnem, non tamen incorporeum, ijs quas ipse nouit rationibus diuiniore corpore, vt & videatur ab ijs qui pupugerunt, & maneat Deus à crassitudine remotus.

Eiusdem ex Epistola ad Cledonium.

Duæ enim naturæ Deus & homo, quia & anima & corpus, filij autem non duo, neque enim hic sunt duo homines : et iam si sic Paulus vocat id quod est intra hominem, & quod extra, & si oportet paucis dicere, aliud quidem, & aliud ea sunt ex quibus Seruator constitutus est, neq; enim idem est id quod est aspectabile, cum eo quod non cadit sub aspectum : & id quod est expers temporis, cum eo, quod tempori subijcitur. Non est autem alius & alius, absit. *Homo interior & exterior.*

Eiusdem ex priori expositione ad Cledonium.

Si quis dicit carnem nunc esse depositam, & Deitatem esse corpore nudatam : & non cum eo quod accepit, & esse, & venturam esse: præsentiam aduentus non viderit. Vbi enim nunc est corpus, nisi cum eo quod id assumpsit? Neque enim, vt nugantur Manichæi, in sole est depositum, vt honoretur propter ignominiam : vel in aerem effusum est, & dissolutum, vt vocis natura, & odoris fluxus, & fulguris minimè consistentis cursus. Vbi est autem etiam palpatum esse post resurrectionem, in qua aliquando videbitur ab ijs qui pupugerunt? Diuinitas autẽ per se sub aspectum non cadit.

Eiusdem ex secunda oratione de filio.

Vt enim quatenus Verbum, nec obediens erat, nec inobediens. Hæc enim sunt eorum quæ subiecta sunt, & secunda. Illud quidem meliorum : hoc verò eorũ qui digni sunt qui condemnentur. Quatenus autem serui forma, se ad conseruos demittit: & eius quod est alienum formam suscipit, totum in seipso me ferens cum meis. Vt in seipso consumat id quod est deterius, vt terram ignis : vel vt sol, terræ vaporem.

Eiusdem ex oratione in Teophania.

Quoniam ergo processit ex virgine cum assumptione duorum quæ sunt sibi contraria, carnis, & spiritus. Quorum hæc quidem ex eis, in Deum relata est : ille verò præbuit gratiam diuinitatis. *Caro & spiritus.*

Eiusdem paulo post.

Missus

Missus est quidem, sed vt homo. Duplex enim erat eius natura. Hinc certè & laborauit, & esurijt, & sitijt, & defatigatus est, & fleuit lege humani corporis.

Eiusdem ex secunda oratione de filio.

Et hoc est quod facit errare Hæreticos, nominum coniunctio. Signum autem hoc est, quòd quando naturæ intelligentia seiunguntur, vnà quoque nomina diuiduntur.

Eiusdem in eadem oratione.

Deus Pater. Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ. Deus quidem Christi, pater autem gloriæ. Nam etsi vtraque vnum sint, sed non natura, sed coitione & congressu.

Eiusdem in eadem oratione.

Dicetur autem Deus, non verbi, sed eius quod videtur. Quomodo enim fuerit Deus eius quod proprie Deus est? quemadmodum etiam pater non eius quod videtur, sed verbi. Erat enim duplex. Quare illud quidem propriè in vtrisque, hoc verò non propriè, sed cõtrà quàm in nobis habebit, noster enim propriè quidem Deus est: sed non propriè pater. Et hoc est quod in causa est vt errent Hæretici, nominum coniunctio. Signum autem hoc est quando naturæ intelligentia seiugantur, diuiduntur etiam nomina. Audite Paulum dicentem. Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, Christi quidem Deus, pater autem gloriæ. etsi enim vtrunque simul vnum, sed non natura. Eorum autem congressu & coniunctione quid potest esse notius? Quin tum dicatur ipsum accipere vitam, vel iudicium, vel hæreditatem gentium, vel potestatem accipere dicitur omnis carnis, vel gloriam, vel discipulos, vel quæcunque dicuntur. Et hæc sunt humanitatis.

Eiusdem ex eadem oratione,

Vnus enim Deus, vnus etiam intercessor Dei, & hominum, homo Christus Iesus. Nam nunc etiam vt homo pro mea salute intercedit, quia est cum corpore quod accepit, donec me Deum fecerit, potestate susceptæ humanitatis, etiam si non amplius secundum carnem cognoscatur, carnales dico affectiones, & sine nostro peccato. 1. Tim. 2.

Eiusdem ex eadem oratione.

An non omnibus manifestum est quòd cognoscit quidem vt Deus, ignorat autem inquit, vt homo si quis id quod apparet separauerit ab eo quod intelligitur ? Esse enim absolutam filij appellationem, & absque relatione, nulla re addita filio, præbet hanc coniecturam, vt ignorantiam existiment. Sed nos eam magis piè humanitati non diuinitati attribuimus. 1. Cor. 2.

Sancti Gregorij Episcopi Nisseni, ex oratione Catecherica.

Et quis hoc dicit, quòd carnis circunscriptione, tanquam vase aliquo, infinitas carnis circunscripta est?

Eiusdem ex eadem oratione.

Anima vbique. Si autem hominis anima ex naturæ necessitate corpori commixta, per potestatem est vbique, quid necesse est dicere in natura carnis diuinitatem includi?

Eiusdem ex eadem oratione.

Quid prohibet quandam diuinæ naturæ vnionem & appropinquationem ad humanam naturam cognoscere : & diuinitatis tamen intelligentiam etiam in ea appropinquatione conseruare, extra omnem circumscriptionem credentes esse diuinitatem etiam si sit in hominibus ?

Eiusdem ex oratione aduersus Eunomium.

Si autem qui ex Maria quidem natus est, cum fratribus disserit: vnigenitus autem fratres non habet, quomodo enim inter fratres conseruaretur esse vnigenitum. Et qui dixit. Spiritus Deus est, idem dicit discipulis. Palpate me, vt ostenderet esse palpabilem suam naturam humanam, Deum autem tangi non posse. Et qui dixit, Vado, localem designat remotionem. Qui autem omnia comprehendit, in quo, sicut dixit Apostolus, omnia creata sunt, & in ipso cõsistunt omnia, nihil in his quæ sunt extra se habet, quod vlla ratione transeat, aut moueatur. Ioan. 4. Luc. 24.

Eiusdem ex eadem oratione.

Dextera Dei exaltatus. Quis ergo est exaltatus, humilis, an altissimus ? Quid est autem humile nisi humanitas ? Altissimus autem, quid est aliud nisi diuinitas? Atqui Deus non habet opus vt exaltetur, cùm sit altissimus. Apostolus ergo dicit humanitatem fuisse exaltatam. Exaltatam autem esse, eo quòd Dominus & Christus facta sit. Non ergo Domini substantiam, quæ fuit ante sæcula, per hoc verbum ostendit Apostolus, sed humilis in altum euectionem, quæ à dextris Dei facta est. Declaratur autem per hoc verbum pietatis mysterium. Qui enim dixit, Dextra Dei exaltatus, apertè detegit arcanam mysterij œconomiam, quòd dextra Dei quæ est eorum omnium quæ sunt effectrix, quę est Dominus, per quem omnia facta sunt, & sine quo nihil substitit eorum quæ facta sunt, ipsa hominem sibi vnitum ad propriam deduxit altitudinem per vnionem. Act. 2. Ioan. 11.

Sancti Amphilochij Episcopi Iconij, ex oratione habita super hoc, Pater meus maior me est.

Discerne deinceps naturas Dei & hominis, neque enim homo factus est quòd à Deo exciderit, neque Deus ex homine, quòd profecerit, prouectúsue sit.

Eiusdem ex oratione habita super eo, Non potest filius quidquam ex se facere.

Post resurrectionem Dominus vtrunque ostendit, & quòd corpus est eiusmodi, & quòd id est quod resurrexit. Recordare historiæ, erant discipuli congregati post passionem & resurrectionem, & portis clausis stetit in medio eorum Dominus. Neque hoc vnquam fecit ante passionem. An non potuit hoc iam olim Christus facere? Deus enim potest omnia. Sed non fecit ante passionem, ne existimares visionem aut apparentiam esse œconomiam : nec putares esse spiritalem Christi carnem, nec ex cœlis descendisse, nec alius esse sub- Ioan. 26.

se substantiæ quàm sit nostra caro. Hæc enim omnia nonnulli visione, & imaginatione concipientes, & per hæc se Dominum magni facere putantes, non aduertunt se per ipsam Eucharistiam blasphemare, & falsi veritatem accusare, vt omittam quòd est mendacium omnino à ratione alienum. Si enim aliud corpus accepit, quid ad meum quod salute indiget? Si autem carnem è cœlis deduxit, quid ad meam carnem quæ è terra sumpta est?

Eiusdem ex eadem oratione.

Propterea ergo non ante sed post passionem, portis clausis stetit Dominus in medio discipulorum vt scias quòd etiam tuum animale corpus, seminatum, surgit corpus spiritale. Ne autem rursus existimes aliud esse quod surgit: cùm Thomas resurrectioni diffideret, ostendit illi fissuras clauorum: ostendit illi vulnerum vestigia. An non poterat sibijpsi mederi, maximè post resurrectionē, qui omnes etiam ante resurrectionem curauerat? Sed per hoc quidem quod clauorum fissuras ostendit, tradit esse idem. Per illud aũt, quod clausis portis ingreditur, ostendit quod non tale. Hoc quidem vt diuinę œconomię & dispensationis modum impleret, eo excitato quod morte erat affectum. Non tale autem, ne rursus in corruptionem & interitum incideret, nec rursus mortem obiret.

Theoph. *Beati Theophili Episcopi Alexandrini, ex ijs quæ scripsit aduersus Origenem.*

Nec nostra similitudine, cuius fuit particeps, in naturam diuinitatis mutata, nec eius diuinitate conuersa in nostram similitudinem. Manet enim quod erat ab initio, Deus, manet etiam nostram in seipso substantiam præparans.

Eiusdem ex eodem opere.

Sed enim non quiescens rursus blasphemas, Dei filium calumnians, & sic dicens his verbis: Quemadmodum filius & pater vnum sunt, ita etiam quam accepit filius, anima, & ipse, vnum sunt, nesciens quod filius quidem & pater vnum sunt, propter vnam substantiam & eandem diuinitatem: anima autem, & filius, altera est ab altero, substantia & natura. Si enim quemadmodum pater & filius vnum sunt, ita etiam anima filij & filius vnum sunt: erit etiam vnum pater & anima, & dicet etiam aliquando anima filij, Qui vidit me, vidit & patrem. Sed non ita est, absit. Filius enim & pater vnum, quia non sunt diuersæ qualitates. Anima autem & filius est & natura & substantia alterum, quandoquidem ipsa quoque per ipsum facta est, estque eiusdem nobiscum substantiæ. Si enim quomodo pater, & filius, vnum sunt, eodem modo & anima, & filius vnum sunt, vt vult Origenes: erit etiam anima, vt filius, splendor gloriæ Dei, & character eius substantiæ. Atqui hoc fieri non potest. Fieri ergo non potest vt filius & eius anima vnum sint, sicut ipse & pater vnum sunt. Et quid faciet rursus, sibi ipsi repugnans? Sic enim scribit. Non enim vtique perturbata tristique anima erat vnigenitus, & totius creaturæ primogenitus. Deus enim verbum, vt quod sit anima præstantius, ipse, inquam, filius dicit. Potestatem habeo ponendi eam, & Ioan. 10. potestatem habeo accipiendi eam. Si ergo filius est sua anima præstantior, sicut esse præstantiorem in confesso est, quomodo est eius anima Deo æqualis & in forma ipsius? Si eam enim esse dicimus, quæ seipsam exinanijt & serui formam accepit, quomodo non erit aliorum Hæreticorum propter insignem impietatem, sicut annotauimus, longe nobilissimus? Si enim in Dei forma est verbum, & Deo est æquale: In forma autem Dei esse, & Deo æqualem seruatoris animam esse, is putat qui sic scribere ausus est, quemadmodum id quod est æquale, est præstantius? Quę enim natura subeunt, eorum quæ supra ipsa sunt præstantiam testantur.

Ioan. 14.

Sancti Ioannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani, ex oratione quæ habita est in magna ecclesia. Chrysost.

Dominus quidem tuus hominem in cœlum deduxit. Tu autem ne forum quidem ei impertis, & quid dico in cœlum? etiam in throno regali eum collocauit: tu autem etiam ex vrbe expellis.

Eiusdem in principio XLI. Psalmi.

Non cessat Paulus in hodiernum vsque diem dicere. Pro Christo intercedimus, tanquam Deo per nos adhortante, pro Christo rogamus. Reconciliamini Deo. & non hic quidem constitit, sed de tua natura acceptis primitijs, eam supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & omne nomen quod nominatur collocauit, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Quis honor huic æqualis esse potest? Primitiæ generis nostri, quod in tot rebus offendit, & ignominia ac dedecore affectum est, sedet in tanta altitudine, & tanto honore fruitur. 2. Cor. 5.

Eiusdem de diuisione linguarum.

Cogita quale sit videre nostram naturam vehi supra Cherubin, & omnem potestatem esse ei circumfusam. Considera autem etiam Pauli sapientiam: quot nomina conquirit vt Christi ostendat humanitatem. Non enim dixit per se & absolutè gratiam, nec itidem diuitias, sed excellentes diuitias gratiæ in bonitate.

Eiusdem, ex oratione dogmatica.

Quia quę humiliter à Christo dicta & facta sunt, non propter potentiæ imbecillitatem, sed propter varias & multiplices œconomiæ rationes, & post resurrectionem, cùm videret diffidentem discipulum, non recusauit ipsi & vulnera, & clauorum fixurâm ostendere, & manus contactui cicatrices subijcere, & dixit. Ioan. 20. Scrutare, & vide quòd spiritus carnem & ossa non habet. Et ideo nec à principio, perfectæ Luc. 24. ætatis hominem suscepit, sed sustinuit & concipi, & nasci, & lacte nutriri, & tanto tempore in terra versari, vt & temporis diuturnitate, & alijs omnibus hoc confirmaret.

Eiusdem aduersus eos qui dicunt quod Dæmones res hominum administrant.

Nihil

Nihil erat homine vilius: & nihil homine præstantius, & honestius factum est. Is erat vltima pars creaturæ ratione præditæ. Sed pedes caput euaserunt, & in regalem sedem deducti sunt per primitias. Sicut etiam homo quispiam liberalis ac magnificus, cùm vidisset quendam ex naufragio euasisse, & solum corpus nudum à fluctibus conseruare potuisse, supinis eum manibus exceptum splendida veste induit, & ad supremum honorem deducit: Deus quoque hoc ipsum in nostra fecit natura. Homo omnia quæ habebat perdiderat: libertatem, cum Deo consuetudinem, & quam in paradiso acceperat conuersationem, eamque misera, & calamitosa vita commutauerat, & tanquam ex naufragio nudus ita illinc excesserat. Sed Deus eum exceptum protinus amicijt: & paulatim veluti manu deducens, ad cœlum perducit.

Eiusdem ex eadem oratione.

Sed Deus fecit vt lucrum damno maius esset: & ad regalem sedem nostram naturam perduxit. Et Paulus clamat, dicens. Suscitauit & considere fecit in dextra sua in cœlestibus. Eph. 1.

Eiusdem, de ijs qui pascha primum ieiunant.

Cœlos aperuit, hostes amicos effecit, in cœlum deduxit, ad dextram throni nostram naturam collocauit, & alijs innumerabilibus nos beneficijs affecit.

Eiusdem ex oratione de assumptione.

Ad hanc ergo distantiam & altitudinem naturam nostram perduxit. Vide vbi erat inferius posita, & quo sursum ascendit. Neque inferius descendi poterat, quàm quo homo descendit, neque superius ascendi, quàm quo eum rursus deduxit.

Eiusdem ex interpretatione epistolæ ad Ephesios.

Secundum bonam voluntatem, quam proposuit in ipso, hoc est, quod desiderabat, hoc peperit. Vt si quis dixerit, Effari mysterium. Quodnam hoc? Quod vult hominem superius collocare, quod etiam factum est.

Eiusdem ex eadem interpretatione.

De hoc dicit Deus, videlicet Domino nostro Iesu Christo, non de Deo verbo.

Eiusdem ex eadem interpretatione.

Et cùm essemus mortui peccatis, nos Christo conuificauit. Et rursus, Christus medius, & res fide digna. Si enim principium viuit, & nos etiam: viuiuificauit & illum, & nos. Vides quòd omnia dicta sunt de eo quod est secundum carnem.

Eiusdem ex Euangelio secundum Ioannem.

Quid enim inducit? Et habitauit, ἐσκήνωσεν, tentoria fixit, in nobis, propemodum dicens, nihil absurdi existimaueris ex eo quod dixi, Factum est. non enim conuersionem & mutationem illius naturæ immutabilis, sed significat inhabitationem, & quasi in tabernaculo mansionem. Quod autem in tabernaculo manet aut habitat, non est idem, quod tabernaculum, sed alterum in altero habitat, aliàs non esset in tabernaculo habitatio. Nihil enim in seipso habitat. Aliud autem dixi in substantia. Vnione enim, & coniunctione vnum est Deus verbum, & caro, non confusis nec deletis substantijs, sed quadam ineffabili, & inexplicabili vnione.

Eiusdem, ex Euangelio secundum Matthæum.

Et quemadmodum stans quispiam in confinio duorum à se inuicem distantium, ambabus vtrinque extensis manibus ea coniunxerit, ita etiam fecit ipse, antiquam nouæ, diuinam naturam humanæ, & quæ sua sunt, nostris coniungens.

Eiusdem de assumptione Christi.

Sicut enim cùm duo cominus pugnare incipiunt, quidam alius in medio interiectus, contendentium pugnam & discordiam componit, ita etiam fecit Christus. Nobis succensebat, vt Deus: nos autem illius iram contemnebamus, benignũ Dominum auersantes, & medium seipsum inijciens Christus, vtranque naturam ad amicitiam reduxit, & quod erat nobis à patre impositum, supplicium sustinuit.

Eiusdem ex eadem oratione.

Obtulit ergo patri nostræ naturæ primitias, & munus ipse pater admiratus est, propter maximum eius qui obtulit meritum, & quod id quod oblatum est, esset ab omni vitio & reprehensione alienum, ipsum itaque suis manibus excepit, & propriæ sedis particeps esse fecit. Et quod magis est, ipsum in suæ dextræ parte collocauit. Agnoscamus ergo quis ille est qui audijt, Sede à dextris meis. Psal. 109. Quæ erat illa natura cui dixit, Terra es, & in terram reuerteris. Gen. 3.

Eiusdem paulo post.

Qua vtar oratione, quibus verbis eloquar nescio. Putrida natura, natura vilis, & abiecta, quæ omnibus minor ac inferior euaserat, omnia vicit, omnia superauit, hodie quæ omnibus esset superior digna habita est, hodie accepit quod longo tempore desiderarunt Angeli, hodie Archangeli eorum quæ valde desiderabantur spectatores esse potuerunt, & naturam nostram in throno Regis immortalitatis gloria refulgentem cõtemplati sunt.

Sancti Flauiani Episcopi Antiocheni ex Euangelio secundum Lucam. Flauianus.

In omnibus nobis Dominus describit pietatis characterem, & variæ nostræ naturæ ostendit vias salutis, multasque & euidentes præbet nobis demonstrationes corporalis sui aduentus & diuinitatis, quæ per corpus operatur. De vtrisque enim suis voluit naturis fidem facere, easque comprobare.

Eiusdem in Theophania.

Quis verè loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudationes eius? Quis in nos beneficij magnitudinem verbis expresserit? Humana natura diuinitati coniungitur, vtraque in se natura manente.

Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, ex catechetica quarta oratione de decem dogmatibus de generatione ex virgine. Cyrillus.

Crede autem quòd hic vnigenitus Dei filius,

lius,propter peccata nostra ex cœlis in terram descendit, similibus affectionibus obnoxia hac nostra suscepta natura, & generatus ex sancta virgine,& sancto spiritu,incarnatione, non per visionem aut apparitionem, sed re vera facta, neque tanquam per canalem, aut tubum per virginem transmissus, sed verè ex ipsa incarnatus,qui verè comedit sicut & nos & lacte ab ipsa verè nutritus est.Si enim in visione, aut imaginatione esset humanæ naturę susceptio,visum quoque & phantasma esset Salus. Duplex erat Christus: homo quidem id quod videbatur, Deus autem quod non apparebat : comedens quidem vt homo verè, vt nos: habebat enim carnis nobis similes affectiones: quinque autem panibus nutriens quinque millia viiorum, vt Deus, moriens quidem verè vt homo: quatriduanum autem cadauer suscitans,vt Deus, dormiens in naui, vt homo, & ambulans super aquas,vt Deus.

Antiochus. *Antiochi Episcopi Ptolemaidis.*

Ne confundas naturas, & circa œconomiam minimè obstupesces.

Hilarius. *Sancti Hilarij Episcopi & Confessoris in nono libro de fide sua.*

Suam vitã non verè nouit,qui Iesum Christum,vt verum Deum,ita etiam verum hominem nescit.Res enim in eodem periculo versatur, si Christum Iesum, & spiritum Deum, vel carnem corporis nostri negemus.Quicunque ergo me confessus fuerit coram hominibus, & ego quoque confitebor ipsum coram patre meo qui est in cœlis.Quicunque autem negauerit me coram hominibus,& ego negabo eum cotã patre meo qui est in cœlis. Hæc dicebat caro verbum factum, & homo Iesus Christus Dominus gloriæ docebat ad salutem ecclesiæ, ipse intercessor existens in ipso mysterio,per quod fuit Deo & hominibus intercessor, vtrunq; simul vnus existens ex duabus in eodem vnitis naturis. Vnum & idem existens per vtranque naturam,sed sic vt in vtroque, neutro eorum orbatus aut viduatus esset ne vtique cessaret Deus esse,dum homo nascitur,vel rursus homo non esset,quòd Deus permaneret. Hæc est ergo beatitudo veræ fidei quæ est in hominibus, Deum quidem & hominem prædicare, carnem autem & verbum confiteri, & Deum quidem scire quòd etiam homo sit,& carnem non ignorare quòd etiam sit verbum.

Eiusdem ex eodem opere.

Ex virgine itaque natus homo Deus vnigenitus, & adimpleto tempore vt homo sibi in Deum proueheretur effecturus,hunc ordinem seruauit in omnibus,quæ dicũtur in Euangelijs, vt se quidem esse Dei filium credi doceret,& filium hominis prædicare admoneret,eo quidem quod homo esset, omnia loquens,& faciens quæ sunt hominis : ita tamen vt eo ipso qui est in altero genere sermone nunquam loquatur,nisi etiam eo ipso significet se esse Deum, & hominem. Simpliciores ergo, & ignorantes inescandi fuit hæreticis occasio ac prętextus,quòd quę ab illo secundum humanitatem dicta sunt mentientes,dicant quòd secundum diuinæ naturæ imbecillitatem dicta sint : & quoniã vnus, & idem est qui omnia loquebatur quæcunque locutus est,ipsi contendant ipsum omnia de se dixisse,neque nos negamus omnia eius verba ac dicta esse propriè eius naturæ : Sed quia vnus Christus homo & Deus,& neque homo tunc primum, Deus, neque quando homo tunc non erat etiam Deus, & neque post hominem in Domino,non etiam verbum homo & verbum Deus : necesse est vnum & idem esse mysterium eorum quæ ab eo dicta sunt, quod etiam fuit natiuitatis,& quando in ipso pro tempore hominem à Deo diuidis, tunc etiam quę Dei sunt, & quæ hominis verba diuide. & quando Deum & hominem confiteris in tempore, Dei quoque & hominis verba discerne. Quando autem Dei & hominis, & rursus hominis omnino,& Dei omnino tempus cogitas, si quid eiusmodi dictum est ad illud tempus significandum, tempori quæ dicta sunt accommoda.Et quoniam aliud est ante hominem Deus,aliud autem rursus homo,& Deus, & aliud post hominem & Deum,totus homo & totus Deus, ne ijs quæ dicuntur & quæ facta sunt confundas diuinæ œconomiæ mysterium.Necesse est enim,pro qualitate generum & naturarum, alium quidem fuisse ipsorum sermonem,cùm nondum esset mysterium humanæ eius natiuitatis,alium autem,cùm adhuc ad mortem tenderet: alium cùm iam esset æternus. Ostendens ergo omnia, hęc quidem vt Christus Iesus,& natus homo nostri corporis, pro nostræ naturæ consuetudine locutus est, hæc verò vt Deus, quòd Deus esset. Si enim etiam in natiuitate, & passione, & morte, ea quæ sunt nostræ naturæ peregit, hæc tamen omnia suæ naturæ potentia perfecit.

Eiusdem in eadem oratione.

Vides ita Deum & hominem esse confessum, vt mors quidem homini, Deo autem carnis resurrectio adscribatur. Dei quidem naturam in resurrectionis potentia cogita: humanitatis autem œconomiam, in morte cognosces, & quoniam vtraque proprijs naturis facta sunt, fac vnius Iesu Christi illius recorderis, qui est vtrunque. Hæc autem ideo paucis ostendi, vt vtranque naturam esse in Domino nostro Iesu Christo meminerimus. Qui enim erat in Dei forma, serui formam accepit.

Eiusdem ex Epistola ad Blusiam, Sanctissimi Episcopi Augustini. August.

Nunc autem hic inter Deum & hominem intercessor apparuit, vt ipse in personæ vnione vtranque naturam coniungeret, & mores veris auctorus, & vera moribus temperaturus.

Eiusdem de expositione Euangelij secundum Ioannem.

Quid ergo Hæretice, quandoquidẽ Christus Deus est & homo. Sed si quidem vt homo,

mo,Deum autẽ calumniaris, ille in seipso humanam naturam extollit, tu autem audes illius diuinitatem vili pendere.

Eiusdem de expositione fidei.

Nostrum enim est credere, illius autem scire,& ita ipse Deus verbum, cùm quidquid est hominis susceperit, homo fit, & qui adsumptus homo est, cùm id totum susceperit quod Deus est, non aliud fit quàm quod Deus.Nec quoniam incarnatus & mixtus esse dicitur, diminutam eius substantiam esse existimandum est. Scit Deus seipsum miscere absque propria corruptione & interitu, & verè quidẽ miscetur,ita autem nouit in se suscipere, vt nihil ei additamenti crescceret.Vt ipse nouit, seipsum totum infudit, ita vt nulla ei diminutio eueniret. Ne ergo ex nostra imbecillitate iudicantes,& ex sensibilibus experiẽtiæ doctrinis coniectantes, quemadmodum creaturæ ex æquo inter se miscentur,Deum & hominem cõmixtum esse putemus, nec verbum carnem fuisse confusum, & tanquam aliquod ex eis corpus factum esse credamus, ne forte instar eorum quæ confunduntur, duas naturas in vnã substantiam deductas esse existimemus. Eiusmodi enim mixtio,est vtriusque partis corruptio & interitus.Christus autem cõtinens,sed non contentus, scrutans non scrutatus, implens non impletus, vbique totus simul existens, & per vniuersum simul procedens, vt suam infunderet potẽtiam,vtpote misericors,humanæ naturę mixtus est: non tamen hominis natura diuinæ commixta est.

Seueriani Episcopi Gabalarum, De natiuitate Christi.

O verè cœleste & terrestre mysteriũ, quod videtur, & non apparet. Talis enim quoque Christus natus,cœlestis,& terrestris,qui conti nebat,& non continebatur, qui videbatur, & sub visum non cadebat. Cœlestis, secundum naturã diuinitatis,terrestris, secundum naturam humanitatis. Videbatur secundum carnem, non videbatur secundum spiritum, & continebatur quo ad corpus,quantum autem ad verbum attinet,contineri non poterat.

Atti. *Attici Episcopi Constantinopolitani,ex Epistola ad Eupsychium.*

Quid ergo oportuit facere sapiẽtissimum? Assumptæ carnis intercessione, & Dei verbi ex Maria genito homini vnione, fit vtrunque, vt qui ex vtrisque vnitus erat Christus, diuinitate quidẽ disponens, in sua impatibilis naturæ maneret authoritate, cum carne autem morte conuersans,simul quidem & carni cum qua generis affinitate iũctus erat, se mortẽ per mortem despicere ostenderet, & simul etiam noui testamenti iura morte confirmaret.

Cyrill. *Cyrilli Episcopi Alexandrini, ex Epistola ad Nestorium.*

Et quòd diuersæ quidem naturæ in vnam veram vnionem collocatæ sunt, vnus autem ex ambabus Deus & filius,non tanquam naturarum differentia propter vnionem sublata.

Eiusdem ex epistola ad Orientales.

Duarum enim naturarum vnio facta est. Quare vnum Christum, vnum filium Dominum,confitemur per hanc inconfusę vnionis intelligẽtiam. Confitemur sanctam virginem Deiparam,quod Dei verbum incarnatum, & homo factum, ex eius conceptione templum ex ipsa factum sibi vnierit.

Eiusdem.

Vnus enim Dominus Iesus Christus,etiamsi naturarum non ignoretur differentia, ex quibus ineffabilem vnionem factam esse dicimus.

Eiusdem.

Laudantes ergo,vt dixi,modum incarnationis, videmus duas naturas inter se inuicem conuenisse vnione inseparabili, absque vlla confusione,& diuisione. Caro enim caro est, & non diuinitas, etiamsi Dei caro facta sit.Similiter autem etiam verbum Deus est, & non caro, etiamsi certo suæ œconomiæ consilio propriam carnem fecerit.

Eiusdem ex interpretatione epistolæ ad Hebræos.

Si enim etiã diuersæ, & inter se inæquales, eorum quæ ad vnionem concurrerunt, naturæ,carnis,inquam, cogitentur & Dei,vnus tamen est,qui ex vtrisque constat filius.

Eiusdem in interpretatione eiusdem epistolæ.

Etsi enim forte dicatur vnigenitum Dei verbum esse carni in substantia vnitum, non dicimus vllam fuisse factam naturarum inter se confusionem, sed vtranque potius id extitisse quod est.

Eiusdem de scholijs.

Homo nominatus est, licet secũdum naturam Deus esset, quod ex virgine natũ est verbũ vt quod similiter ac nos fuit carnis & sanguinis particeps. Ita enim visus est ijs, qui in terra erant,& non dimisit quidem quod erat, sed nostram humanitatem assumpsit, quæ se perfectè habet,propria ratione. Homo Deus.

Eiusdem de incarnatione.

Vnus ergo est etiam ante incarnationem verus deus: & manens in humanitate, quod erat,est,& erit. Non est ergo diuidendus vnus Dominus Iesus Christus seorsum in hominem, & seorsum in Deum. sed vnum & eundem Christum Iesum esse dicimus, scientes naturarum differentiam,& eas inter se inconfusas seruantes.

Eiusdem post alia.

Intellige enim omnino vt alterum,quod in altero habitat, hoc est,diuina natura in humanitate: & nec vllam commixtionem, nec concretionem,nec translationem passa fuit quod non erat.Quod enim in altero dicitur habitare,non est id quod est, in quo habitat. Intelligitur enim potius alterum in altero.Sed in natura verbi & humanitatis, nobis solùm differentiã significat. Vnus enim Christus ex ambobus intelligitur.Hoc ergo pulchrè conseruans,quòd nulla sit confusio,dicit verbum in nobis habitasse. Vnum enim filium nouit vnigenitum,qui caro factus est, & naturam humanam suscepit. Audiuisti, ò vir egregie, magna orbis lumina, & eorum doctrinæ radios intuitus es,& exactè didicisti quòd non solum

post natiuitatem, sed etiam post salutiferam passionem,& resurrectionem,& ascensionem, inconfusam diuinitatis & humanitatis vnionem,ostenderunt.

ERAN. Non existimabam eos diuidere naturas post vnionem: sed diuisionem inueni infinitam.

ORTH. Insania est & nimium temerarij hominis aduersus viros illos insignes fideique principes linguam mouere. Vt autem scias quòd etiam Apollinaris dicit inconfusam fuisse vnionem,eius quoque tibi verba afferam. Audi ergo dicentem.

Apollinaris. *Apollinaris,ex libro compendiario.*

Vnitur ergo Deus & corpus. adorandus opifex sapientia, & qui est æterna potentia. hæc ex diuinitate. filius Mariæ vltimo tempore natus.adoro Deum. Sapientia proficiēs, virtute confirmatus.hęc ex corpore.Pro peccato quidem passio & maledictum processit. Sed non præteribit, neque in incorporeum mutabitur.

Et rursus paulo post.

Homines autem sunt eiusdem substantiæ cum animalibus ratione carentibus, quod ad corpus attinet quod caret ratione, alius autē sunt substantiæ, quatenus sunt ratione præditi. Ita etiam Deus cùm sit eiusdem substantiæ cum hominibus,quod ad carnem attinet, est alius substantiæ, quatenus est verbū & homo. Alibi autem sic dicit. Eorum quæ commiscentur, qualitates miscentur, non intereunt. Quo fit vt etiam nonnulla à commixtis separentur,sicut vinum ab aqua, nec commixtionem cum corpore, nec qualis est corporum cum corporibus, sed quæ est etiam absq; commixtione, ita vt prout oportuerit, semper diuinitatis operatio, vel sit seorsum, vel admisceatur quemadmodum vsu venit in ieiunio Domini, admixta quidem diuinitate, quòd ea nullius egeat, arcebatur fames, cùm autem non opponeret indigentiæ suam nullius rei indigentiam,exorta est fames ad Diaboli confusionem. Si autem corporum mixtio nequaquā mutata est, quanto magis diuinitatis? Et in alio etiā loco hæc dicit. Si ignis cum ferro commixtio, quæ ferrum ita ostendit, vt etiam ea faciat quæ sunt ignis, eius naturā non mutat: nec Dei cum corpore vnio, est mutatio corporis. Atqui corpore diuinas præbente operationes ijs qui possunt attingere,eis rursus coniungit. Si homo habet animā & corpus,eaque manent in vnione:multo magis Christus habens diuinitatem cum corpore, habet vtraque permanentia, & nō confusa.

Ieiunium.

Et rursus paulo post.

Est enim humana diuinæ operationis particeps, quoad licet: est autem alia,vt minima à maxima.Et homo quidē seruus Dei est. Deus autem non est seruus hominis,nec suus,& ille quidem Dei est creatura: hic verò nec hominis,nec sui ipsius est creatura.

Seruus creatura.

Et paulo post.

Si secundum diuinitatem in Christo accipit quispiam hoc,Qui videt patrem,& ipse fecit: & non secundum carnem, per quam qui est incarnatus,seorsum est ac separatim à patre non incarnato: diuidit duas diuinas operationes,sed non diuiditur. Non dicit ergo diuinitatē.Deinde rursus hæc quoque posuit.Sicut homo nō est expers rationis, addita ratione rationis vacuitati,ita nec Seruator est creatura,increato Deo creatura addita.E is autem hæc quoq; adiungit.Quod sub aspectum non cadit,& est compositum,ideoq; aspicitur, manet etiam non aspectabile, manet aūt etiam incompositum, quatenus non vnà circunscribitur cum corpore, manensq; in sua mensura corpus assumit cum Deo vnionē eo quod viuificetur,neque viuificatum viuificat. Anima cum corp.

Et paulo post.sic rursus dixit.

Si ne animæ quidem cum corpore cōmixtio,licet ab initio concreuerit & coaluerit,efficit vt ea per corpus cerni possit, nec eam in alias corporis proprietates commutat & conuertit, vt id scilicet vel secetur, vel diminuatur: quanto magis Deus qui non est cum corpore congenitus & coalitus, vnitur corpori immutabiliter?& si corpus hominis manet in propria natura, idque animatum: neque in Christo cōmixtio immutauit corpus, vt non esset corpus.

Et post plurima, hæc rursus posuit.

Qui animam & corpus cōfitetur, tanquam vnum, à scriptura statui, sibijpsi repugnat, vt qui quam dicit verbi cum corpore vnionem esse dicit mutationem,nec in anima dicat confiderari. Audi eum rursus apertè clamantem. Si qui carnem Domini dicunt non remanere, sunt impij:multo magis qui nec ab initio quidem incarnatum fuisse confitentur.

Et in libello de incarnatione, rursus hæc scripsit.

Illud ergo,Sede à dextris meis, dicit, tanquam ad hominem. Neque enim ei qui semper sedet in throno glorię,quatenus Deus verbum dictum est, post ascensionem è terra: sed ei qui nunc in cœlestem gloriā fuit exaltatus, quatenus homo, vt dicunt Apostoli. Non enim Dauid in cœlos ascendit. Ipse autem dicit,Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Humanum quidem iussum quod dat sessioni principium, sed diuina est authoritas,& dignitas, cum Deo considere, cui ministrant mille millia, & quem innumerabiles circunsistunt myriades.

Et paulo post.

Non enim tanquam Deo subijcit inimicos, sed tanquam homini, vt idem sit & Deus qui videtur & homo.Quod autem tanquam homini dicitur illud, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, docet Paulus,proprium eius factum esse, dicens videlicet quod attinet ad diuinitatem,& actus naturam, quatenus ipse potest etiam sibi omnia subijcere. Vide inseparabilem in vna persona diuinitatem & humanitatem. Actor. 2.

Et post quædam alia pauca.

Glorifica me tu apud teipsum,gloria quam habebam apud te, antequam mundus esset apud te. Illud enim Glorifica, dicit vt homo, se au-

se autem habuisse gloriam ante sæcula, vt Deus, reuelat.

Et rursus paulo post.

Sed nos ne humiles abiectique existimantes filij Dei adorationem etiam cum humana similitudine, sed tanquam regem aliquem, qui vel in vili veste apparuerit, regia gloria, & honore afficientes, & maximè cùm videamus ipsum quoque indumentum gloria & honore affectum,& vt cōueniebat corpori Dei,& seruatori mundi, & vitæ æternæ semini, & diuinarum actionum instrumento,qui omne vitium sustulit,& mortem peremit, & resurrectionis author fuit,& princeps.Etenim etsi naturam habuit ex hominibus, sed vitam ex Deo habuit, & potestatem ex cœlo diuinamque virtutem. Iohan.17.

Et paulo post.

Vnde nos corpus adoramus, vt verbum, corporis sumus participes,vt spiritus.Ecce tibi eum, qui primus naturarum confusionem inuexit,ipsum quoque diuisione vti apertè ostensum est.Is corpus & vestem, & creaturam, & instrumentum appellauit. Quin etiam seruum quoque & mancipium vocauit, quod nullus nostrum vnquam dicere ausus est. Hoc etiam dixit dignatū esse sessione à dextris & alia etiam plurima,quę à vana vestra hęresi eijciuntur.

ERAN. Et quamobrem,qui primū commixtionem & confusionem induxit, tantam verbis suis diuisionem statuit?

ORTH. Cogitvis veritatis,eos etiam, qui ei valde repugnant,ijs quæ ab ipsa dicūtur assentiri.Sed si tibi videtur, id etiā quod de impatibilitate Domini dicitur agitemus.

ERAN. Scis etiam Musicos solere chordas quieti tradere, easque remittere, paxillos circumagentes. Quòd si ea etiam quæ anima & ratione carent penitus, aliqua quiete indigent,nihil vtique à ratione alienū absurdūmue fecerimus qui sumus animæ & rationis participes,si viribus laborem metiamur.Differamus ergo in crastinum.

ORTH. Diuinus quidem Dauid iubet nos die & nocte diuina eloquia meditari. fiat tamen vt dixisti,& in crastinum reseruemus eorum quæ restant inquisitionem.

FINIS SECVNDI DIALOGI.

IMPATIBILIS DIALOGVS TERTIVS.

ORTHODOXVS, ET ERANISTES.

ORTHODOXVS.

Quod Deus quidem Verbum, sit immutabilis, & homo factus sit, non in carnē conuersus,sed humana perfectē accepta natura,in ijs quæ antea fuerūt examinata ostēdimus. Quòd autem etiam post vnionem mansit qualis erat, ab interitu & corruptione alienus,immutabilis, & qui circumscribi non potest, & quòd quam accepit naturā integram conseruauit, nos docet apertè sacra scriptura. Quinetiam ecclesiarum doctores, & orbis terrarum lumina,nos id docuerunt. Restat ergo nobis vt de passione verba faciamus, quod est nobis propositum.Id autem erit longe vtilissimum, vt quod nobis diuina fluenta obtulerit.

ERAN. Hanc ergo quoque valde vtilem disputationem existimo, sed à nobis prius institutum ordinem nō seruabo, verùm ipse interrogabo.

ORTH. Ego autem respondebo, nec ordinis mutationem formidabo. Veritatis enim patronus, non solum interrogans, sed etiam interrogatus, veritatis robur obtinet. Roga ergo vt volueris.

ERAN. Quem dicis passionē sustinuisse?

*ORTH.*Dominum nostrū Iesum Christum.

ERAN. Homo ergo nobis salutē præbuit.

ORTH. Hominem enim esse Dominū nostrum Iesum Christum confessi sumus solum.

ERAN. Nunc defini quid Christum esse credis?

ORTH. Filium Dei viuentis,qui homo factus est.

ERAN. Dei autem filius,Deus?

ORTH. Deus, eandem habens substantiam cum Deo qui genuit.

ERAN. Deus ergo passionem sustinuit.

ORTH. Si incorporeus cruci affixus est,diuinitati passionem tribue. Sin autē carne assumpta homo factus est,cur id quidem, quod est patibile, impatibile esse finis, quod autem est impatibile, passioni subijcis?

ERAN. Sed ideo carnem assumpsit, vt per patibile, id quod est impatibile, passionem sustineret.

ORTH. Impatibile dicis,& ipsi passionem tribuis.

ERAN. Dixi eum accepisse carnem, vt pateretur.

*ORTH.*Si ea fuit eius natura,vt posset passi-

onem suscipere: & id etiam sine carne pati potuisset: erat ergo caro superuacanea.

ERAN. Diuina natura est immortalis, carnis autem, mortalis. Itaq; immortalis mortali vnita est, vt per illam mortem gustaret.

ORTH. Quod est natura immortale, ne si mortali quidem coniungatur, mortem subit, & hoc est facile cognoscere.

ERAN. Hoc ostende & solue dubitationem.

ORTH. Dicis humanam animam immortalem, an mortalem?

ERAN. Immortalem?

ORTH. Corpus autem, mortale? an immortale.

ERAN. Mortale scilicet.

ORTH. Ex his autem naturis dicimus ne constare hominem?

ERAN. Ita dicimus.

ORTH. Immortale ergo mortali coniunctum est.

ERAN. Verum.

ORTH. Sed coniunctione seu vnione dissoluta, quod mortale quidẽ est, suscipit mortis terminum: manet autẽ anima immortalis, quanuis peccatum mortem introduxerit. An non mortem supplicium esse putas?

ERAN. Hoc diuina docet scriptura. Ab ea enim discimus, quòd cùm Deus Adæ prohibuisset ne cognitionis arboris esset particeps, subiunxit, Qua autem die ex ipso comederitis, morte moriemini.

ORTH. Mors ergo eorum qui peccarunt pœna est.

ERAN. In confesso est.

ORTH. Quænã ergo causa est, quòd cùm corpus, & anima simul peccarunt, solum corpus subit mortis supplicium?

ERAN. Ipsum enim lignum male aspexit, & manus extendit, & fructum vetitum diripuit, ipsumque rursus os dentibus hoc comminuit, & molaribus læuigauit: porrò autem cum œsophagus seu gula id suscepisset, transmisit ad ventriculum, ille autem conuersum & immutatum iecori tradidit. Iecur autem quod accepit id mutauit in naturam sanguinis, & venæ cauæ tradidit. Illa autẽ venis quæ proxime cohærent. Illæ verò per alias corpori, & ita ad omne corpus peruasit præda cibi prohibiti. Iure ergo solum corpus pro peccato supplicium subijt.

ORTH. Nobis naturaliter de nutrimento disseruisti, & per quot partes procedẽs, & quot mutationes suscipiens, cõuertitur in naturam corporis. Sed illud quidem certè non potuisti perspicere, quòd sine anima nihil eorum quæ dicta sunt corpus efficit. A coniuncta enim anima derelictum, iacet vocis, & respirationis expers, mutumque & immobile, & neque oculus videt, aut benè, aut malè, neque aures vocũ sonum admittunt, manus non mouentur: pedes non ingrediuntur, & est simile instrumento cui deest musicus. Quomodo ergo dixisti corpus solum peccasse, quod sine anima ne potest quidem omnino respirare?

ERAN. Corpus quidem vitam ab anima accipit, sed damnosam peccati possessionem animæ conciliat.

ORTH. Quonam modo?

ERAN. Per oculos quidem efficit vt malè videat, per aures autem vt audiat ea quæ non est vtile, & per linguam, vt loquatur quæ damnum atque adeò exitium afferunt, & per alias partes, ea quæ nefas est facere.

ORTH. Surdi nobis, vt videtur, beati existimandi sunt, quique visu orbati, & alijs partibus priuati sunt. Neque enim eorum animæ vllam ex corporis improbitate omnino iacturam sentiunt. Cur autem, ò sapientissime, vituperandorum quidem corporis ministeriorum meministi, quæ sunt autẽ vel magna laude digna prætermisisti? Licet enim & amicè, & benignè intueri, & compunctionis lachrymam abstergere, diuinaque audire eloquia, & egenti & roganti aurem præbere, linguaque creatorem celebrare, & proximũ docere quæ opus est, manusque porrigere ad misericordiam, & vt semel dicam, ad omnem virtutem assequendam vti partibus corporis.

ERAN. Vera hęc sunt.

ORTH. Est ergo proprium animæ, & corporis, & leges seruare, easdemque transgredi.

ERAN. Commune.

ORTH. Mihi videtur vtrique præesse anima, vt quæ ante corpus vtatur ratiocinatione. *Anima præest.*

ERAN. Quomodo hoc dicis?

ORTH. Mens primum virtutem vel vitium describit, ac delineat, & ea ita format, vtens quidem instrumentis partibus corporis, coloribus autem & materijs, ijs quæ ad vtrumuis conferunt.

ERAN. Videtur.

ORTH. Si ergo peccat vnà cum corpore, vel potius peccato imperat: vt animal enim regeret, & id perinde, ac auriga currum, gubernaret, eius fidei creditum est: cur si peccati est socia, non partem quoque habebit supplicij?

ERAN. Et quomodo fiere posset, vt quæ est immortalis ei mors obueniret?

ORTH. Iustum tamen erat, vt quæ peccati fuit particeps, esset quoque particeps supplicij.

ERAN. Iustum.

ORTH. Non fuit autem particeps.

ERAN. Nequaquam.

ORTH. In futura autem vita simul cum corpore tradetur gehennæ.

ERAN. Ita dixit, Ne timete eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed magis eum timete, qui animam & corpus potest perdere in gehenna. *Matth. 10.*

ORTH. Ergo in hac quidem vita effugit mortem, vt quæ sit immortalis. In illa autem vita dabit pœnas, non mortem quidem subiens, sed in vita punita.

ERAN. Hoc etiam docet sacra scriptura.

ORTH. Fieri ergo non potest, vt mortem subeat natura immortalis.

ERAN. Ita visum est.

ORTH. Quomodo ergo dicitis Deũ verbum mortem gustasse? Si enim quod immortale creatum est, visum est fieri non posse mortale: quomodo fieri potest, vt qui non creatus, & ab æterno est immortalis, quique mortalium & immortalium naturarum est effector, sit mortis particeps?

ERAN. Scimus nos quoque eius immortalem naturam, carne autem ipsum dicimus mortis fuisse participem.

ORTH. Sed nos apertè ostendimus nullo modo posse mortis esse particeps, quod est natura immortale. Neque enim anima quæ vnà cũ corpore creata, eique coniuncta est, & cum eo peccati fuit particeps, potuit cum eo mortis habere societatem, propter solam naturæ immortalitatem. Hoc ipsum autem etiam aliter consideremus.

ERAN. Nihil vetat quò minus omnẽ moueamus lapidem: vt verum inueniamus.

ORTH. Sic ergo queramus. Virtutis & vitij dicimus ne esse aliquos magistros, aliquos autem eorum ipsorum discipulos?

ERAN. Dicimus.

ORTH. Virtutis autem magistrum, maiori ne mercede ac remuneratione dignum esse dicimus?

ERAN. Maximè.

ORTH. Similiter autem vitij magistrum dupla ne ac tripla pœna dignum?

ERAN. Verum.

ORTH. Diabolus autem quo in loco ponendus est? Magistrum ne esse dicimus, an discipulum?

ERAN. Magistrorum quidem magistrum. Ipse enim omnis vitij & iniquitatis est & pater & magister. *Diabolus vitij magister.*

ORTH. Quinam ergo homines fuerunt primi eius Discipuli? *Discipuli primi homines.*

ERAN. Adam & Eua.

ORTH. In quosnam autem lata est mortis sententia?

ERAN. In Adam & vniuersum genus illius.

ORTH. Discipuli ergo pœnas dederunt eo quòd malè docti sunt. Magistrum autem, quẽ nuper duplo ac triplo supplicio dignum esse dicimus, etiam pœnam effugere consentaneum est.

ERAN. Videtur.

ORTH. Et tamen quamuis hæc ita facta sint, iustum iudicẽ & scimus & nominamus.

ERAN. Maximè.

ORTH. Cur ergo cùm sit iustus non exegit ab illo rationem malæ suæ doctrinæ?

ERAN. Illi quidem nullo vnquã tempore extinguendam gehennæ flammam construxit. Ite, inquit, maledicti in ignẽ æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius. Hic aũt ea de causa non fuit cum suis discipulis mortis particeps, vt qui naturã haberet immortalem. *Matth. 25.*

ORTH. Nec ergo qui maxima crimina perpetrarunt, existimantur posse esse mortis participes, si naturam habeant immortalem.

ERAN. In confesso est.

ORTH. Si ergo ne ipse quidem vitij inuentor & magister, mortis particeps effectus est, propter immortalitatem naturæ, quomodo non horretis, dicentes ipsum immortalitatis & iustitiæ fontem, mortem obijsse?

ERAN. Si quidem eum inuitum mortem subijsse diceremus, aliquem fortasse iustum prætextum haberet vestra nostri accusatio. Si autem passio spontanea, & mors voluntaria à nobis prædicatur: non nos accusandi, sed laudanda est eius insignis humanitas. Lubens enim passus est, & volens mortem obijt.

ORTH. Diuinam, vt est verisimile, naturam penitus ignoratis. Dominus Deus nihil vult eorũ, quæ non sibi suapte natura insunt, potest autem quæcunque vult: vult autem quæ sunt suæ naturæ apta & conuenientia.

ERAN. Nos dicimus omnia esse Deo possibilia.

ORTH. Indefinitè enuntians, ea quoque comprehendis quæ diabolo conueniunt. Qui enim absolutè dixit, omnia, & quæ bona sunt, & quæ his contraria, simul dixit.

ERAN. Beatus ergo Iob non dixit absolutè, Scio quòd omnia potes, & nihil est tibi impossibile. *Iob. 10.*

ORTH. Si legeris quæ à iusto antea dicta sunt, horum quoq; scopum & institutum ex illis inuenies. Sic autẽ dicebat. Memento quòd lutum me formasti, in terram autẽ me rursus conuertis, an non sicut lac me mulsisti, coagulasti autem tanquam caseũ, pelle & carne indusisti me, ossibus autẽ & neruis compegisti me, vitam autem & misericordiam posuisti apud me. Visitatio autẽ tua seruabat spiritum meum. His subiungit. Hæc habens in me ipso, scio quòd omnia potes, & nihil est tibi impossibile. Quęcunque ergo his conueniũt, & à corruptione & interitu alienam decent naturam, posse dicit vniuersorum Deum.

ERAN. Nihil non potest qui omnia potest Deus.

ORTH. Et peccare ergo potest qui omnia potest Deus, vt tu quidem definis.

ERAN. Nullo modo.

ORTH. Quare?

ERAN. Quoniam non vult.

ORTH. Qua de causa autem non vult?

ERAN. Quoniam ab eius natura alienum est peccare.

ORTH. Multa ergo non potest, multa sunt enim peccatorum genera.

ERAN. Nihil horum est eiusmodi, vt ea Deus vel velit vel possit.

ORTH. Sed nec illa quæ sunt diuinæ naturæ contraria.

ERAN. Quænam hæc?

ORTH. Quemadmodum, intelligentem & veram lucem Deum esse didicimus.

ERAN. Verè.

ORTH. Sed nec ipsum esse tenebras dixerimus aut posse aut velle.

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Rursus inuisibilem eius naturam dicit sacra scriptura.

ERAN. Ita dicit.

ORTH. Sed vt ea sit visibilis fieri posse nunquam dixerimus.

ERAN. Minimè.

ORTH. Sed nec vt sit comprehensibilis.

ERAN. Neutiquam.

ORTH. Est enim incomprehensibilis, & quem nemo omnino possit assequi.

ERAN. Vera dicis.

OR. Ergo nec qui est, fieri potest vt nõ sit.

ERAN. Absit.

ORTH. Sed nec vt pater sit filius.

ERAN. Est ex numero eorum quæ fieri non possunt.

ORTH. Neque verò vt qui est ingenitus, sit genitus.

ERAN. Quomodo enim fieri posset?

ORTH. Sed neque filius fuerit vnquam pater.

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Neque spiritus sanctus fieri vnquam poterit filius vel pater.

ERAN. Hæc omnia sunt ex numero eorũ quæ fieri non possunt.

ORTH. Multa quoq; alia eiusmodi inuenimus quæ fieri non possunt. Neq; enim quod est æternum, fuerit subiectũ tempori: neque quod est increatum, creatũ vel factum: neque finitũ, q̃ est infinitum, & quę sunt his similia.

ERAN. Nihil horum potest fieri.

ORTH. Multa ergo inuenimus, quæ qui omnia potest, non potest Deus.

ERAN. Certè.

ORTH. Sed horum quidpiam non posse, est infinitæ potentię signum, non imbecillitatis, posse autem, vtique impotentiæ, non potentiæ.

ERAN. Quomodo hoc dicis?

ORTH. Quoniam vnumquodq; eorum, Deum esse immutabilem, vertiq; & diuersum fieri non posse prędicat. Eum enim qui bonus est, non posse malũ fieri, insignem bonitatem significat, & eum qui iustus est non posse esse iniustum, nec eũ qui verus est, mendacem, in veritate ac iustitia firmitatẽ stabilitatemq́ue significat. Ita etiã vera lux nunquam fuerit tenebræ, nec qui est, fieri vnquã possit vt non sit. Sufficiens enim & perpetuum habet esse, luxq́ue est immutabilis, nec diuersa potest fieri. Ita etiã si alia consideraueris, inuenies illud non posse, summã potentiam significare. Ita in Deo talia non posse, diuinus Apostolus & in-
Heb. 6. tellexit & posuit. Ad Hebręos enim scribens, sic dicit. Vt p duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmã consolationẽ habeamus, non esse infirmum ac imbecillũ illud impossibile, sed ipsum valde potens, & validũ ostendens. Ita enim inquit, verũ est, vt fieri non possit, vt in eo vnquam sit falsum aut mendacium. Veritatis itaq; potentia per id quod fieri non potest significatur. Ad bea-
1. Tim. 2. tum aũt Timotheum scribens, hæc quoq; adiecit. Fidelis sermo, nam si cõmortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & cõregnabimus, si negauerimus, & ille negabit nos. Si diffidimus, ille fidelis manet, seipsum negãre nõ potest. Rursus ergo illud, non potest, infinitã potentiam significat. Nam etiamsi omnes homines ipsum negauerint, ipse, inquit, Deus est, & à propria natura non recidit. Habet enim suum esse eiusmodi, vt in ipsum non cadat interitus. Hoc enim significat illud, se ipsum negare non potest. Redundantem ergo potentiam significat eius, in deterius mutationis impotentia.

ERAN. Hæc vera sunt, & sacræ scripturæ dictis conuenientia.

ORTH. Si ergo multa sunt quæ Deus non potest, & tot quæ sunt diuinæ naturæ contraria: cur alia omnia omittentes quæ sunt ei secundum naturã, bonum, iustum, verum, quod videri non potest, quod nemo eum assequi potest, & quod nequit circumscribi, æternum, & alia quæ Deo adesse dicimus, solã immortalitatem & impatibilitatẽ mutabiles esse dicitis, & in eis conceditis vt verti & diuersa fieri possint: Deoq; potentiam datis, quę infirmitatem & imbecillitatem significat?

ERAN. Hoc nos sacra scriptura docuit. Etenim diuinus Ioannes clamat. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Et Diuinus Paulus. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij sui, multo magis reconciliati, seruabimur in vita ipsius.

ORTH. Hęc quidem vera sunt. Sunt enim diuina eloquia, sed recordare eorum quæ sæpe confessi sumus.

ERAN. Quænam dicis?

ORTH. Quòd filium Dei Deum verbum non incorporeum apparuisse, sed humanã naturam perfectam suscepisse confessi sumus.

ERAN. Hæc confessi sumus.

ORTH. Si ergo corpus & animam accepit humanam, ea ratione etiam filius hominis appellatus est.

ERAN. Verum.

ORTH. Ergo Dominus Iesus Christus, etiam Deus noster verè. Earum enim naturarũ aliam quidem semper habuit, aliam verò verè accepit.

ERAN. Hęc sunt sine omni controuersia.

ORTH. Ergo vt homo passionem subijt, vt Deus autem, maior & potẽtior mansit, quã vt posset pati.

ERA. Quomodo ergo sacra scriptura Dei filium passum esse dicit?

ORTH. Quoniam quod passum est corpus, fuit eius corpus. Sic aũt consideremus. Quando audimus sacram scripturam dicentem, Fa- Gen. 27.
ctum est postquam consenuisset Isaac, caligauerunt eius oculi ne viderent, mens nostra quo fertur, & in quem defigitur, in animam Isaac, an in corpus?

ERAN. Clarum est quòd in corpus.

ORTH. Ergo etiam animam conijcimus fuisse cæcitatis affectionis participem?

ERAN. Neutiquam.

ORTH. Sed solum corpus sensu visus priuatum esse dicimus?

ERAN.

ERAN. Ita dicimus.

ORTH. Et rursus quando audierimus Amasiam dicentem prophetæ Amos, Videns, vade in terram Iuda: atque etiam Saul scisciantem, Vbi est domus videntis, nihil corporale suspicamur.

ERAN. Minimè.

ORTH. Ea tamen omnia significant sanitatem eius partis qua videtur.

ERAN. Verum.

ORTH. Scimus tamen quòd purioribus animis suppeditata spiritus operatio gratiam immittit propheticam. Ipsa autem efficit vt vel occulta videat. Quòd ea autem videant, vt ipsi videntes & cernentes appellentur facit.

ERAN. Vera dicis.

ORTH. Ergo illud quoque consideremus.

ERAN. Quidnam?

ORTH. Quando audierimus sacrorum Euangeliorum historiam declarantem, quòd obtulerunt Deo paralyticum in lecto iacentem, partiũmne animæ dicimus fuisse solutionem, an corporis?

ERAN. Clarum est quòd corporis.

ORTH. Quando autem epistolam ad Hebræos legentes, inuenerimus illum locum vbi dicit Apostolus. Propter quod remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non quod claudicat auertatur, magis autem sanetur, de partibũsne corporis dicemus hæc sanctum Apostolum dixisse?

ERAN. Nullo modo.

ORTH. Sed animæ timiditatem & ignauiam eum auferre dicemus, & ad virtutem & animi magnitudinem incitare discipulos?

ERAN. Maximè.

ORTH. Sed non inuenerimus hæc sacra scriptura distingui, neque enim cùm Isaac narrasset cœcitatem, corporis meminit, sed Isaac absolutè dixit esse cœcum, nec cùm prophetas nominasset videntes, dixit eorum animas videre, & intueri quæ occulta sunt, sed ipsarum tantùm personarum meminit.

ERAN. Hæc ita habent.

ORTH. Neq; vero paralytici corpus ostendit esse solutum, sed hominem nominauit paralyticum.

ERAN. Verum.

ORTH. Nec diuinus Apostolus animarum nominatim meminit, eas confirmare, & excitare volens.

ERAN. Non certè.

ORTH. Nos autem sensum verborũ perscrutantes, cognoscimus quænam animæ, & quænam sunt corporis propria.

ERAN. Et merito quidem ita facimus. Nos enim rationis facultate præditos fecit Deus.

ORTH. Hac ergo ratione in eo etiam qui nos fecit & seruauit vtamur: & agnoscamus quænam eius diuinitati, & quæ humanitati conueniunt.

ERAN. Sed si ita fecerimus, summam illam vnionem soluemus.

ORTH. Atqui cùm in Isaac, & Prophetis, & paralytico, & in alijs hoc fecimus, naturalem animæ & corporis vnionem non soluimus, sed nec à proprijs corporibus animas separauimus: sed sola ratione discreuimus, quid sit propriũ animæ, quid corporis. Quomodo ergo non est miserum, nos qui hoc in animis & corporibus facimus, id in Seruatoris nostri corpore facere recusare, & naturas confundere quæ habent inter se differentiam, non quantam habet anima ad corpus: sed quantum distat quod est recens, ab æterno: & quod factum est, ab eo qui fecit.

ERAN. Sancta scriptura dicit filium Dei passionem sustinuisse.

ORTH. Nec nos aliquem alium passum Heb. 12.
esse dicimus: scimus tamen, docti à sacra scriptura, esse impatibilem naturam diuinitatis. Cùm ergo impatibilitatem & passionem audimus, humanitatisque & diuinitatis vnionem, patibilis corporis passionem esse dicimus. Impatibilem autem naturam à passione liberam mansisse confitemur.

ERAN. Corpus ergo nobis salutem procurauit.

ORTH. Non solius hominis corpus, sed Domini nostri Iesu Christi vnigeniti Dei filij. Sin autem id tibi paruum & vile putatur, quomodo eius typum ac figuram venerabilem & salutarem existimas? Cuius autem typus est adorandus & venerandus, quemadmodum est ipsum exemplar archetypum vile, & aspernandum?

ERAN. Non existimo vile corpus, sed vtà diuinitate separetur non patior.

ORTH. Nec nos quidem, ò vir bone, vnionem diuidimus, sed quæ sunt naturarum propria consideramus, atque tu ea vtique statim fateberis.

ERAN. Hæc tu propheticè dicis.

ORTH. Non propheticè, sed vt qui sciam vim veritatis. Sed tu mihi hoc quoque interroganti responde, quando Dominum dicentem audieris, Ego & pater vnum sumus, & qui vidit me, vidit & patrem, dicisne hæc propria carnis, an diuinitatis?

ERAN. Et quomodo fieri potest, vt caro & pater in substantia vnum sint?

ORTH. Hæc ergo diuinitatẽ significant.

ERAN. Verum.

ORTH. Et hoc In principio erat verbum, & Deus erat verbum, & quæ sunt his similia.

ERAN. In confesso est.

ORTH. Quando autem rursus dicit sacra scriptura, Iesus autem defatigatus ex itinere sic sedebat supra fontem, cuius existimanda est lassitudo, diuinitatis an corporis?

ERAN. Non possum ferre vt quæ vnita sunt diuidantur.

ORTH. Diuinæ ergo, vt videtur, naturæ lassitudinem tribuis.

ERAN. Ita mihi videtur.

ORTH. Sed apertè Prophetę contradicis,

qui clamat, Non esuriet, neque defatigabitur, neque est eius prudentiæ inuentio, qui dat robur esurientibus, & ijs qui non dolore afficiuntur tristitiam. Et paulo pòst. Qui autem me sustinent, vires mutabunt, pennas vt aquila producent, current, & nõ defatigabuntur, ambulabunt, & non esurient. Quomodo ergo qui alijs largitur vt nec egeant nec defatigentur, ipse lassitudinis famisque & sitis affectionem sustinuit?

ERAN. Sæpe dixi Deum esse impatibilem, & nullius rei egentem: sed post incarnationem affectiones sustinuit.

ORTH. Diuinitaténe affectiones suscipiens, an patibili naturæ cedens, secundum naturam affectiones sustinet, & eo ipso quòd patitur, prædicat & proclamat, quòd non est visione aut imaginatione apparens, sed verè ex humana natura desumptum? Ita autem consideremus, diuinámne naturam non posse circumscribi dicimus?

ERAN. Certè.

ORTH. Quæ autem circumscribi non potest natura, à nullo circumscribitur?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Non eget ergo à loco ad locum transitione, est enim vbique.

ERAN. Verum.

ORTH. Quod autem transitione non indiget, neque ambulatione?

ERAN. Videtur.

ORTH. Quod autem non vadit aut ambulat, non defatigatur?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Non ergo defatigata est diuina natura, cùm circumscribi nequeat, & ambulatione non egeat.

ERAN. Sed diuina scriptura narrat Iesum fuisse defatigatum. Iesus autem Deus est. Vnus enim Dominus Iesus Christus, per quem omnia. *2. Cor. 5.*

ORTH. Quoniam ergo sacra scriptura ipsum dicit defatigatum esse, & non defatigari: considerandum est quomodo hoc & illud potest vni personę accommodari.

ERAN. Tu hoc ostende. Tu is enim es qui nobis diuisionem inuehis.

ORTH. Existimo hoc facile esse vel barbaro discernere, quòd cùm dissimiliũ naturarum vnio in confesso sit, Christi quidem persona, & hæc, & illa propter vnionem suscipit, vtrique autem naturæ quæ ei sunt apta tribuuntur, ei quidem quæ circumscribi nequit esse indefatigabilem, ei verò quæ transit & ingreditur, labor & defatigatio. Pedum enim proprium est, ingredi, & neruorum, nimio labore extendi.

ERAN. Has esse corporales affectiones in confesso est.

ORTH. Est ergo vera illa prædictio, quam ego quidem protuli, tu verò ludificatus es: ecce enim nobis ostendisti, quænam diuinitati, & quæ humanitati conueniunt.

ERAN. Sed non diuisi vnũ in duos filios.

ORTH. Nec nos hoc facimus, amice, sed naturarum diuersitatem intuentes, consideramus quid deceat diuinitatem, & quid corpori conueniat.

ERAN. Non nos diuidere docuit sacra scriptura, sed Dei filium dixit esse mortuum. Ita enim dixit Apostolus. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij sui. & Dominum dixit suscitatum esse à mortuis. Deus enim, inquit, & Dominum suscitauit. *1. Cor. 6.*

ORTH. Quando ergo dicit sacra scriptura, Extulerunt autem Stephanum viri pij, & fecerunt planctum magnum super ipsum, dices ne animam vnà cum corpore esse sepulturæ mandatam? *Act. 8.*

ERAN. Minimè.

ORTH. Et quando audieris Iacob Patriarcham dicentem, Sepelite me cum patribus meis, de corpore an de anima hæc dicta esse conijcis? *Gen. 49.*

ERAN. Clarum est quòd de corpore.

ORTH. Lege autem etiam ea quæ deinceps sequuntur.

ERAN. Illic sepelierunt Abraam, & Saram vxorem eius, & illic sepelierunt Isaac, & Rebeccam vxorem eius, & illic sepelierunt Liam.

ORTH. In his quæ legisti, corporis non meminit sacra scriptura, sed per nomina, animam simul, & corpus significauit. Nos autem recte diuidimus, & dicimus animas esse immortales, sola autem corpora patriarcharum esse in duplici spelunca deposita.

ERAN. Verum.

ORTH. Et quando audiuerimus Actuum historiam narrantem, quòd Herodes interemit Iacobum fratrem Domini gladio, neutiquam animã mortuam esse existimabimus. *Acto. 12.*

ERAN. Quomodo enim, qui simus Dominicæ suasionis memores, quæ dicit, Ne timete eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere? *Matth. 10.*

ERAN. Non tibi valde videtur impium & miserum, eos quidem qui hominum nomina audiunt, non semper animam simul & corpus intelligere: nec cùm scriptura de morte & sepulchro loquatur, intelligere quod vna cum corpore animam comprehendat, sed ea soli corpori conuenire putare, scire autem immortalitatem animæ, Domini doctrinæ credentes: qui autem filij Dei passionem audiunt, ne hoc quidem facere, sed corporis quidem, cui conuenit passio, minime meminisse, diuinam autem naturam, quæ est impatibilis & immutabilis, verbis suis mortalem & patibilem ostendere, idque cùm sciant quòd si pati posset Dei verbi natura, fuisset superuacanea corporis assumptio.

ERAN. A sacra scriptura id didicimus quod filius Dei passionem sustinuit.

ORTH. Atqui diuinus Apostolus passionem interpretatur, & ostendit naturam quæ passa est.

ERAN. Ostende ergo hoc quàm primum & solue dubitationem.

ORTH.

ORTH. Non nosti illum locum epistolæ scriptæ ad Hebræos, vbi dicit Diuus Paulus, Quare non erubescit ipsos vocare fratres, dicens, Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in media ecclesia laudabo te. Et rursus, Ecce ego, & pueri, quos mihi dedit Deus. *Heb. 2.*

ERAN. Hæc scio, sed nihil est in his eorum quæ te ostensurum es pollicitus.

ORTH. Subindicant quidem hæc quoque ea quæ me ostensurum sum pollicitus, nomen enim paternitatis cognationem significat, cognationem verò effecit assumpta natura, assumptio, diuinitatis impatibilitatem aperte proclamat ac prædicat. Vt autem te clarius doceam, lege etiam ea quæ sequuntur.

ERAN. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, ipse quoque eorum similiter fuit particeps, vt per mortem eum destrueret, qui habebat mortis imperium, & eos liberaret, qui timore mortis per totam vitam erant obnoxij seruituti.

ORTH. Existimo hæc declaratione non egere. Aperte enim docent diuinæ œconomiæ mysterium.

ERAN. In his nihil vidi eorum quæ te ostensurum es pollicitus.

ORTH. Atqui aperte diuinus docuit Apostolus, & quòd effector hominum naturam miseratus, quæ non solum acerbe à morte rapiebatur, sed in tota vita timoris seruituti addicta fuerat, per corpus, corporibus procurauit resurrectionem, & per mortalem naturam mortis potentiam confregit. Quoniam enim habebat ipse naturam immortalem, volebat mortis imperium iustè delere, ex ijs quæ morti subiecta sunt acceptis primitijs. Quas cùm ab omni reprehensione alienas, & peccato minime initiatas conseruasset, morti quidem cedit: Sed cùm eas mors corripuisset, suam quidem ipsam inexplebilem expleuit ingluuiem, sed propter summam eius in illas iniuriam, vt iniusta quoque in alios ipsius tyrannis cessaret effecit. Cùm enim iniustè deuoratas absorptasque primitias Christus suscitauerit, vt eas quoque genus sequatur efficiet. Confer cum verbis Apostolicis hanc interpretationem, & diuinitatis impatibilitatem clare videbis.

ERAN. In ijs dictis quę selecta sunt, de diuina impatibilitate nihil significatum est.

ORTH. Cùm itaq; dicat Apostolus, eum propterea pueris communicasse carni & sanguini, vt per mortem eum destrueret qui mortis habebat imperium, an non impatibilem diuinitatem, patibilem autem carnem apertè significat, & quod cùm pati non posset diuina natura, accepit eam quæ pati posset, & per eam Diaboli imperium confregit ac profligauit?

ERAN. Quomodo per carnem & Diaboli imperium confregit, & mortis potentiam?

ORTH. Quibusnam armis vsus ab initio Diabolus humanam naturam in seruitutem redegit?

ERAN. Per peccatum, captiuum abduxit eum qui paradisi ciuis fuerat constitutus.

ORTH. Præcepti autem transgressioni quam nam pœnam Deus constituit?

ERAN. Mortem.

ORTH. Ergo peccatum quidem mortis mater est, eius autem pater Diabolus.

ERAN. Verum.

ORTH. Ab eo ergo oppugnabatur hominum natura. Ipsum enim eos qui persuadebantur, in seruitutem redigens, & ad scleratissimum patrem adducebat, & ad acerbissimum conceptum, fœtum transmittebat.

ERAN. Videtur.

ORTH. Iure ergo volens effector vtranque potentiam delere, quæ ab eis oppugnabatur suscepit naturam, quam cùm nulli penitus peccato initiatam, puramque & immaculatam conseruasset, & à Diaboli tyrannide liberauit, & per eam Diaboli imperium fregit ac deleuit. Quoniam enim mors erat pœna eorum qui peccarant, corpus autem Domini, quod peccati labem non habebat, præter legem diuinam mors iniquè arripuit, primum quidem restituit ac suscitauit id quod contra leges inuasum & occupatum fuerat, deinde autem, ijs etiam qui iuste retenti fuerant, liberationem est pollicitus.

ERAN. Et quemadmodum tibi iustum esse videtur, vt corpora, quæ morti iuste dedita fuerant, cum eo quod iniuste inuasum & occupatum fuerat, resurrectionem participent?

ORTH. Tibi autem quomodo videtur esse iustum, vt cùm Adam sit præceptũ transgressus, genus quoque primum parentẽ consecutum sit? *Peccatum originale per Adam.*

ERAN. Etiam si non illius fuit peccati genus particeps, sed alia tamen peccata perpetrauit, & ea de causa fuit mortis quoque particeps.

ORTH. Atqui non solum peccatores, sed etiam iusti, & Patriarchæ, & prophetæ, & Apostoli, & qui in varijs virtutis generibus refulserunt, mortis laqueis implicati fuere.

ERAN. Quemadmodum enim fieri potest, vt qui ex mortalibus parentibus orti sint, immortales permaneant? Adam cùm post transgressionem, & diuinam sententiam sub mortis esset potestatem subiunctus, cognouit vxorem, & pater est appellatus. Cùm ergo factus esset mortalis, mortalium pater constitutus est. iure ergo omnes qui mortalem naturam susceperunt, sequuntur primum parentem.

ORTH. Optimè nobis ostendisti quæ sit causa quod simus mortis participes. Hoc ipsum ergo dandum est etiam in resurrectione. Oportet enim medicamentum esse affectioni accommodatum. Quemadmodum enim principe generis condemnato, vniuersum quoque genus simul condemnatum est, ita cùm Seruator execrationem & maledictionem soluisset, naturæ quoq; vt libertate frueretureuenit, & quemadmodum descendentem ad *Satisfactio per Christũ.*

tem ad inferos Adam ſecuti ſunt qui erant naturæ participes: ita cum Chriſto Domino reſurgente reſurrectionis erit particeps vniuerſa hominum natura.

ERAN. Probanda ſunt, & non inſtar ſententiæ pronunciãda, eccleſiæ decreta. Oſtende ergo ſcripturam quæ hæc doceat.

Rom. 5. *ORTH.* Audi Apoſtolum ad Romanos ſcribentem, & hæc per illam omnes homines docentem, Si enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in multos abundauit, & non ſicut per vnum qui peccauit, donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autẽ ex multis delictis in iuſtificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Et rurſus. Igitur ſicut per vnius delictũ in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiã vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita etiam per obedientiam vnius, iuſti conſtituentur multi. Porrò autem Corinthijs de reſurrectione ſermocinationem afferens, diuinæ œconomiæ myſterium eis ſummatim aperit, & dicit. Nunc autem Chriſtus ſuſcitatus eſt à mortuis, primitiæ dormientium fuit. Quandoquidem enim per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur: Ita etiam in Chriſto omnes viuificabuntur. Ecce tibi etiam ex diuinis eloquijs teſtimonia adduxi. Vide ergo quomodo quæ Chriſti ſunt, cum ijs quæ ſunt Adam, conferantur, cum morbo medicina, cum vulnere medicamentum, cum peccato iuſtitiæ copiæ, cum execratione benedictio, cum condemnatione remiſsio, cum tranſgreſsione obſeruatio, cum morte vita, cum inferis regnum, Chriſtus cum Adam, homo cum homine. Quanquam non homo ſolum, ſed etiam omnibus ſæculis prior Deus eſt Chriſtus Dominus. Sed ex aſſumpta eum natura nominauit Diuinus Apoſtolus,

1. Cor. 15. quoniam cum ea, illa, quæ Adæ erant, conferebant. Eius enim eſt iuſtificatio, eius lucta, eius victoria, eius affectiones, eius mors, eius reſurrectio, eius ſumus naturæ participes, ij conregnant, qui regno conuenientem vitæ rationem præmeditati fuerint. Ea autem dixi, non diuinitatem ſeparans, ſed dicens quæ ſunt propria humanitatis.

ERAN. Multa de hac re diſſeruiſti, & ea ſcripturæ teſtimonijs confirmaſti. Si ergo verè carnis eſt paſsio, quomodo clamat diuinus A-

Rom. 8. poſtolus, Dei humanitatem & benignitatem laudans, Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit ipſum, quem filium dixit eſſe traditum?

Vnigenitus. *ORTH.* Bona verba ò homo. Vnus eſt Dei filius, & ea de re vnigenitus appellatus eſt.

ERAN. Si ergo eſt vnus Dei filius: ipſum diuinus Apoſtolus propriũ filium appellauit.

ORTH. Verum.

ERAN. Ipſum ergo dicit fuiſſe traditum.

ORTH. Ipſum, ſed non incorporeum, vt ſæpe confeſsi ſumus.

ERAN. Sæpe confeſsi ſumus ipſum corpus & animam ſumpſiſſe.

ORTH. Apoſtolus ergo dixit de ijs quæ corpori euenerunt.

ERAN. Valde aperte clamauit diuinus Apoſtolus, Qui proprio filio non pepercit.

ORTH. Quando ergo audis Deum dicentem Abrahæ, propterea quod non peper- Gen. 22.
ciſti filio tuo dilecto propter me, occiſum Iſaac fuiſſe dices?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Atqui Deus dixit hoc. Non pepercisti, verus eſt autem vniuerſorum Deus.

ERAN. Abrahæ promptitudini, hoc, non pepercisti, attributum eſt, ea enim fuit impulſus, vt ſuum filium vellet ſacrificare, ſed Deus prohibuit.

ORTH. Quemadmodum ergo in ijs quæ dicuntur de Abraham, non adhæſiſti literæ, ſed ea explicata, ſententiam declaraſti, ita etiam dicti Apoſtolici inſtitutum perſcrutare. Videbis enim diuinæ naturæ minimè parſum eſſe, ſed carni, quę ligno affixa eſt. facile eſt autem etiam in typo veritatem perſpicere. Videtúrne Abrahæ ſacrificium, typus eſſe Abrahæ ſacrificium.
ac figura ſacrificij, quod pro mundo oblatum eſt?

ERAN. Non omnino, neque enim dogmatum ac decretorum regulam, ea duco quę in eccleſijs panegyricè & declamatoriè dicuntur.

ORTH. Maxime quidem ſequi oportebat doctores eccleſiæ, ſed quoniam ijs aduerſaris, non recte quidem faciens, ipſum certe Seruatorem audi dicentem Iudæis. Abraam pater Ioan. 8.
veſter exultauit vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt, & conſidera quòd Dominus diem paſsionem appellat.

ERAN. Accepi teſtimonium Domini, & credo figuræ.

ORTH. Confer ergo figurã cũ veritate: & videbis etiam in typo diuinitatis impatibilitatẽ. Pater enim eſt & hic, & illic: & filius ſimiliter dilectus & hic, & illic, & ferens vterq; materiã ſacrificij. Hic enim ligna, ille vero crucẽ portauit humeris. Dicunt aũt & montis verticẽ vtriuſq; ſacrificij operatione eſſe dignatũ, conuenitq; dierũ & noctium numerus, & quæ poſt eos facta eſt reſurrectio, etenim Iſaac patris ſui animi promptitudine interfectus, à quo die magnorũ donorũm largitor, Deus, hoc iuſsit fieri, tertio typicè reuixit, eiuſdem benigniſsimi, & humaniſsimi voce. Viſus eſt autem aries ab arbore pendens, & crucis imaginem oſtendens, qui cædem pro puero paſſus eſt. Si autem hæc ſunt figura veritatis, in figura autem cædem non ſuſtinuit vnigenitus, ſed pro eo aries introductus eſt, altarique oblatus impleuit myſterium ſacrificij, cur hic quoque non carni paſsionem tribuitis, ſed diuinitatem eſſe impatibilem prædicatis?

ERAN.

ERAN. Tu quoque qui hanc exponis figuram, dicebas Iſaac diuina voce reuixiſſe. Nihil ergo abſurdi fecimus, ſi typo veritatem accommodantes, & Deum verbum paſſum eſſe, & reuixiſſe prædicemus.

ORTH. Sępe dixi fieri non poſſe vt imago habeat quæcunque habet exemplar archetypum. Hoc quoque hinc etiam facile ſciri poteſt. Iſaac enim, & aries, quod ad naturarum quidem diuerſitatem attinet, ſimilitudine & imagine conueniunt. Quod ad diuiſionem autem attinet, ſeparatis ſubſtantijs non vtique. Nos enim diuinitatis & humanitatis talem vnionem prædicamus, vt vnam quæ diuidi non poteſt perſonam cogitemus, eundemque Deum & hominem ſciamus qui videtur, & videri non poteſt, circunſcriptus eſt, & nequit circunſcribi, & alia omnia, quæ diuinitatem, & humanitatem ſignificant, vni ex perſonis tribuentes. Quia ergo fieri non poterat, vt in ariete præfiguraretur reſurrectio, cùm ſit animal expers rationis, & diuina carens imagine, ita œconomiæ myſterij figuram partiuntur, vt hic quidem mortis, ille vero reſurrectionis imaginem oſtenderet. Hoc autem ipſum etiam in Moſaicis ſacrificijs inueniemus. Nam in illis etiam videri poteſt ante deſcripta ſalutaris paſsionis figura.

ERAN. Et quodnam Moſaicum ſacrificium adumbrat veritatem.

ORTH. Omne quidem, vt ſemel dicam, vetus eſt noui figura. Et ideo Diuinus quo-
Heb. 10. 1. Cor. 10. que Apoſtolus aperte dicit. Vmbram enim habens lex futurorum bonorum. Et rurſus. Hæc autem omnia in figuris eueniebant illis. Apertiſsime autem archetypi imaginẽ oſtendit ouis in Aegypto ſacrificata, iuuenca rufa quæ longe à caſtris vrebatur. Huius quoque
Heb. 13. Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos mentionem faciens, ſubiunxit. Quare Ieſus vt populum per proprium ſanguinem ſanctificaret, extra ciuitatem paſſus eſt. Sed de ijs quidem
Leuit. 16. in præſentia nihil dicam, ſed illius ſacrificij mentionem faciam, quod duos habet hircos qui offerebantur, & alter quidem ſacrificabatur, alter vero dimittebatur. Hi enim duarum naturarum Seruatoris imaginem præfigurant, is quidem qui dimittebatur, diuinitatis impatibilis, qui vero mactabatur, patibilis humanitatis.

ERAN. Deinde non tibi videtur impium & blaſphemum, Dominum hircis aſsimilare?

ORTH. Quid magis fugiendum, magiſque odio habendum, & abhorrendum exiſtimas, ſerpentem an hircum? Serpentem eſſe odio habendum, & auerſandum certum eſt. Iis enim qui appropinquant affert exitium. Sæpe autem eos etiam lædit qui nullam iniuriam fecerunt. Hircus autem eſt ex numero eorum quæ ſunt eſculenta & munda ex lege.

ORTH. Audi ergo Dominum ſalutiferam
Num. 21. Iohan. 3. paſsionem æneo ſerpenti aſsimilantem. Sicut exaltauit, inquit, Moſes ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſo, nõ pereat, ſed habeat vitam æternam. Si autem ſerpens æneus cruciaffixi corporis typum impleuit: quid abſurdi fecimus, cum ſalutifera paſsione hircorum ſacrificium conferentes?

ERAN. Quia Ioannes Dominum agnum appellauit, & Eſaias ſimiliter agnum & ouem.

ERAN. Beatus autem Paulus vocat ipſum 2. Cor. 3.
peccatum & maledictum. Itaque vt maledictum quidem, maledicti & execrandi ſerpentis implet figuram. Vt peccatum autem, hircorum ſacrificij oſtendit imaginem. Pro peccato enim, ex lege, non agnus, ſed capella ex capris offerebatur. Et propterea Dominus quoque in Euangelijs agnis quidem iuſtos Matth. 25.
aſsimilauit, hœdis autem peccatores. Quoniam ergo non pro iuſtis ſolum ſed etiam pro peccatoribus erat paſsionem ſubiturus, iure per agnos & hircos ſuum ſacrificium præfigurat.

ERAN. Sed duorum hircorum typus duas perſonas præbet intelligendas.

ORTH. Non poterant in vno hirco ambo ſimul præfigurari, & patibilitas humanitatis, & diuinitatis impatibilitas. Is enim interfectus viuentem naturam non oſtendiſſet, & ideo duo aſſumpti ſunt ad duas naturas declarandas. Hoc autem etiam in alio ſacrificio intellexeris.

ERAN. Quonam?

ORTH. Vbi duas aues ex mundis iubet Leuit. 1.
Legiſlator offerri, & hanc quidem ſacrificari, alteram vero in eius quæ eſt ſacrificata ſanguine intinctam dimitti. Nam hic quoque videmus figuram diuinitatis & humanitatis, huius quidem quæ ſacrificatur, illius vero quæ ſibi paſsionem adaptat & accommodat.

ERAN. Multas nobis adduxiſti figuras: ego autem quæ ænigmatice dicuntur non admitto.

ORTH. Atqui diuinus Apoſtolus etiam hiſtorias figuras eſſe dicit, & Agar teſtamenti veteris figuram appellauit, & Sarram cœleſti Hieruſalem aſsimilauit, & Iſmael quidem di- Gal. 4.
cit eſſe figuram populi Iſrael, Iſaac autem noui populi. Accuſa ergo etiam magnam ſpiritus tubam, quod nobis omnibus dicta ænigmatica attulerit.

ERAN. Etſi mihi alia huiuſmodi innumerabilia attuleris, vt paſsionem diuidam minimè perſuadebis. Audiui enim Angelum di-
centem Mariæ, & eius comitibus. Venite, vi- Matth. 28.
dete vbi poſitus erat Dominus.

ORTH Nos hoc quoque facere conſueuimus. Communibus enim nominibus etiam partem appellamus. In ſanctorum enim Apoſtolorum, vel Prophetarum, vel Martyrum ædes ſacras ingredientes, interrogamus, Quis ſitus eſt in arca? Qui verum autem ſciunt reſpondentes dicunt, vel Thomam forte Apoſtolum, vel Ioannem Baptiſtam, vel Stephanum primum Martyrem, vel aliquem alium ex ſanctis nominatim dicentes, licet valde paruæ nonnunquam reliquiæ in eis ſitæ ſint. Nemo autem communia hæc nomina audi-

ens,

ens, quæ & animam ſimul & corpus ſignificant, in thecis animas quoque eſſe incluſas exiſtimabit, ſed ſcit quòd corpora ſola in thecis, vel paruæ etiam corporum particulæ ſitæ ſunt. Hoc ipſum etiam fecit ſanctus ille Angelus, qui perſonę nomine corpus appellauit.

ERAN. Et vndenam oſtendes, quòd de corpore Domini dixerit Angelus mulieribus?

ORTH. Primum quidem ad id ſoluendum quod quæritur, ipſum ſepulchrũ ſufficit. Neque enim anima ſepulchro traditur, vel diuinitas quæ ſuapte natura minimè circunſcribitur: corporibus enim ſepulchra conſtruuntur. Porrò autem hoc quoq; diuina apertè docet ſcriptura. Diuinus enim Matthæus hoc modo narrat. Veſpere facto venit homo diues ab Arimathia nomine Ioſeph, qui & ipſe fuerat diſcipulus Ieſu. Is accedens ad Pilatum petiuit corpus Ieſu. tunc Pilatus iuſsit reddi corpus, & acceptum corpus Ioſeph inuoluit in ſindone mũda, & poſuit ipſum in nouo ſuo monumento, quod exciderat in petra: & cùm aduoluiſſet ſaxum magnum ad hoſtium monumenti, receſsit. Vide quoties corporis meminit, vt eorum qui diuinitatẽ blaſphemant ora obturaret. Hoc etiam fecit beatiſsimus Marcus. Dicam autem etiã ea quæ is narrauit. Cùm iam ſero factum eſſet, inquit, quia erat paraſceue, quod eſt ante ſabbatum, venit Ioſeph ab Arimathia, nobilis decurio, qui & ipſe erat expectãs regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiuit corpus Ieſu, Pilatus aũt mirabatur ſi iam obijſſet, & accerſito Centurione interrogauit an iã mortuus eſſet, & cùm cognouiſſet à Cẽturione donauit corpus Ioſeph. Ioſeph autẽ mercatus ſindonem, & deponens eum, inuoluit ſindone, & depoſuit in monumento, & quæ ſequuntur. Admirare ergo videns concordiam, & quòd concorditer & continenter fertur nomen corporis. Benedictus quoque Lucas ſimiliter narrauit, quòd Ioſeph corpus petijt, & acceptum ijs quæ iuſta erant eſt proſecutus. Diuiniſsimus autem Ioannes alia quoque adiecit. Rogauit enim Pilatum Ioſeph Arimathia, qui erat diſcipulus Ieſu, ſed occultus propter metũ Iudæorum, vt tolleret corpus Ieſu, & permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Ieſu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes libras centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſpiã poſitus erat. Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum. Vide ergo quòd quitoties corporis meminiſſet, & id cruci affixum eſſe, & id Ioſeph à Pilato petijſſe, & id de ligno depoſuiſſe, & in linteis cũ myrrha & aloe inoluiſſe oſtendiſſet, tunc perſonę nomẽ poſuit, & Ieſum dixit in monumẽto eſſe poſitũ. Ea de cauſa dixit vtiq; etiam Angelus. Venite, videte, vbi poſitus erat Dominus, à cõmuni appellatione corpus vocans. Ita enim nos quoque dicere conſueuimus. In hoc, vel illo loco, hic, vel ille ſepultus eſt, & non dicimus corpus huius, vel illius, ſed hic vel ille. Quicunq; autem eſt ſanæ mentis, ſcit nos loqui de corpore. Ita aũt ſacra ſcriptura dicere conſueuit. Mortuus eſt, enim inquit, Aaron, & ſepelierũt ipſum in hoc monte. &, Mortuus eſt Samuel, & ſepelierunt ipſum in Armathem, & eiuſmodi alia innumerabilia. Hanc conſuetudinẽ ſeruauit diuinus Apoſtolus, cùm mortis Domini mentionem faceret. Tradidi enim vobis, inquit, in primis, quod & accepi, quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas, & quod ſepultus eſt, & ꝙ reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & quæ ſequuntur.

Matth. 27.

Mar. 15.

Luc. 23.

Ioan. 18.

1. Reg. 25.

2. Cor. 15.

ERAN. In ijs quæ iã legiſti Apoſtolus non meminit corporis, ſed noſtrum omnium Seruatoris Chriſti. Aduerſus te ipſum ergo teſtimonium produxiſti, & tuis te ipſum telis confodiſti.

ORTH. Citò oblitus es, vt videtur, eorum quæ fuſe diſſerui oſtendens, ꝙ ſæpe nominibus perſonarum corpus quoq; appellant. Hoc autem ipſum nunc quoq; fecit diuinus Apoſtolus. Hoc autem hinc quoq; facile cognoſci poteſt. Sic autem conſideremus. Quare ſcripſit hæc vir diuinus Corinthijs?

ERAN. Quidam eos deceperant, in hanc opinionem inducentes, quòd non ſit reſurrectio corporum. Hoc ergo cùm reſciuiſſet orbis terrarum magiſter, apud eos de reſurrectione verba fecit.

ORTH. Et quamnã ob cauſam, cùm vellet corporum reſurrectionẽ oſtendere, reſurrectionem Domini in medium adduxit?

ERAN. Vt quæ ſatis ſit ad oſtendendam omnium noſtrum reſurrectionem.

ORTH. Quam habet ſimilitudinem cum morte aliorum, vt ex eius reſurrectione de reſurrectione omnium coniecturam faciat?

ERAN. Ea de cauſa vnigenitus filius, homo factus, & paſſus, mortemq; expertus eſt, vt mortem deleret ac perfringeret. Cùm ergo reſurrexit, per ſuam reſurrectionem omnium hominum reſurrectionem prædicat.

ORTH. Et quis Dei reſurrectionem audiens, omnium quoq; hominum reſurrectionem ei conſimiliter futuram crediderit? Non ſinit enim, vt ei, quod de reſurrectione dicitur, credamus, naturarum diſsimilitudo. Ille enim Deus, hi verò homines. Inter Deum autem & homines plurimum intereſt. Ii enim ſunt mortales corruptioniq; & interitui obnoxij, fœnoq; & flori aſsimilati. Ille autem eſt omnipotens.

ERAN. Sed corpus habebat Deus verbum homo factus, & per id cum hominibus oſtendit ſimilitudinem.

ORTH. Corporis ergo omnino eſt affectio, ſeu paſsio, & mors, & reſurrectio. Et hoc etiam alibi oſtendens diuinus Apoſtolus, reſurrectionem omnibus pollicetur, & ijs quidem qui Seruatoris credunt reſurrectioni, commu-

communem autem omnium reſurrectionem fabulam exiſtimãt, clamauit dicens. Si autem Chriſtus prædicatur quòd à mortuis ſuſcitatus eſt, quomodo dicunt nonnulli in vobis quòd non eſt reſurrectio mortuorum? Si autem nõ eſt reſurrectio mortuorum, nec Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides veſtra, adhuc eſtis in peccatis veſtris. Et ex eo quidẽ quod factum eſt, quod futurum eſt confirmat. Ex eo autem quod non creditur, repellit quod creditur. Si enim illud, inquit, vobis videtur fieri nõ poſſe, & hoc vtique falſum eſt: Sin autem hoc verum & credibile eſſe videtur, illud quoque ſimiliter videatur eſſe credibile. Corporis enim reſurrectio hic quoque prædicatur, & hoc quidem illorũ primitiæ appellatur. Hoc enim poſt multas præcedentes ratiocinationes tandem pronuntiat. Nunc autem Chriſtus ſurrexit à mortuis, primitiæ eorum qui dormierunt factus eſt. Quoniam enim per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita etiã in Chriſto omnes viuificabuntur, & non ſolum quod de reſurrectione dicitur confirmauit, ſed etiam diuinę œconomiæ myſterium aperuit. Ea ratione etiam hominem quoque Chriſtum appellauit, vt morbo medicinam conuenientem oſtenderet.

1. Cor. 15.

ERAN. Homo ergo ſolùm eſt Chriſtus?

ORTH. Abſit. Contrarium enim ſæpe diximus quòd non ſolum homo eſt, ſed etiam Deus ante ſæcula. Paſſus eſt autem vt homo, non vt Deus. Et hoc nos apertè docuit diuinus Apoſtolus, cùm dixit, Quoniam enim per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorũ. Iam verò ad Theſſalonicenſes ſcribens, ex Seruatoris noſtri reſurrectione, quod de communi reſurrectione dicitur, cõfirmat. Si enim credimus, inquit, quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita Deus etiã eos qui dormierunt per Ieſum cum ipſo habebit.

1. Theſſ. 4.

ERAN. Probauit quidem Apoſtolus communem reſurrectionem per reſurrectionẽ Domini, & clarum eſt, quòd hic quoque corpus erat quod mortuum eſt, & reſurrexit, nonenim per id conatus eſſet omnium reſurrectionem oſtendere, niſi cum illis eſſet in ſubſtantia cognatio, non feram tamen vt ſoli humanæ naturæ paſsio attribuatur: ſed conſequens mihi eſſe videtur dicere Deum verbum carne eſſe mortuum.

ORTH. Sæpe oſtendimus, quòd id quod natura eſt immortale, nullo modo mori poteſt. Si ergo mortuus eſt, non eſt vtiq; immortalis. Quanta autem inſunt verborum blaſphemiæ pericula?

ERAN. Eſt quidem immortalis, homo autem factus paſſus eſt.

ORTH. Mutationem ergo ſuſtinuit. Quomodo enim alioqui, cùm ſit immortalis, poſſet mortem ſuſcipere? Atqui confeſsi ſumus eſſe immutabilem trinitatis ſubſtãtiam. Mortem ergo minimè ſortitus eſt, vt qui naturam habeat mutatione ſuperiorem.

ERAN. Diuus Petrus dixit, Chriſto ergo paſſo pro nobis carne.

1. Pet. 4.

ORTH. Ei quidem id etiã conuenit quod à nobis dicitur. A ſacra enim ſcriptura didicimus dogmatum & decretorum regulam.

ERAN. Quomodo ergo non dicitis Deum verbum carne eſſe paſſum?

ORTH. Quia in ſacra ſcriptura non inuenimus hanc vocem.

ERAN. Atqui magni Petri nuper talem ſententiam adduxi.

ORTH. Ignoras, vt videtur, nominum differentiam.

ERAN. Quorum nominum? non videtur tibi Deus eſſe verbum Dominus Chriſtus?

ORTH. Hoc nomen Chriſtus, in Domino & Seruatore noſtro, quod homo factum eſt verbum ſignificat: Emmanuel autem, Deum qui eſt nobiſcum, Deum & hominem. Illud autem, Deus verbum ita dictum ſimplicem naturam, quæ eſt mundo prior, tempore ſuperior, & incorporea, ſignificat. Quamobrem ſanctus ſpiritus, qui per ſanctos Apoſtolos locutus eſt, nequaquam paſsionem vel mortẽ huic vocabulo attribuit.

ERAN. Si Chriſto paſsionẽ attribuit, Deus autem verbum homo factum, Chriſtus nominatum eſt: nihil abſurdi puto facit, qui Deum verbum carne paſſum eſſe dicit.

ORTH. Audaciſsimus itaque eſt & valde temerarius conatu. Ita autem quod dicimus examinemus. Deum verbum ex Deo & patre dicit eſſe ſacra ſcriptura.

ERAN. Vera dicis.

ORTH. Iam verò ſpiritum ſanctum ſimiliter ex Deo eſſe docet.

ERAN. In confeſſo eſt.

ORTH. Sed Deum quidem verbum filium nominat vnigenitum.

ERAN. Ita nominat.

ORTH. Spiritum autẽ ſanctum nuſquam ſic appellauit.

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Atqui is quoque ex patre & Deo ſuam habet ſubſtantiam.

ERAN. Verum.

ORTH. Quoniam ergo ex Deo & patre eſſe & filium & ſpiritum confitemur, auderésne vnquam appellare ſpiritum ſanctum filium?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Quamobrem?

ERAN. Quia non inuenies hoc nomen in ſacra ſcriptura.

ORTH. Sed factum?

ERAN. Ne hoc quidem.

ORTH. Qua de cauſa?

ERAN. Nec hoc me ſacra ſcriptura docuit.

ORTH. Quod autem nec genitum eſt, nec rurſus creatum, quamnam eſt appellationem habiturum?

ERAN. Id ingenitum & increatum nominamus.

ORTH. Spiritus autem ſanctus nec creatus eſt, nec eum rurſus genitum eſſe dicimus?

ERAN. Nullo modo.

Spiritus sanctus an ingenitus.

ORTH. Auderes ne autem vocare ſpiritũ ſanctum ingenitum?

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Et cur eum nõ vocas ingenitum, qui natura quidem eſt increatus, minimè autem genitus?

ERAN. Quòd hoc à ſacra ſcriptura nõ didici, & valde vereor ea dicere quæ ſunt ab illa ſilentio præterita.

ORTH. Hanc ergo nobis, ò vir bone, religionem in ſalutari quoque paſsione cõſerua, & quęcunque diuina nomina dimiſit ſcriptura à paſsione libera, tu quoque ea libera eſſe ſine, nec eis paſsionem tribue.

ERAN. Et quæ ea ſunt?

ORTH. Huic vocabulo, Deus, nequaquã paſsionem adiunxit.

ERAN. Nec ego Deum verbum dico paſſum eſſe ſine corpore, ſed dico paſſum fuiſſe carne.

ORTH. Dicis modum paſsionis, non impatibilitatem. Hoc autem ne de humana quidem anima dixerit quiſpiam. Quis enim dixerit, niſi valde delirus, quod carne mortua eſt anima Pauli? Hoc enim ne de homine quidem improbiſsimo & ſceleratiſsimo diceretur. Sunt enim etiam malorũ immortales animæ, ſed illum quidem, verbi gratia, homicidam, interemptum eſſe dicimus, eius autẽ animam nemo dixerit occiſam eſſe carne. Quòd ſi homicidarum, eorumq́ue qui ſepulchra effodiunt, animas à morte liberas eſſe dicimus: multo certè iuſtius eſt immortalẽ eſſe cognoſcere Seruatoris noſtri animam, quæ ne ſub peccato quidem fuit. Si enim, quæ maxima ſcelera perpetrarunt, mortis experientiam propter naturã euaſerunt: quomodo illa quę & habet immortalem naturam, & cui nec minima peccati labes inſedit, mortis hamum ceperit?

ERAN. Fruſtra tam longa apud nos oratione vteris: fatemur enim immortalem Seruatoris animam.

ORTH. Et quo non ſupplicio digni eſtis, qui animam quidem, quæ creatam habet naturam, immortalem dicitis, mortalem autem verbo ſubſtantiam diuinam adſtruitis? Et Seruatoris quidem animam non dicitis mortem carne guſtaſſe, ipſum autem Deum verbum, qui eſt omnium opifex, eum mortem eſſe paſſum audetis dicere.

ERAN. Impatibiliter ipſum paſſum eſſe dicimus.

OR. Et quis compos mentis ridiculas has captiones & tendiculas tulerit? Impatibilem enim paſsionẽ nemo vnquã audiuit, nec mortem immortalem. Quod eſt enim impatibile, non paſſum eſt, & quod paſſum eſt, non manſerit impatibile. Nos autem diuinum Paulum clamantem audiuimus. Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilẽ. *1. Tim. 2.*

ERAN. Cur ergo dicimus & inuiſibiles poteſtates, & hominum animas, & ipſos etiam Dæmones immortales?

Quomodo ſolus Deus immortalis.

OR. Dicimus. Sed Deus propriè immortalis. eſt enim immortalis, ſubſtantia, non participatione, neq; enim alij acceptã fert immortalitatem. Angelis autem, & alijs, quorum nuper meminiſti, ipſe immoralitatẽ largitus. Si ergo ipſum immortalem diuinus Paulus nominat, & ſolũ dicit habere immortalitatem: quomodo ei mortis paſsionem tribuitis?

ERAN. Poſt incarnationem ipſum mortem guſtaſſe dicimus.

ORTH. Sed ipſam immutabilem ſępe confeſsi ſumus. Sin autem cùm prius eſſet immortalis, per carnem mortẽ poſtea ſuſtinuit: precedente mutatione mortem ſuſtinuit: defecit autem eius quoque vita tribus diebus & totidem noctibus. hæc autem ſi dicantur, quid dici poteſt magis impium? Exiſtimo certè ne ijs quidem qui aduerſus impietatem decertant, hæc lingua proferre tutum eſſe.

ERAN. Ceſſa nos impietatis inſimulare. Neque enim nos diuinam naturam paſſam eſſe dicimus, ſed humanam: diuinam autem vnà cum corpore paſſam eſſe.

ORTH. Illud, Vnà paſſum eſſe, quomodo dicis, an tanquam clauis corpori infixis, diuinam naturam ſenſum doloris accepiſſe?

ERAN. Ita.

ORTH. Atqui nunc etiam, in ijs quæ prius examinata fuerunt, oſtendimus, nec animam quidem omnium quæ ad corpus pertinent eſſe participem: ſed corpus vitalem facultatem ſuſcipiens, affectionum ſenſum habere per animam. Quòd ſi etiã conceſſerimus animam vnà cum corpore pati per conſenſum, nihilo ſecius impatibilem diuinam naturam inueniemus. Non enim pro anima corpori coniuncta eſt. An non confiteris ipſum animã aſſumpſiſſe? *Anima conſenſu patitur.*

ERAN. Sæpe confeſſus ſum.

ORTH. Et animam ratione præditam?

ERAN. Maximè.

ORTH. Si ergo vnà cum corpore ſuſcepit animam: conceſsimus autem animam pati vnà cum corpore per conſenſum: anima ergo, non diuinitas, vnà cum corpore paſſa eſt, dolores, vt eſt veriſimile, per corpus ſuſcipiens. Sed cũ corpore quidem per conſenſum pati animam dixerit fortaſſe quiſpiã, ſed non cum ea commori, immortalem enim naturam ſortita eſt. Quapropter hoc quoque dixit Dominus. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Si ergo nec Seruatoris quidem animam dicimus fuiſſe mortis cum corpore participem: quẽadmodum, quam audetis dicere, blaſphemiam admiſerit quiſpiam, quæ diuinam naturam mortis fuiſſe participem non veretur aſſerere, idq; cùm Dominus nunc quod offertur corpus, nunc autem etiam animam turbatam oſtendat. *Matth. 10. Ioan. 12.*

ERAN. Et vbi corpus quod offertur oſtendit Dominus? an rurſus illud vulgo iactatum teſtimonium nobis afferetis? ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipſum, & cum graui quodam ſupercilio dicentem nobis Euangeliſtam producetis? Ipſe autẽ dicebat de tẽplo corporis ſui, & quando ſurrexit à mortuis, cognouerunt diſcipuli ipſius quod hoc

hoc dixit Ieſus, & crediderunt ſcripturæ & ſermoni, quem dixit Dominus.

ORTH. Si diuinas voces tam ægrè fertis, quæ magnum diuinæ œconomiæ myſterium prędicant: cur non ſimiliter ac Marcion, & Valentinus, & Manes, eiuſmodi voces deletis? illi enim hoc ipſum fecerunt. Sin autem hoc videtur & audax & impium: ne verba Domini Iudificemini, ſed ſequamini Apoſtolos, qui crediderũt poſt reſurrectionem diuinitatem excitaſſe templum quod Iudæi ſoluerant.

ERAN. Si validum habes teſtimoniũ, ceſſa maledicere, & imple quod es pollicitus.

ORTH. Meminiſti omnino eorum dictorum Euangelij, in quibus mannę & veri nutrimenti Deus fecit comparationem.

ERAN. Memini.

ORTH. In eo loco cùm de pane vitæ prolixè diſſeruiſſet, hæc quoque ſubiunxit. Panis autem, quem ego dabo, caro mea eſt, quã ego dabo pro mundi vita. In his autem verbis videre licet beneficentiam ac liberalitatem diuinitatis, & donationem carnis.

ERAN. Ad ſoluẽdam dubitationem non ſufficit vnum teſtimonium.

Actor. 8.

ORTH. Aethiops Eunuchus non multas legit ſcripturas. Sed cùm vnum Propheticum inueniſſet teſtimonium, per illud ad ſalutem deductus eſt, ad vobis autem perſuadendum, non ſufficiunt omnes Apoſtoli, & Prophetæ, & qui poſt illos fuerũt veritatis præcones. Sed tamen tibi quoque alia de corpore Domini teſtimonia afferam. Scis certè locum illũ Euangelicæ hiſtoriæ, in quo paſcha cum ſuis diſcipulis comedens, oſtendit quidem typicę ouis finem, docuit autem quodnam ſit illius vmbræ corpus.

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

ERAN. Noui hiſtoriam.

ORTH. Recordare ergo quid acceptum quidem fregit Dominus: quid aũt acceptum appellauit & dixit.

ERAN. Propter eos, qui non ſunt initiati myſterijs, dicã aliquanto magis myſticè. Cùm accepiſſet & fregiſſet, & diſcipulis diuiſiſſet, dixit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, vel frangitur, vt dicit Apoſtolus. Et rurſus, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effunditur.

ORTH. Non meminit ergo diuinitatis, paſsionis typum oſtendens.

ERAN. Nequaquam.

ORTH. Sed corporis & ſanguinis.

ERAN. Verum.

ORTH. Corpus ergo cruci affixum eſt.

ERAN. Videtur.

ORTH. Age verò hoc etiam examinemus. Quando poſt reſurrectionem, clauſis ianuis ad ſanctos ſuos diſcipulos Dominus ingreſſus eſt, & eos timore perculſos aſpexit, quonam modo metum ſoluit, & pro metu fidem immiſit?

Ioan. 20. Luc. 24.

ERAN. Dixit eis. Videte manus meas & pedes meos, quòd ego ſum, palpate me, & videte quòd ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

ORTH. Corpus ergo ipſis diffidentibus oſtendit?

ERAN. Clarum.

ORTH. Corpus ergo ſurrexit?

ERAN. Videtur.

ORTH. Quod autem ſurrexit, hoc vtique etiam mortuum fuerat.

ERAN. Eſt veriſimile.

ORTH. Quod autem mortuũ fuerat, hoc eſt cruci affixum.

ERAN. Neceſſe eſt.

ORTH. Corpus ergo paſſum eſt, vt ipſe dicis.

ERAN. Hoc dicere cogit verborũ ſeries.

ORTH. Conſideremus autem ſic quoque. Ego autem interrogabo, tu autem ingenuè, & vt veritatis amicum decet, reſponde.

ERAN. Reſpondebo.

ORTH. Quando ad Apoſtolos ſanctus venit ſpiritus, & ad incredibile ſpectaculum, eaque audienda, quæ inaudita, & inuſitata fuerãt, multa hominum millia ad illam domunculam conueniunt, quenam Apoſtolorum primus, tunc concionans, dixit de reſurrectione Domini? *Acto. 2.*

ERAN. Diuinum Dauid in medium produxit, dixitq́; eum ab vniuerſorum Deo promiſsiones acceptiſſe, quod Dominus Chriſtus, de fructu lumborum eius germinabit, eiſq́ue credidiſſe, & propheticè eius reſurrectionem præuidiſſe, & aperte dixiſſe, quod anima eius non relicta eſt in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. *Pſal. 15.*

ORTH. Horum ergo eſt reſurrectio.

ERAN. Et quemadmodum quis ſanæ mentis dixerit reſurrectionem eſſe animę quę non eſt mortua?

ORTH. Qui immutabilis, & quę circumſcribi non poteſt, diuinitatis & paſsionem, & mortem, reſurrectionem eſſe dicitis, quomodo vobis repente ſanæ mentis viſi eſtis, vt vel animæ recuſetis reſurrectionis nomen attribuere?

ERAN. Quia ei quod cecidit conuenit nomen reſurectionis.

ORTH. Sed nõ ſine anima corpus reſurrectionem aſſequitur, ſed diuina volũtate renouatum, & coniugi coniunctum, vitam recipit. An non ſic dominus Lazarum ſuſcitauit? *Ioan. 11.*

ERAN. Clarum eſt quod non ſolum corpus reſurgit.

ORTH. Apertius docet diuinus Ezechiel. Oſtendit enim quemadmodum iuſsit Deus oſſa concurrere, & quomodo vnumquodque eorum propriã accepit compagem, & produxit neruos, & venas, & arterias, & carnes, quę inter ea interiectæ ſunt, & pellem, quæ eſt eorum omnium integumentum, & tunc iuſsit animas reuerti ad propria corpora. *Ezech. 37.*

ERAN. Hæc vera ſunt.

ORTH. Corpus verò Domini, hanc corruptionem & interitum non ſuſtinuit: ſed integrum & incorruptum remanens, tertio die ſuam animam recepit.

ERAN. In confeſſo eſt.

ORTH. Eorum itaque est passio quorum est mors.

ERAN. Maximè.

ORTH. Resurrectionis autem mētionem faciens, magnus Petrus, ac etiam diuinus Dauid, dixerunt quidem animam non esse relictam in inferno, corpus autem non subijsse corruptionem.

ERAN. Ita dixerunt.

ORTH. Non ergo diuinitas mortē obijt, sed corpus, separatione animæ.

ERAN. Absurda hæc ego dicta non ferā.

ORTH. Proprijs ergo dictis repugnas, hęc enim tua sunt, quæ absurda vocasti.

ERAN. Tu me omnino calumniaris. Nullum enim horum dictorum meum est.

ORTH. Quādo interrogante aliquo quodnam est animal simul præditum ratione, & mortale, responderit quispiam & dixerit, homo, quemnam eius dicti interpretem, & explicatorem vocaueris, eum qui interrogat, an eum qui respondet?

ERAN. Eum qui respondet.

ORTH. Iure ergo dixi, hæc à te dici. Tu enim vtique respondens, & hæc quidem inficians, illa verò confitens, quæ dicta sunt confirmasti.

ERAN. Ergo nequaquam quidem respondebo, sed tantum interrogabo, tu autem responde.

ORTH. Respondebo.

1. Cor. 2. *ERAN.* Quid dicis ad illud dictum Apostoli. Si enim cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent. Hic enim nec corporis nec animæ meminit.

ORTH. Ergo nec illud carne, hic adijciendum est.

ERAN. Hæc est vestra aduersus verbi diuinitatem excogitata machinatio.

ORTH. Sed nudæ verbi diuinitati est ne attribuenda passio?

ERAN. Nequaquam. carne enim passus est. Incorporea autem natura ipse per se pati non poterat.

ORTH. Sed verbis Apostoli nihil adijciendum est.

ERAN. Non est absurdum, vt qui nouit scopum & institutum Apostoli, id quod deest adijciat.

Diuinis nihil adijciendum. *ORTH.* Diuinis quidem aliquid adijcere insanum est & temerarium, quę autem scripta sunt explicare, & quę latet sententiam aperire, & pium & sanctum est.

ERAN. Rectè dixisti.

ORTH. Nihil ergo alienum nec impiū fecerimus, si nos quoque eorū quæ scripta sunt sententiam perscrutemur.

ERAN. Neutiquam.

ORTH. Communiter ergo quod occultum videtur esse quæramus.

ERAN. Maximè.

ORTH. Fratrem Domini diuū Iacobum magnus appellauit Paulus.

ERAN. Verum.

ORTH. Quomodo ergo ipsum fratrem esse intelligemus, vtrum propter diuinitatis an humanitatis necessitudinem?

ERAN. Non feram, vt vnitæ naturæ diuidantur.

ORTH. Atqui in ijs quæ antea examinata sunt, eas sæpe diuisisti, hoc ipsum autem nunc quoque facies. Dic enim mihi, vnigenitū Deum verbum dicis filium?

ERAN. Ita dico.

ORTH. Vnigenitus autem solum filium significat?

ERAN. Admodum.

ORTH. Vnigenitus autem minimè habet fratrem.

ERAN. Non habet. Si enim fratrem haberet, non diceretur vnigenitus.

ORTH. Falso ergo vocauerunt Iacobum fratrē Domini. Vnigenitus enim Dominus: vnigenitus autem minimè habet fratrem.

ERAN. Sed non est Dominus incorporeus, vt ea sola, quæ diuinitati conueniunt, dicant veritatis prædicatores.

ORTH. Quomodo ergo verum ostenderis quod dicit Apostolus?

ERAN. Si dicam quod is secundum carnem fuit Dominicæ cognationis particeps.

ORTH. Ecce rursus nobis induxisti eam, quæ à vobis accusatur, diuisionem.

ERAN. Non poterat aliter ostendi cognatio.

ORTH. Ne accusa eos ergo, qui ea, quæ sunt eiusmodi, non possunt aliter dissoluere.

ERAN. Orationem aliò abducis, volens declinare quæstionem.

ORTH. Nequaquam, ô vir bone. Per ea enim quæ sunt examinata, illud quoque soluetur, & sic considera. Cùm audisti Iacobū fratrem Domini, non diuinitati, sed carni dixisti conuenire cognationem?

ERAN. Ita dixi.

ORTH. Itaque hic etiam cùm crucis passionem audieris, eam carni tribue.

ERAN. Apostolus Paulus Dominum gloriæ vocauit crucifixum. 1. Cor. 2.

ORTH. Et idem Apostolus Iacobum fratrem Domini appellauit. Idem est autem Dominus & hic & illic. Si ergo rectus es, & cognationem carni attribuisti: & passio vtique est ei tribuenda. Est enim longe absurdissimum, cognationem quidem ex diuisione intelligere, passionem autē ei citra diuisionem attribuere.

ERAN. Ego credo Apostolo, qui Dominum gloriæ crucifixum appellat.

ORTH. Et ego mihi persuadeo, & credo eum esse gloriæ Dominum. Non enim communis alicuius hominis, sed Domini gloriæ corpus fuit ligno affixum. Oportet autē scire quod vnio facit nomina communia. Illa autem considera. Carnem Domini dicis è cœlis descendisse?

ERAN. Minimè.

ORTH. Sed in virginis vtero formatā esse.

ERAN. Ita dico.

ORTH. Quomodo ergo dicit Dominus, Iean. 6. Si vi-

Si videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius. Et rursus, Nemo ascendit in cœlū, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo.

ERAN. Non dicit de carne, sed de diuinitate.

ORTH. Sed diuinitas est ex Deo & patre. Quomodo ergo eum vocat filium hominis?

ERAN. Communia personę euaserūt quę sunt propria naturarum. Idem enim propter vnionem, & filius hominis, & filius Dei, & æternus, & recens, & filius Dauid, & Dominus Dauid, & alia huiusmodi similiter.

ORTH. Rectè admodum. Illud quoque tamen sciendum est, quod nominum confusio, non fecit naturarum confusionem. Propterea enim etiam discernere quærimus, quemadmodum est quidē filius Dei, quemadmodum aūt rursus idem filius hominis, & quomodo idem heri, hodie, & in sæcula sæculorum, & pia verborum discretione, quę sunt contraria inter se consentire, & conuenire inuenimus. Heb. 13.

ERAN. Rectè dixisti.

ORTH. Quemadmodum ergo diuinam quidem naturam dicebas è cœlis descendisse, filium autem hominis propter eam vnionem vocatum esse dixisti, ita ligno quidem carnem esse affixam conuenit dicere, sed diuinam naturam ab ea inseparabilem confiteri, & in cruce, & in sepulchro, passionem illinc non suscipientem, quandoquidem nec ad patiendum nec moriendum sua natura apta est, sed habet immortalem & impatibilem substantiam. Hac vtique ratione Dominum quoque gloriæ crucifixum appellauit, impatibilis naturæ nomen patibili attribuens. Quoniam eius corpus appellatum est. Hoc quoque præterea examinemus. Diuinus dixit Apostolus, Si enim cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent. Crucifixerunt ergo naturam quam cognouerunt, non quam penitus ignorarunt. Si autem cognouissent quam ignorarunt, non crucifixissent quam cognouerunt. Quia autem diuinam ignorauerūt, humanam crucifixerunt. An non eos audiuisti dicentes? Iean. 10. De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quod cū homo sis, te ipsum facis Deum. Per hæc autem ostendunt, quod quam videbant quidem naturam cognoscebant, quæ autem sub visum non cadit, eam omnino ignorabant. Sin autem illam quoque nouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent.

ERAN. Hæc quidem sunt vtcunque satis probabilia. Sed patrum qui Niceæ conuenerunt de fide doctrina ipsum vnigenitum verum Deum, & eiusdem cum patre substantiæ, passum & crucifixum esse dicit.

ORTH. Eorum quæ sæpe in confesso fuerunt, vt videtur, oblitus es.

ERAN. Quorumnam?

ORTH. Quòd post vnionem, tam quæ sunt sublimia, quàm quæ humilia, diuina scriptura, vni personæ attribuit. Fortasse autem illud quoque ignorasti, quod cùm prius dixissent sancti Patres, Incarnatum hominem factum, tunc subiūxerunt, Passum, crucifixum, & cùm prius passionis susceptricem naturam ostendissent, ita passionem ijs quæ dixerant adiunxerunt.

ERAN. Patres filium Dei, lumen de lumine, & qui est de substantia Patris, dixerūt passum esse & crucifixum.

ORTH. Sæpe dixi, vnam personam, & diuina & humana suscipere. Et ideo beatissimi patres, cùm quomodo oportet in patrem credere docuissent, & ad filij personam transijssent, nō statim dixerunt, Et in filium Dei. Atqui valde erat consequēs, vt qui de Deo, & patre dixerant, statim quoq; filij appellationem ponerent. Sed voluerunt nobis simul, & de Theologia seu de diuinitate, & de œconomia, hoc est de suscepta humanitate, tradere, vt nō alia quidem diuinitatis, alia verò humanitatis persona crederetur. Et ideo ijs quæ de Patre dicta erant subiūxerunt, quòd oportet etiam credere in Dominum nostrum Iesum Christum Dei. Christus autem post incarnationem Deus verbum appellatus est. Hoc ergo nomen omnia suscipit, & quæcunque diuinitatis, & quæcunq; humanitatis sunt propria, & tamen cognoscimus quæ sunt huius, & quæ illius naturæ. Et hoc etiam ex ipso fidei symbolo facilē potest intelligi. Cui enim dic mihi conuenit illud, Ex substantia patris, diuinitati, an formatæ ex semine Dauid naturæ?

ERAN. Clarum est quòd diuinitati.

ORTH. Deum autem verum, de Deo vero, cuiusnam proprium esse dicis, diuinitatis an humanitatis?

ERAN. Diuinitatis.

ORTH. Eiusdem ergo cum patre substantiæ, non caro, nec anima, sunt enim creatę, sed diuinitas, quæ omnia fabricata est.

ERAN. Verum.

ORTH. Oportet ergo eos qui passionem & crucem audiunt, agnoscere naturam, quæ suscepit passionem, & non tribuere impatibili, sed illi quæ ea de causa assumpta est. Quòd enim etiā sancti & admiratione digni patres impatibilem diuinam confessi sunt naturam, carni autem passionem attribuerunt, testatur fidei finis. Sic enim habet. Eos autem qui dicunt, Erat aliquando, quando non erat, & priusquam nasceretur non erat, & quod ex ij ijs quæ non sunt factus est, vel ex aliqua alia hypostasi vel substantia, & qui dicunt esse mutabilē, vel verti posse filiū Dei, eos anathematizat sancta catholica, & Apostolica ecclesia. Vide ergo cuiusmodi supplicium ijs comminati sunt, qui diuinæ naturæ passionē tribuūt.

ERAN. De mutatione, & conuersione ab eis hoc in loco agitur.

ORTH. Passio autem quid est aliud quàm versio & mutatio? Si enim qui ante incarnationē erat impatibilis, post incarnationem passus est: mutationem vtique sustinēs passus est, & si qui antequam homo fieret erat immortalis, postquam homo factus est mortem gustauit, vt vos asseritis, postquam homo factus est,

omnino mutatus est, mortalis ex immortali factus. Sed huiusmodi dicta, eorumque parentes & authores, benedicti patres à sacris
Excommunicatio. septis exterminant, & tanquam putrida membra à sano corpore resecant. Quamobrem te adhortamur, vt pœnam timeas, & blasphemiam odio habeas. Ostendam autem tibi sanctos patres ea quæ nos disseruimus in suis scriptis sensisse. Quorum nonnulli quidem admirabilis illius conuentus socij fuerunt, nonnulli autem post illos se in ecclesijs pulcherrimè & præclarissimè gesserunt, aliqui autem à multis iam retro sæculis vniuersum terrarum orbem illustrarunt. Sed neq; temporum diuersitas, nec linguarum varietas, eorum læsit concordiam, sed similes lyræ fuerunt, quæ multas quidem & diuersas habet chordas, vnam autem symphoniam & sonorum vnum concentum emittit.

ER AN. Valde mihi gratam & expetendam narrationem afferes. Certa est enim eiusmodi doctrina, & valde vtilis.

ORTH. Fac ergo aures pateant, vt spiritalium fontium fluenta accipias.

Ignatius. *Sancti Ignatij Episcopi Antiocheni & Martyris, ex epistola ad Smirnenses.*

Eucharistia. Eucharistias & oblationes non admittunt quòd non cõfiteantur Eucharistiam esse carnẽ Seruatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitauit.

Ireneus. *Irenei Episcopi Lugdunensis, ex tertio libro aduersus Hæreses.*

Clarum est ergo quòd Paulus alium Christum non nouit, quàm eum qui & passus, & sepultus est, & resurrexit, & natus est, quem etiam hominem dicit. Cùm enim dixisset, Si au
1. Cor. 15. tem Christus prædicatur surrexisse à mortuis, subiungit reddẽs causam eius incarnationis. Quia enim per hominẽ mors: per hominem resurrectio à mortuis, & vbiq; in passione Domini nostri, & eius humanitate, & morte, Chri
Rom. 14. sti nomine vsus est. Sicut in illo, Ne cibo perde fratrem tuum, pro quo Christus mortuus est.

Et rursus.

Eph. 1. Nunc autem in Christo, qui aliquando longè fuistis, propè facti estis sanguine Christi.

Et rursus.

Galat. 3. Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui pendet in ligno.

Eiusdem ex eodem libro.

Quemadmodum enim fuit homo vt tentaretur, ita etiam verbum, vt glorificaretur, & quiescebat quidem verbum, dum tentaretur, & crucifigeretur, & mortem obiret, homini autem aderat, dum vinceret, sustineret, se benignum humanumque præstaret, resurgeret, in cœlos ascenderet.

Eiusdem ex quinto libro eiusdem operis.

Cùm ergo proprio sanguine nos Christus redemerit, & animam suam pro nostris animis dederit, & carnem suam pro nostris carnibus.

Hippolytus. *Sancti Hippolyti Episcopi & Martyris ex epistola ad Reginam quandam.*

Dicit eum primitias eorum qui dormierũt, 1. Cor. 15.
tanquam mortuorũ primogenitum. Qui cùm Col. Apoc. 1.
resurrexisset, & vellet ostendere idipsum fuisse suscitatum quod fuerat mortuum: ambigentibus discipulis accersito Thomæ, dixit. Palpa hic, & vide quod spiritus carnem, & os- Luc. 24.
sa non habet, sicut me videtis habere.

Eiusdem ex eadem epistola.

Cùm dixit eũ primitias, id suo testimonio confirmauit quod à nobis dictũ, est quòd qui ex eadem massa carnem acceperat Seruator, eam excitauit, iustorũ carnis primitias consti- Primitiæ.
tuens, vt omnes in spe eius qui resurrexit, resurrectionem expectemus quicredidimus.

Eiusdem ex Oratione de duobus latronibus.

Corpus Domini vtrunque mundo præbuit, sanguinem sacrum, & aquam sanctam.

Eiusdem ex eadem Oratione.

Atque etiam cùm sit corpus mortuum humano more, magnam vitæ in se habet facultatem. Quæ enim ex mortuis corporibus non profluunt, ea ex ipso profluxerunt, sanguis & aqua, vt sciamus quantum ad vitam valeat potestas, quæ in corpore habitauit, vt nec ipsum corpus mortuum alijs simile appareat, nobis autẽ ea quæ sunt vitæ causæ possit profundere.

Eiusdem ex eadem Oratione.

Non confringitur autem os sanctæ ouis, ostendente figura passionem nõ attingere virtutem. Ossa enim sunt vires corporis.

Sancti Eustachij Episcopi Antiocheni, & confessoris, ex libro de anima. Eustachius.

Paucis conuinci potest impia eorum calumnia, & maximè quidem, si neque salutis hominum causa ad mortem suum corpus sponte tradidit. Primum quidẽ ei magnam imbecillitatem & impotentiam tribuunt, quòd non potuerit inimicorum impetum reprimere.

Eiusdem ex eodem libro.

Cur autem magni faciunt ostendere Christum corpus inanimum suscepisse, terrestres fraudes confingentes, vt si potuerint aliquos corrumpere, vt hæc ita habere definiant, tunc affectionũ mutationes diuino spiritui tribuentes, eis facilè persuadeant, non esse mutabile quod ex immutabili natura genitum est.

Eiusdem ex oratione habita super illo, Dominus creauit me initium viarum suarum.

Homo enim qui erat mortuus, tertio quidẽ die resurgit, Mariẽ autem quæ propter animi fortitudinem ad sancta membra tãgenda magna alacritate ferebatur, eam repellens dixit, Ne me tangas, nondum enim ascendi ad Pa- Ioan. 20.
trem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic illis. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Illud autem, Nondum ascendi ad patrẽ meum, non dixit verbum, & Deus, qui è cœlo erat profectus, & in sinu patris versabatur, nec quæ omnia genita continet sapientia: sed is qui ex omnibus membris erat compactus, homo hoc protulit, qui cùm esset à mortuis excitatus, nondum post mortem ad Patrẽ ascende-

rat,

rat, sibi autem profectionis primitias reponebat.

Eiusdem ex eadem oratione.

Dominum autem gloriæ, ipsum hominem
1. Cor. 2. crucifixum apertè nominat, scribens, quandoquidem & Dominum & Christum ipsum ostendit, quemadmodum Apostoli cùm sensili Israele concorditer differentes, dicunt.
Act. 2. Certo ergo sciat omnis domus Israel quòd Dominum eundem & Christum Deus fecit, eum Iesum, quem vos crucifixistis, qui passus est. Iesum ergo fecit Dominum, & non sapientiam, nec verbum, quod ab omni antiquitate habet ius Dominij, sed eum qui in sublime erectus est, & qui in cruce manus expandit.

Eiusdem ex eodem libro.

Si enim est incorporeus: nec manuum tactui cedit, nec sensilibus oculis apprehenditur, non accipit vulnera, non clauis configitur, non est mortis particeps, non terra conditur, non sepulchro includitur, non surgit ex monumento.

Eiusdem ex eadem oratione.

Ioan. 10. Nemo tollit à me animam, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus accipiendi ipsam. Si autem vtriusque habet potestatem, vtpote Deus, eis quidem concessit templum soluere inconsideratè volentibus, resurgens autem ipsum pulchrius & magnificentius reædificauit. Validissimis, & quibus contradici non potest, sententijs ostensum est, quòd ipse per se proprium templum resurgens refecit. ascribenda sunt autem etiam diuinissimo patri quæ à filio magna & præclara gesta sunt. Neque enim filius absque patre fabricatur, vt sacræ scripturæ constanter & stabiliter pronuntiant. Ea enim de causa, aliquando quidem di-
Suscitatio Christi commune patri & filio. uinissimus genitor scribitur Christum à mortuis suscitasse: aliquando vero pollicetur filius se proprium templum excitaturum. Si ergo ex ijs quæ ante examinata sunt ostensum est, esse impatibilem diuinum Christi spiritum, decretis Apostolicis frustra nituntur impij. Si enim dixit Paulus Dominum gloriæ esse crucifixum, ad hominem aperte respiciens, non propterea oportebit diuinitati passionem tribuere. Cur ergo coniungunt contexentes ex imbecillitate, dicentes Christum esse crucifixum.

Eiusdem ex eodem libro.

Sin autem etiam imbecillitatis formam ei attribuere conueniebat: hæc homini adscribere consentaneum esse dici potest, non autem diuinitatis plenitudini, vel supremæ sapientiæ authoritati, vel ei qui in omnibus à Paulo scriptus Deus est.

Eiusdem ex eodem libro.

Hic est autem modus imbecillitatis, per
2. Cor. 13. quem secundum Paulum dicitur ad mortem venisse. Viuit enim ex virtute Dei, qui diuino scilicet spiritu vnà versatur homo, quoniam & eũ qui in ipso creditur esse, altissimi virtutẽ ex ijs quę pręcesserunt decretis ostensum est.

Eiusdem ex eodem libro.

Si autem virginis vterum ingressus, non minuit potestatem: nec corpore ligno crucis affixo, spiritus polluitur. Corpus enim sublime cruci affigebatur, diuinus autem sapientiæ spiritus, & intra corpus versabatur, & cœlestibus insidebat, & omnem terram continebat, & abyssis imperabat, & singulorum animas perscrutans discernebat, & omnia vt consueuerat tanquam Deus faciebat. Non enim intra moles corporeas suprema sapientia inclusa continetur, quemadmodum humidæ & siccæ materiæ intra vasa quidem includuntur, continentur autem potius quàm repositoria contineant: Sed quæ est quidem diuina & inexplicabilis potentia, & quæ intra, & quæ extra templum sunt, comprehendens continet, & illinc vlterius procedens, omnes simul moles ac magnitudines continens, coercet ac moderatur.

Eiusdem ex eadem oratione.

Si autem sol, cùm sit corpus, quod cadit sub visum, qui sensu potest comprehendi, tot & tantas vbique terrarum iniurias, & probra ferens, non mutat ordinem, nec paruum vel magnum ictum sentit: incorpoream sapientiã pollui existimas, & mutare naturam, si eius templum cruci affigitur, vel solutionem suscipit, vel vulnera perpetitur, vel corruptionem aut interitum admittit? Sed templum quidem patitur, substantia autem immaculata, & omni ex parte impolluta remanet.

Eiusdem ex libro, de descriptione graduum.

Acquisitam autem gloriam pater non suscipit, vt qui sit perfectus, infinitus, & nec mente comprehendi potest, & nec pulchritudine indiget, & est ab omni probro & contumelia alienus, sed neque verbum eius, qui Deus est ex ipso genitus, per quem facti sunt Angeli, & cœli, & infinitæ terræ magnitudines, & omnes, vt semel dicam, rerum generabilium materię & compositiones: sed homo in Christo, qui surgit à mortuis, exaltatur, & glorificatur, aduersarijs probrum & ignominiam in se accipientibus.

Eiusdem ex eodem libro.

Qui autem propter inuidiam aduersus eum inimicitias susceperunt, & infesta acie in eum processerunt, funduntur & fugantur, cùm verbum & Deus suum ipsius templum splendide & magnifice restituit.

Eiusdem ex interpretatione XCII. Psalmi.

Tandem ergo Propheta Esaias ipsa quidem Esa. 53.
eius passionum vestigia prosequens, ijs hoc quoque maiori & altiori voce subiunxit. Et vidimus ipsum: & non habebat nec speciem, nec pulchritudinem, sed speciem eius sordidam & abiectam pręter filios hominum. Deinde aperte ostendens, quòd ad hominem, non ad Deum, referuntur indecoræ species & affectiones, protinus subiungit. Homo in plaga existens, & sciens ferre infirmitatem.

Eiusdem ex eadem interpretatione.

Ipse ergo is est, qui post contumelias indecorus, & deformis visus, deinde rursus mutatione facta decoreminduit. Neque enim qui in ipso inhabitabat, Deus, instar agni ad mortem ducebatur, & tanquam ouis mactabatur qui naturaliter sub visum non cadit.

Athanasius. *Sancti Athanasii Episcopi Alexandrini, & Confessoris, ex epistola ad Epictetum.*

Quis est adeo impius, vt dicat simul & sentiat, quod diuinitas, quæ est eiusdem cum patre substantiæ, fuit circumcisa, & imperfectus ex perfecto factus est, & quod id quod ligno affixum est, non erat corpus, sed ipsa opifex substantia?

Eiusdem ex eodem opere.

Quæ enim verbi patiebatur humanitas, ea conuenienter ad seipsum referebat, vt nos diuinitatis verbi participes esse possemus, & erat admirabile, quod idem erat patiens, & non patiens. Patiens quidem, quod eius proprium corpus patiebatur, & erat in ipso patiente, non patiens autem, quod cùm natura sit Deus verbum, est impatibilis: & ipse quidem incorporeus erat in corpore patibili, corpus autem in se habebat verbũ impatibile, quod delet ipsius corporis infirmitas.

Patiens & non patiens.

Eiusdem ex eadem epistola.

Cùm enim esset Deus, & Dominus gloriæ, erat in corpore turpiter & ignominiose cruci affixo. Corpus autem, patiebatur quidẽ in ligno punctum, & ex eius latere fluebat sanguis & aqua, cùm vero esset verbi templum, erat plenum diuinitate. Propterea ergo sol quidem, cùm videret suum opificem ac creatorem, in corpore probro & contumelia affecto patientem, radios contraxit, & terram obscurauit. Ipsum autem corpus, quod naturam habebat mortalem, præter suam naturam resurrexit propter verbum quod in ipso erat, & cessauit quidem à naturali interitu & corruptione, indutum autem verbo, quo est supra hominem, ab interitu & corruptione alienum euasit.

Eiusdem ex libro maiore de fide.

Quod excitatur à mortuis, homo erat, an Deus? Interpretatur Petrus Apostolus qui melius nobis scit, & dicit. Cùm eum de ligno deposuissent, posuerunt ipsum in monimento. Deus autem suscitauit à mortuis. Corpus ergo Iesu mortuum, quod de ligno depositum est, & in monimento positum, à Ioseph autem ab Arimathia sepultum, ipsum Deus verbum suscitauit, dicens. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum. Qui cùm etiam omnes mortuos viuificet, etiam ex Maria susceptum hominem Christum Iesum viuificauit, quem assumpsit. Si enim cũ esset in cruce, quæ prius dissoluta erant, sanctorum mortua corpora suscitauit: multo magis suscitare potuit corpus quod gestauit, qui est semper viuens Deus verbum, vt dicit Paulus. Viuens enim Dei verbum, & efficax.

Acto. 13. Ioan. 2. Matth. 2. Heb. 4.

Eiusdem ex eadem oratione.

Vita ergo non moritur, sed mortuos viuificat. Sicut enim lux in loco tenebricoso non læditur: ita nec vita pati potest, quæ mortalem naturam inuisit, est enim immutabilis, & nec verti, nec diuersa & altera esse potest verbi diuinitas. Sicut enim in prophetia dicit de seipso Dominus. Videte me, quod ego sum, & non sum immutatus. Mal. 3.

Eiusdem ex eadem oratione.

Qui viuit, mori non potest, sed mortuos potius viuificat. Est ergo & fons vitæ, diuinitate, quam habet ex patre: & homo qui mortuus est, vel potius à mortuis suscitatus: qui etiam intercedit pro nobis: qui ex virgine Maria natus est: quem verbi diuinitas propter nos suscepit.

Eiusdem ex eadem oratione.

Accidit vt Lazarus morbo affectus, moreretur. Homo autem Domini, non ægrotans, nec inuitus perijt, sed ex se ad mortis œconomiam accessit, confirmatus à Deo verbo, qui in ipso habitabat, qui dixit. Nemo tollit animam à me, ex meipso eam pono. Potestatem habeo ponendi ipsam. Diuinitas ego est filij, quæ ponit, & accepit animam hominis, quem gestauit. Plenum enim hominem suscepit, vt & plenum ipsum, & cum ipso mortuos viuificet. Ioan. 10.

Eiusdem ex oratione aduersus Arrianos.

Quando ergo dicit beatus Paulus, Pater suscitauit filium à mortuis, Ioannes nobis narrat, quod Iesus dixit, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum, dicebat autem, inquit, de proprio corpore: clarum est ergo ijs qui attendunt, quod corpore excitato, dicitur filius apud Paulũ surrexisse à mortuis. Quæ sunt enim eius corporis, in ipsius persona dicuntur. Ita etiam quando dicit, Vitam dedit pater filio, vitam carni datam, intelligendum est. Si enim ipse vita est, quomodo vita vitam accipit? Ioan. 2.

Eiusdem ex oratione de incarnatione.

Cùm enim vidisset verbum non aliter esse soluendum hominum interitum, nisi omnino moreretur, fieri autem non poterat, vt verbum moreretur, quod est immortale, & patris filius: ea de causa, quod mori posset sibi corpus assumit, vt rationis ac verbi quod ad omnes peruenit effectum particeps, pro omnibus morti satis faceret, & propter verbum inhabitans, ab interitu & corruptione seiugatum maneret, & deinceps interitus & corruptio cessaret ab omnibus, resurrectionis gratia. Vnde tanquam hostiam ab omni macula liberam, corpus à se acceptum ad mortem offerens conuenienti oblatione, ab omnibus similibus protinus mortem deleuit. Cùm enim super omnes esset Dei verbum, merito suum ipsius templum, & corporale instrumentum, pro omnium animis pretium offerens, id quod morti debebatur impleuit: & ita per id q̃ erat simile, cũ omnibus conuersans, ab interitu & corruptiõe alienus Dei filius, iure quoq; omnes incorruptione induit, in promissione resurrectionis. Ea etenim quæ

quæ erat in morte corruptio & interitus, aduersus homines non amplius habet locum, propter verbum quod in eis habitat per vnum corpus.

Eiusdem ex eadem oratione.

Ea de causa post diuinissimas sui ex factis ostensiones, iam etiam pro omnibus sacrificium obtulit, pro omnibus templum suum morti tradens. Vt omnes ab antiqua transgressione immunes & liberos faceret, seipsum autem, vel morte superiorem ostenderet, primitias vniuersorum resurrectionis, proprium corpus ab interitu alienum ostendens. Corpus etenim ipsum quidem communem habebat substantiam: erat enim humanum corpus, etiam si recentiori miraculo ex sola virgine constitutum. Cùm esset tamen mortale, ex similium consequentia mortuum est, sed propter verbum quod ipsum inuaserat, non amplius secundum propriam naturam corrumpebatur, sed propter inhabitans Dei verbum, fuit ab interitu & corruptione seiunctum.

Eiusdem ex eadem oratione.

Vnde, vt antea dixi, verbum, cùm fieri non posset vt ipsum moreretur, erat enim immortale, accepit sibi corpus quod posset mori, vt ipsum, tanquam proprium, pro omnibus offerret, & vt ipse pro omnibus patiens, eo quod in ipsum deuenisset, eum deleret qui mortis habebat imperium.

Eiusdem ex eadem oratione.

Patiens enim corpus secundum corporum naturam, moriebatur, habebat autem fidem incorruptionis ex verbo in eo habitante. Neque enim moriente corpore verbum quoque moriebatur. Sed erat quidem ipsum impatibile, & ab interitu alienum, & immortale, vtpote quod esset Dei verbum, imo potius cum ipso corpore conuersans, arcebat ab ipso eam, quæ est secundum naturam, corporum corruptionem. Vnde etiam dicit ei spiritus. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Psal. 25.

Damasus. *Sancti Damasi Episcopi Romani, ex expositione.*

Si quis dixerit quod in passione crucis dolorem sustinuerit filius Dei, & Deus, & non caro cum anima quam induit forma serui, quam sumpsit, sicut dixit scriptura, anathema sit.

Ambrosius. *Sancti Ambrosii Episcopi Mediolanensis, ex libro de fide catholica.*

Sunt nonnulli qui eò impietatis processerunt, vt existiment Domini diuinitatem fuisse circuncisam, & ex perfecto factum esse imperfectum, & quod in ligno non fuit caro, sed illa diuina substantia, quæ est omnium opifex.

Eiusdem ex eodem libro.

Caro passa est, diuinitas manet à morte immunis. Corpus lege humanæ naturæ cessit vt pateretur. Quomodo enim potest mori Deus, cùm anima mori nequeat? Ne timete enim inquit, eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Si ergo anima occidi non potest, quomodo potest diuinitas subiecta esse morti? Matth. 10.

Basilius. *Sancti Basilij Episcopi Cæsariensis.*

Quod cuilibet notum est, qui dictionis Apostolicæ voluntatem parumper attenderit, quod non tradit nobis modum diuinitatis, sed œconomiæ rationes, declarat illud. Dominum enim ipsum, & Christum Deus fecit hunc Iesum quem vos crucifixistis, voce indicatiua, ad id quod est in eo humanum, & quod ab omnibus videtur, apertè referens.

Nazianzen. *Gregorij Episcopi Nazianzeni, ex epistola ad beatum Nectarium Constantinopolitanum.*

Quod autem in ecclesiasticis difficultatibus est omnium difficilimum, est Apollinaristarum licentia, quos nescio quomodo tua contempsit sanctitas, sibi æque ac nos, communicandi arrogantes potestatem. Et paulo pòst. Et nondum est hoc graue, sed quod est omnium grauissimum, ipsum vnigenitum Dei filium, eorum qui sunt iudicem, vitæ principem, mortis euersorem, mortalem esse asserit, & sua diuinitate passionem suscepisse, & in triduana illa corporis morte, diuinitatem quoque vna cum corpore morte affectam esse, & ita rursus patrem eum à morte suscitasse.

Eiusdem ex priore expositione ad Cledonium.

Si est homo quidem inanimus, hoc etiam dicunt Arriani, vt passionem ad diuinitatem referant, tanquam quod mouet corpus, id etiam patiatur. Arrianis.

Eiusdem ex oratione de filio.

Restaret, vt de eo quod est, ei mandatum esse, eumque mandata seruasse, & omnia quæ ei grata & accepta erant fecisse, tractaremus, præterea autem de perfectione, & exaltatione, & quod didicit ex ijs quæ passus est obedientiam, & de sacerdotio, & oblatione, & traditione, & oratione ad eum qui à morte potest seruare, & anxietate, & guttis & precatione, & si quid aliud eiusmodi, nisi omnibus esset manifestum, quod eiusmodi nomina, quæ sunt eius quod afficitur ac patitur, non naturam immutabilem, & quæ est altior quàm vt patiatur, significent.

Eiusdem ex oratione de Paschate.

Quis is est qui venit de Edom, & de terrestribus? Vel quomodo rubræ vestes eius qui caret & sanguine, & corpore, tanquam eius qui torcular ingressus est, & plenum torcular calcauit? Propone tibi pulchritudinem vestis corporis passi, & passione exornáti, qua nihil est amabilius, neque formosius. Esa. 63.

Sancti Gregorij Episcopi Nisseni, ex oratione Catechetica.

Et hoc quidem est Dei naturale, quod attinet ad œconomiam de morte, & resurrectione à mortuis, vt morte quidẽ solui animam à corpore, ex necessaria naturæ consequentia non prohibeat, sed ea inter se rursus reducat per resurrectionem.

Eiusdem

Eiusdem ex eadem oratione.

Quoniam enim nõ aliunde quàm ex nostra massa erat homo qui Deum suscepit, qui per resurrectionem exaltatus est cum diuinitate. Quemadmodum in nostro corpore, vnius sensorij operatio, ad omnem consensum secum trahit id quod parti vnitum est. Ita perinde ac si vniuersa natura sit vnum quodpiam animal, quæ fit ex parte resurrectio, peruadit ad vniuersum quod est in natura continuum & vnitum, ex parte toti impartita, & communicata. Quid ergo præter probabile mysterium dicimus, si qui stat, inclinat id eum qui cecidit: qui iacet, ad id quod resurrexit.

Eiusdem ex eadem oratione.

Consequens autem fuerit etiã in hac parte, non hoc quidem respicere, illud vero negligere: sed in morte quidem id quod est humanum intueri: in labore vero, ad quod est diuinius curiose inquirere?

Eiusdem, ex opere aduersus Eunomium.

Neque humana natura Lazarum viuificat,
Ioan. 11. nec deflet iacentem impatibilis potentia. Sed lacryma quidem est hominis propria, vitæ autem ea quæ vere vitæ sunt. Non nutrit multa hominum millia humana mendicitas, non accurrit ad ficum omnipotens potestas. Quis ex itinere defatigatur, & quis vniuersum mũdum citra vllum laborem verbo constituit, quid est splendor gloriæ, & quid est quod clauis configitur, quænam forma in passione colaphis cæditur, & quæ ex æterno glorificatur, hæc aperta sunt, licet nemo orationes interpretetur.

Eiusdem ex eodem opere.

Reprehendit eos qui humanæ naturæ passionem adscribunt. Vult autem omnino ipsum diuinitatem passioni subijcere, cùm enim sit duplex & ambigua existimatio, diuinitas ne an humanitas passa sit, vnius accusatio, est omnino eius quod deest confirmatio. Si ergo eos reprehendunt, qui passionem in humanitate fuisse vident, eos omnino laudant, qui dicunt fuisse passam filij diuinitatem. Quod autem per hæc confirmatur, est absurdi eorum dogmatis patrocinium. Si enim patitur quidem, vt ij volunt, filij diuinitas, patris autem diuinitas seruatur impatibilis: impatibilis ergo natura ab ea quæ passionem suscipit alienа est.

Sancti Amphilochij Episcopi Iconij, ex oratione in illud, Amen amen dico vobis.

Ioan. 5. Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Cuius ergo sunt carnis affectiones? Ergo si das quidem carni affectiones, ei quoque verba humilia concede, & cui miracula adscribis, sublimia quoque & magnifica verba tribue. Qui enim miraculorum effector Deus est, alta & suis factis digna loquitur. Qui autem patitur, homo rectè humilia & suis affectionibus dicit conuenientia.

Eiusdem ex oratione in illud, Pater maior me est.

Quando autem carni affectiones, & Deo miracula dederis, necesse est vt velis nolis, humiles quidem sermones ex Mario nato homini, sublimes autem & Deo conuenientes, verbo quod erat in principio. Propterea enim alicubi quidem magnifica & sublimia, alicubi verò humilia & abiecta verba loquor, vt per sublimia inhabitantis verbi nobilitatem ostendam: per humilia autem, humilis carnis imbecillitatem significem. Quocirca alicubi quidem dico me esse patri æqualem, alicubi verò maiorem patrem, non mecum pugnans, sed ostendens me esse Deum & hominem: Deum quidem per sublimia, per humilia verò hominem. Si autem vultis scire quomodo pater meus maior me est, id dixi ex carnis, & non ex diuinitatis persona.

Eiusdem ex oratione in illud, Si possibile est, transeat à me calix iste.

Ne ergo carnis passiones verbo impatibili inieceris. Deus enim sum & homo, Hæretice. Deus, vt spondent miracula. Homo, vt testantur affectiones, & ea quæ passus sum. Quoniam ergo Deus sum & homo, dic quis passus est? Si Deus passus est: id dixisti quod est blasphemum. Sin autem caro passa est, cur non ei tribuis passionem, cui timorem adiungis? Alio enim patiente, alius non pertimescit, & dum homo crucifigitur, Deus non perturbatur.

Eiusdem ex oratione aduersus Arrianos.

Et ne longiori vtar oratione, paucis rogo te Hæretice, Qui ex Deo est ante sæcula genitus, passus est, an qui ex Dauid postremis temporibus natus est Iesus? Si ergo diuinitas passa est: dixisti quod est blasphemum. Sin autem homo, vt habet veritas: quare homini passionem non adscribis?

Eiusdem ex oratione de filio.

Cùm enim dixisset Petrus, quòd & Dominum & Christum ipsum fecit Dominus, subiunxit, Iesum quem vos crucifixistis, eum Deus suscitauit à mortuis. Non diuinitas autem morte affecta est, sed homo, & qui eum suscitauit à mortuis, verbum est Dei potentia, qui dixit in Euangelio, Soluite templum hoc, & triduo excitabo illud. Quare si dicatur, & Dominum ipsum & Christum fecit Deus, qui morte affectus est, & ex mortuis resurrexit, carnem dicit, & non diuinitatem filij. Act. 2.

Eiusdem ex oratione in illud, Non potest filius ex seipso facere quidquam.

Neq; enim habebat naturam, vt vita à corruptione & interitu detineretur. Quandoquidem diuinitas ad passionem non attracta est. Quanam enim id posset ratione? Sed humanitas ad incorruptionem renouata est. Oportet enim, inquit, mortale hoc induere immortalitatem, & hoc corruptibile induere incorruptionem. Vides quàm exactè & accurate dictum sit, mortale hoc monstrauit, ne putares esse alius carnis resurrectionem. 1. Cor. 15.

Sancti Flauiani Episcopi Antiocheni in dominica Paschæ. Flauianus.

Propterea etiam crux nobis liberè prædicatur, & mortem Domini confitemur, nihil præbente diuinitate, est enim diuinitas impatibilis: sed corpore œconomiam implente.

Eiusdem de Iuda proditore.

Quare quando Dominum traditum audiueris, ne diuinam authoritatem ad humilitatem & abiectionem detraxeris, neque corporales affectiones diuinæ potestati adscripseris. Quod enim est diuinum, est impatibile, & ab omni mutatione versioneque remotum. Etsi enim propter humanitatem, suam tamen naturam non mutauit. Sed cùm esset id quod erat, concessit diuinitas vt corpus mortis periculum faceret.

Theophyla. *Theophylacti Episcopi Alexandrini, ex festiuo tomo.*

Animæ irrationales mortales. Eorum enim quæ carent ratione, non tolluntur & ponuntur rursus animæ, sed vnà cum corporibus intereunt, & in terram resoluuntur. Seruator autem, cùm animam suam passionis tempore è proprio corpore abstulisset, resurgens à mortuis, in eo rursus reposuit. Huius autem rei nobis fidem faciens, Duæ voluntates.
Psal. 15. prædixit per Psalmistam clamans, Non relinques animã meam in inferno neque sanctum
Gelasius. tuum, adire corruptionem.

Beati Gelasii Episcopi Cæsareæ Palæstinæ ex oratione in Epiphania.

Vinctus, vulneratus, crucifixus, contrectatus est, vibices tulit, lanceæ cicatricem accepit. Hæc omnia corpus ex Maria natum sustinuit. Id autem quod ante sæcula ex patre genitum est, nemo poterat lædere, neque enim ea fuit verbi natura. Quomodo enim posset diuinitas retineri, quomodo vulnerari, quomodo incorporea natura cruentari, & quomodo sepulturæ vinculis implicari? Da ergo ea quæ non potes lędere, & honora diuinitatem, & te necessitatis oratio contineat.

Sancti Ioannis Episcopi Constantinopolitani, ex oratione in illud, Pater meus vsque ad huc operatur, & ego operor.

Quod signum ostendis nobis quòd hæc facias? Quid ipse? Soluite templum hoc, inquit, & ego triduo excitabo illud, dicens de suo corpore. Sed illi hoc non intellexerant.

Et paulo pòst.

Quomodo non prætermisit hoc Euangelista, sed subiunxit correctionem, dicens, Ille autem dicebat de templo sui corporis. Non dixit enim, Soluite corpus hoc, sed templũ, vt Deum inhabitantem ostenderet. Soluite tem
Templum Iudeorum. plum hoc Iudaico multo melius. Iudaicum enim habuit legem, hoc verò legislatorem. Illud literam quidem occidentem, hoc verò spiritum viuificantem.

Eiusdem ex oratione, quod quæ humiliter dicta & facta sunt, non propter potentiæ imbecillitatem, sed propter œconomiam facta sunt.

Math. 26. Quomodo ergo hic dicit, Si possibile est? Ostendit humanæ naturæ imbecillitatem, quæ à præsenti vita abrumpi nolebat, sed recusabat, & tergiuersabatur, propter præsentis vitæ amorem illi à Deo ab initio inditum. Si enim cùm ipse tot & tanta dixit, ausi sunt quidem dicere, quod carnem non acceperit: Si nihil horum dictum esset, quid non dixissent.

Eiusdem ex eadem oratione.

Vide quomodo etiam priorẽ eius ætatem exposuerunt. Interroga ergo Hæreticum, Deus veretúrne, & recusat, & cunctatur, & dolore afficitur? & si dixerit ita, deinceps recede, & statue eum infra cum Diabolo, vel potius eo inferius. Neque enim ille audebit hoc dicere. Sin autem dixerit nihil horum esse Deo non indignum, dic ergo nec orat Deus. Nam præter hæc, aliud quoque erit absurdum, si Dei verba sint. Non enim angorem solum & tristitiam hæc verba significant, sed etiam duas voluntates: vnam qui-
Duæ voluntates. dem patris, vnam filij, inter se contrarias: dicere enim, Non vt ego volo, sed sicut tu, est eius qui hoc indicat.

Eiusdem ex eadem oratione.

Si hoc enim in diuinitate dictum sit, exoritur quædam contradictio, & multa ex eo absurda enascuntur. Si autem in carne, sunt rationi consentanea quæ dicta sunt, & nihil erit quod possit reprehendi. Neque nolle mori carnem, damnari poterit, hoc est enim naturæ. Ipse enim quæcunque sunt naturæ, præter peccatum, copiosissimè ostendit, vt ora hæreticorum obturaret. Quando ergo dicit, Si possibile est, transeat à me calix iste, &, Non vt ego, sed vt tu vis, nihil aliud ostendit, quàm se verè esse circundatum carne, quæ mortem timeret. Timere enim mortem & recusare, & angore ac mœrore affici, est illius. Quandoque ergo eam nudam, & à sua operatione destitutam relinquit, vt cùm eius infirmitatem ostenderit, eius quoque naturam probet. Quandoque autem eam cælat, quia non est homo tantum.

Seueriani Episcopi Gabalarum, ex eius oratione de signaculis. Seuerianus.

Iudæi de ijs pugnant quæ apparent, ignorantes id quod non apparet, & carnem quidem crucifigunt, diuinitatem autem non perimunt. Si enim scripto, quod est verborum
Scriptũ verborum indumentum. indumentum, mea verba non pereunt: quomodo Deus verbum, fons vitæ vnà cum carne interijt? Passio est in corpore, impatibilitas autem in dignitate. Ecce tibi eos qui & orientales, & occidentales, & etiam australes & boreales orbis terræ partes colunt, vanam vestram hæresim reprehendere ostendimus, & diuinam naturam esse impatibilem apertè prædicare, & vtranque linguam, Græcam dico & Romanam, consentientem de diuinis confessionem proferre.

ERAN. Ego quoque admiror virorum concordiam, multam quidem certè in eorum scriptis diuisionem aspexi.

ORTH. Ne ægrè tuleris. Vehemens enim aduersus aduersarios contentio, in causa fuit vt modum excederent. Hoc ipsum solent etiam facere qui plantant arbores. Quando enim

enim viderint inclinatam arborem, non solum eam erigunt, sed in alteram etiam partem inflectunt, vt per nimiam in contrarium inclinationem vt recta sit efficiant. Vt autem scias, quòd, qui hanc multiplicem, & multiformem hæresim immodicis blasphemijs confirmare contendunt, veteres quoq; Hæresiarchas cælare conantur, audi rursus scripta Apollinaris, quæ diuinam naturam impatibilem prædicant, & corporis esse pasionem confitentur.

Apollinaris. *Apollinaris ex summa.*

Solutum templum, hoc est corpus eius qui excitat, dicit Ioannes. Omnino autem vnum est corpus apud ipsum, & non est aliquod aliud apud ipsos. Si autem apud Dominum vnum fuit corpus Domini, quæ sunt propria corporis, fuerunt eius propria per corpus.

Et rursus.

Hoc enim verum est, quòd verbi cum corpore coniunctio non sit ex verbi circunscriptione, vt nihil amplius habeat quàm corporis complexus. Quare etiam in morte manet circa ipsum immortalitas. Si est enim hac compositione superior, est etiam dissolutione. Dissolutio autem mors est. Neque enim compositione comprehensus est, exinanitus enim esset mundus, neque in dissolutione, quæ ex dissolutione oritur, indigentiam habuit, vt anima.

Et rursus.

Sicut ex monimentis mortuos egredi dicit Seruator, et si animæ illinc nõ egrederentur: ita seipsum dicit ex mortuis resurrecturum, etiamsi sit corpus quod resurgat.

Et in alio etiam simul opere hæc scripsit.

Est hominis surgere à mortuis, Dei autem excitare. Vtraque autem Christus. Deus ergo erat, & homo. Si homo solum Christus, non viuificasset mortuos: & si solum Deus, non seorsum à patre aliquos mortuos viuificasset. Vtraque autem Christus. Deus ergo & homo idem. Si solum homo Christus, mundum non seruasset: & si solum Deus, per pasionem non seruasset. Vtraque autem Christus. Deus ergo est & homo. Si solum homo Christus, si solum Deus, non inter homines & Deum intercederet. Et paulo pòst. Caro est non vitæ instrumentũ, quod affectionibus cum diuinis consilijs congruit, nec verba sunt, nec facta carnis propria, & affectionibus subiecta, vt carni conuenit, affectionibus dominatur, eo quod sit caro Dei.

Et rursus paulò pòst.

Filius in mundo peregrinatur, carne à virgine sumpta, quam sancto spiritu impleuit ad omnium nostrum sanctificationem: morti autem morte tradita per resurrectionem, mortem soluit ad omnium nostrum resurrectionem.

In libello autem de fide hæc scripsit.

Et cùm essent circa carnem affectiones, sum impatibilitatem habuit potentia. Impius est ergo, qui affectionem aut pasionem ad potentiam deducit.

Et in libello de incarnatione hæc rursus scripsit.

Hic ergo eundem significans, vt hominem quidem, surrexisse à mortuis, vt Deũ autem, vniuersæ creaturæ imperare. Vides vnum ex nouæ hæresis Magistris diuinitatem impatibilem aperte prædicare, & templum corpus vocare, & Deum verbum id suscitasse asserere.

ERAN. Audiui, & miratus sum, & me valde pudet nostra magis visa esse fugiẽda, quàm quæ ab hoc viro noua introducta sunt.

ORTH. Ego autem tibi quoque ex altero Hæreticorum grege testem producam, qui vnigeniti diuinitatem esse impatibilem apertè prædicat.

ERAN. Quemnam eum dicis?

ORTH. Eusebium fortasse audiuisti Phœnicem, qui Emesæ vrbis ad Libanum fuit Pontifex.

ERAN. Incidi in aliquot eius scripta, & inueni eum valde consentire cum dogmatibus Arrij.

ORTH. Is erat illius sectæ, & tamen cùm vellet ostendere Patrem maiorem vnigenito, prædicat esse impatibilem eius cui detrahitur diuinitatem, & de ea re magna & admirabilia certamina suscepit.

ERAN. Valde mihi cupienti eius quoque dicta afferes.

ORTH. Prolixius ergo tibi testimonium afferam, vt tuum desiderium expleam. Audi ergo virum clamantem. Existima autem eum ad vos his verbis vti.

Eusebij Emeseni.

Qua de causa timet mortem? ne quid à morte patiatur? quid enim erat illi mors: an non secedere virtutem & potentiam à carne? nunquid enim clauum suscepit virtus ac potentia vt timeret? Si enim anima nostra non patitur quæ sunt corporis, licet cũ eo vna sit: sed excęcatur quidem oculus, mens autẽ confirmatur: pes amputatur, & non claudicat ratio, idque & natura testatur, & Dominus sui sigilli authoritate comprobat, dum dicit, Nolite timere eos qui corpus possunt occidere, animam autem occidere non possunt. Si non possunt, qui non fecerunt, non quod nolint, sed quod non posint si velint, efficere, vt eadem patiatur quod ei coniunctum corpus: qui creauit animam, & corpus formauit, is eadem patitur quæ corpus, & si maximè corporis affectiones in se suscipit. Sed passus est Christus pro nobis, & non mentimur. Panis enim quem ego dabo caro mea est, quam dedit pro nobis. Detentum est quod detinetur, crucifixum est quod crucifigitur. Qui autem habet potestatem & habitandi & recedendi, hoc dicit. Pater in manibus tuis deponam spiritum meum, non in manibus eorum qui vim afferunt vt exeat. Non sum contentiosus, sed à contentione abstineo, benigne autem de ijs, quæ

Anima non patitur cum corpore.

Matth. 10.

Ioan. 6.

Ioan. 19.

quę sunt in cõtrouersia, volo rogare tanquam fratres. An non verum dico quod virtus non potuit carnis affectiones pasionésue suscipere? ego itaque taceo, dicat qui velit, quid passa est, potentia defecit, vide periculum; extincta est, vide blasphemiam; non amplius erat, hoc est enim mors virtutis. Dic quid potes obtinere quod ea passa sit, & non contendo. Si autem non potes dicere quid mihi succenses, quod id non possum dicere quod non potes? Non suscepit clauum? Infige in animam, & fatebor in virtutem. Sed per consensum passus est. Explica mihi quid sit pati per consensum. Passus est per consensum, vtpote in carnem clauus, in potentiam autem peruadit dolor. Hoc dicamus per consensum passa est, dolore affecta est potentia non percussa. Dolor enim pasionem omnino consequitur. Si autem etiam corpus, sæpe confirmata & corroborata mente, dolores contemnit propter vires cogitationis: hic exponat aliquis ingenue & non contentiose, vel quid passa est, vel quid per consensum passa est. Quid igitur? Christus non mortuus est pro nobis? Quomodo mortuus est? Pater in manibus tuis depono spiritum meũ: recessit spiritus, mansit corpus: non spirans mansit corpus. Non mortuus est ergo? Mortuus est pro nobis. pastor ouẽ obtulit, sacerdos obtulit hostiam, dedit pro nobis seipsum. &, Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit suũ filium. Non infirmo aut abrogo hæc dicta, sed quæro eorum sensum. Dicit Dominus. Panis Dei descendit de cœlo, & interpretans, etiam si non possum apertius dicere propter mysteria, tantum vult dicere ac si diceret, caro mea est. Caro filij descendit ne de cœlo? Non descẽdit de cœlis. Quomodo ergo dicit, Panis Dei viuit & descendit de cœlis. Interpretans autẽ dicit. Quoniam virtus, suscepto corpore, de cœlis descendit: id quod habet virtus, carni ascribitur. Ergo etiã conuerte. Quę caro patitur, virtuti ascribuntur. Quomodo passus est Christus pro nobis? Consputus est, in maxilla percussus est, fronti eius coronam imposuerunt, fossi sunt eius manus & pedes. Hæ sunt omnes in corpore pasiones: referuntur autem etiam ad eum qui inhabitat. Proijce lapidem in Imperatoris imaginem. Quid dicitur? Fecisti iniuriam Imperatori. Conscinde vestem Imperatoris. Quid dicitur? Insurrexisti aduersus Imperatorẽ. Crucifige corpus Christi. Quid dicitur? Christus mortuus est pro nobis. Sed quid te aut me opus est? Accedamus ad Euangelistas. Quomodo accepistis à Domino quẽadmodum mortuus est Dominus? Dicunt, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. spiritus sursum & corpus in cruce pro nobis. Obtulit enim ouẽ, quod, quæ in eius sunt corpore, illi attribuuntur.

Rom. 6.

Ioan. 6.

Eiusdem ex eodem libro.

Venit ad nostram naturam seruandam, non ad suam perdendam. Si voluero dicere camelum volare, vos protinus alienũ ac peregrinum ducitis, quia naturæ non conuenit, & recte facitis. Si voluero dicere, homines in mari habitare, non toleratis, & rectè quidem facitis. neq; enim id admittit natura. Quemadmodum ergo, si aliena & peregrina dixero de ijs naturis, vos ea peregrina, & aliena ducitis, ita si dixero quod virtus illa, quæ est ante fæcula, quæ est incorporea natura, quæ est dignitate impatibilis, quæ est apud patrem, quæ està dextris eius, quæ in gloria: si dixero quod illa natura incorporea patitur, non vestras aures obturatis? Si aures vestras non obturatis hæc audientes, ego quidem certè cor meum obstruam. An Angelo possumus aliquid facere, vtpote ense ferire, vel omnino scindere aut findere? Quid dico, Angelo? animæ ne possumus? Non admittit clauum anima, nõ scinditur anima, non vritur. Et si dixeris mihi, Quamobrem? Dico tibi, Ita enim condita est. Opera eius sunt impatibilia, & ipse patibilis? Non vili pendo carnis susceptæ œconomiam, sed iubeo valere improbitatem & malitiam. Mortuus est Christus pro nobis, & crucifixus, ita scriptum est. Ita vt admisit natura, nec verba deleo, nec naturam blasphemo. Sed hæc vera non sunt, dicantur veriora, non grauis est qui benefacit, nec inimicus qui docet, nisi forte ingratus sit qui docetur. Potes aliquid pulchri dicere? aures patent vel lubẽtissime. Vincendi cupiditate ducitur aliquis, & ita ei studens contendit. Potuerunt Iudæi filium Dei crucifigere, ipsam potentiam morte afficere. Potéstne viuens mori? Eius potentię mors, est eius defectio. Corpus nostrum, postquam fuerimus mortui, manet. Si illam potentiam morte affecerimus, eo illam ducemus, vt non sit amplius. Nescio an non positis audire. Corpus si mortuum fuerit, anima separatur, & manet. Si autem anima mortua fuerit, quoniam est incorporea, nõ est amplius. Anima quæ moritur, non est penitus. Mors enim eorum, quæ sunt immortalia, illa eo redigit vt non sint. Aliud considera. Nam nec dicere quidem audeo. Hæc dicimus vt sentimus: legem autem non ferimus, si quis contra contendat. Vnum autem scio, quod vnusquisque ex ijs quæ sentit fructum percipiet, & accedit vnusquisque ad Deum, & ꝓponit quod de eo dixit & sensit. Ne putes enim Deum libros legere, vel in recordando discruciari. Quid dixisti, & quis audijt, omnia manifesta sunt. Sedet Iudex. Producitur Paulus qui hic est. Hominem me dixisti, non habes vitam mecum. Quoniã me non cognouisti, nec te cognosco. Accedit alius. Dixisti me vnum eorum quæ sunt, non nosti meam dignitatem, non te noui. Accedit alius. Dicis me non accepisse corpus, gratiam meam pro nihilo duxisti, nõ eris mee immortalitatis particeps. Accessit alius. Dixisti me nõ esse natum de virgine, vt seruarẽ corpus virginis, non seruaberis. Vnusquisque refert ea quę sensit de fide. vidisti etiam aliam vestrorum magistrorum sectam, à qua passam esse vnigeniti diuinitatem nos didicisse putastis, hanc blasphemiam execrari, & diuinitatem esse impatibilem prędicare, & eorũ, qui illi pasionem

audent attribuere, cateruam rumpere ac dissoluere.

ERAN. Vidi, & præclaram eius disputationem admiratus sum, pulchraq; viri sensa & cogitata demiror.

ORTH. Imitare ergo apes, ô vir bone, & sacræ scripturę prata, & sanctorum patrũ pulchros flores mente circunuolans, fidei fauos in te cõtexe. Quòd sicubi herbam inueneris, nec dulcem, nec esculẽtam, cuiusmodi est hic Apollinaris & Eusebius, habet tamen aliquid vtile ad mel conficiendum: non est alienum quod bonum quidem est sumere, quod verò noxiũ relinquere. Etenim apes sæpe in venenosis fruticibus insidentes, quod est quidem perniciosum relinquunt, quod est verò sibi accõmodatum accipiunt. Hęc tibi quidem, ô amice, iure fraternæ amicitiæ consulo. Tu autem recte quidem feceris, si monitioni parueris. Sin autem non parueris, nos cum Apostolo dicemus, Nos mundi. Diuisimus enim secundùm Prophetam, vt iussi sumus.

Quod Deus verbum est immutabile.

Vnam patris, & filij & spiritus sancti substantiam confessi sumus, & eam esse immutabilem communi consensu diximus. Si est ergo vna trinitatis substantia: ipsa autem est immutabilis: est ergo immutabilis vnigenitus Dei filius, qui est vna persona trinitatis. Si est autẽ immutabilis: non vtique mutatus conuersusque caro factus est, sed carne accepta dicitur caro esse factus.

Aliter.

Si per mutationem & conuersionem in carnem Deum verbum caro factum est: non est ergo immutabile. Quod enim mutatur, & fit diuersum, nemo sanæ mentis immutabile appellauerit. Si autem est mutabilis, nec est eiusdem cũ eo qui genuit substantiæ. Quomodo enim fieri potest, vt simplicis substantiæ hoc quidẽ sit mutabile, illud verò immutabile? Si hoc autem concesserimus, omnino in Arrij & Eunomij blasphemiam incidemus. Illi enim filium dicunt esse alterius substantiæ.

Aliter.

Si filius est eiusdem cum patre substantiæ: factus est autẽ caro filius, suscepta in carnem mutatione: est ergo mutabilis substantia, & non immutabilis. Si autem hãc blasphemiam quis dicere ausus fuerit, eam omnino augebit blasphemia in patrem. Etenim ipsum quoque nominabit mutabilem, vt qui sit eiusdẽ substantiæ particeps.

Aliter.

Deum verbũ, carnem, & etiam animã sumpsisse dicunt sacrę scripturę. Diuinissimus autem Euangelista dixit. Verbũ caro factum est. Necesse est ergo duorum alterũ facere, vt vel verbi mutationem in carnem, vt falsam, vtpote quæ doceat omnem sacrã scripturam, tam nouam quàm veterem auersari, suscipiamus, vel diuinæ scripturę credentes, carnis quidem assumptionem confiteamur, ex animo autem mutationem eijciamus, dictum Euangelicum piè intelligentes. Hoc est ergo faciendũ, quandoquidem immutabilem Dei verbi naturam confitemur, & assumptæ carnis habemus innumerabilia testimonia.

Aliter.

Quod tentorium inhabitat, aliud est ab eo quod inhabitatur. Euangelista autem carnem tabernaculum appellauit. In eo autem dixit Deum verbum habitasse. Verbũ enim, inquit, Ioan. 1.
caro factum est, & habitauit in nobis. Si autem conuersum caro factum est: non habitauit in carne. Atqui eũ in carne habitasse didicimus. Idem enim Euangelista etiã in alio loco cor- Ioan. 2.
pus eius templum appellauit. Credendum est ergo Euangelistæ qui hoc dictum explicauit, & quod aliquibus videbatur dubium, interpretatus est.

Aliter.

Si Euangelista, qui scripsit, verbum caro factum est, nihil attulisset quod posset dubitationem soluere: iustam fortasse haberet excusationem de hoc dicto decertatio, scripti scilicet obscuritatem. Sed cùm statim subiũxerit, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, hoc est tanquam in tabernaculo in nobis habitauit, frustra ergo consertis manibus dimicantes nugantur. Id enim quod ante scriptum est, id quod sequitur interpretatur.

Aliter.

Deum verbum esse immutabilẽ sapientissimus Euangelista apertè prædicauit. Cùm enim dixisset, verbum caro factum est, & habitauit in nobis, statim subiũxit. Et vidimus gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Si autem in carne mutatus esset, vt stulti volunt: non mansisset id quod erat. Si autem etiã carne tectus, emittit radios paternæ nobilitatis: habet naturã immutabilem, splendet autem etiam in corpore, & ex eo emicat iubar naturæ quæ sub aspectum non cadit. Illam enim lucem nihil potest obscurare. Lux enim lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt, vt dicit diuinissimus Ioannes.

Aliter.

Cùm benedictus Euangelista vellet explicare gloriam vnigeniti, deinde non posset implere quod conabatur: ex societate quam habet cum patre eam ostendit. Ex illa enim est, inquit, natura, perinde faciens ac si quis ijs qui Ioseph præter dignitatem seruire viderent, & eius generis nobilitatem ignorarent, diceret, Iacob quidem eius esse patrem, proauum autem Abraham. Ita enim hic quoque dixit, quòd in nobis inhabitans, non obscurauit naturæ gloriam. Vidimus enim gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Si autem etiam cùm incarnatus esset, manifestum erat quis esset: mansit ergo id quod erat, nec mutationem in carnem sustinuit.

Aliter.

Non solum carnem, sed etiam animam, Deum verbum suscepisse cõfessi sumus. Cur ergo diuinus Euangelista animam quidem hic prætermisit, solius autem carnis meminit? Nunquid manifestum est quòd naturam quæ videtur

videtur ostendit, eam autem quæ ei naturaliter coniuncta est per eam declarauit? Facta enim mentione carnis, animæ quoque mentio vtique consequitur. Quando enim audimus Prophetam dicentem. Benedicat omnis caro nomen sanctũ eius, non existimamus Prophetam carnibus inanimis præcipere: sed ex parte totum ad Dei laudem hymnosque dicendos vocari credimus.

Aliter.

Illud, verbum caro factum est, non mutationem, sed suam humanitatem declarat. Cùm enim dixisset beatus Euangelista, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & ostendisset eum esse tam eorum quæ videntur, quàm quæ non videntur opificem, & vitam & veram lucem nominasset, & quędam alia similia posuisset, & Theologiam tractasset, quantum posset mens humana capere, & lingua eius fluentis inseruire, subiunxit, Et verbum caro factũ est, tanquam obstupescens, & admirans insignem eius humanitatem. Qui est, & semper est, & Deus est, & omnia fecit, & vitæ æternæ, & veræ lucis fons est, hominum salutis causa carnis sibi tabernaculum imposuit: existimatus est autem id solum esse quod apparebat, ea de causa nec animæ meminit, sed solius carnis, in quam cadit interitus, & est mortalis: animam autem vtpote immortalem prætermisit, vt ostenderet immensam bonitatem.

Aliter.

Semen Abrahæ diuinus vocat Apostolus Christum Dominum. Si hoc autem verum est, vt certe est, nõ ergo Deus verbum in carnem mutatum est, sed semen Abrahæ accepit, vt ipse docet Apostolus.

Aliter.

Heb. 2. Iurauit Deus Dauid se ex fructu lumbi eius
secũdum carnem Christum excitaturum, sic- Psal. 131.
ut & Propheta dixit, & magnus Petrus inter- Actor. 2.
pretatus est. Si autem Deus verbum in carnem conuersum, Christus nominatum est, nequaquam iuramenti veritatẽ inueniemus. Atqui Deum esse verũ, imò ipsam potius veritatem didicimus. Mutationem ergo in carnem Deus verbum non sustinuit: sed ex semine Abrahæ, vt erat pollicitus, accepit primitias.

Quòd est vnio inconfusa.

Qui vnam diuinitatis & humanitatis naturam post vnionem effectam esse credunt, naturarum separatas proprietates ea ratione tollunt: earum autem ablatio, est vtriusque naturæ negatio. Non enim permittit vnitorũ confusio, vt carnem intelligamus, nec Deum, Deum. Sin autem etiam post vnionem discerni potest eorum quæ vnita sunt diuersitas: non est ergo facta confusio, sed est inconfusa vnio. Si hoc autem in confesso est, nõ est ergo vna natura Christus Dominus, sed est vnus filius puram & sinceram vtranque naturam ostendens.

Aliter.

Vnionem & nos dicimus, & ipsi confitentur, factã esse in conceptione. Si ergo vnio naturas commiscuit, & confudit: quomodo caro post partum nihil noui habere visa est, sed etiam humanam effigiem & characterẽ ostendit, & infantis mensuram seruauit, & fascias sustinuit, & matris mammã suxit: Sin autem hæc non per visum & existimationẽ, & quòd ita appareret facta sunt, per visum ergo & existimationem, vt aiunt, non admittunt: verè ergo corpus erat quod videbatur. Sin autẽ hoc in confesso est, non ergo confudit naturas vnio, sed vtraque pura & integra remanet.

Aliter.

Qui hanc variam & multiformem hęresim composuerunt, aliquando quidẽ Deum verbum carnem factum esse dicunt, aliquando autem carnem dicunt suscepisse mutationem in naturam diuinitatis. Vtrunque autem est & vanum & ineptum, & plenum falsitatis. Si enim Deus verbum, vt hi dicunt, caro factum est: cur ipsum Deum nominant, & hoc solum, nempe hominem, eũ nominare recusant, sed nos etiam qui cum eo quòd Deum fatemur, etiam hominem esse dicimus, valde accusant. Sin autem caro mutata est in naturam diuini- Eucharistia.
tatis: cur ijs communicant quæ corpus repręsentant? est enim figura superuacanea, si ablata sit veritas.

Aliter.

Incorporea corporaliter natura nõ circunciditur. Corporaliter autem adiectũ est, propter spiritalem cordis circuncisionem. Cir- Circumcisio.
cuncisio autem est vtique corporis. Circuncisus est autem post vnionẽ Christus Dominus. Sin autem hoc in confesso est: quod de confusione dicitur confutatum est.

Aliter.

Esurijsse quidem & sitijsse Christum Seruatorem nostrum didicimus, & hæc quidem verè & non apparitione sola facta fuisse credimus. Hæc autem non incorporeæ naturæ sed corporis propria. Habuit ergo corpus Christus Dominus, quod ante resurrectionẽ naturæ affectiones suscepit. His autem suffragatur diuinus quoque Apostolus. Non enim Heb. 2. 4.
habemus, inquit, Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia in similitudine absque peccato. Peccatum enim non est naturæ, sed malæ electionis & instituti.

Aliter.

De diuina natura dixit Propheta Dauid, Nõ Psal. 120.
dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Euangeliorum autẽ historia ostendit Chri- Mar. 4.
stum Dominum in naui dormientem. Ij autem quod est non dormire, dormire est contrarium. Sunt ergo Prophetiæ contrariæ Euangelijs, si, vt illi dicunt, solum Deus est Christus Dominus. Atqui non sunt cõtraria, ab eodem enim spiritu & hæc & illa fluenta promanarunt. Corpus ergo habuit Christus Dominus cognatum alijs corporibus, quod somno itidem opus habuit, & quod de confusione dicitur, fabulam esse ostensum est.

Aliter.

Esaias Propheta dixit de diuina natura, Non Esa. 40.

esuriet, neque defatigabitur, & quæ sequun-
Ioan. 4. tur. Euangelista autem dicit. Iesus autem de-
fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.
Non defatigabitur autem contrarium est ei
quod est defatigari. Contraria est ergo Pro-
phetia historiæ Euangelicæ. Atqui non est
contraria, nam & hæc & illa vnius Dei sunt. Na
turæ ergo, quæ circunscribi non potest, est
non laborare, implet enim omnia. Corporis
autem, quod circunscriptum est, est transire
proprium. Quod autem transit, si viam ingre
di cogatur, ex itinere laborẽ capit. Corpus er-
go erat, quod ambulauit, & defatigatum est.
Vnio enim non confudit naturas.

Aliter.

Acto. 27. Dominus Christus dixit diuo Paulo in car-
cere incluso. Noli timere Paule, & quę sequun
tur. Is autem, qui ab eo timorem expulit, pasi-
Luc. 22. onem timuit, vt dixit beatus Lucas, vt etiam
cruentæ guttæ ex toto corpore promanarent,
& terram corpori subiectam irrigarent, ipse-
que ab Angelico auxilio confirmaretur. Sunt
autem hæc contraria. Quemadmodum enim
non sint contraria, timere, & timorem expel-
lere? Verumtamen non sunt contraria. Idem
enim est & Deus natura & homo, & vt Deus
quidem eis animum addit qui opus habent,
vt eis animus addatur: vt homo autẽ, ab An-
gelo fidenti esse animo monetur, & ab eo au-
daciam, & confidentiam accipit, licet & diui-
nitas, & spiritus vnà adesset vt vnctio, sed nec
coniuncta diuinitas, nec sanctus spiritus tunc
corpus aut animam sustentarunt, sed Angelo
hoc ministerium permiserunt: vt & animæ &
corporis imbecillitatem ostenderent, & per
imbecillitatẽ ostenderentur naturæ infirmo-
rum. Hęc autem facta sunt, diuina scilicet na-
tura permittente, vt eorum qui postea futuri
erant, qui animam quidẽ & corpus susceptum
crederent, probationibus & demonstrationi-
bus confirmarentur: qui autem contradice-
rent, euidentibus testimonijs confutarentur.
Si ergo conceptioni coniuncta est vnio: vnio
autem, vt illi dicunt, ambas naturas vnam ef-
fecit: quemadmodum integra permanserint,
quæ sunt naturarũ propria? Et tristis quidem
fuit anima, sudauit corpus, vt etiam cruentæ
guttæ ex nimio timore promanarẽt. Si autem
hoc quidem corpus, illud verò animæ proprium,
non ergo vna natura carnis & diuinitatis
ex vnione facta est, sed vnus apparuit filius
qui in se diuina & humana ostenderet.

Aliter.

Sin autem dicant post resurrectionem cor-
pus in diuinitatẽ mutatum esse: ita eis resiste-
re oportet. Atqui post resurrectionem visum
est circunscriptum, & habens manus, & pedes,
& alias corporis partes, & tangi poterat, & sub
aspectum cadebat, vulneraq; & cicatrices habe-
ba ficut ante resurrectionem. Duorum er-
go alterũ dicere necesse est, vel diuinæ etiam
naturæ has partes esse tributas, siquidem cor-
pus in diuinitatis naturam cõuersum has par-
tes h buit, vel fateri corpus mansisse in suę na-
turæ finibus. Atqui diuina natura simplex est
& incomposita. Corpus autem compositum,
& in multas partes diuisum. Non est ergo mu-
tatum in naturam diuinitatis, sed post resur-
rectionem quidem est & immortale, & à cor-
ruptione, & interitu alienum, & diuina gloria
plenum, sed tamẽ corpus quod habet propri-
am circunscriptionem.

Aliter.

Apostolis non credentibus ostendit Domi- Luc. 24.
nus post resurrectionem & manus, & pedes, &
fissuras clauorum. Deinde docens non esse vi-
sionem quod videatur, subiunxit. Spiritus car
nem & ossa non habet, sicut me videtis habe-
re. Corpus ergo non mutatum est in spiritum:
erat enim caro, & ossa, & manus & pedes. Ergo
etiam post resurrectionem corpus remansit
corpus.

Aliter.

Diuina natura sub aspectum non cadit. Be-
atus autem Stephanus, dicit se vidisse Domi- Actor. 7.
num. Corpus ergo Domini etiam post assum-
ptionem corpus est. Id enim vidit insignis vi-
ctor Stephanus, quandoquidem diuina natu-
ra cerni nequit.

Aliter.

Si vniuersa hominum natura visura est fili-
um hominis venientẽ in nubibus cœli, vt ipse Matth. 26.
dicit Dominus. Mosi autem rursus dixit ipse,
Nemo videbit faciem meam, & viuet. Sunt au Exod. 33.
tẽ ambo vera. Veniet ergo cum corpore, cum
quo in cœlos ascendit. illud enim est aspecta-
bile. Hoc autem Angeli quoq; dixerunt Apo-
stolis. Hic Iesus à vobis in cœlum assumptus, Act. 1.
ita veniet rursus quomodo vidistis eum eun-
tem in cœlum. Si autem hoc verum est, vt cer-
tè verum est: non est ergo vna natura carnis &
diuinitatis, est enim inconfusa vnio.

Quòd diuinitas Seruatoris est impatibilis.

Filium eiusdem esse substantiæ cum Deo
& patre, à sacra scriptura, & sanctis patribus
qui Niceę cõuenerunt, confiteri docti sumus.
Patrem autem esse impatibilem, & natura do-
cet, & scriptura prædicat. Impatibilem ergo
etiam filium confitebimur. Ex eo enim quòd
eadem est substantia, hæc docetur definitio.
Quando ergo Domini Christi crucem & mor
tem diuina prędicante scriptura audierimus,
dicamus esse pasionem carnis. Diuinitas e-
nim quæ est natura impatibilis, nullo modo
pati potest.

Aliter.

Omnia quæcunque habet pater, mea sunt,
inquit Christus Dominus. Omnium autem
vtique vnum est, impatibilitas. Si ergo est im-
patibilis, vt Deus: vt homo ergo passus est. Di-
uina enim natura affectionem & pasionem
non admittit.

Aliter.

Dixit Dominus, Panis autem quem ego da- Ioan. 17.
bo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi
vita.

Et rursus.

Ego sum pastor bonus, & cognosco mea, & Ioan. 6.
cognoscor à meis, & animam meam pono pro
ouibus. Corpus ergo & animam dedit pastor
bonus

bonus pro ouibus, quæ animam & corpus ha-
bebant.

Aliter.

Ex corpore & anima constituta est homi-
num natura. Ipsa autem peccauit, & opus ha-
buit hostia quæ nulli esset reprehensioni af-
finis. Cùm ergo corpus & animam accepisset
opifex, & ea à peccati maculis pura intactaque
seruasset: pro corporibus quidem dedit cor-
pus, pro animis autem animam. Si autem
hæc vera sunt, vt sunt, ab ipsa enim veritate
dicta sunt, nugantur simul, & blasphemant,
qui diuinę naturę pasionem affectionemque
tribuunt.

Aliter.

Primogenitum ex mortuis Dominũ Chri-
Colos. 1. stum beatus Paulus appellauit. Primogenitus
autem habet vtique eandem naturam cum il-
lis quorum dicitur primogenitus. Vt homo
ergo, est primogenitus ex mortuis. Primus e-
nim soluit dolores mortis, & dedit omnibus
iucundam spem resurrectionis. Qua ergo ra-
tione surrexit, ea etiam passus est. Vt homo
ergo passus est, vt Deus autẽ admirabilis, man-
sit impatibilis.

Aliter.

1. Cor. 15. Primitias eorum qui dormierunt Seruato-
rem Christum Diuus nominauit Apostolus.
Primitiæ autem habẽt eandem cognationem
cum vniuerso eo cuius sunt primitię. Non er-
go quatenus Deus est, appellatus est primitiæ.
Quæ est enim cognatio diuinitatis & humani-
tatis? Illa enim natura est immortalis: hæc ve-
rò mortalis, huiusmodi autem est natura eo-
rum qui dormierunt, quorum primitiæ Chri-
Resurrectio Christi fideiussor resurrectionis nostræ. stus appellatus est. Huius ergo naturæ est &
mors & resurrectio. Huius enim resurrectio-
nem habemus, tanquã fideiussorem commu-
nis resurrectionis.

Aliter.

Ioan. 20. Cùm dubitantibus Apostolis vellet Chri-
stus Dominus persuadere se morte profligata
resurrexisse, ipsis corporis partes ostendit, la-
tus, & manus, & pedes, & quæ in his seruata e-
rãt pasionis indicia. Hoc ergo resurrexit, hoc
enim ijs qui non credebant vtique ostensum
est. Quod autẽ resurrexit, hoc etiam sepultum
est. Quod autem sepultum est, hoc etiam fue-
rat mortuum. Quod autem fuerat mortuum,
hoc vtique etiam cruci affixum fuerat. Di-
uina ergo natura permãsit impatibilis, & coni-
uncta corpori.

Aliter.

Caro viuifica. Qui viuificam Domini carnem appellant i-
psam vitam esse mortalem dictis suis confir-
mant. Oportet autẽ eos intelligere, quòd pro-
pter vnitam ei vitã ipsa est viuifica. Sin autem,
vt ipsi dicunt, mortalis vita est: quomodo ca-
ro, quæ est natura mortalis, propter vitam au-
tem facta est viuifica, viuifica manserit?

Aliter.

Deus verbum est natura immortalis, caro
autem mortalis natura, facta est autẽ ipsa quo-
que immortalis post pasionem, propter com-
munionem cum verbo. Quemadmodum er-
go non est miserandum, eum qui immortalita-
tis dator est, mortem esse sortitum?

Aliter.

Qui carne Deum verbum passum esse affir-
mant, rogentur quid sentiant, & si dicere qui-
dem ausi fuerint, quòd corpore affixo diuina
natura dolorem subijt, discant diuinam natu-
ram animæ vsum non implesse, et enim Deus
verbum, animam cum corpore susceperat. Sin
autẽ hoc dictum, vt impium & blasphemum,
auersentur, dicant autem carnem quidem na-
tura esse passam, Deum autem verbum pasio-
nem vtpote propriæ carnis sibi accommoda-
se: ne perplexas verborũ tendiculas tenebras-
que afferant, sed peruersi dicti sentẽtiam aper-
tè pronũtient. Huic enim interpretationi eos
suffragantes habebunt, qui sacram scripturam
sequi volunt.

Aliter.

Diuus Petrus in sua catholica Christũ car- 1. Pet. 4.
ne passum esse dicit. Qui autem Christum au-
dit, non incorporeum Deũ verbum intelligit,
sed incarnatum. Christi ergo nomen vtramq;
naturam significat. Illud autem carne, adie-
ctum pasioni, non vtramque, sed alterutram
passam esse designat. Qui enim audit Chri-
stum carne esse passum, eum rursus vt Deum
impatibilem intelligit, soli autẽ carni pasio-
nem tribuit. Sicut enim cùm ipsum rursus di-
centem audimus, quod Deus iurauit Dauid, se Psal. 131.
de fructu ventris sui secundum carnem Chri-
stum suscitaturum, non Deum verbum ex se-
mine Dauid initium sumpsisse dicimus, sed
carnem quæ est eiusdem generis cum Da-
uid, quam Deus verbum sumpsit. Ita oportet
eum qui audit Christum carne esse pas-
sum, scire quidem carnis pasionem, sed im-
patibilem esse diuinitatem confiteri.

Aliter.

Crucifixus Christus Dominus dixit. Pater Ioan. 19.
in manus tuas cõmendo spiritum meũ. Hunc
autem spiritum, Arriani quidem & Eunomia-
ni dicunt esse diuinitatem vnigeniti. Inani-
mum enim corpus susceptum fuisse existimãt.
Qui veritatem autem prædicant, ita animam
vocatã esse dicunt, hoc ex ijs quæ consequun-
tur intelligentes: statim enim subiunxit sapi-
entissimus Euangelista, Et cùm hoc dixisset
expirauit. Hęc quidem sic narrauit Lucas. Be-
atus quoq; Marcus similiter posuit illud, Ex- Mar. 23.
pirauit. Diuinissimus autem Matthęus, quòd Matth. 27.
emisit spiritum. Admirabilis verò Ioannes,
quòd tradidit spiritum. Omnia quidẽ ex hu-
mano more dixerunt. Nam & expirauit, &
emisit, ac tradidit spiritum, de ijs qui mori-
untur dicere consueuimus. Nihil ergo horum
diuinitatem, sed animam apertè significat.
Quòd si quis etiam Arrij hąc in re sententiam
admiserit, nihilo secius sic quoque diuinæ na-
turæ immortalitatem ostendet. Patri enim e-
am commendauit, non autem morti tradidit.
Si ergo ij etiam qui animam adsumptam esse
negant, & Deum verbũ creaturam esse dicũt,
& pro anima ipsum in corpore fuisse asserunt,
eum non dicunt fuisse morti traditum: quæ-

nam eis venia dari poteſt, qui vnam quidem eſſe Trinitatis ſubſtantiam confitentur, & animam in ſua immortalitate eſſe ſinunt, Deum autem verbum, qui eſt eiuſdem cum patre ſubſtantiæ, mortem guſtaſſe impudenter audent dicere?

Aliter.

Si Chriſtus eſt, & Deus & homo, vt & ſacra docet ſcriptura, & beatiſsimi Patres perpetuo prędicarunt: vt homo ergo paſſus eſt, vt Deus autem manſit impatibilis.

Aliter.

Si carnem aſſumptam fuiſſe confitentur, & eam dicunt fuiſſe patibilem ante resurrectionem, diuinitatis autem naturam prædicant impatibilem: cur patibilem naturam dimittentes, impatibili paſsionem tribuunt?

Aliter.

Si chirographum noſtrum Seruator & Dominus cruci affixit, vt ait diuinus Apoſtolus: Corpus ergo affixit. Quilibet enim homo, peccatorum maculas, tanquam aliquas litteras, in corpore imprimit, & ea de cauſa pro ijs qui peccauerunt, immune ab omni peccato corpus tradidit. Coloſ. 2.

Aliter.

Quando corpus, vel carnem, vel humanitatem paſſam eſſe dicimus, diuinam naturâ non ſeparamus. Sicut enim vnita erat & eſurienti, & ſitienti, & defatigatæ, quinetiam dormienti, & de paſsione ſubeunda triſtitia ac mœrore confectæ, nihil horum quidem ſuſcipiens, ſed ei permittēs vt naturæ affectiones, & paſſiones ſuſciperet: ita etiam ei coniuncta erat dum crucifigeretur, & conceſsit vt peragereturpaſsio, vt paſsione mortem ſolueret, dolorem quidem ex paſsione non ſuſcipiens, paſsionem autem ſibi adaptans & accommodans, vtpote templi ſui, & carnis coniunctæ: per quam etiam membra Chriſti appellantur, qui crediderunt, & eorum qui crediderunt ipſe caput appellatus eſt.

Finis libri beati Theodoreti, qui inſcribitur Eraniſtes ſeu Polymorphus.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS HAERETICARVM FABVLARVM COMPENDIVM.

MAGNIFICENTISSIMO ET ILLVSTRISSIMO Domino, & Chriſti amantiſsimo filio Sporacio Theodoretus Epiſcopus Cyri Auguſtoeuphrateſiæ in Domino Salutem.

LAVDE quidem dignum eſt veſtræ magnificentiæ inſtitutum. Cupitis enim ſcire, quænam ab vtroque rectæ viæ latere à quibuſdam innouatæ ſunt ſemitæ, quorum finis eſt barathrum perditionis. Hoc autem nos cepit deſiderium, non vt peſsimè confictas, & quæ tetrum emittunt odorem, fabulas audiatis, ſed vt eos qui ignorant doceatis, quæ ſit via publica, quæ Apoſtolicis, & Propheticis veſtigijs exornatur, & finem habet regnum cœlorum, & quæ ſunt hæreticorum ſemitæ, quæ ſummum exitium ijs qui in eis ingrediuntur afferunt. Inſtitutum itaque, vt dixi, eſt optimum, & valde laudandum. Piam autem veſtram animam ſcire decet, quòd plurimæ ex antiquis hæreſibus, Dei gratia, extinctæ ſunt, & fuerunt, vt cum Propheta dicam, tanquā fœnum domorum, quod priuſquam efflorescere exaruit. Et nos fortaſſe quiſpiam reprehenderit, quòd quæ obliuionis tenebris mandatæ ſunt, eas in memoriæ lucem rurſus proferamus. His accedit, quòd plurimæ ſunt fabularum nugæ, & temere ac impudenter aduerſus Deum ſuſceptæ blaſphemiæ magnitudo, quam nefarium eſt effari linguis, quæ ad piè loquendū inſtitutæ ſunt. Quæ autē ab eis lege lata inſtituta, & re ipſa exercita eſt impudicitia, vitæq; obſcœnitas, ne qui in ſcena quidem educti ſunt, vel dicere, vel Pſal. 118.

re, vel alios audire ſuſtinuerint, adeò vel inſignes libidinū artifices longe à tergo relinquit. Quoniam autem ſi ſceleratiſsimorū horum dogmatū abominatio aperiatur, magis inuiſos reddit tam eos qui genuerunt, quàm eos qui ſtolidè crediderunt: hunc laborem prompto & alacri animo ſuſcipiam, quod ex eo redit emolumentum reſpiciens. Conabor autem de fabularum nugis quàm breuiſsimè fieri poterit dicere: ex blaſphemijs autem, eas quæ ſunt maximæ prætermittere, & libidinoſiſsima & maximè execranda orgia tranſilire. In quinque autem libros, ſi Deus velit, opus noſtrum diuidemus. Et primus quidem, illarum fabularum narrationē continebit, quarum parentes alium quidem opificem & creatorem confinxerunt: cùm vnum autem vniuerſorum principium negaſſent, alia quæ non ſunt principia poſuerunt, viſione autem & exiſtimatione Dominum inter homines apparuiſse dixerunt. Eorum autem dogmatum, primus quidem inuentor fuit Simon Magus Samaritanus, vltimus autem Manes Præſtigiator Perſa. Secundus autem, eos oſtendet, qui his contrariam religionem obſeruarunt. Qui eſse quidem vnum vniuerſorum principium confeſsi ſunt, hominem autem ſolummodo Dominum appellarunt. Huius autem hæreſis princeps quidem fuit Hebion, vſque ad Marcellum autem, & Photinum varia ſenſa & diuerſas accepit intelligentias. Tertius verò, eos oſtendet qui inter hos & illos germinarunt, & diuerſorum decretorum parentes fuerunt. In quarto autem demonſtrabimus recentiores hæreſes, Arrij inquam, & Eunomij, quæcunque poſt illas exorta ſunt, vſque ad hanc vltimam, quam Dominus repente euellit radicitus. In his ergo quatuor libris multiplicem hæreſum ſectarumque errorem aperiemus. Vt autem eorum qui lecturi ſunt, linguas, & eorum qui auditurі ſunt, aures abſtergamus, & à tetro ac peſtifero odore liberemus: veluti quendam ſuffitum, & odoriferum vnguentum, afferemus Euangelicorum Decretorum veritatem: & omnem hæreſim diuinorum eloquiorum doctrinæ contrariam oſtendemus. Porrò autem hæreſum antiquarum fabulas ex antiquis eccleſiæ doctoribus collegi Iuſtino Philoſopho & Martyre, & Irenæo, qui Galliæ gentes & coluit & illuminauit, & Clemente, qui cognomine Stromateus appellatus eſt, & Origene, & Euſebio, tam Paleſtino, quàm Phœnice, & Adamantio, & Rodone, & Tito, & Diodoro, & Georgio, & alijs qui linguas ſuas aduerſus falſum armarunt. Quæ autem ab illis ſparſim ſcripta ſunt, in ordinem redigam, & quæ ab illis prolixè dicta ſunt paucis dicam. Neque enim eis contradicere in præſentia inſtitui, nam etiam aduerſus eas, quæ nunc ſunt, libris editis in acie depugnaui, ſed ipſarum fabularum differentiam, quod mihi mandatum eſt, oſtendere decreui. Execrabilium autem hæreſum collectioni, nomen eſt, Hæreticarum fabularum compendium: Veritatis autem doctrinæ, Diuinorum decretorum epitome. Horum autem, & illorum commune eſt, veritatem à falſo diſcernere. Hortor autem eos qui in illos incident, vt vnumquodque dogma Hæreticorum cum veritatis doctrina collatum examinent. Ea enim etiam de cauſa quintum librum conſcripſi. Videbit enim eam ſequi ſpiritus eloquia: illa autem eſse prauæ cogitationis inuenta. Qui autem in alienis laboribus veritatis vires apertè inuenerit, in precationibus ſuis gratiam reddat tam ei qui conſcripſit, quàm ei qui vt conſcriberetur poſtulauit, quòd cùm ſago, & cingulo vtatur, & ei regendus exercitus mandatus ſit, & propterea ad regiam aſsidere cogatur: rerum tamen diuinarum cognitionem, & veritatis doctrinam præfert omnibus, & cum Propheta clamat, Quàm dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea eſt. Pſalm. 118.

NOMINA HAERETICORVM.

Veri & falsi dijudicatio.
De Dei benignitate, & Diaboli malignitate.
De Simone Mago.
De Septem hæresibus.
De Menandro.
De Sartonilo.
De Basilide.
De Isidoro.
De Carpocrate.
De Epiphane.
De Prodico.
De Valentino.
De Secundo, & de ijs qui ex Valentino occasionem accepere.
De Marco præstigiatore.
De Ascodrytis, vel qui vocantur Ascodrupitæ.
De Archonticis.
De Colobarsiis, qui ex ijs excisi sunt.
De Barbeliotis seu Borborianis.
De Sethianis, seu Ophianis, vel Ophitis.
De Cainis.
De Antictatis.
De Peratis.
De Monoimo.
De Hermogene.
De Tatiano.
De Seuero.
De Berdisane.
De Armonio.
De Ephnem.
De Florino & Blasto.
De Cerdone, & Marcione.
De Marcione.
De Apelle.
De Potito, & Præpone, & alijs.
De Manente.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS HAERETICARVM FABVLARVM
LIBER PRIMVS.

Sapientissimus vniuersorum Deus, paucis viris, ijsque piscatoribus & publicanis, & vni funium contextori, vniuersum terræ habitabilis orbem colendum tradidit. Scelestissimus autem Dæmon hominum pernicies, cùm videret eos multorum Deorum adorationis errorem spinas radicitus euellere, seque ijs qui ei obedirent priuari ac destitui: cùm sit machinarum consarcinator, & improbitatis artifex, alias insidiandi rationes excogitauit. Cùm enim homines sua operatione dignos elegisset, & veluti personam quandam eis Christianorum appellationem imposuisset, & tanquam melle quodam os poculi illiuisset, exitiale mendacij venenum hominibus obtulit: & cùm hominum perniciem sitiret, non expectauit vt Apostolorum prædicatio confirmaretur & inualesceret, & tunc fraudem offerret: Sed cùm primùm illi terram colere cœperunt, & vere pietatis ac religionis semina deijcere, is interea seminauit zizania.

DE SIMONE.

SImon autem primus, Samaritanus Magus, scelerati illius artificij administer extitit. Qui ex Gittis profectus, is est autem vicus Samariæ, & ad summum præstigiarum gradum proiectus, primum quidem admirabilium & prodigiosarum quas efficiebat rerum operationibus, multis persuasit, vt ei assiderent, & diuinam quandã eum potentiam nominarent. Deinde cùm vidisset Apostolos vera & diuina miracula peragere, & ijs qui accedebant spiritus gratiam elargiri: & vellet ab eis æqualem potestatẽ accipere: postquam magnus Petrus sceleratum eius animum deprehendit, & immedicabilia mentis eius vulnera iussit pœnitentiæ curare remedijs: ille statim ad priorem improbitatem reuersus est, & relicta Samaria, vtpote quæ salutifera semina susceperat, ad eos, quos nondum Apostoli coluerunt excurrit, vt cùm suis præstigijs ac imposturis simplices, & qui facilè capi poterant, decepisset, fabulosisque suis narrationibus vinctos tenuisset, efficeret vt sanctorum Apostolorũ decreta difficilius susciperentur. Sed diuina gratia magnum Petrum armauit aduersus eius insaniam. Is enim consequens execrandam eius doctrinam, veluti quandam caliginem & tenebras, discussit: lucis autem veritatis radios ostendit. Sed tamen quamuis vel apertè esset conuictus homo longè miserrimus, non cessauit aduersus veritatem

Actor. 8.

ritatem dimicare, donec venit Romam Claudio Cæsare imperante. Romanos autem suis præstigijs tanta admiratione affecit, vt etiam ænea columna honoraretur. Sed rursus veniens diuinus Petrus, fraudis eum pennis nudauit. Qui cùm eum tandem in miraculorum certamen prouocasset, & diuinæ gratiæ & præstigiarum discrimen ostendisset, omnibus Romanis videntibus eum ex magna altitudine deturbauit, cùm orasset: & qui miraculum viderant, eos cepit ad salutem.

SIMONIS HAERESIS.

ISitaque eiusmodi fabulam peperit. Infinitam quandam posuit potentiam, eam autem vniuersorum radicem appellauit. Eam autem ignem esse dicebat, qui duplicem habebat operationem. hanc quidem quæ cernebatur, illam verò quæ latebat: mundum autem esse genitum, genitum autem ex operatione ignis, quæ cernebatur, ex ipsa autem primo productas esse tres coniugationes, seu tria paria, quas etiam radices appellabat. Et primam quidem appellabat mentem, & mentis inuentionem. Secundam, vocem, & mentis comprehensionem. Tertiam autem, rationem, & cogitationem. Seipsum autem nominabat infinitam potentiam, & se Iudæis quidem tanquam filium apparuisse, ad Samaritanos autem tanquam patrem descendisse: ad alias autem gentes tanquam spiritum sanctum accessisse. & cùm meretricem nescio quam, quæ stabat in prostibulo, vocabatur autem Helena, secum habitare fecisset, eam esse primam suæ mentis comprehensionem dicebat: & matrem omnium nominabat, & se per ipsam Angelos & Archangelos fecisse: ab Angelis autem mundum esse architectatum. Angelos verò ei inuidentes ipsam apud se detinuisse asserebat. Dolebant enim, inquit, se eius dici opera aut effecta. Qua de causa eam quoque in multa muliebria corpora introduxerunt, atque adeò in ipsam etiam Helenam, propter quam Troianum bellum gestum est. Propter eam quoque seipsum dicebat descendisse vt ipsam ab ei impositis vinculis liberaret, & hominibus per eius agnitionem salutem præberet, mutatum autem descendisse, ne ab Angelis, qui creatoris opificium administrant, cognosceretur, & in Iudæa tanquam hominem apparuisse, cùm non esset homo, & passum esse, cùm non esset passus. Prophetas autem fuisse Angelorum administros. Iubebat autem eos, qui in ipsum credebant, illos non attendere, nec legis minas pertimescere, sed eos, tanquam liberos, facere quæ voluerint. Non enim per bonas actiones sed per gratiam eos esse salutem consecuturos. Quocirca, qui eius sectæ erant, se audacter omni libidini & intemperantiæ dedebant, & omni incantationum & præstigiarum genere vtebantur, amatoria quædam & pellicentia machinantes, & quæcunque alia sunt incantationum & præstigiarum propria, tanquam diuina mysteria persequentes, & cùm eius quidem statuam in Iouis figuram construxissent, Helenæ autem in Mineruæ speciem, eis thura adolebant, ac libabant, & tanquam Deos adorabant, Simonianos seipsos nominantes. Ex hac etiam amarissima radice exorti sunt Dosithiani, Cleobani, Gortheni, Masbothei, Adrianistæ, Eutichistæ, Canistæ. Sed ij omnes, cùm impię sectæ paruas quasdam mutationes excogitassent, non diu durarunt, sed obliuioni omnino traditi sunt.

DE MENANDRO.

MEnander autem, qui ipse quoq; fuit Samaritanus, ex Chabrai, qui dicebatur, vico profectus, illius quidem excepit præstigias. Se autem non primam nominauit potentiam, dicebat enim, eam cognosci non posse: Sed ab illa se missum esse iactitans, se ipsum seruatorem appellauit. Similiter autem ac Simon dicebat fuisse Angelos à mentis comprehensione productos, & eos mundum esse fabricatos, seruari autem eos qui in ipsum baptizabantur, & potentiores effici, etiam in hac vita, & potestatem accipere vt mundi effectrices potestates possent facillimè superare. Aduersus eum scripsit Iustinus, qui in habitu philosophi fuit defensor veritatis, & fuit Martyrij corona redimitus, & Irenæus, cuius etiam antè meminimus, fuit autem hic quoq; vir Apostolicus, & Origenes, qui in multis disciplinis studiose versatus est. Eum cùm habuissent Magistrum Saturnilus & Basilides, ille quidem Antiochiam, quæ est prope Oronten fluuium, patriam esse suam prædicans, Basilides verò Alexandriam, & Magistro & sibi inuicem repugnantes fabulas confinxere. Vterque autem fuit tempore Adriani Cæsaris.

DE SATVRNILO.

EGo autem Saturnili primũ fabulas ostendam. Is quemadmodum Menander, dicebat vnum esse patrem, qui omnino cognosci non potest: eum autem fabricatum esse Angelos, & alias potestates. Septem autem ex ijs mundum fecisse, & hominem finxisse, & ipsos inquit, dixisse, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cùm autem figmentum non posset erigi, sed instar vermis serperet, misérta, inquit, diuina potentia, vitæ scintillam immisit, & imperfectum hominem perfecit, hanc autem vitæ scintillam, post vitæ dissolutionem, reuerti ad potentiam, quæ illam miserat. Seruatorem autem & Dominum non solum dicit ingenitum, sed etiam ingenitum, & incorporeum, & nulla forma præditum. Visione autem, potius quàm rei veritate, hominibus apparuisse. Deum autem Iudæorum dixit vnum fuisse ex Angelis. Deinde commenti oblitus, ingenitum enim Seruatorem appellauerat, dicit patrem Christi volentem cum alijs angelis Iudæorum quoque Deum euertere, misisse Christum in mundum, ad salutem eorum hominum qui in ipsum crederent. Duas hominum dicit esse differen-

differentias, & hos quidem bonos, illos verò malos, & hanc in natura cœpisse differentiam. Dum autem mali Dæmones malis auxilium ferrent, venit, inquit, Seruator, vt bonis subueniret. Hic autem primus, matrimonium, Diaboli doctrinam nominauit. Iubet etiam abstinere ab animatis. Ex prophetijs autem, alias quidem dicebat dictas esse ab Angelis. qui mundum effecerunt: alias verò à Satana. Eum autem esse Angelum, qui Iudæorũ Deo valde aduersatur.

DE BASILIDE.

BAsilides autem, has vt viles fabulas contemnens, alias multo magis impias confinxit. Dixit enim ingenitum primum mentem genuisse, à mente autẽ prudentiam productam esse, prudentiam autem à ratione, à prudentia sapientiam & potentiam, ex ijs autem, Angelos & Archangelos, eos autem cœlum esse fabricatos, porrò autem ex eorum defluxu alios factos Angelos aliud cœlum fecisse primo simile: deinde rursus ex eorum defluxu alios enatos, architectatos autem esse etiam hos aliud cœlum, & qui ex his enati sunt, rursus aliud, & vsque ad trecentesimum & sexagesimum quintum enatum hunc defluxum, & cœlorum fabricationem durasse. Angelos autem, qui hoc cœlum vltimũ, quod à nobis videtur, habitant, mũdum fabricatos esse, & terræ dominium diuisisse, vnum autem, Iudæorum administrationem sortitum esse, & eum alijs imperare. Volenti autem ei suis gentibus omnes gentes subijcere, alios principes restitisse. Ingenitum autem hæc videntem, primogenitam mentem suam misisse, quam etiam Christum appellauit, vt seruaret eos qui vellent credere. Dicit autem eum minimè esse passum, sed Simonem Cyrenæum passionem sustinuisse; dum Christus esse putaretur. Christum autem eminus videntem Iudæorum insaniam & stuporem irrisisse, deinde postea ad eum qui miserat recessisse. Dicebat autem oportebat credere non in crucifixum, sed in eum qui visus erat crucifigi. Ita enim, inquit, fieri poterit vt à potestate eorum qui mundum fecerunt liberentur. Is autem negauit etiam carnis resurrectionem. Prophetias quoq; dixit ab Angelis esse factas: legem autem fuisse latam à principe Iudæorum. Iussit autem immolatis securè vesci, & vetitas actiones nullo adhibito discrimine peragere. Porrò autem ij quoque, sicut qui Menandri, & Simonis sectam sequuntur, incantationibus, & præstigijs, & omnis generis imposturis vtuntur. Quinetiam Angelorum nomina effingentes, hos quidem dixerunt primum habere cœlum, illos verò secundum, & ita deinceps vsque ad trecentesimum sexagesimum quintum. Seruatorem autem, & Dominum Caulacuam nominant. Hæc autem dicunt esse ineffabilia, & nec ab omnibus capi aut comprehendi posse, præterquam ab vno ex mille. Dicit autem principem ipsorum esse Abraxax. Nominis enim supputatio trecentorum sexaginta quinque numerum significat. Habebat autem etiam Prophetas Basilides Barcabam, & Barcoph, & quosdam alios similiter barbaros. Quinetiam his alias sceleratiores fabulas confinxit, quas non addidi, ne ij qui in eas inciderent, aliquid detrimenti ex ijs acciperent.

DE ISIDORO.

ISidorus quoque filius Basilidis, cum aliquo additamento Patris fabulosa commenta confirmauit. Aduersus eos autem decertant Agrippa, cui etiam cognomen est Castor, & Ireneus, & Clemens Stromateus, & Origenes pro veritate pugnantes.

DE CARPOCRATE.

CArpocrates autem Alexandrinus genere, ab Angelis quidem dicebat ipse quoque creationis factum esse opificium. Dominum autem Iesum ex Ioseph & Maria natum esse, sicut & alij homines. Virtute autem fuisse insignem, vt qui puram habebat animam, & memorem suæ cum ingenito consuetudinis. Dicit autem etiam eos qui illi similes fuerint, contemptis mundi effectoribus Angelis, potestatem accipere ad facienda similia. Quòd si etiam puriorem quis habuerit animam, superabit, inquit, vel filij dignitatem. In tantam arrogantiæ insaniam impegerunt hi homines, præstigijs quidem vtentes, & dæmonas inuocantes, libidinem autem & impudicitiam tegere non ferentes, sed incontinentiam & intemperantiam pro lege habentes. Opinione enim, inquit, non veritate, hæc quidem mala, illa verò bona esse videntur. Verum enimuero quoniam nunc in hoc loco versor, nescio quomodo possim transilire legem impudicitiæ. Cùm enim Pythagoricas à corporibus in corpora traiectiones admisissent, quod ei connexum à Pythagora dicebatur, non admiserunt. Pythagoras enim dicebat animas quæ peccarant mitti in corpora, vt & pœnas darent, & ritè expiarentur. Hi autem causam afferunt illius in corpora transitus, quæ Pythagoricæ ex diametro repugnat. Dicunt enim animas mitti in corpora, vt omne genus libidinis & petulantiæ peragant. Eas ergo quæ in vno descensu impleuerint, non egere alia missione. Quæ autem parum peccarunt, & bis mitti, & ter, & sæpius, donec omnia vitiorum genera impleuerint. Ne quis autem existimet me hæc aduersus eos fingere, Irenæi viri Apostolici, qui Occidentem illuminauit, testimonium proferam. Is autem scribit in primo libro eorum quos scripsit aduersus hæreses. Et fieri quidem ab eis impia, nefaria & vetita ego non credidérim, sed in libris eorum ita scripta sunt, & ipsi ita exponunt, dicentes, Iesum in mysterio cum discipulis suis & Apostolis seorsum esse locutum. eumque ijs qui digni erant, & parebant tradere voluisse. Per fidem enim & dilectionem seruari, reliqua autem, cũ sint indifferentia, pro opinione hominum aliquando quidem bona aliquando mala existimari, cùm nihil sit natura malum. Hæc ergo de his dixit admirabilis Irenæus. Quæ autem sequuntur non adijcit. Insignem enim continent insaniam.

DE EPIPHANE.

EPiphanes autem eius filius, in Platonica institutus doctrina, eius fabulas vberiores & ampliores effecit. Hi autem Adriano imperante improbas has hæreses confirmarunt.

DE PRODICO.

EVm verò secutus Prodicus, eorum qui Adamitæ dicuntur hæresim constituit. Is apertè & palam scortari adiecit decretis Carpocratis. Mulieres enim esse communes constituit. Quamobrem non solum in conuiuijs publicis, candelæ lumine paulo longius remoto, in quancunque inciderat, cum ea vnusquisque coibat, sed etiam mystica initia eiusmodi incontinentiam existimabant. Atque huius quidem etiam testem Stromateum Clementem producam, virum sanctum, & qui multarum rerum peritia omnes antecellit. Ita autem dicit in tertio Stromatum. Sunt autem qui publicam Venerem mysticam communionem nominant, vel ipso nomine se petulanter, & contumeliose gerentes. Deinde cùm nonnulla subiecisset de suilla eorum intemperantia, hæc quoque subiunxit. Homines infelicissimi carnalem concubitus communionem consecrant, & eam existimant illos ad regnum Christi perducere. Eos ergo ad fornices, & lupanaria hæc deducit communio: & cum eis communicauerint & sues & hirci: in maxima autem spe apud eos fuerint meretrices, quæ præsunt prostibulo, vt quæ volentes omnes passim & liberè admittant. Cùm autem etiam alia similia adiecisset, subiunxit. Talia etiam Prodici sectatores, qui se Gnosticos falso nomine appellent, dogmata decernunt.

DE VALENTINO.

VAlentinus, accepta occasione ex his omnibus hæresibus, infinitas fabulas composuit. Constituit autem hæresim tempore Antonini primi. Posuit primum Aeonem, hoc est æuum perfectum, quem & ante principium, & propatrem, & profundum appellat. Quinetiam Enncæam quandam hoc est mentis conceptionem, esse vnà cum illo, quæ grata & veneranda dicitur. Eum dicit infinitis sæculis amplexum esse quietem. Sequente autem postea tempore, ex vtrisque factam esse mentem & veritatem. Vnigenitum autem mentem nominant. Has autem duas coniugationes vocant Pythagoricum quaternionem, & omnium radicem. Ex mente autem & veritate dicit productam esse rationem & vitam, ex ratione autem & vita hominum etiam Ecclesiam. Quatuor autem coniugationes esse generis, principem ogdoadem, & radicem, & substantiam omnium, & primum Aeona esse dicunt, deinde rationem & vitã, post hominis & ecclesiæ productionem, produxisse alios Aeonas decem, profundum, & mixtionem, senij expertem, & vnionem, per se nascentem, & voluptatem, immobilem, & concretionem vnigenitam, & beatam. Ex homine autem & ecclesia alij producti sunt Aeones duodecim, Paracletus, & fides, Paternus, & spes, maternus, & dilectio, mens, & intelligentia, ecclesiasticus & beatitudo, voluntarius, & sapientia. Hos triginta Aeonas dicunt cæteros quidem omnes latere, sibi verò esse cognitos. Deinde cùm multa fabulosa commenta narrasset, vt ostenderet esse venerandũ octonarium, & denarium, & binarium, & tricesimum numerum, dicit profundum esse eiusmodi naturæ, vt ab ijs quæ ab eo orta sunt nec apprehendi, nec videri, nec alijs declarari possit, retinuit silentium, & hoc aggredi prohibuit. Postremus autem Aeon, quem vocant sapientiam, cùm idem eum cepisset desiderium, quod autem desiderabat non potuisset assequi, peperit, inquit, informem substantiam. Talem autem fœtum editum ægrè ferens, accessit ad Propatrem, & suam ei affectionem exposuit. Vnà autem cum ipsa reliquoque Aeones supplicarunt, & ei quidem aliqua venia data est: Informem autem fœtum, dicunt esse materiam, quæ ex ignorantia, & tristitia, & metu, & increpatione orta est. Prouidens autem profundum, ne alij quoque Aeoni aliqua eiusmodi affectio accideret, producit terminum, non cum fœmina coniuge. Aliorum enim Aeonum vnusquisque cum fœmina coniunctus est. Hunc autem terminum crucem quoque nominant. Quinetiam alia quoque nomina confingunt. Propterea dicit etiam expiatam purgatamq; sapientiam, ab affectione fuisse liberatam, cogitationem autem illam, quam & affectionem, & fœtum informem, & materiam nominarunt, terminus ab ea procul abiecit. Postea dicit vnigenitum, patris consilio & sententia, ad Aeonum securitatem & constitutionem, produxisse Christum & sanctum spiritum. Dicunt enim Christum docuisse Aeonas patrem esse incomprehensibilem. spiritus autem sanctus præstantiorem æqualitatem Aeonibus inter se dedit. Hæc autem assecuti Aeones, Propatrem quidem laudarunt. Cùm autem communiter pulcherrima eorum quæ habebant vnusquisque contulisset, per ea Iesum producunt, quem & seruatorem nominant, & Christum verbum. Cum ipso autem alios quoque Angelos produxerunt, vt essent eius satellites. Hæc autem omnia intra pleroma nominant. Extra pleroma autem hæc sunt ea quæ dicuntur. Cogitationem sapientis illius, quem etiam fœtum informem appellarunt, vocant Achamoth, esse autem extra pleroma, & in vmbra quadam & inani degere, misericordia autem motũ, eum qui dicitur Christus, extensum esse per terminum, & crucem quæ dicitur, & formam quæ est

est ex substantia illi dedisse, cognitione autem destitutam reliquisse, & postea ad seipsum contraxisse potentiam. Illam autem, cùm sensisset lucem, quæ eam apprehenderat, ad eum quidem inquirendum cucurrisse, à termino autem prohibitam esse progredi, cùm dixisset, Iao. hinc enim hoc quoque nomen factum esse dicunt, deinde ægre ferentem se progredi prohibitam, tristitiam, & metum, & dubitationem admisisse, postea ad eam accessisse conuersionis desiderium. Ex his autem affectionibus dicunt hunc mundum constitutum. Ex conuersione quidem, Creatorem, & omnium animas: ex alijs autem affectionibus, reliqua. Ex eius quidem lachrymis humidam substantiam, ex risu autem lucem, ex alijs verò alia. Non enim à reprehensione alienum futurum, puto, si dicam omnia quæ illi fabulantur. Dicunt autem eam rogasse Christum, qui eius erat misertus, vt ei lucem impertiret, eum autem preces quidem suscepisse, non autem accessisse, sed Iesum misisse vt in eo crearentur visibilia & inuisibilia, & throni, & dominationes, & diuinitates, vt ipsi dicunt. Accessit ergo cum productis Angelis, & ab ijs quæ euenerant affectionibus separauit, eaque separata compegit. Ipsam autem separatam ab affectionibus cepit Angelorum desiderium, & spiritalem fœtum produxit Angelis similem. Is autem sursum recurrit. Ex conuersione autem dicunt animalem factam esse substantiam, Deumque ex ea esse formatum, & Patrem, & Regem eorum, qui eandem, inquit, cum eo habent animam, quæ dextra appellant, & materiæ quæ sinistra nominant. Dicunt enim omnia quæ videntur eum sibi propria effecisse. Vocant autem eum & Matri patrem, & Patrem, & Creatorem seu opificem. Et quid opus est vt eorum fabularum omnes ineptias recenseam? ijs enim quæ dicta sunt est vniuersum figmentum simile. Dicit Christum, cùm apparuisset, ex Achumoth quidem accepisse id quod est spiritale: à Creatore autem id quod est animale Christum indutum esse, ab Oeconomia autem adiectum esse corpus, quod habet animalem substantiam, arcano autem & ineffabili modo factum est, fuisse autem contrectabile, aspectabile, & patibile, materiale autem nihil penitus dicunt eum cepisse. Nihil enim eorum quæ ex materia constant salutem suscipit. Dicunt autem se quidem seruari ex sola cognitione, nos autem ex fide & bona actione. Se autem operibus non egere, cùm ad salutem sufficiat cognitio. Quocirca qui sunt apud eos perfectissimi, quidquid est diuinis legibus prohibitum, securè & absque vllo metu perpetrant. Nam & festa gentilium celebrant, & immolatis vescuntur, & libidini ac voluptati seruiunt, quidquid malum est indiscriminatim audent admittere.

DE SECVNDO.

SEcundus autem, qui Valentino successit, bipertito diuisit ogdoadem, & hoc quidem illius vocat dextrũ, illud verò sinistrum, & adiecit lucem & tenebras. Porrò autem hinc quoque innumerabiles exorti sunt hæreseon principes & authores, Cossianus, Theodotus, Heracleon, Ptolemæus, Marcus, qui diuersa dogmata excogitarunt.

DE MARCO.

MArcus autem in arte quoq; Magica versatus est: & cùm prestigijs & incantationibus quædam admirabilia faceret, multos simplices, & qui facile capi poterant, decepit. Is cùm magnam quandam fabulam confinxisset, hanc sibi dicebat dixisse silentium, nec eum pudet ineptum pronunciare silentium. Is etiam XXIIII. literis Aeonas assimilauit, & has quidem mutas, illas semiuocales, alias verò vocales appellauit. Hi falsis nominibus inscriptorum & adulterinorum bellorum magna conscripta multitudine, stultos conantur perterrefacere. Tingentes autem eos qui decipiuntur, dicere consueuere, In nomine ignoti patris vniuersorum, in veritatem matrem omnium, in Iesum qui descendit, in vnionem, & redemptionem, & potestatum communionem. Admiscent autem etiam nomina Hebraica terrentes eos qui initiantur, quorum meminisse duxi superuacaneum. Ex his plurimæ, postquam serpens Agrostis germinauit, pullularunt hæreses. Eorum quoque partem esse dicunt eos, qui à nonnullis Ascodrutæ, ab aliquibus autem Ascodrupitæ vocantur.

DE IIS QVI DICVNTVR *Ascodryti vel Ascrodupetæ.*

HI autem dicunt non oportere diuina mysteria, quæ sunt inuisibilium signa, per res quæ videntur peragi: nec incorporea per sensilia, & corporea. Esse autem perfectam redemptionem, veram eius quod est cognitionem. Quæcunque enim videntur, ex ignorantia & affectione constituta, per cognitionem dissoluuntur. Oportet ergo etiam spiritalem esse redemptionem, quapropter nec eos qui accedunt baptizant, nec ab eis peragitur mysterium baptismatis. Vocant enim redemptionem, vniuersorum cognitionem. Ex his autem nonnulli, qui dicuntur Archontici, confictis quibusdam libellis, eos vocant reuelationes prophetarum. Vnum autem appellarũt, ensymphonia, in quo septem cœlos conscripserunt. Vnumquenq; autem ipsorum habere vnũ principem, Matrem autem quandam Photinam esse supremam. Anathematizant autem lauacrum, & mysteriorum communionem, vt quæ fiat in nomine Sabaoth. Dicunt enim eum in septimo cœlo tyrannidẽ exercere. Principum autem nutrimentum dicunt esse animas, & sine eo nõ posse illos viuere. Diabolum verò esse filium Sabaoth. Esse autem Sabaoth, Deum Iudæorũ: filium autem, cùm malus sit, non honorare ipsum, sed ei in omnibus aduersari. Cain autem & Abel dicunt filios diaboli. Quędam autem alia quoque fabulosa referunt, quæ sunt omni impietate referta. Aliqui autẽ alij, post mortem, mortuorum capitibus oleum & aquam inijciunt. Ita enim dicunt fore, vt ipsi sint inuisibiles, & potentiores ijs quæ intercedunt dominationibus, & potestatibus. Docent autem eos quoque dicere quandã fabulam, quam si scriptis inseram, me illarum quoque ineptiarum socium esse duxerim.

DE COLORBASIIS.

COlorbasij autem, ab eo quem ipsi propatrem appellant, dicunt primam factam esse ogdoadem. Seruatorẽ autem hi quidem ex triginta æonibus productum esse dicunt, & ideo vocari etiã Sydochiteon, hoc est complacendum, quia omne pleroma per ipsum complacuit patrem glorificare. Alij autem ex solis decem æonibus, alij verò ex Christo, & spiritu, ad pleromati stabilimentum factum esse, ipsumq; Patris appellatione vocari Christum, & multa eiusmodi alia prodigiosa recensent.

DE BARBELIOTIS SEV *Borborianis.*

EX Valentini seminibus, Barbeliotarum, seu Borborianorum, vel Naasinorum, vel Stratioticorum, vel Phemionitarum, qui vocantur, execranda secta pullulauit. Ponebant enim æonem quendam ab interitu alienũ degere in spiritu virginali, quem nominant Barbeloth. Barbeloth autem ab eo petijsse prescientiam. Cùm ea autẽ processisset, deinde rursus petiuisset, processit incorruptibilitas, deinde vita æterna. Lætatam autem Barbeloth concepisse, & lucem peperisse. Eam dicunt inunctam spiritus perfectione, Christum fuisse nominatam. Hic rursus Christus mentem annunciauit, & accepit. Pater autem adiecit etiam rationem. Deinde coniugati fuerunt mentis cõceptio, & ratio, incorruptio, & Christus, vita æterna & volũtas, mens & præsciẽtia. Deinde rursus ex mentis conceptione & ratione dicunt vnà cũ ea fuisse productam veritatem, & aliam rursus factam esse cõiugationem per se geniti, & veritatis. Et quid opus est dicere alias quoque productiones ex luce, & incorruptiones? Longa est fabula, & quæ, præterquam quòd est impia, nihil habet delectationis. His quoque Hebraica nomina adiecerunt, simpliciores perterrere conantes. Per se genitum autem, dicunt produxisse hominẽ perfectum & verum, quem etiam Adamantem appellant. Vnà autem cum eo productam quoque esse coniugem, perfectam cognitionem, hinc rursus ostensam esse matrem, patrem, & filium, ex homine autem & cognitione lignum germinasse, Cognitionem autẽ hoc quoque nominant: Iam verò ex primo Angelo productum esse dicunt spiritum sanctum, quem etiam sapientiam pronyicon appellarunt. Hanc autem dicunt coniugem appetentẽ, peperisse opus in quo erat ignorantia & arrogantia. Hoc autem opus πρωτάρχοντα, hoc est primũ principem appellant, & eum esse dicũt creaturarum opificem. Ipsum autem cum arrogantia congressum genuisse vitium, & partes eius. Hæc ergo summatim exposui, figmenti prolixitatẽ prætermittens. Eorum autem mysteria quis est adeò infelix, vt vel lingua proferat? Omnem enim improbam ratiocinationem, omnẽ denique execrabilem cogitationẽ superant, quę ab illis tanquam diuina peraguntur. Sufficit autem vel cognomen ad sceleratissimam eorum audaciam vtcunque significandam. Borborianiea de causa cognominati sunt.

DE SETHIANIS, SEV *Ophianis, vel Ophitis.*

SEthiani autem, quos Ophianos, vel Ophitas quidam nominant, hominem vocant omnium Deum, lucem ipsum rursus cognominantes, & beatum, & ab interitu alienũ vocantes, & in profundo habitationem habere affirmantes, eius autem mentis comprehensionem, filium hominis, & secundum hominem appellant. Post eum autem esse spiritum sanctum. Infra eos autem esse quatuor elementa, aquam, tenebras, abyssum, chaos. Fœmininum autem spiritum vocant, & eum super elementa ferri dicunt, amasse autem primum & secundum hominem formam spiritus, & progenuisse lucem, quam Christum vocant, cùm non posset autem mulier ferre nimiam lucis magnitudinem, scaturijsse, & Christum quidem vnà cum matre attractum esse in æonem à corruptione & interitu alienum, quam etiam veram ecclesiam appellant, rorem autem qui è luce scaturijt, deorsum cecidisse dicunt, & appellatum esse sapientiam, & pronyicon & masculo fœminam. In aquis autem natantem corpus quidẽ ex ipsis accepisse, & ne submergeretur in periculum venisse, sed tamen emersisse, ex corpore autem quo contectus fuit cœlum esse constitutum. Deinde cùm reliquum abiecisset, ad matrem euolasse. Illum autem appellant filium Prunici. Is autem rursus alium filium produxit, & ex illo dicunt alium esse constitutum, & vsque ad septenarium numerum processisse productiones, ab vnoquoque autem eorum vnum cœlum fuisse fabricatum, & vnumquenque proprium habitasse. Prædictis autem filijs nomina imposuerunt, vsi lingua Hebraica, quorum meminisse duxi superuacaneum. Dicunt autem alios cum primo seditionem agitasse, qui horum quidem erat auus, illorum verò abauus, aliorum tritauus, eum verò animi anxium, in materiæ fecem cogitationem defixisse, & genuisse ex ipsa filium Ophiomorphon, seu serpentiformem. Deinde gloriantem Ophiomorphi patrem dixisse. Ego Deus & Pater, & nullus est me superior, matrem autem ægrè tulisse, & acclamasse. Ne mentire, est enim te superior pater omnium, primus homo filius hominis.

minis. Hęc autem verba cùm audijsset serpentis pater, inquit, Agite faciamus hominem ad imaginem nostram. Quinetiam multa alia adijciunt, quę & impietate plena sunt, & nihil habent iucunditatis. Ophiomorphum autem illum vocant Michaelem, & Samana. Prophetas etiam diuidunt, & septem filijs, vt volunt, attribuunt, & Seth diuinam quandam potentiam esse dicunt. Quamobrem etiam Sethiani appellati sunt. Iesum autem dicunt esse alium prǫter Christum, & eum quidem qui Deus est, ex virgine esse natum. Christum autem è cœlis ad ipsum descendisse. Dicunt autem Apostolos quoque errasse ratos Seruatoris carnem resurrexisse. Quidam autem ex ipsis, dicunt Christum in serpentis speciem transmutatum, virginis vterũ subijsse, & ita miseri intelligunt dictum Apostoli, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit, serui formam accipiens. Nonnulli autem dicunt ipsum serpentem cum sapientia consuetudinem habere, & tanquam cum Deo aduersario, cum creatore bellum gerentem, Adam decepisse, & cognitionem dedisse, & propterea dictum esse prudentissimum esse omnium serpentem: flexuosam quoq; nostrorum intestinorum positionem corpus serpentis imitari, ea ratione ostendentem genitalem serpentis sapientiam. Et ea de causa serpentem adorãt, quem cùm quibusdam carminibus demulserint, in tenebris nutriunt, & in execrandis suis mysterijs eum mensæ offerunt. Cùm is autem ascenderit, panibus tanquã sanctificatis communicant.

Phil. 2.

Genes. 3.

DE CAINIS.

ALij autem, quos Cainos nominant, dicũt etiam Cain à superna authoritate fuisse liberatum. Esau autem, & Core, & Sodomitas, & omnes alios eiusmodi, suos esse cognatos confitentur, & eos odio quidem esse habitos à creatore, sed nihil ab eo noxię accepisse. Sapientia enim ab eis eripuit quod in eis habebat. Quinetiam Iudam proditorem solum ex omnibus Apostolis dicunt hanc cognitionem habuisse, & ideo effecisse proditionis mysterium. Eius autem etiam Euãgelium proferunt, quod illi composuerunt. Ille enim protinus strangulatus est, quæ fuit merces eius proditionis, & eum faciunt ea quæ sunt vetita, alicuius Angeli nomen inuocant, tanquam illi vtique intemperantiam largientes, & in vnaquaque impudicę actionis specie hoc faciunt. Pro varijs enim impudicitię formis totidem quoque numero Angelos eis dicunt respondere, qui earum rerum operatione coluntur.

DE ANTITACTIS *seu aduersarijs.*

ERant autem etiam quidam alij, quos impij Antitactas vocabant, qui magnum ignotum Deum, vt ipsi dicunt, Patrem suum nominabant, eum autem esse bonum, & Deum creatorem. Vnum autem quempiam eorum qui ex ipsis erant geniti, seminasse zizania, qui in nos omnes, vt ipsi dicunt, mala iniecit, vt qui optimo nostro patri restiterit. Quãobrem nos quoque illi resistimus, eius legibus, vt de patre vltionem sumamus, aduersantes. Et quoniam is dixit, Non adulteraberis, nos, inquit, adulteremur, vt eius præceptum infirmemus. Eos malorum inuentores iure quispiam nominauerit, qui suis libidinibus & impudicitijs blasphemias adiungunt.

DE PERATIS.

ADemes autem Carystius, & Peraticus Euphrates, à quo Peratæ vocati sunt, qui in ea sententia fuerunt: dicunt vnum esse mundum tripertito diuisum, & vnam quidem patrem esse veluti quendam magnum fontem, qui potest in infinita ratione diuidi. Primam autem partem appellant trinitatem, & eam vocant bonum perfectum paternum. Secundum autem, potentiarum infinitarum multitudinem. Tertiam verò vocant specialem, & primum quidem appellant ingenitum, & nominant tres Deos, tres rationes, tres mentes, tres homines, è superis autem ex Agennesia, & prima mundi diuisione, in ipsa mũdi consummatione in temporibus Herodis descendisse quendam triplicis naturę hominẽ, & tricorporem, & triplici potestate prædituũ, qui Christus vocatur, & transijsse mundũ ingenitum, & per se genitum, & venisse in hunc mundum in quo sumus. Cùm autem Christus de cœlis descenderit, quę ex supernis quidẽ descenderunt, vt reuertantur perficiet: quæ autẽ eis insidiata sunt tradet supplicio: & mundũ quidem ingenitum, & eum qui est per se genitus, etiam seruandum esse dicunt, hunc autẽ mundum perire, quem nominant specialem.

DE MONOIMO.

DIcunt Monoimum Arabem, cùm ex scientia Arithmetica accepisset occasionẽ, suam formasse hæresim.

DE HERMOGENE.

HErmogenes autem ex subiecta materia & congenita dicit Deum omnia esse fabricatum. Existimabat enim stolidus fieri non posse vt Deus vniuersorum ex ijs quæ nõ sunt fabricaretur. Is dicebat corpus Dominii in sole esse repositum. Diabolum autem & Dęmones esse in materiam refundendos. Theophilus Antiochenus Episcopus scripsit in eum, & similiter Origenes. Aduersus Valentinum autem, & eos, qui ab illo origenem cepere, & Irenæus, & Clemens, & Origenes.

Rom. 1.

DE TATIANO ET HYdroparastatis *seu Encratistis.*

TAtianus autem Syrus fuit primum sophista, postea verò etiam diuini Iustini Martyris fuit discipulus. Post Magistri autem mortem, desiderauit esse author, & princeps hæresis, figmenti autem sui materiam emendicauit, à Valentino quidem æonũ productiones, à Saturnilo autem & Marcione abhorrere nuptias, & animantium & vini vsum. Hunc habent ducem qui dicuntur Hydroparastatæ, & Encratistæ.

Cur dicuntur Hydroparastatæ, & Encratistæ.

NOminantur autẽ Hydroparastatæ, quod aquam pro vino offerant. Encratistæ autem, quòd neque vinum bibant, nec animatis vescantur. Ab his autem abstinent, ea tãquam rem malam abhorrentes, & cœlibatum persequuntur, matrimonium scortationem appellantes, & legitimam coniunctionem Diabolicam nominantes. Is autem composuit etiam Euangelium, quod dicitur per quatuor, amputatis genealogijs, & alijs, quęcunque ostendunt Dominum natum esse ex Dauid secundum carnem. Eo autem vsi sunt, non ij soli qui sunt illius sectæ, sed ij etiam qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius eo tanquam libro compendioso vtentes. Ego quoque inueni plusquam ducentos huiusmodi libros, qui in honore habebantur in nostris ecclesijs. Quos cùm omnes simul coegissem, deposui, & loco eorum reposui quatuor Euangelistarum Euangelia.

DE SEVERO.

SEuerus, suscepta eorum doctrina, eos qui ab ipso decepti fuerant, à suo cognomine appellauit. Hinc nõnulli, Encratitas Seuerianos appellant. Hi diuini Pauli epistolas, & Actuum historiam reijciunt. Aduersus eos scribit Musanus, veritatis patronus, & Clemens Stromateus, & Apollinaris, qui sacræ ciuitatis in Phrygia fuit Episcopus, & Origines.

DE BARDISANE.

BArdisanes autem Syrus ex Edesa ortus, floruit tempore Seueri & Marci Cæsaris. Ferunt eum multa resecuisse ex Valentini fabulis. Scripsit autem multa etiã lingua Syriaca, quidam autẽ ea in linguam Grecam transtulerunt. Ego quoq; in eius libros incidi, quos & contra fatum scripserat & aduersus hæresim Marcionis, & alios non paucos. Dicunt autem etiam Armoniũ, qui fuit eius filius, Athenis in Græca lingua fuisse institutum. Is quoque lingua Syriaca multa conscripsit.

DE EPHRAIM SYRO.

VTriusque autem errorem vir planè benedictus Ephraim Syrus confutauit.

DE FLORINO ET BLASTO.

IAm verò Florinus quoque & Blastus, qui in Presbyterorum catalogum Romæ erant cooptati, in Valentini perniciosam sectam declinarunt. Ferunt beatissimum Irenæum eorum morbum deplorantem scripsisse aduersus Valentinum. Hi ergo omnes à Simone initium ducentes, quædam inter se cognata, & conuenientia decreta pepererunt, æonas quosdam nominantes, & æonum productiones, & alias productiones productionum.

DE CERDONE ET MARCIONE.

MArcion autem, & Cerdo eius Magister, à Simonis ipsi quoque impostoris blasphemię occasionem cepere. Sed aliam impietatis nouam viam excogitauere. Cerdo enim fuit tempore Antonini primi. Dicebat autem alium esse Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi, non cognitum Prophetis: aliũ autem vniuersi effectorem, & legis Mosaicæ Legislatorem: & hunc quidem esse iustum, illum verò bonum. Hic enim, inquit, iubet in lege oculum pro oculo, & dentem pro dente excindere. Ille verò bonus iubet in Euangelijs, ei qui maxillam dextram pulsauit, aliam quoq; obuertere, & ei qui vult accipere tunicam, pallium quoque dare. Et hic quidem in lege iussit diligere amicum, odio habere inimicum. Ille verò iussit etiam inimicos diligere. Et non animaduertit stolidus, quòd etiam in lege iubet errantem inimici bouẽ reducere, & quod ceciderit iumentum erigere, & inimicum auxilio indigentem non despicere, & quòd, qui ab eo solus bonus vocatur, ei qui fratrem stultum vocat, minatur gehennam, & seipsum iustum ostendens, dixit, Qua mensura metimini, remetietur vobis. Sed hoc confutare non est prǫsentis temporis, maximè cum ab ijs qui diuinas scripturas legerunt, facilè possit deprehendi maledictum, & euidens blasphemia.

Matth. 5.

DE MARCIONE.

MArcion autem Ponticus, cùm hæc à Cerdone didicisset, non fuit tradita sibi doctrina contentus, sed etiam auxit impietatem. Quatuor enim ingenitas substantias oratione sua confinxit, & hunc quidẽ vocauit bonum & ignotum, quem etiam appellauit patrẽ Domini: illum verò opificem seu creatorem, & iustum, quem etiã malum nominabat, & præter hæc materiam, quæ mala est, & alij mala subest. Opificem autem, malo deuicto, accepisse materiam, & ex ea vniuersa fabricatum esse. Cœlum quidem, ex eo quod erat purissimum, ex reliquo autem quatuor elementa, ex fece autem quæ subsederat, inferos, & tartara. Rursus autem, cùm terræ id quod erat purissimum percolasset, constituit, inquit, Paradisum, ex eo autem, vno accepto cespite formauit Adam, ex sua substantia illi animam largitus. Hinc, inquit, existit inter corpus & animam concertatio, cùm corpus quidem ad materiam illam attrahere contendat, anima autem conetur corpus trahere ad Creatorem. Hi etiam serpentem Creatore meliorẽ & prǫstantiorem audent dicere. Hic enim arboris cognitionis participes esse vetuit, ille verò permisit. Nec animaduerterunt impij quòd serpentis cõsilium mortem peperit. Nonnulli itaque eorum serpentem quoque venerantur, & ego quidem apud eos inueni serpentẽ æneum in arcula quadam situm cum execrandis eorum mysterijs. Non solum autem Creatorem blasphemant, sed etiam Patriarchas, & Prophetas iniquos appellant, vt Creatorem malorum amatorem esse ostendant. Is ex Euange-

angelijs quidem id quod est secũdum Lucam solum suscepit, etiã genealogia magna ex parte amputata, Legem autem & prophetas & omne vetus testamentum reijcit, vt quod ab alieno Deo datum esset. Dicit autem Dominum nostrum Iesum Christum descendisse, vt qui in eum credidissent, eos à Creatoris seruitute liberaret. Visum autem esse hominem, cùm nihil humanum in se haberet, & visum esse pati, cùm nequaquam passus esset. Reiecit autem etiam corporum resurrectionem, eam fieri non posse existimans. Is Cain quidem, & Sodomitas, & omnes alios impios salutem dicebat assecutos, cùm apud inferos ad Christũ seruatorem accessissent, & in regnum esse assumptos. Abel autem, & Enoch, & Noe, & patriarchas, & reliquos Prophetas, & iustos, datam illis libertatem non esse adeptos, cùm ad eũ accedere noluissent. Qua de causa, inquit, vt etiam apud inferos habitarent condemnati sunt. Hæc Marcion aduersus Creatorem furiose debacchatus est, atque adeò his etiã multo grauiora. Maiores enim blasphemias silentio præterij. Noui autem quendam eorum senem nonagenarium, qui mane surgens sputi sui excremento faciem suam lauabat, & causam rogatus, dixit se nolle opus habere Creatore, nec aquam, quæ est ex illius operibus, accipere. Cùm autem præsentes dixissent, Quomodo ergo comedis, quomodo bibis, & vestiris, & dormis, & quæ constituta sunt mysteria peragis? Dixit se necessitate adductum hoc facere, quòd nec possit aliter viuere, nec mysteria peragere, & confessus est insanus vel inuitus nihil habere eum quiab illis vocatur bonus, sed omnibus bonis frui ex operibus Creatoris. Ego autem plurimis relictis, ad ea quæ deinceps consequuntur transibo. Nã hic rursus conuentus in multas partes diuisus est.

In quot & quænam dogmata diuisa est Marcionis secta.

APelles enim Marcionis ingenitis alium quoque πύρινον hoc est Igneũ, adiecit. Is quoque alium librum à se compositum Philumenes Prophetiam appellauit. Christo autem corpus attribuit, non humanum, sed è mundi substantia effectum.

DE POTITO, ET PREPONE, & alijs.

POtitus autem, & Blastus, & Syneros, & Prepone & Pithon, diuersis doctrinis præfuerunt. Ij autem omnes accepere occasionem ex blasphemia Marcionis. Plurimi aduersus hanc impietatem scripsere. Iustinus enim philosophus & Martyr, & Theophilus Antiochenus Episcopus, & Philippus Gortinę Episcopus, & Irenæus, cuius antè meminimus, Lugdunensis, Episcopus, & Modestus, & Origenes, & Rhodon, & Adamantius, & Hippolytus, & Emesenus Eusebius, ij omnes optimè, & doctissimè, hanc blasphemiæ rabiem confutarunt.

DE MANENTE.

MAnens autem erat quidem Persa genere, vt aiunt, longo autem tempore seruitutis iugum pertulit. Dum autem seruus esset, appellabatur Scythianus. Qui cùm dominæ suæ hæres factus esset, non satis habuit præter spem ditescere, quinimo nec bonorum donatorem laudauit, sed ad blasphemiam, impiarumque fabularum narrationem, linguã suam mouit, fuitq; perfectissimum instrumentum inimici veritatis. Is dixit duos esse ingenitos & æternos, Deum & materiam, & Deum quidem lucem appellabat, materiam verò tenebras, & lucem quidem bonum, tenebras autem malum. Imposuit autem eis etiam alia nomina. Lucem enim appellauit bonã arborem bonis fructibus plenam: materiam autem, malam arborẽ fructus radici conuenientes ferentem. Dicebat fuisse Deum longè à materia remotum, ipsumque à materia ignorari, & ab ipso materiam, & tenuisse quidem Deum septentrionales partes, & orientales, & occidentales, materiam verò meridionales, multis autem postea sæculis materiam cum seipsa seditionem agitasse, fructusque eius, inter se, cùm autem cœptum esset bellum, & hi qui dem persequerentur, illi verò fugerent, eos vsque ad lucis, fines venisse, deinde lucem contemplatos, simul & lætitia & admiratione affectos esse, & voluisse omnibus simul coniunctis copijs aduersus ipsam bellum gerere, & rapere, & cum suis tenebris lucem miscere. Profecta est ergo, vt dicit stulta, & inepta, & quæ non potest consistere, fabula, cum Dæmonibus, & imaginibus, & aqua, aduersus lucem quæ apparuerat. Deus autem veritus rem vniuersam pugnæ discrimini committere: neque enim habuit, inquit, ignem, vt fulgure & fulmine vti posset, neque aquã, vt inundationem induceret: neque ferrum, vel aliqua alia arma: tale quid machinatur. Accepta lucis particula, veluti quadã esca, vnà quoque hamũ materię immisit. Cùm autem iuxta illum sita, & supra ipsum strata esset, ea id quod immissum erat deuorauit, & alligata, ac veluti quadam glacie concreta & confixa est. Hinc dicunt coactum esse Deum mundum fabricari: partes aũt mundi dicunt non esse eius effecta, sed materiæ. Fabricatus est autem, dũ vult eius dissensionẽ componere, & quæ pugnabant in pacem redigere, adeò vt etiã paulatim lucẽ, quæ tenebris confusa est, liberaret. Porrò autem hominem quoque dicunt non esse à Deo formatum, sed à Principe materiæ, eum autem Saclam nominant, & similiter dicunt Euam à Sacla & Nembrod factam esse, & Adam quidem, beluina forma præditum fuisse creatum, Euam autem, inanimam & immobilem. Masculinam autem virginem, quam filiam lucis nominant, & Ioel appellant, vitã & lucem Euæ impertijsse. Adam verò ab Eua feritate liberatum esse: deinde eam postea luce nudatam esse. Saclam autem cum ea primum coijsse, & beluæ forma præditum filium ex ea suscepisse. Deinde cum ea etiã rursus coniunctũ esse

esse dicunt. Sed me fortasse merito quispiam reprehenderit qui hæc vt scribam possim in animum inducere. Quamobrem alijs fabulis nugisque prætermissis, dicam paucis capita impiæ hęresis. Ij Solem & Lunam Deos nominant, ipsum quidem quandoque Christum vocantes: & eius rei sufficiens argumentum afferunt, quòd sol defecerit dum esset crucifixus: aliquando autem dicentes defunctorum animas esse nauigia, quę à materia in lucem transeunt. Ita enim, inquit, paulatim liberantur à mala temperatura. Lunam autem dimidia sui parte cæsam fieri, quod exinaniatur, & luminosas animas à materia quidẽ accipere, apud lucem autem deponere, & ita lucem paulatim à mala temperatura liberari. Quando autem vniuersa lucis natura à materia separata fuerit, tunc dicunt Deum eam igni traditurum, & glebam, aut cespitem vnum facturum, cum ea autem illas quoque animas, quæ in Manetem non credidissent. Diabolum autem, aliquando quidem vocat materiam, aliquando verò materiæ principem. Nuptias autem dicit à Diabolo fuisse constitutas. Quæ autem in pauperes exercetur benignitatem, & humanitatem reprehendunt, dicentes eam esse venerationem materiæ. Dicunt autem Dominum nec sumpsisse animã, nec corpus, sed tanquam hominem quidem apparuisse, cùm humani nihil haberet. Crucem quoque, & passionem, & mortem, visione tantùm fuisse. Porrò autem corporum resurrectionem, tanquã fabulam, reijciunt. Nullam enim materiæ particulam dignam salute existimant. Dicunt autem animas quoque trãsire in corpora, & has quidem in volucrum, illas verò in iumentorum & ferarum & serpentum corpora immitti. Omnia autem esse animata, & ignem, & aquam, & aerem, & plantas etiam & semina existimarunt. Quamobrem qui apud eos perfecti vocantur, nec panem frangunt, nec olus scindunt, sed eos etiam qui hæc agunt, tanquam homicidas apertè execrantur: ex ijs tamen quę frãguntur & scinduntur comedunt. Præstigijs quoque egregie vtũtur, scelerata sua mysteria peragentes. Ea de causa valde difficiliter elui potest eorum doctrina, & qui execrandis eorum Orgijs interfuerit, eorumque particeps extiterit, valde est difficile transmouere à perniciem animis afferẽtium Dæmonum operatione, qui ipsos initiantium incantationibus eorum animas alligant. Hic autem Manes habuit ab initio tres discipulos, Aldan, & Thomam, & Herman. Et Aldan quidem misit prædicatum in Syriam: ad Indos verò Thomam. Postquam autem ij reuersi sunt, dicentes, se multa grauia, & perpessu difficilia sustinuisse, quòd nemo posset in animum inducere, vt Manentem magistrum susciperet, ausus est sceleratissimus se Christum appellare, & sanctum spiritum nominare, & dicebat se esse missum sicut Seruator erat pollicitus. Promiserat enim discipulis se alium paracletũ missurum. Is cùm duodecim discipulos ad Domini exẽplum fecisset, venit in Mesopotamiam, fugiens Regem Persarum. Cùm enim se iactasset curaturũ Regis filium, qui in morbum quendã inciderat, effecit vt in grauiora mala incideret. Postquã illinc quoque vt Dei aduersarius expulsus est, & Persidem repetijt, ac à rege correptus, Persico supplicio luit pœnas. Pelle enim nudatus, canibus deuorandus obiectus est. Is fuit exitus Manentis. Hæc sunt impiæ hæresis capita. Si quis enim vellet persequi omnes fabularum ineptias, multis libris opus esset. Talia impiorum hominum mentibus dogmata immisit Dæmon sceleratissimus, eiusmodi vsus est Tribunis militum & Centurionibus, aduersus veritatem dimicans. Sed araneæ telam, vt propheticè dicam, texuit. Dominus enim facillimè mendaciũ conuicit, & eius defensorũ classes & centurias dissoluit. Aduersus autem Manentis impietatẽ scripserunt præclari veritatis patroni, Titus, & Diodorus, quorum alter quidem fuit pastor Bostrenorum ecclesiæ: alius verò rexit Cilicum Metropolim. Scripsit etiam Georgius Laodicenus, vir qui fuit quidem author hæresis Arianæ, in philosophicis aũt disciplinis eruditus, præter eos autẽ Phœnix quoq; Eusebius cuius etiam prius meminimus. Ego autẽ ad aliam transibo cateruam. Esa. 49.

FINIS LIBRI PRIMI.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS HAERETICARVM FABVLARVM
LIBER SECVNDVS.

NOMINA HAERETICORVM.

De improba Diaboli machinatione.
De Hæreticis, qui fuerunt tempore Apostolorum.
De Hymenæo, & Phyleto, & alijs. Quod etiam de alijs Hæreticis prædixit diuinus Apostolus.
De Hebione.
De alia Hebræorum secta.
De Nazoræis.
De Cerintho.
De Artemone.
De Theodoto.
De Melchisedechianis.
De Elcesæis.
De Paulo Samosateno.
De Sabellio.
De Marcello.
De Photino.

Ciusmodi ramos ediderit amarissima radix Simonis, & quã exitiales ij fructus produxerint, in primo libro apertè ostendimus, fabularum quidem prolixitatem quàm breuissimè fieri potuit amputatam narrantes, maximas autem blasphemias dicere formidantes, ex sceleratis autem mysterijs, ea quæ erant nimis impia & execranda, silẽtio prætermittẽtes. Nos enim peccaturos existimauimus, si eos doceremus qui illa nesciunt. Neque enim, qui se omnino voluptati, & libidini mancipârunt, ea quæ illi improbè, & sceleratè audebant, cogitarent, vt tanquam execranda auersarẽtur. Hæc autem eorum animis immisit Dæmon sceleratissimus, cùm aduersus veritatis præcones bellum suscepisset, & aduersus eos, qui Deum ritè colunt, malam per hæc famam & existimationem spargere conaretur. Appellationis enim societatem, vt in omnes maledictum caderet, effecturam existimabat. Christiani enim, & execrandorũ dogmatum magistri, & ij qui erant Euangelicorum decretorum prædicatores, nominabantur. Quicunque autem ignorabant differentiam, omnes impios & nefarios existimabãt, qui erant vnius appellationis participes, & hæc ausus est improbitatis inuentor. & artifex, cùm primùm veritatis lux exorta est, & instar radiorum diuinos Apostolos in vniuersum terrarum orbẽ emisit. Cùm enim adhuc essent superstites, & Simon exortus est, & Menander, & alij Simonis discipuli, quorũ antea meminimus. Porrò autem dicunt Cerinthum, cùm benedictus Ioannes, qui diuinum Euangelium conscripsit, adhuc viueret, seminasse suæ hæresis zizania. Diuinus quoque
2. Tim. 2. *Paulus alios accusauit in suis Epistolis ad Timotheum. Ita autem dicit, Profanas autem vocum nouitates deuita, multum enim proficiunt ad impietatẽ, & sermo eorum vt cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuertunt quorundam fidem. Deinde ostendit veritatis firmitatem & stabilitatem. Sed solidum fundamentum fidei stat, habens signaculum hoc. Docet autem etiam quomodo Dominus omnium suorum curam gerit. Cognouit enim, inquit, Dominus qui sunt sui. Deinde hortatur fugere improborũ consuetudinem, & discedat ab iniquitate omnis qui vocat nomen Domini. Deinde exemplo medetur eis qui ægrè ferunt, quòd mali vnà cum bonis versentur. In magna enim, inquit, domo non sunt solũ aurea vasa & argentea, sed & lignea, et fictilia, & quædã quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Docet autem nostri etiã arbitrij libertatem, mentemq; esse imperatricem, & quæ potest suam inclinationem conferre quò voluerit. Ita autem dicit. Si quis emundauerit seipsum ab eiusmodi, erit vas in honorem sanctificatum & vtile, ad omne opus bonũ paratum.*
1. Tim. 2. *Scripsit autẽ etiam similia in priore epistola. Hoc præceptum enim, inquit, commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonã militiam, habens, fidẽ, & bonam conscientiam, quam quidã repellentes, circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. Per hæc aũt apertè docuit vitam iniquam esse fundamentum impietatis. Bonam enim conscientiam bonã vitam appellauit. Dicit aũt illos ea reiecta naufragasse circa fidem. Et rursus, Prophanas autẽ & aniles fabulas deuita. Et rursus, Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri, & ei quæ secundum pietatẽ est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed verbis pugnans,*
1. Tim. 6. *& circa quæstiones ægrotãs, & cætera. Et paulo pòst. Radix omnium malorũ est cupiditas, quam quidã appetentes, aberrauerunt à fide, & seipsos confixerunt doloribus multis. Porrò aũt in ipso fine clamat præcipiens, O Timothee depositũ custodi deuitãs profanas vocũ nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quã quidã promit-*

mittentes, circa fidem exciderunt. Hæc quidẽ apertè indicant, quòd eis adhuc prædicantibus, exorti sunt multi execrandarũ hæreseon authores. Prædicit aũt etiam, quòd post quã excesserint, nonnulli eos qui ipsis crediderint vana dogmata docebunt. Spiritus enim manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus deficient quidã à fide, 1. Tim. 4. *attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium matrimonium contrahere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem. In secunda etiam, cùm multa eorum qui post se futuri erant probra prædixisset, hæc quoque adiecit. Et hi sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iannes & Mambre restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mẽte, reprobi circa fidem. Deinde etiam prædicit fore vt falsum facilè deprehendatur. Sed non multum proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Ego autem Apostolica adduxi testimonia, vt ostenderem quòd dum adhuc seminarent, communis inimicus hæreseon zizania seminauit. Sed sapientissimus Dominus malorum quidem seminum deiectionem non prohibuit: plurima autem zizania in frumentum conuertit. Testantur & vrbes, & vici, qui à Simonis, & Menandri, & Cleobij, & Dosithei, & Gotthei, & Adriani, & Saturnili, & Basilidis, & Isidori, & Carpocratis, & Epiphanis, & alijs, vt semel dicam, eiusmodi zizanijs liberati sunt. Frumenta enim ab illis dispensata Dominus matura nominauit. Pauci autem admodũ, ijque dispersi per aliquot ciuitates: Valentini, & Marcions, & Manentis pernicie affecti remanserunt, ad eos fortè conuincendos, quibus nunc ecclesiarum pascendarum cura commissa est, qui nec paruas quidem impiarum hæresum reliquias mutare possunt. Dei autem aduersariũ Dæmonem belli aduersus pietatem gerendi nondum cepit satietas. Sed alij rursus aduersus veritatem bellum mouerunt, qui prædictis Hæreticis aperte contraria sanxerunt.*

DE EBIONE.

Cateruæ autem huius princeps fuit Ebion. Hebræi autem mendicum ita vocant. Is vnum quidem dicebat ingenitum, sicut & nos, & eũ ostendebat esse mundiopificem. Dominum autem Iesum Christum dicebat ex Ioseph, & Maria esse natum, quihomo quidem erat, sed virtute vitæque innocentia & integritate alijs antecellebat, ex lege autem Mosaica vitam instituebat. Solum autem admittunt Euangelium, quod est secundum Hebræos. Apostolum autem vocant Apostatam.

DE ALIIS EBIONITIS.

EX ijs erat Symmachus, qui vetus testamentum ex lingua Hebraica in Græcam linguam transtulit. Erat autem præter eam, alia secta, quę idem cognomen habebat. Hi enim etiam Ebionitę vocantur, qui in alijs quidem omnibus cum prioribus conuoniunt, nisi quod Seruatorem & Dominum dicunt natum esse de virgine. Vtuntur autem solo Euangelio secundum Matthæum, & honorant quidem sabbatum, vt vult lex Mosaica, diem autem Dominicum sanctificant, sicut & nos.

DE NAZORAEIS.

NAzoræi autem sunt Iudæi, qui Christum tanquam iustum hominem venerantur, & Euangelio quod dicitur secundum Petrum vtuntur. Conflatas esse has hæreses imperante Domitiano dixit Eusebius. Aduersus eos scripsit Iustinus Philosophus & Martyr, & Irenæus successor Apostolorum, & Origenes.

DE CERINTHO.

EOdem autem tempore, Cerinthus quoque aliam cepit hæresim. Is cùm in AEgypto plurimo tempore esset versatus, & in philosophicis scientijs esset eruditus, venit postea in Asiam, & suos discipulos ex suo nomine appellauit. Is autem docuit esse quidem vnum vniuersorum Deum: eum autem non esse mundi creatorem, sed separatas quasdam potestates, & eum omnino nescientes. Iesum autem similiter ac Hebræi, dicebat natum esse secundum naturam ex viro & muliere,

nempe Ioseph & Maria, temperantia autem, iustitia, & alijs bonis excelluisse, Christum autem in specie columbæ è supernis in ipsum descendisse, & tunc Deum qui ignorabatur prædicasse, & quæ scripta sunt miracula fecisse : tempore autem passionis recessisse quidem Christum : Iesum autem passionem subijsse. Confinxit autem etiam quasdam reuelationes, tanquam ipse eas esset contemplatus, & minarum quarundam doctrinas composuit. Domini quoque regnum terrenum futurum esse dicebat, & cibum & potum somniabat : lætitiasque & voluptates visione comprehendebat, nuptiasque & sacrificia, & dies festos, qui Hierosolymis celebrarentur, eaque mille annorum spatio esse complenda : tanto enim tempore putabat duraturum regnum Domini. Aduersus eum autem scripserunt, non solum ij quos antè diximus, sed cum illis etiam Gaius, & Dionysius Alexandrinus Episcopus. Eum cùm lauantem, vt aiunt, vidisset diuinus Ioannes Euangelista, accidit enim vt ipse quoque propter imbecillam valetudinem balneo vteretur, Fugiamus hinc, inquit, ne si balneum propter Cerinthum ruerit, nos quoque simus damni participes.

DE ARTEMONE.

QVidam quoque Artemon, quem nonnulli Arteman nominant, de vniuersorum Deo idem quod nos sentiebat, eum esse dicens effectorem vniuersi: Dominum autem Iesum Christum solum hominem esse dicebat, natum ex virgine, Prophetis autem virtute præstantiorem. Hæc autem dicebat etiam Apostolos prædicasse, sacrarum scripturarum sensum interpretans, qui illos autem consecuti sunt, Christum in Deos retulisse, cùm non esset Deus.

DE THEODOTO.

QVinetiam Theodotus, Byzantinus corarius, idem cum eo sentiens, alij sodalitati præfuit. Eum beatissimus Victor Romanorum Episcopus abdicauit, & excõmunicauit, vt qui decreta ecclesiæ conatus esset adulterare. Aduersus eius hæresim paruus conscriptus est Labyrinthus, quem nonnulli esse opus Origenis existimant. sed eos qui hoc dicunt ipse stylus conuincit. Siue autem ille, siue alius hoc conscripserit, talis in eo refertur narratio. Dicebat quendam nomine Natalem, qui fuit vnus ex præclaris confessoribus, fuisse deceptũ ab Asclepiade & Theodoto alio, qui erant eiusdem sectæ, vt mercede proposita vellet præesse sodalitati, propter insignem eius confessionem. Promittebant autem se ei singulis diebus daturos centum & quinquaginta denarios. Ei animarum sæpe suasit medicus, vt ab errore recederet, dicens eum non pro his sed pro Euangelicis decretis decertasse. Postquam autem non acquieuit, pretio seruiens quod se habiturum existimabat, eorum qui decepti erant Præfectus, grauia per Angelos ei verbera inflixit. Cùm autem experientia didicisset, qualia sunt, quæ Deo resistere conciliet, mane quidem velociter accessit ad ecclesiam. Ad Pontificis autem genua deuolutus, rogabat vt intercessio pro se fieret apud benignissimum & clementissimum Dominum. Eius autem deflentis, & se afflictantis ille misertus est, & manum præbuit ad pœnitentiam. Qui hæc autem de eo scripsit, prædictus scriptor hoc quoque adiecit, quòd qui hæresim composuerunt, diuinam etiam scripturam temere innouare ausi sunt, & hæc quidem amputare, illa verò adijcere, se quæ non bene habebant corrigere dicentes, & se sancto spiritu sapientiores pronuntiantes. Et nec in eo quidem faciendo eos inter se conuenisse dicit. Sed aliter quidem Theodotum, aliter verò Asclepiadem, & aliter Hermophilum, aliter verò fecisse Apollonidem. Quinetiam vnumquenque eorum sua propria correxisse, adeò vt exemplaria plurimum inter se dissentirent. De his ergo hæc didicimus.

DE MELCHISEDEchianis.

MElchisedechianos autem dicunt eorum esse partem : in vna autem re tantũ dissentire, quòd Melchisedech potentiam quandam & diuinam & maximam existimarent, ad eius autem imaginem Christum esse formatum. Incepit autem hanc hæresim Theodotus artificio argentarius.

DE ELCESAEIS.

ELcesæi autem, cùm ex quodam Elcesai, qui hæresim incepit, appellationem accepissent, fabulis ex diuersis hæresibus corrogatis, suum errorem composuerunt, & quod ad vniuersorum quidem principium attinet, nobiscum consentiunt. Vnum enim ingenitum dicunt, & eum vocant omnium opificem. Christum autem non vnum dicunt, sed hunc quidem infernè, illum verò supernè, & eum olim in multis habitasse, postremò autem descendisse. Iesum autem aliquando quidem ex Deo esse dicit, aliquando autem vocat spiritum, quandoque autem virginem matrem habuisse, in alijs autem scriptis ne hoc quidem. Rursus autem eum etiam dicit transire in alia corpora, & in vnoquoq; tempore diuerse ostendi. Incantationibus autem & Dæmonum inuocationibus, & baptismatibus hi quoque vsi sunt in elementorum confessione. Astrologiam autem & Magicam, & Mathematicum errorem amplectebantur, & seipsos Prognosticos appellabant. Apostolum autem omnino abnegarunt. Librum quoque quendam composuerunt, quem dicebant descendisse de cœlis. Qui eum autem audiuisset, peccatorum remissionem consequi, præter eam quam Christus dedit. Aduersus hanc hæresim verè scribit Origenes. Eam autem conflauit Alcibiades, ex Apamæa Syriæ profectus.

DE PAV-

DE PAVLO.

PAulus autem Samosatenus fuit quidem Antiochenus Episcopus, cùm autem illo tempore imperaret Zenobia (Persæ enim, victis Romanis, eam Syriæ, & Phœniciæ gubernatricem dederant) in Artemonis impegit hæresim, se ea ratione illam sibi conciliaturum existimans, quæ idem cum Iudæis sentiebat, eisque fauebat. Hoc cùm intellexissent ecclesiæ rectores, tutum esse non putabant tantum morbum negligere, qui serpere contendebat, & maximæ ciuitatis principem habebat adiutricem. Et Dionysius quidem Alexandrinus Episcopus, qui fuit doctrina insignis, peregrinationem quidem distulit, propter senectutis imbecillitatem. Literis autem ei suasit ea quæ conueniebat : & Episcopos qui conuenerant ad zelum pro veritate suscipiendum excitauit. Eorum autem qui conuenerant, primas partes obtinebant & Gregorius ille magnus, & celeberrimus, qui quæ ab omnibus decantantur miracula per in se inhabitantem spiritus gratiam peregit, & Athenodorus eius frater, & Firmilianus Cęsareæ Cappadocię Episcopus, vir illustris, & qui vtranque habebat, & externam, & diuinam scientiam, & præterea Helenus qui Cilicum regebat Metropolim. Ij autem, cùm multi essent qui conuenerant, præerant, & primum quidem suasionibus & exhortationibus conati sunt Paulum ab improba opinione abducere. Postquam autem ille apertè negauit se tale quid sensisse, sed se Apostolica decreta sequi dixit, laudato pro concordia, & consensione Domino, ad suos greges redierunt. Procedente autem tempore, fama vbique peruadens significat Paulum declinasse. Sed ne sic quidem benedicti patres ad eum amputandum processerunt. Sed primum quidem literis eius morbum sanare tentarunt. Sed postquam affectionem viderunt esse immedicabilem, Antiochiam rursus redierunt, & rursus lenia medicamenta adhibuerunt admonentes, & exhortantes, & pacta eius conuenta in memoriam reuocantes. Deinde videntes eum quidem inficiantem, instantes autem accusatores, & se eum conuicturos pollicentes, conuenerunt in concilium. Cùm autem quidam Malachio, qui prius quidem fuerat Rhetor, postea autem ordinatus erat Presbyter, cum Paulo disseruisset, deprehensus est dicere Christum hominem, qui diuina gratia fuerat insigniter dignatus. Tunc ergo illum à sacris numeris separarunt, concorditer aduersus eum sententiam ferentes. Quoniam autem resistebat, & ecclesiæ principatum obtinebat, cùm Aurelianum, qui tunc imperabat, Pauli audaciam docuissent, ei persuaserunt illum ab ecclesia abigere. Etenim vel idolorum cultui seruiens, iustum existimauit, vt qui eorum sententiæ resisteret qui erant eiusdem fidei, ab eorum societate & communione abscinderetur.

DE SABELLIO.

SAbellius autem Afer Pentapolitanus talem inchoauit hæresim. Dicebat patrem & filium & spiritum sanctum vnam esse hypostasim, & vnam personam, quæ tria habet nomina, & eundem aliquando quidem vocat vt patrem, aliquando autem vt filium, aliquando verò vt spiritum sanctum, & in veteri quidem testamento, vt Patrem legem tulisse, in nouo autem vt filium hominem factum esse: vt spiritum autem sanctum, ad Apostolos venisse. Aduersus eum conscripsit Dionysius Alexandrinus Episcopus.

DE MARCELLO.

MArcellus autem Galata, ei quidem consimiliter, negauit trinitatem personarum, quandam autem extensionem diuinitatis patris dicebat ad Christum venisse: & eam vocabat Deum verbum. Vniuersa autem peracta œconomia, eam rursus tractam, & reuersam esse ad Deum, à quo extensa fuerat. Spiritum autem sanctum dixit esse extensionem extensionis, & eam Apostolis esse exhibitam, & omnino existimabat trinitatem, & extendi, & contrahi pro consiliorum & œconomiarum diuersitate.

DE PHOTINO.

PHotinus autem existimabat vnam esse operationem patris, & filij, & spiritus S. alijs nominibus dogmatum Sabellij sensum prædicans. Aduersus hos quatuor scripsit diuinus Diodorus, qui rexit Cilicum Metropolim, ostendens Christum Deum ante sæcula in vltimis diebus hominem factum esse, & hominum salutem procurasse. Has omnes hæreses ad euertendam vnigeniti diuinitatem excogitauit qui hominum perniciem molitur Dæmon. Sed omnes extinxit qui increpat abyssum, & eam exiccat, qui dicit abysso, Fies deserta, & tuos fluuios exiccabo. Neque enim eorum vel minimæ manserunt reliquiæ, non Cerinthianorum, non Ebionitarum, non Elcesæorum, non Melchisedechianorum, non Sabellianorum, non Paulianistarum, non Marcellianorum, non Photinianorum. Sed omnia obliuionis tenebris semel tradita sunt, & nec eorum quidem sunt nomina multis cognita. Verum est enim quòd à nostro Seruatore dictum est, Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Diuina autem Euangeliorum dogmata pullularunt, & ad mare vsque extensi sunt Apostolorum palmites, & propagines terrarum orbem implerunt, & impleta est vniuersa terra cognitione Domini. At multa aqua maria tegat, & prædictionis veritatem rerum testimonium ostendat. Quod de futuris hæresibus Dominus quoque Christus prædixit. *Matth. 15.* *Psa. 79.*

FINIS LIB. II.

BEATI

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS HAERETICARVM FABVLARVM

LIBER TERTIVS.

NOMINA HAERETICORVM.

De Nicolaitis.
De Montanistis.
De alia eorum hæres.
De Noeto Smyrnæo.
De Tessarescædecatitis.
De Nauato.
De Nepote.

Voniam hæreses inter se contrarias in prioribus libris explanauimus: age alias quoque quæ inter has & illas pullularũt, eos qui ignorant doceamus. Quemadmodum enim terrestres mures, ex quadam aeris intemperie, & fœtida putrefactionis qualitate è terra enascuntur, & seminibus quidem exitium afferunt, & arbores quoque perdunt, Agricolæ autem venantes eos interimunt: ita ex malitioso diaboli artificio hæreses exortæ sunt, quæ paulò quidem leuiores homines lædebant. Sed optimi veritatis Agricolæ eas ex diuinis segetibus expulerunt, & vt omnino de medio tollerentur effecerunt. Earum autem insidias & per zizaniarum parabolam prædixit Dominus, & aperte Apostolus docuit, aliquando quidem dicens multos Pseudochristos, & falsos Prophetas, falsosque Apostolos exorituros: aliquando autem præcipiens vt eos cauerent, & subiungens. Multi venient ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Deinde docet quomodo oportet discernere differentiam ouis, & lupi, qui ouillo vellere indutus est. Ex fructibus, enim inquit, eorum cognoscetis eos. Deinde per quandam similitudinem, quod docet apertius ostendit. Nunquid, inquit, colligunt ex spinis vuas, vel ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Deinde cùm de eo prolixius esset locutus, subiunxit. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Impia ergo & execranda dogmata per se sufficiunt ad suum patrem ostendendum. Ex fructu, enim inquit, arbor cognoscitur. Sufficit autem etiam eorum exitus ad falsitatem conuincendam. Quod enim falsum est, facile dissoluitur, firmæ autem & stabiles sunt veritatis vires. Quocirca euanuerunt quidem diabolicæ operationis fabulæ, floruerunt autem, & germinarunt Euangeliorum dogmata, & cùm multi ea oppugnarint populi, & populorum duces, regesque & imperatores, permanserunt supra petram collocata ecclesiæ fundamenta. Infaustarum autem execrandarumque hæreson prædicatores fugerunt, vt dixit sapiens, nullo persequente. Eius enim vox est. Immisi manus meas, & aruerunt, & facti sunt tanquam fœnum siccum supra domos. Salutare autem meum erit in æternum, & iustitia mea non deficiet. Sed transeamus ad narranda quæ restant dogmata.

Matth. 7.

DE NICOLAITIS.

Icolaitarum hæresis, non solum ex ignorantia, sed etiam ex intemperãtia & impudicitia conflata est. de ea autẽ Clemens apertius docuit. Dixit autem Nicolaum fuisse vnum ex septem Diaconis quos Apostolorum chorus elegit ad viduarum ministerium. Tum autẽ, cùm aspectu pulchram vxorem haberet, apud Apostolos fuisse accusatum, quòd zelotypię morbo laboraret, cùm autem hanc opinionem amouerẽ conaretur, mulierem in medium adduxisse, & permisisse, vt qui vellet, cum ea haberet consuetudinem, non hoc quidem decernentem, sed eorum qui accusauerant calumniam conuincentem. Hinc nonnulli, quod ob causam iam antè dictam ab eo factum fuerat, pessimè accipientes, communes habere oportere vxores sanxerunt. Clemens autem dicit Nicolaum fuisse ex eorum numero, qui propter temperantiam clari, & insignes fuere, & liberos suos supernaturalem castitatem docuisse: & filium quidem suum cœlibem permansisse, filias verò virgines. Ex quibus pulchrè conuincuntur eos falso ex illius appellatione nomen sumpsisse, qui antè dictam intemperantiam exercent. Aduersus eos scripsit, & Clemens, quem antè diximus, & Irenæus, & Origenes, & Hippolytus Episcopus & Martyr.

DE MONTANISTIS.

Haeresim autem quæ Cataphryges vocatur, incepit Montanus, ex quo vico, qui illic situs est, nomine Ardaban, exortus. Is ambitione, & primum locum obtinendi cupiditate motus, seipsum Paracletum vocauit: & duas fecit Prophetissas, Priscillam, & Maximillam: & earum scripta libros Propheticos appellauit. Vicum autem Pepuzam nominauit Hierusalem. Is vt & matrimonium solueretur constituit, & noua ieiunia præter ecclesiæ consuetudinem introduxit. Quod autem ad veram trinitatis rationem attinet, non offendit, & de mundi creatione eadem nobiscum sensit. Qui autem ab eius doctrina pendent, vocantur quidem ab eo Montanistæ, vocantur autem etiam Cataphryges, à gente: Pepuziani autem, à vico quem ille nominauit Hierusalem. Priscillæ autem & Maximillę prophetiæ in maiori sunt apud eos honore quàm sacrum Euangelium. De mysterijs autem nonnulla quidam iactitant: Sed illi non fatentur, & sui accusationem calumniam appellant. Nonnulli autem eorum, tres personas diuinitatis, sicut & Sabellius negarunt, eundem esse dicentes patrem, & filium, & spiritum sanctum, quemadmodum Asianus Noetus. Aduersus eos scripsit Apollinaris, qui fuit sacræ vrbis in Phrygia Episcopus, vir laude dignus, & qui præter rerum diuinarum cognitionem, erat quoque externa disciplina præditus. Similiter autem & Miltiades, & Apollonius, & alij scriptores. Aduersus Patroclum autem, qui huic hæresi præfuit, scripsit Cainus, cuius etiam antè meminimus.

DE NOETO.

Noetus autem erat genere quidem Smyrnæus, renouauit autem hæresim, quam quidam Epigonius nomine primus peperit. Cleomenes autem acceptam confirmauit. Hæc sunt autem capita hæresis. Vnum dicunt esse Deum & patrem omnium opificem, latentem quidem quando voluerit, rursus autem apparentem, quando placuerit, & eundem esse inuisibilem, & videri, & genitum & ingenitum, ingenitum quidem ab initio: genitum autem quando nasci voluit ex virgine, impatibilem & immortalem: rursus patibilem & mortalem. Cùm enim esset impatibilis, crucis, inquit, passionem sua sponte sustinuit. Eum & patrem & filium nominant, prout vsus exegerit, vel hoc vel illud appellantes. Noeti autem appellati sunt qui hanc sunt hæresim secuti.

DE CALISTO.

Eam post Noetum defendit Calistus, qui etiam excogitauit quædam additamenta impietati dogmatis.

DE TESSARESCAEDECATITIS.

Tessarescædecatitarũ autem, seu Quartidecimariorum hæresis, hoc habet argumentum. Dicunt Ioannem Euangelistam, cùm prædicaret in Asia, docuisse ipsos celebrare festum Paschæ luna quartadecima. Apostolicam autem traditionem malè intelligentes, non expectant diem resurrectionis Domini, sed quandoque quidem tertia, quandoque verò quinta, aliquando autem sabbato, vel quomodocunque acciderit, passionis memoriam celebrant. Vtuntur autem etiam aberrantibus Apostolorum Actibus, & alijs adulterinis, vel potius à gratia alienis, quæ vocant Apocrypha. Conueniunt autem etiam cum Nauato. Nam ipsi quoque pœnitentiam auersantur.

DE NAVATO.

Nauatus autem erat Romanæ ecclesiæ Presbyter. Cùm autem vehementissima tempestas in ecclesias inuasisset, accidit vt quidam eorum qui in pietate educti fuerant, post multa probra & tormenta renunciarent, & verbis abnegationis abuterentur. Ii, cùm exorta esset tranquillitas, rogarunt vt pœnitentiæ medicamenta sibi consequi liceret. Atque optimis quidem Pastoribus visum est timendam esse Domini sententiam, quæ dicit, O pastores, quod confractum erat, non colligastis, & quod aberrauerat non reduxistis, & quod ceciderat, non erexistis: lapsisque manum esse porrigendam, & eos esse confirmandos, vt vult præceptum Domini. Ad magnum enim Petrum dixit Dominus, Simon, Simon, expetiuit Satanas, vt vos cribraret sicut triticum, & ego rogaui pro te, vt non deficeret fides tua. His consilijs Nauatus non acquieuit, sed aperte contradixit, dicens non oportere eos, qui abnegassent, salutem consequi, similiter faciens ac ij qui ægrotis prohibent ne vtantur medicamentis. Qui autem pœnitentiæ remedium postulabant, arguebant eum sæpe fuisse rogatum, & admonitum, vt ad eos veniret, & verbis saltem confirmaret, qui Tyranni machinis pulsabantur, eum autem se occultantem, & latere conantem, sequoq; esse presbyterum inficias iuisse. Sed tamen quamuis hæc audijssent qui Romæ conuenerant Episcopi: conati sunt persuadere, vt ijs quæ optime constituta fuerant assentiretur. Postquam autem viderunt eum furere, & Deo inuisam crudelitatem statuere: eum ab ecclesiæ corpore separarunt: cùm Cornelius Romæ ecclesiam regeret. Hic autem Nauatus, cùm admodum paucos, & qui facile

facile numerari possent, suæ esse hæresis socios persuasisset, abijt in Italiam, & tres oppidulorũ Episcopos decipiens, deduxit, tanquam apud Romanum Episcopum pro eo intercessuros. Cùm autem in quendam vicum vnà cum ipsis venisset, coegit vt eum manibus impositis Episcopum ordinarent. Atque ipsi quidem, cùm Romam venissent, hanc vim sibi factam conquesti sunt, & quæ facta fuerant docuerunt. Miser autem ordinem suffuratus, hæresis princeps effectus est. Qui suæ autem sectæ assectæ erant, eos non solum Nauatianos, sed etiam Catharos, hoc est mundos, appellauit, & nec Domini Dei accusationem veritus est, quam fecit aduersus nonnullos, dicens. Qui dicunt, mundus sum, ne me tangas, & subiunxit. Ipse fumus iræ meæ, ignis ardet in ipso omnibus diebus. Dominus enim superbis resistit. Eius autem successores etiam alia ipsius dogmati adiecerunt. Eos enim qui secundum matrimonium coijssent, à sacris mysterijs arcebant. Pœnitentiam autem à suo conuentu arcent penitus, ijsque qui ab ipsis tinguntur sacrum chrisma non prębent. Quocirca eos etiam qui ex hac hæresi corpori ecclesiæ coniunguntur, benedicti patres vngi iusserunt. Aduersus hanc hæresim, multas quidem epistolas scripsit Cornelius, multas autem Dionysius Episcopus Alexandrinus, & multi alij qui fuere tunc temporis Episcopi, per quos, omnibus statim aperta euasit Nauati crudelitas.

DE NEPOTE.

NEpos autem Episcopus vrbis Aegyptiacæ, in alijs quidem omnibus conueniebat cum dogmatibus ecclesiæ: in diuinis autem promissionibus errabat, vt qui eas in terra futuras crederet, & cibum & potum, & festa Iudaica, & mille annorum ambitus, qui in his insumuntur. Aduersus eum rursus scripsit Dionysius Alexandrinus Episcopus, in alijs quidem laudans: in his autem errorem conuincens. Hæc quidem inter eos, qui Dei & Seruatoris nostri negant humanitatem, & eos, qui hominem solum vocant, qui est Deus ante sęcula, exorta sunt dogmata. Et plurima quidem ex his, cùm primum germinassent, emarcuerunt, & arida manserunt. Quis enim nunc vllum nouit, qui à Nepote, vel Nicolao, vel Noeto, vel Proclo cognominetur? A Montanistis autem & Nauatianis & Tessarescædecatitis liberatus quidem est omnino Oriens, liberata est autem etiam Aegyptus, & Lybia. Ab his autem etiam immunis est Occidens, paruæ verò Asianæ & Ponticæ particulæ adhuc habent eorum zizania. Neque enim Pontus Polemoniacus, nec Helenopontus, nec Armeniæ, nec Cappadociæ, non Lycaonia, non Pisidia, non Pamphilia, non Lycia, non Caria has hæreses susceperunt. Iis autem qui colunt veritatem, plena quidem est terra: pleni quoque sunt ipsi orbis terræ fines. Vera est enim Dei vniuersorum prædictio quam fecit per linguam Prophetæ dicens Seruatori. Ecce dedi te in testamentum generis, in lucem gentium, vt sis salus vsque ad extremum terræ. Esaiæ quoque conuenientia dicit beatus Dauid. Dominatur enim inquit, à mari vsque ad mare, & à fluuijs vsque ad fines orbis terræ, coram eo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tarsis & insulæ dona offerent. Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ. Omnes gentes seruient ipsi. Hæ autem prædictiones per ecclesiam finem accepere. Hæreticorum autem doctrina, partim quidem radicitus euulsa est, partim autem à semiaridis arboribus nihil differt, in paucis vrbibus & vicis manens, & eorum qui illa composuerunt imbecillitatem & falsitatem ostendens. Dominus enim dispergit ac dissipat signa ventriloquorum, & diuinationes à corde, & statuit verba filij sui, & consilium Angelorum suorum verum esse ostendit, & dissipat consilia gentium, & infirmat cogitationes populorum. Consilium autem Domini manet in æternum. Cogitationes cordis eius in generationem & generationem. Beatus ergo populus, cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem suam.

Esa. 42.

Psal. 71.

FINIS LIBRI III.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS HAERETICARVM FABVLARVM
LIBER QVARTVS.

NOMINA HAERETICORVM

De Ario.
De Eudoxio.
De Eunomio & Aetio.
De Psatyrianis.
De Cyttianis.
De Dulianis.
De Macedonianis.
De Donatistis.
De Meletianis.
De Apollinaristis.
De Polemianis.
De alijs Apollinaristis.
De Audianis.
De Meßalianis, & Euchitis.
De Nestorianis.
De Eutychianis.

QVOD

QVOD plurimæ infaustæ & execrandæ hæreses, antiquis Valentini Deis profundo & silentio traditæ sunt, in libris iã scriptis ostensum est. Verum autem esse quod diximus, testantur vrbes & vici ab eis liberati. Sed pater mendacij, quẽ Dominus merito homicidã appellauit, hominũ enim animis semper insidiatur, alias insidiarũ machinas fabricatus est. Cũ enim animaduertisset omnibus execranda videri, quæ de Deo vniuersorũ ab illius discipulis dicta sunt, & quæ de diuina œconomia ab eis dicuntur, non eßе probabilia: Illi enim solam apparuiße diuinitatem, hi vero humanitatẽ destitutã, peregiße œconomiam dixerunt: temperauit impietatem ab vtraque exuperatione remotam.

Iodan. 8.

DE ARIO.

ET cùm inuenisset Arium humanæ gloriæ cupidum: & in eo arrogantiæ affectionem inflammauit, & Hæresis errorem ei indidit. Cùm enim is esset relatus in numerum presbyterorũ Alexandrinæ ecclesiæ, & magnum Alexandrũ in pontificali sedentem videret inuidiæ stimulo percitus est, & cùm pugnæ cum eo cõmittendæ materiam quęreret, occasionẽ inuenit dogmatum impietatem. Cùm ille enim herbam Apostolicã gregi offerret, & oues ad fontes Euãgelicos duceret: is contradixit ijs quæ dicebantur, & cùm sapientissimus doctor diceret filiũ esse eiusdem cum patre substantiæ, is repugnauit, creaturam vocans, quem filium germanum appellabat, & cùm ille diceret Deum verbũ Deo patri esse coæternum, vt qui esset in principio, & Deus verbum, & splendor gloriæ: is eum qui est, ex ijs quę non sunt factum esse dicebat, & ipsum mutabilem habere naturam asserebat. Porrò autem ipsam quoque incarnationẽ mutilam & truncam efficiebat. Ipsum enim corpus inanimum accepisse affirmabat. Diuinitatem autem ea quæ ad animam pertinebãt exercuisse, vt ei etiã attribueret qui ex corpore procedit consensum. Is etiam gloriæ diuinæ decantandæ legibus prætermissis, quas qui ab initio viderunt, & verbo inseruierũt, tradiderãt, aliam formã introduxit, docens eos quos deceperat, glorificare Patrem per filium in spiritu sancto, & quæ in diuino quidẽ fit baptismate inuocationem, propter nimis apertam transgressionem mutare non ausus est: sed ex Domini quidem pręcepto tradidit baptizandum esse in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: ex lege autẽ baptismi glorificare prohibuit, licet Deus, & Seruator noster, non absolutę baptizare, sed prius docere iusserit. Eũtes, enim inquit, docete omnes gentes, baptizãtes ipsos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ex hac lege autem, & diuini Apostoli, & qui illos secuti sunt, ecclesiæ doctores, docent eos qui accedunt, credere in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, & eos quos docuerunt baptizant in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Quocirca ij qui donum acceperunt, vt docti, erant ita etiam baptizati sunt. Patrem enim, & filium, & spiritum sanctũ glorificant. Est enim miserabile eos qui à trinitate baptismi donũ receperint, soli patri gloriam dare, & filium, & spiritũ sanctum nullo honore affectum relinquere. Sed hęc quidem in ijs quæ aduersus illos scripsimus prolixè diximus. Præsentis autem operis est institutum vniuscuiusque hæresis formam ac figuram ostendere. Hunc ergo Arium, qui hęc sentiebat, qui Niceę conuenerunt, sancti Patres aperte abdicarũt, vt qui omnino à diuinis scripturis aliena planeq; externa dogmata introduceret. Paulò pòst autem pœnitentiam prætexens, eis qui apud magnum Constantinum authoritate valebãt, persuasit, vt sibi daretur locus pœnitentię. Imperator aũt, suscepta supplicatione, iussit Regię vrbis Episcopum ei salutem desideranti manum porrigere. Diuinus aũt Alexander, is enim illius ciuitatis clauum tenebat, primum quidẽ conatus est persuadere Imperatori, ne fictis Arij verbis seduceretur. Postquã autem vidit eum ægrè ferre, tacitus exijt: constitutum aũt erat vt mane admitteretur Arius. Sabbatũ enim erat quando hęc dicta sunt. Alexãder ergo, qui Dei vere homo erat, cum duobus ex ijs qui cum eo versabantur, diuinũ templum ingressus, rogauit ecclesiarũ Dominum, ante sancta altaria humi prostratus, & lachrymas effundens, ne permitteret vt lupus misceretur cum ouibus, siquidẽ quæ sunt luporum vere volens agere, se ouis pelle contegit. Ferunt aũt eum hoc quoq; verbum suis precibus adiecisse. Sin aũt permittis, vt quanuis hæc moliatur, tamen ingrediatur, pertuum ineffabile consiliũ, nęque enim inuestigari possunt tua iudicia, me famulum tuum à præsenti vita libera. Ita facta oratione, in domunculam lachrymans reuersus est. Arius aũt existimans esse confirmãda Imperatoris promissa, diluculo processit. Deinde cũ venter ad egerendũ vrgeret, publicas latrinas ingressus est, qui eũ sequebatur famulo foris relicto. Repente aũt dissolutis & excretis intestinis, intus sedens mortuus est. Cùm ij aũt qui vnà sedebãt, ęp acciderat vidissent, & exclamassent, accurrẽs famulus & videns mortuũ, id quod euenerat domesticis renũciauit. Cùm aũt plaga diuinitus immissa vniuersę populosissimæ ciuitati significata esset, in templũ omnes simul accurrerunt. Postquam aũt & Imperatoris promissũ, & Pontificis preces cognouerũt, ecclesiarum pręsidem collaudarunt, & impietatis hæresim abominati sunt. Sed quãuis hęc ita facta sunt, & diuina sententia apertè ostensa fuit, perstiterunt tamen qui morbum susce-

Matth. 28.

perant, aduersus vnigenitum & sanctum spiritum suas linguas acuentes. Sed cùm hæc in ecclesiastica historia fuse scripserim, eadem dicere superuacaneum existimo. Relicto itaque Eusebio, & Theogonio Perinthio, & Menophanto Ephesio, & Patrophilo Scythopolitano, & alijs, Eudoxij tantùm meminero. Quæ enim de Aetio, & Eunomio narranda sunt, postulant vt eius fiat mentio.

DE EVDOXIO.

HIc Eudoxi⁹ Episcopus Germaniciæ, quę est ciuitas prope Taurum. Sed contempto oppidulo Antiochiam profectus est, cùm Leontij mortem intellexisset. Deinde arripit sedem prẹter leges ecclesiasticas. Imperatoris autem literis illinc expulsus, & venire ad synodum, quæ in Seleucia Isauriæ cogebatur, iussus, accessit quidem, vt ei imperatum fuerat. Sed tamen consessum ingredi non ausus est, sed maxima celeritate contendit Constantinopolim, & Imperatoris blanditus cubicularijs, peruasit vt illic cogeretur Synodus, & ne in illis dicendis sim prolixior, eorum enim omnium in illis scriptis memini, potuit & illius ciuitatis sedem inuadere, & ecclesias prædicatoribus veritatis priuare.

DE EVNOMIO ET AETIO.

TVnc cùm benedictum Eleusium Cyzico amouisset, Eusebium pro illo ordinauit. Eunomius autem Syrum Magistrum iactabat, & magnificè efferebat, cuius miserrimam vitam & quæ persequebatur studia, & Gregorius Nyssenus, & Theodorus homo Psychus, in ijs quæ aduersus Eunomium scripsit, perfecte docuerunt. Is Arij blasphemias aperte auxit. Qua de causa ipsum Constantius in quandam Phrygiæ solitudinẽ relegauit, idque cùm nondum à recta via deflexisset, nec in aliã declinasset. Post patris enim mortem, seductus à quibusdam, quibus cura illius corporis fuerat credita, legem tulit, quę prohibebat, vt neque ὁμόοιον, neque ἑτεροόσιον, auderet aliquis dicere filium Dei, non enim fas esse dicebat Dei substantiam scrutari, in omnibus autem eum Patri similem iussit dicere, & ideo Aetium, qui primus ausus fuerat dicere filium esse in omnibus dissimilem patri qui genuerat, misit in ante dictam solitudinem. Hæc cùm sciret Eudoxius, persuasit Eunomio ne quid sentirent aperirent, sed occultum tenerent, & tanquam furtiuum fœtum in tenebris alerent, donec loquendi opportunitatem & potestatem acciperent. His acquiescens Eunomius, adumbratam multis in Cyzico doctrinam afferebat. Impietatem autem parturiens, eam inter differendum præ se ferebat, & eorum qui audiebant animas sauciabat. Tunc diuino quidam zelo inflammati, zelum quidem prædicant: hæresis autem personam suscipiunt, & domum Eunomij venientes, rogarunt vt aperte doceret veritatem dogmatis. Ille autem inductus, & eos eiusdem secum esse sententiæ ratus, euomuit venenum quod celabat. Illi autem rursus vehementius orarunt vt eam doctrinam toti populo exhiberet, & Imperatoris obseruantiæ gregem suum præferret, qui veritatem scire desiderabat. Ita rursus deceptus Eunomius blasphemiam publicat. Illi autem, statim multis acceptis ex ijs qui erant eiusdem fidei, in aulam contenderunt, & Eudoxium, quam ausus erat dicere, blasphemiã docuerunt. Eudoxius autem ægrè quidem tulit, cùm audijsset Eunomium pacta conuenta transilijsse, accusatoribus autem pollicitus est rẽ sibi curæ fore. Sed eam omnino negligebat, negotiorum quibus detinebatur multitudinem prætexens. Eunomij verò accusatores, cùm Eudoxij institutum animaduertissent, Eunomij blasphemias Imperatori significarunt. Imperator autem primum quidem iussit Eunomiũ ad Eudoxium deducere, & propositam accusationem examinare. Postquam autem cognouit eum differre, assiduè enim veniebant accusatores, minatus est se vtrunque missurum in solitudinem in qua agebat Aetius. Timens itaque Eudoxius, duxit Eunomium, & primum quidem pacta conuenta ei in memoriam reuocauit, postea autem manifesto conuictum deposuit, eitam si ipse eodem morbo laboraret, Imperatoris enim minas formidabat. Eunomius autem se protinus hæresis authorem & principem constituit, idque cùm in quadam Pamphyliæ solitudine esset habitare coactus. Hinc exorta est secta Eunomianorũ. Is Theologiam τεχνολογίαν, id est ex Theologia artem effecit, aduersus vnigenitum & sanctum spiritum palam blasphemias eructauit, & filium quidem primam & eximiam Patris creaturam esse dicebat: spiritum autem sanctum ante alias creaturas esse à filio fabricatum. Ipse quoque subuertit sancti baptismi ritum à Domino & Apostolis ab initio traditum: & contrariam legem apertè tulit, dicens non oportere ter immergere eum qui baptizatur, nec trinitatem inuocare, sed semel baptizare in mortem Christi. Porrò autem baptizantes, ad pectus vsq; aqua madefaciunt, reliquis autem partibus corporis, tanquã abominandis, aquã adhibere prohibent. Qua de causa, quando in solio quidem baptizabant, cùm hominem extra id stauissent, eius caput vsq; ad pectus semel in aquam deprimebant. Postquam autem contigit sauciari quempiam, cùm caput ad solium impegisset, excogitarunt aliud genus baptismatis. In aliquo enim subsellio pronum hominem, extra id autem, caput sublime erigentes, effundunt aquam, quę nullam aliam partem attingit. Alij vero ex ijs alium quoque modum baptismatis inuenerunt. Maximam enim vrnam componunt, eamq; consecrant, & ea hominem ad vngues vsque inuoluunt, à pectore incipientes, deinde sic aquam infundunt. Hæc autem significarunt, qui illorum impietatem effugerunt, & se Seruatoris & Dei nostri ouibus cõiunxerunt. Porrò autẽ eos quoque aliud audere dicũt, quod non ausim scriptis committere. Sufficit enim vel

vel sola rei nefariæ & execrandæ auditio ad mentem polluendam. Sed an hæc quidem ab illis perpetrentur, an non, ego quidem non ausim affirmare: audiui tamen à viris qui res eorum perfectè tenebant. Cùm aduersus veritatem ita debacchatus esset Eunomius, studebat in dies morbum amplificare. Ausus est enim dicere se nihil ex rebus diuinis ignorare, sed ipsam etiam Dei substantiam exactè scire, eandemque habere de Deo cognitionem, quam ipse de seipso habet Deus. Hoc eius furore perciti qui sunt execrandæ illius sectæ participes, audent aperte dicere se ita Deum nosse, vt ipse seipsum. Alia quoque excogitauit, vt videretur nouorum esse dogmatum inuentor.

DE ARIANIS EVnomianis seu Aetianis.

HInc Ariana secta bipertito diuisa est, & hi quidem appellati sunt Ariani, illi verò Eunomiani. Ariani autem Eudoxiani quoque appellati sunt tempore Eudoxij. Vanæ enim gloriæ seruiens, suam appellationem ijs qui idem sentiebant imponere cupiebat. Illi ipsi autem etiam Exaconitæ vocantur, susceptà à loco appellatione, in quo solebãt conuenire. Eunomiani autem, etiam Aetiani appellabantur, nempe quod Eunomius Aetium suum magistrum & doctorem appellasset. Iidem autem etiam Troglytæ seu Trogloditæ vocantur, vt qui clanculũ in domibus conuentus suos celebrent, sunt enim admodum pauci, cùm omnes eos abhorreant & auersentur, propter blasphemiæ impudentiam, & maxima quidem pars orbis terrarum ab eorum pernicie liberata est, paucæ autem admodum ciuitates habent eorum aliquos, qui ipsi quoque conantur latere.

DE PSATYRIANIS, QVI ipsi quoque ab Arij hæresi deriuati sunt.

EX Arij autem blasphemia alia rursus secta erupit. Hi autem dicunt, Pater Deus, semper autem etiam filius à Deo creatus est. Idem est enim in Deo, & creare, & gignere. Eos Antiocheni vocant Tapsyrianos. Eum enim qui fuit illius sectæ princeps, dicunt eiusmodi placentarum fuisse effectorem.

DE CYRTIANIS seu Pytheciani.

POrrò autem alij quoque ab ipsis separati, à nonnullis quidem Cyrtiani, ab alijs verò Pytheciani appellati sunt, cùm quidã homunculus, & qui scapulas altas habebat, cum eis esset egressus, & vt hoc cognomen eis imponeretur effecisset.

DE DVLIANIS.

POstea autem alius quoque conflatus est cœtus, ab Arianis separatus. Appellationem autem ab impietate sortiti sunt. Duliani enim appellati sunt, quod vnigenitũ Dei filium δοῦλον, hoc est seruum Patris vocare ausi sunt. Eiusmodi autem syllogismo vtentes, suam blasphemiam confirmant. Omnis, inquiunt, creatura seruit ei qui illam creauit. Filius autem patris est creatura. Quot autem ceperunt ex Arrij furore blasphemiarum ansas, in tot etiam sectas Arrij hæresis diuisa est.

DE MACEDONIANIS.

IAm vero alia quoque præter prædictas ex his germinauit hæresis, quæ minus esse impia existimata est. Cùm enim Paulus regię vrbis pastor, ab ijs qui morbo Arij laborabant, esset expulsus: Macedonius in illius Ecclesiæ administratione in eius locum suffectus est. Hic autem Macedonius filium quidem esse eiusdem cum patre substantiæ omnino repudiauit. Vt similis autem in omnibus diceretur constituit, et vt ὁμοιούσιον pro ὁμούσιος, hoc est similis substantiæ, pro eiusdem substantiæ, diceretur, excogitauit. Spiritum autem sanctum similiter ac Arius & Eunomius blasphemare perrexit. Vnde qui ab eius secta appellantur, πνευματόμαχοι, hoc est spiritus aduersarij, nominati sunt. Hinc etiã Macedonianorum seminata est zizania.

DE DONATISTIS.

IN ea quoque regione, quę olim Lybia, nunc autem Africa appellatur, eorum qui Donatistæ vocantur amentiam excitauit communis humani generis hostis. Ij autem in hæresi quidem cum Arrianis conueniunt: sed nouũ insaniæ genus excogitarunt, violentã enim mortem martyrium nominant, & qui hanc quidem appellationem assequi volunt, id longo antè tempore ijs qui idem secum sentiunt significant. Illi autem eos omni genere officij obseruant, eisque inseruiunt, & omne ciborum genus afferunt, veluti quædam sacrificio destinata animalia præpascentes, & pinguefacientes. Cùm diuturno autem tempore in his delicijs laute & opipare vixerint, cogunt eos quos in vijs inuenerint, lethalia eis vulnera ense afferre, & nonnulli quidem institutum assequuntur, alij verò ab eo excidunt. Quis enim sanæ mentis in se cædis manifestæ crimen susceperit? Instar Corybantum itaque furentes, & debacchantes, se ex alto è præcipitijs deorsum præcipitant. Ego autẽ interim dum de Arianis loquor, volo aliquid lepidũ quod in his euenit narrare. Cùm enim permulti ex ijs, instar Phasianorum adipati, in generosum quendam iuuenẽ incidissent, deinde nudum ensem eiporrexissent, iusserunt vt eis afferret vulnera: & se eum interfecturum minati sunt, nisi imperatum faceret. Is autem dixit se vereri, ne aliquibus occisis, qui superessent, pœnitentia ducti pœnam cædis ab eo exigerent. Oportere itaque prius vnicuique eorum vinculum imponere, deinde sic ensem adigere. Cùm illi autem acquieuissent, & vincula accepissent, cùm virgis omnes cecidisset, eos vinctos relinquens, abijt. Eis vere hãc phrenesim immisit malus Dæmon.

DE MELETIANIS QVI *sunt in Aegypto.*

IN Alexandria autem Aegypti, quo tempore Arrius aduersus vnigenitum blasphemiam inchoauit, Meletius quidem Episcopus aduersus Alexandri magni principatũ seditionem agitans, in multis ciuitatibus ordinauit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, non nouæ hæresis principatum gerens, sed eadẽ quidem cum ecclesia sentiens, sed ambitionis & imperandi cupiditatis morbo laborans. Eum qui Niceę conuenerũt, sanctissimi patres, ab ecclesię administratione remouerunt. Qui autem ab eo ordinati fuerant, ijs quę pręter leges donata erant priuarunt. Hinc Meletianorum schisma in Aegypto constatum est. Sed ille quidem pietatis dogmatum nihil innouauit, hi autem, cùm Arianorum hæresim ab ijs qui tunc imperabant confirmari viderent, ad illam declinarunt. Nunc autẽ dicunt quidem eos esse ab hoc morbo liberatos, sed sine vllo metu degere, nec velle ab vllis regi, & cum ecclesijs coniungi recusare. Ea ratione, tanquã liberi & sui iuris, illa quoque ridicula excogitarunt. interdiu quidem corpus aqua mundare, cum plausu autem manuum, & quadã saltatione hymnos concinere, & multa tintinnabula funi appensa mouere, & alia his similia. Qua de causa magnus ille Athanasius perpetuo cum eis bellum gessit.

DE APOLLINARI.

APollinaris autem Laodicenus, nonnullis quidem scriptis, quod de Trinitate pronunciatum est non violauit, sed quemadmodum & nos, vnam quoq; diuinitatis substantiam, & tres hypostases, seu personas, prædicauit: in nõnullis autem gradus dignitatum definijt, se diuinæ distributionis diuisorem constituẽs. Eius enim inuentũ est illud, magnum, maius, maximum, tanquam magnus quidem sit spiritus, maior autem filius, maximus autem pater. Quid autem hoc magis ridiculum esse potest? Si enim vnam reuera esse dicit trinitatis substantiam, quomodo eandem & paruam & magnam existimauit? In corporibus enim quantitas & qualitas eiusmodi mensuras efficiunt. Natura autem ab his libera, ne horum quidem mensuras admittit. Sed nunc non contradicere, sed diuersas opiniones ostendere proposuimus. Hic ergo rursus in nonnullis scriptis hypostaseon seu personarum proprietates confundebat, & idem faciebat in trinitate, quod in œconomia ausus est. Vnde etiã insimulatus est quod esset Sabellianus. Dixit autem incarnatum esse Deum verbum, corpore & anima suscepta, non ea quæ est ratione prædita, sed quæ est expers rationis, quã naturalem, seu vitalem, nonnulli nominant. Cùm autem diceret mentem aliud esse quàm animam, non dicebat eam esse assumptam, sed diuinam sufficisse naturam ad vsum mentis implendum, nec animaduertit sapientissimus, quod ne corpore quidẽ opus habuisset si voluisset, sed vel sine corpore visus esset, sicut olim Patriarchis. Sed de œconomia sermonem differemus in librum sequentem.

DE POLEMIANIS.

POlemius autem quispiam, ex eius scriptis ansa sumpta, dicit fuisse factam consubstantiationem & commixtionem diuinitatis & corporis. Hinc germinauit Polemianorum hæresis.

DE ALIIS APOLLINARISTIS.

POrrò autem quidam alij ex conuentu Apollinaris, dicebant corpus Domini descendisse de cœlis. Cùm autem diuersa dogmata in illius scriptis inuenissent, hęc quidẽ his, illa verò his placuerunt. Quomodo autem hic ab ecclesiæ corpore resecatus, diuersas pepererit dogmatum nugas, duxi superuacaneum dicere.

DE AVDIANIS.

QVidam autem Audæus, ex Syria trans Euphratem ortus, dixit Deum esse similem hominis, & corporis illi partes tribuit, quæ à sacra scriptura ad captum hominum se submittente dicta sunt, stultè intelligens. Etenim sacra scriptura loquens hominibus, qui ne eorum quidem quæ videntur naturam exacte intelligunt, prout eis audire licuit, doctrinã adhibuit, & ideo qua Deus vidit facultatem, oculos appellauit, aures verò, qua audit, potestatem autem agendi, manus, & similiter alias operationes. Horum stultus nihil intelligens, humanam formam Deo attribuit. Ita enim hoc quoque intellexit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram. Ac rationis quidem inopia laborans, non perspexit animã immortalem, & quæ sub aspectũ non cadit, in solum autem corpus suam cogitationem defixit. Sed etiam de eo, in ijs quæ de hominis formatione dicenda sunt, si Deus velit, dicetur. Dicunt ergo hunc Audæum, & tenebras, & aquam, & ignem dicere ingenita. Qui sunt autem huius appellationis participes, hęc cælant. Pretexunt autem se fugere ecclesiæ communionem, propter fœneratores, & eos qui cum mulieribus cohabitant, quamuis multa etiam his grauiora ab eis perpetrentur, & non animaduertunt, quod ne diligentibus quidem, & suo officio exactè fungentibus Episcopis abscindere facile est, sed opus est quidem accusatoribus, opus autem est etiam testibus, vt vult lex Apostolica. Accusationem, enim inquit, aduersus Presbyterum non admittes sine duabus vel tribus personis. Quòd autem eos qui deprehenduntur aut conuincuntur puniunt leges ecclesiasticæ, vbique & in terra, & mari testantur, ea quæ fiunt. Nam & Episcopi, Diaconi, & Presbyteri ab ecclesiasticis numeris separantur. Hi autem se iactant peccata remittere. Postquam enim sacros libros vnà cum adulterinis bipertito diuiserint, eos enim mirandũ in modum arcanos & mysticos existimant, & hinc & illinc per versus posuerint, iubent vnumquenque inter eos transire, & quæ à se peccata sunt confiteri. Deinde confessi donant remissionem, non tempus ad pœnitentiam, vt iubent leges ecclesiæ, præscribentes, sed sua potestate condonantes. Scientes autem, qui transeunt, id quod agitur ludum esse, vera quidem peccata cælant, quædam autem parua, & ridicula dicunt, quæ etiam dicere vereretur aliquis, nisi eadem qua ipsi amentia laboraret.

1. Tim. 5.

DE MESSALIANIS, *seu Euchitis.*

MEssaliani autem, (hoc autem nomen in Græcam linguam traductum, Euchitas, Latinè vero precatores significat) dicunt quidem baptismum nihil iuuare eos qui ad eum accedunt. Instar enim nouaculæ aufert priora peccata, peccati autem radicem nõ excindit. Perpetua autem oratio, & peccati radicem radicitus euellit, & malum Dæmonem, qui ab initio sorte datus est, ab anima expellit. Dicũt enim vnumquemq; hominem, cùm nascitur, protinus sequi dęmonem, eumque ad improbas & sceleratas actiones incitare, eum autem nec baptismum nec aliquid aliud posse ab anima exigere, præterquã solam orationem, egredi autem dicunt inhabitantem, per mucum, & sputorum excrementa. Ita decepti homines longe miserrimi, nullum opus aggrediuntur, vocant enim seipsos spiritales. Sed orationi vtique vacantes, maximam diei partem dormiunt. Deinde à Dæmone qui eos in furias adigit decepti, dicunt se vidisse reuelationes, & quæ futura sunt, prædicare conantur. Rebus autem ipsis mentiri conuincuntur. Iactant autẽ se videre patrem, & filium, & spiritum sanctum corporeis oculis, & spiritus sancti aduentum sensu percipere. Sunt autem ad negandum parati, & si vrgeantur, protinus anathematizant eos qui horum aliquid dicunt. Iam enim cùm apud benedictum Flauianum Antiochenum Episcopum essent in ius vocati, quæ aduersus eos intendebantur criminationes, calumnias vocabant. Sed vir ille sapientissimus latentem deprehendit hęresim. Cùm enim visus esset succensere accusatoribus, & egrè ferre, quod quę dicebãt cõfinxissent, iussit sibi assidere Adelphium, is enim eis præerat qui accersebantur hæresis, capularis senex, & portis mortis proximus. Ei dixit beatissimus Flauianus, accusatores, vtpote crassiores, ignorare spiritalem viuendi formam. Nos autem, inquit, qui consenuimus, eam tempore cognitionem accepimus, sed dic mihi verè & ingenuè, quænã sunt ea quæ dicũtur. Ita delinitus senex, & se suorum dogmatum socium inuenisse ratus, confessione accusationem confirmauit. Hæc cùm intellexisset vir diuinus, eos à finibus Orientis expulit.

DE ENTHVSIASTIS.

POrrò autem multa quoque alia faciũt, quæ phrenesim eorum arguunt. Nam & repente saltant, & super Dæmones se saltasse iactitant: & digitis sagittantium speciem pręse ferunt, se in Dæmones iaculari affirmantes: & quædam alia faciunt simili furore plena, & ideo Enthusiastarũ, hoc est diuino furore correptorum, nomen sortiti sunt. Huic hæresi pręfuit Sabbas, & Adelphius, & Daodes, & Symeones, & Hermas, & quidam alij. Scripsit autem aduersus eos epistolas is qui deprehẽdit hæresim benedictus Latoius Melitines Episcopus, omnium autẽ optimus Amphilochius, qui Iconij rexit ecclesiam, hæresim exactius confodit, eorum voces suis monimẽtis inserens, quæ eorum dogmatis differentiã apertè declarant.

DE NESTORIO.

POstquam autem mundo paulatim labente, & ad huius vniuersi dissolutionem festinante, vnusquisque existimabat se esse idoneum pietatis & religionis magistrum, cùm propter ignorantiæ arrogantiam nemo discere sustineret, homicida Dæmon, mendãcij pater, zizaniorũ seminator, non amplius per externos & manifestos hostes aduersus ecclesiam arma mouit. Sed cùm inuenisset instrumentum, quod omnem eius, vt semel dicam, artem suscideret: vt orthodoxię specie, simul & diuinitatis & humanitatis vnigeniti negationem inducit, nostræ fideisimplicitatem à dicendi artificio alienam, philosophicis contur bãs argutijs. De Nestorio omnino audiuistis, fuit enim vir insignis ex Germanicęorum oppidulo ortus. Qui nescio cuiusmodi ab initio studijs eductus, alia aliam regionem commutans, vt mastix Aegyptiaca, in magnam Antiochiæ ciuitatem irrupit. In ea cùm in liberalibus disciplinis mediocriter esset eruditus, vocemque quàm pulcherrimam & maximã exercuisset, in ecclesiam Dei procedente tempore adoptatus, & in numerum Presbyterorum relatus est, cui cùm docendi populum munus esset commissum, statim in exordio ostendit qualis tota vita sua esset futurus. Neque enim generosum, & genitalem, & qui hominum posit animas excolere, dicendi characterem secutus est. Sed cùm ad populi dilectionem suam orationem conferret, & inanes plausus, vt si quis alius, aucuparetur, inconsideratum & iudicio defectũ vulgus in sui desideriũ excitauit, fusca veste indutus, tristis incedens, strepitus forenses declinans, corporis pallorem vt continens videretur aucupans, libris domi vt plurimũ animum intendens, & in otio & quiete secum versans, & habitans. Hoc habitu, & hac simulatione multos inescans, magnã ætatis suę partẽ peregit, vt Christianus videretur, magis quàm vt esset, persequens, & Christi gloriæ suam pręferens. Quoniam autem, vtà Domino dictum est, Nihil est tam occultum, quod non cognoscatur, neque tam secretum, quod non manifestetur, & bona opera manifesta sunt, & quæ aliter habent, cęlari non possunt, per inuestigabilẽ Dei iudiciorum abyssum, & eorum qui in regia sedi-

Matth. 10.
1. Tim. 5.

ſedibusque regalibus verſabantur, eiuſq; qui vniuerſi terrarum orbis ſceptra tunc tenebat, ſuffragio, Neſtorius Conſtantinopolitanę orthodoxorum eccleſiæ, Præſul eligitur, illiuſque adminiſtratio eius fidei cõmittitur. Hinc mihi deinceps ea acta protulit quorum & terra & mare plena ſunt. Poſtquam enim maximam illam ſedem accepit, cùm Pontificatus principatum, ſummamque dignitatẽ, veluti quandam tyrannidem, arripuiſſet: non potuit quam diu parturiebat impietatẽ amplius continere, ſed ex ea, quam habebat, poteſtate, ſtolida accepta dicendi libertate, profert in medium, & omnibus exponit blaſphemiam, quã iam olim aduerſus vnigenitum conceperat, & aduerſus decreta Apoſtolica apertè bellũ gerit, & ſanctorum Patrum, qui ex quo annunciatum eſt Euangelium, orthodoxorũ fidei prę-fuerant, dicta reijcere contendit, regiæ vrbis turbans eccleſiã, atque adeo vniuerſum terrarum orbem, diuini Pauli nullã curam gerens, qui clamat, Qui autem turbat vos, portabit iudicium, quicunque is ſit, ſed ſuper candelabrum diuini Pontificatus ſuggeſtus, non lampadem veritatis, ſed obſcuritatis & incertitudinis tenebras imponit. Primum autem quod innouare aggreſſus eſt, fuit, non oportere ſanctam virginem, quæ Dei verbũ peperit, quod ex ipſa carnem ſuſcepit, Deiparam confiteri, ſed tantùm Chriſtiparã, cùm tamen antiquiſſimi orthodoxæ fidei prædicatores, ex Apoſtolica traditione, Deiparam docuerint nominare, & credere matrẽ Domini. Age mihi deinceps obſerua non prius cognitum impium & blaſphemum dicendi artificium. Chriſti, inquit, appellatio duas naturas ſignificat, diuinitatem vnigeniti, & humanitatem. Vox autem Dei, ſi abſolute dicatur, ſimplicẽ & incorpoream Dei verbi ſubſtantiam oſtendit. Hæc autem vox, homo, ſolam humanam naturam indicat, & ideo dicit eſſe neceſſariũ non Deiparam, ſed Chriſtiparam virginem confiteri, ne fortè imprudẽtes dicamus Deum verbum initium ex ſancta virgine ſumpſiſſe, & ideo antiquiorem eſſe matrem eo, quod ex ipſa genitum eſt, ex conſequentia confiteri cogamur. Ne videar autẽ vana ſolum maledicta in eum torquere, illũ ipſum ſuis verbis ſuę impietatis teſtem producam. Apoſtolicorũ enim documentorum, & cuiuſuis ſancti memoria ex ſua cogitatione exterminata, in orthodoxorum eccleſia huiuſmodi non paucas voces edidit. Non peperit, ò optime, Maria Deũ, ſed peperit hominem diuinitatis inſtrumentum. Et in alijs rurſus rugis. Nulli eſt reprehenſioni affinis gentilis, qui Dijs matrem inducit. Hęc mihi quidem pauca ex multis illius verbis dicta ſint, dum ad ea quę ſequuntur feſtinat oratio. Vnde quoniã turpiſsima & maximè ignominioſa morte perituri ſunt iniqui, Põtificatu p ſanctos, qui Epheſi cõgregati fuerant, diuino ſuffragio eiectus eſt, & iuſſu Imperatoris Oaſim habitare damnatus, futuri impiorum ſupplicij i linc cœpit exordiũ, vt qui à ſua amentia conſumptus ſit, & in ſe dictũ Apoſtoli compleuerit, Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium. Sed hęc quidem, vt quæ à multis alijs ſunt examinata, neceſſe eſt prętercurrere, ad id autem quod in hiſtoria ſequitur veniamus.

DE EVTYCHE.

VLtimam autem omnium infauſtam Eutychianorum hæreſim inuidus Dæmon introduxit, per quã quæ ſunt in vniuerſo terrarum orbe eccleſias afflixit, cùm ſuæ improbitatis capax inſtrumentum miſerum Eutychem inueniſſet: & quæ iam olim exaruerat, Valentini hæreſim rurſus fecit pullulare. Arrius enim ſolum corpus, Apollinaris ſolam animam aſſumptam confitebatur. Hic autem etiam corpus aſſumptum eſſe negabat. Dicebat enim Deum verbũ nihil humanũ ex virgine ſumpſiſſe: Sed ipſum immutabiliter conuerſum, & carnem factum, (ridiculis enim eius vtor verbis) ſolũ per virginem traieciſſe, cruciq; affixam & appenſam eſſe, quę circunſcribi & cõprehendi ac contineri non poteſt, vnigeniti diuinitatem, eamq; ſepulchro mandatam reſurexiſſe. Vt autem inſignem illius inſaniam relinquamus, illud conſideremus, quòd nulla ad nos ex humanæ naturæ ſuſceptione redit vtilitas, noſtræq; reſurrectionis nullum pignus habemus. Neque enim ſi Deus reſurrexit ex mortuis, omnino quoque homo reſurget, eſt enim maxima naturarum diuerſitas. Cur ergo diuinus Paulus ex Chriſti reſurrectione noſtram futurã confirmat, & ad Corinthios ſcribens, clamat, Si autem Chriſtus prædicatur quòd à mortuis reſurrexit, quomodo dicunt quidã inter vos quòd non eſt reſurrectio mortuorum? Si autem non eſt reſurrectio mortuorum, nec Chriſtus reſurrexit. Per id enim quod credebatur, id quod non credebatur oſtendit, cum eo autẽ quod non credebatur, etiam id quod credebatur contulit. Si enim, inquit, verum eſt Chriſtum reſurrexiſſe: verum eſt ergo nos quoque reſurrecturos. Si autem hoc falſum eſt: & Chriſtum ergo reſurrexiſſe falſum eſt. Nam illud etiam corpus. & cùm hæc ita pluribus ſyllogiſmis confirmaſſet, affirmatiuè deinceps ſubiunxit. Nunc autem Chriſtus à mortuis reſurrexit, primitię eorum qui dormierunt. Per primitias autem, aperte quoque maſſam oſtendit. Primitię enim eandem habent naturam cum illo cuius ſunt primitiæ. Docet autem etiam cauſam œconomiæ. Quoniam enim per hominẽ mors, & per hominẽ reſurrectio mortuorum. Deinde à naturis ad perſonas tranſit. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita etiam in Chriſto omnes viuificabuntur. Sed cùm de eo iã multa ſæpe ſcripſerim, de eo fuſius dicere duxi ſuperuacaneum, maximè, cùm in quinto libro ſim de ijs, ſi Deus velit, dicturus. Huic ergo quarto libro finem imponens, Euangelicæ doctrinæ veritatem & ingenuitatem oſtendere conabor.

1. Cor. 15.

FINIS LIBRI QVARTI.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS DIVINORVM DECRETORVM EPITOME.
LIBER QVINTVS.

CAPITA.

Proœmium.
De Principio.
De Patre.
De Filio.
De Sancto ſpiritu & diuinis nominibus.
De Opificio ſeu creatione.
De Materia.
De AEonibus, ſeu ſæculis.
De Angelis.
De Dæmonibus.
De Homine.
De Prouidentia, & de Seruatoris œconomia.
Quod Dominus corpus ſuſceperit.
Quod etiam animam cum corpore aſſumpſerit.
Quod perfectam naturam humanam ſuſceperit.
Quod quam ſuſcepit naturam reſtituerit.
Quod idem bonus eſt iuſtus.
Quod idem nouum & vetus dederit teſtamentum.
De Baptiſmate.
De Reſurrectione.
De Iudicio.
De Promiſsionibus.
De Secundo Chriſti aduentu.
De Antichriſto.
De Virginitate.
De Nuptijs.
De Secundis nuptijs.
De Fornicatione.
De Pœnitentia.
De Abſtinentia.

MEL quidem omnibus hominibus dulce eſse videtur, etiamſi cum nullo conferatur. Sed dulcius eſse apparet, ſi amara aliqua qualitas iuxta ipſum ſtatuatur, & ſanitatem quidẽ valde eſse diligendam omnes exiſtimant, ſed poſt morbum multo magis complectendam ſtatuunt. Iam verò tranquillitas quoque eſt poſt tempeſtatem gratior. Ita etiam veritatem, quicunque ſapiunt, rem & ſedulo comparandam, & diligenter retinendam intelligunt, eam tamen ſplendidiorem, & diuiniorem reddit, ſi cum ea conferatur & examinetur quod falſum eſt. Quoniam ergo falſi turpitudinem & ignominiam oſtendimus, & hæreticas fabulas aperuimus, & planum factum eſt quàm ſint impiæ, iniucundæ, & minimè probabiles: age cum his doctrinam Euangelicam conferentes, oſtendamus quid inter ſe differant lux & tenebræ, & perfecta ſanitas & morbus moleſtiſsimus & difficillimus. Verumenimuero non poteſt inueniri ſimilitudo, quæ nobis propoſitæ comparationi conueniat. Nam & tenebræ, etſi luce careant, neceſsarium tamen vſum hominibus afferunt. Iis enim qui interdiu laborant, quietem nox conciliat. Morbus quoque multis fuit vtilis. Per eum enim, Seruatorem & Creatorem agnoſcentes, & vt à malis liberarentur vota fecerunt, & quæ petierunt adepti, virtutis curam geſſerunt. Ex ſceleratiſsimis autem illis fabulis, & ineffabilibus blaſphemijs, nihil non detrimenti & exitij redit ad eos, qui illis fidem adhibent. Non poteſt ergo inueniri aliqua ſimilitudo, quæ contrariorum horum dogmatum differentiæ reſpondeat? Imò verò inueni vnam, eamque longè euidentiſsimam. Quantum enim inter Deum & Diabolum intereſt, tanta eſt Dei & Diaboli doctrinæ differentia. Hoc autem apertius oſtendet eum illis fabulis collata diuinorum eloquiorum pulchritudo, intelligentiæ lucis ſplendorem emittens. Oportet autem ante omnia alia, dicere quid de vniuerſorum principio didicimus.

DE PRINCIPIO.

VNum eſse vniuerſorũ principium, & vetus & noua docet ſcriptura, Deum vniuerſorum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ingenitum, ab interitu alienum, æternum, infinitum, qui nec definiri, nec circumſcribi poteſt, incompoſitum, incorporeum, ſub aſpectum non cadentem, ſimplicem, bonum, iuſtum, lucem intelligentem, potentiam quæ nulla menſura cognoſcitur, eam autem ſola diuina voluntas dimetitur. Quæcunq; enim vult, poteſt. Et hoc nos propheta

apertè docuit. Omnia, enim, inquit, quæcunque voluit Dominus fecit. Ea autem quæ dicta sunt docet sacra scriptura. Audimus enim Deum dicentem in principio legis. Ego Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, non erunt tibi alij Dij præter me. Et rursus, Audi Israel, Dominus Deus tuus est. His quoque conuenientia docet per Esaiam Prophetam. Ego, enim inquit, Deus, ante me non est alius Deus, & post me non erit, & præter me non est. Et rursus, Ego Deus, & post me non erit. Et rursus, Ego sum Deus, & non est alius præter me, iustus Seruator non est præter me. Apertè autem per hæc, & Valentini, & Marci, & Basilidis, & Marcionis nugas refellit. Neque enim ante ipsum, neque post ipsum, alium Deum esse dicit, sed eundem esse, & primum & vltimum. His quoque conuenit doctrina sanctorum Euangeliorũ. Ipse enim Seruator & Dominus noster, qui omnem pro nobis impleuit iustitiam: ipse enim dicit Ioanni, Sine modò, ita enim oportet omnem impleri iustitiam: vt qui homo esset, accepit vtilitatem ex oratione, & vt pater Apostolos docere petijt. sub orationis autem specie Apostolos diuinitatis doctrinam docuit. Hæc est, inquit, æterna vita, vt cognoscant te solum verum Deum. Et rursus, Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Porrò autem diuinus etiam Apostolus sic dicit, Regi autem sæculorum, immortali, inuisibili, soli Deo, gloria & honor in sæcula sæculorum, Amen. Et rursus, Vnus Deus, vnus intercessor Dei & hominum, homo Christus Iesus. Et rursus. Vnus Deus pater, ex quo omnia. Permultę quoque aliæ possunt inueniri sententiæ, quæ veteris & noui testamenti concordiam ostendunt, & vnum Deum prædicant. Iam verò eum esse inuisibilem, & vetus & nouum docet testamentum. In veteri enim dicit Moysi. Nemo videbit faciem meam, & viuet. In sacris autem Euangelijs dicit Dominus. Non videt aliquis patrem, nisi qui ex Deo est, is vidit patrem. Hoc idem etiam clamat diuinus Euangelista. Deum nemo vidit vnquam. Ostendit autem etiam vnde didicerit. Subiungit enim, Vnigenitus filius qui est in sinu patris ille enarrauit. Clamat autem etiam Apostolus. Immortali, inuisibili, soli sapienti Deo honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen. Et rursus, Quem nullus homo vidit, nec videre potest. Eum rursus esse infinitum, nec circumscribi posse, & ex veteri & ex nouo testamento didicimus. Et in veteri quidem, dicit Deus, Nunquid ego cœlum & terram impleo, dicit Dominus? Et rursus. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus: vel quis est locus quietis meæ? Diuinissimus autem Dauid clamat. In manu eius sunt omnes fines terræ. Et manum quidem appellauit operationem potestatis œconomiæ. Ostendit autem non esse ipsum in omnibus circumscriptum, sed omnia pendere ab eius prouidentia. In alio autem hymno ei dicit, Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es, & si descendero in infernum, ades. Si accepero pennas meas mane, & habitauero in finibus maris, etenim illic manus tua deducet me, & retinebit me dextera tua. Hæc autem circumscribi non posse nec substantiam nec potentiam indicant. Quinetiam Esaias Propheta clamat. Qui continet ambitum terræ, & habitantes in ea, tanquam locustas. Et rursus, idolorum imbecillitatem & infirmitatem conuincens, hanc nobis de vniuersorum Deo doctrinam præbuit. Quis enim, inquit, mensus est manu sua aquam, & cœlum pugillo? Quis statuit montes trutina, & syluas lance? Quis nouit mentem Domini, vel quis consiliarius eius fuit? Quis conciliabit ipsum, vel quis ostendit ipsi iudicium, vel viam prudentię quis ostendit ipsi? Deinde quoad eius fieri potest, cogitatione humana, & lingua ex luto facta, ostendit infinitam potentiam. Si omnes, enim inquit, gentes, tanquam gutta ex cado, & tanquam momentum trutinæ, & tanquam saliua existimati sunt, & reputabuntur: cui assimilabitis Dominum, vel cui similitudini ipsum assimilabitis? Si autem cœlum, & terra, & aquarum natura, omnem naturam creatam comprehendunt: eorum autem omnium mensura, est mensura manus Domini: considerent, qui Deum lingua metiri conantur, illius naturæ infinitatem, manum intelligentes, non corporis particulam, sed quæ omnia fabricata est & gubernat operationem. Hæc itaque de vniuersorum Deo vetus docet scriptura, inueniri autem possent etiam alia ijs quæ dicta sunt similia, quæ & substantiam, & sapientiam, & diuinam potentiam docent comprehendi non posse. In sanctis autem Euangelijs Dominus quoque Samaritanam his similia sentire docuit. Cùm illa enim Deum loco circumscriptum conijceret, & ea de causa dixisset, Patres nostri in hoc monte adorauerunt. Vos autem dicitis quòd Hierosolymis oportet adorare: Dominus eam contrariam sententiam docuit, & diuinam naturam circumscribi non posse indicauit. Dicit enim ei, Amen dico tibi mulier, veniet hora, & nunc est, quando nec Hierosolymis, nec in loco hoc adorabunt patrem. Cùm sic docuisset, non aliquibus locis circumscriptam esse adorationem, subiunxit, Spiritus Deus, & qui eum adorant, in spiritu & veritate adorare oportet. Simul autem & esse incorpoream, & circumscribi non posse diuinitatem ostendit. Quod autem etiam est æternus, vniuersorum Deus, docet beatus Dauid, nunc quidem dicens, A sæculo & in sæculum sæculi tu es. nunc autem, Audiet Deus, & humiliabit ipsos, qui est ante sęcula. Docet aũt etiam propheta Esaias, clamans, Deus æternus qui constituit fines terræ non esuriet, neque defatigabitur, neque est inuentio

uentio prudentiæ eius. Diuinus autem Apostolus scit eum esse etiam sæculorum effectorem. Dominus autem dicit non solũ diuinam naturam esse ante creationem, sed etiam regnum fuisse sanctis paratum ante mundi constitutionem. Hæc & à noua scriptura de vniuersorum principio didicimus, non prout volunt Valentini & Basilidis fabulæ, qui masculorum & fœminarum æonum coniunctiones, & congressiones, & productiones inducunt, nec quemadmodũ Cerdo, & Marcion, & Manes, diuersa & contraria principia, sed vnum principium attulimus, idque iustum, vt postea ostendemus.

DE FILIO.

QVemadmodum autem in vnum Deum credere didicimus: ita etiam in vnum filium, qui est ante sæcula generatus, & nec, vt volunt Valentini fabulæ, alium esse dicimus vnigenitum, & alium verbum & alium Christum, & rursus Iesum. Neque, vt vult Arrij & Eunomij blasphemia, Christum Dominũ nostrum creaturam nominamus. Vnigenitum enim esse dicit sacra scriptura. Sin autẽ est creatus, non est vnigenitus. Habet enim creaturam sororem, & quæcunq; sunt creaturæ partes. Sin autem est, vt certè est, vnigenitus: nulla est ergo ei societas cum creatis. Quòd autem sit vnigenitus, docuit ipse vnigenitus, dicens. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ dederit, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitã æternam. Et paulò post. Qui credit in ipsum, non iudicatur. Qui autẽ non credit, iam iudicatus est. Quoniam non credit in nomen vnigeniti Dei filij. Euangelista autem sic dixit. Et verbum caro factum est: & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratię & veritatis. Neque enim carnis natura de diuinitatis dignitate quidquam detraxit. Sed etiam carne amictus paternam nobilitatem ostendit. Et rursus. Vnigenitus Dei filius, qui est in sinu patris, ille enarrauit. Iam verò Baptista quoque clamat, Qui credit in filium, habet vitam æternam. Qui autem non credit in filium, non videbit vitã, sed ira Dei manet super ipsum. Quinetiam omnes Apostoli, eum filium Dei & germanum, & verum nominant. Porrò autem ipse quoque pater bis de cœlo loquutus, eum esse suã veram, & germanam prolem ostendit. Dixit enim. Hic est filius meus dilectus in quo cõplacui. Et quid dico Baptistam, & Euangelistam, & alios Apostolos, & vniuersorum Deum? Neque enim ipse Diabolus pater mendacij aliter eum nominare ausus est. Sed antequã decertasset quidem, dubitans dicebat, Si filius Dei es. Post victoriam autem cùm apertè quisnam esset didicisset, clamat, Quid nobis & tibi fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos. Philippis autem ipsum & altissimum, & Deum appellauit. Hi, enim inquit, homines, serui altissimi Dei sunt, quia nunciant vobis viã salutis. Seruos autem Apostolos Christi appellabat, vt qui hoc ab eis didicisset. Diuũ enim Paulum hoc & dicentem & scribentem audiebat. Paulus, enim inquit, seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus. & Paulus & Timotheus serui Iesu Christi. Si autem ipse quoque mendacij magister, & filiũ nominat, & altissimum, & filium dei, cedens veritatis fulguribus: Patris ergo appellationem superare cõtendunt, qui audent filium appellare creaturam. Quòd autem etiam diuini Patres eum altissimum nominant, licet audire Zachariam suo filio dicentem. Et tu, puer, Propheta altissimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Præiuit autem magnus Ioannes non Deum & patrem, sed vnigenitum filium. Ipse autem eius quoque fuit testis. Interrogatus enim an ipse sit Christus, hoc quidem negauit, dixit autem, Missus sum ante illum. Iam verò diuinus quoque Dauid ei dicit, Cognoscant, quòd nomen tibi Dominus, tu solus altissimus super omnem terram. Si enim Dominus filius: vnus enim Dominus Iesus Christus, Per quem omnia, secũdum diuinum Apostolum, & vnus Dominus, vna fides: Altissimus ergo filius, quandoquidẽ & Dominꝰ. Sed de ijs quidem aduersus Arrium & Eunomiũ, in ijs quæ aduersus illos scripsimꝰ, copiosè disseruimus. Ad propositã ergo doctrinam transeamus, & ostendamus q̃ eundem & Dominum, & vnigenitum, & Deũ esse verbum, & Seruatorem, & Iesum didicimus. Petrum autem primũ in medium adducamus, qui has appellationes vno & concordi ore confessus est. Primus enim Apostolorum à Seruatore rogatus, Vos autem quem me esse dicitis, respondit, Tu es Christus filius Dei viuentis. Diuinus autem Ioannes Euangelista, eundem appellat & verbum ante sęcula, & vnigenitum filium, & omnium opificem, & Christum Iesum. In principio, enim inquit, erat verbum, id autem eum esse æternum significat. Qui enim erat in principio, scilicet semper erat. Non dixit enim, In principio factus est, vel in principio creatus est, sed erat in principio. Docet autem etiam quid erat. Subiunxit enim, Et verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Deinde proximum rursus assumit, & dicit, Hic erat in principio apud Deum. & per nominis quidem communionem eum esse eiusdem substantiæ ostendit, eo autem quòd dixit Deum apud Deum, personarum differentiam declarauit. Eum & filiũ vnigenitum, & Iesum Christum sæpè vocauit. Porrò autẽ sapientissimus quoque Paulus sic dixit. Quando autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt filiorum adoptionẽ reciperemus. Et rursus, Quando autẽ placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meę, & vocauit me per gratiam suam ad reuelandum filium suum in me. Huiusmodi autẽ innumerabiles possunt inueniri sententiæ, per quas ipsum & Christum nominant, & æternum filium. Et qui Patri eum docet coæternum, idem Doctor primum quidem ipsum sæcu-

Ioan. 3.

Matth. 17.

sæculorum effectorem ostendit. In vltimis, enim inquit, his diebus locutus est nobis in filio, quem posuit hæredem omnium, per quem etiam sæcula fecit. Quoniam autem qui diuina diuinè nolunt intelligere, existimant fieri non posse vt sit Deo coæternus, quiex Deo est: Hominum enim naturæ legi diuinam quoque naturam esse subiectã stultè existimantes, Patrem esse filio antiquiorem existimarunt: satis insistens Diuinus Apostolus, per quandam similitudinem apertè ostendit, quòd & ex Deo, & cum Deo est vnigenitus filius. Splendorem enim ipsum appellauit gloriæ. Splendor enim & suam habet ex igne substantiam, & est simul cum igne. Splendor enim suapte natura est simul cum igne, & radius cum sole. Ex quo enim sol, ex illo etiam radij. Sed sol quidem radiorum author, & causa est, & ignis, splendoris. Non enim sol ex radijs, sed radij ex sole gignuntur, & splendor ex igne producitur. Ita vnigenitus filius ex patre quidem est genitus: est autem vnà cum mente, vt verbum cum eo qui genuit, & splendor cum igne, & radius cum sole. Sed vnumquodque eorum, non ipsum per se subsistit, sed in illo, ex quo productum est, habet substantiam. Deus autem verbum splendor gloriæ, non est aliqua Patris operatio non subsistens, sed substantia viuens, & per seipsam subsistens. Non enim absolutè verbum nominatus est, sed Deus verbum, nec solum splendor gloriæ, sed etiam character substantiæ. Quoniam enim fieri non poterat vt vna similitudine diuina apertè doceret, per plures similitudines ea sic vtcunque discimus. Et splendor quidem gloriæ, eum docet coæternum. Character autem substantiæ, & perfectam similitudinem ostendit, & personarum docet differentiam. Verbum autem, impatibilem fuisse generationem significat. Ne enim filium audientes, in humanas intelligentias, & coniecturas incidamus, & vniuersorum opificem ita vt nos genitum esse putemus, eum verbum appellauit, ea ratione docens, illius generationem fuisse ab omni affectione liberam. Neque enim mens nostra sermonem parturiens, opus habet coniunctione fœminæ: aut sectionem fluxionémue sustinet, sed vt quæ perfecta ipsa est, perfectum sermonem efficit. Per hæc ergo, & generationis impatibilitatem, & vnigeniti æternitatem didicimus. Quòd autem & ei qui genuit æquales habet vires, & in omnibus æqualis est, & similis, ex Domini doctrina facilè sciri potest. Pater, enim meus inquit, vsque modo operatur, & ego operor. &, sicut Pater excitat mortuos, & viuificat, ita etiam filius quos vult viuificat. &, omnia quæcunque habet pater, mea sunt, & ego in patre, & pater in me. &, qui vidit me, vidit & patrem. In his autem apertè immutabilem similitudinem ostendit. Cùm enim Philippus rogasset vt patrem ostenderes, Dominus seipsum ostendit, ea ratione docens se esse viuam eius qui genuit imaginem, apertè ostendens eius qui genuit characteres. Dixit enim Philippo, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me Philippe? Patrem, inquit, desideras videre, cùm me vides ergo, nõ me nouisti. Si enim me nouisses, non illum videre desiderasses. In me enim Pater cernitur. Propterea enim subiunxit, Qui vidit me, vidit patrem. Visionem autem, hic fidei contemplationem appellauit. Tanto, enim inquit, tempore vobiscum sum, & non cognouisti me, Philippe? Non dixit, Non vidisti, sed nõ cognouisti. Videbat enim Philippus quod videbatur. Sed quę sub visum non cadebat, diuinitatem non contemplabatur. Qua de causa etiam reprehensus est, vt qui filium perfectè non cognouisset, & ideo etiam Patrẽ videre desiderasset. Verũ enimuero si aduersus omnem hæresim probationibus vteremur, non solum decem, nec viginti libros accusatione impleremus. Aduersus eos autẽ nuper iam duodecim libros conscripsimus, & præter eos nũc etiã alius moralis Theologiæ, & doctrinæ scopũ ostendimus.

Heb. 1.

Iaan. 5.

DE SANCTO SPIRITV.

SPiritum ergo sanctum ex Deo & Patre substantiam habere didicimus. Substantiæ autem modus nec creaturæ est similis, increatus est enim spiritus sanctus, nec vnigenito filio. Nullus enim sanctus sancti spiritus substantiam appellauit generationem. Ipsum autem ex Deo esse, & diuinum esse, docent sacræ scripturæ. Dominus enim Christus hæc de ipso dicit. Expedit vobis vt ego recedam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Et rursus, Cùm autem venerit Paracletus spiritus veritatis, qui à Patre procedit, deducet vos in omnem veritatem. In eo autẽ quòd dixit, Ex patre procedit, ostendit patrem esse fontem spiritus, & non dixit, Procedet, sed Procedit, ostendens eandem esse naturam, & insectilem, & minimè differentem substantiam, & personarum vnionem. Quod enim procedit, non potest ab eo separari à quo procedit. Diuinus autem Apostolus hæc dixit de spiritu. Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Et ne quis ignorationem scrutationem existimaret, subiunxit, Nullus homo nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Ita etiam quæ Dei sunt nemo nouit, nisi spiritus Dei. Ita etiam cùm de eius cognitione testimonium tulisset, ostendit etiam vndenam habeat substantiam. Nos, enim inquit, non accepimus spiritum mundi, sed spiritum qui ex Deo est. Eaitaque ratione eum Patri & filio perpetuo coniunxit. Non enim eum nouit partem creaturæ, nec primam facturam nominat, vt vult Arrij, & Eunomij, & Macedonij blasphemia. Sed diuinæ gratiæ dona ostendens, sic dicit, Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem verò spiritus, & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Deinde cùm ostendisset gratiarum donationem subiunxit.

iunxit. Omnia autem hæc operatur vnus & idem spiritus, diuidens seorsum vnicuique prout vult. Non enim seruilis inquit ministerij, sed dominicæ auctoritatis est sanctissimus spiritus: nec ad opus exequendũ subseruit, sed cooperatur, & vt Dominus operatur. Ita etiam in fine secundæ ad eos epistolæ, benedictionem contexuit. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & dilectio Dei, & communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis, Amen. Et in priore quidem Epistola primum statuit spiritum, hic autem vltimum, docens ordinem nominum non facere dignitatum differentiam. Hac ratione etiam hic patri filium præposuit, non euertens ordinem quem posuit Dominus, sed trinitatis in honore æqualitatem ostendens. Ita etiam ad Apostolos diuinè accessit. Primum enim domum concussit, Deum apparere ostendens. De vniuersorum enim Deo dicit Propheta. Qui respicit super terram, & facit eam tremere. Deinde autem linguis in specie ignis insedit, sicut olim dixit Moses Deum in rubro apparuisse, & sicut ille, dum vrebatur, non consumebatur: ita etiam linguæ Apostolorum vrentis operationis periculum non sensere. Hæc cùm non verbis sed factis diuus Petrus didicisset, Deum ipsum vocauit, Ananiæ furtum conuincens. Cùm enim dixisset. Cur seduxit Satanas cor tuum vt tu mentireris in spiritum sanctum, subiunxit, Non es mentitus hominibus, sed Deo. Conueniunt autem etiam quæ à diuino Paulo de spiritu dicta sunt. Eos enim qui crediderunt, Dei templa appellauit, vt qui inhabitantem spiritus gratiam habuerint. Nescitis enim inquit, quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Et rursus, Nescitis quòd corpora vestra sunt templum sancti spiritus, qui est in vobis, quem habetis à Deo? Hæc autem apertè docent sanctissimum spiritum esse diuinæ naturæ. Si enim qui crediderunt, Dei templum appellantur, quia spiritus gratiam susceperunt: ex Deo est ergo sanctus spiritus. Eius enim gratiam habentes inhabitantem, Dei templum nominati sunt. Euidentius autem nobis ostendit Dominus dignitatem spiritus. Docens enim baptismatis mysterium, ita dixit discipulis, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti. Si autem creatam haberet naturam filius vel spiritus sanctus, non cum Deo qui creauit connumerati essent. Eos enim accusant sacræ scripturæ, qui creaturam adorarunt præter eum qui illam creauit. Quamobrem etiam vnigenitus homo factus est, vt ab hoc errore homines liberaret, & Dei & creaturæ differentiam ostenderet. Cùm autem creaturę adorationem sustulerit, non iussit rursus creatam naturam adorare. Est enim longè absurdissimum, homines quidem à Dijs qui non sunt abducere, eos autem ad creaturis rursus seruiẽdum adducere. Clarum est ergo quòd non creatam habet naturam filius & spiritus sanctus. Propterea enim docemur credere in patrem, & filium, & spiritum sanctum, & baptizamur in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Quoniam enim primum hominem non solus formauit Pater, sed & filius, & spiritus sanctus: dixit enim, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: iure ergo eius quæ fit reformationis, & nouę quæ peragitur creationis, particeps est cum Patre filius, & spiritus sanctus: & trinitatis inuocatio vnumquenque eorum qui baptizantur renouat. Verum enimuero de sancto spiritu, aduersus eius gratia destitutos hæreticos, tres libros conscripsi: & superuacaneum existimo hic pluribus agere, cùm capita quæ restant nostram ad se orationem reuocent. Cùm itaque diuinorum nominum interpretationem adiecero, ad illa me conferam. Quoniam enim stolidi, Hebraicorum nominum ignorantes significationem, diuersos esse Deos existimarunt, Adonai, Eloi, & Sabaoth, operæpretium me facturum existimo, si quid vnumquodque eorum Græca lingua significet, ijs qui nesciunt ostẽdero. Nomen ergo Eloth Deus interpretatur. Eloi autem est Deus meus. El autem, si tenuetur quidem, ipsum quoque Deum significat: si verò aspiretur, fortem. Adonai autem Dominum. Dominus autem Sabaoth, Dominus copiarum interpretatur vel Dominus exercituum. Militares enim ordines copiæ Latinè appellantur. Saddai autem sufficientem & potentem significat. Alia verò eum qui est. Id autem erat etiam apud Hebręos ineffabile. Samaritani autem id dicunt Iauæ, ignorantes verbi virtutem. Hæc cùm stulti non intellexissent, Deos diuersos appellarunt. Nos autem ad reliqua quæ restant scribenda nos conferemus.

Actor. 2.

1. Cor. 6.

Matth. 28.

DE CREATIONE.

OPortet autem omnia ostendere, quòd creationis est opifex, non qui, vt vult Valentini fabula, ex passione Achamoth formatus est, & post trigintaquinque Aeonum productiones ex conuersione & passione factus est: neque Angeli quidem, vt vult Basilides, & Cerinthus, & alij, quorum principatum dicunt obtinere Iadabaoth, nec, vt excrandus Marcion, aliquem alium præter bonum opificem esse dicimus. Sed vniuersorum Deum cum verbo vnigenito & sanctissimo spiritu omnia esse fabricatum, & didicimus, & docemus. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnes virtutes eorum. Et alibi cùm tam quæ videtur creaturæ, quàm quæ sub aspectum non cadit, mentionem fecisset, & effectorem laudare præcepisset, subiunxit, Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Et rursus. Qui extendit cœlum tanquam pellem, qui tegit aquis superiora eius. Et paulo pòst. Qui fundas terram super stabilitatem suam. Et qui fecit cœlos in sapientia, qui firmauit terram super aquas. Ante eum autem, magnus Moses nos docet certius, quòd ipse fecit cœlum & terram cum alijs elemen-

Psal. 103.

elementis: quòd ipse lucis naturam fabricatus est, & cœlum quidem exornauit luminaribus, terram autem syluis, pratis, & segetibus: & ipse animalium produxit genera: & volucribus quidem dedit habitandum aerem, natatilibus autem humidam substantiam: pecoribus autem, & feris terram distribuit: & quomodo post omnia humanã naturam formauit. His conuenienter nos quoq; docent omnes Prophetæ, & clamat quidem Esaias, Qui fecit cœlum, & compegit ipsum, qui firmauit terram, & quæ in ipsa sunt. Qui dat flatum populo, qui est in ea, & spiritum ijs, qui eam conculcant. Et rursus. Qui statuit cœlum tanquam fornicẽ, & extendit ipsum tanquam tabernaculum. Quinetiam ipse Deus dicit per ipsum. Extendi cœlum solus. Beatus autem Hieremias sic dixit. Hic est Deus qui ostendit terrã, impleuit eam pecoribus, quadrupedibus, qui emittit lucem, & ambulat, vocauit ipsam, & obedijt ei in tremore. Verum enimuero mihi Propheticis vocibus non opus est. Ante legem enim, & Prophetas, natura hæc homines docuit. Et antiquus ille Melchisedech benedicens Abrahæ sic dixit. Ipse quoque Patriarcha Sodomitis hæc dicit, Extendam manum meam ad Deum altissimum, qui creauit cœlum & terram. Benedictus Abraham à Deo altissimo qui creauit cœlum & terram. Et rursus emittens Abraham famulum ad nurum petendam. Pone, inquit, manum tuam super femur meum, & adiurabo Dominum Deum cœli & terræ. Generosus autem Iob, qui antequam lex ferretur, fuit virtute insignis, verum Deum nouit creatorem. Qui extendit, inquit, cœlum solus, qui ambulat super mare, tanquam super solum. Quinetiam ipse Agonotheta fortem & præclarum decertatorem multa docet de creatione. Sed ne demus occasionem ijs, qui vetus testamentum non admittunt, contradicendi ijs quæ dicta sunt: transeamus ad nouum, & ostendamus ipsum his conuenientia dicere. Ita enim & hæc & illa fluenta ex eodem fonte manare videbuntur. Audiamus ergo diuinum Ioannem omnia per verbum facta esse dicentem, & creaturarum quæ vel cernuntur, vel intelligentia apprehenduntur, nihil sine eo factum esse. Sine eo, enim inquit, factum est nihil. Audiamus autem diuinum quoque Paulum clamantem. In ipso creata sunt omnia siue visibilia siue inuisibilia. Et rursus. Per ipsum sęcula fecit pater. Porrò autem in Areopago concionans, sic dixit. Deus fecit mundum, omnia quę in ipso sunt. Is cœli & terræ existens Dominus, non in manufactis templis habitat: neque ab humanis manibus colitur, tanquam qui ipse aliquo indigeat, dans omnibus vitam, & spiritum, & omnia: fecitque ex vno sanguine omne genus hominum habitare super vniuersam faciem terræ. Et Lystris ijs qui sacrificare volebant hæc dixit. Nos quoque similiter vt vos patibiles homines sumus, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & quæ deinceps sequuntur eandem habẽt sententiam. Sed superuacaneum est de his amplius dicere, & plura ex sacra scriptura testimonia afferre, cùm qui etiam apud Græcos fuerunt insignes Philosophi, ij Deum esse opificem & creatorem dixerint. Nam & Socrates Sophronisci, & Plato Aristonis filius, & eorum successores, & alij etiã plurimi in hac opinione fuere, & ex subiecta materia creationis causam accepisse dixere. Age ergo in hoc quoque capite, quæ sint vera & germana ecclesiastica dogmata, ostendamus.

DE MATERIA.

ILli ergo, vt dicebam, ex subiecta materia omnia dicunt esse fabricata, & eam Deo esse coæternam dicentes, Deum eius auctorem nominant, non tamen ipsam malam definiunt, vt est Marcionis, & Manentis impietas, blasphemiam enim maximam existimant, dicere Deum esse effectorem malorum. Atque illis quidem fortasse aliqua venia dari potest, cùm nec quid dicant Prophetę audierint, nec diuinos Apostolos doctores habuerint, solis autem rationibus eorum quæ sunt cognitionem permiserint. Ij autem quasnam pro sua impietate pœnas dederint, qui cùm diuina Euangelia acceperint, eorum lucem euitarunt, & non secus ac vespertiliones tenebras amplexi sunt? Oportebat autem eos horum saltem Philosophorum tenere sententiam: quoniam aures obturauerunt, & diuini spiritus eloquia audire noluerunt: & materiam quidem introducere, non tamen eam malam vocare. Est autem hoc quoque humanarum rationum imbecillitatis argumentum. Quoniam enim omnis ars, apud homines subiecta materia indiget: & fingendi quidẽ ars, luto; ædificandi verò, lapidibus, & lateribus; lignis autem, fabrilis, & nauium ædificatrix; texendi ars, lanis; & coriariorum quidem ars, pellibus; pingendi autem & incrustandi coloribus: &, vt semel dicam, vnaquæque ars materia conuenienti: existimarunt stoli di etiam Deum non posse sine materia fabricari, nec intellexerunt quanta sit Dei & hominum differentia, & quòd fieri non potest vt imago omnia habeat quæ exemplar, & quòd homo quidem, vt imago, ex ijs quæ sunt fabricatur: Deus autem, & ex ijs quæ non sunt, & hoc nos apertè docuit sacra scriptura. Apostolus enim dicit. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Et rursus. Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt. Qui autem mundi ortum conscripsit, apertè docuit, quænam quidem ex ijs quæ non erant, & quænam ex ijs quæ erant fabricatus est opifex, & quòd cœlum quidem & terram & alia elementa ex ijs quæ non erant fecit. In principio, enim inquit, fecit Deus cœlum & terram. Similiter autem & lucem ex ijs quæ non erant fabricatus est. Dixit, enim inquit, Deus, fiat lux, & facta est lux. Firmamentum autem produxit ex

Rom. 4.

Gen. 1.

ijs quæ iam facta fuerant. Fiat enim inquit, firmamentum in medio aquæ, & sit diuidẽs inter medium aquę & aquæ. Semina quoque & arbores è terra germinare iussit. Germinet, inquit, terra herbam fœni seminans semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructũ, cuius semen ipsius in ipso secundum similitudinem, secundum genus in terra. Ita etiam ratione carentium animalium genera produxit. Ex aquis quidem, quæ per aerem ingrediuntur, & quæ in aquis degunt, & quæ amphibia, quòd nunc in aquis, nunc in terris viuant, appellantur. Producant, enim inquit, aquæ reptilia animarũ viuentium, & volucres volantes in firmamento cœli. Ex terra aũt, quadrupedes & serpentes. Producat, enim inquit, terra animã viuentem, quadrupedes, & pecora. Hominem autem, ex ijs quæ erant, & ex ijs quæ non erant fecit. Corpus enim formauit, limo de terra accepto, animam autem ex ijs quę non erant fabricatus est. Neque enim, vt impius dicit Marcio, anima est eiusdem substantię cum Deo qui illam fecit: sed ex ijs quę non erant creata est, facillimè enim quæcunq; vult fabricatur. Non enim oportet ijs quæ facta sunt creatoris potentiam metiri. Longè plura enim his est ei facile producere. Diuinus autem Dauid id ostendit, cùm dixit. Omnia, enim inquit, quęcunque voluit Dominus fecit. Non dixit, Quæcunque potuit, sed quæcunque voluit. Habet enim potentiam voluntati æqualem. Vnde non solum ex ijs quę sunt, sed etiam ex ijs quæ non sunt, fabricatur. Iure ergo à veritatis decretis expulsum est quod de materia dicitur. Qui autem creationem maledictis persequuntur, & omni ex parte rectum & aptum opificium calumniari conantur, & ideo id quod de materia dicitur introducũt, audiant diuina oracula clamantia. Vidit Deus omnia quęcunque fecit, & ecce valde bona. Nihil enim ex ijs, quę à Domino facta sunt, est natura malum. Sed quæ de eo dicuntur postea explicabimus. Interea de Aeonum fabulis pauca dicamus.

Gen. 1.

DE AEONIBVS.

VAlentinus, & Secundinus, & Marcus, & illorum successores, dicunt permultos Aeonas esse rerum opifice antiquiores, cùm id non ex diuinis eloquijs didicerint, sed ipsi fabulas confinxerint, nec animaduerterunt stolidi quòd Αἰὼν, quod est Latinè Aeuum, aut sæculum, non est aliqua subsistens substantia, sed aliqua distantia, quæ tempus significat, aliquando quidem infinitum, quando de Deo dicitur, aliquando verò creationi, aliquando autem humanæ vitæ commoderatum. De se enim diuinus Dauid, Aeuum nostrum in illuminationem vultus tui. De oratione autem dicit Dominus. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. De Deo autem vniuersorum rursus dicit beatus Dauid. A sæculo & vsque in sæculum tu es, pro eo quod est, nec principium nec finem habes. Et quoniam æuum, aut sæculum, distantiam aut spatium significat: ne quis stultè existimaret non esse ante sæcula Deum vniuersorum, in alio psalmo dicit idem Propheta. Audiet Deus, & humiliabit ipsos qui est ante sæcula. Vniuersorum ergo Deus, qui est omnium creator & opifex, non post triginta quinq; Aeonas natus est ex affectione Acchamoth post ogdoadem & decadem, & dodecadem, & Acchamoth, & terminum & filium, & spiritum: sed est ante omnia sæcula: non hæc turpia, quæ per coniugationẽ cõficta sunt, sed quæ quantamcunque distantiã & spatium significant. Propter ea etiã sæculorum esse creatorem patrẽ & filium beatus dixit Paulus. Locutus est enim nobis in filio, inquit, quem fecit hæredem omnium, per quẽ & sæcula fecit. Illud autem, Fecit, non significat sæculorum substantiã: sed quòd nullus est Deo vniuersorum antiquior. Porrò aũt in alio etiã loco dicit, Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum, non docens quidem aliqua sæcula subsistere, sed Dei æternum regnum prædicans. Et rursus idem Apostolus. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapiẽtiam autem non sæculi huius, neque principum sæculi huius qui euacuantur. Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam præfinijt Deus ante sæcula. Si autem Domini dispensationis & incarnationis consilij mysterium est, vt definit Apostolus, sæculis antiquius: est extremæ impietatis, Deum vniuersorum, sæculis iuniorem ac recentiorem dicere. Propheta quoque clamat Esaias, Deus ęternus qui constituit fines terræ. Et rursus. A sæculo non audiuimus, neque oculi nostri viderunt Deum pręter te. Ante sęcula ergo Deus est vniuersorum opifex.

Heb. 1.

DE ANGELIS.

ANgelos autem, nec vt Græcorum Poetæ & Philosophi, in Deos referimus, nec in masculinum & fœmininũ sexum incorpoream naturam distinguimus: nèc intemperantis coitus quę sub aspectum non cadunt potestates accusamus, neque, vt statuunt Hæreticorũ fabulæ, esse creationis effectores definimus, neque coæternos esse dicimus Deo vniuersorum. Fœmina enim est hominibus vtilis ad incrementum generis. Hoc enim præuidens Deus vniuersorum, hanc naturam ita formauit. Quamobrem hanc quoq; generi benedictionem præbuit, dicẽs, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius. Quoniam enim mors hominum naturam deprædatur, & tanquam messor quidam, non solum senes, sed etiam iuuenes amputat: natura necessario opus habuit ijs qui terram colerent, & seminarent, & pro ijs quæ excinduntur alias spicas introducerẽt, & per agriculturã vincerent manus messoris. Immortali autem naturæ superuacanea est generis diuisio, neque enim incremento opus habent, cùm non diminuantur, neque coitu, cùm sint

à corporibus liberi. Et hæc docet ſacra ſcriptura. Angelos enim nõ duos ab initio ſolos, quemadmodum homines, fabricatus eſt, ſed quotquot voluit produxit myriadas. Quæ enim ab interitu aliena eſt natura, non eget incremento. Homines autem qui mortale corpus ſortiti ſunt, mortiq; ſunt obnoxij, neceſſario egent fœmina. Nemo autem eorum qui libidini & voluptati ſunt dediti, propter ignorantiam Angelos accuſet, ad maledicendum occaſione ſumpta ex eo quòd apud ſapientiſſimum Moſem narratum eſt, quòd videntes filij Dei filias hominum quòd pulchræ ſunt, acceperunt ex ipſis in vxores. Eſt enim extremæ amentiæ, hominum incontinentiam Angelis tribuere. Erant enim tunc duo genera, genus Cain, & genus Seth. Et genus quidẽ Cain erat execrandum & maledictũ: genus autẽ Seth, pietatis & religionis curam gerebat. Enos enim filius eius ſperauit inuocare nomen Domini Dei. Hinc qui ex eo nati ſunt, qui filij Dei appellabantur, cauebant ne cum genere Cain permiſcerentur, & vllam cum eis haberent conſuetudinem. Cùm multi autẽ anni præterijſſent, illorum filias elegantes & venuſtas contemplati piorum nepotes, à pulchritudine victi, & legem paternã tranſgreſsi ſunt, & cum eis affinitatem lubenter cõtraxerunt. Deinde quæ fuit eis cum illis coniunctio, vitium & improbitatem inuexit. Quando ergo audierimus ſacram ſcripturam, dicentem, Ingreſsi ſunt filij Dei ad filias hominum, ne incorporeos Angelos accuſemus. Homines enim iniquitatẽ perpetrare auſi ſunt, qui filij Dei appellabantur. Et quòd hæc ita ſe habeãt, teſtis eſt ipſe Deus vniuerſorum, qui ita dicit. Nõ manebit ſpiritus meus in his hominibus, quia carnes ſunt. Et rurſus hiſtoriographus. Et vidit Dominus terrã, & erat corrupta, quia omnis caro corrupit viam ſuam in terra. Noe quoque dixit vniuerſorũ Deus. Ecce ego perdo omnẽ carnem: & cùm iuſsiſſet eũ conſtruere arcã, ſubiunxit, Quia te inueni iuſtum in generatione hac. Neq; verò ſi Angeli peccaſſent, homines puniſſet iuſtitiæ legiſlator, & homines, non decẽ, & viginti, & centum, ſed innumerabiles. Neque ergo incrementi, neq; coniunctionis gratia, opus habet fœmina Angelorum natura. Eſſe autem multas Angelorum myriades docet ſacra ſcriptura. Mille, inquit, millia miniſtrabãt ei, & decies mille myriades adſiſtebant ei. Angelorum aũt miniſterium, eſt Dei laudatio, & hymnorũ decantatio. De Seraphim enim dicit Beatus Eſaias, ꝙ clamabant, & dicebant, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth, plenum cœlum & terra gloria eius. De Cherubim autẽ dixit diuinus Ezechiel, ꝙ audiuit dicentes, Beata eſt gloria domini ex loco eius. Non ſolum aũt hymnos decantant, ſed diuinæ etiam œconomiæ miniſtrant. Et hoc nos ſapiẽtiſsimus docuit Paulus, cùm dixit, Non omnes ſunt miniſtratorij ſpiritus, in miniſteriũ miſsi propter eos qui ſunt hæreditaturi ſalutem? Ipſe quoque Dominus dixit in ſacris Euangelijs. Videte ne contemnatis vnũ ex paruis vel minimis eorum qui credunt in me. Amen enim dico vobis, quotidie Angeli eorum vident faciem patris mei, qui eſt in cœlis. Diuinus aũt Daniel Propheta, etiam gentium principes eſſe dicit aliquos. Imò verò non ipſe: ſed Angelus, qui cum illo loquebatur. Reſtitit enim mihi, inquit, Princeps Perſarum. Meminit aũt etiam Principis Græcorum, & adiecit, quòd nullus alius ei opem ferebat pro Iudæorum libertate ad Deum intercedenti, niſi Michael Princeps eorũ. Magnus quoq; Moyſes dixit in cantico. Quãdo diuidebat altiſsimus gẽtes, quos diſſeminabat filios Adã, ſtatuit terminos gentium ſecundum numerũ Angelorum Dei. Ex his aũt, & ijs quæ à Daniele, & quæ à Domino dicta ſunt, conijci poteſt, nonnullos quidẽ ex Angelis præeſſe gentibus, aliquibus aũt vniuſcuiuſque hominis creditã eſſe curam, ne eos læderent, & perniciẽ eis afferrent ſcelerati & execrandi Dæmones. Ab vniuerſorum autem Deo Angelos factos eſſe credimus. Ita enim docti ſumus. Pſalmiſta enim Dauid præcipiẽs Angelis, & cœleſtibus poteſtatibus Deũ laudare, ſubiunxit. Quia ipſe dixit, & facti ſunt, ipſe mandauit, & creati ſunt. Et rurſus. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flãmam ignis. Tres aũt pueri Deo in fornace benedicentes, omnẽ quidem creaturam ad laudum ſocietatem vocarunt, primam aũt Angelos. Ita aũt habet laudationis principium. Benedicite omnia opera domini domino, laudate, & ſuperexaltate eũ in ſæcula. Deinde protinus ſubiungunt, Benedicite Angeli domini Domino, docentes eos quoque eſſe partem diuinorum operum. Diuinus aũt Apoſtolus nos hoc aperti? docuit. Cùm enim Domini noſtri Ieſu Chriſti mentionem feciſſet, ſubiunxit, ꝙ in ipſo creata ſunt omnia quę in cœlo, & in terra, ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia, & ijs quæ videntur relictis tanquam manifeſtis, dicit ordines inuiſibilium, Siue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum & in ſe creata ſunt. Hæc de Angelis ſentire didicimus.

Dan. 7. Eſa. 6. Heb. 1. Matth. 18. Dan. 10. Deut. 31. Pſal. 109. Dan. 3. Matth. 25.

DE DIABOLO, ET DAEMONIBVS.

Diabolum autem, & qui illi ſubſunt, Dæmones, non vt Marcion, & Cerdo, & Manichæi fabulantur, ingenitos eſſe dicimus. Si enim ingeniti, æqualem cum vniuerſorũ deo honorem ſortiti ſunt. Quòd ſi æqualem ſunt honorẽ ſortiti, clarum eſt eos quoq; æqualem habere poteſtatem. Si autem æqualem habent poteſtatem, quomodo eos à deo vniuerſorum fabricatos eſſe dicimus? Quomodo enim iuſtè punirentur, qui talem ab initio naturam eſſent ſortiti? Quòd autẽ puniendi ſint, apertè dixit Dominus ijs qui ſunt à ſiniſtris. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius. Hoc autem ipſi quoque apertè ſciunt Dæmones. Vnde clamabant, Quid nobis & tibi fili Dei altiſsimi? Veniſti ante tempus torquere nos. Et rurſus, Adiuro te ne me torqueas. Fore itaque vt puniantur apertè didicimus. Deinceps autem conſideremus, an hoc iuſtè patiãtur, cùm talẽ naturam ab eo qui illos fecit acceperint. Quomodo autẽ bonus vocari poſſet creator vitij? Quomodo aũt iuſtus, qui punit naturam quę nihil poteſt boni facere, ſed vitij vinculis conſtricta eſt & alligata? Atqui iuſtũ eſſe ſcimus Deum vniuerſorũ, & fontẽ iuſtitiæ. Non ergo iniuſtè puniet Dæmones: & illorum ducem & bonorum opificẽ eſſe ſcimus Deum, qui ab omnibus rectè ſentientibus bonus vocatur. Non ergo fabricatus eſt naturã, quæ nihil quidem poſſet boni facere, ſolum autẽ vitium præter ſuam ſententiã inuita pariat. Si autem nec malam naturam Deus eſt fabricatus, bonorũ enim eſt, ſicut & bonus eſt, effector: neque iniuſtè punire animũ inducit, iuſtus enim eſt, & iuſtitiæ legiſlator. Puniet autẽ Diabolũ, & qui illi ſubſunt. Suapte ergo ſententia & ſponte malus eſt Dæmon, & qui ſunt eius partium. Sicut enim hominẽ bonum ab initio Deus fabricatus eſt: libero autem mentis arbitrio, hi quidem ſeruarunt incorruptam & integram quam acceperunt naturam, illi verò in peius declinarunt, & diuinos characteres corruperunt, & qui erant Deo ſimiles, ſe ferinos reddiderunt: ita & Diabolus, & Dæmonũ caterua, qui erant cum alijs incorporeis, illorum quidẽ in dominum Deum beneuolentiam non ſunt imitati, inſolentiæ aũt & arrogantiæ morbo ſuſcepto, ad id quod eſt deterius conuerſi ſunt, & à priori ſorte exciderũt. Hoc autem declarauit diuinus Apoſtolus, de Epiſcopali ordinatione legẽ ferens. Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Per hæc enim verba innuit, quòd ſuperbia cauſa fuit diabolo vt caderet. Ad Epheſios autẽ ſcribens, declarauit, quòd antequam ad id quod eſt deterius eſſet conuerſus, erat ei credita aeris adminiſtratio. Secundum principem, inquit, poteſtatis aeris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. A priori autem ordine lapſus, habet eos miniſtros qui Deo contradicunt. Dominus quoq; dixit in ſacris Euangelijs. Vidi Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Et in alio loco. Ille, inquit, homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Hoc autẽ oſtendit, quòd à veritate auerſus, veritati contraria elegit. Beati quoque Prophetæ Eſaias & Ezechiel ſimilibus ænigmatibus vſi ſunt. Id enim ſignificat illud, Super aſtra ponam thronũ meum, & ero ſimilis altiſsimo, & comprehendam orbẽ terræ tanquam nidum, & tanquam derelicta oua tollam. Ezechiel quoque per principem Tyri, apoſtatam, & qui defecit principẽ innuit, qui illi operatus eſt. Sic autem dicit. Hæc autem dicit dominus Adonai. Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & corona pulchritudinis, & in delitijs paradiſi dei genitus es, omnem lapidẽ indutus es. Deinde cùm lapidum ſpecies enumeraſſet, ſubiunxit. A quo die conſtructus es cum Cherubim inunctus inhabitante, & poſui te in monte ſancto Dei, genitus es in medio lapidum igneorum, ambulaſti ir-

1. Tim. 3. Epheſ. 6. Ioan. 8. Eſa. 14. Ezech. 28.

reprehenſibilis tu in diebus tuis à qua die creatus es, donec inuentæ ſunt iniquitates in te. A multitudine enim circumcurſationis tuæ impleuiſti promptuaria tua iniquitate, & peccaſti, & vulneratus es à monte Dei, deduxit te Cherubim ad vmbram ex medio lapidum ignitorum, exaltatum eſt cor tuum ob pulchritudinem tuam, corrupta eſt ſcientia tua cum pulchritudine tua, propter multitudinem peccatorum tuorum in terram proieci te, aduerſarium regibus dedi te, vt traducereris propter multitudinẽ iniquitatum tuarum, & iniuſtitiarum negotiationis tuæ, profanaui ſanctificationem tuam, educo ignem in medio tui, hic te deuorat. Hæc dicta Prophetę oſtendunt Diabolum quidem ab initio fuiſſe bonum, ſua ſponte autem ad id quod eſt deterius inclinationẽ ſuſcepiſſe, improbis autem machinationibus improbitatem auxiſſe. circumcurſationem enim & negotiationem improbitatis cogitata vocauit. Eum traduxit, eius imbecillitatem coarguens, & iuſsit concul cari ab ijs qui eum olim adorabãt. Eius enim vox eſt. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpẽtes & ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici. Porrò autem alia quoque multa licet inuenire, per quæ facile ſciri poteſt, quòd bonus creatus Diabolus ſua ſponte ad vitium declinauit. Satis eſt autem etiam quod ei minatus eſt Chriſtus ſupplicium, ad oſtendendum eum ſua ſponte improbitatem elegiſſe. Non eſt enim iuſti Dei propriũ eum punire qui neceſsitate malus fuit.

Luc. 10.

DE HOMINE.

Hominem autem formatũ eſſe dicimus, non à quibuſdam Angelis, vt volunt Baſilidis & Cerinthi fabulæ, neque ab Ialdabaoth, vt vult Sethianorũ ſtupiditas, nec à Sacla, vt aſſeruit Manetis amẽtia: ſed à diuina & ſanctiſsima trinitate, quæ omnia fabricata eſt. Au diuimus enim ſacram ſcripturam dicentem, vt dixit vniuerſorum Deus, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. His quoque conuenientia dixit beatus Dauid. Manus enim, inquit, tuæ fecerunt me, & formauerunt me, doce me, & diſcam mandata tua. Manus autem Dei intelligimus, non aliquas partes corporales, ſed creatricem eius poteſtatem. Non eſt enim compoſita, quæ eſt incorporea, nec poteſt circunſcribi natura, vt vult Audeæ delirium, ſed ſimplex, formæque & figurę expers, & quę omnia comprehendit. Dum itaque audimus Moſaicam hiſtoriã narrantem quòd accepit Deus limum è terra, & formauit hominem, ſcripti ſenſum inquirimus, & intelligimus quàm habet inſignem in humanũ genus affectionem, vniuerſorum Deus. Hoc enim magnus Propheta ſignificans, alia quidem dicit verbo feciſſe Deum vniuerſorum, hominem autem ſuis formaſſe manibus. Neque verò verbum in illis iuſſum intelligimus, ſed ſolam voluntatem, neque hic operationẽ manuum, corporis formationem, ſed ampliorem in id quod ab eo factũ eſt affe-

Gen. 1. Pſal. 118. Gen. 2.

ctioné. Sicut enim nunc ipso volente fœtus in vtero creatur: & terminos qui in initio ab ipso positi sunt natura consequitur: ita etiam humanum corpus è terra ipso volente concreuit & compactum est, & caro factũ est, & sanguis, & cutis, & adeps, & nerui, & venæ, & arteriæ, & cerebrum & medulla, osium sustentacula, & oculorũ tunicæ, & pupillæ puritas, & aurium flexuosi meatus, & odorum apprehensio, & oris ad loquendũ instrumentũ, in quo dentes quidẽ implent vsum chordarũ, lingua verò imitatur plectrum, mens aũt dexteram Musici. Cęterũ quis pro dignitate satis posit mirari huius vita præditi animalis formationẽ? Quam & multi alij conantur calumniari, & in primis Manetis successores. Quamobrẽ non Deum sed Saclam id formasse dicunt, qui est princeps materiæ. Græcorum autem sapientes, Socrates, & Hippocrates, & Plato, & Xenophon, & Aristoteles, & Galenus & innumerabiles alij, humani corporis aptam compositionem suspiciunt, & admirantur vsum vniuscuiusque particulæ: fatenturq; laudes suas superari à præclari vniuersorum artificis sapientia, quæ in hoc animali cernitur, adeò sunt ij execrãdis hæreticis meliores, cùm neq; Propheticam agriculturam susceperint, nec Apostolis ducibus eis frui contigerit, sed soli rationi diuinarum rerum cognitionem permiserint. Atque hæc quidem dico, non vt de errore, quo multos Deos adorant, illos qui vocantur Philosophos defendam: sed vt ostendam eos qui se de Christi appellatione iactitant, nõ solum Philosophis, sed ipsis etiam Dæmonibus esse magis impios. Quid est enim his magis impium, qui ex re qualibet capiunt occasionem blasphemię & maledicti aduersus creatorem? Nos autem eum in omnibus laudare didicimus, non solum in ijs quæ videntur iucunda, sed etiam in ijs quæ molesta & acerba putantur. Sed nondum de ijs tractandum est. Oportet enim nostram orationẽ seruare compositionis conuenientiam. Dicimus ergo ex quatuor elementis formatũ esse corpus. Habet enim ab igne quidem caliditatem, ab aere verò frigiditatem, à terra aũt siccitatem, & ex aqua humiditatem. Animam autem simplicem esse dicimus, & ratione præditam, & immortalem, non tamen ante corpus præexistere. Pythagoras enim, & Plato, & Plotinus, & qui eius sectæ sunt, immortales animas esse confessi, dixerunt eas ante corpora præexistere, & esse quendam innumerabilium animarum populum, & quę peccant quidem, demitti in corpora, vt tali purgatæ disciplina in locum proprium reuertantur: quę autem etiam in corporibus vitam iniquam & sceleratam amplexæ fuerint, in rationis expertia demitti animalia. Eos quidem qui amaræ bilis sunt & iracundiæ veneno referti, in serpentes, rapaces verò in lupos, audaces autem in leones, fraudulentos in vulpes, & eiusmodi quasdam ineptas confinxere fabulas. Aiunt autem Peripateticos animæ quoque immortalitatem suis scriptis auferre. Doctissimi autem medici bonam corporis temperaturam animam appellarunt, ex affectionibus autem quæ corpori eueniunt, ex morbo comitiali, inquam, apoplexia, & phrenesi hanc opinionem acceperunt. Quia enim vnaquæque harum affectionũ affert rationi exitium, & vt ea euanescat & intereat efficit: existimarunt bonam corporis temperaturã esse animam. Oportebat autẽ ipsos considerare, quòd etiam qui lyra scit, si non rectè aptata & instructa lyra fuerit, suam non ostendit scientiã. Nam si vel nimis intensæ vel remissæ chordę fuerint, harmoniam, & concentum corrũpunt. Quòd si etiam aliquæ exectæ fuerint, omnino otiosum musicum efficiunt. Hoc itidem videri potest in tibijs & alijs instrumentis. Ita etiã cymba madefacta, vel præter artis rationẽ constructa, artem gubernatoris deperdit, & equi claudicantes, vel natura tardi, atque etiã quæ curribus eueniũt affectiones, aurigis perniciem afferunt. Ita etiam animã nonnullæ corporum affectiones, non sinunt ostendere operationem rationis. Sed si in lingua quidem fuerit affectio, sermo sistitur. Sin aũt in oculis, videndi operationis facultas nõ amplius procedit per particulam. Quòd si in membranam, quę meninx dicitur, morbus incubuerit: vaporum & succorũ malignitas cerebrum offendit, ab ijs aũt inundatum & obrutum, non recipit operationẽ animæ, sed est simile alicui aqua obruto, qui pedes, & manus, & reliqua mẽbra corporis mouet temerè. Bona ergo corporis temperatura non est substantia animæ. Sed in bona corporis temperatura animæ substantia suam sapientiã ostẽdit. Hi ergo in hanc à ratione alienam opinionem inciderunt impij hæretici, Carpocrates, & Epiphanes, & Prodicus, & Caiani, & Antitactæ. Euchitæ autẽ multo his magis impias nugas sibi comparauere. Dicebant enim animas in corpora demitti, vt dum omnem in his intemperantiã & iniquitatẽ facerẽt, impietatis studijs mũdi creatores Angelos colerẽt. Ecclesia aũt diuinis verbis credens, quę ab his dicuntur valde execratur, auersatur aũt etiam aliorũ fabulas. Diuinæ aũt scripturæ credens, dicit animam vnà cũ corpore fuisse creatam, non ex materia quidẽ seminis habentem creationis causam, sed ex effectoris voluntate post consistentem corporis formationẽ. Etenim diuinissimus Moyses dixit quidẽ prius Adę formatum esse corpus, deinde sic in ipsum animã inspirasse. Accepit enim Deus limũ terram, & formauit hominem, & insufflauit in faciẽ eius spiritum vitæ, & factus est homo in animã viuentem. Illam autẽ insufflationem non dicimus esse aliquã diuinæ substantię partẽ, vt censet Cerdonis, & Marcionis rabies: sed animæ naturam per id significari dicimus, quòd scilicet anima est spiritus ratione præditus & intelligens. Rursus autem etiam in legibus idem Propheta nos apertè docuit, quòd corpus prius formatur, deinde ita procreatur & inseritur anima. De eo enim qui prægnantem percussit, dixit. Si egressus fuerit formatus fœtus, reddet oculum pro oculo, dentem pro

Gen. 2.

pro dente, & quæ deinceps sequuntur. Si autem nõ egressus fuerit formatus, multabitur, hac ratione docens id quidem quod est formatum, esse animatũ, quod autem non est formatum, esse inanimatum. Benedictus quoque Iob ita dixit Domino. Memento q̃ lutum me formasti, in terram aũt me rursus conuertis. An non sicut lac mulsisti me, & tanquam caseum coagulasti, pelle & carne induisti me, ossibus autẽ & neruis compegisti me? Et cùm perhęc ostendisset priorẽ corporis formationem, ita animationis canticũ laudatorium adiecit. Vitam, enim inquit, & misericordiã apud me posuisti. Meminit aũt etiam curæ quæ ab eo post hęc geritur. Speculatio autẽ tua seruabat spiritum meum. Deinde prædicat Dei omnipotentiam. Hæc habens in te ipso, scio quòd omnia potes, & nihil est tibi impossibile. Prioris aũt temporis priuilegijs Deus corpus honorauit, æqualitatem procurans. Quoniam enim animã effecit immortalem, corpus autem mortale: attribuit corpori priuilegia tẽporis, ne anima aduersus ipsum gloriaretur, seq; iactaret, si & natura & tempore esset superior.

Iob. 10.

DE PROVIDENTIA.

HAnc de anima, & corpore sententiã à diuinis eloquijs didicit ecclesia. Non solũ autem nouit opificem Deũ vniuersorum, sed etiam curatorem, administratorem, & vniuersorum gubernatorem. Est enim longè absurdissimum, dicere quidem ipsum omnia fecisse, non quòd ipse vllum eis opus haberet, sed sola sua benignitate & humanitate adductum: eorum autem quæ fecit nullam curam gerere, & creaturam, veluti cymbam aliquam & clauo & gubernatore destitutam, à contrarijs ventis huc & illuc impelli, scopulisque & rupibus allisam confringi. Execramur enim Diagoram impium, auersamur autem etiam Epicurũ, qui Deum quidem esse concedit, sed eũ ad se conuersum esse dicit, & nihil eorum quæ fiunt in creatione sentire. Aristotelis quoque prouidentiam reprehendimus. Ei enim lunã limitem constituit, duorum alterum, vel eius impotentiam, vel socordiam accusans. Vel enim non habet potentiam quę ad vniuersorum curam gerendam sufficiat. Vel si habet, propter socordiam nostrã sine regimine & gubernatione reliquit. Sed vtrunq; est plenum blasphemiæ. Qui enim vel minimas creationis partes fabricari voluit, quomodo poterit impotens vocari? Quomodo autem propter socordiam, eorum curam abijciet quæ fecit propter bonitatis abyssum? Sed illorum stultitiam satis conuincit Platonis prouidẽtia. Ille enim, & qui sunt eiusdem cum illo sententię, dicunt vniuersorum Deum omnium curam gerere. Deo autem prouidente, & curam gerente, de fato, & Parcis nentibus, fabula explosa est. Est enim extremæ amentiæ, Deo gubernante, in terrarum orbis nauem alium gubernatorem introducere. Oportet autem oratione diuidi ac distingui, quænam à prouidentiæ clauis & gubernaculis pendeant, & quę ratiocinandi animæ facultati attributa sint, & quænam quidem naturalia, quænam verò æquiuocè appellantur, vt quæ non sint, sed mala esse existimentur. Rerum itaque humanarum, natura quidem bona sunt, prudentia, & temperantia, & iustitia, & animi magnitudo, & aliæ partes virtutis: Mala autem, imprudentia, & intemperantia, & iniustitia, & timiditas, & alia quæ sunt his similia. Diuitiæ autẽ, & paupertas, & seruitus, & dominium, & sanitas, & morbus, & aliæ vitę humanę prosperitates, & aduersitates, sunt cuiusdam mediæ sortis & conditionis. Sunt enim veluti quædam instrumẽta hominibus proposita. Et qui sunt quidem ex hominibus optimi & præstantissimi, per vnumquodque eorum quę dicta sunt, sibi virtutẽ comparant. Tam enim eos qui se propter diuitias efferunt, quàm qui in paupertate degunt, videre licet virtutis curam gerentes, & benefactorẽ in sanitate laudantes, & in morbo se toleranter, & fortiter gerentes: & seruos qui propter temperantiam & iustitiam clari euadunt, & rursus alios, qui in paupertate quidem vitium amplectuntur, & non solum furantur, sed etiam mortuorum monimenta diripiunt, & sacrilegia committere non verentur, alios verò qui diuitias iniustitiæ instrumentum efficiunt, & in sanitate quidem superbi sunt & insolentes, in morbis autem maledicta & blasphema verba eructant. Per quæ facile sciri potest, quòd eorum quidem qui vtuntur, diuitiæ & paupertas, & seruitus, & dominium, & quæ sunt his similia, nunc quidem laudanda, nunc verò vituperanda sunt: quemadmodum & ferrum nunc quidem hominum vitæ opem ferre dicimus, vt quod per aratrum, bipalium, & ligonem terram colat, per falcem autẽ putet arbores, per dolabram verò & serram, & domorum & variorum instrumentorũ & multiplicis supellectilis constitutionem præbeat: nunc autem nonnulli id illi insidiari dicunt, dũ vident enses, & cædes quæ per eos fiunt. Sed neque ensis cędium causa est, sed is qui ense malè vsus est. neque diuitiæ & paupertas, aliæque vitę prosperitates & aduersitates reprehẽdi & accusari merentur, sed qui vnoquoque eorum præter leges vtuntur. Si enim vnumquodque eorum esset malum natura, non vllis vnquam bona conciliaret. Inuenimus autem multos per hæc se rectè & ex virtute gessisse. Neque ergo malum est quod boni instrumentum efficitur, neque rursus bonum, quod alij fit instrumentum ad vitium. Est ergo in ordine medium, sicut etiam medicamenta. Opium enim, & cicuta, si à medicis cum optimo iudicio adhibita fuerint, sunt ad propulsandos morbos optima remedia. Sin autem præter artis rationẽ sumpta fuerint, venena sunt & exitialia. Panis autem & vinum nonnunquam etiam morbos ijs qui vtuntur afferunt. Exuperatio enim detrimentum procreat. Ita etiam prosperitatem & aduersitatem, qui ea quidem rectè & sapienter gubernant, salutaria medicamenta constituunt: qui autem stultè & insipienter, ex ij

occasionem per ea suscipiunt. Hæc ergo, & quæcunque sunt his similia, terræ fertilitas & sterilitas, secunda nauigatio, & naufragium, dependent à diuina prouidentia. Quocirca oportet omnes ijs quæ ab ipso fiũt acquiescere, & de causis non esse sollicitos. Diuinæ enim administrationis rationem nemo potest assequi: eorum autem quæ sunt in nostra potestate curam gerere: & vitium quidem omnino expellere, virtutem autem admittere, & eius partibus oblectari, & quemadmodum mulieres, quæ se ornandi sunt studiosæ, exornandi arte corpus elegans & splendidum efficiunt: ita etiam animæ ornari decorem temperantiæ, & iustitiæ, & fortitudinis, & prudẽtię floribus. In nostra enim est potestate eorum acquisitio. Est autem extremæ stultitiæ, eorum quidem quæ non sunt in nostra potestate possessionem, eamque facillimis mutationibus obnoxiam, tàm anxiè quærere: quæ autem in nostra sunt potestate, quæ sunt & illustria & sufficientia, firmaque & stabilia, tanquam vilia quædã, & vili facienda negligere. Si hanc rerum humanarum diuisionẽ cognouerimus, Diuinæ gubernationis motibus acquiescemus, & de prouidentia quæ omnia gubernat nõ dubitabimus. Videmus enim ordine mutari anni tempora, in tempore autem omnia produci, & vnumquodque fieri in tempore. Neque enim, vt volunt petulantissimę Manentis fabulæ, Materię principes lucis filiam concupiscentes, & eam persequentes, sudant, & pluuiam suppeditant. Sed vniuersorum opifex innuit, & condensantur nubes. Id autem docet apertè sacra scriptura. Sustollens, enim inquit, nubes ex finibus terræ, fulgura in pluuiam fecit. Qui educit ventos ex thesauris suis. Et rursus. Qui euocat aquã maris, & effundit ipsam in faciẽ terræ. Et rursus. Flabit spiritus eius, & fluent aquæ. Et alibi. Qui irrigat montes è tabulatis suis, de fructu operum tuorũ cibabitur terra, qui producit fœnũ iumentis, & herbam seruituti hominum, vt producat panem è terra. Innumerabilia quoque alia possunt inueniri in sacra scriptura, quæ Dei prouidentiam ostẽdant. Sed cùm iam decem libros de prouidentia scripserim, existimo nunc superuacaneum fusius de ea dicere.

Psal. 134. 147. 103.

DE SERVATORIS DISPENsatione, seu incarnatione.

DE diuina autem incarnatione quid sentiamus operæ pretium est ostẽdere. Quod enim de ea dicetur, id vniuersorum Dei prouidentiam apertius prædicat. Valentinus ergo in fabulis quas finxit, alium quidem dixit esse vnigenitum, alium verò verbum, & alium Christum qui est intra pleroma & aliũ Iesum, alium rursus Christum qui extra est: Incarnatum autem dixit esse Iesum. Christo qui extra est indutum & accepisse corpus ex animæ substantia, per virginem autem traiecisse, nec ex humana natura quidquam cepisse. Basilides quoque similiter alium vnigenitum, & aliud verbum, & aliam dixit sapientiam. Cerdo autem, & Marcion, & Manes tanquã hominem apparuisse Christũ dicebant, cùm nihil humani haberet. Cerinthus autẽ Iesum quidem ex Ioseph & Maria esse genitum ex communi lege hominum: Christum autem è superis ad Iesum descendisse. Ebionæi autem, & Theodotiani, & Artemoniani & Photiniani, dixerunt solum hominem Christum ex virgine natum esse. Arrius autem, & Eunomius, eum quidem corpus dicebant accepisse, sed diuinitatem vsum animæ exercuisse. Apollinaris autem dicebat quidem Seruatoris corpus esse animatum, sed ratione præditam non habuisse animam. Mens enim est, inquit, superuacanea, vbi Deus adest. Multarum aũt hęresum posui opiniones, volens ostendere veritatem ecclesiæ. Ecclesia enim eundẽ & filium, & vnigenitum, & Deum verbum, & Seruatorẽ Dominum, & Iesum Christum nominat. Sed filius quidem vnigenitus, & Deus verbũ, & Dominus nominabatur, etiam ante incarnationem & post incarnationẽ similiter vocatur. Iesus autẽ Christus post incarnationem idem nominatus est, ex rebus ipsis acceptis appellationibus. Iesus enim interpretatur Seruator. Huius autem testis est Gabriel, dũ dixit virgini, Vocabis nomen eius Iesum, quia ipse seruabit populum suum à peccatis eius. Christus autem, hoc est vnctus, appellatus est, propter vnctionem spiritus. Dicit enim Psalmista Dauid. Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitię prę consortibus tuis. Per linguam autem Esaiæ Prophetę dixit ipse Dominus, Spiritus Domini super me, qua de causa vnxit me. Ita autem intelligere Prophetiam ipse nos Dominus docuit. Synagogam enim ingressus, cùm librum Propheticum accepisset, antè dictum quidem locum legit. Dixit aũt præsentibus. Hodie impleta est scriptura hæc in auribus vestris. Prophetis quoque conuenientia prædicauit magnus Apostolus Petrus. Cornelio enim, & eius familiæ ostendens mysteriũ sic dixit. Vos scitis verbum quod factum est per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa post baptismum, quem prædicauit Ioannes, Iesum à Nazaret, vnxit eum Deus spiritu sancto & virtute. Ex his ergo manifestum est quòd propter vnctionem spiritus nominatus est Christus. Vnctus est autem, non vt Deus, sed vt homo. Etsi autem quatenus homo, vnctus est, & post incarnationem Christus nominatus est, non est tamen alius Deus verbum, & alius Christus. Deus enim verbum homo factus, nominatus est Iesus Christus. Homo autẽ factus est, vt à peccato corruptam naturam renouaret, propter ea totam quæ peccauit accepit, vt toti mederetur. Neque enim diuinitatis integumento vtens, suscepit naturam corporis, vt voluit Arrij & Eunomij delirium. Erat ei enim facile vel sine corpore videri, vt olim Abrahæ & Iacob, & alijs sanctis Prophetis visus est. Sed voluit ipsam deuictam naturam superare aduersarium, & referre victoriam. Ea de causa & corpus accepit, & animam ratione præditam. Hominem enim sacra scriptura non diuidit

Luc. 1.
Matth. 1.
Psal. 44.
Esa. 61.
Luc. 4.
Actor. 10.

tripertito: Sed ex anima & corpore dicit hoc animal constare. Deus enim, cùm ex limo corpus finxisset, inspirauit animam, & duas naturas ostendit, non tres. Ipse autem Dominus dixit in Euangelijs. Ne timete eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Multa autem eiusmodi possunt inueniri in sacra scriptura. Quòd autem non diuinitati integumentum construens, vt volunt Hæreticorum fabulæ, sed per primitias toti generi victoriam procurans, perfectam humanam accepit naturam, testis verus & doctor absolutus est diuinus Apostolus. In Epistola enim ad Romanos, œconomiæ aperiens mysterium sic inquit. Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors peruasit, in quo omnes peccauerunt. Cùm autem per hæc, peccati initium, & fructum qui ex eo germinauit, & eum qui à principio illud suscepit, ostendisset, eius quoque finem ostendit. Vsque ad legem enim, inquit, peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputatur, cùm lex non sit. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adam, qui est forma futuri. Mosem autem vocat legem. Vsque ad Seruatoris autem aduentum, vigebat legis institutio & administratio. Transgredientibus autem & ijs qui sub illius erant regimine, & ijs qui legi naturæ suberant, iure mors regnauit, eius potentiam peccato confirmante. Mors enim erat peccati condemnatio. Cùm ita docuisset, & vndenam peccatum accepit initium, & quousque mors regnauit, ostendit quomodo dissoluta est & confracta eorum potentia, & immensam Dei laudat benignitatem, dicens, Sed non sicut delictum, ita & donũ. Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundauit. Superat, inquit, benignitas & humanitas iustitiam. Iustitiæ enim decretum, cùm vnus peccasset, vniuersum genus morti tradidit. Diuina autem misericordia, cùm omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent implicati, per vnius iustitiam dedit omnibus salutem. Seruatorem autem appellauit hominem, non negans eius diuinitatem: sciebat enim eum esse Deum, & honore patri æqualem: sed docens quod simile simili curatum est, & primitijs totum fuit sanctificatum. Quantum enim ad humanitatem attinet, cùm legi subiectus legem implesset, eos qui legem transgressi erant liberauit à maledicto. Deinde idem rursus dictum aliter versat. Et non sicut per vnum qui peccauit, donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Quando, inquit, vnus peccauit, omnes condemnati sunt: nunc autem cùm omnes peccauerint, omnibus volentibus salus proposita est per fidem. Cùm sic ostendisset vnius iustitiam fuisse communis peccati salutare medicamentum, ostendit per ipsum quoque fuisse peractam mortis dissolutionem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Peccatum, inquit, mortem conciliauit, vitam autem in regno, vnius hominis iustitia. Seruamur, non lege, sed diuina misericordia iustitiam assequentes. Lex enim eius quod iustum est, omnes ad supplicium adduxit. Omnes enim fuimus peccati perpetratores. Si enim cùm vnus peccasset, genus condemnatum est, erat vtique omnino iustius eos qui sub peccato fuerunt subire supplicium. Sed diuina misericordia eius quod iustum est limites transilijt, & benignitas vicit æqualitatem, & cùm vnus legem impleuerit, licet omnibus ei credere volentibus frui salute. Cùm autem in his ostendisset humanitatis inæqualitatem, rursus ad reddendam sui dicti rationem se confert. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Deinde transit à rebus ad personas. Sicut enim per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita & per obedientiam vnius, iusti constituentur multi. Valde autem necessario illud Multi, in vtroque posuit. Etenim cùm Adam peccasset, & plurimi diuinas leges transgressi essent, permanserunt nonnulli in decretis naturæ, & virtutis curam gessere, sicut Abel, Enoch, & Noe, & Patriarchæ, & Prophetæ, & alij plurimi, non solum apud Iudęos, sed etiam apud alias gentes, de quibus dixit diuinus Apostolus: Quando enim gentes, quæ legem non habent, quæ legis sunt natura faciunt, ij legem non habentes sibi ipsis sunt lex, & post Seruatoris aduentum, non omnes salutem assequuntur, sed qui credunt, & vitam ex diuinis eius legibus instituunt. Ea de causa, & in exemplari, & in imagine, illud Multi, posuit. Sed videamus quanam de causa homo factus est vnigenitus Dei filius, & humana suscepta natura, homo appellatus est. Hanc autem doctrinam nobis obtulit, etiam in epistola ad Corinthios. Sic autem dicit, Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ eorum qui dormierunt. Quia enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Deinde à natura transit ad personas, & dicit, Sicut enim omnes in Adam moriuntur, sic etiam in Christo omnes viuificabuntur. Et non dixit, Seruabuntur, sed viuificabuntur. Communis enim est resurrectio, post resurrectionem autem fiet distinctio. Et hoc declarauit subiungens, Vnusquisque autem in proprio ordine. Multi enim sunt, & eorum qui puniuntur, & eorum qui seruantur, ordines. Pro qualitate enim & quãtitate iustitiæ præbebuntur donorum remunerationes. Similiter autem & pro peccatorum differentia erunt supplicia.

Matth. 10.
Rom. 5.
Rom. 2.
1. Cor. 15.

Quòd Dominus susceperit supplicia.

QVoniam ergo diuinæ incarnationis causam didicimus, age ostendamus diuinorum eloquiorum afferentes testimonia, quòd homo factus Deus verbum humanum corpus susceperit. Primum enim, fasciæ erant corporis, non diuinitatis. Deinde butyrum,
Esa. 7. & mel, quod propheta longè antè prædicit, & lac maternum, & alius cibus, & potus ostendit naturam eorum susceptricem. Si quis autem per stultitiam obijciat nutrimentum,
Gen. 18. quod fuit in Abrahæ tabernaculo, is se stultè loqui intelligat. Illa enim fieri videbantur: alio autem sunt consumpta modo, quem is demum nouit qui consumpsit. Quòd si quis etiam stolidè concesserit incorpoream illorum fuisse participem, illic tamen nec famem, nec sitim inuenies. Hic autem indigentia tales excitauit affectiones, non quòd non posset efficere vnita diuinitas, vt corpus ab indigentia alienum esset. Qui enim paulò pòst omnibus corporibus immortalitatem largitus est, facilius suum corpus ab egestate inuictum reddidisset. Sed ei concessit suam naturam ostendere, vt hæreses quæ illius assumptionem negarent, falsum dicere apertè conuincerentur. Quemadmodum enim cùm id morte potentius posset reddere (nam hoc etiam fecit post tres dies) pati tamen, & mori permisit, vt incarnationis œconomiæ mysterium impleret: ita etiam concessit esurire, & sitire, & defatigari, & dormire, ne vllam caperent occasionem Docitæ, id est qui non verè, sed sola visione & apparitione credebant fuisse mysterium incarnationis, confirmandi falsam suam hæresim. Fames ergo, & sitis, & præterea defatigatio, & labor, & somnus, humanum esse corpus testantur corpus Domini. Hoc autem confirmans diuinus Apostolus, clamat dicens.
Heb. 2. Quia ergo pueri communicarunt carni & sanguini, similiter & ipse eorum fuit particeps, vt per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium, & liberaret eos quicunque timore mortis per totam vitam erant morti obnoxij. Per hæc autem apertè declarauit, quòd eandem quam nos naturam induit. Si quis autem ægrè fert indumentum,
Gen. 49. audiat Patriarcham Iacob prædicentem. Lauabit in vino vestem suam, & in sanguine vuæ indumentum suum. Audiat autem diuinum quoque Paulum clamantem, Habentes
Heb. 10. itaque fratres libertatem ab introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id est carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei, accedimus cum vero corde in plenitudine fidei, & quę deinceps sequuntur. Velamen enim carnem eius appellauit, sicut Patriarcha Iacob vestem & indumentum. Cæterùm superuacaneum est de his dicere prolixius, cùm & nouum, & vetus testamentum apertè ostendant corpus Domini.

Quòd susceperit etiam animam cum corpore.

QVòd autem etiam animam ratione præditam susceperit vnigenitus Dei filius, homo factus, docet Lucas Euangelista, dicens. Iesus autem proficiebat ætate, & gratia Luc. 2.
apud Deum & homines. Proficit autem ætate quidem corpus, sapientia autem anima. Diuinitas enim neutrum incrementum suscipit. Est enim omni ex parte perfectum Dei verbum. Iure autem, ætatis augmento coniunxit incrementum sapientiæ. Pro mensura enim ætatis corporis, reuelabat diuina natura suam sapientiam. Apertius autem assumptam esse animam docet Dominus. Iis enim, qui conijciebant passionem esse inuoluntariam, dicebat ante passionem. Potestatem ha- Ioan. 10.
beo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus accipiendi ipsam. Nemo tollit ipsam à me, ego pono ipsam à me ipso vt rursus accipiam ipsam. Per hæc autem apertè declarauit, quòd alia quidem est quæ ponitur & sumitur anima, alia autem, quę ponit & sumit, diuinitas. Aliam autē dixi, non in duas personas diuidens, sed naturarum ostendens differentiam. Sic etiam alibi dixit. Propterea pater Ioan. 10.
me diligit, quia ego pono animam meam pro ouibus. In alio autem loco etiam turbationem quam sustinuit anima tempore passionis apertè ostendit. Dixit enim. Nunc anima mea turbata est. Et, quid dico? Pater serua me ab hac hora. Sed propterea veni ad horam hanc. Per has autem cogitationes, nunc quidem passionem reformidantis, nunc autem metum abijcientis, tristitiam & angorē ostendit. hunc autem eius timorem docuit Lucas apertius. In tanta enim eum agonia fuisse scri- Luc. 22.
bit, vt cruentus esset sudor eius corporis. Fuit, enim inquit, sudor eius tanquam guttæ sanguinis. Hoc autem etiam adiecit, quòd Angelus veniens confirmauit ipsum. Considera autem mihi per omnia humanæ naturæ imbecillitatem. Cur enim etiam vnita vnigeniti diuinitate, & spiritu tanquam vnctione præsente, Angelus sustentat animæ & corporis imbecillitatem? an clarum est, quòd diuina permittēte natura hęc omnia facta sunt, vt eorum qui postea futuri erant, ij quidem qui animæ & corporis assumptioni crederent, confirmarentur demonstrationibus: qui autem contradicerent, euidentibus testimonijs conuincerentur?

Quòd perfectam humanam susceperit naturam.

PRopterea autem seipsum & hominem & filium hominis appellat. Sæpe enim dixit Apostolis. Tradetur filius hominis in manus Luc. 9.
hominum, & occident ipsum, & tertia die resurget. Et autem qui sequi volebat, Vulpes, Ioan. 8.
inquit, foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Iudæis autem apertè dixit. Quid me quæritis interficere, hominem qui veritatem dixi vobis, quam audiui à patre meo? Diuinus autem Apostolus clamat. Vnus Deus, vnus 1. Tim. 2.
etiam intercessor Dei & hominum. Et rursus.

Quoniam

1. Cor. 15. Quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Ea de causa semen Abrahæ, & filius Dauid nominatus est. Quia enim pollicitus est Abrahæ vniuersorum Deus se in semine eius benedicturum omnes gentes, & promissionem dedit & Isaac, & Iacob: iure diuinus Apostolus scribens ad
Gal. 3. Galatas dixit. Abrahæ autem dictæ sunt promissiones & semini eius, & docens quemnam dicit semen, subiunxit. Non dicit ei, Seminibus, vt in multis, sed in vno. Et semini tuo, qui est Christus. Et ad Hebræos scribens, sic
Heb. 2. dixit. Non enim Angelos vtique apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit in omnibus fratribus assimilari, vt misericors esset & fidelis Sacerdos, in ijs quæ ad Deum pertinent. Pręterea autem etiam Iudæ, quam ab vniuersorum Deo accepit, Iacob Patriarcha benedictionem tribuit, dicens. Non
Gen. 49. deficiet princeps ex Iuda, & dux ex fœmoribus tuis, donec venerit cui repositum est, & ipse erit expectatio gentiū. Iam verò Micheas quoque Propheta reuocat prædictionem, di-
Mich. 5. cens. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda. Ex te enim egredietur mihi dux, & egressus eius ab initio à diebus sæculi. Et rursus diuinus Apostolus ostendit finem prædictionum, & subiunxit.
Heb. 7. Manifestum est enim quòd ex Iuda exortus est Dominus noster. Has autem promissiones Dauid quoque Rex & Propheta ab vniuersorum Deo accepit. Dixit enim ei, vsque
Psal. 88. in sæculum parabo semen eius: & ædificabo in generationem thronum tuum. Et rursus. Et ponam in sæculum sæculi semen ipsius, & sedem eius, vt dies cœli. Et paulò pòst. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in sæculum manet, & sedes eius tanquam sol coram me, & tanquam luna perfecta in sæculum, & testis in cœlo fidelis. Has autem promissiones, per Esaiam prophetam, verax rur-
Esa. 11. sus Dominus renouauit. Egredietur enim, inquit, virga de radice Iesse, & flos è radice ascendet, & requiescet super ipsum spiritus Dei, spiritus sapientiæ, & prudentiæ, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus cognitionis, & pietatis, spiritus timoris Dei implebit ipsum, & quæ deinceps sequuntur in eadem sententia. Et rursus. Erit radix Iesse, & exurgens ad imperandum gentibus, in ipsum gentes sperabunt, & erit requies eius honor. Et in alio lo-
Esa. 55. co. Et disponam, inquit, testamentū nouum, sancta Dauid fidelia. Quæ enim promisi illi implebo, & per semen illius seruabo orbem terræ, est enim mihi fidelis & vera promissio. Harum promissionum veritatem ostendens Matthæus Euangelista in ipso procemio libri sui annunciat orbi terrarum quòd floruit expectatio. Liber enim inquit, generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abrahæ. Vtrisque enim factæ erant de semine promissiones. Quinetiam diuinus Apostolus scribens ad Romanos, in principio epistolæ ostendit finem promissionis factæ Dauid. Paulus, enim inquit, seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod promisit per Prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo, nato ex semine Dauid secundum carnem. Cùm autem adiecit illud Secundum carnem, ostendit quòd Dominus noster Iesus Christus erat etiam Deus ante sæcula. Filius autem Dauid secundum humanam natu-
ram appellatus est, & hoc docēs apertius, subiunxit, Filij Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione à mortuis Domini nostri Iesu Christi. Cùm enim à mortuis, inquit, resurrexisset, & spiritus gratia Apostolos implesset, per miracula quæ ab illis facta sunt Deus ostensus est. In nomine enim eius maxima miracula fecerunt. In medio autem epistolæ, cùm bonorum olim Iudæis datorum mentionem fecisset, subiunxit. Quorum patres, & ex quibus Christus secun- Rom. 9.
dum carnem, qui est in omnibus Deus, & in vna persona duarum naturarum differentiam ostendit, ex Iudæis quidem natum secundum carnem, in omnibus autem Deum, vt Deum, & in sæcula benedictum. Beato autem 2. Tim. 2.
Timotheo præcipit, dicens. Memento Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum Euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula quasi maleficus. Multa quoque alia possunt inueniri testimonia in vtroque testamento, quæ prædicant Domini nostri cognationem secundum carnem. Hæc autem sufficiunt ad docendum, quòd perfectam humanam accepit naturam, & ideo & filius Dauid, & filius Abrahæ, & filius hominis, & homo, & Adam, & Iacob, & Israel nominatus est. Quemadmodum enim erat perfectus Deus: ita etiam homo perfectus, perfectam salutem præbuit hominibus.

Quòd quam suscepit naturam suscitauerit.

QVòd autem etiam quam suscepit naturam suscitauerit, testatur quidem ipse, Apostolis & manus, & pedes ostendens, testantur & Thomæ digiti, qui vulnera tetige- Luc. 24.
runt. Hoc autem reliqui quoque fecerunt Apostoli, iubente Domino. Palpate, enim inquit, & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Clamat autem etiam D. Ioannes Apostolus in principio Epistolæ. Quod vidimus, & manus 1. Ioan. 1.
nostræ contrectauerunt. Magnus autem Petrus apud Iudæos concionans, cùm mentionem fecisset prædictionis Dauid, quam prædixit de resurrectione Domini, hæc quoque dicit. Viri fratres, cùm liceat liberè ad vos di- Actor. 2.
cere de Patriarcha Dauid, quòd & mortuus est & sepultus, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret quòd iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius secundum carnem suscitaturum Christum, vt sederet super sedem suam: prius significauit dicens de resurrectione eius, quòd non derelicta est in inferno anima eius, nec caro eius vidit corruptionem. Duo ergo nos simul testes docent, hic quidem Apostolus, ille verò Pro-

pheta,

pheta, alter quidem prædicens, alter verò post finem interpretans prædictionem, quòd non diuinitatis, sed corporis & animæ est resurrectio, quorum autem resurrectio, eorum vtiq; erat passio, anima non vnà cum corpore perempta, sunt enim immortales etiam animæ hominum, sed corpore per separationem animæ finem accipiente. Diuinitas autem non est quidem separata ab humanitate, nec in cruce, nec in sepulchro. Sed cùm esset immortalis & immutabilis, nec mortem, nec passionem sustinuit. Si enim anima, propter immortalitatem ei insitam, non fuit particeps mortis corporis, quomodo fieri potuit, vt natura quæ circumscribi non poterat, vel crucifigeretur, vel sepulchro mandaretur? Hoc significantes quatuor Euangelistæ, Ioseph ab Arimathia mentionem fecere, dicentes eum accessisse ad Pilatum, & petijsse corpus Iesu, & cùm Pilatus dedisset, corpus de ligno deposuisse, & sindone inuoluisse, & sepulchro tradidisse. Sæpe autem corporis nomen posuerunt, impudens os blasphemantium apertis & euidentibus testimonijs obstruentes.

Quòd idem sit & bonus & iustus.

QVia autem execrandus Marcion alium dicit iustum, quem etiam Creatorem appellat, alium autem bonum, quem dicit esse Iesum Christum: age de eo quoq; pauca disseramus, & ostendamus Dominum nostrum Iesum & seruatorem & creatorem, eundemq; & bonum & iustum. Quia enim audiuit scelestissimus legem dicentem, Oculum pro oculo, & dentem pro dente, adustionē pro adustione, liuorem pro liuore: Dominus autem iubet percutienti dextram maxillam, obuertere etiam aliam, & volenti iudicio contendere, & tunicam capere, dare etiam pallium: existimauit stolidus illum quidem esse iustū, hunc verò bonum, nec animaduertit quòd legum Euangelicarum perfectio est legibus Mosaicis terribilior. Lex enim Mosaica vetat homicidium. Lex verò Euangelica ei etiam qui fratrem stultum appellat minatur gehennam. Quicunq; enim, inquit, dicit fratri suo, stulte, reus est in gehennam ignis. Ita rursus. Lex antiqua accusat adulterium. Euangelica verò etiam turpem cupiditatem per lasciuum aspectum ingredientem vocat adulterium. Et antiqua quidem, prohibet periurium, noua autem, etiam iusiurandum, & antiqua quidem, eum qui mulierem odio habet, iussit illam dimittere, recens autem vocat adulterium, dimissionem quæ fit absque fornicatione. Quicunq; enim inquit, dimittit vxorem suam, præterquam fornicationis causa, facit eam adulterari, & qui dimissam ducit, adulteratur. Præterea autem etiā pro otioso sermone se rationem exacturū minatus est, & supplicium æternum, & tenebras exteriores, & gehennam ignis, & multa eiusmodi alia. Ex his aūt inuenietur is qui ab ipso quidem appellatur iustus, bonus, qui autem bonus nominatur, iustus. Leges enim seueriores cōstituit, & grauiora supplicia minatus est. Verùm hęc etiam dicere aperta est insania. Qui enim in Euangelijs præcipit inimicos diligere, iussit etiam in veteri non despicere iumentum inimici, q̄ oneri succubuerit, sed opem ferre, & non meminisse inimicitiarum, in tempore necessitatis. Ita etiam rursus inimici bouem errantem iubet reducere, & reddere domino. Non solum autem in homines docet Lex vetus humanitatem & beneficentiā, sed etiā brutorum animaliū præcipit misereri. Nō alligabis, inquit, os boui trituranti, & non coques agnum in lacte matris suæ. Quinetiā ijs qui quarundam auium pullos inueniunt, prohibet vnà etiam illarum venari parentes. Septimo quoq; die iussit feriari, vt non solum seruus & ancilla quiescant, sed etiā bos & iumentū, tantam vel brutorum animalium curā gerit. Inueniri quoque possunt leges scriptæ de Proselytis, plenæ omni humanitate. Non affligetis, enim inquit, aduenam, quia fuistis aduenæ in Aegypto. Eos quoq; qui metunt, iussit eas quæ excidunt spicas relinquere aduenæ, & orphano, & viduæ. Ita etiam eos qui vindemiant, vuas quæ excidūt, & botros qui latent, bis colligere. Hoc ipsum iubet fieri etiam in alijs fructibus. Non reuindemiabis, inquit, vineam tuam, nec rursus decerpes oleam, sed erit aduenæ, & orphano, & viduæ, & volucribus cœli, & bestijs terræ. Iam verò captiuæ quoque magnam curam gerit. Neq; enim libidinosis eam abutendam permittit. Sed primum iubet vt ei concedatur suos lugere, deinde tonderi, & tunc coniungi. Quòd si dominus fuerit voluptate satiatus: nec concedit vt vendatur, nec permittit vt seruiat, sed liberam iubet dimittere, quam cum illa habuit cōsuetudinem pro pretio reputantem. Quasnam ergo luent pœnas quæ blasphemiæ magnitudini respondeant, qui eum, qui verè bonus est, Legislatorem non solum non iustum, sed etiam malum vocare ausi sunt?

Quòd idem & vetus & nouum dederit testamentum.

NOs autem vnum scimus & veteris, & noui testamenti datorem. Idq̄ue per Hieremiam Prophetam apertè docet. Disponam enim, inquit, domui Israel, & domui Iudæ testamentum nouum, non secundum testamentum quod disposui patribus vestris, in die quo apprehendi manum ipsorum ad educendos eos de terra Aegypti, sed disponam eis testamentum nouum, dans leges meas in mentem ipsorum, & in corde ipsorum scribā eas. Apertè autem per hæc quę dicta sunt docuit, quòd qui vetus dedit, etiam nouum præbebit. Disponam, enim inquit, non secundū testamentum quod disposui. Et per Esaiā Prophetam dixit. Et disponam eis testamentum nouum sancta Dauid fidelia. Et Dauid similiter Propheta clamat. Exurge Domine, ne roboretur homo, iudicentur gentes coram te, constitue Domine Legislatorem super ipsos. Si autem fidem non habent Prophetis: audiant Legislatorem leges veteres non subuertere, sed

Hier. 31.

Esa. 38.

Psal. 9.

re, sed adstringere. Subuertentis enim esset, dicere, dictum est antiquis, non adulteraberis, ego verò dico vobis, Adulterare. Et dictū est antiquis, Non occides, ego verò dico vobis, Occide. Hoc enim faciūt Antitactæ cognati Marcionis. Dominus autem, per leges quas fert, apertè docet, quòd non veteres leges rescindit, sed perfectiorem administrandæ reip. formam inducit, & quemadmodum Grammaticus, eos quidem qui discere incipiunt, docet literarum characteres, ijs autem qui illas didicerunt, præbet syllabarum connexiones, alios autem docens, quomodo sint coniungenda nomina, & alios quomodo sit in legendo seruandus accentus, non affert leges doctrinæ repugnantes, sed præbet ætati conuenientem disciplinam. Ita etiam Dominus Christus dedit vnicuique generationi leges conuenientes. Necessarias enim & primas conseri psit in natura hominum. Habet enim vnusquisque boni & mali discernendi facultatem, & dum facimus quæ pati nolumus, eo ipso prædicamus nos scire id esse malū quod fit à nobis. Qui enim occidit, vel adulteratur, scit id esse malum quod facit. Non modò enim non vult occidi, sed nihil etiam non facit, ne id ei pati contingat, & stuprata vxore, eum qui violauit cubile, accusat adulterij, & si contumeliam acceperit, agit iniuriarum, & si cætera hoc modo examinauerimus, inueniemus omnes homines scire quòd malum est malum. Eas ergo in natura inseruit Deus, qui nos fabricatus est, alias autem variè dedit, in vnaquaque generatione. Adæ enim dedit legem de arbore. Noe autem legem de esu carnium, circumcisionem verò Abrahæ Patriarchæ constituit, alias autem per Mosen magnum Prophetam conscripsit. In diuinis autem Euangelijs, de paruis rebus latas leges, veluti quorundam elementorum meditationem, cessare faciens, leges dedit perfectissimas, & sicut matres recenter natis infantibus mammam præbent, paulò pòst autem cibum dentibus cōminutum, deinde cùm pueri & adolescentes euaserint, solidum. Sic vniuersorum Deus ijs qui illa didicerāt, præbet perfectiorem disciplinam. Vetus tamen etiam testamentum, vt mammam maternam amplectimur, & honoramus: sed lactis non sumus participes. Perfectis enim est superuacaneum lac eius quæ nutrijt: nutricem tamen honorant, vt qui ab illa sint nutriti: ita nos etiam, circumcisionem quidem, & sabbatum, & sacrificia, & aspersiones seruare non ferimus: alia autem veteris testamenti vtilitate fruimur: pietatem enim, & fidem in Deum, & dilectionem in proximum, & temperantiam, & iustitiam, & animi magnitudinem, perfectè docet: & veterum sanctorum exemplaria imitanda proponit.

DE BAPTISMATE.

PRo illis autē aspersionibus sufficit ijs qui credunt donum sanctissimi baptismatis. Non solum enim donat remissionem veterum peccatorum, sed etiam spem inserit promissorum bonorum, & mortis Dominicæ resurrectionisq; efficit participes, & doni spiritus largitur participationē, & filios Dei reddit, & non solum filios, sed etiam hæredes Dei, & cohæredes Christi. Non enim, vt dicunt amentes Messaliani, baptismus nouaculam imitatur, quæ præcesserunt peccata auferens, hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hic solus esset baptismi effectus, cur pueros baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt? Non enim hoc solum pollicetur sacramentum, sed his etiam maiora & perfectiora, est enim arra futurorum bonorum, & futuræ resurrectionis typus, & passionis Domini communicatio, & Dominicæ resurrectionis participatio, & pallium salutaris, & tunica lætitiæ, & stola luminosa, vel potius lux ipsa. Quotquot enim in Christum baptizati estis, Christum induistis, & quicunq; in Christum baptizati sumus, in mortem eius baptizati sumus, vt sicut suscitatus est Christus per gloriam patris, ita etiam nos in vitæ nouitate ambulemus. si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, etiam resurrectionis erimus. Hæc nos de sanctiss. baptismo sentire docuit D. Apostolus, quòd Christo consepulti, erimus resurrectionis participes. Verum enimuero hic magis mystico sermone opus est, & cùm alioqui duodecim mysticos libros conscripserimus, studiosos ad eos remittemus. Nos autem quæ restant capita examinabimus.

Gal. 3.

Rom. 6.

DE RESVRRECTIONE.

ITa baptismatis sacramentum peragentes, resurrectionis spem accipimus, corporum autem resurrectionem expectamus. Hoc enim declarat ipsum resurrectionis vocabulum apud Græcos, nempe ἀνάστασις. ἀνάστασις enim dicitur quasi ἄνωθεν στάσις, quasi dicas, quæ fit è superis restitutio, est autem corpus, quod interit & dissoluitur, & in terram mutatur. Exibit, enim inquit, spiritus eius, & reuertetur in terram suam. Et rursus. Tolles spiritum ipsorum, & deficient, & in terram suam reuertentur. Porrò autem ipse quoque Creator dicit Adæ, Terra es, & in terram reuerteris. Huius ergo quæ fit è superis restitutio, iure vocatur ἀνάστασις. Immortalis enim animæ non est resurrectio, sed est ad corpus reuersio. Marcion autem, & Cerdo, & Manes, & quicunque corporum resurrectionem non admiserunt, hunc in vitam regressum, tanquam qui omnino fieri nō posset, reiecerunt. Quemadmodum enim existimarunt Deum non posse fabricari absque materia: ita putarunt eum non posse id quod semel est dissolutum, & in exiguum puluerem conuersum, & tempore consumptum, in priorem rursus formam reducere. Atqui ipsi quoque dicunt, Deum accepto è terra cespite, hominem fabricatum esse, & considerare eos oportuit, quòd quemadmodum tunc eum cespitem in corpus facile mutauit vniuersorum Deus, & multas & diuer-

Gen. 3.

diuersas fecit partes: ita est ei facile ex paruis his reliquijs corporis substantiam constituere, etenim hoc quoque modo, veteri fabricationi non absimili, nunc videmus in matrice fieri, ex parua enim materia seminis, producuntur & ossa & membranæ & nerui, & venæ & arteriæ, & adeps, & caro, & alia omnia, ex quibus corpus constitutum est. Ex diuino enim præscripto natura procedit, & veluti quidam statuarius, statuam animatam effingit, & neque materiæ paruitas, nec loci angustiæ, nec quæ circunsistunt tenebræ fabricationem cõtinent. Est ergo extremæ amentiæ, ijs quę videntur fidem non habere, & maximè cum id Deus polliceatur. Ipse enim
Ioan. 5. Christus dixit, Qui sunt in monimentis audient vocem filij Dei, & egredientur qui bona fecerũt in resurrectionem vitæ, qui autem mala fecerunt, in resurrectionem iudicij. In monimentis autem animas agere nemo dixerit rectè sentiẽs, corpora enim in ijs sita sunt. Iam verò Saducæos quoque id quod de resurrectione dicitur non admittentes, increpans Dominus dixit, de resurrectione autem
Matth. 22. mortuorum non legistis quod à Deo dictum est, dicente, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, & subiunxit. Non est Deus, Deus mortuorum, sed viuentium. Quinetiam Marthæ dixit, Resurget frater tuus. Illa autem quæ ex veteri hoc scriptura didicerat, respondit, Scio quòd resurget frater meus in resurrectione in nouiss. die. Deinde excipiens Dominus dicit. Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet. Quemadmodum ergo qui tunc dixit, resurget frater tuus, non solam animam Lazari suscitauit, sed eam quidem reduxit, corpus autem fœtidum & dissolutum suscitauit: ita etiam cùm sit communem resurrectionem pollicitus, dissoluta corpora, rursus composita & constituta reddet animis, ea à morte & interitu libera efficiens. Et hoc apertè docuit D. Apostol⁹, Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem. & rursus, in quo nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale à vita. Et rursus. Seminatur in corruptione, resurgitur in incorruptione. Seminatur in infirmitate, resurgitur in virtute. Seminatur in ignominia, resurgitur in gloria. Seminatur corpus animale, resurgit corpus spiritale. & rursus. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Posuit autem etiam ea quæ ab ijs qui non credunt obijciuntur. Sed dicet quispiam. Quomodo resurgunt mortui? Quo autem corpore veniunt? Et primum quidem eos stultos appellauit, vt qui viderent in seminibus typum resurrectionis, & ex eo non inducerentur ad credendam corporum resurrectionem. Insipiẽs, enim inquit, tu. Quod seminas, non viuificatur, nisi mortuum fuerit, & quod seminas, nõ corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum. Respice, inquit, ea quæ fiunt quotidie. Sulci enim nihil differũt à sepulchris. In ijs enim, tanquam in sepulchris, semina effodiuntur. Omnium autem Dominus imbrem suppeditans, efficit vt ea radices producant, & folia, & culmos, & stipulas, & aristas, & agricolis nihil aliud facientibus nisi quòd sepeliunt, eius, qui omnia fabricatus est, præscriptũ reliqua efficit. Hoc enim dixit etiam D. Apostolus. Deus autem dedit ei corpus sicut voluit. & ne quis existimaret aliud corpus fingi, necessario adiecit etiam vnicuique semini proprium corpus. Et ad Philip. etiam scribens, clamat. Conuersa-
Phil. 3. tio enim nostra in cœlis est, ex quo etiam Seruatorem expectamus Dominum Iesum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, vt sit ipsum cõforme corpori glorię eius. Transformationem autem appellauit, non mutationem in aliam formam, sed mutationem ex corruptione in incorruptionem. Et Thessal. qui propter morientes nimium dolorem capiebant, consolans, eis resurrectionem ad du-
2. Thes. 5. xit. Nolo, enim inquit, vos ignorare fratres de dormientibus, ne contristemini, vt & reliqui qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita Deus etiam eos qui dormierunt, per Iesum ducet cũ ipso. Et ne quis existimaret eum hæc dicere suis proprijs vtentem rationibus, subiunxit. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quòd nos qui viuimus qui residui sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Alia quoque innumerabilia apud eum testimonia possunt inueniri, quæ apertè resurrectionem prædicant. Iam verò Hierosolymis quoq;, cùm accusaretur quòd legem transgrederetur, clamat. De resurrectione mortuorum ego hodie iudicor. Et quid dico Apostolos manifestioré hanc de resurrectione doctrinã à Domino accepisse? Et enim diuini quoque Prophetæ hanc de resurrectione spem perpetuo habuere. Audimus enim diuinis. Dauid Deo dicentem. Auferes spi-
Psal. 103. ritum ipsorum, & deficient, & in terram suam reuertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Audimus diuinum quoque Esaiam clamantem, resur-
Esa. 26. gent mortui, & resurgent qui sunt in monimentis. Ter B. autem Ezechiel dixit etiam se
Ezech. 37. vidisse ipsum modum resurrectionis. Cùm enim vidisset multa ossa, iussus est ipse eis præcipere, vt carnem producerent, & neruos & pellem. Et factum est, inquit, cùm prophetarem, & ecce terræmotus, & coniunxerunt se ossa, os ad os, vnumquodq; ad compagem suam, & vidi, & ecce super ea erant nerui, & caro ascendit, & excreuerunt eis carnes, & ascenderunt super ipsa, & pellis super ea extensa est. Deinde docet quomodo iussi vndique sunt reuerti spiritus, & quòd illis his coniunctis resurrectionis futuræ typus præfiguratus est. Si autem etiam ante aduentum Seruatoris, hæc prædixerunt Prophetæ: quo non ergo supplicio digni fuerint, qui post Seruatoris resurrectionem, & Apostolorum prædicationem, ei quod de resurrectione dicitur non credunt?

DE IVDICIO.

QVomodo autem iustè fiet iudiciũ, si corpora, vt dicunt infideles, minimè resurgant, à solis autem animis peccatorum ratio exigatur? Neque enim æquũ est vt anima, quæ cum corpore peccauit, & per oculos & inuidiam, & improba desideria suscepit, per aures autem impijs verbis delinita est, & per vnamquamque corporis particulam non bona irritamenta admisit, sola peccatorum pœnas luat, & hoc sustineat, non paruo aliquo tempore, sed in infinitis sæculis, hæc enim à diuina
Ioan. 5. scriptura didicimus. Hi, enim inquit, ibunt in
Matth. 25. vitam æternam, & hi in supplicium & ignominiam sempiternam. Quomodo autem rursus fas & sanctum est, vt sanctorum animæ solæ promissis bonis fruantur, quæ coniunctæ corporibus ex virtute rectè gesserunt? Oculi enim profundunt lachrymas compunctionis, aures diuina eloquia ad animã transmittunt, lingua autem & laudat benefactorem, & assiduè offert orationem, manus autem subseruiunt ad subministrandũ egenis, & pedes nunc quidem currunt ad domos orationis, nunc stant in orationibus & plurimũ laborem suffe runt. Quomodo ergo iustum est, vt corpus, ꝙ vnà cum anima virtutis opes comparauit, pul uis sit & abijciatur: sola autẽ anima vt victrix pronuncietur? Sin autem hoc graue est & miserum: iustum est ergo vt corpora prius resurgant, deinde eorum quæ gesserunt ab eis com muniter ratio exigatur. Hoc enim diuin⁹ quo-
2. Cor. 5. que dixit Apost. Omnes enim, inquit, sistemur ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; ea quæ gessit per corpus, siue bonum, siue malũ. His autem cõuenientia dicit etiam B. Dauid. Tu reddes vnicuique secundum opera sua. Itaque Pythagoras animarũ in corpora transitus fabulatus est, dicẽs eas non solũ in corpora brutorũ, sed etiam in arbores transire. Itidẽ etiam Plato hanc fabulã nescio quomodo secutus est. Hinc Manes, & quæ eum præcesit, impiorũ Gnosticorũ hæresis, accepta occasione, dixerũt hoc esse supplicium. Scelerati aũt Carpocrates, & Epiphanes, & Prodicus, & Caieni, sui illam planè vitã constituentes, dicebãt animas in corpora trãsmitti, vt per libidinem & omnem intemperantiã vnumquemque Angelorum mundi conditorum colerẽt. Piorum autem ecclesia, eos & huiusmodi fabulas execratur: diuinos autem sermones sequens, credit corpora resurgere, & vnà cũ eis animas iudicari, & eos quidem qui vitio vixerunt, puniri, qui verò virtutis curam gesserunt, quæ eis promissa sunt consequi.

DE PROMISSIONIBVS.

POllicitus est autem magnificus & liberalis Deus nihil fragile, caducum, aut momẽtaneum, sed ęternum bonorum fructũ. Non enim, vt vult Cerinthus, & qui sunt illi similes, terrenũ erit Dei & Seruatoris nostri regnũ, nec præfinito tẽpore circunscriptum. Apprehendant illi visione & phantasia mille voluẽtium annorũ curriculum, & quę intereunt delitias, & alias voluptates, & præterea sacrificia, & Iudaicorum festorũ celebritates, nos enim vitã
Ioan. 3. senij expertẽ expectamus. Hi enim inquit Dominus, resurgent in vitam æternã, illi verò in supplicium & ignominiã sempiternam. Et rur
Matth. 25. sus. Venite benedicti patris mei, hęredes esto-
Matth. 5. te parati vobis regni ante constitutionẽ mundi. Et beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cœlorum. Et beati qui persecutionem passi fuerint propter iustitiã, quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. & prædicantibus Apostolis iussit dicere, Appropinquauit regnum cœlorum. & alibi eis dixit, Quando ex-
Ioan. 12. altatus fuero à terra, omnia mecum traham. & rursus, Apud patrem meum mansiones multæ sunt, &: Sin aũt non dixissem vobis quòd ibo, & parabo vobis locũ. & rursus, Veniã, & accipiam vos ad me, vt vbi ego sum, sitis & vos. Et rursus. Qui comedit carnẽ meã, & bibit meũ sanguinem, habet vitam ęternam. Quinetiam patri loquens, sic dixit, Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi quoq; sint mecum, vt videãt gloriam meam quã dedisti mihi. Quoniam dilexisti me ante cõstitutionem mundi. Hæc cùm dixisset D. Apost. dixit. Ra-
1. Thes. 4. piemur in nubibus in occursum Domini, &
2. Tim. 1. ita semper cum Domino erimus. Et rursus. Fidelis sermo. Si enim cõmortui sumus, & conuiuemus, si sustinemus, & conregnabimus. Ad
Rom. 5. Romanos aũt scribens, dixit. Si vnius peccato mors regnauit per vnum, multo magis abundantiã gratiæ, & doni, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Et rursus. Id enim quod in præsenti est mo-
2. Cor. 4. mentaneũ & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis, non contẽplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt. Quæ autem non videntur, ęterna sunt. Bonorum aũt summa est, & colophon, promissam vitã à peccato esse immunem. Cùm enim resurgant corpora ab interitu aliena, & animæ immutabilitatem suscipiant, nullũ deinceps locum habebit pec catum. Sublato aũt peccato, & procul exturbato, ac Diabolo cũ Dæmonibus gehennę tradito, cessabunt etiã labores certaminũ, & metus ne vincamur, & de victoria solicitudo. Vita aũt iucunda, & molestias expertijs qui digni fuerint dabitur, & luce fruẽtur diuina, & intel
Matth. 13. ligentes, vel ipsi potius fiẽt luminosi. Tunc enim, inquit Dominus, fulgebũt iusti sicut sol.

DE SECVNDO DEI ET SERVATORIS NOSTRI ADVENTV SEU APPARITIONE.

ERunt autem hæc post secundum Seruatoris nostri aduentum. Sic enim etiam Apostolis promisit. Reuertor & venio ad vos. Et rursus. Veniam ad vos, & assumam vos ad meipsum. Et in alio loco. Tunc videbitis
Matth. 25. filium hominis venientem in nubibus cœli in gloria sua, & omnes S. Angeli cum ipso, tunc sedebit in throno glorię suę, & congregabuntur ante ipsum omnes gentes, & separabit ipsos à se inuicem, sicut pastor separat oues

ab hœdis, & ſtatuet quidem oues à dextris
ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Hunc autem e-
ius aduentum diuinus quoque vidit Daniel.
Dan. 7. Vidi, inquit, donec throni poſiti ſunt & an-
tiquus dierum ſedit, indumentum eius al-
bum ſicut nix, & pilus capitis eius, ſicut lana
pura, thronus eius flamma ignis, rotæ eius i-
gnis ardens, fluuius ignis ambulans protra-
hebatur ante ipſum, mille millia miniſtrabant
ipſi, & decies mille millia aſſiſtebant ipſi, iu-
dicium ſedit, & libri aperti ſunt, & ecce in nu-
bibus cœli venit tanquã filius hominis, & vſ-
que ad antiquum dierum peruenit, & illi data
eſt poteſtas, & regnum, poteſtas eius, poteſtas
æterna, & regnũ eius erit in æternum, & tranſ-
latum eſt imperium beſtiarum, & datum re-
gnum filijs altiſsimi. Tanta eſt concordia
prædicationis Euangelicæ, & Prophetica-
rum prædictionum. vnius enim Dei hæc ſunt
& illa oracula. De hoc igne dicit etiam Eſaias
Eſa. 66. Propheta, Quis annunciabit vobis locum
æternum? Et in fine prophetiæ dicit, Ver-
mis eorum non morietur, & ignis eorum
non extinguetur. Hunc etiam aduentum
Pſal. 49. D. Dauid prædicens, dixit, Deus deorum
locutus eſt, & vocauit terram. Ab ortu ſolis
vſque ad occaſum, ex Sion decor pulchritu-
dinis eius. Deus manifeſtè veniet, Deus no-
ſter & non tacebit. Ignis coram ipſo ardebit,
& in circuitu eius tempeſtas valida. In alio
quoque pſalmo. Nubes & caligo in circuitu
eius, iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius.
Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in
circuitu inimicos ſuos. Et rurſus. Quando
venit iudicare terram, iudicare orbem ter-
ræ, in iuſtitia, & populos in rectitudine. Et
per Malachiam Prophetam idem vniuerſo-
Mal. 4. rum Deus. Ecce ego mitto vobis Heliam
Thesbitem, vt non veniens percutiam terram
funditus. D. quoque Apoſtolus ſcribens ad
Tit. 2. Beatum Titum, priori noſtri Seruatoris ad-
uentui etiam ſecundum coniunxit. Apparu-
it enim inquit, gratia Dei ſalutaris omnibus
hominibus, docens nos, vt abnegantes im-
pietatem, & ſæcularia deſiderja, modeſtè, &
iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectan-
tes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni
Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Per hæc
autem oſtendit priorem quoque aduentum
fuiſſe propter ſecundum. Ideo enim, inquit,
apparuit, vt cùm nos ab impietate, & in-
iquitate liberaſſet, & omnem virtutem docu-
iſſet, bono & alacri animo ſecundum aduen-
tum expectaremus efficeret. Et admiratur &
ſuſpicit Theſſ. quòd ab Idolorum ſeruitute
1. Theſ. 1. liberati, elegerint ſeruire Deo viuenti & ve-
ro, & expectare filium eius è cœlis quem ſuſci-
tauit à mortuis, Ieſum qui liberat nos ab ira
veniente. Et ad Heb. ſcribens, hunc aduen-
tum ſignificauit Prophetico vſus teſtimonio.
Heb. 2. Ad huc, enim inquit, modicum, veniens veni-
et, & non tardabit. Hæc autem docuit etiam
Phil. 3. Philip. Noſtra enim, inquit, conuerſatio eſt in
cœlis, ex quo etiam ſaluatorem expectamus
Dominum Ieſum. Similiter etiam ad Theſſa.
Ipſe enim, inquit, Dominus in iuſſu, in voce 1. Theſ. 5.
Archangeli, & in tuba Dei, de cœlo deſcen-
det, & mortui in Chriſto reſurgent primi,
& quæ ſequuntur. Facile eſt autem etiam alia
adducere teſtimonia, quæ ſecundum Seruatoris noſtri aduentum prædicent. Sed ſufficiunt hæc ad perſuadendos vel maximè contentioſos.

DE ANTICHRISTO.

ILlud quidem neceſſe eſt addere ijs quæ dicta ſunt, quòd ante aduentum Domini veniet humanam naturam ſubiens hominibus pernicioſus, Deiqúe aduerſarius Dæmon, diuini nominis prædo, & ſicut olim hoc nomen, nempe Deus, ſuffuratus, id ſibi impoſuit, ſuæque improbitatis & nequitiæ adminiſtris, & auxiliatoribus: & perſuaſit hominibus per manibus hominum fabricatas ſtatuas, & diuinum honorem exhibere: Ita Chriſti Domini appellatione vſurpata, omnes quidem, vt ſemel dicam, decipiet, multis quoque imponet ex ijs, qui ſanctum & venerabile nomen accepere, dicens ſe eſſe Chriſtum, quem diuini vaticinantes Prophetæ apparituru prędicebant. Ineſcabit autem etiam ſimplices, & ad capiendum faciles, fraudulentis quibuſdam miraculis vtens. Et hoc quidem multi ex Prophetis in veteri ænigmaticè prędixerunt. Latius autem & apertius de eo vaticinatus eſt D. Daniel. Quòd ſi etiam aliqua ex ijs declaranda ſunt, ea antea explicauimus, vt qui omnem eius Prophetiam verbatim interpretati ſumus, & quæ Theſſa. à D. Apoſto- 1. Theſ. 2.
lo ſcripta ſunt, vnà cum alijs epiſtolis interpretati, prolixiori quàm pro noſtra conſuetudine oratione vſi ſumus, eum locum qui eſt de Antichriſto ſcrutantes. Nonnullos enim, qui exiſtimabant aduentus Domini tempus appropinquare, neceſſario docuit Apoſtolus, quòd oportet prius diuinæ cognitionis radiis illuminari orbem terræ, & manifeſtos fieri alumnos fidei, & ab ijs qui crediderunt ſeparari eos qui contradicunt, deinde ſic prius aduenire, ſeque oſtendere artificem mendacij, ad eos conuincendos qui veritatis prædicationem non admiſerunt. Hoc enim etiam Dominus dixit Iudæis. Ego veni in Ioan. 5.
nomine patris mei, & non accipitis me, veniet alius in proprio nomine, & illum accipietis. Hoc ipſum dixit etiam D. Apoſtolus. Eo quòd veritatis dilectionem non ſuſceperunt, vt ipſi ſeruarentur, & propterea mittet eis Deus operationem erroris, vt ipſi credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed aſſenſi ſunt iniuſtitiæ ad reprobationem. Eorum ergo, qui veritatis prædicationi non crediderunt, veniet improbitatis pater & magiſter. Quia enim Iudæi, pro Deo vtique pugnantes, Dominum tanquam Dei aduerſarium crucifixerunt, maxima impietatis eorum confutatio, erit Antichriſti præſentia. Dominus enim Chriſtus, cùm eſſet verus Deus, & veri Dei filius, ſe filium hominis, & hominem appel-

appellauit, à natura quę videtur appellationes imponens: raro autem ſeipſum Dei filium nominauit. Sceleratiſsimus autem Dæmon Deum max. ſeipſum nominabit. Hoc enim
Dan. 11. S. Angelus docuit Danielem prophetam. Super Deos, enim inquit, patrum ſuorum non intelliget, & Deum Mazurim in loco ſuo glorificabit, hoc eſt, fortem & potentem ſeipſum Deum appellabit. Sed tamen ij qui Dominum crucifixerunt; quòd ſe Dei filium nominaſſet, ei credent cùm apparuerit, ea ratione oſtendentes, quòd ſunt veritati inſeſtiſsimi, mendacij autem operarij, ea de cauſa permittit ſapientiſsimus vt adueniat & ſe oſtẽdat ille ſceleſtus & perditus. Clarũ eſt enim quòd ſi Deus nollet, non appareret, non tamen actionem aut operationem eius voluntatem vocamus. Deus enim non eſt cauſa malorum, vt volunt etiam externi philoſophi. Nec enim ipſe Cain effecit homicidam, quia cùm vellet fratrem occidere, nõ prohibuit. Neque vt filij Iacob fratrem venderent perfecit, quia eorum conatũ non repreſsit. Inuenire enim poſſumus illos quoque malè eſſe vſos libero ſuæ mentis arbitrio: ſapientiſs. autem Dominum per illorum improbitatem ſomniorum veritatem oſtendiſſe. Permittit ergo vt is apparet, & illius improbitatem aperiens, & Iudæorum ſcelus arguens. Affert autem & quidem quam primum exitium, Iudæis verò remedium. Mittit enim Thesbitem, qui & illius fraudem cõuincat, & ſalutarem eius aduentũ prænunciet. Hic autem veritatis aduerſarius Domini aduentum omnino imitabitur, & electo humano inſtrumento ſua operatione digno, ita abutetur hominibus falſis vtens miraculis, & hoc apertè docuit D. Apoſtolus, per ea quæ ſcribit ad Theſſa. Sic autem dicit, Rogamus autem vos fratres, pro aduẽtu Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtra congregatione in ipſum vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermones, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Per hæc aũt oſtendit, quòd quidam eos deceperant, dicentes dixiſſe Apoſtolũ appropinquare diem Domini. Vnde non ſolũ per verba & ſcripta prohibuit deceptionem, ſed etiam per eam quæ exiſtimabatur propheticam prædictionem. Hoc enim dixit, Neque per ſpiritum. Deinde ſubiungit, Ne quis vos ſeducat vllo modo, quoniam niſi venerit defectio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Defectionem appellat, Antichriſti præſentiam. Multi enim à futuris miraculis decepti à veritate deficient, & mendacium amplectentur. Ipſum autem hominem peccati, & filium perditionis vocauit, & naturam quæ videtur oſtendens, & omnis generis peccati operationem reuelans. Oſtendit autem eius tyrannidem, faſtum, arrogantiam, & ſuperbiam, aduerſarium, & qui ſuperextollitur, appellans, & oſtendens quòd non ſolum ijs qui Dij falſo nominantur ſeipſum ſuperiorem nominabit, ſed etiã in templo Dei vt Deus ſedebit. Dei autem templum, vocat eccleſias. Deinde eis in memoriam redigens ea quę ſępe docuerat, Non meminiſtis, inquit, quòd cùm adhuc eſſem apud vos hæc dicebam vobis, & nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Iam, inquit, apparuiſſet, niſi ipſum diuina gratia prohibuiſſet, & eius aduentum conuenienti tempore præfiniſſet. Iam enim myſterium iniquitatis exercetur. Per hæc autem ſignificat eas quæ tunc exortæ ſunt hæreſes. Tantum vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Diuinum, inquit, præſcriptum prohibet quominus ipſe appareat. Oportet enim ex diuina prædictione in omnes gentes prędicari Euangelium, deinde ſic illum videri. Et tunc reuelabitur ille inimicus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Apertè oſtendit quòd cùm primum apparuerit Dominus, faciet vt ſceleratus ille euaneſcat, & tradet eum æternis ſupplicijs, cuius eſt præſentia ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, ſignis, & prodigijs falſitatis, & in omni ſeductione iniquitatis ijs qui pereunt. Non enim omnes venabitur ad exitium, ſed eos qui mobilem, & ad perſuadendum facilem mentem habẽt. Docuit autem quòd etiam Satan Diaboli operationem ſuſcipiet. Sicut enim vnigenitus Dei filius, ſanctis quidem Prophetis, & ſacris Apoſtolis, & alijs etiam ſanctis diuiſit dona ſancti ſpiritus: homo autem factus non particularem aliquam ſumptæ naturæ dedit gratiam, ſed omnem diuinitatis plenitudinem, vt vult Apoſtolus, viſum eſt ei in ipſo habi- Coloſ. 2.
tare: ita Diabolus alijs quidem hominibus, quoſcunque perſuaſit eſſe operarios iniquitatis, non omnes immiſit ſpecies iniquitatis: huic autem ipſe totus coniunctus, omnis generis vitiorum & ſcelerum machinas per ipſum oſtendet. Deinde dicit etiam cauſam permiſsionis. Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Hæc de Antichriſto à ſacra ſcriptura didicimus, ſummatim autem quæ de eo dicta ſunt ſcripſimus, quoniam & Prophetam Daniel & Apoſtolum interpretantes, de eius aduentu prolixius diximus, facile eſt autem ei qui voluerit, illa ſcripta adire, & ſi quid in his prætermiſſum eſt, in illis inuenire. Hæc à viris diuinitus inſpiratis, Prophetis, inquam, & Apoſtolis, & qui eis ſucceſſerunt, accepit eccleſia dogmata, non impias confingens fabulas, nec humanas rationes ſecuta, ſed diuinis credens ſermonibus. Quoniam aũt moralem etiam doctrinam ſcelerati corrupere, & vias ſibi inuicem contrarias excogitauere: Alij enim matrimonium fornicationem nominauere; alij verò omnem illicitam, & nefariam

libidinem amplexi sunt: age etiam ostendamus quidnam in moralibus senserit ecclesia.

DE VIRGINITATE.

CErdo itaque & Marcion virginitatem lege constituerunt, aduersus Creatorẽ bellum gerentes, ne per matrimonium illius augerent opificium. Manes aũt dixit nuptias esse materiæ adiutrices, & ea de causa iussit virginitatem exerceri. Saturnilus autem & Tatianus apertè matrimonium Diaboli nominarunt. Dominus autem Deus non tulit quidem leges de virginitate: intellexit enim esse rem supra naturam: eam autẽ laudibus prosequendo, eos qui vellẽt ad certamen adhortatus est. Cùm enim dixissent Apost. Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit vxorem ducere: respondens Dominus dixit. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui quidem castrati sunt ab hominibus, & sunt eunuchi, qui castrauerunt seipsos propter regnum Dei. Hoc autem non de testium sed de prauarum cogitationum dixit amputatione. Deinde subiunxit. Qui potest capere capiat. Qua de causa, diuinus etiã
1. Cor. 9. Apostolus, de virginitate loquens, dixit. Præceptum autem Domini non habeo. De virginitate enim legem non tulit Dominus. Consilium autem do, vt misericordiam à Deo assecutus vt sim fidelis. Consulo autem, inquit, non legem fero, idque non vtens audacia, sed vt qui à diuino calculo prædicationis subministrationem accepisset. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quod bonum est homini sic esse. Huic nempe, sic esse, addidit illud, existimo, non dubitans de ijs quæ consulebat, sed orationem moderans, vt non esset lex. Lex enim habet etiam transgressionẽ, transgressio aũt inducit etiam supplicium. Ea autem de causa adiecit illud, puto, vt ostenderet id quod dicitur, non esse legẽ, sed consilium. Deinde ostendit quid bonum appellauerit. Alligatus es vxori, ne quere solutionẽ. Solutus es ab vxore, ne quære vxorem. Præuidens enim lethalia Hæreticorum venena, præseruatiuam medicinam constituit. Qua de causa prius confirmauit legem matrimonij, deinde de virginitate admonitiones & consilia sic intulit. Ne quis enim existimaret eũ legem accusantem, de castitate ac cœlibatu legem ferre, matrimonij legẽ necessario confirmauit, dicẽs, Ne quere solutionem. Hoc ipsum autem cùm posuisset etiam in cœlibatu, & dixisset, Ne quære vxorem: non perstitit in decreto, sed subiunxit. Sin autẽ etiam duxeris vxorem, nõ peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit. Non enim tanquam iniquitatem suadeo fugere matrimonium, sed tanquam ad vitam meliorem adhortans. Ostendit autem etiam lucrum virginitatis. De ijs enim qui matrimonio coniungũtur dicit. Tribulationem autem carnis habebunt eiusmodi. Qui enim vxorem duxit, in multas sollicitudines distrahitur, non solum vxoris, sed filiorum, & famulorum, & ancillarum curam gerens. & hoc significans dixit, Tribulationẽ autem carnis habebunt eiusmodi. Qui enim vxorem duxit, in multas curas distrahitur. Suam etiam amicitiã & affectionem aperit. Dicit enim, Ego autem vobis parco. Et paulò pòst. Volo autẽ vos esse sine sollicitudine. Deinde facit comparationem eius qui vxorem duxit, & eius qui cœlibatum amplectitur. Qui cœlebs est, curat quæ sunt Domini, quomodo placebit Domino. Qui autem vxorem duxit, curat quæ sunt mũdi, quomodo placebit vxori, diuisa est etiam mulier, & virgo innupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo placebit Domino, & sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupsit, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. In his autem apertè docuit vsum virginitatis: neque enim iubet tanquam illicitum fugere matrimonium, sed vt à curis liberam persequi virginitatem, eorum enim, qui matrimonio iuncti sunt, in multa diuisa cogitatio, exactam & perfectam rectè gerere vitam prohibet. Qui autem solitariam vitam delegerunt, omnem in res diuinas curam conferunt. Pergit autem & vtilitatem ostendere, & legis necessitatem ab oratione remouere. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis inijciam. Non enim propter necessitatem eum qui non vult traho: Sed quæ oritur vtilitatem indico. Propterea enim subiungit, Sed ad id quod honestum est, & vt Domino sine vllo impedimento indiuulsè assideatur. Qui enim à matrimonij iugo liber est, facilè trahit eius iugum, cùm nihil aliud eum abducat, quo minus ei rectè possit assidere, pergit, autem execrandorum Hæreticorum, quas de non contrahendo matrimonio ferunt, leges refellere. Dicit enim, Si quis autem se turpiter gerere existimat in virginem suam, si sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, nubant. Hoc autẽ dicit de ijs quæ virginitatis pacta conuenta seu vota nondum fecerant. Qui autem statuit firmus in corde, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ volũtatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare suã virginem, rectè facit. Hoc aũt, Non habens necessitatem, posuit pro eo quod est, qui non est in potestate alterius. Seruos enim quo minus faciãt quę velint Domini prohibent. Ita cùm & ei qui vult despondere, & ei qui filiam castam seruare cupit & constituit, potestatem dedisset, subiunxit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non coniungit, melius facit. Talia de virginitate præscripta ac decreta à viris rerum diuinarum cognitione præditis accepimus, non quæ matrimonium accusent, sed ad vitam curæ expertem adhortentur.

DE MATRIMONIO.

OPeræ pretium autem existimo matrimonij quoque leges persequi, & eorum qui illud accusant audaciam refellere. Sufficit autem vel sexus differentia ad ostendendam causam opificij. Eius enim gratia formauit mulierem

Gen. 2. lierem vniuersorũ effector. Quamobrem eam etiam adiutricem vocauit. Faciamus enim inquit, Adę adiutorium secundum ipsum. Non solum autem formauit, sed etiam viro coniunxit, vt vult lex quæ nunc in vsu ciuili versatur, & ad virum deduxit, & ipse fuit, & paranymphus & pronubus, ipse veluti quoddam donũ matrimonio hanc benedictionẽ obtulit. Crescite, dicens, & multiplicemini, & replete terram, & dominemini ipsi. Hanc primam hominum genus à Deo vniuersorum benedictionem accepit. Iam verò multis postea annis, cùm inundationis quæ omnia perderet exitium induxit, non viros solos, sed etiam mulie-
Gen. 9. res viris numero pares in arcam ingredi iussit, & postquam pœna cessasset, priorem benedictionem renouauit. Nam hic etiã dixit. Crescite & multiplicamini, & replete terram. Porrò autem cùm Abraham Patriarcham è terra paterna duxisset, iussit eum intueri stellas cœli, & pollicitus est se eis numero æquales ho-
Gen. 15. mines effecturum. Faciam, enim inquit, semen tuum vt stellas cœli, multitudine, & vt arenam, quæ est in littore maris. Si autem malum esset matrimonium non id Dominus Deus à principio constituisset: non liberorũ susceptionem, benedictionẽ vocasset. Propterea enim etiam veteres plures habere vxores non vetuit, vt genus humanum augeretur. Ea de causa etiã viri boni & religiosi Dei cultores, & duabus, & tribus, & pluribus etiam mulieribus matrimonio iungebãtur, plurimorũ filiorũ patres esse cupientes. Quòd enim non libidini ac voluptati seruientes, pluriũ mulierum consuetudinem ferebãt, testatur quidẽ Patriarcha Abraham, qui post multas Sarræ adhortationes cum Agar rem habuit, deinde postquam peperisset, cum ea nunquam postea coijt. Testatur autem etiam sapientissimus Iacob, qui præter sententiam quidem Liam accepit, propter coniugũ autem zelotypiam, cum ancillulis consuetudinem habere sustinuit. Illæ quoq; non voluptati seruientes, sed plurium liberorum matres esse desiderantes, litem inter se inuicem habuerunt. Fidei ergo alumnos vetus etiam scriptura docet scopum matrimonij. Qui autem veteres leges non admittunt, discant ex nouo similia. Nam in hoc quoque laudatur omnino matrimonium. Primus enim Apostolorum, ex eorum qui vxores duxerant classe vocatus est, & illius testes sunt Euangelistæ qui docent apertè quòd eius socrum febricitantem curauerit Dominus. Ipse autem Dominus non solum non prohibuit matrimonium, sed etiam in nuptijs conu-
Ioan. 2. iuatus est: & vinum absque vlla agricultura productum, donum nuptijs obtulit. Adeò autem legem matrimonij confirmauit, vt etiam eum qui vellet soluere matrimonium, præterquam propter fornicationem, alia lege vetuerit. Quicunq; enim inquit, vxorem dimittit pręterquã fornicationis causa, facit eam adul-
Matth. 19. terari. Deinde cùm Pharisæi dixissent veterẽ legem iussisse dare libellũ repudij, interpretatus est eis institutũ legis. Dixit enim, ad duritiam cordis vestri, scripsit vobis hoc mandatũ. A principio aũt creationis, masculum & fœminã fecit ipsos Deus. Propter ea relinquet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna. Ita cùm primã legisset legem quã ipse dederat, subiunxit, Quare non sunt amplius duo. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Hæc aũt omnia ostendunt licitũ & legitimum esse matrimonium. Porrò aũt magnus quoq; Petrus, Anani- Actor. 5.
am, & Saphiram coniunctos quidẽ non separauit, furatos aũt vehemẽter reprehendit. Illud enim erat licitũ: hoc verò valde iniquum, & legi contrariũ. Diuinus aũt Apostolus Paulus Philemoni & Appiæ matrimonij lege coniunctis integram scripsit epistolã. Corinthiis aũt, qui scire voluerant an oportet eos qui in domino crediderũt cœlibatũ matrimonio prę-
ferre, hæc declarauit. De quibus aũt scripsistis 1. Cor. 7.
mihi, Bonum est homini mulierem non tangere: Sed propter fornicationes vnusquisque suam vxorem habeat: & vnaquęq; proprium virum habeat. Hæc cùm decreuisset, perfectam eos inter se habere iubet beneuolentiam. Mulieri vir debitam beneuolentiam reddat. Similiter aũt & vxor viro. Quia autem verisimiliter fieri poterat, vt vel maritus, vel vxor continentiam coniunctioni præferrent: id autẽ si non ex consensu fieret, eueniret vt qui continere & firmus esse nõ posset, in scortationem incideret: prohibet eam, quæ fit absque consensu, continentiam, & dicit. Mulier non habet potestatem proprij corporis, sed vir, & vir non habet potestatem proprij corporis, sed mulier. Estis, inquit, alter in alterius potestate, non potes facere quod vis absq; eo qui iugum tecum vnà trahit. Et confirmans legem, 1. Cor. 7.
subiunxit. Ne fraudetis vos inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi. Et rursus ad idem conuenite. Fraudationem autem vocauit, cessationem à coniunctione quæ fit præter animi sententiam. Nam si altera pars contineat, altera pars existimat se esse coniunctione fraudatam. Docet autem etiam quamnam ob causam post orationem & ieiunium, rursus iusserit conuenire. Subiunxit enim, Ne rursus vos tentet satanas. & ostendens quòd ille belli gerendi ansam à nobis accipit, necessario adiecit, Propter intemperantiã vestram. Vobis, enim inquit, certantibus, ille nunquam erit superior. Deinde adhortans ad præstantiora, inquit. Hoc aũt dico secundũ veniam, non secundum mandatum. Volo enim omnes homines esse sicut & me ipsum in cõtinentia. Sed vnusquisq; proprium habet donum ex Deo, hic quidem sic, ille verò sic. Si autem beatissimus Paulus donũ Dei vocauit matrimonium quod est cum temperantia: clarum est esse iniquas miserorum Hæreticorum leges, latas aduersus matrimonium. Et quæ deinceps sequuntur, sunt eiusdem sententiæ: Ijs autem qui matrimonio iuncti sunt, pręcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo recõciliari. Et

vir vxorẽ non dimittat. Tantum abest vt prohibeat matrimonium, vt etiam eum qui illud soluit, legibus Domini teneri dicat. Non enim inquit ego hanc legem scribo, sed Dominus Deus, qui hoc in diuinis adiecit Euangelis, & eam quæ est separata, innuptam manere iussit, ea ratione cogens reuerti ad maritum. Quinetiam ijs quæ maritos habent infideles, & ijs qui infidelibus mulieribus sunt matrimonio coniuncti, præcipit non soluere matrimonium. Si quis enim, inquit, frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem & hic consentit habitare cum illa, non dimittat ipsum. Si autem non soluit coniugiũ, in quo non est fidei concordia: clarum est quòd licitũ ac legitimum esse matrimonium, nõ autem legibus contrarium esse nouit.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

ET quid dico primum matrimonium? etiam secundam decreuit coniunctionem. Dico enim, inquit, ijs qui non sunt coniuncti matrimonio, & viduis, bonum est ipsis, si sic permanserint sicut ego. Quòd si sic non continent: iungantur matrimonio. Melius est enim matrimonio iungi quàm vri. Vocat autẽ vstionem, non cupiditatis vexationem, sed eius victoriam. Paulò pòst autem legem quoque confirmat. Sic autem dicit. Mulier alligata est legi quã diu viuit vir eius. Quòd si dormierit vir eius libera est vt nubat cui vult, tantum in Domino, hoc est, modestè, & legitimè pio viro & fideli. Consulit autem etiam continentiam: Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meã sententiam. Et inductione ostendit esse legem fide dignam. Puto, enim inquit, quòd & ego spiritũ Dei habeã. Non rationibus humanis vtens, hæc decerno, sed diuini spiritus existens instrumentũ. Notandum est autem quòd non beatam, sed beatiorem dixit eam quæ se contineat, ea ratione docens, quòd etiam quæ secundum matrimonium amplectitur, non est omnino beatitudine destituta, si quidem, vt vult lex hic posita, coniugium susceperit. Porrò autẽ ad Romanos scribens, & legis & gratiæ docens differentiam, posuit exemplum secundi matrimonij. An ignoratis fratres, inquit, facientibus enim legẽ loquor, quòd lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Deinde exemplum. Namq; sub viro est mulier, viuẽte viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Sin autem mortuus fuerit vir eius, libera est à lege viri, vt nõ sit adultera si fuerit cũ alio viro. Et hic ergo comprobauit secundas non esse reijciendas nuptias. Scribens quoque ad beatum Timotheum, & de ecclesiasticis ordinibus decernens, cùm de viduarum ordine multum disseruisset, subiunxit. Adolescentiores autem viduas deuita. Et cùm dixisset causas, subiungit. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres-familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Sed Paulo dicente, Volo, Nauatus audet dicere, Nolo. Sed nos leges Pauli sequamur. Nauati autem arrogantiam valere iubeamus.

Rom. 7.

DE FORNICATIONE.

FOrnicationem autem, & omnem intemperantiam, tanquam iniquas actiones legiq; contrarias, prohibemus. Audimus enim diuinissimum Paulum clamantem. Fornicatio autem & immunditia ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos. Et rursus. Ne quis fornicator vel profanus vt Esau. &, Honorabile coniugium in omnibus & cubile immaculatum: fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Et in epistola ad Corinthios. Si quis qui frater nominatur, sit fornicator, vel auarus, vel idololatra, vel cõuitiator, vel ebriosus, vel raptor: cum eo ne comedatis quidem. Propter hanc intemperantiam & libidinem, eum etiam qui fornicatus est tradidit satanæ, & clamat apertè, Si quis templũ Dei perdit, perdet & ipsum Deus. Templũ enim Dei sanctum est, quod estis vos. Hoc modo certè iubet omnino vitare omnẽ intemperantiam. Nescitis enim inquit, quòd qui adhæret meretrici, est vnũ corpus? Erũt enim, inquit, duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, est vnus spiritus. Fugite fornicationem. Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat. Scribens etiam ad Galatas, eandem doctrinam attulit. Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio, immunditia, intemperantia, idololatria, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, seditiones, dissensiones, hæreses, cædes, ebrietates, commessationes, & quæ sunt his similia. Quæ prædico vobis, sicut & iã prædixi, quòd qui hęc agunt, regnum Dei non possidebunt. Hæc autem Basilides, & Carpocrates, & Epiphanes, & Prodicus, & reliqui intemperantiæ & iniquitatis magistri, legerũt quidem, sed eis contrariam legem introduxerũt, legibus spiritus apertè repugnantes. His quoque cõuenientia scripsit ad Ephesios. Dico enim inquit, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & reliquę gentes ambulãt, in vanitate mentis suæ, tenebris obscuratũ habentes intellectum, alienati à vita Dei propter ignorantiam quæ est in ipsis, propter cæcitatẽ cordis ipsorum, qui desperantes tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationem immunditiæ in auaritia. Vos autem non ita didicistis Christum, siquidem ipsum audijstis, & in ipso docti estis, quatenus est veritas in Iesu: vt deponatis vos secundũ priorem cõuersationem veterem hominem, qui corrũpitur secundum desideria erroris, & quæ sequuntur. Et paulò pòst. Hoc enim intelligite quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Hæc etiam scripsit ad Philippenses. De cætero fratres, quæcunque sunt vera,

Ephes. 5. Ephes. 5. Heb. 12. 1. Cor. 9. Gal. 5. Phil. 4.

vera, quæcunque pudica, quæcunque bona, quæcunque iusta, quæcunque casta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, & si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & vidistis in me, hæc agite. Similiter autem scribit etiam ad Colossenses. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt supra terram, fornicationem, immunditiam, passionem, cupiditatem malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus, propter quæ venit ira Dei super filios diffidentiæ. Vetus quoque testamentum ea statuit quę sunt nouo conuenientia. Etenim dicit ipse Deus. Sancti estote sicut & ego sanctus sum, & ne mentem adhibe mulieri malæ. Mel enim distillat à labijs mulieris meretricis: quod ad tempus quidem delinit guttur tuum: postea autem inuenies felle amarius. Possunt etiam alia innumerabilia inueniri, quæ hanc accusant libidinem & intemperantiam. Scelerati autem & execrandi Hæretici etiam mysticam communionem nominarunt intemperantiam.

Colos. 3.

DE POENITENTIA.

DIuina autem scriptura non solum iniquitates & peccata prohibet, sed etiam ijs medetur qui eorum vulnera acceperunt. Nauati enim feritatem & beluinam crudelitatem abhorret: & accusat pastores qui non suarum ouium curam gesserunt. Et dicit ipse Deus. O Pastores, quod infirmum fuit non confirmastis: & quod ęgrum non curastis: & quod malè habebat non refecistis: & quod aberrabat non reduxistis: & quòd perierat non requisistis. Qui autem eos accusat qui eam curam non gesserũt, clarum est quòd vult infirmas oues curari. Propterea dixit eidem Prophetæ. Speculatorem dedi te domui Israel, & audies ex ore meo verbum: & eum ex me premunies. Cùm dixero impio, morte morieris, & non annunciaueris peccatori vt caueat, impio vt se auertat à via sua mala, vt ipse viuat: ipse quidem impius morietur in iniquitate sua, sanguinem autem eius ex manu tua requiram. Et paulò pòst. Viuo ego dicit Adonai Dominus, quòd nolo mortem peccatoris, sed vt se conuertat à via sua mala & viuat. Deinde suaforiè. Conuersione conuertimini à vestra mala, & cur morimini domus Israel? Deinde iubet Prophetam hoc quoque verbum ad eos transmittere. Et tu fili hominis dic filijs populi tui. Iustitia iusti non eximet ipsum in die quo errauerit, & iniustitia iniusti non interficiet ipsum, in quo die conuersus fuerit à sua iniquitate, & fecerit iudicium & iustitiam, & pignus debitori reddiderit, & quod raptum fuerat restituerit, si iustus in præceptis vitæ ambulauerit, vt non faciat id quod iniustum est, vita viuet, & non morietur, & omnia peccata eius quæ peccauit, obliuioni mandabuntur, quia iudicium & iustitiam fecit, in eis viuet. Et Nabuchodonosor beatus Daniel pœnitentiæ medicamenta præbuit. Et nunc inquit enim, ò Rex consilium meum tibi placeat: & in eleemosyna elue iniquitates tuas, & iniustitias tuas in miserationibus pauperum. Diuini autem Hieremiæ prophetia hac doctrina plena est. Nunc enim dicit quidem. Conuertimini filij qui defecistis, & conuertar ad vos, dicit Dominus Deus: nunc autem, ablue à vitio cor tuum Israel vt seruiens, ne forte inueniantur in te disputationes laborum tuorum. Et rursus, Num qui cadit, non resurgit, vel qui auertitur non conuertitur? Plurimas quoque licet alias eiusmodi inuenire admonitiones. Sapientissimus autem Esaias clamat. Quando auersus lugebis, tunc seruaberis, & cognosces vbi eras quando confidebas in vanis. Quinetiam in proœmio cùm multas populi iniquitates esset persecutus, & morbum esse curatu difficilem ostendisset, Non est enim, inquit, imponere malagma, nec oleum, nec ligamenta: paulò pòst eis pœnitentiæ medelam adhibuit, cùm dixit. Lauamini, mundi estote, auferte iniquitates vestras ab animabus vestris coram oculis meis, cessate à malis vestris, discite bonum facere, quærite iudicium, liberate eum qui iniuria afficitur à manu eius qui eum iniuria afficit. Deinde pollicetur se eos lanæ albæ & niuisimiles redditurum, etiam si coccineum & purpureum colorem habuerint, hoc autem potest solus Deus facere. Infectores enim in alios quidem colores album mutant: aliquem autem alium colorem in album mutare non possunt. Creatori autem sunt omnia facilia. Verum enimuero orationem vltra modum extendemus, si omnes Prophetarum adhortationes collegerimus. His enim plena sunt & cantica Prophetica, & aliorum Prophetarum oracula. Sed ij qui Nauati arrogantiam susceperunt, dicunt non oportere post baptismum ijs qui peccant præbere medicinam. Oportebat autem eos considerare, quòd etiam veteres sacrorum mysteriorum typum & figuram habebant, aspersiones, & diuina sacrificia. Vt autem fusissimè & copiosissimè eam ignorantiam conuincamus, Aaron in medium producamus. Is enim cùm vnctus, & primus Pontifex creatus, diuini spiritus gratiam accepisset, impijs iniqui populi cessit petitionibus. Construxit autem vituli effigiem, & cum alijs Leuitis sacrificia obtulit. Veniam tamen consecutus est, & in Pontificatu ad mortem vsque permansit. Magnus quoque Dauid, cùm esset Propheta, & diuini spiritus gratiam haberet inhabitantem, fecit duo grauia peccata: sed vulnera curauit per pœnitentiam, nec est spiritus gratia priuatus: Sed etiam post peccatum multa futura vaticinatus est. De eo verò qui Corinthi fornicatus erat quid dixerint, qui non solum diuinis sacramentis dignus est habitus, sed etiam docendi gratiam assecutus est. Quamobrem cùm qui illi suberant, de eo tanquam de viro docto & sapiente se iactarent, sibiq́ue placerent, eos reprehendit, dicens. Et vos inflati estis, & non potius luxistis, vt tollatur de medio vestri qui opus hoc fecit. Sed tamen cùm eum qui & Doctor

Ezech. 34. Dan. 4. Exod. 32. 1. Cor. 5.

Doctor erat, & maximum flagitium perpetrare ausus fuerat, Satanæ tradidisset, ab illius manibus eum rursus eripuit, & corpori ecclesiæ reddidit. Ita autem scribit in secunda epistola. Cui autem aliquid donatis, & ego. Nam
2. Cor. 2. & ego si quid donaui, propter vos. Et ne quis existimaret eum id fecisse in gratiam hominum, adiecit, In persona Christi. Hoc est, tanquam videntе vniuersorum Domino, vtpote sciens id quod fiebat illi quoque esse gratum. Vnde etiam causam subiungit, Ne à Satana propter eius plura habendi cupiditatem inuadamur. Non enim eius cogitata ignoramus. Vt vos potius ei condonetis, & consolemini, ne is forte nimia tristitia absorbeatur. Eiusmodi habebant commiserationem ecclesiæ Doctores, erant enim medici spirituales, sanorum quidem valetudinem conseruantes, eorum autem qui malè affecti erant, morbos propulsantes. Hoc procurans hæc quoq; ad-
2. Cor. 12. iecit in ijs quæ ad eos scripsit, Ne rursus cùm venero me humiliet Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum qui prius peccauerũt, & pœnitentiam non egerunt de immunditia, & fornicatione, & intemperantia quam egerunt. Ita etiam Galatas, qui post gratiæ vocationem, & diuinorum sacramentorum perceptionem, à fide declinauerant, & circuncisionem susceperant, & legalium obseruationem amplexi erant, reducit ad salutem, & eis ipsorum pœnitentiæ medicamenta adhibet,
Gal. 4. piæque matris vocẽ emittit. Filioli mei, quos ego rursus parturio, donec formetur in vobis Christus. Porrò autem eandem nobis doctrinam Dominus quoque Christus per suas
Luc. 15. parabolas præbuit. Nam ouis quæ perierat, & drachma quæ exciderat, docent nos curam gerere eorum qui peccarunt. Prodigus autem filius transgressionem quæ post baptismum facta est apertè significat. Paternarum enim facultatum, quæ ad eum redibat parte accepta, eaque prodigè & per luxum exesa, reuersus est, & tamen prima stola dignus est habitus, & per annulum Dei imaginem recepit, & de saginato vitulo comedit, & vt maximum festum celebraret pater, causa fuit. Iam verò omnis Domini doctrina & actio docens peccatorum curationem. Vocati quoque Publicani, & quæ accessit meretrix, & la-
Matth. 9. tro qui credidit, & verba hæc humanitatis & clementiæ, Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Non enim opus habent medico, sed qui malè habent. Quòd si hæc dicunt facta esse ante baptismum, discant primum ecclesiæ fundamentum fuisse labefactatum & à diuina gratia confirmatum. Cùm ter enim magnus negasset Petrus, mansit primus suis lachrymis curatus. Hanc alijs etiam fratribus adhibere medicinam iussit Domi-
Luc. 22. nus. Et tu, inquit enim, conuersus, confirma fratres tuos. Et cùm discipulis orãdi formam
Matth. 6. dedit, iussit eis dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hanc autem orationem, non eos, qui nõ sunt sacramentis initiati, sed qui sunt initiati, docemus. Nullus enim eorũ qui non sunt initiati audet dicere, Pater noster qui es in cœlis, cùm nondum adoptionis filiorum vnctionem susceperit. Qui autem baptismatis donum est assecutus, Patrem vocat Deum, vt qui in gratiæ filiorum ordinem sit allectus. Ii ergo iussi sunt dicere, Dimitte nobis debita nostra. Sunt ergo medicabilia etiam quæ post baptismum fiunt vulnera: medicabilia autem, non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati commoderatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina sunt eis manu impertienda. Nolite, inquit, dare sanctum ca- Matth. 7.
nibus, nec margaritas porcis. Has habet ecclesia leges de Pœnitentia.

DE ABSTINENTIA.

A Vino autem, & ab esu carnium, & ab alijs eiusdem abstinentiam, non similiter ac Hæretici amplectitur. Illi enim ab ijs, tanquam abominandis, abstinendum esse censent. Ecclesia autem nihil horum decernit, neque enim eorũ prohibet participationem, & ideo alij quidem permissis à lege bonis & voluptatibus securi fruuntur, alij verò ab eis abstinent, nullus autem qui sapit, & rectè sentit, condemnat eum qui comedit. Nam & abstinentia, & esus participatio, sunt in mentis potestate. Porrò autem vita monastica non est ex necessitate, sed libera animi voluntate suscepta. Et hoc ex Apostolicis legibus didicimus. Qui comedit, inquit, non comeden- Rom. 14.
tem non spernat, & qui non comedit, comedentem non iudicet. Et rursus. Omnia munda, sed malum est homini, qui per offendiculum comedit. Itaque ipsos impios in epistola ad Timotheum reprehendens, hæc scripsit. Spiritus autem manifestè dicit quòd in nouis- 1. Tim. 15.
simis temporibus aberrabunt quidam à fide, attendẽtes spiritibus erroris, & doctrinis Dęmonum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium matrimonium contrahere, abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendũ cum gratiarũ actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatẽ, Quòd omnis creatura Dei bona est & nihil est reijciẽdum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbũ Dei & orationem. Et Corinthijs etiam iussit quidquid in macel 1. Cor. 10.
lo venditur comedere, nihil interrogantes, propter conscientiam, & eum qui ab aliquo infideli vocatur ad conuiuium, eorum quæ apponuntur securè participem esse iussit, nisi forte aliquis significauerit aliqua ex obsonijs fuisse immolata. Tantum abfuit vt diuinus ille vir carnibus vesci prohiberet. Iã verò ipse quoque Dominus de seipso dicit. Venit filius Matth. 11.
hominis comedens & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, & vini potor, publicanorũ amicus & peccatorum, & cùm pascha perageret, agnum comedit, scilicet cum discipulis, & ad nuptias

Ioan. 2. nuptias vocatus, non solùm non prohibuit bibere, sed etiam conuiuantibus vinum admirabiliter fabricatus est. Encratitarũ ergo seu Abstinentium errorem diuina etiam decreta pulchrè conuincunt. Dei autem ecclesia aduersatur quidem fabulis Hæreticorum: diuina verò decreta sequitur. Rogo ergo eos qui in hæc scripta inciderint, vt cum vnoquoque malo dogmate diuina conferant, & ex collatione intelligant quantum sit discrimen
2. Cor. 6. inter verum & falsum. Quæ est enim societas luci cum tenebris? Quæ autem conuentio Christi cum Belial? Re vera enim illa quidem sunt Diabolicæ improbitatis & calliditatis inuenta: hæc autem diuini spiritus decreta, quæ assiduè sequi conuenit, ea immobilem eorum seruare regulam, & per ea suã animam corrigere. In Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri cum sancto spiritu conuenit gloria, honor, & magnificentia, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS ΘΕΟΦΙΛΗΣ, ID EST RELIGIOSA HISTORIA.

GENTIANO HERVETO AVRELIO interprete.

OPtimorum Virorum, & qui in virtute præclarè se exercuere, pulchrum quidem est videre certamina, & oculis haurire vtilitatem. Quæ enim laudantur, dum cernuntur, & digna videntur quæ possideantur, & amplectenda amoreque prosequenda existunt, & ad ea comparanda spectatores inducunt: afferunt autem nihilo secius non mediocrem quoque vtilitatem, eiusmodi rerum rectè & ex virtute gestarum narrationes, quæ ab ijs qui sciunt, eorum qui nesciunt auribus offeruntur. Visum enim esse fideliorem auditu dicunt aliqui. auditui tamen fit quoque fides, dum ex eorum qui dicunt veritate ea quæ dicuntur iudicat. Quomodo enim linguæ & palato, de dulcedine, & amarore, & alijs huiusmodi qualitatibus, creditum est iudicium, deque ijs ferunt illam sententiam: ita orationum discernendarum ratio commissa est auditui, qui scit secernere à noxijs eas quæ aliquam afferunt vtilitatem. Atq; si vtilium quidem narrationum integra & incorrupta maneret memoria, & non obliuionis, veluti caligo quædam, aspersa labes, efficeret vt ea euanesceret, de ijs vtique scribere esset superuacaneum, cùm quæ hinc percipitur vtilitas, ad posteros admodum facilè peruenire t. Quoniam autem corporibus quidem tempus affert interitum, inducens senectutem & mortem: rebus autem rectè & ex virtute gestis, obliuionem, vt mihi quidem videtur, inferens, & obscurans memoriam: nemo nos iure reprehenderit, quòd piorum virorum, Deique amantiũ vitæ instituta aggrediamur scribere. Quemadmodum enim ij quorum fidei est credita corporum curatio, medicamenta comparant, cum morbo bellum gerentes, & ijs qui laborant ferentes auxilium: ita quæ in his conscribendis ponitur industria, efficitur veluti quoddam salutare medicamentum, quod obliuioni quidem insidiatur, opem autem fert memoriæ. Quomodo enim non est absurdum, vt poetæ quidem & scriptores ea conscribant quæ in bello fortiter & præclarè gesta sunt: Tragici autem, eas quæ recte celabantur calamitates,

tragœdijs

tragœdijs in publicum proferant, & earum scriptis mandatam relinquant memoriam: aliqui autem alij in comœdijs & rebus ridiculis consumant orationes: nos autem sinamus eos viros tradi obliuioni, qui in corpore mortali & patibili ostenderunt impatibilitatem, & incorpoream æmulati sunt naturam? Quasnam autem pœnas non meritò dederimus, si horum quæ admiratione digna sunt certaminum nihili faciamus negligi memoriam? Si enim ipsi eorum qui olim fuere sanctorum summam æmulati philosophiam, non ære & literis illorum insculpsere memoriam: sed omnem eorum virtutem exprimentes, quasdam eorum animatas imagines & statuas, seipsos effecere: quænam nobis meritò daretur venia, si nec literis quidem eorum insignem vitam honoraremus? idque cùm athletæ & pancratiastæ qui decertant in Olympicis, honorentur statuis, atque etiam in equorum curriculis, qui victores esse videntur aurigæ, idem præmium accipiant. Nec hoc solum, sed etiam muliebres viros & effœminatos, & de quibus dubites sintne viri an mulieres, ij qui horum delectantur spectaculis, inscribunt tabulis, eorum memoriam longissimo tempore conseruare contendentes: licet memoria animis detrimentum afferat, non commodum, sed tamen hi quidem hos amantes his, illi verò illos, illis, idque cùm damnum afferant, picturis honorant. & quoniam mortalem naturam mors deprædatur, colores temperantes, & illorum effigies tabulis imponentes, excogitant rationem qua eorum memoria sit vita longè diuturnior. Nos autem scribimus quidem vitam philosophiæ magistram, & quæ imitata est vitæ institutionem quæ agitur in cœlis. Describimus autem non figuras characteresue corporum, neque ea expressa ijs qui nesciunt ostendimus, sed formas animarum quæ sub aspectum non cadunt adumbramus, & bella quæ cerni non possunt, conflictusque qui non apparent, ostendimus. Tali enim armatura eorum phalangis imperator & in pugna princeps eos Paulus induit. Accipite enim, inquit, armaturam Dei, vt possitis resistere
Ephe. 6. *in die malo, & omnibus confectis stare. Et rursus. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus assumentes clypeum fidei, in quo poteritis omnia tela Maligni ignita extinguere. Et galeam salutaris accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Hac cùm hos induisset armatura, produxit ad certamina. Talis enim est hostium quoque natura, incorporea, minimè aspectabilis, obscurè inuadens, clanculum insidians, repenteque & præter expectationem irruens. Hoc ipsum idem*
Ephe. 6. *quoque docens imperator, dicebat. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum huius sæculi, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Sed tamen cùm tales hostes haberet sanctorum classis, imò verò vnusquisque eorum à tot & tantis circunsideretur hostibus: neque enim omnes simul inuaserunt, sed modo quidem hos, modo verò illos adoriebantur: tam præclaram retulere victoriam, vt fugerint quidem aduersarij, hi verò ijs fugatis ac profligatis trophæum erexerint, cùm nihil eis afferret impedimentum. Eis autem præbuit victoriam, non natura, ea enim est mortalis, & innumerabilibus plena affectionibus, sed mens quæ diuinam attrahebat gratiam. Nam cùm diuinæ pulchritudinis essent ardentes amatores, & pro eo quem amabant omnia lubenter & agere & pati statuissent, forti quidem & generoso animo tulerunt affectionum perturbationumque impetus: Diaboli autem telo procellas strenuè repulerunt. &, vt dicam Apostolicè, cùm corpus castigassent, & in seruitutem redegissent, iræ quidem ardorem sedauerunt, cupiditatum autem rabiem quiescere coegerunt: ieiunando autem & domi cubando sopitis animi motibus, repressisque eorum exultationibus, coegerunt corpus fœdus inire cum anima: & sol-*

& soluerunt bellum quod est eis à natura insitum. Pace autem sic inter ea inita, omnem aduersariorum cateruam expulere. Nam cùm eis deessent cogitationes quæ interna proderent, & membrorum humanorum auxilio priuati essent, bellare non poterant. Telis enim in nos diabolus nostris membris vtitur. Nam si neque inescantur oculi, neque aures demulcentur, neque tactus suaui quodam sensu titillatur, neque mens improba admittit consilia, frustra laborant qui parant insidias. Quomodo enim vrbem in alto ædificatam, & validis propugnaculis munitam, & profundis fossis vndique circundatam, nullus hostis ceperit, si ex ijs qui sunt intus nemo prodat, & portas aliquas aperiat: ita fieri non potest vt dæmones, qui bellum gerunt extrinsecus, superent animam circundatam à diuina gratia, nisi cogitationis alicuius socordia, nostrorum sensuum aliquam fenestram aperuerint, & per eam inimicum intrinsecus admiserint. Hæc cùm à diuina scriptura apertè didicissent ij quorum laudes à nobis celebrantur, & Deum audijssent dicentem per Prophetam, Ascendit mors per fenestras, cùm diuinis legibus tanquam quibusdam repagulis & vectibus sensus claussissent, mēti claues eorum tradiderunt, & neque labra linguam aperiebant, nisi mens imperasset, nec pupillæ permittebatur vt se extra cilia porrigeret, auditus autem noxijs sonis aditum obstruens, stultas & inutiles repellebat orationes: illasque solas admittebat quibus mens delectabatur. Sic odoratum docuere ea non desiderare quæ suauem emittunt odorem, vt quibus natura sit insitum vt molliant & relaxent. Sic ventris expulere satietatem, eumque ea sumere docuere, quæ non voluptatem afferrent, sed vsum implerent, nec amplius quàm quod satis esset ad prohibendum ne fame morerentur. Sic sommi dulcem dissoluere tyrannidem: & cùm cilia ab eius seruitute liberassent, ea pro seruitute dominatum docuerunt, vt eius vsum admitterent, non cùm ipse inuaderet, sed cùm ipsi accerserent, ad breue naturæ auxilium. Cùm ergo murorum & portarum custodiæ eam curam gessissent, & internis cogitationibus concordiam conciliassent, aduersarios extrinsecus inuadentes irridebant, qui vi quidem intrare, propter diuinæ gratiæ præsidium, non poterant: nullum autem inueniebant proditorem qui vellet inimicos admittere, & cùm hostes ea essent natura quæ non cadit sub aspectum, corpus quod videtur & subijcitur naturæ necessitatibus, vincere minimè potuere. Eius enim auriga & musicus & gubernator, optimè quidem tenens habenas, equis persuasit vt rectè & ordine procederent: numerose autem pulsans chordas sensuum, effecit vt sonum omni ex parte concinnum & consonum redderent. Scienter autem mouens clauum, & fluctuum insultus, & ventorum fregit impetus. Hos ergo qui per innumerabiles quidem labores vitæ iter ingressi sunt: sudoribus autem & afflictionibus corpus edomuerunt: & risus quidem affectionem ignorauerunt, in luctu autem & lachrymis omnem vitam consumpserunt: & delicias quidem Sybariticas ieiunium existimarunt, somnum autem suauissimum, laboriosas vigilias: molle stragulum, durum solum, immensam autem & inexplebilē voluptatem, in orationibus & cantandis psalmis conuersationem: Hos, inquam, qui omne genus virtutis complexi sunt, quis non iure fuerit admiratus, vel potius quis pro dignitate eorum laudes celebrauerit? Atque ego quidem satis intelligo nullam posse orationem eorum virtutem assequi, est tamen aggrediendum. Non enim rectè habuerit, si quoniam veram philosophiam perfectè adamarunt, ideo ne minores quidem laudes consequantur. Scribam autem laudem non vnam communiter omnibus. Diuersa enim dona eis data sunt diuinitus. Hoc autem docens dicebat beatus Paulus. Alij enim per spiritum datur sermo sapientiæ. Alij autem sermo co-
Hier. 9.
1. Cor. 12.
gnitionis, secundum eundem spiritum. Alij autem fides, in eodem spiritu. Alij autem dona curationum, in eodem spiritu. Alij autem operationes virtutum. Alij autem prophetia.

phetia. Alij genera linguarum. Alij autem interpretatio linguarum. Horum verò omnium ostendens fontem, subiunxit, Omnia autem hæc operatur vnus & idem spiritus, diuidens separatim vnicuique sicut vult. Quoniam ergo diuersa sunt dona consecuti, meritò vniuscuiusque narrationem faciemus separatam, non quæcunque ab eis gesta sunt persequentes, ad ea enim scribenda ne tota quidem vita suffecerit: sed cùm pauca de vniuscuiusque eorum viuendi ratione, & de ijs quæ fecit, narrauerimus, & paucis totius vitæ characterem & formam ostenderimus, ad aliũ transibimus. Neque verò omnium sanctorum, qui vbique insignes extitere, vitæ historiam literis mandare conabimur, neque enim eos qui vbique clari fuere cognoscimus, neque fieri potest vt vnus conscribat de omnibus. Eorum ergo solũ vitam describam, qui tanquam lumina fulsere in Oriente, & fines orbis terrarum suis complexi sunt radijs. Narrando autem procedit oratio, non vtens legibus encomiorum, sed pauca quædam verè referens. Rogo autem eos qui in hanc religiosam inciderint historiam, seu formam monasticæ exercitationis, vocet enim quis hoc opus vt voluerit, ne ijs quæ dicuntur minus credant, si quid audiant quod eorum vires superet: nec ex se illorum virtutem metiantur, sed apertè sciant, quòd piorum animis Deus desuper metitur dona sanctissimi spiritus, & maiora largitur perfectioribus. Hæc autem à me dicta sunt ad eos, qui in rerum diuinarum mysterijs non sunt admodum accuratè initiati. Mystæ enim adytorum spiritus, sciunt gloriam spiritus, & quænam per homines in hominibus faciat miracula, attrahens incredulos ad Dei cognitionem. Qui autem non est crediturus ijs quæ à me dicenda sunt, clarum est eum ne ijs quidem credere tanquam veris quæ per Mosem, & Iesum, & Eliam, & Elisæum facta sunt, habere autem etiam pro fabulis miracula quæ facta sunt à sanctis Apostolis. Sin autem illa esse vera testatur, hæc quoque credat esse à falso aliena. Quæ enim in illis operata est gratia, ea per illos quoque fecit ea quæ fecit. Perennis enim gratia, & eos qui digni sunt eligens, veluti per quosdam salientes, per hos effundit fluenta suæ operationis. Ex ijs autem quæ sunt dicenda, ipse quidem vidi nonnulla, quæ autem non vidi, audiui ab illis qui viderunt, viris virtutis amantibus, & qui digni sunt habiti vt & eos viderent, & eorum doctrina fruerentur. Euangelicæ autem doctrinæ scriptores fide digni, non solum sunt Matthæus & Ioannes, magni & primi ex Euangelistis, qui Domini videre miracula: sed etiam Lucas & Marcus, quos qui ab initio viderunt, & fuerunt verbi ministri, non solum quæ passus est & quæ fecit Dominus, sed ea etiam quæ perpetuò docuit, accuratè edocuerunt. Etenim cùm non vidisset ipse beatus Lucas, in principio operis dicit se ea narrare de quibus certior factus est. Nos autem etsi audiamus eum non vidisse ea quæ narrat, sed hanc doctrinam accepisse ab alijs, non minus ei & Marco credimus quàm Matthæo & Ioanni. Vterque enim est in narrando fide dignus, vt qui didicerit ab eis qui viderunt. Nos itaque alia quidem narrabimus vt quæ à nobis visa sint: alia autem vt qui crediderimus eis qui viderant narrantibus, viris qui illorum vitam sunt æmulati. Prolixiori autem de ijs vsus sum oratione, dum volo persuadere me vera narraturum. Hinc autem deinceps narrare incipiam.

Huius Iacobi Nisibitæ meminit Gennadius in opere, De scriptoribus ecclesiasticis, in quo multa recenset prætermissa à Theodoreto: & enumerat opera quæ ab eo scripta sunt. Eius quoque meminit hic ipse Theodoretus in historia ecclesiastica libro secũdo, & idẽ in primo eiusdẽ historiæ eum dicit suscitasse mortuos.

IACOBVS.

MOses ille diuinus legislator, qui imum maris fundum aperuit, & inundatione aquarum aridam obruit solitudinem, & alia omnia fecit miracula, scripsit res gestas eorum sanctorum qui fuere antiquitus. non ea vsus sapientia quam acceperat ab Aegyptijs, sed splendore gratiæ accepto à superis. Vndenam enim alioqui Abelis didicisset virtutem, & Enoch virtutis studium, & Noe iustitiam, & Melchisedec pium sacerdotium, Abrahæ vocationem, fidem, fortitudinem, & quæ ei magnæ erat curæ hospitalitatem, vulgo iactatum filij sacrificium, & aliorum quæ ab eo præclarè gesta sunt catalogum: & vt in summa dicam diuinorum virorum certamina, victorias, præconia, nisi intelligentis diuinique spiritus radios accepisset? Hoc mihi quoque

quoque in præsentia opus est auxilio, qui conor eorum vitam scribere sanctorum, qui parum ante nos & nostris temporibus claruere, & veluti quasdam leges ijs qui imitari volent velim proponere. Horũ ergo sunt preces inuocandæ, & incipiendum est narrare. Nisibis est ciuitas in confinio regni Romanorum & Persarum, quæ olim quidẽ erat Romanis vectigalis, & eorum parebat imperio. Ex ea ortus magnus ille Iacobus, solitariam vitam & quietam est amplexus, & altissimorum montium occupatis verticibus, in eis vitam egit, vere quidem & æstate & autumno vtens syluis, & pro tecto habens cœlum, tempore aũt hyemis, antrum ipsum excipiebat, quod ei paruum præbebat tegumentum. Habebat autem alimentum, non quod cum labore nascitur & seritur: sed quod sua sponte producitur. Nam ex syluestribus colligens arboribus fructus qui sponte nascuntur, & ex herbis eas quæ sunt esculentæ, & habent instar olerum, ex ijs dabat corpori ea quæ satis erant ad viuendum, ignis vsũ recusans. Vsus quoque lanæ erat ei superuacaneus. Asperrimi enim caprarum villi eius vsum implebant. Ex eis ipsi fiebat & tunica & simplex amiculum. Ita corpus affligens, spiritale alimentum assiduè exhibebat corpori, & cogitationis facultatem expurgans contemplantem, & diuini spiritus perspicuum efficiens speculum, reuelata facie, ex diuini Apostoli sententia, gloriam Domini speculans, eandem transformabatur imaginem à gloria in gloriam, tanquam à spiritu Domini. Hinc quæ ei erat in Deum fiducia augebatur in dies, & à Deo petens quæ oportebat petere, ea statim accipiebat. Porrò autem hinc quoque futura præuidebat propheticè, & virtutem ad facienda miracula à sanctissimi spiritus accipiebat gratia. Ex his pauca narrabo, & apostolici eius splendoris radium ijs qui nesciunt aperiam. Vigebat illo tempore in simulachra hominum insania, & inanimæ quidem statuę diuinum cultum sibi vendicabant. Dei autem cultus negligebatur à plurimis, contemptui autem habebantur qui eorum ebrietatis nolebãt esse participes, quique perfecta virtute præditi, ea quæ sunt discernebant, & simulachrorum quidem ridebant imbecillitatem, vniuersorum autem adorabant opificem. Illo tempore venerat in Persidem, visurus plantas veræ religionis, & eis quam par erat curam adhibiturus. Cùm is autem fontem transmitteret, puellæ quædam quæ pannos lauabant, & vestes pedibus emundabant, ne nouum quidem, & qui decentem præ sese ferebat grauitatem, sunt reueritæ habitum, sed exuto pudore, & perfricta facie, & impudentibus oculis diuinum hominem aspiciebãt, neque capita operientes, neque vestes quas succinxerant demittentes. Hoc cùm ægrè tulisset homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore ostendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem est execratus, & fluentum confestim euanuit. Puellas quoque est execratus, & impudentem earum iuuentutem castigauit canis ante tempus inductis, & sermonem factũ est consecutum. mutatusq; est nigror pilorum: & similes euaserunt nuper plantatis arboribus, quæ vere circumtectæ sunt folijs autumnalibus. Eæ autem cùm sic sensissent supplicium (nam & fontis fluenta effugerant, & sua inuicem capita intuentes, videbant repentinam illam mutationem) cursu ad vrbem contenderunt, renunciaturæ illud quod acciderat. Illi autem cùm accurrissent, & magnum Iacobum offendissent, rogauerunt vt iram compesceret, & supplicium remitteret. Ille autem non diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit: fluenta autem rursus scatere iussit. Illa verò mox rursus è suis emanarunt penetralibus, iusti deriuata nutibus. Illi autem cùm hoc impetrassent, petebant vt filiarum quoque suarum crinibus color suus redderetur. Aiunt autem eum hoc quoque concessisse, requisisse autem puellas quæ illam acceperant disciplinam, & quoniam non venerunt, reliquisse supplicium, documentum temperantiæ, & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum & euidens monimentum. Tale est noui huius Mosis miraculum, quod quidem non factum est virge percussione, sed operationem accepit signo crucis. Ego autem præter miraculum valde quoque miror mansuetudinem. Neque enim, vt magnus Elisæus, impudentes illas puellas vrsis tradidit immanibus: sed quadam innoxia disciplina, & quæ dedecoris parum habebat, vsus, pietatem simul docuit & moderationem. Hæc autem dixi, non vt prophetam sæuitiæ accusem, absit vt adeò insaniam: sed vt ostendam quòd cùm eandem haberet virtutem, ea effecit quæ congruebant Christi mansuetudini & nouo testamento. Is cùm aliquando vidisset iudicem Persam iniquam tulisse sententiam, quendam maximum lapidem, qui propè situs erat, execratus, iussit eum conteri & dispergi, & illius iniquam arguere sententiam. Lapide autem statim comminuto in particulas innumerabiles, conterriti fuere qui aderant, horrore autem plenus iudex, reuocauit quidem priorem, alteram autem iustam tulit sententiam. Et hic quoq; suum Dominũ est imitatus: qui cùm vellet ostendere se sua sponte ac lubentem subire passionem, & facile si voluisset punisset sceleratos, non eis intulit suppliciũ, sed ficum inanimam verbo arefaciens, suam ostendit virtutẽ. Hanc ipse quoque imitans clementiam, non punijt iniustũ iudicem: sed ictu lapidis illum docuit iustitiam. Cùm his rebus esset insignis, & omnibus amabilis, & in ore omnibus versaretur, trahitur ad munus Põtificatus, & suæ patrię præficitur. Cùm illã autem montanam viuendi mutasset rationem, & ciuilem vitæ consuetudinem non ex sui animi cepisset sententia, neque cibum mutauit nec vestitum, sed loca quidẽ erant mutata, vitæ autem institutio nullã accipiebat mutationem. Crescebant verò labores, & erant longè

1. Cor. 3.

longè maiores prioribus. Ieiunio enim, & cubili humi strato, & sacco quo induebatur, accesserant etiam omnino curæ eorum qui indigebant, vt de viduis, inquã, esset sollicitus, & prouideret orphanis, & eos qui iniuriam faciebant argueret, & ijs quibus fiebat iniuria iustum afferret auxilium, & quid opus est omnia recensere, apud eos qui norunt quęnam illis competãt qui hanc suscepere curationem? Insigniter aũt ille tales amplectebatur labores, vt qui ouium dominum insigniter & cuperet & timeret. Quò autem virtutis opes colligebat maiores, eo maiore sanctissimi spiritu fruebatur gratia, & cùm aliquando ei in vicũ quendam aut oppidum iter esset, neque enim locum satis teneo, ad eum accedunt quidam pauperes, vnum quempiam ex eis qui cum eis versabantur, tanquam mortuũ proponentes, & quæ ad illum sepeliendum erant necessaria supplices ab eo postulantes. Ille autẽ concessit quidem rogantibus: Deo autem preces obtulit tanquam pro mortuo, rogãs vt ei remitteret quæ in vita peccauerat, & eũ in chorum iustorum dignaretur admittere. Hæc autem cùm dicerentur, eius qui tunc mortem simulabat euolauit anima, suppeditata sunt autem corpori tegumenta. Postquam autem parum processisset homo admirabilis, iubebãt eum qui iacebat surgere, ij qui actum cõposuerant. Postquam aũt viderunt eum non exaudire, & quod simulabatur id verum euasisse, & in veram faciem mutatam esse personam, ad magnũ quidem adeunt Iacobum, suppliciter autem obsecrantes, & ad pedes eius prouoluti, & actus, quem temere agendũ susceperant, dicentes causam fuisse paupertatem, rogabant vt eis suum mitteret delictum, & ei qui iacebat ablatam restitueret animam. Domini itaque imitans clementiam, & preces exaudit, & ostendit miraculum: vt qui vitam precibus ablatã, per preces iacenti restituerit. Hoc autem mihi quidem videtur esse simile magni Petri miraculo, qui Ananiã & Saphiram suffuratos mentitosq; morti tradidit. Etenim hic quoq; similiter, eius qui veritatem erat suratus, & mendacio erat vsus, abstulit animã. Sed ille quidem cùm furtum cognouisset, reuelauerat enim gratia spiritus, intulit supplicium. Hic autem actus argumentum nesciens, obtulit quidem preces, stitit autem vitæ cursum ei qui simulauerat. Et diuinus quidem Apostolus mortuos à calamitate minimè eripuit: Salutaris enim prędicationis initia metu opus habebant. Hic autem cùm esset refertus gratia apostolica, & punijt ad tempus, & pœnam mox remisit. Hoc enim opus habebat eo qui esset lucri facturus eos qui offenderãt. Sed enim & est eundum ad alia, & sunt illa breuiter exponenda. Postquam enim Arius, in vnigenitum & sanctissimum spiritum maledicti blasphemiæque pater & opifex, in eum qui ipsum fecerat linguã mouens, impleuit Aegyptum tumultu & perturbatione. Constantinus autem imperator maximus, gregis nostri Zorobabel: illius enim instar vniuersam piorum captiuitatem reduxit ab exilio, & diuina templa humi disiecta in altum erexit & excitauit. Postquam ergo is omnes ecclesiarũ prę-
sides illo tempore congregauit Niceæ, venit cum alijs magnus quoque Iacobus, pro veris decertaturus decretis, vt vir fortis & princeps totius phalangis. Romanorum enim imperio tũc parebat Nisibis. Postquam aũt fuit dimissus sacer ille conuentus, & vnusquisque in suã est reuersus, redijt hic quoque tanquã vir fortis victoria potitus, exultans propter trophæa pietatis. Cùm aũt aliquantum processisset temporis, imperator quidem magnus & admirabilis excessit è vita cum coronis pietatis. Illius autem filij fuere hæredes imperij orbis terræ. Tunc rex Persarum, cui nomen erat Sapores, contemptis filijs, vt quorum potentia non esset patri æqualis, bellum mouit aduersus Nisibim magnis & equitum & peditum copijs. Duxit autẽ elephantos quoque quàm plurimos, & ad vrbem obsidendam diuiso exercitu, eam circunsedit, & machinas extruxit, & turres ædificauit, vallosque figens, & cp inter eos intercedit, ramis tanquã cratibus contextis, obstruens, iussit militibus vt aggerem extruerent, & turres contra turres excitarent. Deinde illic sagittarios collocãs, & in eos qui erãt super muros tela iubens mittere, alios iussit inferius fodere murosq; subruere. Postquã autem omnia illi erant irrita & inania, vt quæ viri diuini dissoluerentur precibus: postremò cũ fluuij præterfluentis, multitudine hominũ fretus, fluxum prohibuisset, extructisque muris, & ad retinendum comparatis impedimentis, fluuij plurimũ collegisset, id totum simul immisit in mœnia, eo vsus tanquam aliqua vehementissima machina. Ea verò aque insultum non tulerunt, sed impetu concussa in illa parte funditus corruerũt. Illi verò magnum clamorem sustulerunt, vtpote quòd vrbs iam esset captu facilis, habitantium enim ciuium magnum murũ ignorabant. Distulere tamen irrumpere, cùm viderent nõ posse vrbem adiri propter aquas. Cùm ergo procul recessissent, vtpote cp labor eis esset cessaturus, quiescebant ipsi & equos curabant. Qui autem vrbem habitabant, ex animo conuersi erant ad supplicationes, magnum Iacobum habentes intercessorem. Qui autem ætate adhuc vigebant omnes quã maxima poterant contentione rursus ædificabant, nec pulchritudinis nec concinnæ compagis vllã curam gerentes, sed omnia temere componentes, & lapides & lateres, & quidquid portabat quilibet, vnaque nocte opus tantum processit, & in tantam creuit altitudinem, vt & satis esset ad arcendum cursum equorum, & hominum ascensum absque scalis. Tunc omnes ab homine Dei petunt supplices, vt & in muris se ostendat, & tela execrationum iaculetur in hostes. Is verò exoratus ascendit, & eorũ plurima millia contẽplatus, à Deo supplex petijt vt in eos immitteret nubem cyniphum & culicum. Et is quidem dixit, Deus verò emisit, ab eo tanquam à Mose exoratus, & viri quidẽ diuinis telis vulnerabantur, equi autem ac elephãti ruptis vinculis fugiebant, huc & illuc dispersi, vt qui nõ possent illos ferrè aculeos. Cùm itaque vidisset rex impi' & machinas nulli sibi fuisse vsui, & aquæ irruptionem fuisse inutilem: murus enim qui corruerat, rursus fuerat ædificatus: & omnem exercitũ & affligi laboribus, & malè se habere sub dio, & vexari à plaga immissa diuinitus: vidisset autem diuinum quoque hominem super muros ambulãtem, & coniecisset ipsum imperatorem ei prędesse operi: sibi enim visus erat & purpura indutus, & redimitus diademate, indignatus quidem est in eos qui eum decepissent, & vt bellum moueret persuasissent, & dixissent nõ adesse imperatorem, & cùm eos damnasset capitis, dimisit exercitum, & in suam regiam redijt quàm citissimè. Hæc in hoc quoq; Ezechia Deus fecit miracula, non illis minora, sed etiam maiora, vt mihi quidem videtur. Quòd enim cùm corruisset murus, vrbs nõ capta fuerit, quodnam potest esse eo maius miraculum? Ego aũt pręter hoc illud quoq; valde admiror, quòd cùm vteretur execrationibus, nõ petijt vt fulgura & fulmina è cœlo mitterentur, vt fecit magnus Elias, quando ad ipsum vterque quinquagenarius venisset cum suis quinquaginta. Audiuerat enim Dominũ aperte dixisse Iacobo & Ioanni qui hoc ipsum conabantur facere, Nescitis cuius spiritus sitis, & ideo non petijt vt terra eis dehisceret, nec rogauit vt phalanx igne consumeretur, sed vt animalculis illis sauciaretur, & cùm Dei cognouisset virtutem, tandẽ mutata edisceret pietatem & verũ Dei cultum. Tantam habuit hic homo diuinus apud Deum fiduciã, tantã à superis gratiam est consecutus. Cùm in his perpetuò versaretur, & in rebus diuinis quotidie crescere, cum maxima gloria hanc vitam deposuit, & ex his locis migrauit. Cùm autem præterijsset aliquantum temporis, & hoc oppidum, ab eo qui tunc imperabat, regno Persarum esset traditum, exierunt quidem omnes qui in eo habitabant, sui autem defensoris ac principis corpus ferebãt, ægrè quidem ferentes & dolentes quòd trãsmigrarent, canentes autem celebrantesq; virtutem fortissimi victoris. Si ille enim vixisset, ij minimè venissent in potestatem Barbarorũ. Hæc cùm de viro diuino recensuerim, ad aliam transibo narrationem, rogans vt consequar eius benedictionem.

4. Reg. 1.

Luc. 9.

IVLIANVS.

II. *Huius Iuliani memminit idem Theodoretus in quarto historiæ ecclesiasticæ.*

IVlianus, quẽ cognomine Sabam honorantes nominabant incolæ, πρεσβύτην autem, id est senem, Græca voce hoc nomẽ significat, in regione quæ olim quidem Parthorũ, nunc autem nominatur Osroenorum, fixit ad exercitationem monasticam tugurium. Ea autem patet ad occidentem quidem vsq; ad ripam fluuij, est autem ei nomen Euphrates. Ad orientem autẽ solem, habet limitem Romani imperij. Assyria enim excipit Persas, cùm Persici regni sit finis occidentalis, quam qui postea sunt secuti, nominarunt Adiabenem. In hac gente, multæ quidem sunt vrbes magnę & populosæ. Regionis autem plurimum quidem habitatur, plurimum autem est & inhabitabile & desertum. Ad extrema huius solitudinis cùm hic vir diuinus peruenisset, & antrum non manu factum, neq; bene ac pulchrè effossum, inuenisset, sed quod posset exiguum aliquod tegumenium præbere ijs qui ad ipsum confugiebant, locum lubenter habitauit, auro & argento fulgentibus regijs id existimans esse magnificentius. In eo autem degebat, in hebdomada semel cibum capiens. Cibus autẽ erat panis ordeaceus, isque furfuraceus. Obsoniũ autem, sales. Potus autem suauissimus, per se natiuum aquæ fluentum, idque non satietate dimensum, sed vsu demissi prius cibi definitum. Erant autem ei deliciæ, opiarumque & lautissimum epulum, Dauidicorum hymnorum decantatio, & assidua cum Deo conuersatio, & cùm eis frueretur insatiabiliter, eorum nunquã voluit capere satietatem, sed semper quidem implebatur: semper autem clamabat, Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua? super mel & fauum ori meo. Rursus enim audiuit beatum Dauid dicentem. Iudicia Domini vera iustificata in idipsum. Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum: & dulciora super mel & fauum. Rursus audiuit eum dicentem, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et rursus. Lætetur cor quærentiũ Dominum. &, Lętifica cor meum, vt timeat nomen tuum. &, Gustate & videte quàm benignus est Dominus. &, Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum. &, Adhæsit anima mea post te, & eius qui hæc dixit, amorem in se transtulit. Hac enim de causa, magnus quoque Dauid hæc canens docuit, vt multos socios & in Deo amando riuales constitueret. Neque verò spe falsus est, sed & hunc virum diuinum, & alios innumerabiles diuino amore sauciauit. Hic enim tanto amoris igne fuit incensus, vt inebriaretur desiderio, & nihil videret ex terrenis: solum autem dilectum & noctu somniaret, & interdiu visione apprehenderet. Hanc summã eius philosophiam cùm multi didicissent, alij quidem qui propius habitabant, alij verò qui remotius, alata enim fama percurrebat in omnes partes, accurrebant supplicantes vt essent palestræ participes, & ei tanquam exercitationis magistro & pædotribæ parentes, viuerent in posterum. Non solum enim aues aues venantur, canentes, & ad se eas euocantes quæ sunt eiusdem generis, & subiectis laqueis implicantes: sed etiam homines venantur eos qui sunt eiusdem naturæ, alij quidem ad exitium, alij verò ad salutem. Sic congregati quidem citò fuere decem. Deinde duplo & triplo plures. Eos autem cùm tot essent, accipiebat illũd antrum. A sene enim didicerant negligere curam corporis. Vescebantur aũt ipsi quoq; similiter atque Pædotriba, ordeaceo pane sale condito. Aliquo aũt pòst tempore, & olera sponte nascentia colligentes, deinde dolia implentes, & muriæ quantum satis erat miscen-

Psal. 118.

Psal. 18.

Psa. 36.

Psal. 104.

Psal. 33.

Psal. 41.

miscentes, id habebant obsonium qui opus habebant curatione. His autem oleribus humida habitacula sunt maximè infesta. Solent enim sua natura eis ingenerare situm & putrefactionē. Cùm huic ergo obsonio id accidisset, erat enim antrum vndiquaque valde humidum, supplicarunt seni sodales, vt sibi paruam aliquam domunculam liceret extruere, quæ sufficeret obsonij vasis accipiendis. Ille autem primò quidem postulatū minimè admittebat, tandem autē persuasus, à magno enim Paulo didicerat nō quærere quę sua sunt, sed aliquid concedere & se accommodare hu milibus, dedit quidem domunculæ breuem quandam & exiguam mensuram, abijt aūt procul ab antro, solitas oblaturus Deo supplicationes. Solitus enim erat sæpe quidem quinquaginta stadia, nonnunquam autē etiam bis totidem in desertum proficiscens, & se ab omni humana consuetudine separans, & ad seipsum rediens, per se cum Deo cōgredi ac conuersari, & diuinam illam & ineffabilem speculari pulchritudinem. Hoc ociū cùm sumpsissent, qui vt ab illo cura eorum gereretur digni erant habiti, vsui quidem iusta symmetria respondentem, sed maiorem quàm iusi fuerant, extruxere domunculam. Decimo autem die, veluti quidam Moses, reuersus à monte, & ab ea quę verbis explicari nequit contemplatione, cùm vidisset maius factum quàm volebat ædificium, Vereor, inquit, ò viri, ne dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cœlestia. Atqui hęc quidē sunt ad tempus, & quæ nobis parumper conuenient, cœlestia aūt sunt æterna, & quæ nullum possunt finem capere. Et hæc quidē dixit, chorū docens ea quę sunt perfectiora, toleraut tamen cùm vocem audijsset apostolicam, Non quęro quod mihi est vtile, sed quod multis, vt seruentur. Illos quoque docuit, intus quidem cōmunem Deo offerre hymnodiam: post auroram autem duos simul exire in solitudinem: & vnum quidem flexis genibus offerre eā quæ Domino debetur adorationem: alterum verò stantem Dauidicos psalmos canere quindecim. Deinde operis factà cōmutatione, alterum quidem surgentē canere, alterum verò humi procumbentem adorare, & id à mane vsque ad crepusculū asi duè faciebant. Ante occasum autē solis, in antro paululum quiescentes, hi quidē hinc, illi verò illinc, omnes verò vndiquaq; in antrum cōueniebant, & hymnos vespertinos simul Domino offerebāt. Solebat aūt ipse quoque senex vnum aliquē ex insignioribus assumere socium officij. Sequebatur autē eum frequentius vir quidam genere quidē Persa, forma autē corporis magnus & admirabilis, forma verò corporis magis admirabilem possidebat animam. Erat autē ei nomen Iacobus, qui etiam post illius mortem in omni quidem virtute resplenduit: fuit autem insignis & illustris, non ijs solis quę illic erant, sed etiam ijs quæ erant in Syria philosophiæ gymnasijs seu monasterijs, in quibus etiam vitam finijt, cùm vixisset, vt fertur, centum & quatuor annos. Is cùm esset magno seni ad solitudinem viæ comes, sequebatur eminus. Non sinebat enim Magister eū propius accedere, ne occasio disserendi ex eo sumeretur: sermo autem abstraheret mentem à Dei contemplatione. Sequens autem, in via vidit draconem maximum. Deinde eum contemplatus, nō est quidem ausus progredi, cùm sæpe autem eum præ metu voluisset declinare, rursus cōfirmauit animum. Deinde cùm inclinatus accepisset lapidem & eum piecisset, vidit draconem in eodem statu manentem non posse se omnino mouere. Cùm autem eū intellexisset esse mortuum, existimauit esse opus senis mortē beluæ. Confecto autem itinere, & hymnorum completo officio, postquam venit tempus quietis, & sedens senex, ei quoque iussit vt corpus quieti parumper traderet, primum quidem sedebat tacitus. Cùm autem senex sermonem quendam leniter subridens aggressus est, rogauit Iacobus vt ei aperiret id quod ignorabat. Cū is autem permisisset rogare, Vidi, inquit, in via maximum draconem iacentem, & primū quidem timui, illum viuere existmans. Postquam autem eum aspexi mortuum, securus iter sum ingressus. Dic mihi, inquit, ò pater, quis eū interfecit? Tu enim præcedebas, nullus autem alius hac præterijt. Senex autem, Cessa, inquit, de ijs curiose percontari quę ijs qui scisitantur non possunt vllam afferre vtilitatem. Verùm nihilo secius instabat Iacobus admirabilis, verum scire desiderans. Senex autem diu quidem tentās celare, non ferens aūt amicum diutius angere, Ego, inquit, tibi dicam, si id scire desideras. Precipio autē, vt me viuo nullus alius hoc à te rescisat quod dicendum est. Hæc enim sunt celanda, quæ ad arrogantiam & fastum sæpe excitant. Sed si ego hinc excessero, & ab eiusmodi animi perturbationibus fuero liberatus, non veto quo minus dicas & narres vim diuinæ gratiæ. Scias ergo, inquit magnus Iulianus, quòd me iter ingredientem illa inuasit belua, osq; aperuit me cupiens deuorare. Ego autem Iesum appellans, & digito trophæum crucis ostendens, omnem quidem excusi timorem. Extemplo autem vidi humi cecidisse beluam: & communi laudato Seruatore perrexi vlterius. Sic finita narratione, ad antrum est profectus. Aliquando autem adolescens, nobili quidē loco natus, sed molliter educatus, maiorem aūt ostendens promptitudinem & animi alacritatem quàm vires ferre possent, supplex petijt à sene vt esset illi viæ comes eunti in solitudinem, non eius quidem quā omnes obibant quotidie, sed longissimæ, & qua sępe erat octo & decem diebus peregrinandum. Is autem erat celeberrimus ille Asterius. Cùm autem diuinus senex prohiberet iuuenem, & aridam, aquaque carentem diceret esse solitudinem, instabat adolescens obsecrans vt hoc ei donum cōcederet. Victus autem precibus cessit senex: ille verò sequebatur, primo quidem alacriter. Cùm autem primus & secūdus & tertius dies præterijsset, & à radijs solis exureretur, erat enim æstas,

æstas, vigente autē estate est vtique flamma solis ardentior, siti perpetuò laborabat. Et primum quidem eum morbū aperire pudebat, memoria reputans ea quæ sibi prædicta fuerant à Magistro. Tandem aūt victus & plane omnino deficiens, orauit senē vt sui misereretur. Is aūt cùm quæ ei prædixerat reuocasset in memoriam, iussit eum reuerti. Cùm autem diceret adolescens nec se scire viam quæ ducit ad antrum, nec si sciret, ire posse, cùm sint vires siti consumptę: misertus homo diuinus casus adolescentis, & ignoscens imbecillitati corporis, genibus flexis orauit Dominū, & calidis lachrymis solum irrigauit, & viā salutis petijt adolescenti. Qui autē facit voluntatem eorum qui ipsum timent, & eorum exaudit orationem, stillas lachrymarum quæ puluerem attigerant effecit fontē aquarum. & sic fluento repletum adolescentem, iussit abire protinus. Fons aūt mansit vsque in hodiernum diem, Mosaicæ diuini sensis orationis ferens testimoniū. Quomodo enim ille olim cùm sterilem illā petram virga percussisset effecit vt produceret exūdantes aquas fluuiatiles, vt sitiaret multa illa hominum millia siti cōfecta: ita hic cùm arenam illam aridissimam irrigasset lachrymis, fecit vt fontana emanarent fluenta: non vt multarum myriadū, sed vt vnius adolescentis afferret siti remediū. A diuina enim gratia anima illuminatus, apertè prę-uidit futuram adolescentis perfectionem. Is enim multis pòst temporibus à diuina prouocatus gratia, vt alios quoque multos ad eandē exerceret gratiā, in locis quæ sunt circa Gendarum (est autem is vicus maximus sub Antiochia) palæstram fixit monasticam. & multos quidem etiā alios ad se traxit athletas philosophiæ, traxit autem magnum quoque Acacium, insignem inquam illum & fama clarum, qui fuit quidem egregius in vita monastica, emisit autem splendidos virtutis radios, vt qui sit dignus habitus qui fieret pontifex, & Berrhœam pascendā est sortitus. Cùm quinquaginta autem & octo annis ei fuisset cura gregis credita, non reliquit quidem formā vitæ monasticæ, monasticam autem & ciuilem simul temperauit virtutem, & illius quidē sumens exactam perfectionem, huius autem œconomiam ac dispensationem, in vnum coegit ea quæ erant inter se disiuncta. Sed huius virtutis & venator & exercitator fuit ille Asterius, qui magni illius senis tanto semper tenebatur amore, vt sępe quidem bis in anno, sępe etiam ter ad eum proficisceretur. Veniens autem solebat caricas afferre sodalibus, onerans tria vel quatuor iumenta. Duos autem medimnos colligens, vt qui seni toto anno sufficerent, id onus suis imponebat humeris, se Magistri iumentum & vocans & præstans. Portabat autem id onus, non decem vel viginti stadis, sed septem dierum iter conficiens. Cùm eum autem aliquando vidisset senex ferentem humeris sarcinam caricarum, ægre ferens dixit hæc non sibi esse exhibenda alimenta, non esse enim iustum, vt ille quidem tantum subiret laborē, ipse verò delicatè eius frueretur sudoribus. Cùm is aūt iurasset se non esse onus à suis humeris depositurū, nisi assensus esset senex se allati cibi futurū participem, Faciam, inquit senex, quod iubetur, modo tu quā primum deponas canistrum. Nam in hoc quoq; imitabatur primum Apostolorū, qui cùm voluisset Dominus lauare eius pedes, prius quidem negauit, apertè affirmans id non esse futurum. Postquam aūt audiuit fore vt abrúperetur à Domini cōmunione nisi hoc concederet, orauit vt prēter pedes, manus quoq; & caput lauaret. Ita etiam egregius Ioannes iussus tingere Seruatorem, prius quidem & suā confessus est seruitutem, & ostendit Dominum. Postea autem iussum est executus, non se aspere gerens, sed parens Domino. Ita etiam hic quoque vir diuinus, grauabatur quidem alio laborāte, ipse frui alimento: sed postquā vidit ardentissimam cliētis animi alacritatem, prępositit suæ voluntati illius ministerium. Forte autem aliquis ex ijs qui ex aliorum reprehensione magnam capiunt voluptatem, & ea quæ sunt honesta solum didicerunt irridere, dixerit hanc narrationem non esse dignam quę commemoretur. Ego autem alijs huius viri miraculis hoc quoque adieci, non solum magnorum virorum volens in eum pietatem ostendere, sed etiam morum eius suauitatem & moderationem declarare, existimans conducibile. Nam cùm tanta esset & tali virtute, ne leuissimo quidem honore seipsum dignum esse censebat, sed eum repellebat vt qui ad se nequaquam pertineret: rursus autem cùm sustinebat, vt qui eos qui faciebant afficeret beneficio. Aufugiens autem, nā vt qui omnibus euasisset manifestus, ad se trahebat per famā, eorum, quæ sunt bona & honesta, amatores, venit in montem Sinæum cum paucis ex paulo familiaribus: non oppidum ingrediens, nō vicum: sed iter per inuiam iniens solitudinem. Ferebat aūt humeris alimentum quoque necessariū, panem, inquam, & salem, lagenam, & cyathum ligneū, & spongiam fune alligatam: vt si quando aquam inuenissent profundiorem, exhaurirent quidem spongia, expressam autem in cyathum ebiberent. Cùm itaque iter multorum dierum confecissent, ad montem optatum perueniunt: & cùm suum dominum adorassent, illic longū tempus perpetuò transegerunt, loci solitudinem & animæ quietem maximam existimantes voluptatem. Cùm autem in illa petra, sub qua latens Moses prophetarum princeps dignus est habitus qui Deum videret sicut videri poterat, ecclesiā extruxisset, & diuinam aram consecrasset, quæ etiam mansit vsque in hodiernū diem, in suam reuersus est palęstram. Cùm autē eius cui erat quidem idem quod ipsi nomen, sed impij imperatoris, minas intellexisset, pios enim se funditus perditurum minatus, profectus erat in Persas, & qui eadem quæ ipse sentiebant, abominandum illum reditum inhiantes expectabant, tunc Deo orationem magno studio & vehementi desiderio offerens, & eam

Duo medimni sunt 14. modij.

ad decimum vſque diem extendens, audiuit vocem dicentem, execrandum illum & fœtidum porcum, de medio eſſe ſublatum. Sed neque accepto fine orationis, confeſtim finijt orationem, ſed mutauit petitionẽ in hymni decantationem, gratias agens ſeruatori ſuorum, clementiq; & potenti hoſti alienorum. Longiſsimo enim tempore fuit clemens & lenis in impium: ſed cùm eius lenitas & patientia ſceleratum ad maiorem exercuiſſet rabiem, opportunè intulit ſupplicium. Cùm aũt impleſſet orationem, & ad ſuos eſſet conuerſus, planũ fuit eum eſſe læto & tranquillo animo. Animi enim alacritas vultum oſtendebat hilarem. Cùm autem qui cum eo verſabantur nouum admirati eſſent ſpectaculum, nam cùm ſemper triſti aſpectu videretur, tunc viſus eſt ſubridere, & cùm cauſam rogaſſent lætitiæ, præſens tẽpus, inquit, ò fratres, eſt gaudij. Ceſſauit enim impius, vt eſt vox Eſaiæ, & audacium inceptorum meritas dedit pœnas. & qui tyrannidem exercuit in Deum qui fecit & ſeruauit, ab eius qui illius parebat imperio, dextera, iure eſt cæſus. Ideo lætor cùm videã eccleſias quæ ab eo ſunt oppugnatæ exultantes, & cernam ſceleratum, ab ijs quos colebat, Dæmonibus, nihil auxilij conſecutum. Huius ergo impij cædis talem habuit præſcientiam. Cùm aũt Valens qui poſt illum accepit habenas Romani imperij, relicta veritate euangelicorũ dogmatum, erroris Arij accepiſſet impoſturam, tunc exorta eſt maior procella aduerſus eccleſiam, cùm gubernatores quidem vndiq; expellerentur, prædones aũt quidam & hoſtes in eorũ locum ſufficerentur. Ne autem totam illam in præſentia recenſeã tragœdiam, alia nunc prætermittam, vnius aũt ſolummodo faciam mentionem, quod apertè oſtendit diuini ſpiritus gratiam in hoc ſene florẽtem. Ab Antiochena quidem eccleſia eiectus erat magnus Meletius, quę à Deo vniuerſorum paſcenda ei credita fuerat. A diuinis autem tem pliſ eiecti fuerant cum populo qui erat eiuſdem cum eis ſententiæ, quicunque in clerum cooptati, trinitatis diuinã vnam colebant eſſentiam. & nunc quidem in aliquem ſpecum montis veniẽtes, ſacros illic cœtus celebrant. nunc autem ripam fluminis faciebant oratorium. aliquando autem bellicũ gymnaſium, quod ſitum eſt ante portam ſeptentrionalem. Non permittebant enim qui bellum gerebãt, in vno loco pios conſiſtere. Iactarant autem alumni mendacij, & rumorem in illa ciuitate ſparſerant, quòd magnus, hic inquam ſenex, eorum quæ ipſi tenebant religionis dogmatum amplecteretur communionem. Hoc pios maximè angebat, ne fama rudiores & ſimpliciores decipiens, eos hæreticorum implicaret laqueis. Sed diuini & beati viri, Flauianus & Diodorus, qui digni erant habiti vt eſſent ſacrifici, & præeſſent piorum populo, & Aphraates, cuius per ſe vitam vobis, ſi Deus conceſſerit, adijciam, perſuadent magno illi Acacio, cuius fecimus mentionem, vt viæ acciperet comitem ſuum quidem Magiſtrum, ſancti autem ſenis diſcipulum, inſignem illum Aſterium, curreret autem ad communem pietatis ſplendorem, & euangelicę doctrinę ſuſtentaculum, & perſuaderet vt relinqueret quidem illam in ſolitudine verſandi rationem, veniret autem vt ferret auxilium tot millibus quę fraude interibant, & rore ſui aduentus flammam extingueret Arianam. Cucurrit diuinus Acacius, & ſumpto, vt iuſſus erat, magno Acacio, acceſsit ad maximum lumen eccleſiæ, & cùm eum ſalutaſſet, Dic mihi, inquit, ò pater, quanam de cauſa totum hunc laborem tam lubenter toleras? Cùm is autem reſpondiſſet, Et corpore, & anima vitaque, & omnibus quę ad vitã pertinent, eſt mihi Dei cultus precioſior. Conor aũt, quoad eius à me fieri poteſt, illi à ſorde mundum offerre miniſterium, & ei perpetuò placere. Oſtendã tibi, inquit Acacius, rationem, per quã ei plus quàm nunc ſeruies. Idque dicã, non ſola vtens ratiocinatione, ſed vt qui id ab eius doctrina didicerim. Cùm enim Petrum aliquãdo rogaſſet, an eũ plus quàm alij amaret, & didiciſſet id q̃ ſciebat vel ante Petri vocem, Tu enim, inquit, noſti Domine quòd amo te. Oſtendit ei quidnam agens eum magis coleret. Si enim, inquit, amas me, paſce oues meas, & paſce agnos meos. Hoc quoq; tibi, ò pater, eſt faciendum. Periculum enim eſt ne oues à lupis intereant: eas autem valde amat, qui à te valde amatur. Eſt aũt proprium amantium illa facere, quæ cùm fiunt, eis qui amantur grata ſunt. Et alioqui non paruũ eſt periculum, multorumq; & magnorum illorum ſudorum detrimentum, ſi pati potueris negligere, & tacitus præteriré, veritatem quidẽ grauiter oppugnari, eos aũt qui ei adhærent, captari: ad eos aũt venandos eſſe eſcam tui nominis appellationẽ. Te enim habere ſocium ſuæ impietatis, gloriantur & iactant præſides Arij abominationis. Hoc cùm primum audiſſet ſenex, quietem quidem iubẽs valere ad tempus, neq; ciuitatis ſtrepitus, quòd eis non eſſet aſſuetus, refugiens, accurrit Antiochiam. Cùm aũt duorum vel trium dierum iter confeciſſet in ſolitudine, noctu venit in quoddam prędium. Quædam aũt diues mulierciula, cùm ſacrum illum chorum audiſſet venire, cucurrit vt perciperet eorum benedictionem: & ad eorũ pedes prouoluta, rogabat vt ſua domus eſſet eorũ diuerſorium. Cõceſſit ſenex, idque cùm pluſquã quadraginta annis à tali fuiſſet ſpectaculo ſeparatus. Cùm aũt admirabilis illa mulier, eſſet in ſacris illis viris miniſtrãdo occupata, puer ſeptem annos natus, cuius ſolius erat mater, quæ hoſpitalitatẽ Sarræ eſtæmulata, eſſet autem veſperum & tenebrę, cecidit in puteum. Cùm autem ex eo, vt eſt conſentaneum, exortus eſſet tumultus, mater aũt ſenſiſſet, iubet quidem omnes quieſcere: puteo autem operculo impoſito, inſtabat miniſterio. Menſa autẽ viris diuinis appoſita, diuinus ſenex iuſsit vocari puerum mulieris, & accipere benedictionem. Cùm aũt admirabilis mulier diceret eũ male habere, perſtitit iubere vt is duceretur. Poſtquam autem ei quod

ei quod accidiſſet ſignificauit mulier, menſam quidem relinquit ſenex, accurrẽs autem ad puteum, cùm auferri quidem operculum, afferri autem lucem iuſsiſset, videt puerum ſedentem ſuper aquæ ſuperficiem, & aquam manu pueriliter pulſantem, & qui reputatus fuerat interitus, eum ludum putantem: & cùm quoſdam funes alligaſſent & eos demiſſiſſent, puerum extraxerunt: & ſtatim accurrit puer ad pedes ſenis, dicẽs ſe eum vidiſſe in aquis ipſum ferentem, & ne mergeretur prohibentem. Hanc hoſpitalitatis mercedem recepit mulier à beato ſene. Et vt alia prætermittam quæ facta ſunt in itinere, venerunt quidem Antiochiam: omnes autem vndique concurrebant, Dei hominem videre cupientes, & morbi ſui medicinam vnuſquiſque accipere deſiderans. Habitabat autem in ſpeluncis quæ erant in latere montis: vbi diuinum quoque Apoſtolum Paulum & habitaſſe dicunt & latuiſſe. Sed ſtatim vt ſcirent omnes eum eſſe hominem, eum inuadit febris vehementiſsima. Cùm autem videret magnus Acacius multitudinem eorum qui ſimul erant congregati, & eam quæ acciderat ægrè ferret ægritudinem: exiſtimabat enim fore vt ij qui conuenerant perturbarentur, ſi viri morbum reſciſcerent, à cuius manu ſe inuenturos ſperabant medicinã: Noli angi animo, inquit ſenex. Si eſt enim neceſſaria ſanitas, eam ſtatim dabit Dominus. Statim ergo poſt hæc verba ad preces conuerſus, & vt ſolebat, & genua & frontem ſolo admouens, rogauit vt aſſequeretur ſanitatẽ, ſi ex ea reditura ſit aliqua vtilitas ad eos qui conuenerant. Nondum finierat preces, & repente multus ſudor profluens extinxit flammam febris. Cùm illic autem liberaſſet multos à morbis omnis generis, profectus eſt ad conuentum piorum. Tranſeunte autem eo per portas regiæ, mendicus quidam, qui clunibus vtebatur pro pedibus, & per terram trahebatur, cùm manum extendiſſet, & eius pallium tetigiſſet, fide quidem morbum exegit, exiliens autem oſtendit ſe æquè currere atque ante morbum: idem faciens quod claudus quem Petrus & Ioannes ſuſcitarunt. Hoc cùm factum eſſet, confluxit totus populus ciuitatis: eratque bellicum gymnaſium plenum ijs qui concurrebant. Pudore autem afficiebantur calumniatores & mendacij artifices: læto autem & tranquillo animo erant alumni veritatis. Ex hinc in domos ſuas trahebant lumen veritatis, ij qui opus habebant vt curarentur. Vir autem quidam cui fuerat maximus mandatus magiſtratus, cuiuſque fidei commiſſus erat clauus Orientis, ad eum miſit rogans vt ad ſe veniret, & à morbo vrgente liberaret. Ille verò acceſsit nihil cunctatus, & communi Domino fuſis precibus, verbo ſoluit ægritudinem, & iuſsit vt Deo ageret gratias. Cùm hæc & talia feciſſet, ſtatuit deinceps reuerti ad ſuæ exercitationis monaſticæ tugurium. Cùm per Cyrum autem iter faceret, diſtat autem hæc ciuitas duorum dierum itinere ab Antiochia, diuertit quidem in ædem præclari martyris Dionyſij. Qui illic autem vero Dei cultui & rectæ religioni præerant, conuenientes ſupplicarunt vt ſibi opem ferret exitium præuiſum expectantibus. Dicebant enim Aſterium qui in ſophiſtica & falſa differendi arte fuerat educatus, & ſe in hæreticorum eccleſiam iniecerat, & epiſcopale munus erat aſſecutus, falſum acriter defendere, & improbo vti artificio aduerſus veritatem: & veremur, inquiebant, ne facundia veluti quadam eſca falſum contegens, & nexus ſyllogiſmorum tanquam quædam retia extendens, capiat multos ex ſimplicioribus: ea enim de cauſa fuit ab aduerſarijs accerſitus. Senex autem, Eſtote, inquit, bono animo, & Deo nobiſcum ſupplicate, orationem & corporis afflictionem precibus adiungentes. His Deum ſic rogantibus, vno die ante diem feſtum ac celebrem, quo verba erat facturus falſi defenſor & hoſtis veritatis, is diuinitus immiſſam accepit plagam, & cùm vno tantùm die ægrotaſſet, exceſsit è viuis, illam, vt eſt probabile, vocem audiens, Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam: quæ autem paraſti retia & laqueos, ijs tu implicaberis, & non alij. Hæc Balaam quoque acciderunt, qui ipſe quoque aduerſus Dei populum accerſitus, cùm impia quædam Balaac aduerſus ipſum cõſuluiſſet, eius dedit pœnas, vt qui ab Iſraelitica dextra fuerit cæſus. Igitur hic quoque, cùm in Dei populum quaſdam callidas excogitaſſet ſententias, per Deum populi vita fuit priuatus. Hanc autem ſalutem Cyrus eſt conſecuta per huius orationem. Hæc autem, quæ narraui, mihi diuinum caput, ille magnus tradidit Acacius: qui pulchre ſciebat omnia quæ ab ipſo facta fuerant. Cùm ergo illinc eſſet profectus, & ad ſuos ſodales reuerſus, & vnà cum eis non paruo tempore eſſet verſatus, ad vitam ſenij & moleſtiæ expertem valde promptè & alacriter tranſijt, vt qui in mortali natura meditatus eſſet impatibilitatem, expectaret autem corporis immortalitatem. Ego autem hic de eo ſiſtens orationem, tranſibo ad alium: rogans ſanctos qui in hanc ingrediuntur narrationem, per ſuam interceſsionem mihi ſupernam conciliare beneuolentiam.

MARCIANVS.

ILLum autem tantopere celebratum Marcianum, quomodo pro rei dignitate admirabimur? Num videlicet eum ſimul coniungentes cum Elia & Ioanne & ſimilibus, qui circumibant in ouinis & caprinis pellibus, egentes, afflicti, vexati, quibus dignus non erat mundus: errantes in ſolitudinibus & montibus & ſpeluncis & foraminibus terræ? Is enim olim patriam quidem habuit Cyrum, cuius prius quoque meminimus: poſt hæc autem ſolitudinem: hac autem & illa relicta nunc habet cœlum. Et illa quidem eum genuit: hæc verò aluit, & victorem effecit: cœlum autem accepit vt coronatum: contempta enim claritate generis. Ducebat enim genus

III. *Huius memẽ nit idem Theodoretus in quarto libro hiſtoriæ eccleſiaſtica.*

à patritijs, & à ſplendore regio. In illis enim florebat, corporis ſpecie & magnitudine accepta ab opifice naturæ, & animo ingenij ſolertia ornato. In Deum autem, & ea quæ ad eum pertinent, totum amorem tranſtulit: & omnibus valere iuſsis, ſolitudinis occupat vmbilicum, & parua extructa domuncula quę ne eius quidem corpori iuſta reſpondebat proportione, cùm eam quodam alio paruo ſepto circundediſſet, incluſus erat aſsiduè, ſeparatus quidem ab omni humana conſuetudine, diſſerens autem cum Domino vniuerſorum, & dulcem illam vocem exaudiens. Diuina enim verſans eloquia, ſe diuina voce frui putabat. Orans autem & ſupplicationes offerens, ipſe loquebatur cum Domino: & cùm ſemper tantis frueretur delitijs, eum nunquam capiebat ſatietas. Audiuit enim diuinum ſpiritum per magnum Dauid pſalentem. Qui meditatur in lege Domini die ac nocte, erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet. Hos fructus deſiderans, iucundiſsimum hunc laborem amplectebatur: & orationem quidem pſalmodia: pſalmodiam autem excipiebat oratio: & vtraque rurſus diuinorum eloquiorum lectio. Cibus autem ei erat ſolus panis, iſq̃ue certa præbebatur menſura. Ea autem erat menſura, vt nec puero quidem nuper ablactato ſatis eſſet. Aiunt enim panis libram in quatuor partes diuiſam, quatuor diebus fuiſſe diſtributam: & vnicuique diei attributam fuiſſe partem vnam. Statuerat enim veſpere comedere quotidie, nunquam autem ſatiari: ſed ſemper quidem eſurire, ſemper verò ſitire: corpori autem ea exhibere quæ ad viuendum ſufficiunt. Dicebat enim, quòd qui poſt multorum dierum inediam capit cibum, in diebus quidem inediæ, officia dominica exequitur imbecillius. Quo autem die rurſus capit cibum, plura, vt eſt conſentaneũ, exhibens, ventrem onerat: is autem grauatus tardiorem reddit animam ad vigilandum. Dicebat igitur eſſe melius veſci quidem quotidie, nunquam autem expectare ſatietatem. Verum enim ieiunium eſt perpetua indigentia. Hanc legem perpetuo ferebat vir ille diuinus, & cùm corpus haberet maximũ, & omnium ſui temporis hominum eſſet & maximus & pulcherrimus, hoc paruo cibo alebat. Cùm autem præterijſſet aliquantum temporis, duos admiſit contubernales, Euſebium qui ſacri illius tugurij fuit hæres: & Agapetum, qui has leges angelicas tranſtulit Apameam. Eſt enim quidam vicus maximus & populoſiſsimus: eſt autem ei nomen Nicerte. In eo ergo conſtruxit duo maxima philoſophiæ gymnaſia, quorum vnum quidem eſt ab eius nomine denominatum: alterum verò ab admirabili Symeone, qui quinquaginta annorum ſpacio refulſit in hac philoſophia. In his in hodiernum vſque diem degunt plus quam quadringenti viri, virtutis athletæ & amatores religionis veriq; Dei cultus, & qui ſuis cœlum coemunt laboribus. Huius autem reipublicæ legiſlatores fuere Agapetus & Symeones, qui leges accepere à magno Marciano. Ab his autem plurima quæ plantata ſunt exercitatorum virtutis habitacula, quæ quidem ijſdem legibus reguntur & inſtitutis, difficile eſt enumerare. Cæterum horum omnium plantator fuit vir ille diuinus. Qui enim pulcherrimum ſemen præbuit, is iure vocari poſsit auctor bonorum quæ naſcuntur. Primum ergo, vt dixi, ſolus voluntarium illum tenebat carcerem. Deinde cùm hos duos admiſiſſet, non habitabãt illi in eadem domo. Neque enim ei ſoli ſufficiebat domuncula, vt quæ eſſet valde parua, & quæ ipſi & ſtanti & recumbenti multum afferret laboris. Neque enim ſtans, rectus ſtare poterat, cùm tectum caput & collum tangeret: neque recubans poterat pedes extendere, cùm domus non haberet longitudinem æqualẽ longitudini corporis. Cùm ergo eis permiſiſſet aliam extruere, iuſsit in ea degere: per ſe autẽ hymnos dicere & orare, & diuina legere eloquia. Cùm autem oporteret eſſe plures huius vtilitatis participes, alio habitaculo eius iuſſu procul extructo, iuſsit eos qui vellent in illo degere. Eorum autem dux erat Euſebius, qui magni Marciani tranſmittebat doctrinam. Diuinus autem ille Agapetus, vt oportuit inſtitutus & exercitatus, & in hac arte athletica optime eruditus, reuerſus eſt, vt dixi, & ſeminauit ſemina quæ à diuina illa anima acceperat. Euaſit autem adeo clarus & illuſtris, vt pontificali ſede dignus ſit habitus, & ei mandata ſit paſtoralis curatio, & eius fidei credita fuerit cura patriæ. Euſebius aũt ille admirabilis, congregati gregis præfectus, & curã Magiſtri ſuſceperat, & ſolus dignus habebatur qui ad eũ in tẽpore ventitaret, & eũ rogaret nunquid vellet. Cũ aũt vellet noctu videre q̃d ageret, auſus eſt ad feneſtrã, erat aũt ea breuis admodum, accedere, & cùm ſe inclinans reſpexiſſet, videt lumen, non ex lucerna, neque quod eſſet manu factum, ſed à Deo datum, & quod ſuperna gratia præceptoris ſui caput circunfulgebat, & diuinorum eloquiorum ſcripturæ oſtendebat intelligentiã: tenebat enim librum, & diuinæ voluntatis ſacroſanctum inquirebat theſaurum. Hoc cùm eſſet contemplatus admirabilis Euſebius, ingenti timore horroreque eſt affectus, & Dei miniſtri diffuſam edoctus eſt gratiam, & Dei in ſuos ſeruos didicit beneuolentiam. Aliquando autem cùm in veſtibulo magnus oraret Marcianus, draco quidam qui reptauerat ſupra parietem verſum ad orientem, deſuper è muro deſpexit, ſimul & hians, & horribiliter intuens, & ſe inuaſurum ſignificans. Procul autem ſtans Euſebius, & illud horrendum ſpectaculum pertimeſcens, & id Magiſtrum ignorare ſuſpicans, illi oſtendit clamans & vt fugeret rogans. Ille autem cùm eum reprehendiſſet, & timorem expellere iuſsiſſet, nam eum quoque eſſe exitiale vitium, digito quidem crucis prius expreſſit figu-

Pſal. 1.

φιλοτιμηθεὶς

ſit figuram, ore autem inſufflauit, & veteres oſtendit inimicitias. Ille autem ſpiritu oris, tanquam igne aliquo, exiccatus, & veluti exectus, inſtar exuſtæ ſtipulæ in multas partes eſt diſſolutus. Vide ergo num imitatus eſt Dominum vt ſeruus beneuolus? Dominus enim cùm aliquando fureret mare in cymbam diſcipulorum, eos autem vidiſſet anxios & perturbatos, non prius maris ſedauit tempeſtatem, quàm increpando diſcipulos, compeſcuit eorum incredulitatem. Hinc doctus hic vir admirabilis, primum expulit timorem diſcipuli, deinde ſic beluam affecit ſupplicio. Talis magni Marciani fuit & ſapientia, & miraculorum effectio, & in Deum fiducia. Sed tamen cùm tanta gratia dignus eſſet habitus, & magna poſſet facere miracula, ſtudebat tamen celare virtutem, prædonis virtutis ſuſpectas habens machinas. Arrogantiæ enim vitium ſubterſeminans, labore collectos fructus conatur eripere. Et cùm ſibi datam vellet celare gratiam, inuitus ad facienda veniebat miracula, cùm eius rectè factorum iubar reſplendeſceret, & quæ occultabatur virtutem aperiret. Quinetiam aliquando contigit vt tale quid fieret. Vir quidam honeſto loco natus, & cui militares magiſtratus ſæpe fuerant mandati, ex Berrhœa Syriæ vrbe proficiſcens, cùm eius filia diu debaccharetur, & à malo dæmone vexata inſaniret, venit in ſolitudinem, cùm eſſet quidem magni Marciani familiaris, ſperaret autem propter priorem cõſuetudinem eum conuenire & rogare. Spe autem falſus, cùm non liceret ei Dei videre ſeruum, rogat quendam ſenem, cui illo tempore diuini illius viri commiſſum fuerat miniſterium, vt paruum lecythum oleo plenum acciperet, & ad oſtium domunculæ poneret. Senex autem ſæpe quidem ſe id facturum inficiatus, ſæpe autem rurſus rogatus, victus eſt à precibus. Cùm autem ſtrepitum magnus ſenſiſſet Marcianus, rogauit & quiſnam eſſet, & quonam opus habens veniret. Is autem veram quidem celabat cauſam, ſimulabat autem ſe veniſſe vt ſciret num iuberet aliquid: & hoc dicens dimiſſus eſt. Cùm autem ſub auroram rurſus pater puellæ rogaſſet, vt ſibi redderetur lecythus, ille timens quidem, iuit tamen cum quàm maximo potuit ſilentio, & porrecta manu, & accepto lecytho, cupiebat latere. Is autem rurſus rogauit quidnam volens veniret. Poſtquam autem eandem dixit cauſam quam etiam veſpere præ ſe tulerat, ægre ferens homo Dei vtpote quòd præter conſuetudinem fuiſſet eius aduentus, iuſsit vera dicere. Ille autem timens & contremiſcens, cùm non poſſet eum latere, qui plenus erat Dei gratia, dixit & quis eſſet qui ſupplicabat, & eum morbi docuit tragœdiam, & oſtendit lecythum. Is autem ſuccenſuit quidem, vt eſt conſentaneum, quòd nollet virtutem oſtendere. Minatus tamen quòd ſi hæc rurſus auderet, & ab illa priuabitur conſuetudine, & ei auferetur miniſterium, erat autem maxima iactura ijs qui queſtum ſciebant, remiſit, iubens reddere ei qui dederat. Et Marcianus quidem hæc iubebat: Dæmon autem qui aberat iter quatuor dierum, eius qui exigebat vociferabatur virtutem: & Marcianus Berrhœæ functus eſt officio iudicis, quibuſdam lictoribus vſus aduerſus dæmonem, & illum ſceleratum expellens, & puellam mundam reddens ab illa vexatione. Hoc autem exactè ſciuit pater puellę. Ei enim reuertenti, cùm pauca ſtadia abeſſet ab vrbe, occurrit quidam ſeruus à domina in agrum miſſus. Is cùm vidiſſet dominum, miraculi facti attulit nuncium, quatuor antè diebus dicens factũ eſſe miraculum. Diebus ergo ſupputatis, & tempore rectè examinato, didicit illud fuiſſe in quo ſenex attulit lecythũ. Mihi autem venit in mentem cogitare, quid non feciſſet ille vir magnus ſi voluiſſet facere miracula. Si enim etiam cùm ſtuderet celare quam acceperat virtutem, tantum oſtendit ſplendorem: quod non miraculum feciſſet ſi voluiſſet? Sic autem ſpiritalem quoque ſuam ſapientiam non oſtendebat omnibus. Itaque cùm poſtremo poſt diem feſtum ſalutaris paſsionis & dominicæ reſurrectionis, permiſiſſet ijs qui volebant ad ſe ingredi: illo certè tempore omnes ſtudebant eum videre. Atque ad eum aliquando congregati primi veniebant pontifices. Flauianus ille magnus, cuius fidei erat credita paſcenda Antiochia: & diuinus Acacius, cuius prius quoque meminimus: & Euſebius Chalcidenſis epiſcopus: & Iſidorus cui tunc erat commiſſa Cyrus gubernanda, qui erant virtute inſignes. Vnà autẽ cum illis erat etiam Theodotus qui tenebat habenas Hierapolitanorum eccleſiæ, clarus monaſtica exercitatione & manſuetudine. Erant autem nonnulli quoque ex magiſtratibus, incenſi ardore fidei. Omnibus ergo cum ſilentio ſedentibus, & ſacram illam vocem expectantibus, ipſe quoq; diu tacens ſedebat, lingua quidem ocioſus, auribus autem promptus. Tunc aliquis ex ijs qui ſedebant, qui erat ei familiaris propter curam animæ, & alioqui auctoritate & dignitate clarus, Omnes, inquit, ò pater, diuini hi patres, ſitientes expectant ſuauiſsima tuæ doctrinæ fluenta. Omnes ergo præſentes impertias vtilitate, nec claudas riuos tuæ beneficentiæ. Ille aũt cùm valde ingemuiſſet, Deus, inquit, vniuerſorum quotidie loquitur per creaturas, & per diuinas ſcripturas diſſerit & monet ea quæ oportet, & inducit ea quæ ſunt vtilia: terretque minis & adhortatur promiſsis: & ex his nullam capimus vtilitatem. Quemadmodum ergo loquens profuerit Marcianus, qui tantam vtilitatem amittit cum alijs, & commodum non vult ex eis capere? Hinc factum eſt vt multi quidem ſermones mouerentur à patribus, quos inſerere narrationi duxi ſuperuacaneum. Cùm autem ſurrexiſſent & oraſſent, & ad conferendum ſacerdotij ordinem vellent ei manus imponere, rurſus ei manus admouere ſunt veriti: & hic quidem illi, ille verò huic iubebat. Cùm omnes autem id ſimul recuſaſſent,

ſaſſent, redierunt. Sed enim volo his quoque aliam addere narrationem, qua cognoſci poterit diuina eius prudentia. Auitus quidam, primus in ſolitudine, gratia monaſticæ exercitationis, fixerat tugurium. Id autem magis quàm hoc vergit ad ſeptentrionem, & aliquantum ſitum ad orientem, ſpectat ventum Aparctiam qui eſt proximus ſubſolano. Is magno Marciano erat & tempore & labore antiquior, vir autem philoſophus, & in vita dura & aſpera educatus. Is cùm de viri virtute quæ vbique celebrabatur audijſſet, ratus tale ſpectaculum eſſe ſilentio & quiete vtilius, accurrit ſtudens videre eum quem deſiderabat. Cùm autem eius aduentum magnus ſciuiſſet Marcianus, oſtio aperto eum ad ſe admiſit. Admirabili autem præcepit Euſebio vt & legumẽ coqueret & olus, ſi haberet. Poſtquam verò mutuum inter ſe colloquendi expleſſent deſiderium, & alter alterius virtutem didiciſſet, nonæ ſimul peregerunt officium. Venit autem Euſebius menſam ferens, & panem afferens. Magnus autem Marcianus diuino dixit Auito. Adeſdum omniũ mihi amiciſsime, & huic menſę ſimus ſimul participes. Ille verò, Neſcio, inquit, me vnquam cibum ſumpſiſſe ante veſperam: ſæpe autem duos & tres dies ſimul maneo ieiunus. Magnus autem Marcianus, Mea ergo, inquit, cauſa hodie mutetur conſuetudo. Nam cùm ſim corpore imbecillo, non poſſum expectare veſperam. Poſtquam autem hæc dicens non perſuaſit admirabili Auito, ingemuiſſe dicitur & dixiſſe. At ego, inquit, animo angor & valde crucior, quòd tantum laborem ceperis vt virum aliquem laborioſum videres & philoſophum, ſpe autem falſus, cauponem videris aliquem profuſe & delicate viuentem. Cùm ex his autem moleſtia eſſet affectus Auitus, & dixiſſet ſe malle veſci carnibus quàm hæc audire, dixit magnus Marcianus. Nos quoque ò amice, eandem quam tu vitam perſequimur, & amplectimur eandem viuendi rationem: & quieti labores præferimus: & ieiunium magis expetimus quàm cibum, eumque nocte aduentante capimus: ſed ſcimus charitatem eſſe ieiunio præſtantiore. Charitatis enim opus à lege diuina præcipitur. Ieiunium autem eſt poteſtatis noſtræ & arbitrij. Oportet autem exiſtimare diuinas leges eſſe noſtris longe præſtantiores. Hæc cùm inter ſe inuicem diſſeruiſſent, & parum cibi ſumpſiſſent, & Deum laudauiſſent, & tres dies ſimul verſati eſſent, rurſus ſunt ſeparati, videntes ſe inuicem ſpiritu. Quis ergo non admiretur huius viri ſapientiam, à qua gubernatus, ſciebat quidem tempus ieiunij, ſciebat autem etiam fraternæ charitatis: ſciebat virtutis quoque partium differentiam, & quamnam cuinam cedere oporteat, & cuinam in tempore danda ſit victoria. Poſſum autem aliud quoque narrare quo eius cognoſcatur in diuinis perfectio. Ad eũm enim ex patria venit ſoror cum filio, qui & vir erat & vrbis Cyri facile princeps, ea quæ ei vſui erant abunde afferens. Is autem ſororem quidem videre non eſt paſſus, ſororis autem admiſit filium: erat enim id tempus definitum quo eum licebat conuenire. Cùm autem eum rogarent vt acciperet quæ allata fuerant, Per quot, inquit, monaſteria tranſiſtis, & quænam ex his, eis ipſis impertijſtis? Cùm is autẽ dixiſſet ſe nulli dediſſe, Abite, inquit, cum ijs quæ attuliſtis. Nos, inquit, nullo horum egemus, nec ſi egeremus acciperemus. Naturalis enim cognationis, non autem diuinæ pietatis & ſeruitij curam gerentes, hanc exercetis in nos beneficentiam. Si enim non honoraretis ſolam generis neceſſitudinem, non ea quæ attuliſtis nobis ſolis impertijſſetis. Hæc dicens, filium ſororis dimiſit cum ſorore, iubens vt nihil acciperetur ex ijs quæ attulerant. Ita erat extra naturam, & in cœleſtem migrarat viuẽdi rationẽ. Quodnam enim aliud afferri poteſt exemplum apertius, quod Deo eſſet dignus, conuenienter ipſius Dei voci? Qui non relinquit enim, inquit, patrem & matrem & fratres & ſorores, & vxorem & filios, non eſt me dignus. Si autem qui non relinquit eſt indignus: qui relinquit, & tam accurata exactaque vtitur perfectione, clarum eſt eum fuiſſe digniſsimum. Ego præter hæc admiror quoque eius in diuinis decretis ſummam perfectionem. Abhorrebat enim Arij inſaniam, quæ à poteſtate imperatoris accendebatur illo tempore. Abominabatur etiam amentiam Apollinaris. Fortiter autem & ſtrenue decertabat aduerſus eos qui cum Sabellio ſentiebant, treſque hypoſtaſes ſeu perſonas in vnam cogebant. Valdequoque auerſabatur eos qui nominantur Euchitæ, qui in habitu monaſtico laborabant morbo Manichæorum. Erat autem adeo feruens eius zelus pro decretis eccleſiaſticis, vt etiam aduerſus virum admirandum & diuinum, iuſtam pugnam ſuſceperit. Erat Abraames quidam ſenex in illa ſolitudine, vir canis quidem pilis, ſed magis cana prudentia, omni virtute clarus, & vberes ſemper profundens lachrymas compunctionis. Is in principio à quadam inductus ſimplicitate, primum paſcha peragere ſuſtinuerat: ignorans quidem, vt eſt veriſimile, quæ de eo Niceæ à patribus conſtituta fuerant, antiquæ autem ſeruire malens conſuetudini. Multi autem alij laborabant eo tempore eadem quoque ignoratione. Sed magnus Marcianus, multis quidem ſæpe verbis vſus, conatus eſt ſenem Abraamen (ita enim eum appellabant qui in ea habitabant regione) vt cum eccleſia conſentiret, traducere. Cùm autem vidiſſet non parere, aperte deſtitit cum ipſo communicare. Sed procedente tempore, ille quoque vir diuinus abiecta macula, in feſto celebrando amplexus conſenſum eccleſiæ, vere pſallens cecinit. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. Hoc autem effectum eſt à magni Marciani doctrina. Ei multi quidem vbique ædificabant oratoria. In Cyro quidem, eius ſororis filius Alypius. Zenobia autem quædam

Matth. 10.

Pſal. 118.

dam in Chalcide, quæ & genere erat clara, & inſignis virtute, & magnas habebat diuitias. Alij quoque non pauci hoc faciebant, victoria parta illuſtrem illũ athletam rapere contendentes. Hoc cùm noſſet homo Dei, rogat admirabilem illum Euſebium, omni terrore plenum illi offerens iuſiurandum, vt corpus in illo loco deponeret, & nemo ſepulchrum dignoſceret præter duos qui ſimul habitabãt familiariores, donec præterijſſet magnus annorum numerus. Hoc autem iuſiurandũ impleuit homo ille admirabilis. Poſtquam enim inſignis illius victoris venit finis, & chorus angelorum ſacram illam & diuinam animam ad cœleſtes tranſtulit manſiones, non prius eius ſignificauit obitum, donec cum duobus ex familiarioribus facta foſſa, & corpore depoſito, complanauit terræ ſuperficiem: & qui inquaginta annis vel pluribus elapſis, cùm innumerabiles concurriſſent & corpus ſcrutati eſſent, ignotum manſit ſepulchrum. Poſtquam autem vnumquodque ex prædictis oratorijs, vnum quidem apoſtolorum, alterum verò martyrum accepit reliquias, ſecurè deinceps illius tabernaculi & doctrinæ hæredes, cùm duobus antè annis arcam conſtruxiſſent lapideam, in ea poſuerunt preciſi corporis reliquias, cùm vnus oſtendiſſet ſepulchrum. Is enim ſolus ſupererat ex illis tribus. Cùm illius autem fuiſſet virtutis æmulator Euſebius admirabilis, longo tempore corpus perpetuo affligebat. Nam cùm centum & viginti ferri libras corpori haberet impoſitas, ſibi quoque impoſuit alias diuini Agapeti quinquaginta. Adiecit autem magni quoque Marciani alias octoginta. Habebat autem oratorium, lacum quendam in quo nulla aqua remanſerat. Tribus autem annis perpetuis hoc modo vitam tranſegit. Ad hæc autem dicenda ſum digreſſus, cùm vellem oſtendere quot & quantarum rerum recte & ex virtute geſtarum auctor & procurator fuerit Marcianus. Huius autem philoſophiæ fructum quoque percepit admirandus ille Baſilius, qui multis poſtea temporibus, apud Seleucobelum, eſt autem vrbs Syriæ, monaſticum extruxit habitaculum, & clarus quidem fuit in multis generibus virtutum, inſigniter autem fuit clarus in ea quæ Deo longe eſt gratiſsima poſſeſsione charitatis, & in diuino opere hoſpitalitatis. Quàm multos autem hic quoque Deo exhibuerit operarios, citra pudorem, vt Apoſtolicè dicam, verbum tractantes veritatis, quis facile enumerauerit? Nam vt alios in præſentia prætermittam, qui ſunt quidem laude digni, nimis autem prolixam redderent narrationem, huius vnius & ſolius meminero. Fuit quidam qui ad eum ventitabat, eum autem appellabant Sabinum, qui corpus conſumpſit laboribus innumerabilibus. Neque enim panis, neque obſonij fuit alicuius particeps: cibus autem erat ei farina aqua madefacta. Conſueuerat autẽ is totum vnius menſis miſcere nutrimentum, vt ſitum contraheret, & tetrum odorem emitteret. Volebat autem hoc genere alimenti hebetare ſui corporis appetitiones, & efficere vt fœtore nutrimenti flacceſceret voluptas. Cùm autem per ſe ſic degeret, ſi quis ex familiaribus ad eum accederet, ſimpliciter & citra diſcrimen veſcebatur ijs quæ apponebantur. Tantam autem diuinitus gratiam acceperat, vt mulier quædam Antiochena nobilis, cuique & genus & opes ingentes faciebant ſpiritus, ad eum accurrerit, & ei ſupplicarit vt opem ferret filiæ quæ vexabatur à dæmone. In ſomnis enim, inquiebat, vidi quendam iubentem vt huc accurrerem, & precibus præſidis monaſterij ſalutem filiæ procurarem. Dicebat ergo is qui reſponſa dabat, non ſolere præſidem loqui cum mulieribus. Cùm autem inſtaret mulier, lachrymans, & eiulans, & graviter vociferans, egreſſus quidem eſt præfectus monaſterij. Dicebat autem mulier non eſſe ipſum: fuiſſe autem alium ſibi oſtenſum ſubrubicundum, qui puſtulas quaſdam habebat in genis. Vbi autem cognouerunt eum qui quærebatur, erat autem is tertius monaſterij, non primus, eum perſuaſum adduxerunt ad mulierem. Protinus autem illa quidem agnouit faciem: malus autem dæmon vociferans reliquit puellam. Hæc præclara fecerunt facinora magni Marciani diſcipuli. Tales vbique plantas plantauit plantator optimus. Ego autem huic narrationi rurſus finem imponens, rogo & quæſo vt per horum omnium interceſsionem diuinum conſequar auxilium.

EVSEBIVS.

IIII. Huius Euſebij meminit idem Theodoretus in quarto libro hiſtoriæ eccleſiaſtica.

QVales quidem Deo obtulerit fructus deſertum ſterile, nempe pulchros, & maturos, & ei qui plantauit gratos, & ijs qui ſapiunt hominibus charos & maximè expetendos, oſtendimus in ijs quæ iam ſcriptæ ſunt narrationibus. Ne quis autem exiſtimet virtutem eſſe loco circumſcriptam, & ſolam ſolitudinem eſſe aptam ad tales ferendos redditus, age tranſeamus deinceps oratione ad terram quæ habitatur: & oſtendamus ad parandam philoſophiam eam minimè eſſe impedimento. Eſt mons altus, qui Antiochię quidem ſitus eſt ad orientem: Berrhœæ autem ad occidentem, omnes autem montes propè ſitos ſuperat: in ſummo autem cacumine imitatur figuram conoeidem, ab altitudine autem accepit denominationem. Κορυφὴν enim, id eſt verticem, eum ſolent appellare accolæ. Olim in eius ſummo vertice erat templum dæmonum, quod apud vicinos in magno erat honore. Subtus autem ad meridiem patet campus, ſinus præ ſe ferens figuram, qui vtrinque coercetur vlmis non admodum altis. Pertinent autem eæ vſque ad viam qua equitatur, quæ vtrinque à meridie ad ſeptentrionem ſectæ ſunt, ſemitas excipientes. In eo autem ſunt conſtructę villę & magnę & paruæ, continentes ijs qui ſunt vtrinque montibus. Propter ipſas autem excelſi montis oras, eſt quidam vicus maximus & populo frequentiſsimus: vocabulo

vocabulo autem regionis eum vocant Teledam. In ſuperiori autem parte lateris montis, eſt quidam ſaltus non admodum accliuis, ſed qui modicè inclinatur, ſpectans ad illum campum & ventum auſtrum. In eo, philo-
Gymnaſium. ſophiæ gymnaſium extruxit quidam Ammianus, vir qui cùm multis quidem alijs virtutibus eſſet clarus, tum ſumma modeſtia ſuperabat alios. Hoc autem ſatis eſt argumenti. Etenim cùm ad doctrinam non ſolum ſuis ſodalibus, ſed vel bis totidem alijs poſſet ſufficere, ſæpe ad magûm accurrebat Euſebium, rogans & ſupplicans vt is eſſe vellet adiutor, pædotriba, & magiſter eius paleſtrę quam fundauerat. Aberat autem vigintiquinque ſtadijs, in quodam valde paruo habitaculo, & quod nec feneſtras quidem habebat, incluſus. Eum autem ad hanc virtutem deduxerat Martianus, eius quidem patruus, fidelis autem Dei ſeruus. Sufficit enim hoc dicere, cùm etiam magnum Moſem hoc cognomine honorarit Dominus. Hic Martianus cùm diuinum guſtaſſet amoré, noluit ſolus frui bonis: ſed multos etiam fecit alios in amore ſocios. Venatus eſt autem & magnum Euſebium, & eius fratrem qui in vita verè quoque erat frater. Non exiſtimauit enim rationi eſſe conſentaneum, vt eos quidem qui ad eum nihil attinebant venaretur ad virtutem, fratres autem non itidem. Hos ergo ambos cùm in parua incluſiſſet domuncula, eos euangelicam vitæ docebat rationem. Sed fratrem quidem morbus inuadens, illum curſum interrupit: morbum mors autem eſt conſecuta. Nam cùm paucis diebus vixiſſet poſtquá illinc eſt egreſſus, vitæ finem accepit. Permanſit autem magnus Euſebius toto tempore vitæ patrui, neque cum vllo loquens, neque lucem intuens, ſed perpetuo incluſus: & poſt illius mortem hanc vitam eſt amplexus, donec admirabilis ille Ammianus, ei multis delinito precibus perſuaſit. Dic enim mihi, ad illum dicebat, ò optimè, Cuinam placere exiſtimans, laborioſam hanc ſordidamque & ſquallidam vitam es perſecutus? Cùm autem, vt par eſt, is vtiq; dixiſſet, Deo qui eſt virtutis legiſlator & magiſter. Quoniam ergo eum amas, inquit Ammianus, ego tibi modum oſtendam, per quem & amorem magis accendes, & ei quem amas ſeruies. Nam quòd omnis tua cura & induſtria in teipſum conuertatur, non effugiet, vt ſentio, crimen nimij in teipſum amoris. Lex enim diuina iubet proximum amare vt teipſum. Multos autem opum ſumere participes, hoc eſt proprium veri muneris charitatis. Hanc autem diuinus Paulus appellauit le-
Rom. 13. gis plenitudinem. Rurſus quoque clamat. To-
Galat. 5. ta lex & prophetæ in hoc ſermone in ſummam rediguntur, nempe, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Porrò autem Dominus
Ioan. 21. quoque in ſacris euangelis, Petro qui confeſſus eſt eum amare plus alijs, præcepit paſcere oues ſuas. Eos autem qui hoc non fecerunt
Ezech. 34. reprehendens, clamat per prophetam: ò paſtores, Non ſeipſos paſtores paſcunt, non oues? Et ideo magnum quoque Eliam qui hanc vitam perſequebatur, iuſsit verſari in medio impiorum: & ſecundum Eliam, tantopere celebratum Ioannem, qui amplectebatur ſolitudinem, tranſmiſit ad ripas Iordanis, illic baptizare iubens & prædicare. Quoniam ergo tu quoque es Dei qui te fecit ardens amator, multos quoque tecum alios effice amatores. Hoc enim eſt valde gratum communi Domino. propterea Ezechielem quoque appellauit ſpeculatorem, & peccatoribus iuſsit teſtificari: & Ionam iuſsit currere Niniuem: & nolentem tranſmiſit in vinculis. Cùm hæc diceret & ſimilia, diuinum virum manſuefecit, & voluntario illo effoſſo carcere, eduxit & abduxit, & ſuorum ſodalium ei curam tradidit. Ego autem neſcio vtrum plus admirer, huiuſne moderationem, an alius obedientiam; & quòd ab eo ſit perſuaſus. Is enim fugiebat principatum, & magis volebat eſſe ex ijs qui parebant, vt qui prefecturæ formidaret periculum: & magnus Euſebius auerſabatur quidem cum pluribus conuerſationem, ceſsit tamen, & captus retibus charitatis, ſuſcepit curam gregis, & duxit chorum: non multis verbis opus habens ad docendum. Sufficiebat enim vel ſolus aſpectus, vt vel longè tardiſsimum celerem efficeret ad curſum virtutis. Dicunt autem qui viderunt, eum ſemper habuiſſe grauem vultum, & qui poterat timorem afferre ſpectantibus. Cibum autem ipſe quidem capiebat tertio & quarto quoquo die. Ijs autem qui ſecum habitabant iubebat veſci alternis diebus. Præcipiebat autem cum Deo aſsiduè colloqui, & nullum tempus relinquere vacuum ab hac operatione: ſed communiter quidem præfinita exequi officia: partes autem diei quæ inter hæc intercedunt, vnumquemque per ſe, vel ſub aliqua vmbra arboris, vel propter petram aliquam, vel vbicunque quieſceret aliquis, vel ſtantem, vel humi iacentem, rogare Dominum, & petere ſalutem. Ita autem vnamquamque ex partibus corporis edocuit virtutẽ, vt illa faceret quę ſola permittit ratio. Vt autem hoc reddam manifeſtum omnibus, mentionem faciã vnius eius narrationis. Sedebat ſuper quandã petram ipſe & Ammianus ille admirabilis: & diuinorum euangeliorum hiſtoriam, alter quidẽ legebat, alter verò eorũ quæ erant obſcuriora explicabat ſententiam. Cùm aũt quidam agricolę in ſubiecto campo terram colerent, ad hanc contemplationem magnus tractus eſt Euſebius. Cùm autem diuinus Ammianus legiſſet locum euangelicum, ſciſcitaretur aũt interpretationem, iuſsit magnus Euſebius vt repeteret lectionem. Cùm is autem dixiſſet, Iis qui arant fortè delectatus, minimè exaudiſti, vt eſt veriſimile: ſuis deinceps oculis legem tulit, vt neque campum illum vnquam contemplarentur, neque cœleſti pulchritudine, & chori aſtrorum aſpectu fruerentur: ſed anguſtiſsima vtẽs ſemita, cuius menſuram aiunt fuiſſe vnius palmi, ferente ad oratoriũ, extra eam deinceps egredi non

di non eſt paſſus. Dicũt autem eum pluſquam quadraginta annis vixiſſe poſt hanc legem. Vt autem cum animi ſui ſententia ad hæc quoque eum traheret aliqua neceſsitas, cùm lumboszona ferrea alligaſſet, & grauiſsimum collare collo impoſuiſſet, aliquo alio ferro coniunxit zonam collari qui erat collo impoſitus: vt hoc modo inclinatus conaretur aſsiduè in terram deſpicere. Has ipſe de ſe exegit pœnas: quòd illos eſſet contemplatus agricolas. Hoc autem & multi quidem alij me docuerunt ex ijs qui illum nouerunt, & res eius optime ſciuerunt, narrauit autem ſenex quoque magnus Acacius, cuius prius quoq; meminimus in alijs narrationibus. Dixit autem ſe eum quoque aliquando interrogaſse cùm eum ſic vidiſset incuruatum. Quamnam capiens vtilitatẽ, neque cœlum patiatur aſpicere, neque campum illum ſubiectum contemplari: neque ex anguſta illa via egredi: eum autem dixiſse ſe hæc moliri aduerſus maligni dæmonis machinationes. Nam ne, inquit, de magnis bellũ gerat, conans auferre temperantiam & iuſtitiam, & iram armans, & cupiditatẽ accendens, & vt faſtu efferar & ſuperbia intumeſcam efficiens, & quæcunque aduerſus eã machinatur animam, conor hoſtem ad hæc parua traducere: in quibus etiam ſi vicerit, non magnum affert detrimentum: & ſi victus fuerit, euadit magis ridiculus, vt qui ne in paruis quidem poſsit euadere ſuperior. Quoniã ergo noui hoc bellum minus periculoſum, nõ valde enim feritur qui in his damni aliquid accipit: Quod enim damnum eſt vel videre campũ, vel in cœlum oculos attollere: ad hoc me genus pugnæ tranſtuli. In hac enim me nec ferire poteſt nec perimere. Non ſunt enim hęc iacula lethifera, vt quę illis ferreis careant aculeis. Hæc ſe audiuiſſe dixit magnus Acacius, eiusque ſe admiratum eſſe ſapientiam, virtutemq; bellicam & experientiam. Quamobrem hoc quoque narrabat eis qui talia diſcere cupiebant, vt & admirabile & dignũ quod mandetur memoriæ. Hæc eius gloria cùm in partes omnes vndiq; peruaderet, ad ſe attraxit omnes virtutis amatores. Venerunt autem diuiniſsimi quoque Iuliani, ſenis, cuius prius perſecuti ſumus narrationem, qui optimi gregis erant perfecti. Poſtquam enim vir ille diuinus, fine vitæ accepto, migrauit ad vitam ſupernam, ad magnum accurrerunt Euſebium, melius eſſe rati rectè regi quàm regere & præeſſe. Iacobi autem, cuius prius quoque iam memini, cùm ſummatim eius oſtendi virtutem, nunc quoque euidens argumentum oſtendam ſummæ eius philoſophiæ. Poſtquam ille diuinus hinc excedens Euſebius, iuſsit eum preeſſe gregi, & recuſans curationem, non perſuaſit cupientibus eum hanc curam ſuſcipere, abijt ad alium gregem, malens paſci quã paſcere, & cùm plurimo tempore ſuperuixiſſet, hanc vitam ſic finijt. Suſcipit itaque illã præfecturam Agrippa, vir qui & multis alijs ornatus erat bonis, præcipuè autem puritate animæ: per quam & diuinæ pulchritudinis viſionem aſsidue apprehendens, & illius amoris igne accenſus, irrigabat genas perpetuis lachrymis. Cùm is autẽ longo tempore electum illum & diuinũ gregem rectè pauiſſet, deinde è vita exceſsiſſet, Dauides ille diuinus, cuius aſpectu mihi quoque frui cõtigit, ſuſcepit prefecturam: vir qui re vera, ex diuini apoſtoli ſententia, mortificauerat membraquę ſunt ſuper terrã. Tantum enim fructũ ceperat ex doctrina magni Euſebij, vt quadraginta quinq; annos egerit in illo monaſterio, abſque ira autem & excandeſcentia toto hoc tempore vixerit. Neque enim poſt ſuſceptam præfecturam vidit eum aliquis ſuperatum ab hac animi perturbatione, idque cùm, vt eſt veriſimile, eſſent innumerabilia quæ cogerent. Centum enim & quinquaginta viri paſcebantur ab illius dextera: aliqui quidem ſumma & excellenti virtute, & eam quæ eſt in cœlo viuendi rationem imitantes: alij verò qui pennas tunc primum producebant, & terrã tranſilire & ſuperuolare docebantur. Et tamen cùm tot eſſent qui diuina docebantur, & aliquid, vt eſt veriſimile, delinquerent, neque enim facile fieri poteſt, vt qui modo vẽtitat, rectè ſe gerat in omnibus, manſit immobilis vir ille diuinus tanquam incorporeus, nulla eum occaſione ad iram excitante. Hoc enim non ſolum accepi ex auditione, ſed etiam ex experientia. Nam cùm aliquando deſideraſſem videre illum gregem, acceſsi habens etiam alios ſocios peregrinationis, qui eandem quam ego vitam amplectebantur. Toto ergo tempore hebdomadæ apud illum virum diuinum degentes, vidimus eius vultum nullam accipere mutationem, neque nunc quidem hilaritate diffundi, nunc verò triſtitia contrahi. Oculos quoque ſimiliter, non aliquando quidem truces ac toruos, nunc verò lætos: ſed in eodem ſemper honeſti decorique tenore permanere. Hi autem ſufficiunt ad arguendum animi tranquillitatem. Sed veriſimile eſt exiſtimaturum quempiã eum talem eſſe viſum, quòd nulla eum moueret cauſa. Quamobrem neceſſe habeo eiuſmodi quid narrare quod accidit, cùm nos illic eſſemus. Sederat apud nos vir ille diuinus de philoſophia agitans rationes, & quærens id quod eſt ſummum euangelicæ vitæ inſtitutionis. Cùm autem interceſsiſſent eiuſmodi ſermones, Publius quidam, genere quidem Romanus, moribus autem ipſe quoque admirandus, & ſacerdotij honore præditus, & illius præfecturæ ſecundas partes obtinens, ad nos venit aduerſus diuinum Dauidem vociferans, & commune damnum illam nominãs lenitatem: & omnibus perniciem afferre dicens eius manſuetudinem, & amentiam, non modeſtiam, ſummam illam vocans philoſophiam. Ille autem habens animam veluti adamantinam, accipiebat quidem rationes, nõ pungebatur autem ab ijs quæ ſua natura ſolent pungere: vultum itaque non mutauit, neque ſermonem inſtitutum dimiſit, ſed cum leni voce & verbis ſerenitatem animæ ſignificantibus, illum ſenem dimiſit: rogans eum vt eorũ quæ vellet

curam gereret. Ego autem cum his qui ad nos venerunt loquor, vt vides, existimans necessarium esse hoc officium. Quomodo ostenderit quis melius animi lenitatem? Eum enim cui illa credita erat præfectura, talem accepisse contumeliam ab eo qui tenebat secundas partes, præsentibus maximè hospitibus, & maledictum audientibus, & nullam iræ subijsse tempestatem & perturbationem, quam non magni & excelsi animi virtutē superat & fortitudinem? Ac diuinus quidē Apostolus considerans humanæ naturę imbecillitatem, eam quam fert legem, natura metiens. Irascimini, inquit, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nam cùm iræ quidem motus nosset esse naturæ, non nostri arbitrij, noluit lege ea decernere quæ essent laboriosa, & forte etiam eiusmodi vt fieri non possent: sed motui naturæ & iræ tempestati mensuram præfinijt, diem: iubēs rationi vt eam compescat, & tanquam freno reprimat, & non concedat progredi vltra terminos. Vir autem hic diuinus vltra leges quæ latæ sunt decertauit, & septa transilijt: non vsq; ad vesperam iræ vt moueretur concedens, sed nec vt moueatur quidem omnino permittens. Talem fructum accepit is ex magni Eusebij consuetudine. Vidi multos quoque alios in illo tugurio qui huius philosophiæ amatores fuere & ęmulatores: alios quidem in flore corporis: alios verò etiā in profunda senectute. Nam cùm plus quàm nonaginta annis vixissent homines, laboriosam vitam noluerunt relinquere, sed insignes fuere obeuntes labores iuuentutis, noctu quidem & interdiu Deū laudantes, & sacra illa officia peragentes: post duos autem dies vilibus illis cibis vescentes. Vt alios autem prætermittam, qui non sunt quidem digni qui fileantur, sed vel maximè laudētur & celebrentur: sed ne sit prolixior quàm par sit narratio, in diuino illo loco fuit quidam, eum autem Abbatem nominant, qui ex Ismaelitide quidem radice germinauit, non fuit autem eiectus à domo Abrahæ, vt is à quo genus duxerat, sed paternæ hæreditatis fuit cum Isaac particeps, vel potius ipsum rapuit regnum cœlorum. Is Monasticę huius exercitationis protinus attigit institutionem apud quendam qui tūc habitabat solitudinem, qui eos optimè exercebat: erat autē ei nomen Marosas. Post hæc autem ille quoque alijs præesse desistens, ad hunc cum Abbate venit gregem: nec paruo vixit tempore, sed cùm præclare decertasset, & insignis euasisset, excessit ex hac vita. Hic autem illic quidem fuit continuos triginta & octo annos: ita autem desiderabat laborare, vt qui modo laborare cœpisset. Nam in hodiernum vsque diem pedes nunquam texit calceis. Cùm est autem frigus, in vmbra sedens, in æstu solem suscipit, & tanquam aurā zephyri, quæ ex eo procedit flammam excipit. Toto autē hoc tempore, aquam potare non passus est: non illa comedens quæ ijs exhibentur, qui ad non bibendum se exercent: solent enim ij vti cibis humidioribus: sed ijs vtens cibis quibus alij. Verùm pauca comedens & quæ modicas ei vires afferunt, existimat vsum aquæ superuacaneum. Graui autem ferro lumbos succinctus, raro quidem sedet, noctu autem, & maiori parte diei vel stans vel flectens genua, offert Domino officium precationis: vsu autem accubitus se omnino priuauit. Nemo enim in hodiernum vsque diem eum vidit cubantem. Quinetiā cùm est chori renuntiatus Coryphæus, & ei cōtingit vt præsit, totum hunc laborem fert prompto & alacri animo, se ijs qui eius parent imperio præbens exemplar philosophiæ. Tales victoria insignes decertatores, diuinus Eusebius, horum certaminum pædotriba & exercitator, exhibuit Domino: & cùm alios quoque plurimos tales fecisset, eos transmisit doctores ad alias palæstras, qui totum illum sacrum montem diuinis his pratis & suauem emittentibus odorē impleuere. Nam cùm ad Orientem ab initio fuisset illius exercitationis monasticæ tugurium, licet videre eius philosophiæ fœtus ad Occidentem & Meridiem, veluti quasdam stellas circa lunam choros ducentes: & alios quidem Greca, alios verò eius in qua habitant regionis voce, laudantes creatorem. Sed enim id aggredior quod fieri non potest, cupiens omnia persequi quæ à diuina illa anima recte gesta fuere. Huic ergo narrationi finis est imponendus, & ad aliam conuertenda est oratio, & rursus est addenda quæ illinc capitur vtilitas, cùm horum magnorum virorū benedictionis rogauerimus vt simus participes.

Psal. 4.

PVBLIVS.

V. *Huius meminit Theodoretus lib. 4. historiæ ecclesiasticæ.*

EOdem tempore fuit quidam Publius, & propter formam spectatu dignus, & anima præditus quæ formæ conueniebat, vel potius eam ostendens corpore magis admirabilem. Is ex senatorio quidem ordine ducens originem, natus autem ex ciuitate apud quam Xerxes ille, cuius vbiq; est fama tam celebris, in Greciam bellum gerens, & volens exercitu fluuium Euphratem transmittere, nauiū congregata multitudine, ijsdem inter se coniunctis, & hoc modo super fluuium ponte constructo locum zeugma, id est coniunctarum appellauit, & ciuitatem ex re denominauit. Ex ea ortus & ex tali genere procreatus, altum locum occupat, qui distabat ab vrbe non plus quàm triginta stadijs. In eo cùm quādam paruam extruxisset domunculā, omnia quidem vendidit quæ à patre acceperat, domum, inquam, & possessiones, & greges, & vestes, vasaque argentea & ænea, & si quid erat cum his aliud. Et cùm ex lege diuina ea diuisisset ijs quibus oportebat, & se ab omni cura terrena liberasset, illam vnam curam suscepit pro omnibus, nempe vt ei seruiret qui eum vocauerat: eamque animo perpetuo versabat: noctu diuque considerans & perscrutans quemadmodum eam augeret. Ea de causa ei labor crescebat quotidie, ampliorque & intensior euadebat in dies, eratque dulcis & voluptate plenus,

plenus, & procul expellens satietatem. Nemo enim eum vnquā vidit quiescentem vel minima parte diei, sed psalmodiā quidem oratio, orationem verò psalmodia; vtrunque autem excipiebat diuinorū eloquiorum lectio. Deinde cura hospitū venientum. Deinde fiebat aliquid ex operibus necessarijs. In his vitæ iter ingrediens, & ijs qui imitari volebant exemplar virtutis propositus, veluti quædam auis canora, multos sui generis in hęc retia coegit salutaria. Cęterùm ab initio quidem nullum habere passus est qui secum habitaret: sed paruas domunculas foribus vicinas ædificās, vnumquenque ex ijs qui conueniebant, iubebat per se degere: domunculas sæpe inuisens, & perscrutans, nunquid præter vsum habeant repositum. Aiunt autē eum quoque accedentem ad trutinam, panis mensuram diligenter perpendisse, & si quando inuenisset plus quā esset definitum, ægre tulisse, & eos qui hoc faciebant, Helluones appellasse. Iubebat enim neque comedentes, neque bibentes expectare satietatem: sed tantum capere quantum satis esset ad tuendam vitam corporis: siquando autem vidisset etiam farinā opertam furfure, eos qui hoc fecissent impetebat maledictis, vt qui Sybariticis fruerentur delitijs. Porrò autem noctu quoque ex improuiso veniens ad ostium vniuscuiusque, si aliquem quidem inuenisset vigilantem & Deum laudantem, recedebat tacitus. Si quem autem sensisset dormientem, manu quidem pulsabat ostium, lingua autem in eum qui iacebat inuehebatur, vt qui corpus plusquam oporteret curaret. Hunc eius laborē cùm considerassent aliqui qui erant eiusdem animi & sententiæ, ad eum retulerunt vt omnibus vnum ędificaret habitaculum. Eos enim qui nunc sunt dispersi exactius & accuratius dixerunt esse victuros, eumque fore liberum à magna parte solicitudinis. Probauit consiliū vir sapientissimus, & cùm omnes simul coegisset, & paruas illas diruisset domunculas, ijs autem qui erant congregati vnam ædificasset, rogauit vt simul viuerent & se inuicē incitarent: & hic quidem illius imitaretur mansuetudinem, ille verò mansuetudinem huius zelo temperaret. & alius communicans vigilias, acciperet ieiunij disciplinam. Sic enim, inquit, à nobis inuicem id quod deest sumentes, perfectissimam efficiemus virtutem. Quomodo enim in foris ciuitatum, alius quidem vendit panes, alius verò olera: alius habet vestes venales, alius est opifex calceorum: à se autem inuicem id quo opus habent comparantes, vitam agunt iucundiorem. Qui dat enim vestem, pro ea accipit calceos. Qui autem emit olus, vendit panem. Ita nos oportet inuicem permutare virtutis partes pretiosissimas. Cùm quierant eiusdem linguæ sic exercerentur & decertarēt, & Greca voce Deum laudarent, huius vitæ instituti eos quoque cepit amor qui lingua vtebantur illius regionis: & concurrentes aliqui supplicarunt vt ipsi quoque in eorum gregem admitterentur, & essent eius sacrę doctrinæ participes. Concessit autem quod postulabant, legis memor Dominicæ quam sanctis tulit Apostolis, dicēs, Euntes docete omnes gentes: & cùm iuxta illud habitaculum ædificasset alterum, eos iussit illic degere, diuino quodam templo constructo, in quod iussit & hos & illos conuenire, incipiente die & desinente: vt vespertinos & matutinos hymnos Deo simul offerrent: in duas quidem diuisi partes, & singuli sua voce vtētes, ex successione autem canticum emittentes. Permāsit autem in hodiernum vsque diem forma eius instituti: & neque tempus, quod hęc & talia mutare vehementer contendit: nec ij qui illius successere curationi, vt ex limitibus ab eo positis aliquid euerterent, in animum induxere: idque cùm non duo vel tres, sed plures hanc susceperint præfecturam. Cùm primum enim ille certamen implesset, & ex hac vita excessisset, & in illam omni molestia vacuam commigrasset, Theotecnus quidem Græcæ linguæ: Aphtonius verò Syrię prefecturam accepere, qui vtrique illius virtutis fuerunt quædā animatæ statuæ & imagines. Neque enim ijs qui simul conueniebant, neque ijs qui extrinsecus adueniebant, concesserunt mortis illius vllum habere sensum, vt qui illius vitæ instituti seipsos expressa ostenderent simulachra. Sed diuinus quidem Theotecnus cùm non diu vixisset, tradidit Theodoto præfecturam, Aphtonius autem gregis curam gerens, & iam latis legibus regens permansit diutissime. Hic autem Theodotus ex Armenia oriundus, cùm exercitationis monasticæ illum vidisset ordinem, primum quidem erat in numero eorum qui magno parebant gubernanti Theotecno. Postquam autem, vt dixi, ille quidem excessit, ipse verò accepit præfecturam, eam tot bonis exornauit, vt fama sua priores propemodum obscuraret. Sic enim eū diuinum affecit desiderium, eumque tot & talibus consauciauit iaculis, vt noctu & interdiu effunderet lachrymas compunctionis. Erat autem spiritali tanta plenus gratia, vt eo quidem precante, silerent quidem omnes qui aderant, solum autem illa sacra verba audirent, illam auditionem planē ducentes bonā precationem. Quis enim fuisset adeò adamantinus, vt illis verbis tam sincere & germane prolatis, non demulceretur anima, illiusque duritiem emolliret & inobedientiam, & ad Deo seruiendum traduceret? Cùm sic opes augeret quotidie, & sacros ostenderet thesauros talibus bonis plenos, postquam viginti quinque annis gregem pauisset, adiectus est ad patres suos, vt diuina dicit scriptura, in bona eductus senectute, traditis habenis Theotecno, qui erat quidem genere fratris filius, frater autem moribus. Iam verò diuinus quoque Aphtonius, cùm plus quàm quadraginta annis choro præfuisset, sedem accepit pontificalem: nec ciliciū mutans monasticum, nec tunicam contextam ex pellibus caprarum. Iisdem quoque cibis vescebatur quibus antequam fieret Antistes. Quinetiam quamuis hanc accepisset

curationē, nihilo ſecius curam gerebat illius gregis, illic multos dies verſans:& nunc quidem componens eorū lites qui inter ſe depugnabant: nunc verò eis conſulens qui erant aliqua affecti iniuria:aliquando autem ſodalibus diuinam porrigens admonitionem. Faciebat autem vnumquodque horum, vel cōtubernalium interim pannos conſuens, vel lentem expurgans, vel frumentum abluens, vel aliquid tractans,ex ijs quæ ſunt eiuſmodi. Cū ſic autem & Pontificatum ornaſſet, & virtutem auxiſſet,ad diuinum portū peruenit cum ſuis oneribus.Et quid opus eſt dicere de Theotecno, & qui illū ſecutus eſt Gregorio, quorum ille quidem à iuuentute omne genus virtutis collegit,&cum maiorum ſuorum exceſſit gloria:hic verò adhuc in hodiernum diem laborat in profunda ſenectute, perinde ac ſi eſſet in florenti ætate.Perſtitit enim vitis fructum perpetuò recuſans, & nec aceto quidē vel vuis paſsis veſcens: non lacte, neq; recenti,nec concreto. Sic enim viuere magnus conſtituit Publius. Olei aūt vſum agnoſcentes in tempore Pentecoſtes,rurſus recuſant eius eſſe participes.Hæc didici de magno Publio,quę partim quidem audita accepi,partim verò ab ipſis eius quos vidi diſcipulis,in quibus agnoui præceptorem,& per Athletas didici Pædotribam.Iniquum igitur eſſe arbitratus, & hominis mundi, tantam vtilitatem mandare ſilentio,ijs qui ignorabant propoſui narrationem, vt & ipſi vtilitatē hinc accipiant procurans, & memoriæ hinc mihi quæſtum parans. Audiui enim Dominum dicentem, Quicunque me cōfitebitur corā hominibus,ego quoque eum confitebor coram patre meo qui eſt in cœlis: & planè ſcio quòd ſi eorū memoriam fecero in hominibus,futurū ſit vt ij quoq; mei meminerint apud Deum vniuerſorum.

SYMEONES PRISCVS.

V. *Huius meminit Theodoretus lib. 4. hiſtoriæ eccleſiaſticæ.*

SYmeonem autem ſenē ſi quis de induſtria prętermiſerit,& illius philoſophię memoriam mandarit obliuioni, iniuriæ & inuidiæ meritò accuſari poterit,vt qui neque velit laudare ea quæ ſunt laude digna, nec ijs qui volunt iuuari ea proponat quæ ſunt maximè expetenda. Ego autem non ne accuſer metuens, ſed laudibus eum proſequi cupiens, narrabo eius vitæ inſtitutum.Is enim longiſsimo tempore perpetuò vitam amplexus eſt ſolitariam: & in parua quadam ſpelunca vitam agens, nulla humana fruebatur anima,ſolus enim viuere ſtatuerat: ſed cum Deo vniuerſorum loquebatur aſsiduè. Herbas autem eſculentas ſibi parabat cibum. Ea in re eius labor conſumebatur. A ſuperis autem tam copioſa donatus erat gratia, vt vel fortiſsimis & audaciſsimis imperaret beſtijs. Idque non ſolis pijs ſed etiam incredulis Iudæis euaſit manifeſtum. Nam cùm propter aliquod eorum negotium, peregrè proficiſcerētur ad aliquod caſtellum quod ſitum erat extra eam quæ à noſtri imperij hominibus habitatur regionem, ortus autem eſſet imber vehemens & ingruiſſet tempeſtas, à via quidem aberrarunt, vt qui anteriora videre non poſſent,errabant autem per ſolitudinem,nec vicum,nec antrum, nec viatorem aliquem inuenientes. Cùm autem in medio continente non ſecus vndis iactarentur,quàm ij qui nauigant in medijs fluctibus, diuini Symeonis antrum,veluti quendam portum, animaduertere: ſordidumque & ſquallidum hominem aſpexere, & quendam exiguum ex pelle caprina contextū pannum habentem ſuper humeros. Ille autem ſimulac vidit, eos ſalutauit, erat enim affabilis,& eos rogauit cauſam aduentus.Poſtquam autem narrarunt quod euenerat, & rogarunt vt eos doceret viam quæ ducit ad caſtellum, Manete, inquit, ſtatim vobis dabo duces qui oſtendent viam quam deſideratis. Atque ij quidem tunc parebant & quieſcebant.Ipſis autem ſedentibus, venere duo leones, non toruè & ferociter intuentes, ſed veluti cuidam domino blandientes, & ſeruitutem ſignificantes. His annuēns,iuſsit vt hoſpites ducerent, & ad viam,à qua aberrarant, reducerent. Nemo autem exiſtimet fabuloſam eſſe narrationem,cùm communes veritatis hoſtes habeat ferentes veritati teſtimonium. Ipſi enim conſecuti beneficium,hoc perpetuò cecinerunt: hocque mihi hic magnus narrauit Iacobus, dicens ſe affuiſſe, cùm hoc beato Maroni narrarent miraculum. Qui ergo non credit Iudæis de Chriſtianorum miraculis ferentibus teſtimonium, quomodo non meritò vocabitur Iudæis infidelior? ſiquidem illi,etiamſi in nos ſint infeſto animo, vincuntur tamen,& cedunt radijs veritatis: hi autem cùm exiſtimentur beneuoli, & fidei ſocij, ne inimicis quidem credant virtutem gratiæ teſtantibus. Cùm autem vir ille diuinus talibus miraculis euaſiſſet inſignis,& multos attraxiſſet ex vicinis barbaris, illam autem habitant ſolitudinem qui de Iſmaele generis auctore gloriantur, quietis amans, neceſſe habuit ſpeluncam relinquere. Et cùm multum viæ confeciſſet,peruenit ad montem qui Amanus dicitur: idque quod olim erat refertum inſania multorum deorum cultus, multis ijſque omnis generis excoluit miraculis, pietatemque ac veram religionem quæ nunc in eo exercetur plantauit. Sed omnia quidem narrare valde eſſet laborioſum,& fortaſſe id à me prętari minimè poſſet.Cùm itaq; vnius mentionem fecero, & veluti quandam formā characteremque Apoſtolici & Prophetici miraculi adiecero, relinquam deinceps cogitandum lectoribus cuiuſnam gratiæ virtutem acceperit. Aeſtas erat, & meſsis, & ferebantur manipuli in areas.Vir autem quidam qui non erat ſuis iuſtis contentus laboribus, ſed aliena concupiſcebat, proximi quidem aliquot ſuſtulerat manipulos, per hæc autem conabatur ſuum augere cumulum: ſed ſtatim in eius furtum diuina lata eſt ſententia: cecidit fulmen, & exuſta eſt area. Miſer autem ille ad Dei hominem acceſsit, qui non procul à vico fixerat tabernaculum: & quæ ſibi quidem

dem acciderat,narrabat calamitatem,furtum autem celare conabatur.Poſtquam autem vera dicere iuſſus, eſt furtum confeſſus: coegit enim caſus vel ſeipſum accuſare, iuſsit vir ille diuinus,vt corrigendo iniuriam,faceret vt liberaretur à pœna. Nam ſi tu, inquit, illos ſolueris manipulos, extinguetur ille ignis immiſſus diuinitus: licebat ergo videre illū quidem currentem, & ſpicas furto ſurreptas ei cui facta fuerat iniuria offerentem, pyram autem abſq; igne extinctam, diuini ſenis oratione & interceſsione. Hoc non incolas ſolùm impleuit terrore, ſed etiam totam ciuitatem, Antiochiam inquam: erat enim in eius ditione hoc prædiū, coegit illuc currere: & vnum quidem petere vt liberaretur à rabie Dæmoniaca,alium verò,vt quieſceret febris: alium autem vt alicuius ex ijs quæ eum cruciabant conſequeretur remedium. Ille verò, ijs qui inhabitabant, gratiæ fluenta abundè ſuppeditabat. Sed rurſus amans quietis, ad montem Sinæum voluit peruenire. Cùm autem id ſciuiſſent multi viri optimi, & qui eandem perſequebantur philoſophiam, ſimul accurrerunt cupiētes eſſe ſocij eius peregrinationis. Cùm autem iter multorum dierum confeciſſent, poſtquam in Sodomiticam venerunt ſolitudinem, vident eminus viri manus quæ ex profundo in altum expandebantur. Et primum quidem exiſtimabant eſſe fraudem Dęmonis. Cùm autem maiore animi ſtudio precati eſſent,& eadem vidiſſent,profecti ſunt ad illum locum: & vident quidem paruam foſſam, qualem ſolent vulpes facere, cùm quæ ſubeant luſtra machinantur: nullum autem illi videbant illic apparere.Nam cùm ſenſiſſet pedum ſtrepitus qui manus habebat extenſas, ſe intra cauernam occultauerat. Diu autem moratus ſenex, valde rogauit vt ſe illi oſtenderet ſi humanam habeat naturam, & non ſit impoſtor aliquis Dæmon, qui ſe in has formas verteret. Etenim nos quoque, inquit, perſequentes vitam monaſticæ exercitationis, & quietem amantes, erramus per hanc ſolitudinem, in monte Sina cupientes adorare Deum vniuerſorum, in quo cùm Moſi ſeruo ſuo apparuiſſet, dedit legum tabulas: non quòd exiſtimemus Deum eſſe loco circumſcriptum:audimus enim eum dicentem, Cœlum & terram ego impleo, inquit Dominus: & quòd contineat terræ ambitum, & eos qui in ea habitant tanquam locuſtas: ſed quoniam ij qui ardenter amant, nō ſolum eos qui amantur deſiderant, ſed etiam illis loca grata ſunt & iucunda in quibus ij fuere præſentes, & in quibus verſati ſunt. Hæc & ſimilia cùm diceret ſenex, ex cauerna ſe oſtendit homo qui in ea deliteſcebat. Erat autem aſpectu quidem agreſtis,coma ſquallida, facie corrugata, exſiccatis & planè exanguibus omnibus mēbris corporis. Erat autem ſordidis quibuſdam pannis indutus, ex conſutis palmarum germinibus. Cùm autem ſalutaſſet,& pacis verbum dediſſet, rogauit quinam eſſent, & vnde venirent, & quò abirent. Ille autem & ad rogatum reſpondit, & viciſsim rogauit vnde nam veniſſet,& cur hanc vitā delegiſſet. Idem, inquit, me quoque ceperat deſiderium eò euadi quò vos nunc itis. Huius autem vitę locum aſſumpſeram quendam meum familiarem, & qui erat ciuſdem animi & ſententiæ, & cui erat idem qui mihi ſcopus & inſtitutum. Adegeramus autem nos inuicem iureiurando, ne morte quidem noſtram ſeiungere conſuetudinem. Accidit ergo vt is quidem in peregrinatione vitæ finem hic acciperet. Ego autem iureiurando aſtrictus, & foſſam feci vt potui, & corpus tradidi ſepulturæ: propter hoc verò monimentum effoſſo mihi altero ſepulchro, vitæ finem hic expecto, & Domino cōſuetum offero officium. Veſcor autem dactylis, quos ad me afferre ab eo qui curam gerit iuſſus eſt quidam frater. Hęc cū ſic dicerentur,leo procul apparuit. Cùm autem ij qui erant cum ſene, animi angore & metu cecidiſſent, ſentiens is qui iacebat in cauerna, ſurrexit,& leoni annuit,vt tranſiret ad aliam partem. Is aūt ſtatim paruit & venit, botrum afferens dactylorum. Deinde rurſus abijt cùm ſibi fuiſſet permiſſum, & procul à viris decumbens obdormijt. Cùm ergo dactylos diuiſiſſet omnibus, & eorū precibus & pſalmodiæ communicaſſet,& poſt finem matutini officij ſalutaſſet,eos dimiſit nouitate ſpectaculi ſtupefactos.Si quis autem non habet fidem ijs quæ dicta ſunt, recordetur vitæ inſignis Eliæ,& coruorum miniſterij, qui manè quidem panem, veſpere autem ei carnem perpetuò afferebant: vniuerſorum enim effectori eſt facile, vt ſuis prouideatur, omnem viam inuenire. Sic Ionam in ventre ceti trium dierum & noctium ſpatio conſeruauit: & effecit vt leones in lacu Danielem obſtupuerint,& vt ignis inanimus operaretur tanquam ratione præditus,& eos quidem qui erant intus illuminaret, eos autem qui erant foris vreret. Sed enim rem facio ſuperuacaneam,qui ad probandam Dei potentiam argumenta affero. Poſtquam ergo peruenit in montem quem deſiderabat, aiunt ſenem illum admirābilem in illo loco in quo Moſes dignus eſt habitus qui Deum videret (vidit autem vt videri potuit ab humana natura) genua flexiſſe, & non prius ſurrexiſſe quàm vocem diuinam audiuerit, quæ illi ſignificabat Domini beneuolētiam. Quoniam autem tota vertēte hebdomada ita perpetuò fuerat inclinatus, & ne minimum quidem cibi ſumpſerat, iuſsit vox quæ ad eum facta eſt, vt ea ſumeret quæ erant appoſita, & prompto & alacri animo comederet. Cùm autem manum extendiſſet, & tria mala inueniſſet, & ea comediſſet,vt iuſſerat qui dederat: & ei plenæ reſtitutæ ſunt vires, & alacri, vt par erat, animo eos qui cum eo verſabantur ſalutauit. Lætus ergo & hilaris reuerſus eſt, vt qui & vocem diuinam exaudierat, & rurſus comederat cibum à Deo datum. Reuerſus autem, duo philoſophiæ extruxit gymnaſia: vnum quidem in vertice montis de quo prius diximus: alterum autem infra,

Hieremi.23.

propter ipsas oras lateris montis. Cùm in vtroque autem athletas virtutis congregasset, horum & illorum exercitator fuit & pedotriba. Et aduersarij docens insultus, & Agonothetæ promittens beneuolentiam, & bono animo, non aût degeneri & pusillo esse iubens, & in suos quidem moderatione, in hostem autem animi magnitudine vti præcipiens, hæc docens, sic viuens, hæc miracula faciens, & splendorem omnis generis emittens, laboriosæ huius vitæ finem cepit, & migrauit in eam quæ est senij & molestiæ expers, relicta gloria quę extingui non potest, & memoria quę manet in perpetuum. Huius benedictionem, cùm is adhuc esset superstes, beata, atque adeò ter beata, mater mea est consecuta, & sæpe mihi multa de eo narrauit. Ego autem nunc oro, vt quam dare potest, eius consequar intercessionem: & scio me consecuturũ. Omnino enim dabit petitionem, imitans Domini benignitàtem.

PALLADIVS.

VII. *Huius meminit Theodoretus lib. 4. historiæ ecclesiasticæ.*

QVi autem multorum sermone celebratus est Palladius, & tempore ei fuit æqualis, & moribus similis, notusque & familiaris. Ad se enim, vt aiunt, inuicem ventitãtes ex se inuicem capiebant vtilitatem, se mutuò prouocantes, & ad zelum Dei incitantes. Inclusus autem erat in quadam domuncula quæ erat propinqua vico maximo & populo longè frequentissimo: est autem ei nomen Iemme. Ac de maxima quidem viri à cibo abstinentia seu ieiunio & inedia, vigiliaque, & oratione perpetua, dicere existimo esse superuacaneum. In his enim idem traxit iugum quod beatus Symeon. Miraculum autem quod in hodiernum vsque diem decantatur, ab illius autem voce & manu factum est, existimaui si narrarem facturum me operæ pretium. In prædicto vico fit celeberrimus conuentus, qui vndique attrahit mercatores, & maiorem multitudinem quàm quæ possit numerari. In eo quidam mercator, ijs quæ attulerat venditis, & auro coacto, noctu volebat recedere. Quidam autem homicida, qui aurum illic collectum aspexerat, œstro quodam & furore percitus, somnum quidem à cilijs depulit: obseruabat autem quando vir ille esset profecturus. Post galli autem cantum, ille quidem abibat securus: hic autem præueniens, cùm quendam locum aptum insidijs occupasset, repentè adortus, eum & percussit & cædem fecit. Execrando autem facinori impium quoque aliud factum adijcit. Nam cùm aurum cepisset, mortuum illud corpus proiecit ad ostium Palladij. Cùm autem dies venisset, & fama peruasisset, & totus hominum conuentus de eo quod factum erat passim loqueretur, concurrerunt omnes, & effracto ostio, cædis factæ pœnam exigere volebant à diuino Palladio: vnus autem ex ijs qui hoc faciebãt, erat is qui sua manu cædem fecerat. Cùm ergo vir diuinus circunsideretur à tanta multitudine, cœlũ intuens & mente cœlum superans, supplicauit Domino vt calumnię mendacium refelleret, & veritatę quę latebat ostenderet. Cùm sic orasset, & iacentis manum prehendisset, Dic, inquit, ò adolescens, quis hanc tibi plagam intulit? Ostende quis hoc execrandum facinus admiserit: & libera innocentem ab hac improba calumnia. Sermonem autem sermo quidem est consecutus. Dextera autem homo etiam sedens, circumspiciebat quidem eos qui accedebant, digito autem ostendebat homicidam. Clamor sublatus est ab omnibus, & miraculum stupentibus, & calumniam quæ fuerat intentata deflentibus. Cùm autem illum sceleratum exuissent, & gladium inuenerunt adhuc cruentum sanguine, & aurũ illud quod cædis causam dederat. Diuinus autem Palladius cùm prius fuisset admirabilis, hinc meritò euasit longè admirabilior. Sufficiebat enim miraculum ad viri ostendendam apud Deum fiduciam. Ex eodem autem ordine fuit etiam Abraames admirabilis, qui ędificauit quidem id quod vocatur Paratomon, virtutis autem splendores in omnem partem emisit. Quàm clara autem fuerit eius vita, testãtur quæ post eius mortem fiunt miracula. Ex eius sepulchro in hodiernum vsque diem scaturiunt omnis generis morborum curationes. Huius autem sunt locupletes testes, qui eas abundè illinc per fidem hauriunt. Mihi autem quoq; detur consequi auxilium, qui eorum memoria linguam sanctificaui.

APHRATES.

VIII. *Huius meminit Theodoretus lib. 4. historiæ ecclesiasticæ.*

QVòd vna sit omnium hominum natura, & philosophari sit facile volentibus, siue sint Græci, siue barbari, ex multis quoque alijs scire est in promptu: ad hoc autem apertè ostendendum sufficit vel solus Aphrates. Is enim in Persis qui sunt iniustissimi, & natus & educatus, & ortus ex talibus parentibus, & in eorum legibus institutus, ad tantam peruenit virtutem, vt eos qui ex pijs nati fuerant, & piam doctrinam ab ineunte ætate acceperant, obscurauerit. Primum enim contempto genere, erat autem id clarum & illustre, accurrit ad Dominum adorandum, maiores suos imitatus Magos. Deinde sui generis hominum impietatem abominatus, suæ prætulit alienam regionem. Et cùm venisset Edessam, est autem ciuitas maxima & populo frequentissima, & quæ pietate insigniter exornatur, cùm extra eius ambitus inuenisset domunculam, & se in ea inclusisset, suæ curam gerebat animæ, veluti quidam optimus agricola, vitiorum spinas excindẽs radicitus, & diuinam expurgans segetem, & maturos Euangelij fructus offerens Domino. Illinc venit Antiochiam, quæ ab hæretica procella grauiter circunsidebatur, vbi cùm ante ciuitatẽ, in quoddam philosophiæ gymnasium diuertisset, & Græcę linguę pauca verba didicisset, ad diuinos quidem sermones audiendos traxit plurimos: vtens autem lingua barbarie commixta, fœtus proferebat ingenij & intelligentiæ, ex gratia

gratia diuini spiritus accipiens hæc fluenta. Quis enim ex ijs qui suam iactant eloquentiam, & supercilia contrahentes elatè loquuntur & magnificè, & propter syllogismorum laqueos iuueniliter exultant, inerudita illa & barbara voce fuit vnquam superior? Ratiocinationibus enim ratiocinationes, & diuinis eloquijs philosophorum vincebat rationes, cum magno Paulo clamans. Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. Hoc autem modo perpetuò ex Apostoli sententia, deprimebat rationes, & omnem altitudinem quæ extollitur aduersus Dei cognitionem, & captiuabat omnem intelligentiam ad Christi obedientiam. Licebat autem videre concurrentes qui gerebant magistratus, & qui erant relati in aliquos militiæ numeros, eosque qui manu sibi victum comparabant, & vt semel dicam, & priuatos & milites, & doctos, & literarũ rudes, & pauperes, & diuites: & alios quidem silentio accipientes ea quę offerebantur: alios verò rogantes & scisciitantes, & orationi præbentes occasionem. Cùm autem tantum laborem caperet, non passus est vnquam vllum accipere qui secum habitaret. Quinetiam malebat suam ipsius operam quàm officium & ministerium quod sibi offerebatur ab alijs. Cumque eius congressiones & collocutiones fierent ad portam atrij, ipse eam aperiebat ingredientibus, & abeuntes deducebat ac dimittebat. Nihil autem vnquam omnino accepit ab aliquo: non panem, non obsonium, non vestem, sed vnus solus ei notus panem suppeditabat. Cùm autem vsque ad profundum processisset senium, post occasum Solis vescebatur oleribus. Aiunt autem Anthemiũ, qui postea fuit & Præfectus & Consul, cùm electus legatus profectus est ad Persas, ad eum attulisse tunicam apud Persas contextam, & dixisse, Cùm scirem vnicuique suam dulcem esse patriam, & qui illic nascuntur fructus esse iucundissimos, hanc ex patria ad te attuli tunicam, rogoque vt tu eam accipias: ego verò sim tuę benedictionis particeps. Is autem eam quidem primum iussit poni in subsellio. Deinde cùm multi fuissent interiecti sermones, dixit se angi animo, vtpote quòd sit in duas partes diuisa cogitatio. Illo autem rogante causam, Semper, inquit, constitui habere vnum solum qui mecum habitaret: mihique ipsi hanc legem imposui, vt mihi omnino denegetur duorum simul habitatio. Cùm ergo vnus mecum iam sedecim annis habitasset & esset mihi cordi, accessit quidam meus contribulis, volens mecum habitare, & rogãs vt hoc sibi liceat. Hoc mihi mentem distrahit. Duos enim simul habere non patiar. Contribulem enim amplector vt contribulem: priorem autem vt qui mihi cordi fuerit expellere, & graue & iniquum existimo. Ille verò, Meritò, inquit, ò pater. Neque enim fas est vt eum qui tibi plurimo tempore inseruijt, amandes, tanquam non aptum: eum autem cuius morum nondum fecisti periculum, propter solam admittas patriam. Ad hęc diuinus Aphrates, Non accipiam ergo, inquit, ò vir admirande, hanc tunicam: duas enim habere non patiar. Est enim mea quidem sententia iucundior, tua verò melior, ea quæ mihi tanto tempore inseruijt. Cùm callido ergo commento sic elusisset Anthemium, & ingenij solertiæ exhibuisset miraculum, persuasit vt nemo deinceps cum eo ageret de illa tunica. Ego autem hæc retuli, volens duo simul ostendere: & quòd ab vno solo acceperit quod curando corpori satis erat, & quòd tanta eius fuerit sapientia, vt effecerit, vt qui rogabat vt acciperet, sententiam tulerit cum non debere accipere. Sed his & quæ sunt huiusmodi relictis narrabo maiora. Cùm Iulianus Deo infestus in barbarorum regione pœnas dedisset impietatis, res quidem fuere paruper tranquilliores alumnis pietatis, cùm Iouinianus accepisset clauum Romani imperij. Postquam autem hic quoque, cùm paruo tempore regnasset, accepit finem vitæ, Valens autem accepit principatum, procellæ & tempestates rursus mare nostrum agitabant, grauisque fluctus excitabatur, & vndæ maximæ scapham vndique impetebant. Efficiebat autem grauiorem tempestatem solitudo gubernatorum. Eos enim Imperator, qui in solam veram religionem suam exercebat audaciam, coegit habitare in exilio. Et cùm tanta esset vsus iniquitate, impietatis eum non capiebat satietas, sed dispergebat ac dissipabat cœtum piorum omnium, instar feræ in manis gregem contendens discerpere. Ea de causa eos non solùm expulit ab omni ecclesia, sed etiam ex latere montis, & ex ripa fluuij, & ex bellico gymnasio. Hæc enim loca perpetuò mutabant, vt in quos obiter fæuiret armata manus. Et Scythæ quidem, & alij barbari totam Thraciam à Danubio vsque ad Proponticem securè populabantur. Ille autem eorum auditionem, ne arrectis quidem, vt dicitur, auribus, poterat accipere: sed in eos qui erant eiusdem generis, & eius ditionis, pietateque ac religione clari, armis vtebatur. Diuinus autem populus illorum malorum deflebat importunitatem, Dauidicum illud canens canticum. Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum nos recordaremur tui Sion. Reliqua autem cantici eis non conueniebant. Aphraates enim, & Flauianus, & Diodorus, non permiserunt vt suspenderentur in salicibus instrumenta doctrinæ: nec passi sunt dicere, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Sed & in montibus & in campis, & in vrbe, & in suburbanis, & in ædibus, & in foris, canticum Domini assiduè canebant. A Dauide enim didicerant, Domini est terra, & plenitudo eius. Orbis terræ, & omnes qui habitant in eo. Rursus autem audierant eundem prophetam clamantem. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius. Audiuerunt autem diuinum quoq; Paulum prę cipientem orare viros in omni loco, tollentes manus sanctas absque ira & disceptationibus. Porrò

autem ipse quoq; Dominus loquens cum Samaritana, hoc prædixit apertius. Amen enim inquit, dico tibi mulier. Venit hora, & nunc est, quando neque in loco hoc, neq; Hierosolymis, sed in omni loco adorabunt patrem. Hęc cùm didicissent: & in domo, & in foro, & vt apostolicè dicã publicè & per domos perpetuò testificabantur: & veluti quidam præstantissimi imperatores, suos quidem armabant, aduersarios aút confodiebant. Atq; magnum quidem Flauianũ, & diuinum Theodorum, qui tunc sub alio pascebãt, & secunda cathedra digni erãt habiti, hæc facere quæ dixi, & admirandũ quidem est & laude dignũ: sed tamen hæc faciebant cùm essent electi exercitus imperatores, & subiecti legibus imperatorijs. Sapientissimus aút Aphraates, sua sponte ad hæc prosiluit certamina. In quiete enim educatus, & cùm eius institutum esset per se viuere, & extra teli iactum sederet, vt dicitur, cùm vidisset belli vehementiam, non illi placuit quòd esset securus: sed quietem iubens valere ad tempus, piorum phalangis fuit in pugna princeps, feriens quidem & vita & sermone & miraculis, ipse autem nunquã percussus. Quinetiã cùm Imperator omni ex parte stultus eũ aliquando vidisset exeuntem in gymnasium bellicum: contigerat enim vt tunc illic congregarẽtur qui erãt ritè venerandę trinitatis socij: ostendit autẽ quis eum ad ripã fluuij ambulantem spectanti imperatori: rogauit eum quonam tenderet. Cùm is autem dixisset se ire deprecatum pro terrarum orbe & pro imperio, rursus respondit Imperator, Et quanam de causa vitam profitens monasticã, securè per forum ingrederis, silentio & quiete relicta? Ille autem, solebat enim Dominum imitans parabolicè ratiocinari, Dic mihi, inquit, Imperator, Si essem virgo absconsa in thalamo, vidissem autem aliquem in domum patris ignem inijcientem, quid mihi cõsuluisses facere, videnti flammã ardentem, & domum quæ comburitur, intúne sedere, & domum quæ crematur despicere? Sed sic ego quoque fuissem consumpta ab incendio. Sin autem dicis oportere properare, aquam ferre, & susque deque currere, flammamque extinguere: ne me reprehẽdis ô Imperator, si id ipsum facio. Quod enim tu consulueris virgini quæ est in thalamo, hoc ego cogor facere qui vitã sum professus monasticam. Quòd si tu me reprehendis qui quietem reliquerim, teipsum reprehende qui hãc flammam in domum diuinam inieceris, & non me qui conor extinguere. Quod enim oporteat opẽ ferre domui paternæ quę vritur, ipse quoq; confiteberis. Quòd autẽ Deus sit magis verus & germanus pater quàm ij qui sunt in terra, est cuiuis apertũ etiam qui rebus diuinis non est omnino initiatus. Nihil ergo absurdum facimus ô Imperator, neque cœpto nostro & instituto contrarium, si veræ religionis alumnos congregamus & pascimus, & eis herbam diuinã exhibemus. His dictis, Imperator quidem tacitè assentiebatur, considerans iustam defensionem: vnus autem ex ijs qui nec viri censentur nec mulieres, sed posse vnquam patres fieri eis est ademptum, & hac de causa censentur bene velle Imperatori, & ei loqui confidenter, is ex loco superiore diuinum virũ conuitio est insectatus, & mortem minitatus: sed non ita diu post pœnas luit suæ audaciæ. Nam cùm vellet Imperator corpus lauare in balneo, accessit quidem miser tanquam solium visurus an bene esset temperatum, mente autem captus, insiluit in solium, quod aquã calidam minimè temperatam continebat: & cùm nullus adesset intus, solus enim ingressus fuerat visurus an esset paratum, remãsit coctus & resolutus. Cùm autem tempus interim tereretur, mittit Imperator alium qui eũ vocaret. Cùm is autem neminem in nulla domo inuenisset, id renunciat Imperatori. Cùm deinde aút plures accurrissent omnia perscrutantes solia, & ad illud tandem venissent, eum iacẽtem & vita priuatum aspiciunt. Excitato autem tumultu, & omnibus deflentibus, alij quidem aquam illam calidã exhauserunt: alij verò corpus miserrimum extulerũt. Hinc factũ est vt metus inuaderet Imperatorem, & omnes qui armabãtur aduersus pietatem. Sparsa est aút fama per totã ciuitatẽ, quales infelix ille luerit pœnas contumeliæ qua affecit Aphraatem: omnesq; Deum Aphraatis perpetuis celebrabãt laudibus. Hoc, etsi instarẽt aduersarij, obstitit quo minus homo Dei mitteretur in exilium. Imperator enim perterritus, eos quidẽ qui hæc suadebant, auersabatur, virum aút reuerebatur. Porrò autem aliunde quoque eius virtutem didicit. Equus quidam bono genere natus, & portare apprimè doctus, erat Imperatori charissimus. Morbus quidam qui ei acciderat, malè habebat Imperatorem. retinebatur autem humidorum excrementorum excretio. Ad eum curandum accersebantur, qui in hac arte fuerant exercitati. Cùm ea autem esset etiã morbo inferior, Imperator quidem molestia afficiebatur: lamentabatur autem is cui equorum cura fuerat credita. Cùm esset autem pius & fide firmus, in meridie venit vnà cum equo ad magni Aphraatis habitaculum: & cùm morbũ dixisset, & fidem suã significasset, orauit vt solueret morbum suis precibus. Ille autem nihil cunctatus, sed statim Deum precatus, iussit aquã hauriri ex puteo: & cùm ei salutaris crucis signum imposuisset, iussit eam ad equũ afferre. Is autẽ bibit plus quàm consueuerat. Deinde cùm oleum diuina inuocatione implesset benedictione, equi ventrem inungit: & manus contrectatione statim morbus est sublatus. Lætus ergo homo equo accepto, cucurrit ad stabulum. Vespere autem, solebat enim eo tempore venire ad stabulũ Imperator, venit & interrogauit quomodo equus se haberet. Is autem cùm & sanum esse significasset, & equum valentẽ, & exultãtem, hinnientemque, & collum superbè erigentem eduxisset, rogauit eum causam sanitatis. Vbi autem diu cunctatus, (verebatur enim ostendere medicum, sciens eũ qui rogabat esse ei in-

ei infensum) tandem verum coactus est dicere, & docuit modum curationis. Obstupuit quidem Imperator, & confessus est eum esse virum admirabilem: nec tamen à priore destitit insania: sed perrexit furere aduersus Vnigenitum, donec à barbarico fuit igne cõsumptus, ne sepultura quidẽ, qua famuli vel mendici, dignatus. Diuinus autem Aphraates & in illa tempestate suam ostendit virtutẽ, & reddita tranquillitate fecit quoque consimiliter. Porrò autem alia quoque miracula fecit innumerabilia, quorum vnius vel duorum meminero. Mulier quædam genere nobilis, simul cum viro intemperante trahens iugũ matrimonij, venit ad beatum illum hominem, deflens propriam calamitatem. Dicebat enim maritum concubinæ captum consuetudine, magicis quibusdam præstigijs fuisse incantatum, & odio habere ipsam legitimo matrimonio coniunctam. Hæc autem dicebat mulier stans pro foribus atrij. Sic enim solebat colloqui cum fœmina: nullam enim vnquam admisit intra fores. Tunc ergo mulieris misertus eiulantis, oratione incantationis abolet operationem: & cùm olei guttum ab ipsa allatum inuocatione diuina sanctificasset, iussit vt eo vngeretur. Hæc præcepta cùm implesset mulier, coniugis amorem in se transtulit: & persuasit vt pro illegitimo, legitimum cubile eligeret. Iam verò dicunt etiam quòd cùm lo custę aliquando regionem repẽte inuasissent, & instar ignis omnia consumerent, segetes, arbores, prata & nemora: venit ad eum quidam vir pius, rogans vt opem ferret vnum quidem agrum habenti, ex eo autem & se & vxorem & filios & familiam alenti, & à quo etiam imperatoria exigeretur collatio. Is ergo rursus dominicam imitans benignitatem, iussit ad se afferri congium aquæ. Postquam autem aquæ congium attulit is qui orabat, ei quidem manum imposuit: Deum autem est precatus vt fluentum impleret diuina virtute. Deinde finita oratione, iussit vt in prædij limitibus aqua aspergeretur. Qui eam attulerat, fecit vt iussus fuerat: idque fuit illis agris pro vallo sacrosancto & inexpugnabili. Nam vsque ad illos fines, reptantes & circunuolantes locustæ instar exercitus, rursus retrocesserunt, benedictionem impositam extimescentes, & veluti quodam freno suffocatæ, & vltra progredi prohibitæ. Et quid opus est dicere omnia quę facta sunt à beata illa anima? Hæc enim satis sunt ad ostendendum splendorem gratiæ quę in eo habitabat. Eum ego vidi, & sanctæ illius dexteræ percepi benedictionem, cùm essem quidem adhuc adolescens, matri autem me adiunxissem comitem ad illum profectionis. Et cùm pro more quidem ianuam aperuisset, illam & suo sermone dignatus est & benedictione: me autem intromissum impertijt opibus deprecationis. Ea nunc quoque fruar, vt qui credam eum viuere & vnà cum angelis choros ducere, & maiori quàm olim apud Deum vti fiducia. Eam enim tunc metiebatur corpus mortale, ne occasio arrogantiæ euaderet, si fuisset maior quã par esset fiducia. Nunc autẽ deposito onere animi perturbationum, vt athleta victoria potitus, fiducia & libera loquendi facultate vtitur apud Agonotheram. Qua de causa oro quoque vt eius consequar intercessionem.

PETRVS.

DE Gallis quidem audimus qui sunt in Europa ad occidentem. Scimus autem eos quoque qui sunt in Asia, ab illis oriundi, qui sedes fixerunt propter pontum Euxinum. Ex ijs germinauit beatus Petrus, atque adeò terque quaterq; beatus. Septem autem annis, vt aiunt, postquam natus est, à parentibus educatus, consumpsit totam reliquam vitam in philosophię certaminibus. Dicitur autem obijsse, cùm vixisset nonaginta & nouem annos. Eum ergo qui nonaginta & duos annos decertauit, & noctu diuq; semper victor euasit, quis pro dignitate laudauerit? Quenam autem lingua sufficeret ad eius narrandas res præclarè & ex virtute gestas, in pueritia & adolescentia, in virili & in ingrauescente ætate, & in extrema senectute? Quis illum sudorem mensus fuerit? Quis luctas quæ in tanto tempore factæ sunt enumerauerit? Quænam autem oratio consequi potuerit, vel semina ab eo deiecta, vel collectos manipulos? Quis est adeò magna & excelsa mẽte præditus, vt possit perfectè intueri facultates & copias collectas ex preclara mercatura? Scio rerum illius gestarum vastum pelagus: & ideo vereor accedere ad narrandam historiam, ne obruatur oratio. Quamobrẽ ambulabo propter littus, & quæ in continente gesta sunt ante mare admirabor & enarrabo, profundum autem relinquam ei qui, vt diuina dicit scriptura, scrutatur profunda, & occulta cognoscit. Hic ergo primo tempore certauit in Galatia. Illinc videndi gratia venit in Palęstinam: vt cùm vidisset loca quæ susceperunt salutares passiones, in his Deum qui seruauit adoraret: non vt qui loco circunscribatur: sciebat enim eius naturam non posse circunscribi: sed vt pasceret oculos spectaculo eorum quæ desiderantur: nec sola animę vis qua contemplatur, absque visu, spiritali alimento per fidem frueretur. Iis enim qui amore aliquem prosequũtur est à natura insitum, vt non ex solo eius aspectu capiant voluptatem, sed & domum & vestes & calceos contemplentur cum magna lætitia. Tali in sponsum amore prædita, sponsa quæ desiderabat in cantico canticorum, clamabat dicens, Sicut malum in lignis syluæ, ita patruelis meus in medio filiorum. In vmbra eius desideraui & sedi: & fructus eius dulcis in gutture meo. Nihil ergo absurdum & alienum fecit hic homo diuinus, qui in sponsum quidem eundem accepit amorem, ijsdem autem verbis vsus est quibus sponsa, Vulneratus sum ego, clamabat, ab amore. Cùm autem desiderasset contemplari sponsi quandam veluti vmbram, abijt visurus loca ex quibus scaturierunt fontes omnibus hominibus salutares.

IX.

Cùm

Cùm ergo quæ desiderabat eis frui licuisset, profectus quidé est Antiochiam: cùm autem vidisset ciuitatis pietatem ac religionem, externam regionem patriæ suæ prætulit, ciues existimans, non contribules & cognatos, sed eos qui erant eiusdem cum ipso sententiæ, & in fide socij, & trahebant idem iugum pietatis ac religionis. Cùm illic autem morari placuisset, non extendit tabernaculum: non fixit tugurium: non excitauit domunculam: sed totum tempus transegit in alieno sepulchro. In eo autem erat proiectum quoddam superius tabulatum, cui coniunctæ scalæ eos excipiebant qui volebant ascendere. In eo permansit inclusus lõgissimo tempore, aqua quidem vtens calida: solo autem pane vescens: idque non quotidie, sed vno quidem manens ieiunus: postridie autem ea sumens. Cùm autem quidam insaniens, & furore percitus, & maligni dæmonis plenus operatione, ad eum venisset, eum quidem mundauit, deprecatus, & ab illo diabolico furore liberauit. Cùm verò nollet abire, sed obsecrasset vt pro illa curatione ei suum impertiret ministerium, eum admisit vt secum habitaret. Eum ego & noui: & memini miraculi: & vidi mercedem curationis: & audiui sermonẽ quem de me habuerunt. Dicebat enim Danielus, erat enim hoc illi nomen, me quoque præclari ministerij huius futurum socium. Vir autem ille diuinus non est assensus vt hoc fieret, parentum meorum in me amorẽ considerans. Sæpe autem me genibus impositũ vua aluit & pane. Nam cùm mater fecisset periculũ spiritalis eius gratiæ, iussit me semel in hebdomada decerpere illius benedictionem. Eius autem habuit notitiam hac de causa. Morbus qui ei in alterum ex oculis incubuerat, visus est medicinę superare scientiam. Nihil enim erat aut scriptum à veteribus, aut inuentum ab ijs qui fuere posterius, quod nõ morbo fuerit adhibitum. Postquam autem omnia probauit, & ostendit nullam afferre vtilitatem, venit quędã ei familiaris quę diuinum virũ ostendebat, & ab eo factum docebat miraculum. Dicebat enim vxorem eius qui eo tempore tenebat clauum oriẽtis administrationis, erat aũt is Pergameneus, cùm ea in hunc morbũ incidisset, tum ipsam curasse cùm deprecatione esset vsus & crucis signaculo. Audiuit mater, & ad diuinum statim accurrit hominem. Habebat autem inaures, catenas, & torques, & alia aurea quæ sibi induerat, & vestem variam ex sericis filis cõtextam. Nondum enim virtutẽ gustarat perfectiorem: florebat autem tempore, & mundum muliebrem gestabat vt adolescentula. Cùm diuinũ ergo caput hęc aspexisset, nimij ornatus amoris primùm morbum curauit, vsus verbis tali bus. Dic mihi, inquit, filia, vtar enim eius voce, & non mutabo verbũ sanctæ illius linguæ: Si quis pictor in arte bene exercitatus, aliquã pinxisset imaginem, vt pręcipit lex artis, & eam proposuisset videre volẽtibus, veniret autem aliquis alius, artem non sciens perfectè & accuratè, temereque & inconsultè, vt sibi videtur, vellet contrà pinguerẽ: deinde illam artificiosam reprehendens picturam, supercilijs quidem & cilijs lineas adderet longiores, faciem autem efficeret albiorem, & genis rubrum adderet colorem: non tibi videtur prior ille pictor iure succensurus, quòd & ars eius probro esset & contumelia affecta, & eorum quibus opus non erat additamentum à manu indocta accepisset. Ergo vniuersorum quoque, inquit, opificem, & nostræ naturæ effictorem & pictorem, iure irasci credite, quòd illam quæ verbis explicari nõ potest, naturam & sapientiam accusetis inscitiæ. Non enim rubrum & album & nigrum colorẽ vobis infunderetis, si non existimaretis esse vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitrantes, imbecillitatis damnatis creatorem. Sciendum est autem eum habere potestatem suæ voluntati iusta symmetria respondentem. Omnia enim, vt ait Dauid, quæ voluit Dominus fecit. Eius autem quod est omnibus vtile futurum curam gerens, non dat ea quæ damnum afferunt. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem: neque tentetis ea addere quæ sapienter non dedit: neque hanc adulterinam excogitate pulchritudinem, quę vel pudicis affert exitium, videntibus insidiãs. Hæc audiuit præstantissima & omni ex parte optima fœmina, & statim Petri reti fuit implicata. Piscabatur enim hic quoque similiter atque is qui idem quod ipse nomen habebat: pedesque tangẽs, & vociferans, obsecrauit vt curaret oculum. Is autẽ dicebat se quidem esse hominem, & eandem habere quã ipsa naturam: se autem peccatorum magnam gestare sarcinam, & ideo priuatum esse ea quę ad Deum habetur fiducia. Cùm autem mater fleret & oraret, & diceret se non esse eum relicturam, nisi sanitatem assequeretur, dixit Deum esse horum curatorem, petitiones autem semper dare ijs qui credunt. Dabit ergo, inquit, nunc quoque, non mihi donans gratiam, sed tuam fidem contemplans. Si eam ergo habes sinceram & veram, puramq; & ab omni liberã dubitatione, iubẽs & medicos valere & medicamenta, à Deo datum sume hoc medicamentum. Hęc cùm dixisset, manum imposuit oculo, & salutaris crucis signo facto, morbum expulit. Illinc domum reuersa, cùm & medicamentum abluisset, & omnem extrinsecus inductum abiecisset ornatum, ex legibus à Medico latis vitam instituebat: neque varia veste induta: neque aureis monilibus exornata: idque cùm esset ætate adhuc admodum iuuenis: nata enim erat vicesimum tertium, necdum mater facta fuerat. Cùm enim septem alios annos vixisset, me peperit, qui fui eius primus & solus fœtus. Tantum fructum cepit ex magni Petri doctrina, & duplicem accepit curationem: & cùm corpori quæreret medicinam, bonam quoque animæ sibi parauit habitudinem. Talia & dicendo ille operabatur, & tam potens erat precando. Cùm ea autem aliquando adduxisset obsonatorem famulum, qui à malo dæmone vexabatur, rogauit

rogauit vt ei suum non negaret auxiliũ. Cùm precatus autẽ esset vir diuinus, iussit dæmoni vt diceret causam cur haberet potestatem in Dei creaturam. Ille autem, tanquam homicida aliquis vel murorum perfossor ac latro stans ante iudicem, & iussus dicere quæ fecit, sic omnia est persecutus, vt qui præter consuetudinem cogeretur vera dicere: & dixit, Heliopoli ægrotasse quidẽ serui Dominum: Dominam autem coniugi, vtpote ægrotanti, assedisse: ancillis autem Dominæ domus in qua manebant, narrasse vitam monachorum qui philosophabantur Antiochiæ, & quantas vires habeant aduersus dęmones: & has quidem, vtpote puellas, ludo delectatas, dæmoniacas & insanas egisse, illum ipsum autem famulum, monastica veste ex caprina pelle confecta indutum, illas monasticè adiurasse. Cùm hæc, inquit, fierent, ego stans pro foribus, superbaque illa & gloriosa quæ de monachis diceban tur non ferens, volui facere periculum de illa quam illos habere iuueniliter iactabant potestate. Ea de causa relictis ancillis, in hunc me intrusi, volens scire quemadmodum expellerer à monachis. Nunc autẽ, inquit, didici: nec vlla alia egeo experientia: mox autem te iubente exeo. Hæc dicens, aufugit: fuitque liberatus famulus. Iam verò alium quoque rusticum cùm matris quidem meæ mater, mea verò matertera, adduxisset, rogabat aduersarium vitij vt ei opem ferret. Is autem rursus rogauit, & vndenam esset, & à quonam accepisset potestatem in Dei creaturam. Vt autem silens ille non dedit responsum, orauit Petrus flexis genibus, Deumque est precatus, vt execrando illi dæmoni suorum famulorũ ostenderet potentiam. Deinde rursus surrexit: ille autem rursus resistens, tacebat: & hæc facta sunt vsque ad horam nonam. Postquam autem maiore studio & magis vehemẽtem Domino obtulit orationem, surgens dixit scelerato dæmoni, Non tibi imperat Petrus, sed Petri Deus. Responde ergo, vt quiab illius cogaris pontentia. Reueritus est, etsi sit impudẽs, perniciosus dæmon, sancti lenitatem ac moderationem: & magna vsus voce, clamauit, quòd in monte quidem Amano versaretur. Cùm eum autem vidissem, inquit, in via, ex aliquo fonte aquam haurientem & bibentem, contẽdi hoc mihi sumere habitaculum. Sed egredere, inquit homo Dei, eo qui pro orbe terrarum est crucifixus, hoc tibi imperante. Audiuit ille, & fugit: & à furore liber materteræ redditus est Agricola. Cùm alia autem huiusmodi innumerabilia posim de beata illa narrare anima, plurima prætermittam, pertimescens vulgi imbecillitatem. Ad seipsos enim respicientes, fidem nõ habent diuinorum virorum miraculis. Cùm vnum autem vel duo narrauero, transibo ad alium athletam. Erat quidam vir libidinosus, qui superioribus tem poribus fuerat dux militiæ. Puella autẽ quædam innupta, sed nubilis, quę eius suberat dominio, relicta matre & suis, fugit in quoddam gynæceum in quo erat cœtus athletarũ. Decertant enim fœminæ quoque similiter atque viri, & descendunt in stadium virtutis. Cùm huius fugam didicisset dux militiæ, matrem flagris cecidit, & vinxit, nec eam prius emisit è vinculis quàm religiosarum mulierum ostendit habitaculum. Sua itaque vsus rabie, illinc rapuit puellam, & domum suam reduxit: & sperauit infelix se suam expleturum libidinem. Sed qui magnis & malis tentationibus de Sara vxore Abrahæ tentauit Pharaonem, & pudicam mulierem conseruauit intactam: & qui Sodomitas percussit cæcitate, qui eos qui erant incorporei, aggressi fuerant, tanquam hospites, insectari contumelijs. Is cùm huius videndi virtutem percussisset cæcitate, effecit vt præda euaderet è manibus. Et ipse quidem ingressus fuerat in thalamum: illa autem quæ intus custodiebatur, mox exijt & euanuit ex oculis, & ad maximè expetendum peruenit habitaculum. Sic cùm didicisset stolidus, se non esse eam superaturum, quæ Deum sponsum elegisset, coactus est quiescere, eam quæ capta fuerat, & diuina potestate euaserat, nõ amplius requirens. Hæc tempore procedente in gra uem morbum inciderat: morbus autem erat cancer: cum mamilla autẽ inflata dolor quoque crescebat. Sed magnum vocabat Petrum cùm dolor esset vehementissimus: & dicebat sacra illa voce in aures suas immissa, totum illum sopiri dolorem, & nullum ex hinc sensum sentire molestiæ. Ea de causa eum accersens frequentius, accipiebat consolationem. Dicebat enim toto illo tempore illius præsentiæ, dolores omnino recedere. Sed illam quidem, cùm sic decertasset, laudibus victoriam significantibus ex hac vita excedẽtem est prosecutus. Rursus autem matrem meã, cùm postquã me peperisset, esset in ipsis mortis foribus à matertera rogatus, veniens eripuit à mortis manibus. Iacebat enim, vt aiunt, medicis quidem desperantibus, familiaribus autẽ deplorantibus, & finem expectantibus, clausis oculis, febre vehementi laborans, nullum ex notis agnoscens. Postquam autem venit qui Apostolico & sermone dignatus fuerat & gratia, & pax tibi, dixit, filia, hæc enim erat eius salutatio, dicitur protinus & cilia erexisse, & eũ fixis oculis aspexisse, & benedictionis fructũ renunciasse. Postquam vlulauit aũt chorus fœminarũ, animi enim angor & lętitia simul erant commixta, & causa erant illius vociferationis, pręcipit homo diuinus vt ęę omnes sint socię eius orationis. Sic enim dicebat eriã Tabithã fuisse salutem consecutã, viduis quidem deflentibus, magno autem Petro offerente Deo illorum lachrymas. Precatæ sunt vt iussit, & acceperunt vt prædixit. Nam cùm finem accepisset oratio, morbus quoque finem cepit: & sudor repente fluxit ex toto corpore: & ignis ille est extinctus: & sanitatis signa apparuerũt. Talia nostris quoq; temporibus per suos seruos beneuolus Deus fecit miracula. Huius quoque vestium superficies operata est similiter atque diuinissimi Pauli. Hoc autem posui, non vtens aliqua hyperbole, sed consentientem

tientem habens dicto veritatem. Nam cùm propriam zonam diuisisset in duas partes, erat autem lata & longa, ex crasso lino contexta, huius quidē dimidio suos lumbos, altero verò meos cinxit. Hanc cùm sæpè quidem mihi ægrotanti mater imposuisset, sæpe autem patri quoque, morbum exegit. Quinetiam ipsa quoque hoc medicamento sæpe vsa est ad sanitatem. Multi autem ex notis quoque cùm hoc didicissent, assiduè ad ferendum ægrotis auxilium hanc zonam accipiebant: & vbique illius gratiæ ostendebat operationem. Cùm quidam sic eam accepisset, priuauit eos qui donauerant, in eos qui ipsum beneficio affecerant se ingratum ostendens. Hoc modo fuimus illo dono nudati. Cùm sic resplenduisset, & radijs Antiochiam illustrasset, abductus fuit à certaminibus, expectans coronam quæ est reposita victoribus. Ego autē cuius, dum adhuc esset superstes, percepi benedictionem, ea vt nunc quoque fruar precatus, finem imponam huic narrationi.

THEODOSIVS.

ROsus est oppidū Ciliciæ, à dextra ei qui nauigat in pontum Cilicium. Huius ad Orientem & Meridiem est mons altus, spatiosus, & vmbrosus. Alit autem feras in nemoribus. In eo cùm quendam ad mare vergentem lucum inuenisset magnus & vulgo celebratus Theodosius, quadam modica extructa domuncula, Euangelicū viuendi institutum solus amplectebatur, vir oriundus quidē Antiochia, insignis autem claritate generis: sed tamen & domo, & cognatione, & omnibus alijs relictis, pretiosissimam, vt Euangelicè dicam, emit margaritam. Ac de eius quidem à cibo abstinentia, & quomodo humi cubaret, & cilicio indueretur, superuacaneum est dicere ijs qui eius vident discipulos & sodales, & in eis eandem cernunt viuendi formam. Hęc tamen ille insigniter persequebatur, vt qui seipsum certantibus exemplar proponeret. His autem adijciebat ferreum onus collo & lumbis & ambabus manibus. Porrò autem gestabat quoq; comam sordidam, & quæ ad ipsos vsque pedes pertingebat, & vlterius etiā progrediebatur, & ideo erat lumbis eius alligata. Deprecatione autem & hymnodia vtens assiduè, cupiditatem, & iram, & arrogantiam, & alias animi beluas sopiebat. Labores aūt semper augens laboribus, persequebatur eā quoq; quæ manibus fit operationem: nunc quidem sportellas quæ vocantur, & vimineas crates contexens: nunc autem parua prædia in saltu efficiens, & semina deijciens, & illinc quantū victui satis esset colligens. Postquam aūt procedēte tempore eius fama peruasit in omnem partem, multi multis ex locis concurrebant, eius & habitationis, & laboris, & instituti esse socij cupientes. Quos quidem excipiens, ad eandem vitam deducebat. Et videre licebat alios quidem vela, alios verò saga ex pellibus texentes: alios verò crates vimineas vel sportellas connectentes: alios verò terram colentes. Et quoniā locus erat maritimus, ad transmittendum quoq; quadam constructa nauicula, quę ponto appellatur, ea vtebantur ad ea quæ erant inferenda, & exportans opera eorū qui simul habitabant, & importans ea quæ erant necessaria. Memor enim vocis Apostolicæ quæ dicit, Noctu diuq́ue operantes, ne essemus oneri alicui vestrum. &, Manus hæ mihi & ijs qui erant mecum suppeditarūt: & ipse laborabat, & hortabatur suos contubernales, vt cum animæ laboribus, corporis quoque labores coniungerent. Est enim absurdum, vt ij quidem qui aluntur in vita sęculari, se affligentes & laborantes alant filios & vxores, & præterea & tributa conferant, & ab eis exigantur vectigalia, & Deo offerāt primitias, & mendicorum pro viribus medeantur inopiæ: nos autē non quæramus ex laboribus ea quæ sunt necessaria, idq́ue cum vili quidem & modico cibo, vili autem veste vtamur: sed sedeamus quidem compresis manibus, alienis aūt fruamur laboribus. Hæc & talia dicens, hortabatur ad operandum, in tempore quidem quæ sunt vbique præscripta diuina peragens officia, id autem quod intercedebat temporis, impendens operi. Non leuem autem curā gerebat hospitum, viris lenitate & morū mansuetudine ornatis, & in proximum charitate præditis, vt eis prouiderent committens. Ipse autem visebat & inspiciebat omnia, perscrutans an ex latis legibus vnusquisq; suo fungeretur officio. Hinc factum est vt tam insignis & celebris esset eius fama, vt qui nauigabant, & plus quàm mille stadijs aberant, Deū Theodosij inuocarēt in periculis, & Theodosij appellatione sedarent tempestatem. Eum audaces quoque & immanes hostes sunt reueriti, qui maximam Orientis partem sunt depopulati. Quis enim ex ijs qui in nostro habitabili orbe terrarum habitant, non auditione accepit ea quæ illo tempore facta sunt ab ijs qui olim quidem Solymi, nunc autem nominantur Isauri? Illi tamen qui nec oppido nec vico pepercerunt, & quęcunque capere potuerunt, diripuerunt & igni mandauerunt, sunt illam reueriti philosophiam: & cùm solummodo panem petijssent, & vt pro se orarent significassent, illud illæsum reliquere monasterium: idq́ue non semel, sed etiam bis fecere. Veriti tamen pręsides ecclesiarum, ne pecuniæ cupiditate illis barbaris à diabolo immissa, captiuum abduceretur magnum illud lumen: erat enim verisimile fore vt magna vis pecuniæ ad eum redimendum transmitteretur ab omnibus qui habent in honore res diuinas, ei persuadent vt se conferret Antiochiam. Iam enim captiuos ceperant duos præsides ecclesiarum: & eos quidem omni officij genere sunt prosecuti: cùm autem quatuordecim millia aureorum pro vtrisque accepissent, permiserunt vt redirent quò vellent. Postquā autem peruenit Antiochiam, habitauit quidem in habitaculo quod inuenit sitū prope fluuium, omnes autem traxit ad seipsum qui sciunt talia colligere. Dum autem me trahit impetus oratio-

orationis prætermisi narrare miraculū quod à diuino illo viro factum est, quod multis quidem fortasse videbitur esse incredibile, & tamen remanet in hodiernum vsque diem, oratione testificans, & ostendens qualem apud Deum gratiam & fiduciam est cōsecutus hic vir admirabilis. Præceps quædam petra imminet monasterio, quod ipse ędificauit. Erat autem primò sicca & omni humore vacua. In ea fecit aquæ ductum, qui à vertice fertur in monasterium, tanquam qui motum aquarum haberet in potestate. Plenus autem fiducia in Deum & firmiter credens, vt est verisimile, se Dominum habere beneuolum, & fidem habens in quam nulla cadebat dubitatio, ascendit in supremam partem eius qui nūc est aquæ ductus, priusquam surrexissent sodales ad preces consuetas: & Deum precatus, fretus eo qui facit voluntatem timentium eum, virga cui innixus erat petram percussit. Ea verò rupta, aqua instar fluminis scaturijt: & monasterium ingrediens per aquæ ductum, & quantum ad omnem vsum sufficit abundè suppeditans, in mare propinquum influit: & in hodiernū vsque diem ostenditur operans Mosaica magni Theodosij gratia. Sufficit vel hoc solum ad ostendendam viri huius erga Deum fiduciam. Cùm autem Antiochię vixisset paruo tempore, migrauit ad choros Angelorum. Per mediam autem vrbem ferebatur sacrum corpus, tanquam aureis quibusdam coronis, ferro illo decoratum, cùm omnes duces concurrissent, & qui magnos suæ fidei creditos gerebant magistratus. De cubili autē erat magna lis & decertatio, cùm id omnes auferre contenderent, & ex eo benedictionem & vtilitatem percipere cuperent. Sic elatus, ponitur in ęde sanctorum Martyrum, cùm Iuliani victoria insignis in pietate athletæ fuisset & contubernalis, & eodem tecto vsus. Idem autem loculus eum excepit, qui illum quoq; diuinum & beatum Aphraatem. Gregis autem præfecturā accepit Helladius ille admirabilis, qui in illis quidem locis perpetuis fuit sexaginta annis, deinde Cilicum diuinitus electus est Antistes, cùm neque priorem reliquisset philosophiam, & illis laboribus Pontificatus sudores quotidie adderet. Huius cùm beatus quoque Romulus fuisset auditor, dux magni gregis fuit creatus. Permansit autē illius chorus in hodiernum vsque diem, idem seruans vitæ institutum. Est autem prope monasteriū vicus qui Syriacè appellatur Maratus. Ego autem fine imposito huic narrationi, rogo vt eius quoque consequar benedictionem.

ROMANVS.

XI. *Huius meminit Theodoretus lib. 4. historiæ ecclesiasticæ.*

MAgnus ergo Theodosius ab Antiochia profectus, cùm in mōtibus Rosicis decertasset, & Antiochiam reuersus esset, sic vitæ finem accepit. Diuinus autem Romanus, Rosi natus, & primum educatus, Antiochiæ ostendit prima virtutis certamina, extra ambitum quidem ciuitatis ad latus montis fixo tabernaculo, in aliena autem domuncula eaque parua viuens toto tempore. Nunquam autem vsque ad senectutem neque igne vsus est, neque lumine lucernæ. Cibus autem ei erat panis & sal. Potus autem fontanum fluentum. Erat autem coma magno Theodosio similis: vestis autem ferrum quoque similiter. Abundauit autem hic & morum simplicitate ac mansuetudine & moderatione, & ideo emisit splendorem diuinæ gratiæ. Super quem, inquit, respiciam, nisi super mitem & quietum, & trementem sermones meos? *Esa. 66.* Iam verò rursus quoque dixit suis discipulis. Discite à me: quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. *Matth. 11.* Et rursus, Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram. *Matth. 5.* Quinetiam Mosis legislatoris erat hoc vel maximè insigne. Erat enim, inquit, Moses mitissimus præter omnes homines qui erant super terram. *Numer. 12.* Hoc de propheta Dauide testatus quoque est sanctissimus spiritus. Memento, enim inquit, Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius. *Psal. 131.* Didicimus etiam de patriarcha Iacob, quòd non fictus erat domum habitans. Has virtutes cū instar apis collegisset ex diuinis illis pratis, mel confecit veræ philosophiæ. Profundebantur autem eius quoque in externos fluenta iucundissima: & ijs qui ad ipsum veniebant, leni ac dulci voce vtens, de amore in fratres, de concordia & pace, multas offerebat admonitiones. Multos aūt vel solo aspectu effecit rerum diuinarum amatores. Quis enim non esset mirandum in modum admiratus, cùm videret eum corpore afflictum, & qui prolixam gestabat comam, & maximum ferri pondus sua sponte ferebat, & veste ex pilis contexta vtebatur, & tantum capiebat alimenti quantum satis erat ad prohibendum ne fame moreretur? Magnitudini autem & multitudini laborū accedebat quæ in eo florebat gratia, qua quidem omnes persuadebantur, vt eum admirarentur & honore afficerent. Multorum enim sæpe morbos exegit difficiles: multis autem sterilibus mulieribus filios impetrauit. Et cùm tantam à diuino spiritu accepisset potestatem, seipsum appellabat egenum & mendicum. Quotquot itaque ad eum ventitabant, eos & aspectu & sermone, toto vitæ suæ tempore, impleuit vtilitate. Porrò autem cùm hinc quoque excessisset, & in Angelicum chorum esset translatus, reliquit memoriam quæ non fuit sepulta simul cum corpore, sed quę viget, floret, & germinat, & quæ extingui non potest, sed semper permanet, & quæ sufficit ad eos qui volunt adiuuandos. Cùm hinc itaque benedictionem mihi cōciliauero, aliorum quoque athletarum res gestas narrabo, vt potero.

ZENO.

XII. ZEnonem admirabilem non multi quidem cognoscunt: qui cognoscunt autem, non possunt admirari pro dignitate. Is enim cū maximas opes reliquisset in patria, ea

autem erat Pontus, magni quidem, vt dicebat, Basilij hausit fluenta, qui erat vicinus, & Cappadocum irrigabat regionem: irrigatione autem dignos fructus reddidit. Cùm primum enim imperator Valens fuisset de medio sublatus, militare deposuit cingulum: erat autem adscriptus in numerum eorum qui literas imperatoris ferebant celeriter. Cùm autem à regia venisset in quoddam sepulchrum, multa autem sunt in monte, quod est situ prope Antiochiam, solus illic degebat expurgans animam: & eius contéplandi facultatem semper emundans: & diuinã contemplationẽ semper visione apprehendens: & Dei ascensus in corde disponens: & pennas tanquã columbæ accipere desiderans: & in diuinam requiem euolare cupiens. Ea de causa non habuit lectum, non lucernam, non focum, non ollã, non guttum, non arculam, non librum, non aliquid aliud: sed erat quidem pannis indutus veteribus: erant quoque calcei eiusmodi vt indigerent vinculis: erat enim diuulsum ac discerptum solearum corium. Ab vno autem ex familiaribus necessariũ accipiebat alimentum. Id autem erat vnus panis, qui duobus suppeditabatur diebus: aquã autem procul hauriẽs, ferebat ipse. Cùm quis autem eum aliquando vidisset onus portantem, rogabat vt eum leuaret labore. Ille autem primum quidem resistebat, docens se non posse in animum inducere vt biberet aquã quæ esset portata ab alio. Postquam autem non persuasit, dedit vrnas: ferebat enim duas ambabus manibus. Postquam autem fuit intra portã atrij, cùm aquam effudisset & dispersisset, rursus cucurrit ad fontem re ipsa confirmans quę dixerat. Porrò autem ego quoque quando eum primùm desiderans videre, ascendi in montem, aspexi eum tenentem vrnas manibus. Deinde rogaui eum vbinam esset admirabilis Zenonis habitaculum. Is autem dixit se nullum nosse monachum qui sic appellaretur. Ego autem cùm eum ipsum esse coniecissem, secutus sum, id conijciens ex eius sermonis modestia. Postquam autẽ ingressus sum ostium, vidi torum ex fœno constructum, & quandam aliam stoream ita super lapides stratam, vt qui super illam sedebant ab ea minimè læderentur. Postquam autem de Philosophia multa verba fecimus: ego enim interrogabam, ipse verò nobis explicabat ea quę quęrebantur: & oportebat deinceps domum reuerti: ego eum precabar vt daret viaticũ benedictionis: ille autem repugnabat, dicens æquum esse vt nos preces impleremus: & seipsum quidẽ priuatum, nos autem milites appellans: tunc enim sacros libros legebam Dei populo. Cùm nos autem iuuentutem & ætatis immaturitatem adduceremus, tunc enim primum paucã quandam producebamus lanuginem, & iuraremus nos non esse rursus venturos, si cogeremur hoc facere, vix tandem quidẽ multis flexus precibus, Deo obtulit quidem intercessionem: sed quòd id fecisset multis verbis se excusauit, dicens se id fecisse & amoris causã & obedientiæ: appropinquantes enim audiuimus precantem. Quòd autem in tam profunda philosophia, tanta esset modestia ac moderatione vir senex, quadraginta enim annis perpetuis versatus erat in monastica exercitatione, quis satis pro dignitate potuerit admirari, quasnam autem laudes magnitudini pares potuerit afferre? Cùm autem virtutis tales possideret opes, tanquam qui esset in extrema inopia, ad Dei ecclesiã die dominico veniebat, cum populo diuinos audiens sermones, & aures accommodans doctoribus: & postquam mensam participasset mysticam, reuertebatur in nouum illlud habitaculum, non habens clauem, non claustrum, non relinquens custodem: erat enim maleficis planè inuium & sacrosanctum, vt quod solam illam haberet stoream. Vnum autem librum accipiens à familiaribus, eũ totum legebat: & eo prius reddito, alium accipiebat. Sed licet nec claustra haberet, nec vectibus vteretur, custodiebatur à superna gratia. Idque per ipsam experientiam apertè didicimus. Quando enim Isauri per insidias noctu arcem cepere: deinde manè vsque ad latus montis faciebant incursiones, multos quidem viros, & multas mulieres quæ vitam exercebant monasticam, crudeliter confodere. Tunc ergo vir diuinus, aliorum cædem intuẽs, effecit oratione vt eorum caligarent oculi: & per ostium ingredientes, non videbant aditum: vt autẽ dicebat, testem appellans veritatem, apertè quoque tres vidit adolescentes, qui totam illã cæteruam expellebant, Deo manifestè suam ostẽdente gratiam. Qualem ergo vitam egerit hic vir diuinus, & qualem sit diuinitus gratiã assecutus, ad docendum hæc sufficiunt. Sed enim necesse est hoc quoq; his adijcere. Valde eum angebat & male habebat quòd eius mãsissent facultates, & non ex lege euangelica & venundatę essent & distributæ. Huius autem causa fuit, fratrum ætas immatura. Quoniam enim erãt communes & pecuniæ & possessiones, ipse quidem nolebat diuisionis causa redire in patriam: alij autem verebatur vendere partem suarum facultatum, ne emptores moti auaritia fratres circumscribentes, illi inurerent ignominiã. Hæc apud se animo versans, diu distulit venditionem. Postea autem cùm cuidam ex notis suis vendidisset omnia, plurima quidem distribuit: interim autem mala quæ accidit valetudo, coegit eum consultare de reliquis. Accersito itaque antistite ciuitatis, is autẽ erat magnus Alexander, splendor veræ religionis, & exemplar virtutis, exacta & accurata imago philosophiæ. Adesdum, inquit, ò diuinum caput, harum tu pecuniarum sis mihi optimus œconomus, eas ex diuino instituto distribuens, tanquam iudici illi rationem redditurus. Alias enim ego manu mea dipsensaui, & distribui vt mihi visus sum optimè. Vellem autem reliqua quoque dispensare similiter. Sed quoniam iubeor migrare ex hac vita, te ego earum constituo dispensatorem, qui es & pontifex, & pontificatum legibus rectè geris. Pecuinas itaque

itaque tanquam Dei quęstori tradidit. Ipse autem cùm non plus quàm annum vixisset postea, tanquã quidem Olympicus victor recessit à septis, non ab hominibus solum gloriam assecutus, sed etiam ab angelis. Ego autem cùm eum, vt pro me ad Dominum intercedat, orauero, me ad aliam conuertam narrationem.

MACEDONIVS.

XIII. *Huius meminit Ioannes Damascenus in libro qui inscribitur aduersus vituperatores imaginum.*

Macedonium autem cognomine χριθοφάγον, id est, vescentem ordeo, is enim cibus hoc ei cognomen imposuit, sciunt quidem omnes Phœnices & Syri & Cilices. Sciunt autem horum quoque vicini & finitimi, qui partim quidem ipsi viri videre miracula, partim autem ea famam celebrantem audiuere. Neque verò sciunt omnes omnia: sed cùm alij quidẽ hoc, alij verò illud didicerint, quod sciunt meritò solum admirantur. Ego autem cùm de hoc diuino capite alijs sciam perfectius: multa enim me moueruntvt ad eum irem & frequens apud eum essem, narrabo singula vt potuero. Hunc autem ei ordinem seruaui, & post multos eius posui narrationem, nõ quòd is alijs fuerit virtute secundus: erat enim vel summis & primis ęqualis: sed quòd cùm vixerit longissimo tempore, post illos, quorum memini, vitæ finem accepit. Hic ergo habebat palæstram & stadium, cacumina montium, non in vno loco positus, sed nunc quidem in hoc agens, nunc verò in illum transiens. Hoc autem faciebat, non loca ægrè ferens, sed eorum qui ad ipsum conueniebant, & vndique concurrebant, effugiens multitudinem. Quadraginta autem & quinque annis perpetuis vixit hoc modo: non vtens tabernaculo: non tugurio: sed stans in fossa profunda. Vnde etiam quidam eum vocabãt Gubbam. Id autem nomen, si ex lingua Syriaca in Græcam transferatur significat λάκκον, id est lacum. Post id autem temporis cùm euasisset senex, cessit rogantibus, & fixit tuguriũ. Postea autem orantibus familiaribus, domunculis quoq; non proprijs, sed alienis est vsus. Vigintiquinque autem annis perpetuò vitam egit in tugurio & domunculis, vt deinde colligatur certaminum tempus septuaginta anni. Cibo autem vsus est, non pane, nec leguminibus, sed purgato ordeo, & aqua sola madefacto. Hunc aũt cibum mater mea quæ ei fuit familiaris, longissimo tempore suppeditauit. Cùm aliquando autem ad eam venisset ægrotantem, & didicisset eã nolle persuaderi vt sumeret cibum morbo conuenientem: nam ipsa quoque iam exercitationẽ amplectebatur monasticam, cõsuluit vt cederet medicis: & illud nutrimentum existimaret esse medicamentum: non enim deliciarũ, sed necessitatis gratia adhibetur. Nã ego quoque, inquit, qui quadraginta annis, vt scis, ordeo solo sum vsus, cùm quædam mihi pridie huius diei venisset infirmitas, iussi eum qui mecum habitabat parũ mihi panis petere & afferre. Venit enim mihi in mentem quòd si morerer, mortis redderem rationem apud iustum iudicem, vt qui fugissem certamina & detrectassem labores seruitutis. Nam cùm pauco cibo posset mors prohiberi, & in hac vita possem sic manere, laborans & me affligens, & opes quæ ex his percipiuntur colligens, mori fame quàm viuere in philosophia duxi magis expetendum. Timore ergo hinc repletus, cùm vellem cogitationis obtundere aculeos, & panem petere iussi, & allatum comedi: & tibi præcipio ne mihi amplius ordeum, sed panem præbeas. Ex illa ergo lingua ab omni mendacio aliena audiuimus, quòd quadraginta annis comederit ordeum. Atque hæc quidem sufficiunt ad conijciendum quàm esset vir in exercitatione monastica strenuus & quàm laboriosus. Integritatem autem & simplicitatem morum per alia declarabimus. Postquam enim magnus fuit ordinatus Flauianus, vt magnum Dei gregem pasceret, viri autem virtutem didicit: prædicabatur enim & erat in ore omnium: eum quidem abducit à vertice montis: tanquam in eum ad se delata fuisset accusatio. Cùm autem mysticum esset propositum sacrificium, adducit ad altare, & eum cooptat in numerum sacerdotum. Postquam autem fuit sacrum finitum officium, & hoc ei significauit aliquis, quod enim factum fuerat ignorabat omnino: primum quidem incessebat omnes maledictis & cõuitijs: postea autem accepto baculo, solebat enim eo innitens ingredi propter senium, & ipsum persequebatur pontificem, & alios quotquot aderant. Existimabat enim ordinationem eum esse priuaturam & cacumine montis, & ea quam desiderabat viuendi ratione. Sed tunc quidem vix eum irascentem sedauerunt quidam ex familiaribus. Postquam autem fuit finitus hebdomadæ circulus, & rursus venit dies festi Dominici, rursus eum magnus accersit Flauianus, rogans vt cum eis esset particeps huius celebritatis: ille verò ad eos qui venerãt, Non sufficiunt, inquit, vobis ea quæ facta sunt: sed me rursus vultis efficere presbyterum. Cùm ij autem dicerent fieri non posse vt bis eadem fieret ordinatio, non cessit, neque venit, donec tempus & eius familiares eum id docuerunt. Scio quidem fore vt hæc narratio videatur multis non adeò admiranda: eam autem posui, vt qui eam dignam quæ commemoretur existimem, vt ex qua satis possit conijci & eius animi simplicitas & animę puritas. Ijs autem qui sunt huiusmodi, Dominus regnũ cœlorum est pollicitus. Amen enim, inquit, dico vobis, nisi conuersi fueritis vt puelli isti, non intrabitis in regnũ cœlorum. Quoniam ergo summatim ostendimus eius animi formã ac characterem, age eius quoque ostendamus ex virtute fiduciam. Quidam dux militum qui delectabatur venatione, ascendit in montem venaturus. Eum autem sequebantur & canes & milites, & quæcunque sunt apta ad venationem. Postquam autẽ procul vidit hominem, & ab ijs qui cum eo erant audijt quisnam esset, statim ex equo desiliens, accessit, & allocutus est, & rogauit quid faciens hic

Matth. 18.

degeret: is autem contrà vicissim interrogauit, Tu autem quid hic venisti facturus? Cùm dux autem dixisset, Venaturus, Et ego, inquit, meum venor Deum: & eum capere cupio: & contemplari desidero: nec ab hac pulchra cessabo venatione. Hæc cùm dux audijsset, & vt par erat miratus esset, recessit. Cùm autē aliquando ciuitas à malo aliquo dæmone incitata baccharetur, & in imperatoris fureret statuas, venerant quidam ex ducibus præstantissimi, qui aduersus ciuitatem internecionis ferebant sententiam. Cùm is autem è monte descendisset, ambos accedentes duces in foro retinuit. Illi verò cùm quisnam is esset didicissent, & ex equis desiluerunt, manusque & genua prehenderunt, & ei salutem significarunt. Ille autē iussit vt dicerent imperatori, quòd homo esset, & eādem haberet naturam quam ij qui eum affecerant contumelia, & cùm natura iram metiri oporteat, ira sit vsus immoderata: & pro suis imaginibus Dei imagines occidat: & pro ære statuarum, corpora morti tradat. Ac nobis quidē æneas effingere & rursus formare, est in promptu & facile. Tu autē, etsi sis imperator, non potes occisa corpora ad vitam reducere. Et quid dico corpora? Neque enim pilum vnum potes effingere. Hæc dixit voce vsus Syriaca. Illi aūt interprete in linguā Græcam transferente, audiētes & exhorruerunt, & ea ad imperatorem transmissuros significarunt. Ego aūt existimo omnes confessuros hæc verba esse gratiæ diuini spiritus. Quomodo enim aliter hæc esset locutus vir quidem expers omnis eruditionis, in agris autem educatus, vitam autem agens in cacuminibus montium, omnem autem animo circumferens simplicitatem, & qui nec diuinis quidē vacauerat eloquijs? Cùm itaq; eius & spiritalem declarauerim sapientiam, & quæ iustis conuenit fiduciā, iustus enim confidit vt leo, transibo ad miracula. Vxor quædā cuiusdam locupletis nobilis, inciderat in morbum ingluuiei: & alij quidem eum morbū appellabant operationem seu vexationē dæmonis: alij autem eum existimabant imbecillitatem corporis. Siue autem hoc, siue illud esset, erat huiusmodi. Dicebant eam comedentem in die triginta gallinas, non posse appetitionem extinguere satietate, sed adhuc alias appetere. Cùm sic ergo in ea consumerentur facultates, eius miserti qui ad eam attinebāt, diuinum illum hominem obsecrant. Ille autem venit quidem & precatus est: & cùm aquę dexteram imposuisset, & salutare efformasset signaculum, & iussisset bibere, curauit morbum: & adeò retudit immoderatā illam appetitionem, vt deinceps parua aliqua gallinæ particula quotidie eius alēdæ vsum impleret. Hic quidem morbus hoc modo est curatus. Cùm autem quædam puella thalamo adhuc contineretur, & repente cœpisset vexari à malo dæmone, accurrit pater ad diuinum hominem, orans, & vociferans, & postulans vt curaretur filia. Is autē precatus, iussit vt dæmon statim abiret à puella. Is autem dicebat se eam non sua sponte esse ingressum, sed magicis coactū præstigijs. Dicebat autem eius quoq; nomen qui coegerat, & amorem esse causam incantationis. Sed cùm hæc audijsset, non tulit pater irę impetum: nec expectauit vt curaretur puella: sed omnium magistratuum summum adit, præsidem scilicet qui pluribus præerat gentibus: accusat hominē, & rem narrat. Is autem reus in iudicium adductus, rem negabat, & accusationem nominabat calumniam. Hic autem non alium citabat testē quàm ipsum dæmonem qui minister fuerat incantationis: & orabat iudicem vt curreret ad illum virum diuinum, & acciperet eius testimonium. Cùm is autem diceret non esse fas nec iustum vt in loco monasticę exercitationis haberetur quęstio, dixit pater puellæ se in iudicium ductūrum Macedonium: & currens persuasit, & duxit. Sedens autem extra iudicium iudex, non fuit iudex, sed spectator. Magnus enim Macedonius fungebatur officio iudicis, vtens ea quæ intus habitabat potestate. Et cùm iuberet dæmoni vt consuetum mitteret mendacium, cum tota autem veritate rei narraret tragœdiam. Ille à maxima adactus necessitate, & virum ostēdit qui ei magicis carminibus vim attulerat, & ancillam per quā illa potio puellæ data fuerat. Cùm autem alia quoque pararet dicere quæ fecerat coactus ab alijs, vnius quidem ædes exurens, alterius verò iumenta interimēs: alium verò aliquo alio damno afficiens, iussit homo Dei eum silere, & statim procul recedere à puella & ab vrbe. Ille autē tanquam Domini legi parēs, fecit quod iussus erat, & protinus effugit. Sic cùm hanc vir diuinus liberasset à furore, illum quoque miserum eripuit ab accusatione, & obstitit quo minus iudex in eum ferret sententiā capitis: non esse fas dicens vt propter ea quæ per ipsum sunt conuicta, suppliciū capitis decerneretur, sed potius per pœnitentiā ei daretur salus. Atque hæc quidem satis sunt ad ostendendā diuinæ potentiæ copiā quæ ei data fuerat: ego tamen alia quoque narrabo. Mulier quædam nobili loco nata, & longè ditissima, ea autē vocabatur Assyria, erat quidē emotę mentis, ex domesticis autem agnoscebat neminē: vt cibum autem & potum sumeret ferre nō poterat. Plurimo autem tempore assiduè delirabat: & hoc alij quidem dicebant esse vexationem & operationem dæmonis: Medici autem dicebant esse morbum cerebri. Cùm omnis ergo ars esset consumpta, & ex ea nullum daretur auxilium, eius maritus, erat autem is Abrodianus, vir qui & erat ex magistratibus, & magna dignitate prędituS, ad diuinū illud caput accurrens, narrauit morbum coniugis, & orauit vt ea assequeretur curationem. Cessit vir diuinus: & domum quidem venit, & magno ac vehemēti studio Deo obtulit orationem. Perfecta autem oratione cùm iussisset aquam afferri, & fecisset figuram salutaris signaculi, iussit illam bibere. Cùm autem prohiberent medici, vtpote ꝙ potu aquæ frigidæ morbus crescere, expulsa tota illorum caterua, obtulit mulieri

mulieri potionem. Illa autem simulac bibit, ad se redijt, & à morbo omnino liberata, diuinum virum agnouit, & vt dextram acciperet rogauit, oculisq; eam imposuit, & ori admouit, & deinceps semper fuit mentis compos. Cùm autē illud vitæ genus amplecteretur in montibus, pastor quidā quęrens oues errātes, venit ad illum locum vbi erat homo Dei: erat autem nox profunda & multa nix descenderat: & vidit, vt ipse dixit, pyrā circa ipsum accensam: & quosdā duos candida veste indutos, igni præbentes materiā. A nimi enim alacritatem afferens, diuino fruebatur auxilio. Quinetiam doni erat prophetici particeps. Et cùm ad eum aliquando venisset quidā dux, pietate & vera religione clarus, quis autē ignorat virtutem Lupicianī? dixit se esse de quibusdā sollicitum, qui ab vrbe regia per mare ad ipsum ferebant necessaria. Dicebat enim præterijsse quinquaginta dies ex quo ex portu soluerāt, de eis autem nihil audiuerant. Ille autem nihil cunctatus, Vna, inquit, nauis, amice, perijt: altera autem postridie portum occupabit Seleuciæ. Et hoc quidē audiuit diuinam illā vocem locutam: didicit aūt experientia eorum quæ dixerat veritatem. Vt autem alia prætermittā, ea narrabo quæ ad nos ipsos pertinent. Cùm mater mea vnà cum patre meo habitasset tredecim annis, ea non fuerat facta mater filiorum: erat enim sterilis, vt quę fructū ferre à natura prohiberetur. Et ipsa quidem id non valde ægre ferebat. Quæ enim erat in rebus diuinis erudita, credebat hoc esse vtile: magnam autem molestiā accipiebat pater quòd careret filijs: & circunquaq; cursitans, rogabat Dei seruos à Deo ei peterent filios. Alij ergo pollicebātur se & Deum deprecaturos, & iubebāt vt esset Dei voluntate contentus. Hic autem homo diuinus est aperte professus, se vnum petiturum ab vniuersi opifice, & se petitionem accepturum est pollicitus. Cùm tres itaque anni præterijssent, & promissio finem non accepisset, rursus accessit pater promissum exigens. Ille autem iussit vt ad se mitteretur coniunx. Cùm autem venisset mater, dixit ille vir diuinus, se & petiturum, & eam filium accepturam, & quòd oportet eū ei qui dederat dedicari. Cùm autem mater solum rogaret vt animæ salutem acciperet, & vt liberaretur è gehenna: Præter hoc, inquit, liberalis & munificus Deus tibi dabit filium. Iis enim qui purè & sincerè petunt, duplices largitur petitiones. Illinc reuersa est mater afferens promissi benedictionem. Et quarto anno à promissione concipit, & gerit vterum, & accedit ad diuinum hominem, benedictionis ostendens manipulos. Quinto autem mense à conceptione, fuit periculum abortionis. Illa autem rursus misit ad nouum suum Elisæum: vetabat enim morbus ne ad ipsum veniret: & ei reuocauit in memoriam quod nolebat fieri mater filiorum: & eius promissa adduxit in medium. Ille aūt cùm procul vidisset venientem, & agnouit, & causam significauit. Noctu enim & morbum & saluté ei ostenderat Dominus. Accepto ergo baculo, venit, ei innitēs: & cùm fuisset intra ędes, & pacis salutationem dedisset vt consueuerat, Bono, inquit, sis animo: nec timueris. Neque enim donum auferet is qui dedit, nisi tu pacta conuenta transilieris. Pollicita est autem te ei redditurum eum qui datus fuerit, & ei consecraturum ad diuinum ministerium. Sic autem, inquit mater, ego & opto & volo. Existimo enim vel imperfectissimum fœtum esse magis expetendum quàm à Deo alienam filij educationem. Cùm itaque aquam accepisset & benedixisset, Bibe ergo, inquit vir diuinus, hanc aquam: & senties diuinum auxilium. Bibit itaque vt iusserat, & abortionis effugit periculū. Hæc sunt nostri Elisæi miracula. Ego eius benedictionem & doctrinam sæpe percepi. Me enim adhortans, sæpe dicebat. Natus es, ò fili, cū multis laboribus. Multas noctes Deum hoc solum perpetuò rogaui, vt tui parentes hoc fierent quod te nato sunt nominati. Vide ergo vt vitam agas dignam laboribus, vt qui antequam nascereris, promissis fueris dedicatus. Quæ sunt autem Deo dedicata, sunt omnibus veneranda, & quæ à vulgo minimè sunt contrectanda. Conuenit ergo vt tu quoq; malos animi motus non admittas: illa autē sola & facias & cogites quæ Deum placant virtutis legislatorem. Hæc mihi perpetuò suadebat vir diuinus. Ego autem & eorum quæ mihi dixit memini: & donum diuinum sum edoctus. Cùm autem non ostendam factis ea quæ mihi suasit, rogo vt per illius preces diuinum consequar auxilium, & quod est vitæ reliquum, agam ex illius præceptis. Qualis ergo ille fuerit, & quibus vsus laboribus diuinam attraxerit gratiam, hæc quoque ad docendum sufficiunt. Accepit autem etiā in hoc mundo eius obitus dignum honorem laboribus. Omnes enim & ciues & externi, & quibus credita fuerat magnorum magistratuum dispensatio, ferentes illum sacrū lectum super humeros, deportarunt in ædem martyrum victoria insignium: & cum diuinis viris Aphraate & Theodosio, sanctum illud & Deo gratum corpus deposuerunt: mansit autem gloria eiusmodi vt extingui non possit. Nos autē imposito fine narrationi, eum qui percipi potest ex narratione bonum odorem percepimus.

MAESTMAS.

SCimus quidem alia quoque plurima in vrbe Antiochena resplenduisse pietatis & veræ religionis lumina, magnum Seuerum, & Petrum Aegyptium, & Eutychen, & Cyrillum, & Mosem, & Malchum, & alios quoq; plurimos eadem via esse ingressos. Sed si res ab omnibus in vita gestas conaremur scribere, totum tempus nobis non suffecerit: maximè cùm etiam multis permultorum lectio afferat satietatem. Ex ijs ergo qui scripti sunt, de eorum quoque qui sunt prætermissi vita coniecturam facientes, prosequantur laudibus & imitentur, & vtilitatem percipiant. Ego autem transibo ad prata Cyri, & eorum XIIII.

quiin eis fuerunt fragrãtium speciosorumque florum, quàm maximè potero ostendam pulchritudinem. Fuit quidam Mæsymas, in ijs quæ nos præcesserunt temporibus: voce quidem Syrus, & ruri educatus, & qui virtutis omne genus ostendit. Cùm autem claruisset in ea quæ est per se vita, ei cuiusdam vici cura fuit credita. Sacrificans autem, & Dei oues pascens, illa & dicebat & faciebat quæ lex iussit diuina. Aiunt autem eum neque tunicam, neque cilicium sæpe mutasse, sed ijs quæ in eis fiebant rupturis aliquot pannos consuendo, senectuti hoc modo remedium attulisse. Hospitum autem & pauperum tam alacri animo curam gerebat, vt patefaceret portas omnibus qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia: vnum quidem, frumenti: alterum verò, olei. Ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus: habebat autẽ ea semper plena benedictione quæ data est viduæ Sarephtanæ, & immissa fuerat in hęc dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effundit in omnes eos qui ipsum inuocant: & sicut illius hydriam & guttum iussit scaturire, præbens manipulos seminum hospitalitatis: ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, quæ ex æquo respondebat eius animi alacritati. Iam verò ad facienda quoque miracula à Deo vniuersorum magnam accepit gratiam. Faciam autem mentionem vnius aut duorum miraculorum: reliqua autem prętermittam, vt qui properem venire ad alios. Mulier quædam & genere & fide ornata, filium qui ceciderat in malam valetudinem, erat autem admodum tenera ætate, multis obtulit medicis. Arte autem superata, cùm & medici desperassent, & puerum esse moriturum apertè dixissent: non abiecit mulier spem meliorem: sed illam imitata Sumanitidem, mulis imponit cameram. Cùm in ea autem se & puerum imposuisset, peruenit ad virum illum diuinum. Lamentans autem, & naturæ ostendens affectionem, rogauit vt ferret auxilium. Is autem cùm puerum manibus accepisset, & aræ basi admouisset, iacebat pronus, animarum & corporum rogans medicum: & accepta petitione reddidit valentem matri filium. Ego autem id audiui ab ea quæ hoc vidit miraculum, & pueri accepit salutem. Aiunt autẽ illius quoque vici dominum cùm venisset (is autem erat Latoius, qui Antiocheni quidem senanatus primas partes tenebat, impietatis autem tenebatur caligine) & fructus acrius quàm oportebat exigeret ab agricolis, diuinum illum hominem clementiam illi consuluisse, & de misericordia apud eum verba fecisse: mansisse autem illum inexorabilem, experientia autem cognouisse secutum damnum ex eo quòd non paruerit. Cùm enim eum abire oporteret, & currus esset paratus, & sedens aurigæ iussisset vt mulas incitaret: illę quidem trahebant totis viribus, vrgẽtes, & temonem asportare molientes: visę sunt autem rotę ferro & plumbo alligatæ. Cùm autem agrestium quoque multitudo, rotas mouens vectibus nihil proficeret, quidam ex amicis qui Latoio assidebat, ei causam significat, dicẽs sacerdotem senem eum esse execratum, & quòd oportet eum placare & reddere beneuolum. De curru itaq; exiliens, ei fuit supplex quem prius respuerat: & ad eius pedes prouolutus, & sordidos pannos amplectens, rogabat vt iram compesceret. Is autem cùm preces accepisset, & eas Domino obtulisset, soluit vincula rotarum quę sub visum non cadebant, & effecit vt sicut solebat veheretur vehiculum. Porrò autem multa quoque alia huiusmodi narrant de diuino illo capite. Potest autem ex his quoque intelligi, quòd ijs qui volunt philosophari, nihil detrimenti afferat mora quæ trahitur in oppidis & vicis. Ostendit enim hic, & qui huic similes, Dei culturæ curam gerunt, quòd etiam qui versantur in media hominum multitudine, peruenire possint ad ipsum virtutum fastigium. Cuius ego vtinam ad aliquam saltem partem exiguam sustollar, eorum adiutus precibus.

ACEPSEMAS.

XV. *Huius meminit Theodoretus lib. 4. historiæ ecclesiasticæ.*

ACepsemas fuit eodem tempore, cuius fama late sparsa est per orientem. Is cùm in domuncula seipsum inclusisset, sexaginta annos transegit, neque visus videns, neque loquens: sed in seipsum conuersus, & Deum visione apprehendens, illinc omnem accipiebat consolationem, conuenienter prophetiæ quæ dicit. Delectare in Domino, & ora eũ, ipse dabit tibi petitiones cordis tui. *Psal. 36.* Per exiguam autem quandam fossam manum porrigens, accipiebat id quod afferebatur nutrimentum. Fossa autem non ita effossa fuerat vt omnino tenderet in directum, ne esset ex aduerso eorum qui vellent ipsum videre, sed erat obliqua, & ita constructa vt esset instar incuruę lineæ. Ei autem afferebatur cibus, lens aqua madefacta. Semel autem in hebdomada noctu egrediens, hauriebat ex fonte propinquo quantum satis erat aquæ: & cùm aliquando quidam pastor procul oues pascens, in tenebris vidisset eum moueri, & eum coniecisset esse lupum: ibat enim incuruus, vt qui multo esset ferro grauatus: mouit fundam tanquã iaculaturus lapidem. Cùm autem eius manus longo tempore maneret immobilis, & lapidem non posset emittere donec vir ille diuinus hausta aqua reuersus est, sensit ignorantiã: & post aurorã venit ad virtutis gymnasium: & narrat q̃ acciderat, & petit veniam, & accipit delicti remissionem: non audita voce loquente, sed per manus motiones intellecta placatione. Quidam autem alius, vsus quodam maligno inuestigandi studio, & scire desiderans quid toto tempore ageret perpetuo, ausus est cõscendere platanũ, quæ sita erat iuxta fossam: sed percepit illico fructus suæ audaciæ. Media enim parte corporis vsq; ad pedes exsiccatus, supplex erat, suum peccatum accusans. Ille verò, secta platano prius, significauit futurã sanitatem. Ne enim alius quoq; cùm similia fecisset, pœnas

pœnas lueret similes, arborem iussit excindi. Arboris autem sectionem secuta est etiam ablatio supplicij. Tanta quidem fortitudine & tolerantia vsus est hic vir diuinus: ab Agonotheta autem tantam accepit gratiam. Cùm autem se ad hinc migrandum pararet, prædixit quòd post quinquaginta dies vitæ finem esset accepturus: excepit autem omnes qui vellent eum videre. Cùm autem ecclesiæ quoque venisset Antistes, eum quidem vrgebat vt iugum acciperet presbyteri, Noui, dicens, ò pater, & tuæ philosophiæ altitudinem, & quanta sit mea paupertas. Sed cùm mihi sit credita pontificatus administratio, ex hac non ex illa ordino manus imponens. Accipe ergo, inquit, donum sacerdotij mea quidem dextera ministrante, sanctissimi autem spiritus gratia suppeditante. Ad hæc fertur dixisse, paucis pòst diebus hinc migraturus, De his, inquit, minimè decertabo. Si enim essem diutius victurus, omnino fugissem hoc graue & terribile onus sacerdotij, pertimescens reddendam depositi rationẽ. Quoniam autem non ita diu abhinc recedam ijs quæ hic sunt relictis, iussis non inuitus pareo. Statim ergo nullo ducente, hic quidẽ flectens genua, expectabat gratiam: ille verò manum imponens, erat administer spiritus. Cùm autem accepto sacerdotio vixisset paucos dies, vita vitam mutauit: senijque & curæ expertem, pro hac quæ multis curis est obnoxia, accepit. Cùm vellent autem omnes corpus rapere, & in animo haberent vnusquisque in vicum suum transferre, quidam cùm sancti iusiurandum significasset, sustulit contentionem. Dixit enim sanctum eum iureiurando adegisse, vt eum in hoc loco traderet sepulturæ. Ita etiam post mortem, frugalitatis & simplicitatis curam gerebant ciues cœlorum: & neque cùm viuebant, in animum vnquam induxerunt vt eis res vlla magnos spiritus faceret, & mortui non sunt amplexi honorem hominum: sed totum amorem transtulerunt in sponsum: non secus ac pudicæ mulieres, quæ à solis coniugibus student & amari, & laudari, laudes aliorum contemnentes. Ea de causa sponsus eos etiamsi nolint, reddit claros & insignes, & hominum gloria ex redundanti quadam copia impertit. Cùm enim quis diuina persequens, petit cœlestia, vnà cum illis multa quoque alia adijcit, multiplicatas largiens petitiones. *Luc. 12.* Hoc etiam dixit in ferendis legibus. Petite regnum Dei & iustitiam, & cętera omnia adijcientur vobis. Et rursus. Qui *Matth. 19.* reliquerit patrem & matrem & fratres & filios propter meum Euangelium, etiam in hoc sæculo centuplum accipiet, & in futuro erit hæres vitæ æternæ. Hæc & dixit & fecit. Nobis quoque adsit & sermone & opere eruditis, & eorum precibus innixis, tanquam scopum, attingere premium superna vocationis, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

(.)

MARO.

XVI.

MAronis post hunc meminero. Nam is quoque diuinum sanctorum chorum exornauit. Eam enim quæ sub dio sit vitam amplexus, occupauit quoddam cacumen quod in honore habebatur ab ijs qui erant olim impij. & cùm quod in eo erat templum dæmonum Deo consecrasset, in eo est versatus, paruo quodam in eo fixo tabernaculo, quo tamen raro est vsus. Non solum autem consuetis vsus est laboribus, sed etiam alios excogitauit, accumulans opes philosophiæ. Agonotheta autem mensus est gratiam eius laboribus. Liberalis enim & munificus Deus ei tam copiose dedit donum curationum, vt in omnes quidem partes eius gloria peruaserit, omnes autem vndique attraxerit, & experientia docuerit eam famam esse veram. Videre enim erat & febres extingui rore benedictionis: & horrorem cessare: & dæmones fugere: & varios omnisque generis morbos vno curari medicamento. Medici enim vnicuique morbo exhibent conueniens medicamentum. Sanctorum autem deprecatio est commune omnium morborum remedium. Non solum autem medebatur ægritudinibus corporis, sed etiam animis conuenientem exhibebat curationem: huius quidẽ auaritiam, illius verò curans iracundiam: & vni quidem exhibens doctrinam moderationis: alteri verò disciplinam iustitiæ: & illius quidem castigans intemperantiam, illius verò excitans hebetudinem. Hac vtens agricultura, effecit multas plãtas philosophiæ: & hortum qui nũc germinat in regione Cyri, ipse Deo plantauit. Huius plantationis opus est magnus Iacobus, ad quem qui spiam vocem illam traxerit propheticam, Tanquam cedrus quæ est in *Psal. 91.* Libano multiplicabitur: & etiam alij omnes, cuius seorsum, si Deus velit, faciam mentionem. Sic autem agriculturæ diuinæ curam gerens, & animas simul curans & corpora, paruam passus ægritudinem, vt & naturæ imbecillitatem & animi discamus fortitudinem, ipse quidem excessit è vita: Acre autem bellum inter vicinos exortum est de corpore. Ex finitimis autem quidam vicus populo frequentissimus, cùm toto simul coacto populo adueniset, alios quidẽ fudit ac fugauit: maximè autem expetendum illum rapuit thesaurum, & maxima æde extructa, ea quæ ex eo percipitur vtilitate fruuntur in hodiernum diem: publico ac celebri festo illum insignem victorem honorantes. Nos autem etiam absentes fruimur benedictione. Nobis enim pro monimento sufficit memoria.

ABRAAMES.

XVII. *Huius meminit Theodoretus lib. 4. historiæ ecclesiasticæ.*

NEc admirabilis Abraamis memoriam fas est prætermittere, hoc prætextu, quòd post vitam monasticam Pontificiæ sedi fuerit ornamento. Nam hoc quidem certè nomine iure fuerit dignior qui commemoretur, quòd institutum vitæ mutare coactus, vitam non mutauerit: sed cum monasticæ exercita-

tionis transierit afflictione : & simul monasticis laboribus & curis Pontificalibus circumsessus, vitæ cursum peregerit. Porrò autem est hic quoq; fructus Cyri regionis. Hic enim & natus & educatus, collegit opes virtutis monasticæ. Qui enim simul cum eo versati sunt, dicunt eum & vigilando & stando & ieiunando ita corpus edomuisse, vt longissimo tempore permanserit immobilis minimè valens ingredi. Diuina autem prouidentia liberatus ab illa imbecillitate, voluit grauia pati pericula, pro diuina gratia. Venit autem in Libanum, cùm didicisset vicum quendam teneri magna impietatis caligine : & persona mercatoris vultu celato monastico, cum ijs qui simul versabantur ferens canistros tanquam nuces empturus : hunc enim fructum præcipue ferebat vicus, cùm domum conduxisset, & aliquantum pecuniæ prærogasset possessoribus, quieuit quidem tres & quatuor dies. Deindè paulatim diuinum aggressus est officium, vtens voce moderata. Postquam autem senserunt psalmodias, Præco quidem clamauit, & omnes conuocauit. Erant autem simul congregati & viri & pueri & mulieres : & confractis extrinsecus foribus, desuper ex tecto multum puluerem congerentes deijciebant. Postquam autem eos viderunt suffocari & obrui, & nec aliquid aliud velle facere nec dicere, sed solum Deo preces offerre, seniorum monitu destiterunt ab insania. Deinde apertis foribus cùm eos euulsissent ab aggere, iusserunt eos statim abire. Sed eodem tempore venerunt exactores qui eos vectigalia cogebant exoluere. Et alios quidem ex ijs vinciebant : alios verò per contumeliam afficiebant verberibus. Sed vir ille diuinus, nullius ex ijs quæ in ipsos facta erant recordatus, Dominum imitans, qui cruci affixus, eorum qui hoc fecerant curam gerebat, orauit illos exactores vt moderatè ac clementer exigerent. Cùm aût fideiussores requisijssent, sua sponte suscepit fideiussionem : & paucis pòst diebus centum aureos se daturum est pollicitus. Qui autem grauia illa eis fecerât, valde admirati viri benignitatem, de ijs quidẽ quæ ausi fuerant petunt veniam : rogant autem vt ipse fiat eorum præses, neque enim habebat vicus Dominum : erant autem ipsi & Agricolæ & Domini. Centum aût aureos, cùm venisset in ciuitatem, est autem ei nomen Emesa, & notos aliquos inuenisset, accepit mutuo. Deinde in vicum reuersus, die præstituto implet quod promiserat. Cùm hoc eius vidissent studium, vehementius id ab eo contendunt. Cùm is autem se id facturum esset pollicitus, si se pollicerentur ædificaturos ecclesiam, rogarunt vt statim aggrederentur : & deduxerunt beatum virum, aptiora loca illi indicantes : & vnus quidem hunc, alius verò locum illum laudabat. Cùm autem meliorem elegisset, & fundamenta iecisset, tectum breui tempore imposuit. Cumque finem accepisset ædificium, iussit vt admitterent sacerdotem. Cùm autem dicerent se nullum alium electuros, & rogarent vt eum haberent & patrem & pastorem, accipit gratiam sacerdotij. Postquam autem cum eis versatus est tres annos, & eos pulchrè deduxit ad res diuinas, cùm effecisset vt vnus ex eis qui simul erant, vice sui præficeretur, ad monasticum redijt habitaculum. Et ne, si omnia illius narrem, prolixiori vtar narratione, cùm in his resplenduisset, fit Carrarum pōtifex. Erat autem ea quidem ciuitas circunsessa ab ebrietate impietatis, & seipsam dederat debacchationi dæmonum. Sed cùm esset dignata huius agricultura, & accepisset ignem huius doctrinæ, permansit quidem libera à prioribus sentibus : nūc autem vberem profert segetem spiritus, maturarum frugum Deo offerens manipulos. Sed non sine labore vir diuinus hanc exercuit agriculturā : sed laboribus vtens innumerabilibus, & eorum qui corporibus medétur artem imitans, partim quidem dulcem adhibens adhortationem, partim verò acribus vtens medicamentis : nonnunquam verò & vrens & secans, effecit hanc sanitatem. Doctrinæ autem & alij eius diligentiæ vitæ quoque lumina suffragabantur. Illis enim illuminati, & audiebant ea quæ dicebantur, & ea quæ fiebant lubenter accipiebant. Toto enim tempore quo fuit Antistes, ei quidem fuit panis superuacaneus : aqua quoque superflua : inutilis autem lectus, & superuacaneus vsus ignis. Noctu enim quadraginta hymnos, quos inter se inuicem loquendo & respondendo dicunt, implebat, earum quæ intercedunt precum duplicans numerum : reliquum autem noctis in sede sedebat, concedens palpebris vt aliquantulum quiescerent. Atque quòd non in solo quidem pane viuit homo, dixit quidem contemplator Dei Moses : meminit autem huius quoque vocis Dominus, prouocationem diaboli recusans. Quòd autem etiam sine aqua viui possit, à nullo loco diuinæ scripturæ didicimus. Etenim tantus ille Elias primum quidem ex torrente aquam hausit. Deinde etiam cùm ad viduam accessisset Sareptanam, sibi primum iussit aquam afferri, deinde panem. Sed hic vir admirabilis, toto tempore pontificatus, neque panem, neque legumina, neque olera quæ igni appropinquassent comedit : neque aquam bibit, quæ ab ijs qui in his rebus sibi docti sunt visi, propter vsum existimata est prima ex elementis : sed lactucas, intyba, & apia, & similia, cibum ducebat & potum, pistorum & coquorum artes ostendens superuacaneas. Tempore aût autumni, fructus ei illū vsum implebant. Hæc autem sumebat post officium vespertinū. Cùm corpus autem talibus cōsumeret laboribus, in aliorum cura gerenda erat insatiabilis. Aduenientibus enim hospitibus erat & torus paratus : egregius autem & selectus panis eis offerebatur, & vinū odoriferum : piscesq; & olera, & quecunq; sunt eis coniuncta. Quinetiam ipse quoq; meridie assidebat conuiuantibus, eorum quæ apponebantur partes vnicuique offerens, & dans vnicuique calices, & iubens bibere,

bibere, & eum qui erat eiusdem secum nominis imitans, patriarcham inquam : qui ministrabat quidem hospitibus, sed non simul conuiuabatur. Interdiu autem versans in iudicijs eorum qui inter se litigabant & decertabant, alijs quidem persuadebat vt inter se inuicem reconciliarentur : alios autem cogebat, qui leni & mansuetæ doctrinæ non parebant. Nullus autē iniustus recessit sua audacia aduersus iustum victoria potitus. Ei enim qui iniuria afficiebatur iusti partem semper addens, reddebat eum inexpugnabilem, & eo qui volebat iniuriam facere superiorem. Similisq; erat optimo medico, qui semper prohibet eos humores qui redundant, & procurat vt sit inter materias æqualitas. Hunc quoque desiderauit videre Imperator. Est enim alata fama, quæ facile omnia quæ bona sunt & quæ mala significat : & ad se accersiuit, & venientem salutauit & excepit : & agreste illud cilicium sua purpura existimauit præstantius. Iam verò reginarum quoq; chorus eius & manus prehendit & genua : virumque rogabant qui nec exaudire quidem poterat linguam Græcam. Adeò & regibus & omnibus hominibus res honore & reuerentia digna videtur philosophia. Quinetiam vbi obierint ijqui eius sunt amatores & sectatores, maiorem assequuntur gloriam. Et potest quidem hoc sciri etiam ex multis alijs, sed vel maximè quidem ex ijs quæ diuino huic viro acciderunt. Postquam enim obijt, & hoc resciuit Imperator, voluit quidem eum deponere in aliqua æde sacra : cùm autem intellexisset pium esse & honestum vt gregibus redderetur corpus pastoris, ipse quidem & id deduxit præcedens, & reginarum chorus consequens, omnesque & magistratus, & qui ab ijs regebatur, populus, militesque & priuati. Tanto studio eum accepit & ciuitas Antiochi, & quæ eam sunt consecutæ, donec peruenit ad magnum illum fluuium. Ad ripam autem Euphratis concurrebant quidem ciues : & concurrebant etiam hospites, concurrebant etiam rustici. Quinetiam finitimi festinabant ad fruendum benedictione. Lectum autem multi sequebantur lictores, eos percutiendo terrentes qui corpus veste nudare conabantur, & cupiebant illinc pannos sumere. Et licebat audire alios quidem psallentes : alios verò lamentantes. Alia enim deflens eum vocabat præsidem : alia verò altorem : alia autem pastorem & magistrum : & alius quidem lachrymans nominabat patrem : alius verò adiutorem & curatorē : & cum tot laudibus & lamentationibus sanctum illud & sacrum corpus sepulchro mandauere. Ego autem admiratus quòd cùm vitæ mutasset institutum, vitam non vnà commutauerit, neque dum esset Antistes, remissum ac solutum vitæ genus sit amplexus, sed exercitationis monasticæ labores adauxerit, eum recensui in historia monachorum : nec recessi à eo qui ei placuit ordine, benedictionem quoque ab eo desiderans.

EVSEBIVS.

XVIII. *Huius meminit Theodoretus lib. 4. historiæ ecclesiasticæ.*

PRius dictis Sanctis magnum quoque addam Eusebium, qui non longo quidem ab hinc tempore est mortuus. Cùm multis autem annis vixisset, tempori quidem æqualem sustinuit laborem : labori autem æqualem simul delegit virtutem. Multiplex autem lucrum ex eo retulit. Magnitudine enim remunerationum Agonotheta superat certamina. Hic ergo cùm primò aliorum fidei sui curam credidisset, quo illi ducebant, ducebatur : erant enim ipsi quoque viri diuini, virtutisq; athletæ & exercitatores : & cùm aliquo tempore cum eis esset versatus, & benè rectéque philosophiæ accépisset scientiam, vitam monasticam est amplexus : & cùm quoddam dorsum montis occupasset, imminet autem ei vicus maximus, quem nominant Asicham, fossa solummodo facta, & lapidibus neluto quidem coniunctis, sub dio reliquam transegit vitam seipsum affligens, veste quidem opertus pellicea, cicere autē & fabis aqua madefactis se nutriens. Quinetiam aliquando quoque vescebatur caricis, sic vtcunque conans sustentare imbecillitatem corporis. Cumq; ad summam peruenisset senectutem, vt etiam dentes plurimos amisisset, neq; mutauit cibum, neque habitationem. Sed & cùm hyeme congelaretur, & æstate vreretur, fortiter ferebat contrarias qualitates aeris, faciem quidem habens corrugatam, arefacta autem omnia membra corporis. Tam multis autem corpus consumpsit laboribus, vt ne zona quidem maneret super lumbos, sed caderet inferius : nihil enim erat quod vetaret : nam & clunes, & coxendices consumpti erant, & zonæ facilem descensum præbebant ad inferiora. Zonam itaque adsuit tunicæ, hac ratione vt staret excogitans. Aegre ferebat autē conuersari cum multis. Nam cùm diuinam contemplationem visione assiduè apprehenderet, mentem ab ea nolebat abstrahere. Sed tamen etsi esset amore tam vehementi præditus, permittebat aliquibus ex notis, vt id quod portam obstruebat auferrent, & intrarent : & cùm eis exhibuisset doctrinam ex diuinis eloquijs, iubebat rursus abeuntes portæ lutum imponere. Verùm cùm omnino satius existimasset etiam cū paucis vitare congressionem, aditum omnino obstruxit, illi portæ maximo admoto lapide. Per quandam autem fossam colloquebatur quidem cum paucis ex familiaribus, sed non videbatur. Sic enim prouiderat. Illinc autem illud quoque exiguum accipiebat nutrimentum. Rursus autem cùm omnibus colloqui denegasset, me solum dulci illa & Deo grata voce dignabatur : & abire volentem me sæpe detinebat, de rebus differens cœlestibus. Cùm multi autem ad eum venirent & postularent donum benedictionis, & eum ægrè ferret tumultum, nec senectutem considerans, nec vrgentem reputans imbecillitatem, transilit fossam quę nec à robustis quidem & valentibus facile transiri poterat : & cùm ad quandam propinquam

pinquam venisset monachorum classem, parua rursus fossa acta ad muri angulum, cum cõsuetis decertabat laboribus. Huius autẽ gregis præfectus, vir omni virtute plenus, dixit eũ cùm comedisset quindecim caricas, transegisse septẽ hebdomadas sancti ieiunij. Hoc autem subijt certamen, cùm vixisset plus quàm nonaginta annos, imbecillitate autem quæ narrari non potest esset affectus. Sed imbecillitatem superabat animi alacritas: & Dei amor omnia facilia reddebat & expedita. Cũ hic talibus circunfluere et sudoribus, peruenit ad metam cursus, & Agonothetam videns, & coronam desiderans. Ego autem rogo vt illam consequar intercessionem, quam huc vsq; percepi dum esset adhuc superstes. Credo enim eum viuere, & habere puriorem ad Deum fiduciam.

SALAMANVS.

XIX. ME virtuti iniuriam facere arbitratus, si admirabilis Salamani vitam posteris non significauero, sed obliuione obrutam neglexero, summatim afferam narrationem. Est quidam vicus ad occidentem fluuij Euphratis, ipsi ripæ imminens, vocatur autem Capersana. Hic ex eo ortus, cùm vitam amplecteretur quietam, & in vico qui est ex aduerso paruam inuenisset domunculam, seipsum in ea inclusit, nec ostio relicto, nec fenestra. Semel autem in anno terram fodiens, accipiebat totius anni nutrimentum: cum nullo vnquam homine loquens. Idq́ue facere perseuerauit, non paruo tempore, sed longissimo. Porrò autem pontifex ciuitatis cuius erat is vicus, cùm viri didicisset virtutem, accessit, volens ei dare donum sacerdotij: & domunculę perfossa aliqua parte est ingressus: & manum imposuit, & peregit precationem: & sæpe quidem ei dixit, & quæ ad eum aduenerat gratiam significauit. Cùm nullam autem vocem audijsset, abijt iubens vt fossa rursus ædificaretur. Aliquando autem rursus qui erant illius vici ex quo erat profectus, cùm noctu fluuium traiecissent, & domum perfodissent, eum accipientes nec resistentem nec iubentem, in suum vicum exportarunt: & cùm talem ad orientem construxissent domunculam, eum protinus incluserunt. Ille autem similiter quietem agebat cum nullo loquens. Paucis autem pòst diebus, qui erant illius vici qui est ex aduerso, cùm noctu rursus aggressi essent, & domum perfodissent, ad se abduxerunt, neque contradicentem, nec vt maneret vrgentem: neque rursus prompto & alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mundo mortuum constituit, & Apostolicam illam vocem verè loquens, dicebat. Cum Christo sum crucifixus. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Quod autem nunc viuo in Christo, in fide viuo filij Dei qui me dilexit, & pro me seipsum dedit. Talis hic quoque fuit. Sufficiunt enim hæc ad ostendendum totum eius vitæ institutum. Ego autem cùm benedictionem ab eo quoque percepero, ad alium transibo.

Galat. 2.

MARIS.

EST Homeri quidam vicus qui à nobis vocatur Netis. Cùm apud eum paruam quandam domunculam ædificasset diuinus Maris, in ea permansit inclusus triginta & septem annis. Ex monte autem propè sito ea suscipiebat multum humoris. Tempore autem hyemis quædam quoque guttæ aquæ in ea emanabant. Quantum autem hinc damni oriatur corporibus, sciunt & ciues & rustici. Nam ijs quoque qui in agris habitant manifesti sunt morbi qui ex eo nascuntur. Sed tamen ne hæc quidem sacro illi capiti persuaserunt, vt mutaret domunculam: sed fortiter & constanter permansit donec cursum confecerit. Quinetiam priorum quoque vitam transegit cum virtutis laboribus: vnde & corpori & animæ conseruauit castitatem: idq́ue ipse mihi apertè significauit, docens sibi mansisse corpus integrum & incorruptum, & quale egressum fuerat ex materno vtero, idq́ue cùm multos quidem dies festos martyrum celebrasset cùm esset adolescens, vocis autem bonitate demulsisset populum. Nam & plurimo tempore perseuerauit psallere, & fuit insigni pulchritudine corporis. Sed tamen nec species corporis, nec vocis claritas, nec quæ ei cum multis intercedebat congressio, animæ pulchritudini aliquid detrimenti attulit: sed viuens similiter atque ij qui sunt inclusi, suæ curam gerebat animæ. Virtutem autem auxit quoque laboribus quos sustinebat inclusus. Ego huius sæpe vsus sum consuetudine. Iussit enim mihi aperire ostium. Quinetiam complectebatur me venientem: & de philosophia fusa, prolixaq́ue vtebatur oratione. Porrò autem hic quoque fuit simplicitate insignis, & varios mores omnino abhorrebat. Inopiam autem magis dilexit quàm summas copias. Nonaginta autem annos natus, vtebatur vestibus contextis ex villis caprinis. Panis autem & parum salis nutrimenti eius vsum implebant. Cùm autem longo tempore desiderasset videre offerri spiritale & mysticum sacrificium, rogauit vt diuini doni illic fieret oblatio. Ego verò lubenter parui: & iussi sacra vasa afferri, pagus enim haud longè aberat: & pro altari vsus diaconorum manibus, mysticum, diuinum, & salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, & existimabat seipsum cœlum videre: dicebatq́ue se nunquam tantam cepisse lętitiam. Ego autem cùm ab eo valde fuerim dilectus, putaui me & ei iniuriam esse facturum, si non etiam mortuum laudauerim, & alijs, si non hanc optimam philosophiam eis proposuerim imitandam. Cùm itaque nunc orauero vt eius consequar auxilium, imponam finem narrationi.

XX.

IACO-

IACOBVS.

XXI. QVOniam eorum qui iam sunt victores declarati, virtutis athletarum certamina recensuimus, summatim narrantes & quos in meditando suscepere labores, & quos in certaminibus perpessi sunt sudores, & longè clarissimas & maximè insignes victorias: age eorum quoque qui adhuc sunt superstites, & magnificè decertant, & contendunt priores vincere sudoribus, vitæ instituta conscribamus, & posteris vtilem relinquamus memoriam. Quomodo enim eorũ qui olim resplenduere, sanctorum, vitæ institutum, posteris maximam attulit vtilitatem: ita ijs qui nos consequentur erunt exemplaria eorum narrationes. Initium autem ducam à magno Iacobo. Is enim & tempore & labore est prior alijs: & qui eum sunt æmulati, faciunt admirabilia & quę sunt prętер opinionem. Vsu venit autem nescio quomodo, vt & eorum qui excesserunt, & eorum qui adhuc sunt superstites, hoc sit primum nomen. Etenim quando narraui eorum vitæ institutum, initium sumpsi à diuino illo Iacobo, qui Persicum illum exercitum fudit suis precibus: & cùm corruissent vrbis murorum ambitus, neque permisit vrbem capi, & coegit fugere aduersarios, cùm in eos misisset exercitum muscarum & culicum. Qui ergo illi simile nomen est sortitus, & est ei similis moribus, sit primus in ordine athletarum qui adhuc sunt superstites, non quoniam eiusdem est nominis particeps, sed quoniam est illius virtutem æmulatus: & fuit ipse alijs exemplar philosophiæ. Nam cùm simul cũ inclyto illo Marone esset versatus, & eius diuinæ fuisset doctrinæ particeps, obscurauit præceptorem maioribus laboribus. Ille enim & murorum tegumentum habuit, templum veteris erroris, & expellibus contextum fixit tabernaculum: & eo vtens, imbris & niuis effugiebat impetus. Hic autem his omnibus valere iussis, & tabernaculo, & tugurio, & murorum tegumento, pro tecto habet cœlum, contrarios omnes aeris impetus sustinens: nunc quidem pluuia vehementi obrutus, nunc autem glacie & niue congelatus: aliquando autem radijs solis tostus & exustus: & aduersus omnia se fortiter & constanter gerens, & tanquam in alieno certans corpore: & contendens vincere naturã corporis alacritate animi. Mortali enim hoc & patibili corpore, vitam agit tanquam impatibilis: & vitam incorpoream in corpore meditans, clamat cum beato Paulo. In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Arma enim nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munimentorum, destruentes cogitationes & omnem altitudinem quæ se extollit aduersus Dei cognitionem, & captiuantes omnem intellectum ad Dei obedientiam. Sed hæc quidem certamina quæ sunt super naturam, in minoribus se exercẽdo laboribus est meditatus. Nã cùm in parua quadam domuncula se prius inclusisset, & ab externis tumultibus animam liberasset: & recordationi Dei mentem affixisset, sic perfectam & absolutam meditabatur virtutem. Cùm autem se optimè exercuisset, & bonis laboribus animam assuefecisset, maiora ausus est aggredi certamina: & cùm ad hunc montem peruenisset, qui triginta stadijs distat ab hac vrbe, eum reddidit illustrem & venerandum, qui erat olim obscurus & penitus infertilis: nunc autem creditur tantam accepisse benedictionem, vt terra quæ est ei imposita consumatur, omnibus qui vndique adueniunt, ad vtilitatem eam exportantibus. In eo vitam agens cernitur ab omnibus accedentibus, non habens, vt dixi, speluncam, non tabernaculum, non tugurium, non fossam, non sepem quæ eum circundet ac muniat: sed videtur orans & quiescens: & stans & sedens: & sanus & cum aliqua tenetur ægritudine: adeò vt assiduè prę̃sentibus decertet spectatoribus, & naturæ expellat necessitates. Neque enim alijs hominibus qui sunt ingenuè vtcunque educati, externis præsentibus est facile excrementa egerere, nedum viro in summa philosophia exercitato. Et hæc dico, non vt qui ab alijs didicerim, sed qui ipse viderim. Nam cùm quatuordecim ab hinc annis in grauem morbum incidisset, affecit quidem, vt par est, eum qui est mortali corpore præditus. Erat autẽ æstus vehemens & flamma radiorum ardebat vehementius, cùm sopiti quidem essent venti, aer autem maneret immobilis. Erat autem morbus inundatio flauæ bilis quæ deorsum ferebatur, & mordebat ac comprimebat intestinum, & cogebat extra egredi. Tunc magnam vidi tolerantiam. Nam cùm ex multis vicis congregati essent homines, vt gloriosum hoc corpus salutarent, sedebat in duas partes distractus. Nam natura quidem vim afferebat vt iret ad excernendum: pudor autem eius quę aderat multitudinis, cogebat eum manere in eodem statu & habitu. Ego autem hoc sciens, cum eis qui conuenerant, partim multis egi adhortationibus, partim etiam minis, abire iubens: postremò autem eos etiam implicaui vinculis sacerdotij: & non sine maximo labore vespere tandem amandaui. Ille autem vir diuinus, ne cùm ij quidẽ abscessissent, victus est à natura: sed perstitit tolerans, donec accedens nox profunda coegit omnes domum recedere. Rursus autem die sequenti cùm ad eum venissem, vt vidi æstum euasisse vehementiorem, & qua laborabat, febrem igne extrinsecus allato nutriri & augeri, prætexens dolorem capitis, dixi me ægrè ferre vim solis radiorum: & rogaui vt mihi aliquam modicam apud se vmbram expanderet. Qui postquam iussit, tribus fixis arundinibus, & ijs duobus impositis cilicijs, vmbrã adinuenimus. Cùm autem iuberet me ingredi: Turpe est, inquã, ò pater, vt ego qui sum & iuuenis & valens viribus, hanc assequar consolationem: tu autem qui & vehementi febre teneris, & opus habes tali consolatione, foris sedeas excipiens impetum radij solaris. Si vis ergo, inquam, me

2. Cor. 10.

vmbra

vmbra frui, sis mihi socius modici huius tabernaculi: nam tecum quidem volo manere: sed prohibet radius. Cessit itaque his verbis auditis:& meum accepit remedium. Et quoniam vmbra fruebamur communiter, cœpi rursus alium sermonem afferre:& dixi, Opus est vt accumbam, cùm coxendix non citra molestiam patiatur sessionem. Sed rursus rogabat quidem vt accumberem: ei autem contrà respondi, non esse tolerandum vt ego decumberem videns eum sedentẽ. Si vis ergo inquam, me quoq; frui hac quiete, communiter accumbamus ò pater, non erubescã enim solus decumbens. Cùm talibus verbis decepissem eius tolerantiam, ei accubitus exhibui solatium. In solo autem iacenti suaues adhibui sermones, traducens ad animi iucunditatem. Manu autem immissa intra vestem, tentabam eius dorsum moderatè abstergere: tunc vidi magnum ferri pondus, quod & lumbos alligabat & collum. Iam verò aliẽ quoque catenæ à circulo qui erat circa collum, duæ quidem antè, duæ verò ponè, ad inferiorem circulũ oblique pertinentes, & literæ X figuram efficientes, antè & ponè duos circulos colligabant. Iam verò manus quoq; interius circa cubitos talia quoq; alia habebant vincula. Cũ ergo aspexissem onus ponderis multorum talentorum, obsecraui vt opem ferret corpori laboranti, quod nõ poterat simul ferre & onera voluntaria, & inuoluntariam egritudinem. Nunc quidem, inquã, ò pater, febris fungitur officio ferri. Cùm ea autem cessauerit, tunc rursus corpori imponemus laborem qui ex ferro capitur. Hoc quoq; concessit multis delinitus eiusmodi carminibus. Sed tunc quidem cùm paucis ægrotasset diebus, facilè conualuit. Postea autem cùm in morbum incidisset grauiorem, multi autem vt corpus raperent multis ex locis conuenissent, audientes id ciues, concurrerunt omnes & milites & priuati: illi quidem sumptis armis militaribus: hi verò, armis vtentes quibuslibet. Densa autem & instructa acie pugnare cœperunt, tela emittentes, & fundis lapides torquentes: non vt percuterent, sed solum vt terrerent: & sic expulsis accolis victorijs insigni Athleta lecto imposito, qui nihil sentiebat eorum quę fiebant, nam nec cùm coma eius à rusticis velleretur, senserat, venerunt in vrbem. Cùm in ædem autem venissent Propheticam, in monasterio ei propinquo lectum deposuerunt. Venit autem quidam Berrhœam, illic enim tunc eram, ea quæ facta fuerant significans, & nuncium mortis afferens: Cùm itaq; statim cucurrissem, & totam noctem in itinere consumpsissem, post auroram offendi hominem, neq; loquentem, neque vllum ex ijs qui aderant potentem agnoscere. Postquam autem eum sum allocutus, & nomine magni Acacij ei dixi salutem, statim & aperuit oculos, & rogauit quomodo se haberet: & quando venissem est percontatus. Cùm autẽ ad hæc respondissem, rursus clausit óculos. Cùm verò tres dies pręterijssent, vespere rogauit vbinam esset. Cùm autem rescíuisset, ægrè tulit, & rogauit vt statim rursus referretur in montem. Cùm autem vellem eum perpetuò obseruare & ei inseruire, iussi mox ferri lectum, & deferri in locum quem cupiebat. Tũc vidi quãtopere ab ambitione & gloriæ cupiditate esset alienum caput mihi venerandum. Postridie enim ei obtuli ius ptisanæ cũ id refrigerassem: nihil enim omnino calidi sumere patiebatur, cùm vsum ignis sibi interdixisset. Cùm aũt nollet sumere, Nobis omnibus, inquam, ò pater, hoc concede. Communẽ enim salutem tuam ducimus sanitatem. Nõ solum enim es vtilitatis exemplar propositum, sed etiam orans fers auxilium, & Dei concilias nobis beneuolentiam. Quòd si te hoc malè habet quòd non sis assuetus, hoc quoque, inquam, ò pater, constanter tolera: est enim hoc quoque genus philosophiæ. Quomodo enim cùm esses sanus, cibum appetens, tolerantia vicisti appetitionem: ita etiam nunc minimè apperens in vescendo ostende tolerantiã. Hęc cùm dicerem, aderat homo Dei Polychronius, qui id quod dicebã defendens, dixit se id primum velle sumere, idq́ue cùm esset manè, cùm sæpe post interiectum septem dierũ spacium corpus aleret. Victus ergo oratione, vnum iuris poculum clausis demisit oculis, quod quidem solemus facere cùm amaras bibimus potiones. Quoniam autem pedes quoque qui propter imbecillitatem ingressum amiserant, ei lauare persuasimus: operæ pretium existimo hanc quoque eius animæ aperire philosophiam: propè enim aderat scyphus, voluit autem quidam ex ijs qui ministrabant eum canistro tegere, vt non videretur ab ijs qui ad ipsum veniebant. Ille autem, Cur, inquit, scyphum tegis? Cùm is autem dixisset, Ne videatur ab ijs qui veniunt ad cõtemplandum. Absit, inquit, ò fili, ne celes homines ea quæ sunt aperta Deo vniuersorum. Illi enim soli volens viuere, nullam humanæ glorię curam gero. Quid enim me iuuerit, si hi quidem me magis laborasse & maiori exercitatione vsos esse sciuerint, Deus verò minori? Non sunt enim hi datores mercedis pro laboribus: sed Deus est suppeditator. Quis ergo nõ valde admiretur & sermones, & mentem quæ sermones genuit, quę omni humana gloria adeò fuit superior? Tale quid etiam alias memini accidisse. Erat vesper, & altum vesper, & tempus comedendi. Accepta ergo testa apposita, madefactæ lentis cibum sumpsit. Id enim erat ei alimentum. Venit autem quidã à ciuitate, cui erat cõmissa quædam militaris exactio. Is aũt cùm eum procul vidisset, lentem non deposuit, sed cibum demisit vt consueuerat: & cum visione apprehendisset eum esse dæmonẽ, eum verbis insectabatur vt hostẽ: & ostendens se non vereri, interim ori lentem admouit. Obsecrabat autem is qui incessebatur maledictis, & dicebat se esse hominem: & quòd prius quodam adactus iureiurando se ante vesperam ab vrbe esse profecturũ, venisset hoc tẽpore: Ille, Bono, inquit, animo esto,

mo esto, & ne extimescito: sed cùm precatus fueris recedito. Sis autem mihi conuiua, & mei cibi particeps. Simul autẽ hæc dicens impleuit dexteram, & lente eum impertijt. Sic vanę glorię morbum cum alijs expulit ex animo. De tolerantia autem superuacaneum est dicere, cùm visus ipse testetur. Tres enim sæpe dies & totidem noctes niue delapsa, ita fuit obrutus, pronus iacens, & Deum orans, vt ne parum quidem videretur ex pannis quibus fuerat indutus: sæpe autẽ marris & ligonibus vicini ei niuem impositam detrahentes, eum iacentem euellunt & excitant. Ex his laboribus collegit dona diuinæ gratiæ, quorũ volunt omnes esse participes. Illius enim benedictione multæ quidem extinctæ sunt & extinguuntur febres, & multæ ægritudines cessarunt & omnino abierunt, multi autem dæmones coacti sunt fugere: & aqua quæ ab illius dextera benedicitur, fit salutare pharmacum. Quis nescit puerum mortuum per eius orationem fuisse excitatum? In suburbanis enim ciuitatis erãt eius parentes, qui multos quidem filios genuerunt: omnes autẽ immaturos ad sepulchrum transmiserunt. Quando ergo hic vltimus natus fuit filius, cucurrit pater ad hominẽ Dei, rogans vt is longam haberet vitam, & pollicens se eum esse Deo dicaturũ si viueret. Cùm itaque vixisset quatuor annis, vitæ finem accepit: pater aũt aberat, adueniens autem videt eum repente efferri. Cùm eum itaque è lecto rapuisset, Oportet, inquit, me implere promissum, & Dei homini reddere vel mortuũ. Detulitque vt prius dixit, & ante pedes sanctos illum posuit, dicens illa quæ suis quoque dixerat domesticis. Homo autẽ diuinus cùm ante se posuisset puerũ, flexis genibus orabat pronus, vitæ & mortis rogans Dominum. Vespere autem puer edidit vocem, & patrem vocauit. Cùm sic sensisset vir ille diuinus, quòd suas preces suscepisset dominus, & vitam puero suppeditasset, surrexit, & eo adorato qui facit voluntatem timentium eum, & audit eorum preces, finijt orationem: & filium reddidit patri. Hoc & ego vidi, & patrẽ audiui narrantẽ: & multis alijs narrauit miraculum Apostolicũ, cùm sciret multis audituris futurum id conducibile. Porrò autem eius quoq; sum consecutus auxilium: vnius aũt aut duorum faciã mentionem: existimans ingrati esse animi ea silentio præterire, & non docere genera beneficij. Execrãdus Marcio multas spinas impietatis seminauit in regione vrbis Cyri. Eas cùm conarer euellere radicitus, omnem laborem subibam, & omnibus machinis assiduè vtebar. Qui autem mea fruebantur cultura, cùm me eo nomine deberent diligere, pro eo, vt propheticè dicã, detrahebant mihi: ego aũt orabam, & reddebãt mala pro bonis, & odium pro dilectione mea: & magicis vtentes præstigijs, & malignorum fretiope dæmonum, conabantur bellũ gerere quod sub visum non caderet: & noctu venit quidã dęmon exitialis, clamans, & lingua vtens Syriaca. Cur tu bellũ geris cum Marcione? Cur hanc pugnã aduersus eum suscipis? Quanam is te vnquam affecit molestia? Desine belligerare: desiste à maleuolentia: aut disces experientia quantum bonum sit quies. Scias quòd te iampridẽ confodissem, nisi chorum martyrum te custodientem vidissem cum Iacobo. Hæc ego audiui, & dixi cuidã ex familiaribus qui prope me dormiebat, Audis, inquã, quæ dicuntur? Ille verò, Omnia, inquit, audiui: & cùm vellem surgere, & respicere, & scire quis loqueretur, tua causa quieui, cùm te putarem quiescere. Ambo itaque surgentes respeximus, neque vllũ qui moueretur vidimus, nec qui loqueretur audiuimus. Illa verba alij quoque qui nobiscũ habitabant, audiuerunt. Intellexi igitur quòd martyrum quidem chorum dicebat Lecythum olei martyrum, qui cùm à multis martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat à meo lecto: sub meo autem capite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis claustro adamantino fuit mihi validior. Quinetiã cùm eorum maximum vicum essem ingressurus, deinde multa essent intermedia quę mihi prohibebant exitum, misi ad meum Esaiam, rogans vt diuinũ consequerer auxilium. Ille verò, Esto, inquit, bono animo. Soluta sunt omnia illa impedimenta instar telę aranearum: idq́ue noctu me docuit Dominus, nõ in somnis adumbrans, sed re vera ostendẽs. Vidi enim, aiebat, cùm incepissem hymnodiam, in illa parte in qua illa loca sita sunt, serpentem quendam, ignis speciem prę se ferentẽ, qui ab occidente reptabat in orientem, & ferebatur per medium aerẽ. Cùm orationes aũt tres peregissem, rursus vidi inflexum, & orbiculatã ostendentem figuram, & eius caudã capiti coniunctam. Cùm rursus autẽ octo orationes absoluissem, aspexi eũ in duas partes dissectũ & in fumum resolutum. Hæc ipse quidem sic præuidit: nos autem vidimus exitum qui consensit eius prędictioni. Manè enim mali auctoris dæmonis imperio parentes qui olim quidem erant sectę Marcionis, nunc aũtẽ sunt classis apostolicæ, ab occidẽte profecti, nudos nobis enses ostendebant. Hora autem diei tertia simul coacti, curam gerebãt suæ solum custodiæ, sicut serpens qui cauda caput suum contexit. Octaua autem dispersi dederunt nobis locum ingrediendi in vicum. Statim autem inuenimus serpentem factum ex æris materia, qui ab eis adorabatur. Cùm enim aduersus opificẽ & vniuersorum creatorẽ bellũ apertè suscepissent, execrãdum serpentem, tanquã illius hostem, colere contendebant. Talia ego beneficia à mihi venerando capite sum consecutus. Quoniam autem diuinarum reuelationum narrationem ingressa est oratio, age narrabo quæ audiui ab illa lingua ab omni mendacio aliena. Narrauit autem non vllą gloriæ inductus cupiditate: fuit enim diuina anima ab eo vitio remotissima: sed cùm illum quidam vsus ea coegisset dicere quæ volebat celare. Supplex ab eo contendebam vt oraret Deum vniuersorum, vt redderet mihi segetem mundam à zizanijs, & à feminibus hęreticis eam omni-

Psal. 118.
Psal. 192.

no liberaret. Me enim valde angebat abominandi Marcionis error qui plurimum inualuerat. Dixit itaque à me oratus, Nec me, nec vllo alio tibi opus est ad Deum intercessore. Habes enim Ioannem illum insignem, Verbi vocem, Domini præcursorem, has pro te preces assiduè offerentem. Cùm aût ego dicerem me & eius credere orationibus, & aliorũ sanctorum apostolorum & prophetarũ, quorum ad nos nuper delatę sunt reliquię. Esto, inquit, bono animo. Habes Ioannem Baptistam. Sed nec sic eum passus sum silere: sed multò magis vrgebã interrogans, & scire desiderans cur eius potius meminisset. Ille autem, Vellem, inquit, amplecti & deosculari eius amabiles reliquias. Cùm autem dixissem, Non afferam eas, nisi pollicitus fueris te ea dicturũ quæ videris. Atque ipse quidẽ est pollicitus: ego verò postridie attuli ea quæ desiderabat: & cùm omnes iussisset abscedere, hęc mihi soli narrauit. Quãdo hos, inquit, ciuitatis patronos, qui à Phœnicia venerant & Palæstina, cum Dauidica excepisti chorea, venit mihi in mentem cogitare, num hæ essent illius insignis Ioannis reliquiæ, & nõ alterius martyris qui esset eiusdem nominis. Post vnũ ergo diẽ, ego quidem stabam ad hymnos decãtandos: video autem quendam cãdida veste indutum, & dicentem, Frater Iacobe, Cur nobis aduenientibus non venisti obuiam? Cùm ego autem rogarẽ quinam esset, respondit, dicens. Qui à Phœnicia & Palæstina nuper venimus: & cùm prompto & alacri ãnimo nos omnes excepissent, & pastor & populus, & ciues & rustici, tu solus eorũ honoris non fuisti particeps: innuebat autem eam quæ fuerat dubitationem. Ad hæc ergo dicit se dixisse. Absentibus & vobis & alijs, & vos honoro, & adoro Deũ vniuersorum. Rursus autem die sequenti eodem tempore cùm ille ipse apparuisset, Vides, inquit, frater Iacobe eum illic stantem: cuius quidem vestis est coloreniui similis: est autem prope illum positus ignis clibanus. Cùm autem ego illuc oculos conuertissem, & illum esse Ioannem Baptistam coniecissem: nã & vestitu erat indutus, & manum habebat vt baptizans. Is est, inquit, quem tu coniecisti. Quinetiam, inquit, cùm tu aliquando noctu ad primum vicum ad seditiosos, eos docturus, abires, & vt ego maiori ac vehementiori studio Deo offerrem orationem mandasses, tota nocte vigilaui rogãs Dominum. Deinde audiui vocẽ dicentem. Ne timeas ò Iacobe. Magnus enim Ioannes Baptista tota nocte orat Deũ vniuersorum. Facta enim fuisset magna cædes, nisi illius intercessionibus fuisset extincta diaboli audacia. Hęc cùm mihi narrasset, præcepit vt ego solus scirem, & ne alios assumerem conscios. Ego aût vtilitatis gratia non solum multis narraui, sed etiam mando scriptis. Iam verò à se quoque dicebat esse visum Ioseph patriarcham, capite & barba canum, & in senio formæ emittentem splendorem, & in virtutis fastigio seipsum sanctorum extremũ nominãtem. Nam cùm ego, inquit, eum primum dicerem ex ijs qui sunt eiusdem cum ipso feretri participes, ipse seipsum nominabat vltimum. Mihi aût narrauit etiam varios & multiplices dæmonum insultus qui in ipsum facti sunt. Cùm primũ enim, aiebat, hoc vitæ genus sum ingressus, visus est mihi quidam nudus forma Aethiops ignem ex oculis emittẽs. Ego autem cùm eum viderem, & timore sum affectus, & ad preces conuersus, nec in animũ inducere potui vt cibum sumerem: illo enim tempore mihi apparebat. Cùm aût septem & octo & decem dies transiissent, & ieiunus permanerem: tandẽ improbum illum insultum contemnens, sedi & cibum sumpsi. Ille aût cùm hanc meam non tulisset animi magnitudinem, minatus est se virga percussurum. Ego autem, inquit, dixi, Si tibi quidem est permissum à Deo vniuersorum, percute: & plagam lubenter accipiam, vt qui ab illo feriar. Sed si non sit tibi permissum, non percuties licet millies insanias. His auditis tunc effugit. Sed me rursus clanculum perpetua afficiebat molestia. Nam aquã quę mihi bis in hebdomada infernè afferebatur, ei qui afferebat occurrens, & meam formã imitans accipiebat: & illum iubens recedere, fluentũ effundebat. Idque cùm non solũ bis sed etiam ter fecisset, me sitis perpessione validè oppugnauit. Cùm ergo valde angerer, rogaui eum qui solebat ad me afferre, cur iã quindecim diebus ad me aquã non attulisset: is dixit se iam ter & quater attulisse, & me accepisse. Et vbi, inquam ego, à te eã afferente accepi? Ille locũ ostendit. Etsi millies, inquã ego, me illuc accedentem videris, ne vas dederis donec ad hũc locum veneris. Sic cùm hæ quoque eius apertæ & irritæ fuissent insidiæ, alias rursus est aggressus. Dixit enim noctu vociferans, te tam tetro implebo odore, & tibi tantam inurã infamiam, vt nemo te vlla ex parte aspiciat. Ego autem, inquit, ad hæc respondi. Agam tibi gratias. Inuitus enim tuũ in imicum beneficio afficies, vt qui efficias vt magis verser in Dei recordatione. Nam quò mihi plus est ocij, eò magis occupor in perpetuò contemplanda diuina pulchritudine. Cùm itaque paucí dies pręterijssent, meridie cõsuetum peragens officium, Video, inquit, duas mulieres de mõte descendentes. Ego aût cùm id præter consuetudinem ægrè tulissem, & eas lapidibus petere esem aggressus, memini minarum scelerati dæmonis, & conieci hanc esse eam quã dicebat infamiã. Dixi ergo magna voce, ꝙ etiamsi meis insiderent humeris, non eas impetam lapidibus, nec persequar: sed sola vtar deprecatione. Ego quidẽ hæc dixi: illę verò euanuerunt: & sermone finẽ accepit visio spectaculi. Post hæc rursus, inquit, noctu ego quidem orabam: ferebatur aût vehiculi strepitus, & clamor aurigæ & equorum hinnientium. Me autem conturbauit rei inouitas. Cogitabã enim quòd nec princeps tunc esset in ciuitate: nec ea esset via vehiculorum: nec tempus aptũ vehiculis. Hæc aût cùm apud me reputarem, audiebatur quidam strepitus appropinquantis multitudinis, & clamabant quidam præcedentes lictores, sibilantes, & de medio turbã exigentes, & ei qui præerat viam parantes. Postquam autem mihi visi sunt valde appropinquare, Dixi, aiebat, quisnã es, & vnde venis: & quo opus habens venisti hoc tempore? Quousque ludificaris ò infelix, & diuinam contemnis patientiam? Hoc ego quidem dicebam, conuersus ad orientem, & Deo preces offerens. Ille autem trusit quidem, sed non potuit deijcere: resistebat enim diuina gratia: & extemplo omnia illa euanuerunt. Dicebat autem se etiam tempore perniciosorum illorum latronum, quando ex Isauria profecti, maximam partem orientis vrentes prædas egerũt, valde extimuisse: non ne occideretur: neque enim tenebatur tanto amore corporis: sed ne raperetur in seruitutem & captiuus fieret, impietatisque & iniquitatis videret spectaculum. Hunc metum cùm sensisset diabolus, sępe enim audiuerat cùm hoc notis suis aperiret: imitatur noctu vlulatum mulierum. Ego autem, inquit, videbar audire quòd venirent hostes, & quòd vicis ignem inijcerent. Statim ergo cùm capillos in duas partes discriminassem, & partim quidem à dexteris, partim verò à sinistris ad pectus transtulissem, parabam collum vt id ensis amputaret facilius, & breui plaga accepta, ab illo abominando liberarer spectaculo. Cùm sic totam illã noctem transegissem, & assiduè incursionem illorum expectarem, cùm fuisset dies & quidam venissent, rogaui quidnam audijssent de Isauris. Illi autem dixerunt se nihil nosse illis diebus: & sic agnoui, inquit, diabolicam quoque illam fuisse visionem. Aliquando autem assimilatus viuido & vegeto adolescenti, specie decoro, & flaua coma ornato, ad me accedebat subridens simul & ludens. Ego autem, inquit, ira armatus, eijciebam insectans maledictis. Ille autem permanebat, aspectu meretricio, risuque & sermone ad voluptatem alliciens. Tunc ergo maiore ira percitus, Quomodo, inquã, potes totam terram obire, & omnibus tales parare insidias? Is autem dicebat se non esse solum, sed dæmonum multitudinem per totum terrarum orbẽ esse dispersam, qui hoc modo simul & ludunt, & seriò agunt: ludo enim qui videtur, student simul totã perdere humanã naturam. At tu, dicebã ego, abi, Christo tibi id iubente, qui totã legionem per porcos transmisit in profundũ. Audiuit simul & fugit: nec Domini appellationis vim ferẽs, nec eius famuli philosophię ferre valẽs splendorẽ. Porrò autem cùm multa alia sciam quę possim narrare, ea nolo scribere, ne imbecillioribus eorum multitudo causa sit incredulitatis. Nam ijs quidem qui diuinum cernunt hominem, nihil eiusmodi quod dicitur videtur incredibile, cùm ea quæ videtur virtus confirmet ea quæ dicuntur. Sed quoniam transmittentur ad posteros scripta harum narrationum, sunt autem multis aures magis incredulæ quàm oculi, imbecillitate auditorũ metiemur narrationem. Ei ergo ædificarunt alij quoque maximam ædem in vico propinquo, quæ non distat multis stadijs. Construxi ego quoque loculum in æde victoria insignũ apostolorum. Sed cùm hoc resciuisset vir diuinus, sępe me rogauit vt in illo monte corpus mandaretur sepulturæ. Ego autem sępe dixi, quòd non oportet eum qui vitam præsentem non curarit, sepulchri curam gerere. Vbi autem vidi hoc ei esse cordi, annui & sum assensus: & feci vt scinderetur arca & sursum ferretur. Cùm autem viderem lapidem corrumpi à pruina, rogaui vt fineret arcæ paruam fieri domunculam: vbi autẽ iussit, & perfecto ædificio tectum imposuimus, Non patiar, inquit, hoc vocari sepulchrum Iacobi: sed volo hanc fieri ædem martyrum victoria insignium: me autem tanquam aliquem inquillinum poni in altero sepulchro, vt qui dignus sim habitus vt apud eos habitarem. Neque verò hoc solùm dixit, sed etiam fecit: & cùm multos quidem prophetas, multos autem apostolos, maximè autem plurimos martyres vndique collegisset, eos posuit in vna arca, volens simul habitare cum populo sanctorũ, & desiderans cum eis resurgere, & dignari Dei contemplatione. Hoc autem sufficit ad faciendam coniecturam quanta eius esset modestia. Qui enim tantas opes collegerat, perinde ac si esset in extrema paupertate, desiderauit habitare tanquam peregrinus apud diuites mercatores. Quales ergo venerandi mihi capitis sint labores, & quanta certamina, & quantam gratiam acceperit diuinitus, & quàm multis sit victorijs potitus, & quàm multis coronis ornatus, hæc ad ostendẽdum sufficiunt. Quoniam autem asperos & difficiles eius mores reprehẽdunt aliqui, & ægrè ferunt quòd solitudine tantopere delectetur & quiete, cùm de eo pauca dixero, imponam finem narrationi. Proponitur, vt iam dixi, aspectandus ab omnibus: neq; fossa circundatus: neque tugurio aliquo aut tabernaculo tectus. Vnusquisque autem ex ijs qui veniunt, à nullo claustro prohibitus, statim accedens, ea quæ vult loquitur. Alijs autem amatoribus huius philosophiæ, sunt & fossæ & fores: & eis licet frui quiete: & qui est inclusus, aperit cùm voluerit, & quantum vult differt: & quantum vult impletur diuina contemplatione. Hic autem horum nihil est. Quocirca eos fert ægerrimè qui in tempore orationis ei exhibent molestiam: & si cùm iussit quidem, statim recesserint, rursus prosequitur orationem. Quòd si perrexerint exhibere molestiam, & cùm semel aut bis iusserit non paruerint, tunc ægrè ferẽs & increpans amãdat. Ego aût de eo quoq; aliquando sum cum illo locutus: & dixi aliquos molestè ferre quòd expulsi fuerint, & non fuerint participes eius benedictionis: & quòd oporteret eos qui hac de causa veniunt, & iter multorũ dierum conficiunt, recedere non indignantes, sed animi lætitia repletos, & qui philosophiæ narrationum conuiuio excipere possint eos qui ignorant. Ille aût, Non alicuius, inquit, alterius, sed mea causa veni in montem: & cùm scateã ad-

modum multis peccatorum vlceribus, plurima opus habeo medicina: & ea de causa oro clementem Dominum, vt mihi præbeat medicamenta quæ mea curent vitia. Quomodo ergo nõ fuerit valde reprehendendum & valde stultum, interrumpere quidem seriem orationis, interim autem loqui cum hominibus? Si enim hominis qui est eiusdem cuius ego naturæ essem famulus, eo autem tempore quo est ministrandum domino, dimittens in tempore afferre cibum vel potum, confabularer cum aliquo ex conseruis, quot plagas iure acciperem? Si autem cùm etiam accessissem ad Præsidem, & qua ab aliquo afficior narrans iniuriam, sermonem quidem in medio interrumperem: apud aliquem autem ex præsentibus aliqua alia verba facerem, nõ tibi videtur Iudex id ægrè esse laturus, & auxiliũ quidem esse denegaturus, flagris autem præterea esse cęsurus, & à tribunali eiecturus? Quomo ergo est honestum, vt seruus quidem in dominum, qui autem supplicat in Iudicem, ita vt oportet se gerat: ego autem ad Deum & ęternũ dominũ & Iudicem iustissimũ & omnium Regem accedens, ne similiter quidem atq; ij accedam: sed inter orandũ me conuertã ad conseruos, & prolixo cum eis vtar sermone? Hęc & audiui, & ad eos qui ęgrè ferunt transmisi: & mihi videtur rectè pulchreque dixisse. Nam prętер ea quę dicta sunt est etiam animantium proprium, omnes quidem alios despicere, illi autem soli quem amant & diligunt adhærere, eumq; & noctu somniare, & interdiu visione apprehendere. Ideo mihi videtur ægrè ferre, vt qui in ea quidem quam desiderat versetur contemplatione, prohibeatur autem impleri expetenda & dignissima quę ametur pulchritudine. Hæc vt narrantes, non vt encomij ritu laudantes cõscripsimus: breuitatis magnã curam gerentes, ne prolixitate molestia lectores afficeremus. Quòd si etiã fuerit huic superstes narratoni, innumerabilia alia pręclara facinora adijciet prioribus: & illa quoq; conscribent alij, nos enim hinc excedere valde cupimus. Pietatis autem certaminum Agonotheta, & ei det finem dignũ suis certaminibus: pręstetque vt reliquus cursus priori consentiat, vt victor perueniat ad metam: & nostram imbecillitatem sustentet ac suffulciat suis orationibus, vt confirmati, multas quas alij in nos consecuti sunt victorias eis eripiamus, & victores è vita excedamus.

THALASSIVS, *aut Limnæus.*

XXII. HElimma est apud nos quidam vicus, qui olim quidem excepit semina impietatis Marcionis, nunc aũt Euangelica fruitur agricultura. Eius ad meridiem est quidam collis, neq; valde asper, neq; admodũ accliuis. In eo monasticum ædificauit habitaculum, Thalassius vir admirabilis, qui est multis quidẽ alijs quoq; bonis exornatus, sed morum simplicitate mansuetudineq; & moderatione omnes homines sui temporis superauit. Hoc autem dico, non vt soli credam auditui, sed qui eius etiam fecerim periculum. Ad virum enim sæpe accessi, & eius sum sæpe vsus suaui consuetudine. Ab eo in hoc loco fuit initiatus, qui nunc ab omnibus decantatur Limnæus: & cùm admodum iuuenis ad illam peruenisset palæstram, pulchrè in hac summa instituebatur philosophia. Et primùm quidem cùm linguam sciret esse lubricã, adhuc adolescens hoc sibi constituit silentium: mansitque longissimo tempore cum nemine quidquam loquens. Postquam autẽ diuini illius senis doctrinæ satis fuit particeps, & se ostẽdit expressam illius virtutis imaginem, accessit ad magnum illum Maronem cuius prius quoq; meminimus. Accessit autem eodẽ tempore quo diuinus quoque Iacobus. Cùm autem ex eo quoq; magnam percepisset vtilitatem, & quę sub dio agitur vitã esset æmulatus, occupauit aliud mõtis cacumen quod imminet cuidam vico, quem nominant Targallam. In eo degit vsq; in hodiernum diem, nõ habens domunculam, non tabernaculum, non tugurium: sed solo continetur septo quod est ædificatũ ex lapidibus. Habet autem quoddam paruum ostiũ luto assiduè obstructum: quod aduenientibus quidẽ alijs nunquam aperit: mihi autem soli accedẽti hoc permittit facere. Ea de causa vndiquaque congregantur plurimi cùm meũ aduentum senserint, desiderantes esse mei ingressus participes. Cum ijs autem qui aliquando ad ipsum veniunt, loquens per paruam quandam fenestram, eos impertit benedictione, per eam plurimis sanitatem largiens. Seruatoris enim nostri vtens nomine, & morbos cessare facit: & dæmones expellit: & Apostolica imitatur miracula. Non solùm autem ijs qui ad ipsum veniunt suppeditat curationem: sed eam quoq; sæpenumero præbuit suo corpori. Eum enim iam pridem inuaserat morbus colicus. Quàm sint autẽ acres qui ex eo oriuntur dolores & cruciatus, optimè quidem sciunt qui illũ sunt experti: sciũt autem ij quoque qui eius fuere spectatores. Prouoluuntur enim similiter atque ij qui rabie agitantur huc & illuc se vertentes: & crebrò pedes extendentes & contrahentes: nonnunquam autem & sedent & surgunt & ambulãt, aliquam quietis viam quærentes: & ideo assident balneis, sępe ex eo aliquam accipientes consolationem. Et quid opus est longiori vti oratione in ijs enumerandis quæ sunt aperta & manifesta omnibus? Cum hoc morbo colluctans, & tot tantisque cruciatus doloribus, non medicinæ accepit auxilium, non lectum ingredi sustinuit, non à medicamentis aut cibis est recreatus: sed in tabula humi iacente sedens, oratione & crucis signaculo est curatus: & carmine diuinæ appellationis sopijt cruciatus. Porrò autem cùm is quoque noctu aliquando ambularet, calcauit dormientem viperam. Ea verò apprehendens plantam pedis, in eam dentes infixit. Cùm autem pedi conaretur opem ferre, se quidem inclinauit, & ei manum admouit: os autem bestię in eam conuertit. Cùm autem rursus sinistra esset vsus vt ei succurreret, in eam quoq; traxit iram bestiæ. Postquam autem fuit eius furor exatiatus: illi enim plus quàm decem morsus intulit: tunc quidem recessit, & suam cauernam repetijt. Ille autem vndique maximis cruciabatur doloribus. Sed neque tunc passus est vti arte medicina: sed vulneribus adhibuit sola fidei medicamenta, crucisque signaculum, & orationem, & Dei inuocationem. Ideo autem, vt existimo, Deus vniuersorum permisit illam bestiam in illud sacrum corpus furere, vt diuinæ illius animæ omnibus apertam ostenderet tolerãtiam. Nam eius quoque quod generosi & fortis animi Iob idem videmus fuisse consilium. Siuit enim eum maximis ijsque omnis generis agitari fluctibus, cùm sapientiam gubernatoris vellet omnibus ostendere. Vndenam enim aliàs cognouissemus vel illius fortitudinem, vel huius tolerantiam, nisi in eos quæuis tela conijciendi datus esset locus inimico pietatis? Atque ad viri quidem tolerantiam docendam hæc sufficiunt: clementiam autem & benignitatem aliunde ostendemus. Nam cùm multos visu priuatos, & qui mendicare cogebãtur, congregasset, & vtrinque ad Orientem & Occidentem eis habitacula ædificasset, iussit in eis degere, & Deum laudare: alimentum eis necessarium præcipiens suppeditari ab illis qui ad ipsum veniebãt. Ipse autem medius inter eos inclusus, & hos & illos incitat ad hymnodiam: & licet eos audire Deum assiduè laudãtes. Tanta est eius perpetua benignitas in eos qui sunt eiusdem generis. Eorum autem quæ sub dio suscipiuntur certaminum, ipsi & magno Iacobo est idem tempus. Iam enim complerunt tricesimum octauum annum.

DE IOANNE.

XXIII. *Huius meminit Theodoretus lib. 5. historiæ ecclesiasticæ.*

HOc vitæ institutum æmulatus quoq; est Ioannes, vir præter cætera clarus lenitate & mansuetudine. Is cùm rupem quandam valde asperam, tempestatibusque obnoxiã, & ad septentrionem vergentem occupasset, in illa iam transegit vigintiquinq; annos, aeris contrarios excipiens impetus. Alia autem omnia, ne singula persequar, cibus & vestis & ferri pondera, sunt ijs qui prius dicti sunt similia. Est autem humanis omnibus adeò superior, vt nullo ex eis fruatur solatio. Afferam autem huius rei indiciũ euidens. Nam cùm propter torum eius herbaceum vir quidã bonus plantasset amygdalum, & ea deinde procedente tempore arbor euasisset, adeò vt & ei vmbram præberet, & oculos pasceret, iussit eam excindi: vt ex ea nullam acciperet recreationem. Hoc vitæ institutum amplexus quoque est Moses, in alto quodam montis vertice, qui impendet vico Ramæ, decertans: & Antiochus vir senex, qui in monte maximè deserto paruum septum extruxit: & Antonius, qui in corpore senio confecto æquè decertat atque iuuenes. Est autem eis eadem vestis, & cibus, & status, & oratio, nocturniq; & diurni labores: & nec longitudo temporis, nec senectus, nec naturæ imbecillitas, eorum superat tolerantiam: sed in eis floret ac viget laborandi studium. Alios quoque plurimos athletas habet in montibus & agris Deus virtutis Agonotheta, quos non est enumerare facile, nedum vitam vniuscuiusque scribere. Cùm ergo sufficientem ex eis vtilitatem ijs qui lucrari voluerint adiecerim, me conuertam ad aliud genus narrationis, rogans vt sim eorum quoque benedictionis particeps.

ZEBINAS, AVT POLYchronius.

ZEbinam prædicant vsque in hodiernum diem, qui vt illum viderent digni sunt habiti. Aiunt autem eum cùm ad extremã peruenisset senectutem, ijsdem esse laboribus vsum vsque ad finem: nec licet grauissimo premeretur senio, ex certaminibus iuuentutis aliquid immutasse. Superabat autem, vt dixerunt, omnes sui temporis homines assiduitate orationis. In ea enim diu noctuque versans, non solùm non satiabatur, sed etiam desiderium efficiebat vehementius. Quinetiã cum ijs qui ad ipsum veniebant paucis differens, non poterat in animum inducere vt cogitationem à cœlis deduceret: sed statim ab illis liberatus, vt nec tantillum quidem ab ijs quæ sunt Dei vniuersorũ separatus, offerebat rursus deprecationem. Postquam autem nõ permittebat senectus vt citra molestiã stare posset assiduè, sustentaculum ei præbebat baculum: cui innixus, Dominum & laudabat & orabat. Cùm autem præter alia bona esset ornatus amore in hospites, iubebat multos ex ijs qui ad ipsum veniebant, expectare vesperam. Illi autem timẽtes ne tota nocte illic starent, aliqua sua negocia prætexentes, se ab illis subducebant laboribus. Hunc ille quoque magnus admiratus est Maron: & omnes ad se venientes ad illum ire iubebat, & accipere eius benedictionem: eum patrem & magistrum nominãs, & totius virtutis exemplar vocans. Rogauit autem vt in eodem quoque sepulchro poneretur: sed nõ fuerunt qui corpus illud sacrum diripuerunt, & in eum locũ quem diximus detulerunt. Diuinus autem Zebinas cùm ante eum obijsset, in vico ei propinquo, is autem appellatur Cittica, iusta sibi facta accepit. In eius autem sepulchro maximam ædem ædificarunt. Ijs enim qui cum fide accedunt, variam ac multiplicem effundit curationem. Habet autem nunc quoque sub eodem tecto martyres, qui apud Persas quidem decertarunt, annuis autem & celebribus festis à nobis honorantur. Huius doctrinam magnus accepit Polychronius. Quinetiam diuinissimus Iacobus dicebat eum sibi primum dedisse tunicã expilis contextam. Ego autem qui illum nunquam vidi, ante meum enim aduentum vitæ finem acceperat, in hoc egregio Polychronio diuini Zebinæ video philosophiam. Non sic enim cera exprimit figuras annulorum, vt hic illius effingit formam & cha-

& characterem. Hoc autem apertè ſcio, ea quę de illo narrantur, cum ijs quæ ab hoc fiunt, conferens. Eſt enim ſimiliter diuino incẽſus deſiderio: & eſt terrenis omnibus ſuperior: & corpori alligatus mentem habet alatam, & quę fertur ſublime, aeremque traijcit & ętherem, & cœlis fit ſublimior, & perpetuò diuinam viſione apprehendit contemplationem: nec poteſt illinc vnquam mentem detrahere. Quinetiam cum ijs qui adueniũt colloquens, ſuperna mente peragrat. Eius autẽ per totam noctem vigiliam & ſtationẽ hinc didici. Cùm eum viderem ſimul & cum ſenio conflictantem & cum imbecillitate, & nullam omnino habentem curam corporis, ſæpius precatus ei perſuaſi vt duos aſſumeret qui ſimul habitarent, & aliquam conſolationem ab ijs acciperet. Quoniam autẽ petijt viros virtute claros qui per ſe in alio degebant monaſterio, illis quoq; viris admirandis perſuaſi, vt diuini hominis curam omnibus præponerent. Ij cùm paruo tempore cũ eo habitaſſent, conati ſunt fugere, per noctem illam non ferentes ſtationem. Cùm autem virum diuinũ obſecrarem vt imbecillitate corporis metiretur laborem, Non ſolum, inquit, eos non cogo ſtare mecum aſsiduè, ſed etiã ſæpe præcipio vt decumbant. Illi autem, Et quomodo poſſemus, aiebant, eo qui in laboribus conſenuit, ſtante, & imbecillitatẽ corporis deſpiciente decumbere, cùm ſimus ſani & in media ætate? Sed venerandi quidem mihi capitis nocturnos labores ſic dicti. Hi autem viri procedente tempore ſibi tantam parauere virtutem, vt cum hoc magno viro eandem perſequerentur philoſophiam: & Moſes quidem, hoc eſt enim ei nomen, permanſit vſque in hodiernum diem, tanquam patri & Domino omne ei ſeruitium exhibẽs: & quæ ex ſacra illa anima coruſcat virtutem, accuratè perfecteq; exprimens. Damianus autem, hoc enim erat nomen alteri, cùm peruenniſſet ad quendam vicum non procul ſitum, ei autem eſt nomen Niara, & prętер alias paruã quandam inueniſſet domunculã, in illa degit, idem vitę inſtitutum perſequens: adeò vt qui hunc & illũrectè norunt, eum aſpicientes, exiſtiment ſe videre beati Polychronij animã in alio corpore. Eadẽ enim & ſimplicitas & manſuetudo & moderatio: eadem lenitas ſermonis: eadem in congreſſu ſuauitas: eadem animę vigilantia, & Dei intelligẽtia: idem ſtatus & labor & vigilia & cibus: & quę eſt ex lege diuina, paupertas & nihil poſsidere. Nam prętер vnã ſportulam quę lentẽ habet madefactã, nihil eſt in habitaculo. Tantam accepit vtilitatẽ ex conſuetudine magni Polychronij. Ego autem relicto diſcipulo rẽdibo ad magiſtrũ. A fonte enim riui fluenta procedunt. Hic ergo cum alijs vitijs eiecta quoque ex anima gloriæ cupiditate, & inanis gloriæ conculcata tyrannide, ſtudebat ſemper labores occultare. Et ferrum quidem vt geſtaret non inducebat in animum, timens ne ex eo aliquid damni hauriret, ſi arrogantiæ inflammationem anima ex ea accepiſſet. Cùm autem quercus grauiſſimam radicem ad ſe deferri iuſsiſſet, vt qui ad alium ſcilicet vſum ea opus haberet, eam & noctu imponebat humeris, & ea impoſita orabat: & interdiu, cùm eſſet ei ocium. Cùm autem veniret aliquis, & pulſaret oſtium, eam in loco aliquo abſcondebat. Hanc cùm vidiſſet quidam mihi indicauit: & cũ vellem ſcire quantum eſſet eius pondus, vix eam potui tollere ambabus manibus. Is autem cùm me aſperxiſſet, iuſsit eam dimittere. Ego autem eum rogabã vt mihi eam permitteret accipere, vt ei eriperem occaſionem laboris. Poſtquam autem eum vidi ęgrè ferre, ei ceſsi deſiderio victoriæ. Ex his laboribus efflureſcit ei quoque data gratia diuinitus: & multa fiunt miracula illius orationibus. Etenim cũ grauis illa ſiccitas quæ, homines affligebat, ad preces incitaret, venit ad eum mũltitudo ſacerdotum. Erat autem vnà cum eis quidã quoq; cui Antiochenę regionis multi vici paſcẽdi erãt crediti. Is ex ijs qui aderãt rogabat ſeniores, vt ei perſuaderẽt vt manum dexterã imponeret lecytho. Cùm ij autem dixiſſent eum nõ eſſe id facturum, dum preces poſt hęc fierent, & venerandũ mihi caput oraret, ille ponè ſtans porrexit duabus manibus lecythum. Is aũt ita cœpit ſcatere, vt duo aut tres ex ijs qui aderant manus extenderẽt, & eas plenas oleo acciperent. Sed licet & diuinæ gratiæ fundat radios, & rectis officijs pręclariſq; & ex virtute rebus geſtis ſit plenus, & quotidie colligat opes philoſophiæ, eſt tamen tanta modeſtia & moderatione prędituſ, vt vniuſcuiuſq; ex ijs qui ad ipſum veniunt ambos pedes amplectatur, & frontem terę imponat: ſiue fuerit miles, ſiue opifex, ſiue ruſticus. Narrabo autem aliquid quod poſsit docere eius ſimplicitatem & moderationem. Quidã vir bonus cui huius gentis obtigit prefectura, cùm Cyrum veniſſet, cupiebat mecũ frui aſpectu horum magnorum athletarum. Cùm alios ergo obijſſemus, ad hunc quoque acceſsimus cuius virtutem nũc narramus. Cũ ego itaq; dixiſſem eſſe præfectum qui mecum acceſsiſſet, & æqui iuſtique amatorem, ſtatim homo diuinus vtraſq; manus tendens, & ambos pedes prehendens, Volo, inquit, vt mihi aliquam promittas petitionem. Cùm is autem ægrè ferret, & vt ſurgeret oraret, & ſe quod iuſſerit facturum polliceretur: conijciebat enim eum velle rogare pro aliquo ex ijs qui eius parebant ditioni. Quoniã ergo, inquit homo diuinus, es pollicitus, & iureiurando promiſſum confirmaſti, acri & vehementi ſtudio Deo pro me offer preces. Is autęm frontẽ pulſans, obſecrabat vt eum abſolueret à iureiurando, vt qui non eſſet dignus pro ipſo preces offerre Domino. Eius ergo qui in tam alta philoſophia tãta ſit modeſtia ac moderatione, quęnam oratio poſsit eius laudes, ꝑ dignitate cõſequi? Huius in laboribus ſuſcipiendis ſtudium, ne varij quidem ac multiplices morbi qui in eũ incubuere, retardarunt. Sed cùm à varijs morbis obſideatur, eoſdẽ labores ſuſtinet. Cũ multis autem ſępe verbis apud eum egerimus, vix hanc ædificauimus domunculam, corpori planè

planè frigefacto aliquantulum caloris procurantes. Ei multi quidem adhuc ſuperſtites aurum ſæpe obtulerunt, & qui etiam exceſſere reliquerunt, ſed nihil ab vllo vnquam accepit: ſed eorum quæ offerebantur eos iuſsit eſſe diſpenſatores. Porrò autem magnus quoque Iacobus cilicium ab aliquo ad ſe delatum ad ipſum miſit: ſed id quoque remiſit, cùm id eſſe videret denſius & elegantius. Perpetuò enim vſus eſt vilibus & minimi pretij veſtibus. A deò autem exiſtimauit paupertatem eſſe quouis regno magis expetendam, vt nec neceſſarium quidem ſemper haberet nutrimentum. Scio enim me ſæpe veniſſe, & benedictionem petijſſe, neq; aliquid aliud inueniſſe quàm ſolas duas caricas. Huius mel, & ijs qui vident eſt valde expetendum, & ijs qui audiunt ſuaue & maximè iucundum. Nullum enim vidi hominem, ne ex ijs quidem qui ſunt faceti & dicaces, qui vlla vnquam reprehenſionis labe eum aſperſerit: ſed omnes eum & prædicant & celebrant: & ad ipſum venientes, minimè volunt recedere.

ASCLEPIVS.

XXV. HVius ordinis eſt admirabilis quoque Aſclepius, qui abeſt quidẽ decem ſtadijs, idem autem vitæ inſtitutum eſt æmulatus. Eſt enim ei idem & cibus, & veſtis, & morum moderatio, in hoſpiteſque & in fratres charitas, lenitaſque & manſuetudo: & cum Deo conuerſatio, & ſumma paupertas, & maximæ virtutis copiæ, & opes philoſophiæ, & alia omnia quæ de illo ſacro capite recenſuimus. Dicunt autem eum quoque cùm eſſet in numero fratrum qui in vico habitant, monaſticam & temperatam vitam fuiſſe amplexum, nec ex multorum congreſſu vllam contraxiſſe maculam. Cùm ergo in vtraque vita, nempe & ciuili & ſolitaria, ſe egregiè geſſerit, duplicibus quoque coronis meritò dignabitur. Porrò autem multi quoque alij ſunt horum æmulati virtutem: & plena eſt non noſtra ſolùm, ſed etiam vicinæ ciuitates, & pagi, tali philoſophia. Eſt autem vnus ex his diuinus quoque Iacobus, in quadam domuncula incluſus iuxta vicum qui dicitur Duzan. Qui cùm ſit etiam in ipſo vitæ termino, eſt enim pluſquam nonaginta annos natus, incluſus eſt ſolus: & per quandam modicam foſſam, inſtar incuruæ lineæ factam, reſponſa quidem reddit, ſed non videtur: & neq; igne vtitur, neque lumine lucernæ. Me quidem bis perfoſſo oſtio iuſsit admitti, hoc me honore afficiens, & quàm mihi bene velit oſtendens. Atque ij quidem qui adhuc ſunt ſuperſtites, ſcriptis meis non indigent. Poſſunt enim ſi velint, ipſi eorum contemplari philoſophiam. Poſteris autem & qui hoc non videre ſpectaculum, hæc quoque ad vſum ſufficiunt, vt quæ philoſophię oſtendant characterem. Hic ergo & de his abſoluta oratione, & benedictionis poſtulata remuneratione, ad aliam transibo narrationem.

SYMEONES.

XXVI. SYmeonem illum inſignem, magnum illud orbis terrarum miraculum, ſciũt quidem omnes qui parent imperio Romanorum: norunt autem Perſæ quoque & Indi & Aethiopes. Quinetiam ad Scythas vſque Nomadas fama peruadens, eius in laboribus ſubeundis diligentiam docuit & philoſophiam. Ego autem etiam cùm omnes, vt ſemel dicam, homines teſtes habeam, vereor narrare certamina, quæ omnem ſuperant orationem: ne poſteris videatur fabula nuda ab omni veritate. Quæ enim fiunt, humana ſunt natura ſuperiora. Solent autem homines natura metiri ea quæ dicuntur. Si quid autem dicatur quod eius excedat limites, falſa videtur oratio ijs qui non ſunt diuinis initiati myſterijs. Quoniam autẽ pijs & vera religione præditis terra & mare plena ſunt: & qui in rebus diuinis ſunt eruditi, & ſanctiſsimi ſpiritus gratiam accepere, tantum abeſt vt non credant ijs quæ dicenda ſunt, vt ijs etiam magnam fidem ſint habituri: prompto & alacri animo accedam ad narrationem. Illinc autem incipiam vnde etiam ſuperna dignatus eſt vocatione. Eſt quidam vicus ſitus in confinio noſtræ regionis & Cilicum: eum autem Seſam nominant. Ex hoc ortus, primò à parentibus docebatur oues paſcere: vt in hoc conferri poſsit cum magnis viris, Iacob patriarcha, Ioſeph temperante, & Moſe legiſlatore, & Dauid Rege & Propheta, & Michæa Propheta, & viris diuinis qui illis fuere ſimiles. Cùm aliquando autem plurimum nauigaſſet, & coactæ eſſent oues intus manere, facta ei poteſtate quieſcendi, ad templum diuinum venit cum parentibus. Hæc autem narrantem audiui ſanctam linguam. Dicebat ergo ſe vocem audiuiſſe Euangelicam, quæ eos quidem qui flent & lugent beatos pronunciat: miſeros autem vocat eos qui rident: & eos nominat felices qui ſunt mundo corde præditi, & alia quæ ſunt his connexa. Deinde ex ijs qui aderant interrogaſſe quempiam, qui dnam fecerit aliquis vt horum vnumquodque conſequatur? Eum autem illi vitam retuliſſe ſolitariam, & ſummam illam oſtendiſſe philoſophiã. Cùm ergo verbi diuini hæc ſuſcepiſſet ſemina, & profundis animæ ſulcis ea pulchrè occuluiſſet, dicebat ſe iuiſſe in proximam ædem ſanctorum Martyrum. In ea autem & genua & frontem in ſolo defixiſſe, & eum rogaſſe qui vult omnes homines ſaluos facere, vt eum deducat ad viam perfectam pietatis & veræ religionis. Cùm autem hoc modo diu eſſet moratus, dulcem quidem ſomnum quendam ſibi obrepſiſſe, tale autem vidiſſe ſomnium. Mihi, inquit, videbar fodere fundamenta: deinde audire aliquem ſtantem, quòd me oporteat foſſam facere profundiorem. Cùm itaq; adieciſſem vt iuſsit altitudinem, rurſus tentabam quieſcere: ſed me quoque rurſus iubebat fodere, & non ceſſare à labore. Cùm autem hoc mihi ter & quater præcepiſſet facere, tandem dixit eam ſufficere altitudinem: & iuſsit

Huius meminit Euagrius in primo libro hiſtoriæ Eccleſiaſtice. Metaphraſtes in vita Theodoſii Cœnobiarchæ & Ioannes Damaſcenus in libro quem ſcripſit aduerſus vituperatores imaginum.

iusit ædificare deinceps nullo labore: vtpote quòd cùm cessasset labor, futura quoq; esset ædificatio citra laborem. Huic prædictioni res ferunt testimonium. Ea enim quæ fiunt, humanam naturam excedunt. Cùm illinc surrexisset, ad propinquorum quorundã monachorum venit habitaculũ. Duobus autem annis cum illis versatus, & perfectioris virtutis amore captus, venit ad vicum illum Teledam, cuius prius quoque meminimus: apud quem magni & diuini viri Ammianus & Eusebius palęstram fecere monasticam. Sed non venit in hanc diuinus Symeones, sed in aliam quæ ex hac germinauit. Eusebonas enim & Abiton cùm magni Eusebij doctrinam satis percepissent, hoc philosophiæ ædificauere gymnasium. Cùm itaq; toto vitę tempore fuissent & animis concordes & moribus, & veluti vnam animam ostendissent in duobus corporibus, multos habuerunt qui eiusdem vitæ tenebantur amore. Cùm ij autem ex hac vita gloriose excessissent, Heliodorus admirandus suorum sodalium accepit præfecturam: qui cùm vixisset sexaginta & duos annos intus inclusus transegit. Cùm enim tres annos apud suos parentes fuisset educatus, hũc gregem est ingressus, cùm nihil vnquam aspexisset eorum quæ fiunt in mundo. Dicebat autem se ne ipsam quidem nosse formam porcorum vel gallorum vel aliorum huiusmodi. Eum ego sæpe vidi, & simplicitatem morum sum admiratus, & eius animi puritatem sum mirum in modum amplexus. Cùm ad hunc venisset hic præstantissimus pietatis Athleta, decem quidem annos perpetuos decertauit. Cùm autem haberet octoginta eiusdem certaminis socios, omnes longo interuallo superauit. Et cùm alij post duorum dierum spatium vescerentur, ipse totam hebdomadam permanebat ieiunus, ægrè ferentibus præsidibus, & cum eo contendentibus, & ordinis perturbationem eam rem vocantibus, ijs tamen quæ dicebantur non persuadentibus, nec animi alacritatem refrenari valentibus. Audiui autem illum ipsum narrantem qui nũc est huius gregis præfectus, quòd cùm aliquando funem contextum ex palmis, est autem is asperrimus, sumpsisset, & manibus astrinxisset, eo lũbos succinxit, non apponens extrinsecus, sed ipsi pelli applicans: & tã arctè compressit, vt tota illa pars cui fuerat impositus, circũcirca ex ulcerare tur. Postquã autem plus quã decem dies hoc modo transegisset, & vlcus quod incrudescebat guttas sanguinis emitteret, rogauit quidam qui hoc viderat quænam esset causa sanguinis. Cùm is autem diceret nihil esse quod ei afferret molestiam, eius socius per vim & manũ immisit, & causam didicit, & eã præfecto renunciauit. Mox ergo increpans, & rogans, & rei crudelitatem reprehendens, vix illi soluit vinculũ: sed nec sic persuasit vt illi vlceri vllã adhiberet medicinã. Porro aũt cùm eum viderent facere alia eiusmodi, iusserunt vt ab illa palæstra recederet: ne ijs qui erant corpore imbecilliori, ea quæ essent supra vires æmulari conantibus, damni causa fieret. Egressus ergo cùm venisset ad montis loca magis solitaria, & quendam sine aqua lacum non valde profundum inuenisset, in eum seipsum demisit, & in eo Deo offerebat hymnodiam. Pœnitentia autem ducti illius palæstræ præfecti, duos quosdam emiserunt permittentes vt eum quærerent & ducerent. Cùm itaque ij montem circuissent, rogarunt quosdã qui illic pascebant pecora, an vidissent aliquem tali colore præditum & sic vestitum. Vbi autem lacum pastores ostenderunt, valde quidem statim exclamauerunt, fune autem allato, eum cũ magno labore extraxerunt. Non est enim æquè facilis ascensus atque descensus. Cùm itaque paruo tempore apud illos esset moratus, venit in vicũ Telanessum, subiectũ cacumini montis in quo nunc degit. In eo cũ paruam inuenisset domunculam, tres annos transegit inclusus. Cùm autem contenderet virtutis augere diuitias, desiderauit similiter ac diuini homines Moses & Elias, ieiunus permanere quadraginta diebus: & admirabili Basso conatur persuadere, qui tunc multos obijt vicos, vt qui pręesset ijs qui erant in pagis sacerdotibus, vt nihil quidẽ intus relinquat, luto aũt ostium obstruat. Cum is aũt rei referret difficultatem, & moneret ne violentam mortẽ existimaret esse virtutẽ: est enim id crimen & maximum & primũ. At tu, inquit, ò pater, repone mihi decẽ panes, & hydriam aquæ: & si videro corpus egere alimento, ero eorum particeps. Factum est vt iusit: & illa quidem fuerunt reposita, ostium aũt luto est obductum. Finitis autem diebus, venit quidem ille admirandus & homo Dei Bassus: moto autem luto, ostium ingressus, inuenit quidẽ panum numerum: inuenit aũt vnam quoque aqua plenam: ipsum aũt iacentẽ, nec spirantem, & nec loqui nec moueri potentem. Spongia ergo petita, cùm os ea humectasset & eluisset, ei obtulit diuinorum sacramentorum symbola: & sic per hæc confirmatus, surrexit, & modicum cibi sumpsit, lactucas & intybum & his similia paulatim mandens, & ad ventriculum transmittens. Obstupefactus itaq; magnus ille Bassus, venit ad suum gregem, magnũ hoc narrãs miraculum. Habebat enim plusquam ducentos sodales, cùm nec eis iumentum habere, nec molam permisisset, neq; aurum ab aliquo oblatum accipere, neque aliquẽ extra fores egredi aut aliquid ex necessarijs emptum, aut aliquem ex suis notis visurum: sed intus agere, & quod à diuina gratia mittebatur alimentum accipere. Hanc legem in hodiernũ vsq; diem seruant sodales: & quamuis creuerit eorum numerus, mandata quæ eis data sunt non transilierunt. Ego autem ad magnum transibo Symeonem. Ab illo ergo tempore vsque in hodiernum diem, iam autem præterierunt viginti & octo anni, manet ieiunus quadraginta dies. Tempus autem & assuefactio multum detraxit de labore. Solebat enim primis diebus stare & Deum laudare. Deinde cùm propter inediam non posset amplius corpus pati stationem, deinceps sedere & diuinum peragere officium: postremis autem diebus etiam accumbere. Nam cũ paulatim consumerentur & extinguerentur vires cogebatur iacere semimortuus. Postquam autem stetit in columna, non inducebat quidem in animum vt descenderet, sed alia ratione excogitauit vt staret. Nam cùm trabem quandam columnæ alligasset, & seipsum rursus funibus trahi adaptasset, sic quadraginta dies perpetuos transegit. Post hæc autem cùm maiorem deinceps à superis gratiam accepisset, ne hoc quidem opus habuit auxilio: sed stetit quadraginta dies, cibũ quidem non sumens, sed alacritate animi & diuina gratia cõfirmatus. Cùm hos ergo tres perpetuos, vt dixi, annos in illa transegisset domuncula, ad hoc tantopere sermonibus iactatum & celebratum venit cacumẽ: & cùm septum circumcirca fieri mandasset, ferream autem catenam viginti cubitorum comparasset, & eius vnum quidem initium cuidam petræ maximæ appendisset, alterum autem dextero pedi adaptasset, vt nec si vellet quidem, abiret extra eos limites, in eo degit cœlum assiduè visione apprehendens, & vt ea quæ sunt supra cœlos contemplaretur sibi vim afferens. Mentis enim volatum non impediebat ferri vinculum. Postquam autem Meletius ille admirabilis, cui tunc mandata erat cura episcopatus regionis Antiochenæ ciuitatis, vir cordatus, & prudentia clarus, & ingenij solertia ornatus, superuacaneum dixit esse ferrum, cùm sufficiat mens ad corpori imponenda rationis vincula, cessit quidem, & eius paruit suasioni. Cùm autem æris fabrum accersiri iussisset, præcepit solui vinculum. Cùm autem tibiæ quoque adaptata esset pellis, ne corpus læderetur à ferro, & oporteret eam, fuerat enim consuta, disrumpi, dixerunt se vidisse plus quàm viginti maximos cimices, in ea tanquam in cauerna delitescentes: & hoc se dicebat vidisse admirandus Meletius. Ego autem huius memini, hinc quoque ostendens magnam viri tolerantiam. Nam cùm posset pellem manu comprimere, & omnes facilè interimere, molestos morsus toleranter passus est, in paruis se lubenter ad maiora exercens. Cùm ergo peruolaret fama in omnes regiones, cõcurrebant omnes, non solùm vicini, sed qui etiam multorũ dierum itinere aberant: alij quidem paralyticos afferentes: alij verò ægris sanitatem petentes: alij autem vt patres fierent rogantes: & quod à natura non acceperant, ab illo volebant accipere: cumque acciperent, & quæ postulabant impetrarent, læti quidem redibant: quæ autem erant consecuti beneficia prædicantes, longè plures eadem petituros emittebant. Sic autem omnibus vndique aduenientibus, & per totam viam instar fluminis affluentibus, videre est pelagus hominum in illo loco constituti, quod fluuios vndiquaq; excipit. Non solũ enim confluunt qui nostram habitant regionem, sed & Ismaelitæ, & Persæ, & Armenij qui sunt eis subiecti, & Iberes, & Homeritæ, & qui illis sunt interiores. Venerunt autem multi quoque qui habitant extrema occidentis, Hispani, inquam, & Britanni & Galli, qui quod est intermedium occupant. De Italia enim superuacaneum est dicere. Aiunt enim Romæ, quę est longè maxima, eum fuisse adeò omnium sermone celebratum, vt in officinarum omnibus vestibulis & porticibus ei paruas posuerint imagines, hinc sibi præsidium & tutelam parantes. Cùm ergo venirent innumerabiles, conabantur autem omnes contrectare, & expelliceis illis vestibus aliquam percipere benedictionem, primùm quidem absurdum & alienum existimans tam insignem sibi haberi honorem, deinde etiam rem ægrè ferens, vt nimis laboriosam, machinatus est illam in columna stationem: primum quidem iubens ædificari sex cubitorum: deinde duodecim: postea autem viginti duorum: nunc autem sex & triginta. Cupit enim in cœlum euolare, & ab hac terrena liberari conuersatione. Ego autem nec absq; diuino consilio existimo hanc factam fuisse stationem. Quamobrem eos hortor qui reprehendendi studio delectantur, vt linguam suam refrenent, & non temerè eam ferri permittant: sed potius considerent quòd sæpe talia machinatus est Dominus vt eis prodesset qui sunt socordiores. Etenim iussit Esaiam ambulare nudum & nudis pedibus: & Hieremiam lumbis cingulum circumponere, & sic incredulis offerre prophetiam: & aliquãdo etiam lignea collaria & ferrum collo imponere: quinetiam Oseæ quoque vxorem accipere fornicariam: & rursus amare mulierem fornicariam & adulteram: & Ezechieli super dexterum latus cubare quadraginta dies: & super sinistrum centum & quinquaginta: & rursus murum persodere, & fugientem exire, & sibi describere captiuitatem. Quinetiam ensem aliquãdo acuere, & eo caput radere, & in quatuor partes capillos diuidere: & alios quidem huic, alios verò illi distribuere: ne omnia recenseam. Vnumquodque autem horum iussit fieri rector vniuersorum, eos qui sermoni non parebant, nec vt prophetiam audirent in animum inducebãt, admirabilitate spectaculi colligens, & vt diuina responsa audirent, efficiens. Quis enim non obstupuit, cùm videret diuinum hominem nudum ingredientem? Quis autem non desiderauit scire causam, cur hoc fieret? Quis autem non est percontatus, cur fornicariam propheta secum habitare pateretur? Quomodo ergo vniuersorum Deus iussit illorum vnumquodque fieri curam gerens eorum qui ignauè & socorditer viuebant: ita etiam hoc nouum & admirabile procurauit spectaculum, rei nouitate & admirabilitate omnes trahens ad spectandum, & efficiens vt aduenientibus credibilis exhiberetur admonitio. Nouitas enim spectaculi est pignus sufficiens doctrinæ: & qui venit ad spectaculum, cũ res diuinas doctus

Hic locus fuit citatus in septima synodo ijsdem verbis in actione quarta.

ctus fuerit, recedit. Et quemadmodum ij quibus obtigit vt essent reges hominum, post aliquam temporis cõuersionem mutant imagines nummorum: aliquando quidem leonum exprimentes imagines: aliquando autem stellarum: & aliquando Angelorum, nouo charactere tentantes aurum reddere pretiosius: ita etiam summus rex vniuersorum, veluti quasdam figuras ac characteres, hæc noua & multiplicia viuendi instituta, pietati veræque religioni adijciens, non solùm fidei alumnorum, sed eorum etiam qui laborant morbo incredulitatis, ad laudandum linguas excitat. Et quòd ita se habeat, non solùm verba testantur, sed etiam res ipsæ clamant. Ismaelitarum enim millia innumerabilia, quæ impietatis seruiebant caligini, illa in columna illuminauit statio. Nam velut ipsu per candelabrum aliquod posita hæc lucerna lucidissima, solis instar emisit circumquaque radios: & est, vt dixi, videre Iberas venientes, & Persas, & Armenios, & diuinum baptismũ accipientes. Ismaelitę autem turmatim venientes, ducenti simul & trecenti, & nonnunquam etiam mille, errorem quidem patrium negant cum clamore: quæ autem illi coluerant simulachra, ante magnum illud lumen conterentes: & Veneris Orgijs renunciantes, ab alto enim repetitis temporibus acceperant cultum huius dęmonis, diuina percipiunt sacramenta: leges accipientes à diuina illa lingua, & patrios ritus valere iubẽtes, asinorúmque agrestium & camelorum esum abnegantes. Eosq; ego & vidi & audiui, & patriam impietatem abnegantes, & doctrinæ euangelicę assentientes. Semel autem maximum adij periculum. Ipse enim eis dixit vt ad me accederent, & sacerdotalem acciperent benedictionem: dicens fore vt magnum hinc fructum perciperent. Cùm illi autem paulò magis barbaricè concurrissent, alij quidem antè trahebant, alij verò ponè, alij autem ex obliquo. Qui autem alijs aberant longius, irruentes, & manus protendentes, alij quidem barbam vellebant: alij verò vestes apprehendebant: & à vehementiori illorum aditu fuissem suffocatus, nisi ille clamorem edens omnes disperssisset. Talem, quæ à dicacibus irridetur hominibus, columna effudit vtilitatem, & tantum emisit radium Dei cognitionis in mentes barbarorum. Scio etiam aliud ab eo fuisse factum eiusmodi. Obsecrabat vna tribus diuinum hominem, vt deprecationem quandam & benedictionem emitteret suæ tribus præfecto. Alia autem quæ aderat tribus contradicebat, dicens non oportere illi emitti benedictionem, sed ei qui præest suæ tribui: illum enim esse iniustissimum: hoc verò alienum ab iniustitia. Cùm autem inter eos magna fuisset contentio, & barbarica decertatio, tandem in se inuicem irruerunt. Ego autem prolixa vsus oratione, suadebam vt quiescerent: vtpote quòd vir diuinus sufficeret ad dandam & huic & illi benedictionem, Sed hi quoq; dicebant non oportere illam hanc assequi, & illi ea alterum priuare conabantur. Cùm eis autem desuper esset minatus, & eos canes vocasset, vix sedauit contentionem. Hęc autem dixi, volens ostendere quanta esset eorum animi fides. Non enim sic inter se insanijssent, nisi diuini viri benedictionem credidissent maximam habere virtutem. Vidi autem aliud quoque miraculum quod fuit valde celebratum. Quidam enim ingressus, erat autem is quoque Saracenorum vnius tribus præfectus, supplex petebat à diuino capite, vt cuidã opem ferret, cui in via erant paralysi soluta membra corporis. Dicebat autem eum morbum ei accidisse in Callinico: est autem id castellum maximum. Cùm is itaq; fuisset allatus in medium, effecit vt negaret impietatẽ maiorum. Vbi autem lubenter obedijt, & quod iussus fuerat impleuit, rogauit an crederet patri & vnigenito filio, & sancto spiritui. Cùm is autẽ se cõfessus esset credere, His, inquit, credens appellationibus, surge. Postquam autem surrexit, iussit vt tribus præfectũ suis ferret humeris vsque ad ipsum tabernaculum, habuit aũt corpus maximum: & ille quidẽ eo accepto, statim abijt. Qui autem aderant, ad Dei laudes linguas mouerunt. Hoc autem iussit, Dominum imitans, qui iussit paralytico ferre lectum. Sed imitationem nemo vocet tyrannidem. Est enim vox eius, Qui credit in me, opera quæ ego facio ille quoque faciet: & maiora his faciet. Etenim huius promissi euentum vidimus. Nam cùm vmbra Domini nunquam fecerit miraculũ, magni Petri vmbra & mortem fregit, & morbos exegit, & fugauit dęmones. Sed Dominus & hæc per suos seruos fecit miracula: & nunc quoque similiter eius vtens appellatione, diuinus Symeones innumerabilia efficit miracula. Accidit enim vt aliud quoq; fieret miraculum, priore minimè inferius. Ex ijs enim qui in nomen salutare Domini Christi crediderant, quidam Ismaelita non obscuro loco natus, Deo votum fecerat, hoc diuino viro teste. Pollicitus autem erat futurum vt se deinceps perpetuò abstineret ab esu cuiusuis animati. Hoc promissum nescio quomodo quodã tempore transgressus, occisam auem ausus est comedere. Cùm Deus autem per increpationem eum ad conuersionem voluisset deducere, & suum famulum honorare, qui fuerat testis promissi quod is fuerat transgressus, mutata est in lapidis naturam caro auis, adeò vt nec si vellet quidem, deinceps posset eo vesci. Quomodo enim potuisset, cùm lapidiuisset quod ad cibũ sumptum fuerat corpus? Hoc admirando & incredibili spectaculo obstupefactus barbarus, ad sanctũ venit quàm celerrimè, quod erat occultum peccatum in lucem proferens, & suam transgressionem omnibus enuncians, & delicti à Deo petens veniam, & sancti auxilium inuocans: vt omnipotentibus suis precibus ipsum peccati vinculum exolueret. Multi autem id videre miraculum, qui auis partem ex osse & lapide constantem viderunt in eius

pectore.

pectore. Non solùm autem fui spectator miraculorum, sed etiam auditor eorum quę prędicta sunt futura. Etenim eam quæ fuit siccitatem, & magnam illius anni sterilitatem, & eam quę consecuta est simul famẽ & pestem, duobus annis antè prędixit: dicens se præuidisse virgam quæ infligitur hominibus & flagella quæ per eam intentantur. Porrò autem aliàs quoque significauit irruptionem eius qui bruchus seu eruca dicitur: & eã non esse magnum detrimentum allaturam, cùm diuina clementia mox sequatur supplicium. Cùm autem triginta dies præterijssent, innumerabilis quidem suprà stetit multitudo, vt etiam radium dissecarent, & vmbram offunderent: idque omnes planè & perfectè vidimus: solum autem dedit damnum bestiarum pascuis: cibum autẽ hominum nulla ex parte læsit. Iam verò mihi quoque qui ab aliquo oppugnabar, significauit ante quindecim dies futurum belli finem: & prædictionis veritatem didici experientia. Quinetiam ei aliquando visæ sunt duæ virgæ quæ ferebantur quidem de cœlis, in terram autẽ orientalem cadebant & occidentalem. Hanc autem Persicæ & Scythicæ gentis in imperium Romanorum insurrectionem, significauit vir diuinus, & ijs qui aderant effatus est visionem: multisque lachrymis & precibus assiduis repressit plagas quarum intentabantur minę in orbem terræ. Gens quidem certè Persarum iam armata, & parata ad Romanos inuadendos, eis diuina aduersante voluntate, à cœpto est retardata, & intrinsecus in malis proprijs occupata. Cùm autem sciã plurima alia eiusmodi, ea prætermittam, orationis vitans prolixitatem. Sufficiunt hæc quidem certè ad ostendendam spiritalem eius mentis contemplationem. Eius quoque fuit magna fama apud regem Persarum: vt enim narrarunt legati qui ad ipsum venerunt, diligenter scisitabatur quænam esset eius vita, & quænam miracula. Dicunt autem eius quoque coniugem, & petijsse oleum dignatum eius benedictione, & tanquam donum maximum accepisse. Quinetiam omnes regis assecłæ, & à fama commoti, & multas in eum à Magis adornatas accipientes calumnias, diligenter rogabant, & cùm intellexissent, virum diuinum nominabant. Cætera verò turba, & ad muliones accedentes & ad famulos & milites, & pecuniam offerebant, & rogabant vt essent participes olei benedictionis. Ismaelitarum autem regina cùm esset sterilis, & cuperet filios, primùm quidẽ misso aliquo ex ijs qui valebant dignitate & auctoritate, obsecrauit vt mater fieret. Postquam autem assecuta est petitionem, & peperit vt cupijt, accepto rege qui natus fuerat, profecta est ad diuinum senem: & quoniam non licebat mulieribus ad eum accedere, ad eum misso infante, rogauit vt consequeretur eius benedictionem. Tuus enim, inquit, est hic actus. Ego enim obtuli cum lachrymis semen orationis: tu autem semen effecisti manipulum, cùm diuinæ gratiæ imbrem attraxisses per deprecationem. Sed quousque conor metiri altitudinem maris Athlantici? Nam sicut eam non possunt homines dimetiri: ita narrationem exuperant quæ ab illo fiunt quotidie. Ego autem eius ante hæc omnia admiror tolerantiã. Noctu enim interdiu ita stat vt videatur ab omnibus. Ablatis enim foribus, & non minima parte ambitus dissoluta, proponitur omnibus spectaculum nouum & admirabile: nunc quidem stans longo tempore, nunc autem frequenter se incuruans, & Deo offerens adorationem. Iam verò multi quoque ex adstantibus enumerant has adorationes. Semel autem quidam ex ijs qui mecum erant, cùm enumerasset mille & ducentas & quadraginta quatuor, deinde lapsus esset, destitit numerare. Semper autem se inclinans, prope digitos pedum frontem admouet. Nam cùm venter semel in hebdomada alimentum accipiat, idque exiguum, quantum est diuinorum sacramentorum participatio, dorso concedit vt facilè inflectatur. Aiunt autem ei ex statione in altero pede enatum esse vlcus chironium, & illinc assiduè plurimã excerni saniem. Sed nihil quod ei accidit, reprimit philosophiam: sed fert forti & generoso animo voluntaria & inuoluntaria, alacritate animi & hæc & illa superans. Hoc autem vlcus coactus quoq; est aliquando alicui ostendere. Dicam autem causam: Venit ab Arabena quidam vir bonus, & honoratus Christi ministerio, is cùm ad illud peruenisset cacumen, Dic mihi, inquit, per ipsam veritatem, quæ hominum genus ad se conuertit, ésne homo, an natura incorporea? Cùm autem qui aderant ægrè ferrent interrogationem, omnes quidem iussit tacere: ad illum autem dixit, Cur hanc mihi proposuisti interrogationem? Cùm autem dixisset, Quoniam omnes vulgo iactare audio, te neque comedere nec dormire: vtrunque autem est hominum proprium, nemo enim qui hac sit natura præditus, vixerit absque alimento & somno. Ille autem iussit quidem scalas admoueri columnę, illum autèm ascendere: & primum quidem manus aspicere: deinde intra pelliceum illum amictum manum mittere: & videre non solum pedes, sed etiam vlcus illud grauissimum. Cum autem homo vidisset, & admiratus esset vlceris magnitudinem, & ex eo didicisset, quomodo sumat nutrimentum, illinc quidem descendit, ad me autem veniens narrauit omnia. In festis autem publicis aliam quoque ostendit tolerantiam. Nam post occasum solis, donec is rursus venerit ad horizontem occidentalem, manibus in cœlum extensis stat tota nocte, nec à somno delinitus, nec à labore superatus. In tantis autem laboribus, tantaque rerum gestarum magnitudine, & miraculorum multitudine, est tanta morum modestia ac moderatione præditus ac si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem, & facilis ad eum patet aditus, & est affabilis & suauis: & respondet vnicuique eorum qui

loquun-

loquuntur,ſiue ſit opifex,ſiue mendicus, ſiue ruſticus. A munifico autem & liberali domino accepit etiam donum doctrinæ : & bis quotidie faciens admonitiones, irrigat aures eorum qui audiunt , pulchre admodum loquens , & diuini ſpiritus exhibens diſciplinam : & iubens in cœlum ſuſpicere & euolare, & à terra diſcedere, & regnum quod expectatur viſione apprehendere, & gehennæ minas timere,& terrena contemnere,& futura expectare. Licet autem eum quoque videre iudicantem & rectas ac iuſtas ferentem ſententias. Hæc autem & quæ ſunt huiuſmodi, fiunt poſt horam nonam. Totam enim noctem & diem vſque ad nonam orat perpetuo. Poſt nonam autem, primum quidem diuinam doctrinam exhibet præſentibus. Deinde audita vniuſcuiuſque petitione , cùm aliquas fecerit curationes , componit lites eorum inter quos eſt controuerſia. Circa occaſum autem ſolis deinceps incipit conuenire dominum.Sed quanuis in his verſetur,& hęc omnia faciat, nec ſanctarum eccleſiarum curam abijcit & prouidentiam , aliquando quidem pugnans cum impietate gentium : aliquando autem frangens Iudæorum audaciam : aliquando autem fundens ac profligans turmas hæreticorum : & aliquando quidem de his ſcribens ad Imperatorem , aliquando autem præſides ac magiſtratus ad diuinum zelum excitans : aliquando autem ipſis quoque eccleſiarum paſtoribus maiorem gregis curam gerere præcipiens. Hæc autem ſum perſecutus,ex gutta conatus oſtendere pluuiam,& ijs qui hæc ſcripta legerint,tanquam indice guſtandam prębere mellis dulcedinem. Quæ autem decantantur ac celebrantur ab omnibus,ea ſunt ijs longè plura.Sed non ſum omnia ſcribere pollicitus, ſed paucis eius vitę inſtituti oſtẽdere formam & characterem. Conſcribent autem,vt eſt conſentaneum,alij quoque his longè plura. * Cùm poſt hæc autem diu vixiſſet, & multis miraculis & laboribus, ardoreque ſolis , & hiberna glacie , & vehementibus ventorum inſultibus & humanæ naturæ imbecillitate, ſolus ex omnibus qui vnquam fuerunt manſiſſet inexpugnabilis , poſtquã eum deinceps oportuit eſſe cum Chriſto , & immenſorum certaminum coronas accipere , quòd homo quidem eſſet morte confirmauit ijs qui non credebant: manſit autem etiam poſt mortem immobilis : & in cœlum quidem anima peruenerat : corpus autem ne ſic quidem cadere ſuſtinuit : ſed rectum ſtetit in loco certaminum, tanquam inuictus Athleta nulla parte membrorum volens terrã tangere. Sic Chriſti Athletis manet etiam poſt mortem cum eis ſimul verſans victoria. Variorum certè morborum curationes,& miracula,& diuinarum virtus operationum,ſicut quando erat ſuperſtes,ita nunc quoque fiunt, non ſolum apud loculos ſanctarum reliquiarum , ſed etiam apud ſummæ eius virtutis & diuturnæ decertationis monimentum : magnam, inquam, illam & celebratam columnam huius iuſti & laudibus celebrandi Symeonis.Cuius ſanctis interceſsionibus cupio vt ego adiutus, in his ſanctis perſeuerem laboribus: Deumque precor qui eſt communis ornatus , eſt ſplendor pietatis & veræ religionis , vt & mea vita corrigatur, & ad Euangelicam vitæ formam dirigatur.

Hec nõ ſunt Theodoreti, ſed ab aliquo addita poſt mortem Symeonis.Cùm enim vitam ſcriberet Theodoretus, adhuc viuebat Symeones.

B A R A D A T V S.

XXVII. ET communis hominum hoſtis inuenit multas vias vitij,vniuerſam humanam naturam ſtudens penitus perdere : & pietatis veræque religionis alumni , multas & diuerſas excogitauere ſcalas quibus in cœlum aſcenderetur. Alij quidem per claſſes decertantes, ſunt autem hi cœtus innumerabiles, incorruptis fruũtur coronis, & deſideratum aſcenſum conſequuntur. Alij autem vitam amplectentes monaſticam,& cum Deo ſolum loqui meditantes , & nullam conſolationem humanam participantes , ſic victores publicè renuntiantur. Alij autem in tabernaculis , & alij in tugurijs degentes, Deum laudibus celebrant.Alij verò amplectuntur vitam in antris & ſpeluncis. Multi autem, ex quibus aliquorum meminimus,non antrum,non tabernaculum , non ſpeluncam , non tugurium habere. decreuerunt : ſed nudo aeri ſua corpora mandantes , contrarias qualitates tolerant : aliquando quidem ſummo gelu concreti : aliquando autem igne radiorum exuſti. Iam verò eorum quoque rurſus eſt vita diuerſa. Nam alij quidem ſtant aſsiduè. Alij verò in ſeſsionem & ſtationem diem diuidunt : & alij quidem ſeptis quibuſdam incluſi,fugiunt multorum cõgreſsionem. Alij verò nullo huiuſmodi vtentes tegumento, propoſiti ſunt omnibus qui eos volunt contemplari. Vnumquodque autem horum in præſentia neceſſe habui perſequi, cùm admirabilis Baradati vellem vitam conſcribere. Is enim excogitauit nouas rationes exercendæ tolerantiæ.Nam cùm primum qui dem longo tempore ſe incluſiſſet in domuncula, ſola diuina fruebatur contemplatione. Illinc cùm rupem occupaſſet imminentem , & paruam quandam arcam , nec iuſta quidem ſymmetria corpori congruentem, ex lignis conſtruxiſſet,in ea vitam degebat , deorſum aſſidue incuruari coactus. Non habebat enim altitudinem eius longitudini iuſta proportione conuenientem. Non erat autem ea compacta aſſeribus : ſed erat aperta ſimiliter atque cancelli : & erat ſimilis feneſtris quæ latiores habent ingreſſus luminis. Quocirca nec à pluuiæ erat impetu libera , nec erat tecta à flamma ſolis : ſed vtraque non minus admittebat quàm alia quæ ſunt ſub diuo : in hoc autem ſolo ea ſuperabat,quòd accederet labor incluſionis. Cùm autem longum tempus hoc modo tranſegiſſet , poſtea egreſſus eſt , cedens precibus diuini Theodoti , cui obtigerat pontificalis ſedes Antiochena. Stat autem aſsidue manus in cœlum exten-

extendens,& vniuerſorum Deum laudans:totum corpus tunica pellicea contegens : circa naſum autem ſolum & os , reliquit modicum ingreſſum ſpiritui,vt reſpiret,communem aerem excipiens : quoniam humana natura non poſſet aliter viuere.Omnem autem eum laborem ſuſtinet,cùm non ſit corpore valde robuſto,ſed valetudinario & multis morbis obnoxio. Feruens autem animi alacritas, & diuino amore incenſa,cogit vt laboret qui non poteſt laborare. Iam verò ſapientia quoque & intelligentia ornatus , optime & interrogat & reſpondet,& ratiocinatur nonnunquam melius & potentius ijs qui Ariſtotelicos legere labyrinthos. Cùm ſit autẽ in ipſo ſummo virtutis faſtigio, non ſinit vt arrogantia ſimul efferatur ſpiritus , ſed iubet eũ deorſum repere circa ipſum latus montis. Scit enim quantum ſibi damnum mens conciliat quæ tumet & ardet inſolentia. Hæc eſt in ſumma eius philoſophia. Cui concedatur vt creſcendo poſſit metam curſus attingere. Eſt enim communis piorum lætitia,horum qui victoria potiti ſunt gloria. Mihi autem detur, vt eorum ſuffultus precibus nõ ſim procul ab hoc monte:ſed paulatim conſcendã, & me eorum contemplationis voluptate expleam.

T H A L E L A E V S.

XXVIII. NEque Thalelæi ſilebo narrationem,eſt enim plenum miraculo ſpectaculum.Non ſolum autem alios audiui narrantes, ſed etiam ipſe vidi admirabile & prẹter opinionem ſpectaculum. Nam cùm viginti ſtadijs procul à Gabalis , ea eſt autem vrbs parua & elegans, tumulum quendam occupaſſet, in quo erat templum dedicatum dęmonibus, & quod ab ijs,qui iam erant antiquitus impij, multis honorabatur ſacrificijs, paruum quoddam fixit tugurium. Sceleratos autem illos & execrandos perpetuò colebant,vt dicebant,magnam eorum crudelitatem cultu placare adnitentes. Multis enim perniciem afferebant, & ijs qui accedebant,& ijs qui erant vicini: nec ſolum hominibus, ſed & aſinis, & mulis, & bobus,& ouibus:non cum beſtijs bellum gerentes,ſed per eas quoque,hominibus tendentes inſidias. Tunc ergo cùm eum vidiſſent adueniſſe,perterrere quidem conabantur, ſed non poterant,cùm & eum muniret fides, & pro eo pugnaret gratia.Rabie itaque & furore repleti, in eas quæ tunc illic plantatæ erant arbores fecerunt impetum.In illo autem tumulo multæ erant ficus & oleæ quæ florebant.Ex ijs dicunt plus quàm quingentas repentè fuiſſe euulſas : audiuique plures vicinos agreſtes id narrantes,qui olim quidem detinebantur caligine impietatis : per eius autem doctrinam & miracula , acceperunt lucem Dei cognitionis. Quoniam autem, cùm hoc feciſſent perniciosi & ſcelerati dæmones,non exterruerũt athletam philoſophiæ, rurſus in eum alias parauere machinas. Noctu enim vlulantes , & lampades oſtentantes,conabantur perterrefacere,& eius rationem perturbare. Vbi autem riſit omnes eorum inſultus, eò poſtea relicto effugere. Is autem cùm duas rotas conſtruxiſſet,quę duorum cubitorum habebant diametrum,aſſeribus,nõ inter ſe compactis, ſed diſiunctis ac ſeparatis,ambas rotas cõiunxit.Deinde cùm intus ſediſſet,& cuneis & clauis diſiunctas illas cõfixiſſet tabulas, ſub dio rotam appendit,tribus alijs altis lignis in terram defixis , & ſuperioribus eorum initijs alijs lignis commiſsis, & in eorum medio duplici illa rota alligata,& ſublime elata.Huius autem, ſpacium quidem quod eſt interius,habet quidem cubitorum duorum altitudinem: cubiti vero latitudinem. In eo ſedens vel potius ſuſpenſus, annis iam fuit decem perpetuis. Cùm autem corpus habeat maximum , neq; ſedens quidem poteſt collum erigere,ſed ſemper ſedet incuruatus, genibus habens affixam faciem. Ad eum cùm veniſſem , inueni quidem eum ex euangelijs colligentem vtilitatem:eum autem interrogaui , cupiens ſcire cauſam illius noui vitæ inſtituti. Ille autem Græca lingua vſus , erat enim Cilix genere , Ego, inquit, multis peccatis obnoxius, & credens ſupplicijs quorum minæ ſunt intentatæ , hoc vitæ genus excogitaui , hoc agens vt caſtigetur corpus pœnis mediocribus: vt eripiar à magnitudine earum quæ expectantur. Sunt enim illæ grauiores , non ſolum quantitate, ſed etiam ipſa qualitate. Sunt enim inuoluntariæ. Quod autem ab inuito fit, id eſt valde moleſtum. Quod autem eſt voluntarium , etiamſi ſit laborioſum , minorẽ affert dolorem: ſponte enim ſuſcipitur. Sed non labor violentus:ſi his ergo,inquit,paruis moleſtijs minuero ea quæ expectantur,hinc magnum lucrum referam.His auditis,eius ingenij ſolertiam valde ſum admiratus , quod non ſolum iam facta ſepta tranſiliebat, ſed etiam ex ſe alia excogitabat certamina : & quod non ſolum decertabat,ſed eorum etiam cauſas ſciebat,& alios docebat.Iam vero multa quoque miracula per eius preces fieri dixerunt accolæ : non ſolum hominibus,ſed etiam camelis, & aſinis,& mulis,curationem per eum adipiſcentibus. Hinc vniuerſa illa gens,quę impietate detinebatur, paternum quidem abnegauit errorem,diuinę autem lucis accepit ſplẽdorem. His vtens adminiſtris,& templum dęmonum diruit,& maximã ædem excitauit victoria inſignibus martyribus : ijs qui Dij falſo nominabantur, diuinos opponens mortuos. Horum concedatur interceſsionibus vt & hic cum eadem victoria,certaminum terminum occupet:& nos ab his & illo adiuti, ſimus vehementes amatores certaminum philoſophiæ.

M A R A N A ET C Y R A.

XXIX. POſtquam optimorum & præſtantiſsimorum virorum vitæ conſcripſi inſtitutum, operæ pretium exiſtimo mulierum quoque meminiſſe, quæ non minus , ſi non etiam amplius, certauerunt. Eæ enim ſunt digniores quæ laudentur, vt quibus quidem obtigerit natura imbecillior, eandem autem quam viri

ostendant animi alacritatem, & à prima parente accepto dedecore genus liberauere. Maranæ autē & Cyræ meminero in præsentia, quæ tolerantiæ certaminibus omnes alias vicere. His patria quidem est Berrhœa: patriæ autem genus insigne: educatio autem generi conueniens. Sed his omnibus contemptis, cùm exiguum quendam locum ante vrbem comprehendissent, & intra eum fuissent, luto & lapidibus ostium obstruxere. Famulas autem quæ eiusdem vitæ volebant esse participes, extructo extra ambitum habitaculo, iusserunt in illo habitare. Ipsæ autem per quandam paruam fenestrā respiciunt ea quæ ab illis fiunt, & eas frequenter excitant ad orationem, & accendunt ad diuinum amorem. Ipsę verò cùm neque domum habeant, nec tugurium, sub dio sua sponte vitam agunt. Pro ianua autem eis quędam parua extructa est fenestra, per quam necessarium alimentum acipiunt: & cum ijs quæ ad ipsas veniunt colloquuntur mulieribus. Ad eam autem congressionem definitum est tempus pentecostes: alio autem tempore vitam amplectuntur quietam: sola autem Marana loquitur cum aduenientibus: alteram autem nemo audiuit vnquam loquentem. Ferrum autem gestant, & tantum onus ferunt, vt Cyra, cui corpus obtigit imbecillius, ad terram vsque incuruetur, & corpus minimè possit erigere. Habent autem vela maxima, vt retro quidem trahantur, & pedes omnino contegant, anterius autem vsque ad ipsam zonam demittantur, vultum simul & collum & pectus & manus occultantia penitus. Eas ego sępe vidi, intra ianuam intromissus: iusserunt enim mihi aperiri, sacerdotij dignitatem honorantes. Vidi ergo illud ferri pondus quod nec à viro quidem forti & robusto ferri posset: & cùm vehementer rogassem, tunc quidem auferre potui: postquam autem recessimus, id rursus suis mēbris imposuere: collo quidem, collare: lumbis autem zonam: manibus autem & pedibus ea quę eis sunt attributa. Hoc modo aūt viuunt, non quinque solum vel decem solis transactis annis, sed quadraginta duobus. Et cùm tāto tempore decertauerint, tanquā quæ nuper certamina attigerint, delectantur sudoribus. Visione enim apprehendentes sponsi pulchritudinē, facile ferunt cursus laborem, & properant peruenire ad finem certaminis: videntes in illo stare dilectum, & ostendentem coronā victoriæ. Ea de causa & imbris & niuis & solis excipientes impetum, nō cruciatum nec dolorem sentiunt: sed ex ijs quæ vidētur molesta, animi gaudium percipiunt. Et diuini Mosis æmulatæ ieiunium, ter tanto tempore inediam sustinuere. Quadraginta enim diebus exigui cibi fuere participes. Ter quoq; diuini Danielis à cibo abstinentiam sunt æmulatæ, tres dierum hebdomadas conficientes, & cibum corpori suppeditantes. Cùm autē aliquando desiderassent salutarium Christi passionum sancta loca contemplari, venerunt Aeliā, cùm in via nihil cibi sumpsissent. Sed postquam in illam vrbem venerunt, & adorationem impleuerunt, cibum sumpserunt, & reuersæ sunt, rursus à ieiunis confecto itinere: est autem iter non pauciorum quàm viginti dierum. Quinetiam cùm victoria insignis Theclę cupijssent videre ædem quæ est in Isauria, vt dilectionis in Deum flammam vndiquaque accēderent, sic profectæ sunt & reuersæ sunt ieiunæ. Tantum eas diuinum amatoriū fecit diuino quodam furore debacchari. Tantum diuinus amor, earum in sponsum concitauit insaniam. Atque eæ quidem quæ tali vitæ instituto fœmininum genus exornauere, vt quæ alijs fuerint exemplaria, coronabuntur à domino coronis victricibus. Ego autem proposita quæ hinc percipitur vtilitate, cùm decerpsero benedictionem, ad aliam transibo narrationem.

DOMNINA.

DIuini Maronis, cuius prius meminimus, vitā æmulata Domnina admirabilis, in horto maternæ domus paruum quoddam fixit tugurium. Ei autem tugurium efficit pannici stipula. Continuis autem lachrymis non solum rigat genas, sed etiam vestimenta ex pilis, talibus enim indumentis tegit corpus. Circa gallorum autem cantum, ad diuinum templum, quod non est procul, vadens cum alijs & fœminis & viris, vniuersorum Domino offert laudes. Hoc autem facit, non solum die incipiente, sed etiam desinente: quouis alio loco, locum Deo consecratum magis esse venerandum censens, & docens alios. Ea de causa & eius magnam curam gesit, matri persuadens & fratribus, vt facultates suas in id consumerent. Habet autem nutrimentum lentem aqua madefactam. Omnem autem hunc laborem sustinet, cùm sit planè exiccato corpore & semimortuo. Pellis enim subtilissima, & quæ est instar membranæ, est ossibus tenuibus circuniecta, adipe & carne consumpta à laboribus. Proponitur autem omnibus eam videre volentibus, & viris & mulieribus, neque vultum aspiciens, neque alij vultum spectandum exhibens, sed amictu quidem penitus contecta, ad genua autem vsque incuruata, valde gracili autem voce & non satis expressa loquens, & eā quoque semper cum lachrymis proferens. Sæpe enim cùm meam dexteram sumpsisset, & oculis imposuisset, eam dimisit adeo madefactam, vt ex ipsa manu distillarent lachrymæ. Eam ergo cuius sunt tantę opes philosophiæ, flentem lamentantem & ingemiscentem similiter atque eæ quæ sunt in extrema paupertate, quænam pro dignitate laudauerit oratio? Vehemens enim amor in Deū illas parit lachrymas, ad diuinā inflammans contemplationem, & pungens aculeis, & vrgens ad eum qui est hinc futurus excessum. Porro autē quanuis in his diu noctuque versetur, ne aliorum quidem generum virtutis curā abijcit. Sed pro viribus quidem curat optimos Athletas, quorum meminimus, & quos prætermisimus: curat autem eos quoque qui ad ipsam veniunt: iubens quidem habitare apud vici pastorem, ipsa verò mittens omnia quę sunt necessaria. Matris enim & fratrum facultates ei sunt propositæ ad sumptum faciendum, quæ per ipsum accipiunt benedictionem. Quinetiam mihi quoque venienti ad illam partem, est autem nostræ regioni ad austrum, mittit & panē & fructus & lentem madefactam. Sed quousq; prolixa vtor oratione, studens omnem eius narrare virtutem, cùm oporteat aliorum quoque proferre vitam, quæ imitatę sunt & hanc & illas quarum prius meminimus? Multæ enim aliæ partim quidem vitā amplexæ sunt solitariam: partim autē viuere amarunt cum pluribus: adeò vt ducentæ & quinquaginta & plures, & pauciores simul viuāt, vno cibo vescentes, super solas storeas ex instituto dormiētes, & manus quidem lanę attribuētes, hymnis vero linguam consecrantes. Sunt autem eiusmodi innumerabilia sapientiæ gymnasia non solum in nostra regione, sed etiam per totū Orientem. Iis autem plena est & Palęstina & Aegyptus, & Asia, & Pontus, & tota Europa. Ex quo enim Christus Dominus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex virginitate, prata virginitatis natura germinauit, & hos suaueolentes, & qui non marcescunt, flores offert Creatori: non virtutem in masculo & fœmina discernens: nec in duas differētias diuidēs philosophiam: est enim differentia corporum, sed non animorum. In Christo enim Iesu, vt ait diuinus Apostolus, non est masculus & fœmina. Vna autem mulieribus & viris est fides suppeditata. Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma: vnus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Quinetiam vnum regnum cœlorum Agonotheta proposuit victoribus, hoc commune præmium definiens certaminibus. Sunt ergo, vt dixi, multæ & virorum & mulierum pietatis palæstræ, non apud nos solum, sed etiam in vniuersa Syria & Palęstina & Cilicia, & in ea quæ est media inter duos fluuios. In Aegypto autem dicunt etiam plus quàm quinque millia virorum habere monasteria, qui operantur, & interim Dominum laudant hymnisque celebrant: nec solum ex operibus necessarium alimentum comparant: sed etiam aduenientibus hospitibus & egentibus opem ferunt. Sed omnia narrare non solum ego, sed nec omnes scriptores potuerint: & vt maximè fieri posset, superuacaneum id esse existimo, & honoris cupiditatem quæ nihil habeat commodi. Iis enim qui volunt aliquam percipere vtilitatem, sufficiunt ea quæ dicta sunt ad præbendum id quod desideratur. Ideo enim & vitæ diuersorum fecimus mentionem, & mulierum narrationes narrationibus virorum adiecimus, vt & senes & iuuenes & mulieres philosophiæ habeant exemplaria: & vnusquisque eam quæ sibi cordi est vitam exprimens, habeat suæ vitæ quandam regulam & gnomonem, qui est situs in narratione: & quomodo pictores ad exemplar respicientes, & oculos imitantur, & nasum, & os, & genas, & aures, & frontem, & ipsos capitis & barbæ pilos, & ad hæc & sessionem & stationem: quinetiam ipsos oculorum intuitus, siue sint læti & alacres, siue seueri & truces: ita etiam oportet vnumquemque ex ijs qui hæc scripta legunt, volentem vitam aliquam imitari, suam ad illam quam eligit componere: & quomodo fabri asseres rubrica dirigentes, eousq; id quod est superfluum auferunt, donec apposita regula, viderint asserem esse æqualem: ita etiam eum qui velit vitam aliquam imitari, oportet eum seipsum ponere pro regula, & vitij resecare superflua, & virtutis replere ea quæ desunt. Ea enim de causa scriptionis laborem suscepimus, vtilitatis occasionem proponentes volentibus. Rogo autem eos qui sunt lecturi, vt cùm ex aliorum laboribus absque labore voluptatem capiunt, labores suis compensent precibus. Eos quoque obsecro quorum vitam conscripsi, ne me despiciant procul degentem ab illorum spiritali chorea: sed trahant infra iacentem, & ad virtutis tollant altitudinem, & suo choro coniungant: vt non solum laudem alienas diuitias, sed ipse etiam habeam aliquam laudis occasionem, & facto & verbo & cogitatione glorificans seruatorem vniuersorū. Cum quo patri gloria, cum sancto spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Gal. 4. Ephes. 3.

EIVSDEM ORATIO
DE CHARITATE.

QVanti quidem sint virtutis athletę, quàm multisque & qualibus coronis decorentur, aperte docent quæ à nobis de eis scriptæ sunt narrationes. Nam etsi non continent omnia eorum certamina: sufficiunt tamen vel pauca ad ostendendam totius vitæ formam. Etenim non totum aurum quod affertur consumens lapis, sed eius paululo affricatus, ostendit esse vel probum vel improbum: similiter quoque sagittarium, ex paucis quæ emittuntur telis, rectè didicerit quispiam, an recte sagittet & ad scopum dirigat, an ab eo aberret, in arte minimè exercitatus. Ita etiam alij artifices, ne dicam de singulis, possunt dignosci, & athletæ, & cursores, & tragœdiæ histriones, & gubernatores, & nauium ædificatores, & medici, & agricolæ, & alij, vt semel dicam, qui artem tractant aliquam. Sufficit enim pauca experientia & ad ostendendam artem eorum qui sunt præditi scientia, & ad conuincendam eorum inscitiam qui solo vtuntur nomine. Sufficiunt ergo, vt dixi, vel pauca quæ scripta sunt ex ijs quæ recte & ex virtute ab vnoquoque gesta sunt, ad vitæ vniuersum docendum institutum. Conuenit autem nos in pręsentia scrutari & inquirere & perfecte discere, vndenam incitati hoc vitæ institutum amplexi sunt, & quibusnam moti rationibus, ad hoc philosophiæ fastigium peruenere. Quòd enim non freti viribus corporis, ea quæ humanam

naturam ſuperant amauerint, & ei poſitos
transgreſsi terminos, & pietatis Athletis fi-
xa ſepta tranſilierint, aperte docet experi-
entia. Nemo enim ex ijs qui ſunt expertes
huius philoſophiæ, oſtendit vnquam eorum
tolerantiam. Nam etiamſi niuem patiantur
paſtores: at non ſemper: nam & vtuntur an-
tris, & in domos redeunt, & calceis pedes te-
gunt, & veſtibus calidioribus alias partes cor-
poris amiciunt: & bis & ter in die & fortaſſe
etiam quater cibum capiunt: quinetiam car-
nium eſus & vini potus quouis foco melius
corpora calefaciunt. Quando enim tale nutri-
mentum fuerit alteratum, & veluti quodam
colo diſcretum, & ad iecur perueniens fuerit
mutatum in ſanguinem, ad cor quidem pro-
cedit per venam concauam: illinc autem ex-
calefactum peruadit in omnes partes corpo-
ris. Quocunque autem venerit, non irrigat,
ſed etiã ignis inſtar calefacit, & melius quàm
molles veſtes fouet corpus. Non enim, vt qui-
dam arbitrantur, tunicæ indumenta & veſtes
calorem præbent corpori: lapides enim & li-
gna calefacerent, quibus ea admota eſſent. Sed
nemo vnquam vidit lignum vel lapidem veſti-
bus euaſiſſe calidioré. Ergo nec corpori præ-
bent ea calorem, ſed ſeruant calorem corpo-
ris: & frigidi quidẽ aeris arcent incurſionem:
ſuſcipientes autem vapores qui exeunt ex cor-
pore, & ijs calefiunt, & calorem exhibent cor-
pori. Huius autem rei teſtis eſt experientia. Sę-
pe enim frigidum lectum ingredientes, corpo
ris applicatione ſtragulum quod prius erat fri
gidum calidum efficimus. Cibus ergo corpus
magis calefacit quàm veſtis. Qui eum autem
ſumunt ad ſatietatem, habent ſufficiens pro-
pugnaculum aduerſus impetus frigoris. Eo e-
nim armant corpus, & parant ac inſtruunt vt
poſsit reſiſtere tali anni tempeſtati. Qui autem
nec cibum nec potum quotidie ſumunt, &
quando ſumunt, non expectant ſatietatẽ, ſed
adhuc acrem ac vehementem refrenant appe-
titionem, & ea ſumunt non quæ poſſunt cor-
pus calefacere, ſed vel veſcuntur herbis nõ ſe-
cus ac bruta animantia, vel ſolis madefactis v-
tuntur leguminibus: ex tali nutrimento quẽ-
nam calorem hauſerint? Quanta hinc autem
fuerit fluxio ſanguinis? In nullo ergo ſunt alij
eorum ſtudijs ſimiles. Neque enim eſt eadem
veſtis & horũ & illorum. Hæc eſt enim aſper-
rima, & quę minimè poteſt calefacere, neque
ſimilis cibus ſed qui repugnat ex diametro.
Paſtoribus enim & huiuſmodi alijs comeden
di tempus eſt omne tempus: metiuntur enim
tempus appetitione, & ſi mane eos fames in-
uaſerit, ſtatim cibum adhibent: & adhibent
quidquid contigerit, non eſt enim eis defini-
tum, vt hoc quidem veſcantur, illo verò mi-
nimè: ſed ſecurè comedunt quæcunque volu-
erint. Hic autem & dies, & tempora, & ci-
bi genera, & menſuræ: & eſt eius excluſa ſa-
tietas. Nullus ergo ex ijs qui delectantur a-
liorum reprehenſione, agricolas & paſtores
& nautas adducens in medium, conetur ho-
rum maximorum Athletarum minuere cer-
tamina. Nam & agricola laborans interdiu,
domi noctu curatur, eum omni officio pro-
ſequente coniuge. Quinetiam paſtor eſt ſi-
militer particeps omnium quæ prius dixi-
mus. Nauta autem corpore quidem ſolis ra-
dium excipit: ſed aquis adhibitis curat cor-
pus. Natat enim quantum lubet, & flammæ
radij adhibet remedium, aquæ frigiditatem.
Hos autem nemo eſt qui curet. Non enim ſi-
mul habitant mulieres, quæ viros varijs mo-
dis recreant & conſolantur. Neque cùm radi-
us inuadit vehementius, aquarum adhibent
ſolatium: nec hiberno tempore cibum oppo-
nunt frigori, neque noctis quietem, tanquam
aliquod medicamentum, diurnis exhibent
laboribus. Huius enim ſunt plures & maiores
ſudores quàm ij qui fiunt interdiu. In hac e-
nim & luctantur contra ſomnum: nec patiun-
tur vinci ab illius dulcedine, ſed dulciſsi-
mam ſuperant tyrannidem, & tota nocte do-
minum hymnis perpetuo celebrant. Nullus
ergo ex ijs qui ſunt extra horum philoſophi-
am, horum oſtendit tolerantiam. Si autem nul
lus ex alijs hominibus, poteſt talibus reſiſtere
laboribus, clarum eſt quod amor in Deum, ef-
fecit vt naturæ terminos tranſilirẽt: & ſuper-
na flamma accenſi, lubenter ferunt impetum
frigoris, & qui à ſuperis deſcendit rore, flam-
mam radiorum mitigant. Is eos & alit & ri-
gat & amicit: & dat pennas, & edocet volare:
& efficit vt cœlum tranſcendant: & eum qui
amatur quoad eius fieri poteſt oſtendit: & vi-
ſione contemplationis incendit deſiderium,
& excitat amatorium, & flammã accendit ar-
dentiorem. Quomodo enim ij qui amant cor-
pora, & aſpectu eorum qui amantur præbent
amori materiam, & illud œſtrum redduntve-
hementius: ita ij qui accipiunt ſtimulos diuinę
dilectionis, diuinam illam, & quæ nunquam
interit, viſione apprehendentes pulchritudi-
nem, efficiunt acutiores aculeos dilectionis:
& quo magis frui deſiderant, eo magis expel-
lunt ſatietatem. Voluptatem enim corporum
conſequitur repletio. Diuinus autem amor
non accipit leges ſatietatis. Talis erat Moſes
magnus ille legiſlator, qui ſæpe, quantum ho-
mini licuit, diuina contemplatione dignatus,
cùm beatam ſæpe vocem excepiſſet, & fuiſſet
intra caliginem quadraginta diebus, & acce-
piſſet leges diuinas, non ſolùm eum vlla cepit
ſatietas, ſed etiam vehementius & ardentius
fuit eius deſiderium. Quadam enim veluti
crapula accepta ab illius amoris temulentia,
& amatorio furore ſupra modum percitus,
propriam quidem ignorauit naturam, quæ
autem non licet videre, ea videre concupijt.
Nam veluti dominij oblitus, & ſolum amo-
rem conſiderans, dixit Deo vniuerſorum,
Ecce tu dicis mihi, inueniſti gratiam apud *Exod. 33.*
me: & noui te præter omnes. Si ergo inueni
gratiam coram te, oſtende mihi teipſum: ita te
videam vt cognoſcam. Tantam ex diuina di-
lectione accepit ebrietatem: nec ebrietas ſe-
dauit ſitim, ſed eam effecit vehementiorem,
& additamentũ cognitionis, effectum eſt in-
crementum

crementum deſiderij: & in fruendo aucta eſt
appetitio: & quomodo ignis quò plus acci-
pit nutrimenti, eo maiorem accipit operati-
onem: ea enim accęſsione materiæ augetur,
non obtunditur: ita in Deum dilectio acen-
ditur diuinarum rerum contemplatione, &
operationem hinc ſuſcipit maiorem & vehe-
mentiorem: & quo magis in rebus diuinis
verſatus quis fuerit, eo magis accendit flam-
mam dilectionis. Nec nos hoc docuit ſolum
magnus Moſes, ſed etiam ſancta ſponſa, de
qua dicit beatus Paulus. Deſpondi vos vni *2. Cor. 11.*
viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Ea e-
nim in cantico canticorũ cantat ad ſponſum.
Cant. 2. Oſtende mihi vultum tuum: & fac vt audiam
vocem tuam: vox enim tua eſt ſuauis: & vul-
tus tuus formoſus. Nam cùm ex ijs quæ de eo
dicuntur amore capta fuerit, non eſt contenta
orationibus, ſed vult etiam ipſam vocẽ au-
dire: & cùm alas accepiſſet, & ſublime elata
eſſet, ijs quæ de eius ſpecie feruntur narratio-
nibus, deſiderat ipſam quoque contemplati-
onem: ijs quæ dictæ ſunt laudibus ſuum a-
morem ſignificans. Oſtende, inquit, mihi vul-
tum tuum: & fac vt ego audiam vocem tuam.
Quoniam vox tua eſt ſuauis, & vultus tuus eſt
formoſus. Eius quoque pulchritudinis amore
captus pronubus & ſponſæ deductor, Paulus,
inquam, ille diuinus, amatoriam illam emiſit
Rom. 8. vocem. Quis nos ſeparabit à charitate Chri-
ſti? afflictio an anguſtia, an fames, an perſecu-
tio, an nuditas, an periculum, an gladius? ſicut
ſcriptũ eſt. Propter te mortificamur tota die.
Reputati ſumus tanquam oues occiſionis. De-
inde oſtendit etiam cauſam tolerantię. In his,
enim inquit, omnibus ſuperamus propter
Deum qui dilexit nos. Conſiderantes enim
quinam cùm ſimus, quanã bona accepimus:
& quòd non nos primi dileximus, ſed amati
viciſsim amauimus: & cùm haberemus odio,
amati ſumus: & cùm inimici eſſemus, fuimus
reconciliati: cùm non ipſi ſupplices petijſſe-
mus vt fieret reconciliatio, ſed ad nos legatus
veniſſet vnigenitus: & qui iniuriã feceramus,
inuitati ſumus ab eo qui fuerat affectus iniu-
ria: & præter hæc reputantes ſuſceptam pro
nobis crucem: ſalutares paſsiones: mortis ceſ-
ſationem: datam nobis ſpem reſurrectionis.
Hæc & quæ ſunt huiuſmodi conſiderantes, ſu
peramus eas quæ in nos incurrunt difficulta-
tes: & beneficiorum memoriam conferentes
cum ea quæ eſt ad breue tempus afflictione
corporis, lubenter ferimus rerum moleſta-
rum impetus. Omnes enim vitæ moleſtias, cũ
amore in Dominum, tanquam in trutina con-
ferentes, eas valde leues inuenimus. Etſi om-
nia quæ videntur iucunda & delectabilia, ſi-
mul collegerimus, ſi contrà diuinum expen-
datur deſiderium, ea vmbra magis euanida,
& quæ vernis floribus facilius intereant, o-
ſtendit. Id autem & per ea quæ dicta ſunt, &
quæ dicenda, aperte ſignificat. Perſuaſum, e-
nim inquit, habeo quòd neque mors, neq; vi-
ta, neque angeli, neque principatus, neque po-
teſtates, neque virtutes, neque præſentia, ne-
que futura, neque altitudo, neque profundi-
tas, neque aliqua alia creatura, poterit nos ſe-
parare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu
Domino noſtro. Quoniam enim cùm ſu-
perius ea ſola quæ ſunt moleſta poſuiſſet, ad ex-
amen adduxit afflictionem, & anguſtias, & fa-
mem, & perſecutionem, & nuditatem, & pe-
riculum, & gladium, hoc eſt, cædem violentã:
meritò hic quoq; triſtibus adijcit ea quæ ſunt
iucunda: morti, vitã: ſenſilibus ea quæ per-
cipiuntur intelligentia: ijs quę videntur, eas quę
ſub aſpectum minimè cadunt virtutes: præ-
ſentibus & prętereuntibus, ea quę futura ſunt
& manent: & præterea gehennę profunditati,
regni altitudinem. Hęc autem omnia cùm ex-
aminaſſet & comparaſſet, & amori omnia ce-
dere inueniſſet, tam quæ ſunt moleſta quàm
quę iucunda, & charitatis priuationẽ, eo quod
eſt in gehenna ſupplicio acerbiorem: & oſten-
diſſet quòd ſi fieri poſſet, maller cum diuina
dilectione ſupplicium cuius minæ intentan-
tur, quàm abſque ea, regnum quod eſt promiſ-
ſum: ebrius deſiderio, ea quęrit quę non con-
ſtant: & ea contendit conferre cum diuino a-
more. Neque altitudo, enim inquit, neq; pro-
funditas, neque aliqua alia creatura, poterit
nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chri-
ſto Ieſu Domino noſtro. Non ſolum enim
inquit, omnibus quæ ſimul videntur, &
quæ ſub aſpectum non cadunt, præfero a-
morem in Seruatorem & Creatorem, ſed et-
iamſi aliqua alia creatura, hac maior & pul-
chrior apparuerit, non perſuadebit vt mu-
tem charitatem. Sed etſi quis ea quæ ſunt iu-
cunda præbuerit, abſque ea non accipiam: et-
ſi propter eam ea quæ ſunt moleſta intulerit,
mihi amabilia videbuntur & valde expeten-
da: & quæ propter eam ſuſtinetur, fames, eſt
mihi quibuſuis delicijs gratior: & pace perſe-
cutio iucundior: & nuditas, purpura & ex auro
laboratis veſtibus delectabilior: & periculum
quauis ſecuritate iucundius: & violenta cędes
quauis vita magis expetenda. Cauſa enim
eorum quæ mihi eueniunt, efficitur mihi
conſolatio. Nam propter amatorem ſimul
& eum qui amatur, has excipio procellas.
Eum enim qui non nouit peccatum, pro- *1. Cor. 5.*
pter nos fecit peccatum, vt nos efficiamur
Dei iuſtitia in ipſo. Qui cùm eſſet diues, pro-
pter nos pauper factus eſt, vt nos paupertate
illius diteſcamus: & nos redemit à maledi-
cto legis, factus pro nobis maledictum: &
humiliauit ſeipſum factus obediens vſque
ad mortem, mortem autem crucis: & cùm
nos adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro
nobis eſt mortuus. Hæc & quæ ſunt eiuſmo-
di reputans, non acceperim regnum cœlo-
rum, abſque in ipſum charitate: non fuge-
rim ſupplicium in gehenna, ſi conſentaneum
eſſet vt qui eam habet pateretur ſupplicium.
Hoc autem alibi quoque docet apertè, di-
cens. Dei enim charitas non continet, cùm *2. Cor. 5.*
hoc iudicauerimus quòd vnus mortuus eſt
pro omnibus: vt qui viuunt, non amplius ſibi
viuant, ſed ei qui pro ipſis eſt mortuus & re-

surrexit. Qui ergo non amplius sibi viuunt, sed ei qui pro ipsis est mortuus, & resurrexit, omnia pro ipso & agere & pati lubenter sustinent. Porrò autem ea quoque quæ sunt natura magna & perpessu difficilia, cũ amore com-
1. Cor. 4. parans, parua dicit & ad ferendum facilia. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum, supra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Deinde etiam docet quomodo conferre oporteat. Non considerantibus nobis ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur. Quæ enim videntur, momentanea. Quæ autem non videntur, æterna. Oportet enim, inquit, conferre futura cum præsentibus: æterna autem cum momentaneis, cum afflictione autem, gloriam. Illa enim habet id quod est momentaneum: hæc verò id quod est æternum. Ea de causa ipsa quidem est leuis, & ad ferendum facilis. Illa autem est magnifica & præclara & maximi pretij. Et ideo illud quoque, Supra modum, adiecit vtrisque: nempe & leuitati afflictionis, & ponderi gloriæ. Nam & hæc, inquit, sunt insigniter parua & leuia & momentanea, & illa similiter insigniter & supra modum gloriosa, præclara & magnifica, & maximi pretij, & æterna.
2. Cor. 12. Quinetiam alibi quoque clamat similiter, Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in anxietatibus pro Christo. Quando enim infirmor, tunc potens sum. Hoc magnus quoque Petrus sauciatus desiderio, nec cùm prius quidem futuram didicisset negationem, latere voluit: sed satius duxit sequens negare, quàm fugiens confiteri. Quòd enim ab amore & non à temeritate proficisceretur hæc consectatio, res ipsa testatur. Neque enim post negationem in animum induxit vt magistrum relinqueret: sed fleuit quidem amarè, vt docet historia, & quòd victus esset suam defleuit imbecillitatem: assedit autem vinculis amoris irretitus. Quinetiam cùm accepisset nuncium resurrectionis, primus venit ad sepulchrum. Iam verò cùm in Galilæa quoque piscans, intellexisset ipsum esse dominum qui stabat & loquebatur in littore, nõ sustinuit quidem, cùm cymba tardius proscinderet terga maris: desideranit autem sumptis pennis, per aerem occupare littus quàm celerrimè. Quoniam autem pennis priuata est natura, aquis quidem vtitur pro aere: pro pennis autem manibus. Natans autem peruenit ad eum quem amabat: & accipit cursum præmij, quòd in honore præponatur in alijs. Vbi enim eum sedere iussit, & cibos inuentos distribuit, protinus eum cœpit alloqui: percunctans quidem & interrogans quanta esset eius dilectio, alijs autem aperiens magni Petri amorem, Simon enim Petre, inquit, amas me plus his.
Ioan. 22. Is autem ipsum citauit ad suum in eum amorem testificandum. Domine, enim inquit, tu scis quia amo te. In animis enim hominum insides, & apertè scis motus cogitationis: nec te aliquid latet ex rebus humanis. Nosti enim omnia & antiqua & extrema. His subiunxit dominus, Pasce oues meas. Ego enim, inquit, nullius rei egeo. Maximum autem duco beneficium, meam ouium curam: & quæ in illas confertur diligentiam ac solicitudinem, ego in me recipio. Oportet ergo te eam qua frueris prouidentiam impertiri conseruis, & eos pascere vt pasceris, & quas mihi debes gratias, per illos exoluere. Hæc rursus iterum interrogauit dominus: & bis respondit magnus Petrus: & bis accepit factam pastoris electionem. Postquam autem tertia quoque fuit proposita interrogatio, non amplius æquè audacter & securè respondit Petrus: sed & timore impletur, & animo angitur & conturbatur: & timuit suspicans ne alteram præuidens negationem dominus verba amoris irrideret. Priora enim reuocabat in memoriam, & ei veniebat in mentem, quòd iam prius quoque sæpe quidem vsque ad mortem non se esse relicturum magistrum affirmasset: audijsset autem quòd prius quàm gallus cantaret ter esset negaturus: & inuenisset suam promissionem non accepisse finem: sed fuisse confirmatam domini prædictionem. Horum hæc ipsum tenebat memoria: & non sinebat eam quam conueniebat afferre responsionem: sed acutos quidem & molestos accepit aculeos, in cognitione tamen concessit domino: non resistens quidem, vt prius: nec dicens, Etiamsi me oporteat tecũ mori, non te relinquam: sed dicens se quidẽ habere dominum conscium suæ dilectionis: perfectam autem vniuersorum cognitionẽ esse apud ipsum solũ vniuersorum creatorem confitens. Domine, enim inquit, tu nosti omnia: tu scis quòd amo me. Quòd enim amo te, & nosti, & testaris. A nautem sim in amore perseueraturus, ipse nosti apertius: ego enim nihil dico de futuris: neque de ijs decertabo quæ nescio. Didici experientia non contradicere domino. Tu es fons veritatis. Tu es abyssus cognitionis: didici ergo stare tuis decretis. Hunc eius timorem cùm vidisset dominus, & rectè sciret eius amorem, prædictione mortis eius soluit timorem: & dat testimonium dilectioni: & Petri confirmat confessionem: & vlceri negationis confessionis adhibet medicamentum. Propterea enim, vt existimo, hanc quoq; exegit triplicem: vt tot numero vlceribus totidẽ exhiberet medicamenta: & præsentibus discipulis flammã aperiret charitatis. Mortis itaque prædictio & Petrum est consolata: & alios docuit diuini consilij & dispensationis fuisse negationem, non autem eius animi. Hoc quoque ipse innuit Seruator & dominus noster quando dixit ad eum, Simon Simon, expetiuit te
Luc. 22. Satanas, vt te cribraret sicut triticum. Et ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: sed & tu quoque aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Sicut enim, inquit, ego te non despexi cùm fluctuares & labares: ita sis tu quoque sustentaculum fratribus qui circumcumguntur: & id quod es assecutus, imperti auxilium: & ne eos pellas qui labuntur: sed erige eos qui periclitantur. Ea enim de causa concedo vt tu quoque labaris, sed te non sino cadere, procurans vt qui labant per te stent & erigantur. Ita orbem terrarum qui lababat & agitabatur, magna hæc columna fulcijt, & vt omnino caderet non permisit, sed erexit stabilemque reddidit, Dei oues pascere iussus: & cùm pro eo probris afficeretur, sustinebat: & cùm per ignominiam cæderetur, gaudebat & ex improbo exiens concilio, lætabatur cum socio, quòd dignus esset habitus pro nomine Domini pati contumeliam. Quinetiam cùm conijciebatur in carcerem, gestiebat & exultabat, & cùm à Nerone propter crucem est ad mortem crucis damnatus, rogauit carnifices, ne similiter atque Dominus trabi affigeretur, sed contrario modo: veritus, vt est verisimile, ne eadem passio eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret. Et ideo rogauit vt manus superius, inferius autem pedes affigerẽtur. Extremum enim eligere, non in honore solùm, sed etiam in ignominia, didicimus. Quòd si etiam fieri potuisset, vt hanc mortem decies vel etiam quinquagesies subiret, eam cum voluptate maxima sustinuisset, vt qui esset diuino incensus desiderio. Hoc ipsum clamat quoque di-
1. Cor. 15. uinus Paulus, nunc quidem dicens, Quotidie morior, per nostram gloriationem quam
Galat. 2. habeo in Christo Iesu: nunc autem, Cum Christo sum crucifixus. Viuo autem non amplius ego: viuit autem in me Christus. Qui ergo diuinum accepit amorem, terrena quidem simul omnia contemnit: conculcat autem omnes voluptates corporis: despicit opes & gloriam, & hominum honorem: à telis aranearum nihil differre existimat purpuram Imperatoriam: pretiosas gemmas assimilat calculis qui sunt in littoribus: non rem beatam ducit existimandam sanitatem corporis: neque morbum appellat calamitatem: neque infelicitatem vocat paupertatem, nec res suas malè gerere dicit pauperem: nec diuitijs & delitijs metitur felicitatem: sed aquis fluuiorum, quæ in ripis plantatas arbores præterfluunt, & apud nullam ex ijs cõsistunt, vnumquodque eorum semper esse simile rectè existimat. Similiter enim & paupertas, & diuitiæ, & sanitas, & morbus, honor & infamia, & quecunque alia, naturam hominũ prætercurrunt, non cernuntur semperapud eosdem manentia, sed eos qui possident mutantia, & ab alijs ad alios assiduè transeuntia: multi enim à magnis opibus cadunt in extremam inopiam: multi autem ex pauperibus conscendunt in diuitũ catalogum. Iam verò morbus quoq; & sanitas, ingreditur per omnia, vt vno verbo dicam, corpora & esuriẽtia, & lautitijs ac delicijs fruẽtia. Virtus autem & philosophia est bonũ constãs ac stabile. Vincit enim & manus latronis, & linguas sycophantarũ, & hostilium telorum, hastarumque procellas. A febre non consumitur: non perit obiter in fluctibus: nec patitur iacturam in naufragio. Eius vires non aufert tempus, sed auget. Eius autem materia est in Deum dilectio. Fieri enim non potest vt serectè quis gerat in philosophia, qui non fuerit Dei amator vehemens: imo verò hoc ipsum vocatur philosophia. Sapientia enim Deus & est & vocatur. De Deo enim vniu-
1. Tim. 1. ersorum dicit beatus Paulus. Immortali, inuisibili, soli sapienti Deo. De vnigenito autem dicit. Christi Dei virtus, & Dei sapientia.
1. Cor. 2. Et rursus, Data est nobis sapientia à Deo iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Qui est ergo revera philosophus, iure etiam vocari poterit pius & Dei amans. Qui Deum autem amat, alia omnia despiciens, & eum solum qui amatur respiciens, illius curam & suam in eum seruitutem cæteris præfert omnibus: illa solum & dicens & faciens & cogitans, quæ ei quem amat placent & grata sunt: & abhorret omnia quæcunque ille prohibet. Hanc charitatem cùm Adam contempsisset, & ingratus fuisset in benefactorẽ, ingrati sui animi mercedem accepit spinas, labores, & ærumnas. Eam cùm ei qui bona suppeditat Abel firmam conseruasset & stabilem, & ventris quidem voluptates contempsisset, Deum autem colere & ei ex animo seruire instituisset, perpetuis, & in quas non cadit interitus, coronis est ornatus: & per omnem procedit generationem, laudis fructum colligens per memoriam. Et cùm veram & germanam Enoch acquisijsset, & bene plantauit, & messuit melius: & Dei cultus retulit mercedem, translationem, & vitam tunc immortalem, gloriosamque & illustrem per omnem vitam memoriam. Quid dixerit quispiam de Noe pietate & in Deum amore, quam nec retardauit quidem iniquorum & sceleratorum impetus: sed cùm omnes declinassent, & via contraria ingredi constituissent, solus via recta est ingressus, omnibus simul præponens creatorem. Quocirca solus quoque cum filijs salutem est consecutus, & semen relictum est naturæ, & scintilla conseruata est generi. Sic Melchisedech magnus ille pontifex, cùm eorum qui simulachra colere instituissent, abhorreret amentiam, vniuersorum creatori suum dedicauit sacerdotium. Quamobrem magnam illam accepit mercedem, vt qui fuerit figura & vmbra eius qui re vera est sine patre & matre & absque genealogia, & neque habet principium dierum, nec vitæ finem. Sed enim recta via procedens oratio, venit ad eum qui Dei dictus fuit amicus, qui amicitiæ leges diligenter & accuratè seruauit & docuit. Quis enim nescit ex ijs qui in rebus diuinis sunt vtcunque eruditi quomodo magnus patriarcha Deo qui eum vocauit obedierit? quemadmodum domum paternam reliquerit, & patriæ regionem externã prætulerit, quoniam eum omnino amabat qui ipsum vocauerat, & visum est illi omnia posthabere illius amicitiæ? Qui cùm in multas incidisset difficultates, non reliquit eum quem amabat, etsi promissis finem non imponeret. Sed licet & siti premeretur,

meretur, & bibere aquam ex ijs quos cupiebat puteis prohiberetur, neque ei qui vocauit succensuit, neque eos qui iniuriam faciebant est vultus. Famis quoque impetum sustinuit, & charitatis flammam minimè extinxit. Ei quoque fuit ablata coniunx, quæ & insigni erat pulchritudine, & ornata pudicitia, & ei per omnia vitam præbebat delectabilem: & non vnà cum muliere simul etiam fuit priuatus charitate in Deum. Sed & Deo ei opem ferente, & diuturna tolerantia exercente, & permittente eum accipere insultus iniustitiæ, perseuerauit similiter in amore. Senex euaserat, & pater non erat factus: & in eum qui ipsum patrem facturum promiserat, nondum autem fecerat, erat similiter affectus. Postquam autem tandem & promissum est assecutus, & Sarræ vicit naturam, & fines transiliuit senectutis, & effectus est pater Isaac, exiguo quidẽ tempore percepit fructum illius consolationis: puerum autem cùm ad adolescentiæ ætatem peruenisset, iussus est Deo qui dederat offerre in sacrificium: & reddere ei donum qui id fuerat largitus: & effici sacrificus fructus promissionis: & offerre in sacrificium magnum fontem gentium: & manus cruentare sanguine vnigeniti filij. Sed tamen cùm hæc omnia & his adhuc longè plura haberet sacrificium, non contradixit patriarcha, neque produxit iura naturæ: neque promissa adduxit in medium: neque quòd is in senectute ipsum erat alturus & deinde sepulturus, reuocauit in memoriam: sed omni humana subiecta ratiocinatione, cùm desiderium desiderio opposuisset, & legi legem obiecisset, naturæ diuinam, profectus est ad sacrificium, plagam illaturus citra hæsitationem, nisi citò munificus ac liberalis Deus, accepta eius animi alacritate, cædem prohibuisset. Sed nescio an vlla suffecerit oratio ad narrandam eius amoris magnitudinem. Qui enim ne filio quidem pepercit vnigenito, quoniam hoc iussit is quem amabat, quem non propter eum despexisset? Quinetiam ipse quoque m gnus Isaac eandem charitatem habuit in Dominum: & eius quoque filius Iacob patriarcha. Vtriusque autem in Deum amorem diuinæ scripturæ celebrant. Porrò autem ipse quoq; Deus vniuersorum, nusquam ramos separat à radice: sed seipsum Deum nominat Abrahæ, Isaac & Iacob. Horum pius fructus quoque est Ioseph: qui & inter iuuenes erat senex: & inter senes fortis & generosus: cuius amorem in Deum neque consumpsit inuidia: neque extinxit seruitus, neque dominæ dissoluerunt blanditiæ, neque minæ ac terrores vt marcesceret effecere: non calumnia & carcer & temporis longitudo prostrauit, non potestas, copiæ, opes & delitiæ ex animo expulere: sed similiter perseuerauit & eum qui amabatur aspicere, & eius leges implere. Hanc charitatem cùm possedisset Moses, in regia viuere contemnens, maluit affligi cum populo Dei, quàm ad tempus frui peccato. Et quid opus est vltra modum extendere orationem? Diuina enim charitate vniuersus ordo prophetarum vtens & exornatus, & perfectissimè se gessit ex virtute, & reliquit gloriam semper memorabilem. Iam verò chorus quoque apostolorum, & populi martyrum, hoc igne accepto, contempserunt quidem omnia quæ videbantur: cuiuis autem vitæ iucundissimę mortis innumerabilia genera prætulerunt. Capti enim amore Dei pulchritudinis, cùm Dei amorem in nos considerassent, & innumerabilia cum animis cogitassent beneficia, turpe duxerunt, neque illam quæ verbis explicari non potest desiderare pulchritudinem, & ingrati esse in benefactorem. Ea de causa ad mortem vsque ea quæ fuerant cum eo pacta conuenta obseruauere. Huius quoque pulchritudinis amore capti noui Athletæ, quorum vitam breuiter conscripsimus, ad magna illa, & quæ humanam vincunt naturam, profiliere certamina. Hoc autem eos apertè diuinæ docuere scripturæ. Canunt enim cum magno Dauid. Domine Deus meus magnificatus es vehe- *Psal. 103.*
menter. Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Extendens cœlũ sicut pellẽ: & alia quęcunq; docent vim eius sapientię. Et rursus, Dominus regnauit, decorem est indutus, indutus est Dominus virtutem, & præcinxit se. Etenim direxit orbem terræ qui non commouebitur. Et hic quoque similiter fuit prædicata & sapientia & pulchritudo & potentia: & alibi. Speciosus forma præ filijs hominum. Hic autem humanam quoque Dei verbi laudibus celebrauit pulchritudinem. Laudat autem etiam sapientiam. Diffusa est enim, inquit, gratia in labijs tuis. Ostendit etiam potentiam, cùm dicit, Accingere gladio super femur tuum ò potens. Specie & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Propter veritatem, mansuetudinem & iustitiam. Hæc enim sunt eius opes & pulchritudo & potẽtia. Porrò autem Esaias quoque clamat. Quis est hic *Esa. 3.*
qui venit ex Edom? Rubor vestimentorum eius ex Bosor. Hic est speciosus in veste sua, nempe vi cum fortitudine. Neque enim humana vestis diuinam operuit pulchritudirem. Sed ea quoq; indutus, splendores emittit ex specie, adeò vt vim afferat videntibus, & illiciat ad amorem. Hoc etiam ad eum dicit sancta sponsa, loquens in cantico canticorum. Vnguentũ effusum nomen tuum. Ideo *Can. 1.*
te dilexerunt adolescentulæ, traxerunt te retro. Ad odorẽ vnguentorum tuorum cucurrerunt. Iuueniles enim animæ bonum tuum odorem participantes, currunt te desiderantes comprehendere: & odore, tanquam quadam catena, irretitę non inducũt in animum vt perfringant vinculum: est enim dulce, & quod voluntariè est eis illigatum. His consentiunt etiam verba diuini Pauli. Christi bonus *2. Cor. 2.*
odor sumus, in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt: alijs quidem odor mortis ad mortem: alijs verò odor vitæ ad vitam. Cùm ergo &

go & eum esse pulchrum doceantur à diuina scriptura, & habere diuitias quæ verbis explicari nequeunt, & esse fontem sapientiæ, & posse omnia quæ vult, esseque clementia & benignitate infinita, & ex eo scatere fontes mansuetudinis, & in omnibus velle homines solùm beneficio afficere, & innumerabilia genera beneficiorum à viris diuinis doceantur, suauibus telis charitatis fuere vulnerati: & cùm sint membra sponsæ, cũ illa clamant. *Ioan. 1.*
Vulnerati nos à charitate. Clamat enim magnus Ioannes. Ecce agnus Dei, qui tollis peccatum mundi. Propheta autẽ Esaias tanquam *Esa. 52.*
facta quæ erant futura prædixit, dicens. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Disciplina pacis nostræ super ipsum. Vibice eius sanati sumus, & alia quæ de salutaribus persequitur passionibus. Porrò autem Paulus quo- *Rom. 8.*
que prædicat clamans. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum, quomodo non vnà quoque cum ipso nobis omnia largietur? Et rursus, Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo rogante per nos. Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum enim qui non cognouit peccatum, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficiamur iustitia Dei in ipso. Hæc & quæ sunt *2. Cor. 5.*
huiusmodi inuenientes apud eos qui fuerunt diuini verbi ministri, diuinę charitatis stimulos vndique accipiunt, & omnia despicientes, eum cuius amore tenentur visione apprehendunt: & ante eam quæ speratur incorruptionem, corpus spiritale reddiderunt. Hunc nos quoque amorem accipiamus, & à sponsi illecti pulchritudine, & bona quæ sunt promissa desiderantes, & beneficiorum multitudinem cogitantes, & ingrati animi crimen reformidantes, amantes autem, eius leges custodiamus. Hæc est enim definitio amicitiæ eadem amare & eadem odisse. Propterea dicebat etiam Abrahæ, Benedicam benedicentibus te, *Gen. 12.*
& te execrantes execrabor. Et Dauid ait ad ipsum, Mihi autem nimis honorati sunt ami- *Psal. 138.*
ci tui Deus. Et rursus, Nunquid eos qui oderunt te Domine, odio habui, & propter inimicos tuos liquescebam? Perfecto odio ode- *Psal. 138.*
ram illos, in inimicos mihi facti sunt. Et alibi, Iniquos odio habui, legem autem tuam dile- *Psal. 115.*
xi. Et alibi, Quàm dilexi legem tuam Domi- *Psal. 97.*
ne: tota die meditatio mea est. Est ergo signum euidens in Deum charitatis, diuinarum eius legum obseruatio. Qui enim me di- *Ioan. 14.*
ligit, mandata mea seruabit, dixit Dominus Christus, cum quo Patri gloria, cum sancto spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS DE EVANGELICAE VERITATIS EX GRAECORVM ATQVE GENTIVM PHILOSOPHIA COGNITIONE, siue de Græcarum affectionum curatione, LIBRI DVODECIM,

ZENOBIO ACCIAOLO INTERPRETE.

PROLOGVS.

SAEpenumero accidit, vt nonnulli eorum qui suspensi Gentium ac Græcorum fabulas admirantur, mecum familiarius diuersati, tum Christianam fidem comice obtrectarint, asserentes, nihil nos aliud quàm meram credulitatem illis insinuare, quos diuinis rebus imbuendos accipimus: tum vero & Apostolos tarditatis atque inscitiæ accusarint, barbaros propterea nuncupantes, quòd omni careant eloquutionis ornatu: quin & pro ridiculo habere se dixerint, quòd honore vllo martyres prosequamur. Insignis enim stultitiæ genus esse, si qui viuentes homines, ab ijs qui iam vita defuncti sint, vllum sibi commodum comparare contendant. Aggesserunt vero & alia quædam huius

huius generis maledictis valde affinia, quæ sanè ipsa suis locis liber hic quem cudimus, edocebit. Ego vero & explicui quidem illis, quæ tunc afferri oportuit, maledictis obiectionibusque soluendis. Et nefarium scelus remque impiam esse duxi, si conniuens dissimulansq; perpetiar, simplicioris notæ homines ab illorum falli versutijs, neque literarum monumentis aliquid tradam, quod illarum accusationum vanitatem stultitiamq; redarguat. Itaque rem aggressus, omnem quidem tractatum distribui in sermones duodecim. Remissiorem vero stylum illis adhibui quod eum valde illi conuenire arbitratus sum, qui docentis officium partesq; suscipiat. Sed & cùm Platonis aliorumque Philosophorum oportuerit adduci locos, componenda fuit oratio, quæ haud ita prorsus absona discorsq; esset, sed quæ cum ijs authoribus qui testes citantur, aliquam videretur habere similitudinem.

I. Profide. *Prima itaque disputatio, Christianorum fidem, Apostolorumque, vt illorum verbis vtar, ruditatem defendit, argumentis subnixa quæ de Græcis Philosophis depromuntur.*

II. De principijs. *Secunda vero clarissimorum Græcorum, necnon & eorum qui post eos Philosophi appellati sunt, de principijs rerum opiniones sententiasque percenset, ac subinde Moseos ipsius, qui multo eos antè præcessit, veram Theologiam ex aduerso constituens, illorum quidem mendacia falsitatemque refellit, Mosaicæ vero doctrinæ clarissimam veritatem ostendit.*

III. De Dijs ac dæmonibus malis. *Tertia porro disputatio, nobis indicat cuiusmodi ea sint quæ Græci de suis illis fabulantur dijs quos secundarios vocant, qualia item quæ de incorporeis quidem, sed creatis tamẽ naturis sacrarum literarum monumenta nos docent, vt hic quoque proposita comparatione appareat, quantopere laudanda sint quæ nos pio cultu veneramur numina & prosequimur, quamque sint abominabiles Græcorum fabulæ, quàm obscœnæ, quàm putidæ.*

IIII. De materia. *Quarta autem disputatio, circa rerum materiam mundumque versatur, ostenditque nostram illam mundi genituram, magis rationi consentaneam esse, quàm quæ statuitur à Platone cæterisque Philosophis.*

V. De natura hominis. *Quinta vero disputatio, de natura hominis certamen suscepit, ostensisque super hac re tum Græcorum, tum Christianorum sententijs, probe nos docet, quanta sit lucem inter ac tenebras differentia.*

VI. De prouidentia. *Sextum vero disputationis locum, sermo de prouidentia sibi vendicat, par enim fuit, vt cæteros sermones qui de Deo præcesserant, noster hic sermo de prouidentia sequeretur, qui Diagoræ quidem indeitatem refelleret, Epicuriqúe maledicta, ipsiusque adeo Aristotelis exilem illum de prouidentia parcumque sermonem, comprobaret autem Platonis ac Plotini doctrinam cæterorumque Philosophorum, qui cum illis de prouidentia bene sentiunt. Tum & rationibus ostenderet à natura rerum petitis, prouidentiam in mundi constitutione spectari, singulisque in rebus quæ à Deo factæ sunt, maxime esse conspicuam.*

VII. De sacrificijs. *Quia vero & ostendendum fuit, superflua esse tot numero sacrificia, septima disputatio sibi huius rei demonstrandæ sumpsit officium. Nam Philosophicis quidem rationibus damnat Græcorum ac Gentium sacrificia, Prophetici autem argumentis authoritatibusque nos docet, quàm puerilis fuerit legis Iudaicæ literalis ille cultus & obseruatio.*

VIII. Pro martyribus. *Octaua autem, illorum adducit obiectationes, qui nos idcirco accusant, quod honore martyres prosequamur. Sed & nostram quoque defensionem complectitur authoritatum præsidio, quas sibi de Philosophis, deq; historiarum scriptoribus, ac Poetis desumit, planè indicans Græcos atq; Gentium populos non libamina solum, sed etiam sacrifi-*

sacrificia honorandis mortuis impendisse, quorum alios quidem deos, alios vero semideos, heroas alios nuncuparent, eorumq; plerosque magnis, dum vixerunt, flagitijs inquinatos fuisse.

IX. De legibus. *Magnum vero me operæ preciũ facturum existimaui, si celeberrimis apud Græcos legum latoribus, Christianæ religionis duces conferrem, nostros inquam piscatores, nostrum sutorem, nostrum publicanum, vt c comparatione proposita, quid inter se differant, innotescat: cùm eorum quidem leges vnà cum defunctis latoribus, obliuioni ac tenebris datæ sint, at vero nostrorum leges, non solum apud ipsos Græcos, sed apud Scythas, Sauromatas, Persas, Barbarasq; alias nationes polleant & efflorescant. Hanc vero comparationem, nona complectitur disputatio.*

Sutoris nomine Paulum innuit, Publicani Matthæum.

X. De oraculis. *Decima vero ostendit, cuiusmodi illa fuerint quæ per Dei veri oracula prædicta sunt, quàm videlicet authorem Deum decentia, quamq; etiam viris prudentibus consentanea. Contra verò, qualia illa fuerint, quæ Pythius Apollo, Dodonæusq; Iupiter, alijque falsi vates gentium prædixerunt. In quibus sanè ipsis, & mendaces & futurorum ignari deprehensi sunt, cùm ea vaticinati fuerint, quæ nullus quidem qui probus homo censeatur, effari velit.*

XI. De iudicio. *Cùm vero & ignaros docendos esse existimarim, quæ ab ipsis Græcis, quæque item à nostris, de ipso mundi fine supremoque iudicio afferantur, harum rerum doctrinam vndecima disputatio lecturis offert & pollicetur.*

XII. De actiua virtute. *Sed enim quid in actuosa quoque ac morali virtute nostri Græcis hominibus ac Gentibus præstent ostendendum putaui. Nam cùm & Græcorum veterum Philosophorum sodalitates atque collegia, communemq; viuendi societatem iactari ab illis audiam, qui efferre illorum vitam laudibus student, duodecima disputatione ostendam, esse indignam eorum hominum vitam, quæ laudatis mancipijs, nedum probis Philosophis ascribatur. Cùm cõtrà, Apostolorum vita eorumq; qui Apostolorum vestigia consectati sunt, inueniatur humana conditione longe superior, magisque illis esse persimilis, qui corporeis vinculis exoluti, cœlestes incolunt sedes.*

Est autem libri titulus, Curatio Græcarum affectionum, vel Euangelicæ veritatis ex Græcorum ac Gentium Philosophia cognitio.

θεραπευτικὴ τῶν ἑλληνικῶν παθημάτων.

Ego itaque, tum vt ægrotos laborantesq; curarem, tum vt bene valentium vtilitati consulerem, operam hanc suscepi. Oratos autem velim, quicunque in aliorum lucubrationes inciderint, vt siquidem bene habent omnia quæ scripta sunt, Deũ laudent, qui bene scribendi facultatem dedit, ipsisq; adeo scriptoribus bene precentur, sin verò aliqua deesse desiderariqúe videantur, ne paucorũ causa, cuncta ea quæ scripta sunt, continuo detestentur, sed ex ijs potius quæ haud perperam scripta esse cognouerint, emolumentum sibi commoditatemq; comparent.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS DE CVRATIONE GRAECARVM AFFECTIONVM SERMO PRIMVS, IN QVO fides defenditur.

MEdendi ratione, tum corpori, tum & animæ congruere, satis constat, quando & corpus & animam frequentibus morbis ac perturbationibus laborare cõtingit. Cæterum corporeæ quidem pestes, inuitis admodum nobis adueniunt, animæ verò labes, à delectu voluntatis pleręque proficiscuntur. Huius itaque rei apprime conscius Deus, vtpote qui sapientissimus est, quiq; auctor animarum & corporum cæterarumq; rerum omnium, suos vtrique naturę congruentesque curandi modos, ac propria fomenta distribuit,

distribuit, Medicosque insuper vtrique rei
pręfecit, qui & hanc & illam medendi ratio-
nem perdocti essent, iussitque eos quodam
quasi imperio ac dominatu moderari mor-
bos, illisque praeesse. Verum longe diuersa ę-
grotantium ratio esse cernitur. Nam qui sunt
corpore male affecto, morbos ægrè ferunt, sa-
nitatemque appetunt, atque idcirco medicis
obedientes se prębent, nõ iucunda solum mi-
nistrantibus pharmaca, verum etiam si ferro
igniq; vtantur, si inediam imperent, si ple-
nos amaroris calices porrigant. Cumque hoc
tam tristi genere curationis cupitam valetu-
dinem assequantur, mercedem illis rependũt
à quibus sic acerbe vexati fuerant. Salutem
enim consequi desiderant, modum tamen ac
rationem qua sint eam consequuturi, non cu-
rant. Contrà autem qui impietatis labem in-
fidelitatisque contraxerunt, non solum mor-
bi grauitatem miseri non persentiunt, verum
etiam sic ægrotantes opinantur optimo se in
statu ac conditione versari. Quòd si quis me-
dicæ facultatis peritus, salubre remedium
velit afferre, statim resiliunt, non secus atque
ij facere consuerunt, qui phrenetico morbo
corripiuntur, oblatam enim sibi curationem
procul arcentes, quasi nouam ægritudinem
auersantur ac fugiunt. Cæterum ijs qui artis
medicę professores censeri volunt, quantum-
uis morosi ęgrotantes sient, æquo animo fe-
rendi sunt, patienterque tolerandi, vel si con-
uicijs eos aspergant, vel si pugnis aut calce pe-
tulantes se præbeant, solent enim quandoque
hoc iniurię genere delirantes peccare. Neque
tamen cùm hæc fiunt, animo perturbantur
qui vere sunt Medici, sed vincula potius col-
ligandis intentunt, caputque vnguento aspe-
rgunt, quanquam reluctantibus & inuitis. Nul
lum denique non remedij genus excogitant,
quo egritudinem procul summoueant, pristi-
namque partium æqualitatem corpori vni-
uerso restituant. Quamuis autem haud ita
multi numero essent, qui huius morbi seruitio
premerentur, essentque pinguissimæ cui-
dam feci persimiles, quæ crassitudine im-
peditur, quo minus per coli foramina transi-
gatur, at ne sic quidem posthabendi essent,
neque dissimulanter ferendum eos ab eius-
modi peste corrumpi, sed omnis potius exco-
gitanda ratio esset, qua insidens eis nebula
tolleretur, splendorque intellectualis lumi-
nis appareret. Neque enim qui industrius sit
nauusque colonus, multis quidem excin-
dendis spinis occupatur, paucas verò intactas
esse permittit, sed si vel vnam duásue incur-
rerit, radicitus eruit & euellit, atque ita, se-
getem purgatissimam reddit. Multo igitur
magis hoc nobis faciendum est, haud enim
spinas excindere, sed eas colendo immutare
diuina lex iubet. Agedum itaque ceu spinis
quibusdam coloni rastrum admoueamus, sul
cosque aurium qui incultiores effecti sunt, a-
ratro rationis altius inscrutemur, ne quid for
te interoccurrat, quod irrigationis fluxum
remoretur, atque illabi non sinat. Asperga-
mus, inquam, infirmos, salutariaque illis ac
Pæonia pharmaca deferamus. Primum verò
omniũ curare studeamus opinionis morbum,
etenim nonnulli eorum qui Poetarum parti-
cipes atque Oratorum facti iam sunt, Plato-
nisque adeo elegantiam degustarunt, sacrarũ
literarum monumenta contemnunt, vt quæ
calamistris eloquentiæ compta non sint, indi-
gnosque idcirco piscatores existimant, à qui-
bus veritatem primã doceantur. Atque alibi
quidem videre est, eos qui singularum artium
quęrũt fructus ꝓcipere, minus esse solicitos,
qua eloquutione, quóue idiomate sint illarũ
artifices. Neque enim Atticos esse sutores cu-
rant, neq; fabros ferrarios, neq; architectos,
neque pictores, non ipsos denique factores na
uium, non gubernatores. Verùm siue Scythæ,
siue Sauromatæ, siue Hispani sint, siue Aegy-
ptij, summa cum voluptate vtuntur illorum ar
tibus, solam ab his fidem diligentiamque po-
scentes, minus autem ęgrè ferunt gentium lo-
corumque differentiã. Item qui cytharœdi fi-
dibus oblectantur, solam audire vocum con-
sonantiam quærunt, neque sitne is Grœcus an
Barbarus scisciterí contendunt. Et tamen in
solo perdiscendæ veritatis studio non curiosi
ac non soliciti esse non possunt, sed ignomi-
niam fieri sibi probrumque existimant, si
quis homo sermone Barbaro eos ad veritatẽ
erudiat. Intumescunt autem hoc genere su-
perbiæ homunciones quidam, non ex ijs qui
ad summum Græcæ sapientiæ peruenerunt,
sed qui pauca quædam, quod dicitur, primis
labijs delibarunt, sibique hinc atque illinc pu
silla quæpiam collegerunt. Illustrissimos au-
tem Grœcorum Philosophorum, quorũ me-
moria hodieque apud eloquentes doctosque
homines celeberrima est, Pherecyden, inquã
Syrum, Samiumque Pythagoram, Thaletem
Milesium, ac Solonem Atheniensem, Plato-
nem denique ipsum, filium quidem Aristonis,
Socratis verò auditorem, illum inquam Pla-
tonem, qui cæteros omnes Philosophos ob-
ruit eloquentiæ copia, nequaquam piguit in-
uenienda veritatis causa Aegyptum, Theba s-
que Aegyptias perlustrare, Italiam præterea
& Siciliam, non vno quidem imperio ac do-
minatu gentes illas & prouincias gubernan-
te, sed singulas ciuitates singulis moderan-
tibus viuendi modis ac legibus. Aliæ siquí-
dem illarum, populo habenas rerum tradi-
derant, aliæ paucorum potestate gaudebant,
aliæ sub tyrannis erant, aliæ legibus rege-
bantur. Neque tamen priscis illis Philoso-
phis hæc regendi varietas quicquam impedi-
menti attulit, quo minus barbaras adiecti
nationes, ab ijs ea perciperent, quæ melius
ab eiusmodi gentibus quàm à seipsis teneri
arbitrabantur. Aiunt verò illos in Aegypto,
non ab ipsis solum Aegyptijs, sed ab Hebrę-
is quoq; præceptoribus, Dei veri doctinam
cognitionemque percepisse. Atque hæc qui-
dem Plutarchus narrat Bœotus, nec minus
& Porphyrius ille narrat, qui contra verita-
tem fidei Christianæ, rabida debacchatur in-
sania.

sania. Narrant præterea & Pythagoræus Nu-
menius & alij sanè complures. Fertur autem
Pythagoras circũcisionem subijsse acceptam
ab Aegyptijs, quam tamẽ Aegyptij ab Hebræ-
is patribus accepissent. Nam cùm Abraham
Patriarcha ab authore rerum omnium Deo
circuncidi iussus fuisset, ritum hunc posteri-
tas cultu perpetuo asseruauit, cuius per ætá-
tum multa curricula in Aegypti finibus di-
uersatæ imitatores Aegyptij facti sunt. Quod
enim apud Aegyptios, infantes circuncidi
Exod. 2. lex vetusta non fuerit, Pharaonis filia satis
idonea testis est, quæ cùm infantem Mosen
in ripa fluminis expositum reperisset, illico
circumcisum intuita, & pueri genus agno-
uit, & Hebræis parentibus natum esse asse-
ruit. Atque ij quidem quos superius nomi-
naui, nulla non adita disciplina, tanto disci-
di studio inarserunt, vt per infestas bellis re-
giones, marisque etiam tempestatibus spre-
tis barbaras nationes adierint, ac ea quæ sibi
fore vsui videbantur, vndecunq; collegerint.
Socrates autem Sophronisci filius, multo Phi-
losophorum optimus, ne ab ipsis quidem mu-
lieribus doceri quod ad rem foret, indignum
Philosopho esse duxit, neque idcirco erubuit,
Diotimã appellare magistram, quin & Aspa-
siam perdiu frequentauit. Horum autem ple-
riq; hominum, à quibus nunc Christiani ma-
ledictis aspergimur, ne nouerunt quidẽ quid
sit Pelidę Achillis indignatio, à qua sibi studi-
osi adolescentes auspicantur literarum initia.
Nam cùm pauca omnino & à Poetis, & ab O-
ratoribus ipsis acceperint, ac ne Philosophó-
rum quidem, duobus tribúsue illustrioribus
exceptis, nominatim quam audierint, tamen au
dent diuinam scripturam barbaram nuncu-
pare, ac turpe sibi esse ignominiosumque de-
putant, si hac magistra veritatem perdiscant,
ex ipsa enim ignorantia, pestem superbię con-
traxerunt. Nam si Grœcorum hystorijs ocu-
los admouissent, scirent vtique Grœcos homi-
nes illustrem illam suam scientiam, plurimás-
que artes à barbaris præceptoribus accepisse.
Aiunt enim Aegyptios, Geometriæ ac Astro-
nomiæ inuentores primos fuisse. Dierum au-
tem natalium obseruatio, Chaldęorũ esse fer-
tur inuentum, cùm Arabes ac Phryges, auium
obseruationes primi inuenerint. Tubas verò
esse Tyrrhenorũ opus, ac tibias Phrygiorum,
tum tragœdiæ, tum verò & historiæ planè nos
docent. Ac literarum quidẽ Phœnicas inuen-
tores fuisse, Grœcorum monumenta testan-
tur. narrant enim Cadmum è Phœnicia pri-
mum literas in Græciam detulisse. Medicinæ
verò authorẽ volunt Apin Aegyptium, quam
subinde artem auxerit Aesculapius. Scapham
in Lybia primum compactam fuisse affirmãt.
Quod autem Orpheus homo Thracius, ab
Odrysia Dionysia & Panathenæa, Thesmo-
phoriáque, & Eleusinia festa mysteriáque A-
thenas detulerit, quodq; idem in Aegyptum
quondam profectus, Isidis & Osiridis sacra
in Cereris orgia Liberiq́ue Patris conuerterit,
testis est Plutarchus è Cheronea Bœotię, testes
item sunt & Siculus Diodorus, & orator De-
mosthenes. Aiunt enim, Orpheũ sanctissimos
illis ritus ac ceremonias tradidisse. Ipsius au-
tem Rheæ, seu malis Cybeles, seu Brimonis,
aut quamcunque demum nuncupari velitis,
multa enim vobis nominum copia, sed mira
subsistentium rerum paucitas, eius inquã deæ
festas solennitates, è terra Phrygia sibi Græ-
cos aduexisse, ijdẽ illi quos superius citaui te-
stes, planè nos docent. Cùm itaque & artes, &
disciplinas, & colendorum dæmonum cere-
monias, & literarum elemẽta, Græci à barba-
ris docti fuerint, neque non barbaris præce-
ptoribus glorientur, quid ita vos, quæso, cùm
ne possitis quidem percipere, quę ab illis con
scripta sunt, renuitis ab illis hominibus veri-
tatem perdiscere, qui sapientiam à Deo sibi
traditam acceperunt? Quod si propterea illis
aures accommodare non vultis, quòd ij ne-
quaquã è terra Grœcia orti fuerint, reliquum
est continuo vt nec Thaletem dicere sapien-
tem, nec Pythagoram dicerẽ Philosophũ de-
beatis, neque ipsum etiam Pherecyden, qui
Pythagoræ fuit pręceptor, hic enim Syrus na-
tione fuit, non Atheniensis, non Spartiates,
neque Corinthius. Ipsum porro Pythagoram,
& Aristoxenus & Aristarchus & Theopompus,
Tyrrhenum tradunt fuisse, at Neanthes Tyri-
um eum vocat. Thaletem verò alij quidem
fuisse dicunt Milesium, cùm tamen & Lean-
der, & Herodotus, Phœnicem appellent. Ac
Aristoteles quidem Stagirites fuit, Sinopen-
sis verò Diogenes, Alcmã Pyrinthi filius Cro
toniates, primúsque hic fertur de natura re-
rum scripsisse. Fuit Empedocles, Agrigenti-
nus, Acragas verò, ciuitas est Siciliæ. Si ergo
extra fines Græciæ natos fuisse hos Philoso-
phos enutritósque, nihilóque secius linguam
Græcanicam coluisse, primum quidem apud
alias quoque gentes ac nationes fuisse viros sa
pientes dicetis, nam & Thracem Zamolxin, &
Anacharsin Scytham sapientiæ causa demira-
mini, magnaque apud vos gloria sunt Brach-
manes: qui tamen Indici sunt, non Græci.
Tum verò & alijs quoque argumentis osten-
ditur, grauiter vos errare, qui veritati præ-
ferendum existimetis compositæ orationis
ornatum. Socratem siquidem Sophronisci
filium, ipsi affirmatis multo optimũ Græco-
rum Philosophorũ fuisse. Verũ hic marmo-
rario patre est genitus, ac plurimum sanè tem
poris, eam quã pater, artem exercuit, huiusq;
rei tum alij permulti sunt testes, tum & ipse
Porphyrius, qui in tertio libro Philosophicæ
historię ita scriptum reliquit, λέγομεν δὲ καὶ περὶ Σωκράτους, etc. hoc est, Dicamus de Socrate que
& alijs scriptoribus digna memoratu visa
sunt, nonnihil expensuri quæ in eius lau-
dem ac vituperationem, multis varijsque mo-
dis à viris eloquentibus referuntur. Illud au-
tem indiscussum relicturi, vtrum is videli-
cet, vnà cum patre, marmorariam exercuerit,
an sine Socrate filio, solus pater. Neque enim
si per exiguum modo tempus, operis aliquid
effecisset, hoc sibi ad sapientiam consequen-

dam impedimento fuisset. Quòd si sculptor etiam fuisset, multo magis hinc quoque impedimẽti nihil habuisset, honesta enim hæc ars, non probrosa censetur. Quæ verò apud Porphyrium insequũtur, sunt eiusdem ferme sententiæ, adducit enim qui dicant Socratem marmorariæ operã impendisse. At dicent fortasse aliqui. Socratem primos quidem ætatis suę annos cędẽdis lapidibus impendisse, postea verò Poetarum ac Oratorum peramantem effectum totum se literarum studijs tradidisse. Hoc autem verè nequaquam dicitur, longe aliter siquidem narrat ipse Porphyrius, ait enim fuisse Socratem ingenio nequaquã hebeti nec inepto, sed egregia quadam indole preditum, ineruditum tamen hominem planeq; indoctũ fuisse, nihil enim ferme sciuisse literarum, risumq; excitare solitum: sicubi eum vel scribere vel legere oporteret, puerorum more balbutientem hæsitantemque. Plato etiam sic in apologia Socratem inducit de se loquentem: νὴ Δία ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, etc. hoc est, Iouem testor viri Athenienses, minimè vos hodie audituros, comptos verbis nominibusque sermones, quales sunt horum ciuium, sed audituros, quæ sic temerè effundantur, quibuscunque de medio sumptis verbis. Pauloq; mox idem Socrates hæc ita adiunxit: Ὃ δὴ καὶ ὑμῶν πάντων νῦν δέομαι, etc. hoc est. Nunc itaque vos maxime oratos velim viri Athenienses, nec iniustis precibus quantum equidem sentio, vt eloquutionis nostræ ratione posthabita (fortasse enim insulsam, fortasse verò & bonam esse illam continget) in id duntaxat animum intendatis, si videlicet iusta sint ea quæ dico. Hic itaque homo tam indocto ineruditoq; sermone, non modo supra alios Philosophos, sed vel supra ipsum Platonem qui compositæ orationis ornatu, Græcos omnes facilè superauit, honore dignissimus habebatur. Quod ne ipse quidem Aristonis filius negaturus est Plato. Qua enim fronte negare hoc ausit, qui quoscunque sermones pareret, vni semper Socrati referebat acceptos, crediq́ue ab omnibus passim studebat, non aliunde illos quàm à mente Socratis prodijsse? Vt autẽ sciatis quod Plato ipse, qui omneis homines, nec solum cæteros Græcos, sed ipsos quoque Athenienses, facundia verborumque ornatu facile obruit, non comptæ quidem orationi, sed harmoniæ sententiarum censet adhiberi animum oportere, audite, quæso, suo in Politico manifestè sic admonentem: κἂν μὲν ὀλιγαρχικὸς ᾖς μὴ ἀποδείξῃς, hoc est, Si caueris studiosus esse verborum, tua subinde in senectute, locupletior prudentiæ apparebis. Audite rursus, & quæ in quinto Reipublicæ libro item scripta reliquerit. Sic enim inquit, τούτους δὴ ἅπαντας καὶ τοὺς ἄλλους, etc. hoc est, Hosne igitur omnes qui eiusmodi quædam didicerunt, articulasq; eas perceperunt, in Philosophorum numerum reponemus? Minimè inquam, sed Philosophastros potius appellabimus. Tum inquit ille, quos ais esse veros philosophos? Eos, inquam ego, qui dispiciendæ veritatis studio teneantur. Neque enim in Geometriæ quæstionibus, neque in argumentosa Philosophia, neque in cõiecturali Musica, neque in Astronomia, quæ Physicis rationibus fluxisque ac verisimilibus clauditur, sed in ipsius boni veriq́ue scientia Philosophus versari habet. Audistisne igitur viri Græci maximum Philosophorum, Musicæ conscios ac Geometriæ, cæterarumque huiusmodi facultatum, appellantem Philosophastros, at eos qui tradendæ veritatis sunt professores, Philosophos nuncupantem? Quin & in tertio Legum libro, idem sic inquit: πάντα μὲν τοίνυν ἔτω κείσθω δεδογμένον, etc. hoc est: Itaque semel hoc ita sanctum constitutumque habeatur, vt nulli scilicet magistratus, ijs ciuibus deferantur qui hæc ignorent, sed veluti rerum omnium inscij, probris & ignominijs incessantur, tametsi ratiocinando sint acres, in omnibusque ijs elaborarint quę censentur elegantia & arguta, quæq́ue ad augendos animos minime facta. Sapientes verò appellẽtur ij ciues, qui longe alter quàm quos modo attuli, sese habent, quanquã quod dici solet, nec scribere quicquã possint nec intelligere, his inquam, magistratus & imperia, vt viris prudentibus, deferantur. Qui potuit igitur quisquam verius planiusque refellere inscitiam illam, falsamque opinionem quæ nunc omnia occupauit, quàm ille nunc fecerit qui summus Philosophorum censetur? Neque enim sapientiam literaria disciplina, sed veritatis cognitione metitur, eosque homines qui veritati studeant, tametsi ne prima quidem elementa cognoscant, sapientes appellat. Eos autem qui vel omnes adierint disciplinas, modo sint veritatis iustitiaq́ue ignari, summouet longius ac repellit, neque ijs vllos magstratus deferendos putat. In ipso etiam Theæteto, altiloquos nugatores his ferme verbis accusat: ὥσπερ δὴ καὶ Θαλῆν ὦ Θεόδωρε, etc. id est: Quẽadmodum & Thaleten ò Theodore, dum erecto vultu stellarum cursus obseruaret, in puteum fœde collapsum, perarguta elegansque Tressa fertur ancilla dicterijs asperfisse, quòd videlicet ea nosse quæ in cœlo fierent affectaret, qui ne prospicere quidem potuisset quæ ad pedes sibi posita versarentur. Iterumq; alibi in eodem dialogo ita inquit: ἄγροικον δὲ καὶ ἀπαίδευτον τοῦτο ἀχολίας, etc. id est: Talẽ vero hominem indoctum ineruditumque præ occupatione suarum rerum fieri necesse est, non minus atq; ipsos videamus esse pastores, quasi montanum stabulũ incolat pariete circunseptum. Cùm vero audiat dena millia iugerum, vel si quid etiam amplius dici possit, quempiam possidere, quantumuis admirabilem rerum copiã ille possideat, omnia tamen vt exigua & pusilla sibi audire videbitur, qui consuerit vniuersum terræ ambitum contueri. Superioribus autẽ hæc quoque sic addidit: ἡ μὲν γὰρ τούτου γνώσις, καὶ ἀρετὴ ἀληθινή, ἡ δὲ ἄγνοια, καὶ κακία ὀνέργης, etc. hoc est: Huius quidem rei cognitio, verissima virtus est, ignoratio autem atque inscitia, vitium est efficacissimum, & aliæ quidem facultates quæ videntur sapiẽtiæ locum sibi vendicare, cùm versantur publicis in rebus potestatibusque gerendis, onerosæ grauesque fiunt, cùm vero cæteris in artibus, viles ac sordidæ. Hoc igitur pacto exactissime norunt, qui apud vos omnem eloquentię studiorumque rationem perdocti sunt, quanto verbis ac nominibus pluris facienda sit veritas, vtq; nullum ea detrimentum accipiat, ab ornatę orationis inscitia. Quid ita ergo amici homines, Apostolicæ quidem doctrinæ sententias discere aspernamini, solam verò in ipsis dicendi barbariem accusatis, cùm vestri vobis philosophi testes sint, Græcos quidem ab ipsa veritate procul errasse, potiusq; hanc à Barbaris inuẽtoribus prodijsse? Ille siquidem Porphyrius, qui contra nos acerrimũ ex animo bellũ suscepit, vbi agit de electorum hominum Philosophia, sic fermè inquit: χαλκόδετον γὰρ πρὸς θεῶν ὁδός, &c. hoc est, via quę ad deos perducit, ære munita est, arduaque eadem & asperrima. Cuius quidem calles quàm plurimos Barbari inuenerunt, at verò Græci, ab ea longius aberrarunt. Qui vero eam tenebant, eandẽ corruperunt demolitiq; sunt. Eius porrò inuentores fuisse Deus testatur Aegyptios, Phœnicas, Chaldæos, Lydios, ac Hæbręos. Quod si homo nobis quàm maximè infensus, Græcos suos accusat, vt errori fœdissime seruientes, Hebręis autem, Phœnicibus, Aegyptijs & Chaldæis veritatem ascribit, testaturq; hoc ipsum responso Apollinis confirmari, quid ita Græci homines vestro non auscultatis Philosopho, neque admittitis oraculum Delphici Tripodis? Cur nec Hebraicis prophetis, nec Apostolis aures inclinatis? hi sunt enim, quos Apollo Pythius inuentores veritatis appellat. Quod si & illis Aegyptios, Phœnicas, Chaldeosq; adiunxit, scire vos velim Phœnicas proximos Hebræis atque conterminos, si quid veritatis didicerunt, ab Hebręis pręceptoribus didicisse. Ipsi quoq; Aegyptij, vberrimos fructus ex Hebręorum consuetudine perceperunt, diutissime enim Hebræi homines in Aegypto versati sunt. Quin & ipsi Chaldęi, magnum sibi commodum ab eisdẽ sumpserunt. Hebræos enim Chaldęi reges in Babyloniam captiuos duxerunt, tum ex ijs miraculis quæ apud eos in camino ignis ardentis, quæq́ue in leonum cauea facta sunt, dignos existimarunt quos sibi magistros perdiscendæ veritatis ascisceret. Cyrus quoque Cambysæ filius, cùm Daniele familiariter vteretur, ab eodem mysteria Theologiæ perdoctus est. Idemq; cùm Lydos bello euersos in deditionem accepisset, subditis procul dubio tradidit, quæ ipse prius à Daniele perceperat. Quòd itaq; veritatem Pythius Apollo Hebræis inuentoribus tribuit, quodque Porphyrius eius oraculi mẽtionem facit, satis hęc opinor, ostendunt vera esse quę superius modo attuli. Quod vero idem Porphyrius Græcos Philosophos ingentis cuiusdam dementiæ accuset, ipsi nunc quæso percipite. Quo enim loco ad Boethum de anima scribit, præter complura alia, et hæc inquit: τίς γὰρ λόγος περὶ εὐφιλοσοφίας, οὐκ ἀμφισβητούμενος, hoc est: Etenim quis eorum qui in Philosophia versantur, non ambiguus ac non disceptabilis sermo est? Idem quoque Porphyrius, hæc ad Anebonem Aegyptium scribit: ἀρξομαι δὲ τῶν πρὸς σὲ φιλίας ἀπὸ θεῶν τῶν δαιμόνων ἀγαθῶν τῶν τε, etc. hoc est: Auspicabor autem meam erga te amicitiam ab ipsis dijs, bonisque dæmonibus, & ab ijs philosophicis rebus quæ sunt dijs dæmonibusque cognatæ. Quibus sane de rebus, quã plurima dicta sunt & à Græcis Philosophis. Sed enim ex cõiectura potius dicta sunt, quæq; haberent fidei solius principia. Rursumq; paulo mox idẽ Porphyrius: πρὸς μὲν γὰρ ἡμῶν λογομαχία τις ἐστί, &c. hoc est: Apud nos quidẽ magna quædam verborum est disceptatio, vtpote qui in boni coniecturã ex humanis rationibus ducamur. Quibus vero machinis quod melius est assequamur, semper nobis indagandum dimittitur. Cùm itaq; sint Græcorum philosophorum dogmata semper dubitabilia, semper inuestiganda (sunt enim humanæ rationis inuenta) cumque apud eos multa semper cõtentio, magnaq; & implacabilis sit pugna verborum, alijs vero externisq; hominibus Porphyrius tribuat, Dei consuetudinẽ & colloquia, quid ita vos, quæso, ab humanis quidẽ sermonibus dubijsq; pendetis, hominũ verò qui Deo sunt amicissimi doctrinam respuitis? Nam si quidem eos vt Barbaros non admittitis, ea facitis quę vobis sunt pugnantia & contraria. Pythagoræ siquidem creditis, homini quibusdam Tyrrheno, alijs autẽ Tyrio, nec minus & * Stagirita præceptore vtimini, * Sinopensem præterea demirãtes, cæterosq; nonnullos qui nequaquam in terra Græcia, sed Barbaris in ciuitatibus nati sunt. Atqui nos dudum vobis ostendimus, & Solonẽ Atheniensem, & ipsum quoque Platonẽ quàm plurima de Barbaris hominibus accepisse. Nunc vero etiã audiamus, quibus verbis Aegyptius sacerdos Solonem compellet. Sunt aũt verba hæc apud Platonem in Timæo sic scripta: ὦ Σόλων Σόλων, Ἕλληνες ὑμεῖς, ἀεὶ παῖδες ἐστε, etc. hoc est: O Solon Solon, vos quidem Græci, pueri semper estis, senex autem Græcorum nemo, nulla est enim apud vos disciplina, quæ senio incanuerit. Quod si disciplinæ quidem Græcorũ nouæ recentioresq; sunt, vetustissimæ autem ac antiquissimę sunt Hebręorũ patrum, habentque veritatem longinquitate temporis florescentem, dignę sunt hæ procul dubio, quę potius cooptentur, quæq; dubijs ac recentibus, imo autẽ & falsis & artificio non satis ad persuadendũ confictis Græcanicis præferantur. Ac ne ipsa quidem linguæ ineptia, quam in nostris præceptoribus detestamini, satis apud vos habere virium debet, cur nostratia tantopere contemnatis, cùm & summum Philosophorũ Socratẽ ostenderimus fuisse illius Græcæ facundiæ atque eruditionis prorsus expertem, ipsumque adeo Platonem omni & scientiæ & compositæ orationi veritatẽ præferre.

* Aristotele.
* Diogenem.

Quòd si fortè nostrum illum credulitatis ac fidei titulum accusatis(audio enim vos hoc identidẽ vsurpare, quod videlicet nostris sententijs tradendis nullam quidem prætendamus demonstrationem, solam verò fidem ac credulitatem insinuare illis conemur,quos diuinis rebus imbuendos suscipimus) hoc sane ipsum est quod impudentẽ contra nos iniquitatem vestrã calumniamque coarguat. Nos enim verissimis rebus sermones nostros, tanquam testibus certissimis,comprobamus.Vos autem rursus,hic quoque vestris,quod dici solet, iaculis ac sagittis vosmetipsos confoditis. Nam &celebratissimus ille Pythagoras,filius quidem Mnesarchi, Pherecydæ autem discipulus, ille inquam Pythagoras, qui Italicæ sectæ dux fuit, legem hãc discipulis suis sanxit, vt perpetuum quinquennium conticerent,solumq; audiendo præceptori aures accommodarent, ita vt quæ dicerentur sine vlla prorsus disceptatione ac reclamatione admitterent, credentes ingenue se rem habere vt dici audirent,nec pręterea quicquã soliciti quęrerent, ceu in alterutram partem dubij traherentur. Ex quo factũ est, vt qui semel eius disciplinæ se addixissent, si forte rerum quas dicerent, demõstrationem poscerentur, αὐτὸς ἔφα, hoc est,ipse inquit,respondere soliti fuerint, omni demonstratione validiorem esse censentes Pythagoricam vocem, idque ipsum alijs etiam persuadere conantes. Quod si satis esse illi opinabantur ad faciendam fidem, tum qui dicebant, tum & qui audiebant, quod ea videlicet essent Pythagorę dogmata & instituta, quis erit adeò stolidus, imò dicam verius sic attonitus,vt dubitet Deo docente, nec fidem dictis habeat, neque illi tantum reuerentiæ tribuat,quantum Pythagoræ tribuebant qui eius disciplinæ sese addixerant? Quonam autem pacto amici homines, non miserum ac scelestum sit, hortari quidẽ Platonem vt Poetis sine vlla disceptatione fides habeatur, vos autem nobis infestos esse,propterea quod docenti Deo credere homines adhortemur? An non enim quæ nunc afferam Platonis sunt verba? ὡδὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμόνων εἰπεῖν, καὶ γνῶναι τὴν γένεσιν, μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς etc. hoc est, De alijs vero dæmonibus loqui, aut illorum nosse generationem, maioris est opis quàm nostræ.Cæterum hisce de rebus, ijs credendum est qui nos tempore præcesserunt,vt ipsimet testantur à dijs oriundi, maiorumque suorum haudquaquam ignari. Fieri ergo nequit,vt deorum filijs nõ credamus, quãquam nec signis vtãtur, nec vllis necessarijs demonstrationibus. Credendum itaque est illis, velut lege addicti simus ea credere,quæ ipsi tanquam sibi propria & domestica, se nuntiare testantur. Hæc de Poetis à Platone in Timæo dicuntur. Idem vero etiam præcepit, vt Homero, vtque Hesiodo, alijsq; Poetis quanquã fabulatoribus, crederetur. Neque veritus est asserere, poetis credendum esse, quanquã nec signis, nec demonstrationibus vllis vtantur, cùm tamen idem damnet ac persequatur,quę à poetis dicũtur,vt plane à nobis alio demonstrabitur loco.Quòd si nugacibus poetis,plenasque obscœnitatũ fabulas effingentibus,iubet Plato haberi fidem, nullamq; ab eis exigi probationem,multo sanctius est ac iustius,diuinis Apostolis ac Prophetis credere, qui nihil turpe, nihil fabulosum, nihil incredibile afferũt, sed quæ sunt Deo conuenientia, quæ sanctissima,quę salutaria,nobis tradunt. Cæterum eos quoq; qui Philosophorum sectantur opiniones, fide vsos duce,alios aliorũ sententijs adhæsisse, facile is cognoscet,qui dogmatũ differẽtias diligenter inquiret. Alij siquidem immortalem animã esse dixerunt,alij vero mortalem, alij mixtũ nescio quid illã finierunt,asserentes parte quidẽ altera mortalẽ esse animã,parte vero altera immortalem.Illa etiã quę oculis contuemur, alij dixerunt esse *ingenita,alij subdiderũt generationis principio, alijq; horum dixerunt ea è terra, alij ex materia,alij ex atomis confecta esse. Orbẽ deniq; vniuersum,alij prędितũ anima faciunt,inanimatum alij. Qui omnes, tametsi contraria sibi ac dissidentia planè dixerint, tamen inuenerunt qui fidem suis dictis sententijsq; haberent. Neque verò se alij alijs credẽdis summisissent, nisi eis interna quædam fides persuasisset,quæ dicerentur,accipere. Idcirco & Platonicus ille Socrates in Gorgia,multa iam eloquutus de ijs qui apud inferos puniuntur, itemq; de ijs quorum pietas notissima haberetur, ita postremo inquit: ταῦτα ἔστιν ὦ καλλίκλεις, ἅπερ ἐγὼ ἀκηκοὼς πιστεύω ἀληθῆ εἶναι. hoc est: Hæc sunt illa Callicles, quę mihi auditu solo accepta,credo equidem esse verissima.Atqui nec manifesta sibi hæc erant,neque vnquam illa cõspexerat, sed potius quã plurimos hominum ea latebant,atq; à paucissimis admodum affirmabantur, & tamen ait Socrates se credere, vera hæc esse, neque fidei suæ probationem vel ipse attulit, vel ab eo quisquam poposcit. In primo etiam legum libro fidem Plato sic confirmauit, inquit enim: ὑμῖν τὰ μὲν καὶ μετρίως κατεσκευάσται τὰ τῶν νόμων, etc.hoc est: Vobis quidẽ, tametsi quæ ad leges pertinent, satis confecta iam sint,hæc tamen vna legum optima lex instituatur, vt nulli qui paulò sit iunior, quærere liceat, quæ in legibus à me scriptis vel bene vel perperam sese habeant, sed vna voce, vnoque,quod dicitur, ore omnes bene se habere omnia fateantur. Plato igitur ne de suis quidẽ legibus cuiquam permittit sibi negotium insumere, sed ingenua fide accipi iubet quęcunq; sanctiones ferantur,neq; curiosius eas perpendi, siue bene habeant,siue perperã. Nec minus & Theognis poeta Siculus, hominem qui fidei sit alumnus,suæ laudis præconio sic commendat: Πιστὸς ἀνὴρ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου ἀνταρύσασθαι Ἄξιος, εἰ χαλεπῆ κύρνε διχοστασίῃ, hoc est. Cyrne,fidelis homo,argento & pretiosior auro est,Dissidio quotiens * cernitur ambiguo. Quod si Theognis eum qui seditioso tempore fidus sit,auro & argento pluris esse ostẽdit, quanti eum quis esse censebit, qui se diuinis creden-

* ἀγένητα.

* Id est,decernitur & prægnatur.

credendis rebus sine ambiguitate substernat? Verũ enim vero cunctis qui æque ac vos, nobis aduersantur,illud,puto, dici maxime conuenit, quod Heracletus olim dixit Ephesius: ἀσύνετοι ἀκούσαντες, κωφοῖς ἐοίκασι. φάτις αὐτοῖσι μαρτυρεῖ, παρεόντας ἀπεῖναι. hoc est: Cùm stulti quid audiunt surdis videntur esse persimiles,celebre dictum vel tunc abesse eos testatur,cũ prope adsunt.Consonus aũt Ephesio est Agrigentinus Empedocles.sic enim inquit: Ἀλλὰ κακοῖς μὴ κάρτα, etc. ὧδε γὰρ, etc. hoc est:In fidos vitare malos,nec credere quicquã,Certa iubent nostræ cunctis oracula musæ.Inter malos itaq; homines reponendos esse infideles, Agrigentinus censet, ijdem vero sunt imprudentes, surdisq; persimiles, Heracleti sententia.Sed & Parmenides Eleates,qui socius fuit Xenophanis Colophonij, rebus ijs quæ intellectu solo percipiuntur, fide occursandũ nobis hortatur,inquit enim: Λεῦσε δ' ὅμως ἀπεόντα, νόῳ παρέοντα βεβαίως, hoc est: Nam quæ aberant,animo tanquã pręsentia,vidit. Nempe quia nobis ad ea quæ capiũtur intellectu,sola mente licet appropinquare.Neq; sine ipsa fide,potest intellectus ea videre quæ intelligenda sunt.Hoc & Solon ipse ita subinnuit:Γνωμοσύνης δ' ἀφανὲς, etc. hoc est:Difficile est animo abstrusum cognoscere mẽtis Consiliũ,fines quod solũ,tẽdit in omnes.Quod si cogitatu id est difficile,fit continuo vt idẽ eloqui nullo modo possimus.Nec minus & Empedocles ita inquit de ijs quæ videri oculis nequeunt:Οὐκ ἔστιν πελάσαι θ' etc. hoc est: Nãneq; ad hoc oculi valeãt accedere nostri, Non illud prensare manus, certissima nobis, Quæ via res omnes animi ad penetralia mittit. Ille etiã Antisthenes, qui auditor quidẽ Socratis, Cynicæ vero sectæ dux fuit, ita de vniuersorũ Deo manifeste testatur: Ab imagine & simulachro nõ cognoscitur,oculis nõ videtur, nulli est denique rei persimilis, eoq; fit, vt ex effigie nemo eũ possit cognoscere. Sola itaq; fide niti eũ oportet,qui velit intueri,quę intellectu percipiũtur,homini enim rebus non est inuenire conueniẽs simulachrũ. Athenienses quoq; Xenophon,ille inquã Socraticus,Grylli filius,consona rebus hisce perscripsit, quo videlicet loco sic ait: ὁ γοῦν πάντα σθῶρηξ ἀτρεμίζων, etc. hoc est:Qui ergo cuncta concussat, ipse intrepidus, inconcussus, magnus nimirum potensque esse cognoscitur, quali autem sit facie, ignoratur. Fide igitur opus est ijs, qui occultum nosse desiderant. Audire verò est et Bacchysiden in Pæanibus hæc dicentem: οὐ δὴ ῥᾴδιον ἀῤῥήτων ἐπέων πύλας ἰδεῖν, hoc est: Haud enim facile, occultorum verborum portas est inuenire. Opus itaque nobis est oculis intellectus ad ea cognoscenda, quæ vim habent vt intellectu percipiantur. Sicut enim oculis corporeis indigemus ad ea conspicienda quę cerni possunt,ita indigemus & fide ad rerum diuinarũ aspectum.Nam quod est oculus ipso in corpore, hoc est fides in discursu animi & ratione. Aut potius, sicut luce oculus indiget perquã sibi visibilia ostendantur, pari modo & intellectus indiget fide quæ diuina sibi ostendat, quæq; stabilem de ijs rebus conceptum perpetuumq; conseruet. Audite verò & quo pacto Plato eos accuset,qui nolunt animo contẽplari quæ sunt intellectu solo perceptibilia. Inquit enim: ἄθρει περισκοπῶν μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούσῃ, etc. hoc est: Vide circunspiciens, ne quis haud initiatus homo hæc audiat. Cuiusmodi sunt, quicunq; nihil aliud esse vsquã opinantur, q̃ quod ipsi queant tenaciter manibus apprehendere, actiones vero, ipsasq; generationes, ac demũ quicquid videri non potest, tanquã in partem substantiæ non admittunt. Huius aũt collegij societatisque homines,& vos merito appellarim.Ne tamen,quęso, iniquo animo ferte, quod vos ita coarguam.Solis enim visibilibus toto pectore contabescitis, manuque confecta simulachra venerantes, doctrinã quæ de inuisibili traditur,nõ admittitis, fortasse autẽ cuiusmodi vos estis hominibus,Epicharmus ille comicus iambicũ illud coaptauit: φύσις ἀνθρώπων ἀσκοὶ πεφυσημένοι, hoc est: Homines vẽtosis vtribus perquam similes. Est autẽ prudentium virorum, ne rebus primo semel acceptis seruiliter inhęrescant, néue patrijs moribus illigẽtur, sed vt ipsam veritatem perquirant, optimamq; frugem sibi vndecunque concilient. At non quęso, talia Critoni Socrates dictitabat? ὡς ἐγὼ οὐ μόνον νῦν, etc. hoc est: Ego aũt non modo nũc, sed semper talis esse percupio, qui nulli quidẽ meorum magis parendum esse quã rationi existimem, quæ consultanti mihi optima videatur.Quibus sanè verbis ostendit se rationis ope,veritatis inueniendæ percupidum, neq; se in eam legem iuratum esse, vt præsumptis rebus seruiret. Idem etiam Socrates, ita Alcibiaden ad discendum hortatur,vt prius ab illius animo scientiæ opinionem summoueat. Ante omnia enim, ostendit Alcibiaden nihil scire. Tum eo sic respondente: ἀλλ' οὐκ ἂν δυρεῖν μέγα: hoc est: At non inuenisse quicquam mepuras? Regessit Socrates: Ὦ μακάριε, εἰ λητίσεσας. hoc est: Et valde quidẽ, modo quæsisses. Rursusq; cùm diceret Alcibiades: εἶτα, λητᾶσαί με οὐκ ἂν οἴει; hoc est: Quid? an nõ quęsisse me putas? Suscipiens inquit Socrates: ἔγωγε, εἰ οἰηθείης μὴ εἰδέναι. hoc est: Puto equidem, si existimaueris te nihil scire. Principium itaque est scientiæ, cùm nescire te scias. Præterea vero & malas disciplinas anima exturbare oportet, ac tunc denique sacras diuinasq; inserere. Quod faciendum esse, his verbis Plato nos docet: ὁ καθαρῶ γὰρ καθαρὸ, etc. hoc est: Nefas ab eo purum contrectari,qui purus ipse non sit. Idẽ etiam canit Orpheus: φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐστὶ, &c. hoc est: Iis fabor quos sancta decent, procul este prophani. Euripedes quoq; cõsona sic testatur,inquit enim: ἀῤῥήτα βακχευτοῖσιν εἰδέναι βροτῶν, hoc est: Arcana Bacchico furore acti sciant. Quis enim velit hominibus qui initiati non sint, diuinas institutiones afferre?

Quis vero etiam rite initietur, nisi qui fideli animo apud se ea conseruet, quæ à præceptoribus dogmata allata sint? Quo autem pacto fidem habeat nouis ac recentibus rebus, qui prius ex animo non depulerit quæ male prius insita sibi fuerant? Vera igitur ea sententia esse deprehenditur, quæ est apud Euripedem in Phœnissis: ὁ δ' ἄδικος λόγος, νοσῶν οὐ εὐτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν, hoc est, Aegrota ratio, pharmacis eget sanis. Idem quoque * Tragœdus asserit, deũ illis suppetias ferre qui curari desiderent. inquit enim: τῷ δ' αὖ πονοῦντι θεὸς συλλαμβάνει. hoc est: Deus laboranti manum facile porgit. Magnum itaque operæ pretium est in fide. Vt enim inquit Pythagoricus Epicharmus: νοῦς ὁρᾶ, καὶ νοῦς ἀκούει, τὰ δ' ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά. hoc est: Mens videt atque audit, sunt cætera surdaq́e cęcaq́ue. Ipse etiam Heracletus nos adhortatur vt ad fidei hospitiũ diuertamus, inquit enim: μὴ ἐλπίζητε τὰ ἀνέλπιστον, etc. hoc est: Ni speretis quod sperare non est, nequaquam inuenietis quod inscrutabile, dubium, inaccessumq́; est. Et sanè qui aurum rimãtur, altis apertionibus terram effodiunt, parumq́; persæpe auri inueniunt. Quòd si propter pauca ramẽta auri quàm maximum ij laborem discrimenq́ue subeunt, quis erit adeò diuinis reb. infensus, qui malit otiosus cessare, quàm doctrinam Dei percipere, quæ immensam quandam vtilitatem lucrumq́ue adducit? Nemo itaque vestrum amici homines, fidem accuset. Quando & Aristoteles fidem esse ait scientiæ iudicatorium, & Epicurus præsumptionem rationis ac discursus eam appellat, inquit enim præsumptionem, accepta cognitione euadere in ipsam rerum apprehensionem. Cęterum prout ipsi definimus, fides est voluntaria quędã animi compositio & conuentio, vel latẽtis ac remotæ rei visio quædam & contemplatio, vel circa id quod vere est animi adhæsio & constantia, rerumq́ue inuisibilium apprehensio quædam naturę compar & cõgruens. Aut ita: Fides est, insita credentium animis citra ambiguitatem aliquam, dispositio. Indiget autẽ fides cognitione, sicut & cognitio fide indiget. Neque enim esse potest fides sine cognitione, neque cognitio sine fide, sed hanc tamen seriem inter se habent, vt cognitionem fides præcedat, subsequatur aũt fidem cognitio, hãc verò subeat appetitus, ac postremo appetitum rei functio & actio subsequatur. Par est enim, vt prius credat qui velit addiscere, partaq́ue cognitione, appetitu eum aliquo commoueri, motum denique ac impulsum, aggredi aliquid ac peragere. Nunquam enim prima elementa perdiscet, qui literatori fidẽ non habeat, ita esse primam, ita secundam literam appellandam, pariq́ue ratione de cæteris intelligendum. Nam si fortè is * intercedat, negetq́ue primam literam dici alpha oportere, alio autẽ quodam nomine vocandam esse, nunquam profecto bene perdiscet quod in re est, sed errabundus circumagetur, falsumq́ue pro vero sibi assumet. At si præceptori fidem habeat, eiusq́ue legibus obsequendo, quæ sunt discenda percipiat, ipsam illico fidem cognitio & scientia subsequetur. Ita & Geometræ fides habenda est, dicenti punctum esse cuius pars vlla non sit, dariq́ue etiam longitudinem quæ omni careat latitudine, hoc autem nullus vnquã sermone aliquo demonstrabit sic esse. Nam si latitudine priuaueris longitudinem, vtique cum latitudine, simul tolletur ex oculis longitudo, sed tamen ita iubet intelligi Geometra, cui perquam facile credit fidemq́; habet, qui lineares illas figuras auet perdiscere. Ita & astronomis credunt qui ad eorum scholas accedunt, cùm videlicet vel astrorum numerum colligunt, vel intercapedines metiuntur quibus à se inuicem distant, quotq́ue insuper stadiorum millia, cœlum quod oculis intuemur à terra subductũ sit. Cumq́; in ea tradenda dimensione, magna sit inter Astronomos differẽtia, alij siquidẽ quadringenties septuagies dena stadiorum millia interesse aiunt, alij pauciora, nonnulli vero etiã multo plura, suis tamen discipuli præceptoribus se accommodant, creduntq́ue ita rem esse sicut ab illis dici audierunt. De ipso etiam sole magna rursus inter illos est disceptatio. Anaximander enim atque Anaximenes, vicies septies maiorem quàm terra sit, esse illum affirmat. Anaxagoras autem, Peloponneso maiorem. At Heracletus Ephesius, * pedali magnitudine protensum affirmat. Quis igitur satis proq́ue dignitate dissidium hoc irrideat? Neque enim est inter eos de parua quadã dimensione dissensio, sed de immensa potius quasiq́; infinita, quantumq́ue vix vllus oratione possit exprimere. Quis enim terrã omnem metiendo comprehendat? Tum septies ac vicies repetita terræ mensura, rationem subducat, eamq́ue conferat ad humani pedis mensuram? Et tamẽ sunt qui alijs, quiq́; alijs Philosophis magis adhæreant, atque ex fide quã habent alij quidem hęc, alij vero illa affirment. Quid itaque illorum fidem quanquã longissime ab ratione errantem, laudando extollitis, solam vero nostram accusatis, eiusmodi quidem fabularum expertem, quæ vero diuina sunt, soloq́; intellectu percipi possunt, intellectu percipiẽtem? Ad hęc aũt quę superius dicta sunt, illud quoque animo reputemus, omnes videlicet homines qui artem quampiã perdiscere cupiant, ad eos se conferre, qui docendi facultatem habent, easq́ue colere disciplinas quæ sibi à præceptoribus illis tradũtur. Nam sutor quidem discipulo suo ostendit quonã pacto culter habendus sit, coriumq́ue incidendum, tum & suere illum docet, ligneoq́ue pedi calceos accommodare. Is autem credit faciendum esse, quod sibi traditur, nec docenti quicquã repugnat. Atque horũ quidem alter habet scientiam eorum quę ibi fiunt, alter verò fidei dun taxat innititur. Ex quo fit, vt exiguo admodum tempore, per fidem, artis illius notitiam assequatur. Ita & nauium faber erudit eum qui discendi desiderio teneatur, quo pacto amussis protendenda sit, quoq́ue ferram

* Tragicus.

* aduersus sit.

* πεδαίου.

ram duci oporteat, nec minus & quomodo ascia & terebra sit vtendũ. Discit autem omnia hæc discipulus, quicquid iubeatur facile exequens, dicta enim magistri leges sibi esse existimat, creditq́; eius ductu ea in arte consummatum sese euasurum. Ita & Medici non solum dant præcepta institutionesq́ue medendi, sed ægrotorum quoque curationem suscipiunt, atque ipsi quidem callent Medicinæ rationem, qui verò ægritudine afflictatur, artem quidem Medicinę non tenet, credit tamen per eam artem sese ęgritudine illa quam patitur, liberandum. Ita & nauim regere soli sciunt, qui nauigandi artem profitentur, at qui tantummodo vehentes sunt, credunt per illorum gubernationem se ad optatos portus facile appulsuros. Fides itaque ò amici homines cunctis hominibus planè conuenit, & qui videlicet artem quampiam perdiscere cupiant, & qui nauigent, & qui agriculturæ inseruiant, Medicisue adhæreant. Earum verò rerum peritia, non est omnium, sed eorũ duntaxat qui illarum artium scientiam teneant. Itaq; si exempli causa, probatum aurum dignoscere à crudo velimus, minime nos quidem id probationi subijcimus, sed explorari ab eo curamus qui sit huiusmodi probationis peritus. Is verò aut indici admotum, aut igni excoctum, vel legitimum esse aurũ vel adulterinum decernit. Ita & cùm pretiosos lapillos emimus, nequaquam nobis in eorum discretione ac delectu credendum putamus, sed ijs potius institoribus, quibus temporis diuturnitas experientiaq́ue huius rei iudicium inuexit. Si quis præterea sericam sibi vestem picturatamq́ue aut intertextam auro comparare insumit, à peritis textoribus æstimari eam iubet. Ille etiam qui scire auet quot pondo censenda sunt vel aurea vasa, vel argentea, vel nomismata quæpiam, pendenda ea libratoribus defert, ab ijsq́ue pondus illorum grauitatemq́ue perdocetur, creditq́ue illorum dictis, nec diffitetur. Haud itaq; cunctis mortalibus docere alios conuenit, sed eis duntaxat, qui & diuturnitate tẽporis & experientia, doctrinam sunt assequuti. At verò ipsa fides, omnium pariter est hominum qui discere quidquam percupiunt. Est itaque fides, ceu primaria quædam basis & crepido scientiæ. Hanc vero & vestri quoque Philosophi esse voluerũt, voluntariam quandam animi summissionem, scientiam verò habitum indeciduum cum ratione. Insulsum est igitur planè facinus nec ferendum, si velis cæterarum quidem cunctarum artium magistris conuenire scientiam, fidemq́ue discentibus, ac in sola rerum diuinarum doctrina factum hoc inuerti commutariq́ue oportere, ita vt hic, fidei scientia præponatur. In ijs enim rebus quæ videri non possunt, fidei oculis maxime indigemus. hinc & Apostolus Paulus, manifeste exclamat. πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον, &c. hoc est. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quod est, & quod ijs qui eum inquirunt, remunerator sit. Idcirco & nos accedentibus ad Christianam religionem, diuinarumq́ue rerum mysteria discere cupientibus, præ cæteris cunctis rebus doctrinam fidei proponimus, tum vero vt imbuti fide initiatiq́ue fuerint, aperimus, quarum rerum signa ænigmataq́ue præcesserint. Eadem vero serie apud vos quoque fieri solet. Altiorem enim sacrorum doctrinam, secretamq́ue mysteriorum rationẽ cuncti nequaquam tenent, sed numerosa populi multitudo videt ea duntaxat, quę pręoculis fiunt. Qui vero sacerdotes vocantur, ceremonias atque orgia ritu legitimo exequuntur. Vnus autem magister sacrorum atq; interpres, rationem tenet rerum omnium quę ibi fiunt ac celebrantur, solisq́; edisserit quos idoneos approbarit. Itaq; Priapum, Veneris & Bacchi filiũ esse sciunt nonnulli ex ijs qui huiusmodi rebus initiati sunt, quare autem filius eorum parentum dicatur, quorsumq́ue pertineat quod exiguæ staturæ iuueni exporrectum illud membrum maximumq́ue apponunt, solus nouit magister obscœnorum mysteriorum, ac si quis est alius qui in flagitiosos illos libros inciderit. Voluptatem enim Venerem, ebrietatem vero Bacchum appellantes, quod ex vtroque perficitur, Priapum esse dixerũt, eo scilicet, quòd voluptas adiuncta ebrietati, obscœnas corporis partes intendat. Hinc & Dionysij Phallum (sic enim virile membrum, ridiculi homines nuncuparunt: Nec minus & Phallagogia vestri vocant, quę Priapo festa cõcelebrant) adorabant quidem permiseri, basiabanturq́ue cuncti qui eiusmodi orgia celebrabant. Neque tamen eorum quæ ibi fierent, rationem vllam tenebant. Solus item is quem vocabant Hierophantem, magistrum videlicet interpretemq́; sacrorum, sciebat quid sibi Osiris vellet, quid Typhon, quidúe Osiridis membra, quæ à Typhone olim cæsa fuerunt lateq́ue dispersa, quid præterea Isis esset solus idẽ cognorat, illa videlicet Osiridis soror, quæ magno studio membra fratris collegit, excitatumq́ue in illius honorem simulachrum, à cunctis passim Aegyptijs adorari præcepit. Hæc autem orgia cùm in Aegypto Odrysius vester Orpheus didicisset, inde ad vos in Greciam transportauit, Dionysiaq́ue festa vobis instituit. Quòd si ne obscœna quidem ista orgia planeq́; abominanda, cunctis erant mortalibus cognita, soli autem ea tenebant qui dicebantur Hierophantæ, manifestaria est dementia, castissimorum diuinorumq́ue mysteriorum sine præuia fide cognitionem scientiamq́; perquirere. An nõ, quæso, ipsi Pindaro Poetæ Lyrico auscultandum putatis, manifeste prohibenti, μὴ πρὸς ἅπαντας ἀναῤῥήξαι ἀρχαῖον λόγον. hoc est, Antiquam rationem cunctis aperire? Hoc & Plato faciendum hortatur. ἐπιλαβοῦ φησὶ μήποτε ὑπέσῃ πιοῦσα, &c. hoc est, Caue enim inquit, ne quando hęc excidant ad homines ineruditos. Nihil enim fermè est, quod maiore cum risu quàm nostra hæc, à multis audiri possint, sicuti & rursus nihil est, quod apud ingeniosos admirabilius

Heb. 11.

hiſce rebus ac diuinius cenſendum ſit, ſæpe autem repetita ſæpiuſque etiam audita, ſemper multoſque per annos ægrè velut aurum, multo ſtudio atque opera expurgantur. Audiſtis verò ſuperius & quæ Orpheus dixerit, Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις, hoc eſt. Dignis ſancta loquar, procul hinc arcete prophanos. Dux itaque veſtra ſit fides, nimirum & ſcientia ſubſequetur. Pure ſiquidem ingenueque credentibus, ille in quem creditur Deus, cognitionem ſcientiamque concedit, fideique adiuncta cognitio perficit ſcientiam veritatis. Quam qui aſſequatur, nimirum feliciſsimus eſt habendus. Hoc et ſuis in legibus Plato oſtendit. τὸν μέλλοντα γὰρ φησὶ μακάριον καὶ εὐδαίμονα ἔσεσθαι, etc. hoc eſt, Oportere cum qui ſit beatus felixque futurus, ab initio ſtatim veritatis eſſe participem, vt quàm plurimum vitæ tempus cum veritatis vſu traducat. Illis enim qui fuerint veritatis participes, quique dignam accepta veritate vitam peregerint, cœlum maxime conuenit angelorumque conuerſatio. Qui autem careat veritate, neque illius quaſi ſacris initiatus ſit, experſque vixerit diuinorum puriſsimorumque myſteriorum, tum & his tantis ac talibus carebit bonis, tum verò & ſupplicijs addicetur æternis. Hoc idem rurſus Plato aſſerit in Phædone. Ait enim hęc illos dixiſſe qui initiorum ritus tradiderunt. ὅτι ὅς ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς Ἅιδου ἀφίκηται. hoc eſt, Quod quicunque ad inferos myſteriorum expers ac minime initiatus deſcenderit, obrutus deſidebit in cœno, at qui purgatus initiatuſque fuerit, cum dijs habitabit, ad illorum ſedes profectus. Credite igitur veſtris ſaltem Philoſophis, ò amici, qui vos præuia quadam traditione diſponunt, atque ad noſtra percipienda erudiunt. videntur enim auibus illis eſſe perſimiles, quas vocales oſcineſque appellant, hæ namque imitantur quidem humanam vocem, dictionum tamen quas proferunt ſenſus ignorant. Pari quoque modo & ij cùm de diuinis rebus diſſererent, ignorabant eorum veritatem quæ loquebantur. Digni ſunt autem, vt mihi quidem videtur, aliqua venia, cùm neque Prophetarum neque Apoſtolorum præuio lumine ducti fuerint, ſed vna tantum natura duce vſi ſint, cuius impreſſa nobis olim diuinitus monumenta, inuectus error impietatis deleuit. Reparauit tamen eorum nonnulla ipſe idem qui ea condiderat ab initio, neque penitus abolita eſſe permiſit, ſuam hominibus prouidentiam per mundi creaturam manifeſte ſignificans. Id vero ipſum & Paulus Apoſtolus oſtendit, cùm apud Lyſtros concionaretur, etenim præter complura alia, et hæc inquit. ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς εἴασε πάντα τὰ ἔθνη, hoc eſt. Qui in prēteritis generationibus permiſit omnes gentes ambulare in vijs ſuis, neque tamen ſine teſtimonio ſeſe ipſum * dimiſit bene faciens. Nam & pluuias vobis de cœlo dedit & tempora fructifera, implēs * nutrimento & lętitia corda veſtra. Nam genus quidem quod originem duxit ex Abraham, tum ex lege diuinitus lata, tum ex prophetiæ gratia fructus maximos cepit. Alias vero gentes ac nationes, per naturæ legem, perque mundanæ creaturæ inſpectionem gubernator Deus ducebat ad pietatem. Ac veluti pluuiam præcipue quidem cultis ſubactiſque agris, vt humano generi conſulat, munificus ac liberalis Deus infundit, ex vbertate autem & copia liberalitatis, ipſas quoque ſolitudines monteſque irrigat, & arata quidem regio mitiores fructus nobiſque congruentes, inarata vero ſylueſtres immitioreſque producit, videmusque perſæpe ſepulchris & parietibus caprificos innaſci, ita & ſcientiæ donum prēcipuè quidem pijs hominibus datum eſt, illis autem qui huius notę non ſunt, datur quidem ſcientia, ſicut pluuia dari ſolet deſertis ac ſylueſtribus locis. Hinc & ſæpenumero quædam producunt, quæ pro eſculentis habenda ſunt, quæque cultorum agrorum fructibus ſunt ſimilia, cùm tamen manifeſtè appareat, ea propheticæ agriculturæ eſſe expertia, aſperitatem enim neſcio quam, atq; amaritiem immixtam habent. Igitur qui iudicio ac diſcernendi facultate prēditi ſunt quæ ſibi vſui fore cognoſcunt inde ſumentes, reliqua miſſa faciunt. Vt qui roſaria demetūt, ſpinas quidem intactas dimittunt, roſarum vero * calyces legunt. Ipſis quoque apibus hanc natura legem inſtituit, vt non ſolum floribus qui ſunt dulces inſidant, ſed qui etiam amarulenti, cùm tamen ſolam dulcedinem hauriant, amaritiem autem auerſentur, ac ex diuerſis qualitatibus, amaris videlicet, acerbis, auſteris, acutiſque, mel quod hominibus dulciſſimum eſt, conficiant. Harum itaq; & nos exempla ſectati, è veſtris illis amarulentis pratis, dulce nobis ac perquam vtile mel componimus. Ac veluti corporum curatores, è venenatis feris atque ſerpentibus, ſalutares medicinas conficiunt, deque ipſis viperis alia quidem reijcientes, alia vero elixantes, multos harum rerum præſidio morbos propellunt, ita & nos veſtrorum Poetarum, Hiſtoricorū, Philoſophorumque monumenta verſantes, alia ex ijs vt noxia & peſtifera declinamus, alia vero ſparſim noſtrę inferentes doctrinæ, auxiliarem vobis ac ſalubrem curationem afferimus. Quosque ipſi aduerſarios nobis eſſe exiſtimatis, eos noſtrārum rationum quàm maximos fautores, fideique doctores eſſe oſtendimus. Sic & diuino freti auxilio, aliam vobis protinus inſtitutionem trademus. Vos autem cùm didiſceritis, quantopere fides neceſſaria ſit, illud, quæſo, Pythagoricum ſilentium, adamate, veſtrasque aures cum attentione verbis noſtris accommodate, fideliter atque ingenue quæ dicantur excipientes, ita enim breui poteritis veritatem perdiſcere.

*Al. reliquit.

*Al. cibo.

*Al. follicuios.

FINIS PRIMI *Sermonis.*

BEATI

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS SERMO SECVNDVS, DE PRINCIPIIS.

LVMEN hoc ſenſibile quod oculis vſurpamus, ſiue id ſuperne ad nos deferatur, ſiue hic in terris humano artificio comparetur, intuentibus planè indicat, quid ſit aurum, quid argentum, quid ęs item, quid ferrum, aliarumque rerum materiam pari modo oſtendit. Quin & colorum figurarumque, nec non plantarum atque animalium differentias idem docet. Sed enim qui ſunt acri oculorum obtutu, ſoli rerum hanc diſcretionem percipiunt, ipſi nanque cæcutientes, nihil prorſus ad ſolis radios aſſequuntur, cùm ne ipſam quidem videant luminis claritatem. His itaque perſimiles eſſe noſcuntur, qui intellectuale veritatis lumen intueri nolentes, amant in tenebris ignorantiæ diuerſari, veluti aues illæ quæ noctu tantummodo volitantes, meritiſsima noctis nomenclatura ſignantur. Noctuæ ſiquidem ac nycticoraces vt inimicam ſibi lucem ſuffugiunt, amant verò tenebras tanquam maxime ſalutares. Atque his quidem nemo ſanæ mentis indignetur atque ſuccenſeat, natura enim ab initio genus hoc vitæ illis addixit. Qui vero vltrò ſeſe ipſos tenebris adiunxerunt, quidnam, quæſo, veniæ conſequantur, præſertim cùm diuinæ lux veritatis, omnem continentem, cunctaſque iam inſulas ſuis radijs late complerit, orbiſque totius fines ac terminos occuparit? Nam qui aute Chriſtum exortum, hoc erroris laqueo tenebantur, aliquam vtcunq; ac mediocrem ſaltem excuſationem afferre poterant, quod videlicet ſol iuſtitiæ nondum ortus fuiſſet, ac propterea quaſi in nocturnis tenebris vitam traducerent, ſoliſque naturæ facibus ducerentur. Cùm vero nunc ſol iuſtitiæ non modo exortus iam ſit, ſed vt poeticè dicam, Μέσον οὐρανὸν ἀμφιβέβηκεν, hoc eſt, Medium conſcenderit axem, Quis iam, quæſo, relictus eſt excuſationi locus, ijs qui meridiano tempore hallucinantur, quique, ne luce iucundiſsima perfruantur, oculos vltro concludunt? Nimirum peſsima opinionis affectio, nebulam propellere ac diſsipare illos non ſinit. Putant enim ſe optime cunctorum mortalium intueri veritatem, propterea quod eloquentium virorum diſciplinis innutriti fuerint. Neque animaduertunt marinis piſcibus, quanquam plurimæ ſalſedini innutritis, tamen ad condituram non minus & ſale adhibito opus eſſe. Neque item illud intelligunt, veritatis cognitionem, ab idoneo linguæ concentu petendam non eſſe. Quid enim Homerica poeſi queat eſſe iucundius? quid inquam eius dulciloquio ſit ſuauius? Et tamen hunc Homerum, ille qui apud vos habetur optimus Philoſophorum (puto autem vos noſſe quem dico) Ariſtonis, videlicet Plato, filius, vnguento prius peruunctum, ſicut hirundines à mulieribus ſolent, procul eiecit ab ea quam ipſe conſtituit ciuitate, omnis licentiæ atque impietatis magiſtrum eſſe teſtatus enim, inquit, Poeta hic blaſphemare adoleſcentes docet, illiſque flagitioſas de immortalibus dijs opiniones inſinuat, teneriſque adhuc animis inſerit perniciosas & corruptiſsimas diſciplinas. Alijs præterea multis in rebus, accuſat eximium Poetarum. Haud itaque omnis qui in dulcieloquio ſit exercitus, idoneus eſt habendus qui veritatem perdoceat. Quòd ſi veſtros nobis philoſophos obiectatis, illud pro comperto ſcitote, hos quoque multis erroribus fuiſſe implicitos. Neque enim omnes eadem militari via inceſſerunt, neque præcedentium maiorum veſtigia conſectati ſunt, ſed tum proprias ſibi quiſque vias fecerunt, tum verò & innumeras excogitarunt. Multifidæ ſunt enim mendacij falſitatiſque ſemitæ. Id quod protinus valde manifeſtum oſtendam. Thales enim antiquiſsimus eorum qui ſeptem ſapientes vocantur arbitratus eſt rerum principium aquam eſſe, Homericam, vt puto, ſequutus ſententiam, quo loco inquit, ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν. hoc eſt, Oceanumque Deum patrem, Tethynque parentem. Anaximander verò, qui Thaleti ſucceſsit, ab infinito res auſpicatur. At huius ſucceſſor Anaximenes, nec minus & Diogenes Apolloniates, concordi ſententia dixerunt, principium eſſe aerem. Hippaſus verò Metapontinus, & Heracletus Epheſius, igni rerum attribuere principium. At Agrigentinus Empedocles, quatuor elementis. Xenophanes autem Colophonius, perpetuum eſſe omne hoc quod videmus, aſſeruit, cuncta verò è terra inquit conſtare. Huius autem ſodalis Parmenides Eleates, eandem fermè ſententiam confirmauit, falſumque eſſe ſenſuum iudicium dixit, negans vtique nos hoc duce veritatem rerum conſequi poſſe. Democritus autem Abderites, infinitum omne aſſeruit & ingenitum. Epicurus Neoclis filius Athenienſis, ex atomis compoſitum omne hoc, inquit, carere tamen initio temporis ac perpetuum eſſe. Quin & Chius Metrodorus, & Zeno Eleates, & Smyrnæus Diogenes, diuerſa rerum principia ſtatuerunt. Ex quo factum eſt, vt Socrates Sophroniſci filius, comicis maledictis eos ſemper inceſſeret, propterea quod peruicaciter con-

contendentes ea se scire ad quæ hominis ingenium peruenire non potest, mutuis inter se dissidijs concertabant, principes se nouorum ac pugnantium dogmatum facientes. Id quod Xenophon, in commentarijs suis testatur. Plato etiam in Phædone ita Socratem loquentem inducit. ἐγὼ γὰρ ὦ Κέβης νέος ὢν, ὑπερφυῶς ἐπεθύμησα ταυτησὶ τῆς σοφίας, ἣν δὴ καλοῦσι περὶ φύσεως ἱστορίαν. hoc est. Ego enim, inquit, ò Cebes, olim iunior, fui sapientiæ huius impendio appetentior, quam de rebus naturæ vocant historiam, egregium enim atque illustre mihi quiddam videbatur, rei cuiusque causam tenere posse, quare videlicet vnumquodque fiat, intereat, atque sit. Tum multa huiusmodi persequutus, hæc addidit: τεκμήριον δὲ σοί ἐρῶ καινόν, etc. hoc est, Signum tibi ego idoneum afferam, ego enim in ijs quæ & meo & aliorum iudicio planè ac manifestè sciebam, ex hac naturæ inspectione, ita cæcus effectus sum, vt & ea mihi exciderint quæ prius scire me opinabar. Rursusque Philosophorum disceptationem Plato idem in Theæteto accusans, hæc ait: ἀλλ' ἄρ τινα ἔρῃ ὥσπερ ἐκ φαρέτρης ῥήματ' ἤδη αἰνιγματῶν ἀναστῶντες τοξεύσει, etc. hoc est: Sed si quid ab eis scisciterе, non secus fatigantur, quàm si è pharetra dictiunculas ænigmatum educant. Quod si & huius dictionis quæras ab eis rationem percipere, alio ferieris verbo noua transmutatione efficto. Nihil denique inde transiges, nihil concludes. Sed neque ipsi inter se quicquam decernunt. Id enim maxime cauebunt, ne quid firmum certumque relinquant. Putant enim quantum equidem sentio, neque in oratione, neque in mente quicquam stabile ac per se constans esse. Hac vna re prorsus ipsi bella inter se gerunt. Pugnantesque totis viribus ac vndecunque, fortasse Theodore illos vidisti, pacem vero agentibus Theodore nunquam interfuisti. Neque enim tibi sunt familiares. Sed hæc, puto, per ocium in gymnasio cum discipulis illis loquuntur quos volunt fieri sui persimiles. Quibus autem discipulis hæc loquantur? Neque enim apud huiusmodi genus hominum, alter alterius est discipulus, sed sponte sua & casu quodam proueniunt, vndecunque contingat, furore afflari. Neque alter alterum scire quicquam existimat. Pauloque mox idem rursus hæc ait. ὀλίγον δ' ἐπελαθόμην ὦ θεόδωρε, etc. hoc est: Penè, inquit, ò Theodore oblitus sum tibi dicere, quod alij contraria his affirmarunt, videlicet immutabile, vniuerso nomen inditum esse, quæcunque Parmenidæ ac Melissi omnibus hisce aduersi contendunt. Idem Plato & in libro cui titulus est Sophistes, hisce fermè verbis qualia superius attuli, eos accusat. Non Apostolus, non Propheta, sed Philosophorum primus, siue Platonem quis eum velit Aristonis filium esse, siue Socratem Sophronisci. Sunt enim Socratis quidem res & sententiæ: Platonis autem scripta & monumenta. vter autem sit ipsorum, ita certe scriptum reliquit. μῦθόν τινα ἕκαστον φαίνεταί μοι διηγεῖσθαι, παισὶν ὡς οἴοιτ' ἂν ἡμῖν, etc. hoc est. Fabulam mihi videtur vnusquisque illorum, nobis tanquam pueri simus, narrare. Nam alter quidem ipsorum, quasi tria nobis facit rerum principia, quorum quædam quodam modo inter se nonnunquam depugnent, interdum vero in amicitiam redeant, quasi nuptias celebrent, filiosque propagent, ac alimenta nepotibus erogent. Alter vero duo principia rerum asserens, humidum videlicet ac siccum, vel calidum & frigidum, copulat ea in vnum, eademque educit. Gens vero Philosophorum qui apud nos Eleatici nominantur à Xenophane, atque altius initium ducens, fabulas nescio quas nobis explicuit, tanquam vnum sint ea quæ dicuntur omnia. Iam verò & Siculæ quædam Musæ nobis commentæ sunt, tutius esse vtraque rerum principia complicare, ac subinde afferere id quod est, vnum esse ac multa, contineri autem simul lite & amicitia. Cumque talia quædam dixerit, ita demum prosequitur: καὶ μὴν ἐοίκεταί γ' αὐτοῖς οἷον γιγαντομαχία τις εἶναι. hoc est: Verum ea videtur inter eos esse contentio, qua gigantes olim cum Deis pugnasse perhibentur, tanta est inter eos de rerum substantia disceptatio. Quo enim pacto eorum nonnulli è cœlo atque ab inuisibili, cuncta deorsum ad terram trahunt, saxa immania quercusque complexi. Talia enim apprehendentes & contrectantes, summa contentione affirmant id solum esse quod aptum natum est, vt incursum tactumque patiatur, idemque prorsus & corpus & substantiam esse definiunt. Horum autem deliriorum, neque Petrus ille noster, neque Paulus vestros accusat Philosophos, sed eloquentissimus Plato, ac Socrates multo sapientissimus hominis Pythij Apollinis sententia iudicatus. Aiunt enim vestros Philosophos affirmare id solum esse quod incursum tactumque patiatur, idemque corpus & substantiam definire. Quo autem pacto quis vtatur his ducibus ad veritatem, qui talibus ipsi tantisque erroribus sint obnoxij, quique pugnantes adeo sententias opinionesque proferant, bellum inter se maximum perpetuo suscitantes? Ipse etiam Timon Phliasius, suis salibus ac dicterijs vestros Philosophos tragice insectatus est, è quorum magna copia ego sanè pauca quædam commemorabo. Σχέτλιοι ἄνθρωποι κατ' ἐλέγχεα γαστέρες οἶοι, Ποίῳ ἐκτ' ἐρίδων καὶ λεσχομάχων πεπλάνησθε: Ἄνθρωποι κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί. hoc est. Mortales miseri, probrosi, ventris ad instar, Quænam vos lites nugis pugnantibus vrgent? O vtres animi sensus quos implet inanis. Non igitur soli nos neque primi, vobis stultę opinionis labem obijcimus, prius enim multoque ante, ipse Timon huius vitij vestros accusat. Aliud vero est scire te aliquid, aliud

aliud opinari te scire, cùm tamen vere nil scias. Valde enim veritas & coniectura veritatis ò amici homines, inter se differūt, ipsa siquidem coniectura, plurimis peccat in rebus atque decipitur, ipsa autem veritas, ita nos docet, vt contrarij nihil admittat. Aliter itaque quis loquitur cùm in coniecturam ducitur veritatis, aliter autem veritas sese ipsam interpretatur atque enuntiat. Quandoquidem & Anaxagoras Hegesibuli filius Clazomenius, primus, inquit, mentem mundo insedisse, vnamque hanc elementa de confusione in ordinem disposuisse, cùm superiores Philosophi nihil vltra materiam, præterque ea quæ oculis videntur, excogitassent. Pythagoras autem Mnesarchi filius, principium rerum omnium Monada, hoc est, vnitatem, esse dixit. Eodem verò tempore fuerunt Anaxagoras & Pythagoras. Sed enim Pythagoræ quidem scholas, eo defuncto vxor Theano cum Telauge ac Mnesarcho filijs, regendas suscepit, ac Telaugæ quidem Empedocles Agrigentinus, Anaxagoræ verò Archelaus fuit auditor. Huius verò Socrates Athenienſis fuit discipulus. Anaxagoras autem & Pythagoras in Aegyptum profecti cum Aegyptiorum Hebræorumque sapientibus ibi sunt conuersati, à quibus & Dei cognitionem adepti sunt. Postea verò & Plato in eandem Aegyptum peregre adnauigauit. Cuius rei testis est Plutarchus, in comparatione vitarum. Testis & Xenophon Grylli filius, in ijs quæ ad Socraticum scripsit Aeschinem, sic enim inquit. αἰγύπτου δὴ ἠράσθην τοῦ πυθαγόρου τεραστώδους σοφίας, ὧν δ' περιῆν, μὴ μόνιμον ἐστι σωκράτει, διήλεγχεν ἔρως τυραννικός, etc. hoc est: Adamarūt hi duo Philosophi Aegyptū, monstrosamque Pythagoræ sapientiam, quos luxuriosos fuisse, nec satis stabiles sub Socratis disciplina, amor ille tyrānidis indicauit, proque frugali ac tenui vita petitæ Siculæ dapes, ventri voracissimo congruentes. Hæc sunt quæ de Platone Xenophon scripsit, eum videlicet posthabita Socratis disciplina, monstrosam Pythagoræ sapientiam appetisse, apudq; Dionysium Siciliæ tyrannum, Syracusanis se oblectasse delitijs, eundem quoque testatur Aegyptiorum sapientiam adamasse. Anaxagoras itaque, Pythagoras, Plato, ænigmata quædam de Deo ab Aegyptijs Hebræisque collegerunt. Quid itaque viri Græci, ijs habendam fidem esse censetis, qui leuiter admodum diuina mysteria didicerunt, ab illis autē ea perdiscere recusatis, à quibus vestri Philosophi præceptoribus didicerunt? Peruetustos enim philosophos ac Poetas, Platoneque ipso antiquiores, nihil esse aliud opinatos fuisse præter id quod oculis contuemur, Plato in Cratylo nos docet, inquit enim. φαίνονται δὲ μοί, φησίν, οἱ πρῶτοι τῇ αὐθρώπῳ περὶ πᾶν ἑλλάδα, etc. hoc est. Mihi quidem videntur primi illi homines in Græcia, solos eos esse Deos putasse, quos nunc barbarorū plurimi opinantur, Solem videlicet, Lunam, Terram, Stellas, Cœlumque ipsum. Videntes itaque hæc, velut euntia motu quodam atque currentia, de natura cursus illius quem videbant, ab eoque quod θέειν, hoc est, currere, θεοὺς id est Deos nominarunt. Sed enim Homerus quoque atque Hesiodus mundi totius opificem penitus ignorarunt. Ac Hesiodus quidem, Chaos inquit Oceanum Tethynque genuisse, ab his autem, Cœlum ac Terram esse progenitā, è quibus Saturnus & Rhea cum cęteris fratribus nati sint, è Saturno autem & Rhea natos esse ait, Iouem, Iunonem, Neptunum ac Ditem patrem. Homerus autem Oceanum genitorem Deorum vocat, & matrem Tethyn. Iouem autem, quem Deorum patrem hominumque appellat, eundem velut à Saturno genitum vocat Saturnium. Magnis igitur hi quoque Poetæ erroribus seruierunt, quod cùm Plato ipse optimè sciret, hortatur tamen vt eis fides habeatur, quamuis talia fabulantibus, nullisque signis, nullis denique veris demonstrationibus ad faciendam doctrinæ suæ fidem vtentibus. Alibi quoque idem Plato testatur, Poetam κοῦφόν τι πρᾶγμα εἶναι καὶ ἱερόν, etc. hoc est, Rem esse quandam leuem, agilem, expeditam, & sacram, nec posse quicquam poeticum facere, priusquam spiritu diuino afflatur. Orpheus autem Odrysius, & ipse profectus in Aegyptum, hæc de Deo vero perdoctus est, quæ vocalissime ita testatur.

Εἷς ἐς' αὐτοτελής, αὐτῷ δ' ὑπὸ πάντα τελεῖται.
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιιν εἴσεται, οὐδέ τις αὐτόν,
Εἰ μὴ ὁρᾷ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾷ.

Hoc est:

Perfectus Deus est, qui pficit omnia solus.
Ipse eadem lustrans, oculis nec cernere cuiquam
Hunc hominum liceat, tamen idem cuncta tuetur.
Conspectus nulli, quoniam caliginis atræ
Obsistūt nebulę, & mortalia lumina nobis
Et pupæ tenues, caro circum atque ossa resistunt.

Et iterum:

Αὐτὸς δ' αὖ μέγαν αὖτις ἐπ' οὐρανὸν ἐστήρικται, etc.

Hoc est:

Ipse autem magnum super est innixus Olympum.
Aurato residens solio, pedibusque sub ipsis.
Pressatur tellus, dextram vsque ad littora tendit
Oceani, montes imis radicibus acti
Contrepidant, nec ferre queunt ea numina dorso.
In cœlo residens, imis tamen omnia terris
Perficit, hic caput, hic medium, finesque tuetur.

Cæterum Orpheus quanquam hæc ab Aegyptijs didicisset, qui nonnullas prius ab Hebræis disciplinas acceperant, aliquos tamen errores suæ illi Theologiæ admiscuit, ac Dionysiorum Thesmophoriorumque impurissima

ſima orgia Græcis tradidit, quaſi melle ad oras calicis circunducto lethale poculum deceptis porrexerit. Neque autem & Platon eodem modo ſegeſsit, ſunt enim laude prorſus & admiratione digniſsima quæ de ente Deo is in Timæo conſcripſit. Quis enim non magnopere amet, quis non admiretur, cùm dicentem audiat, τί δ' ὄν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, etc. hoc eſt: Quid ſit illud quod ſemper eſt, nec habet generationem? Quid contrà & illud quod ſemper ſit, neque tamen eſt vnquam? Nempe illud quidem intellectu cum ratione percipitur, eodem modo ſemper exiſtens, hoc autem irrationali ſenſu eſt opinabile, cùm fiat & diſpereat, vere autem ſit nunquam. Addit vero & hæc amplius ad ea quæ ſuperius dictaſunt: τοῦτο γὰρ πάντα μέρος χρόνου, τό τε ἦν καὶ ἔσται, etc. hoc eſt. Hæc autem omnia quæ loquentes vſurpamus, videlicet erat & erit, minutiæ temporis & particulæ quædam ſunt, quæ imprudentes non recte, diuinæ ac æternæ ſubſtantiæ accommodamus. Dicimus enim, & fuiſſe & eſſe & fore, æternæ autem ſubſtantiæ, ipſum Eſt duntaxat veriſsima congruit ratione. Erant autem atque Erit, dici conuenit de ea generatione quæ eſt in tempore. Quod vero ſemper & eodem modo immutabiliter ſeſe habet, nec conſeneſcere nec repubeſcere vnquam par eſt. Quis itaque ſit adeò contentioſus, adeò querulus accuſator, vt indignationem concipiat ex ijs quæ tam bene à Platone dicta ſunt, neque illis potius omne perhibeat teſtimonium veritatis? Quod enim eſt ſemper, omni eſt vtique generatione ſuperius. Quod autem gignitur, id continuo & efficitur, cumque plurimas immutationes accipiat, merito inquit Plato id nunquam vere eſſe. Embryon enim, hoc eſt fœtus antequam pariatur, vbi editum eſt in lucem non eſt amplius embryon, ſed eſt infans. Rurſusque infans cùm in puerum euaſerit, infans amplius non vocatur. Puer quoque iam ætate adoleſcentis aſſumpta, id vocatur quod factus eſt. Cumque mox ad perfectum virum peruenerit, eſſe vir dicitur, non amplius adoleſcens. Idem ſenex effectus, vocatur ſenex. Iure igitur Plato, ea quæ ſic per gradus quodammodo fierent mutarenturque, nequaquam entia nuncupauit. In ea quoque diſſertatione quam Socrates cum Critone habuiſſe dicitur, vnum eſſe ait rerum omnium inſpectorem, ita vero inquit: καὶ δὴ καὶ περὶ τῶν δικαίων τε καὶ ἀδίκων, καὶ αἰσχρῶν καὶ καλῶν, etc. hoc eſt: Iam vero de iuſtis rebus atque iniuſtis, deque honeſtis ac turpibus, maliſque item ac bonis, de quibus nunc conſultatio nobis eſt, vtrum tandem multorum hominum ſententia nobis eſt conſectanda eademque timenda, an vnius potius qui audit omnia, quemque vnum præ cunctis alijs timere ac reuereri oportet, quem inquam niſi conſectabimur, corrumpemus illud ac vitiabimus, quod iuſto quidem accedente melius factu eſt, iniuſto autem deterius? Rurſusque paulo poſt: οὐκ ἄρα ὦ βέλτιστε πάνυ ἡμῖν ὅτῳ φροντιστέον ἐροῦσιν οἱ πολλοὶ ἡμᾶς, etc. hoc eſt: Haud itaque prorſus eſt ò vir optime curandum, quid multi de nobis autument ac loquantur, ſed quid ille qui & iuſtos audit & iniuſtos, qui eſt vnus & ipſa veritas. Videtiſne igitur viri Græci, quo pacto in ijs quæ ſuperius adducta ſunt, Plato ac Socrates expulſo Deorum agmine qui veri non ſunt, hortatur vt eum ſolum qui eſt princeps ac moderator rerum omnium, & colatis Deum & timeatis? Quaſi manifeſte ſignificet, ſi quando multorum Deorum mentionem fecerit, coactum ſe id feciſſe ad Athenienſis populi gratiam, qui iam mendacijs ac falſitate circumuentus eſſet, etenim ſi ne ſic quidem, cicutæ poculum effugit, quidnam, quæſo, paſſurus mali non fuit, ſi manifeſtè abnegaſſet numeroſum Deorum examen? Hoc & Plato teſtatur in ijs quæ ad Dionyſium ſcribit. Compluribus enim alijs & hæc addidit: περὶ δὲ δὴ τῷ ξυμβόλῳ τῷ περὶ τὰς ἐπιστολάς, ὅσας τε ἐπιστέλλω οὐδὲ καὶ ὅσας μή, etc. hoc eſt: Notæ autem meminiſſe te puto, quam videlicet epiſtolis illis appono quas alicuius ponderis ſcribo, & quas nullius. Tu tamen ea quę nunc dicam intellige, ac diligenter aduerte. Multi enim me rogant, vt ad te aliquid ſcribam, quos haud facile eſt vacuos à me prorſus repellere. Symbolum itaque tibi hoc eſto, vt illius epiſtolæ, quam vt ſerio à me ſcriptam velim accipias, dictio hæc Deus ſingulari numero ſit principium, leuioris autem epiſtolæ, dij numero multitudinis. Quo autem pacto quis melius poſsit mentis ſuæ conſilium explicare? Plane ſiquidem nobis oſtendit, quid in ea nominum differentia ipſe intelligi vellet. Quaſi manifeſte diceret, vt populari ſententiæ me accommodem, Deum quandoque numero multitudinis appello, dum videlicet ad falſas meorum ciuium opiniones reſpicio. At quotieſcunque ſerio atque ingenue ſcribo, neque de illius fide dubito qui literas perferat, eiúſue qui illas accipiat, Deum ſingulariter dico, à quo & initium ſcribendi facio. Alibi quoque de Deo ſic idem Plato ſapientiſsime loquitur: τὸν γὰρ πατέρα καὶ ποιητὴν τόνδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἐξειπεῖν ἀδύνατον, etc. hoc eſt: Patrem quidem factoremque totius mundi huius, & inuenire laborioſum eſt opus, & cùm inueneris, cunctis mortalibus eum prodere, opis vllius non eſt. Neque enim ſicut cætera quæ condiſcimus, ita & hoc poteſt dicendo exprimi. Cæterum qui hoc loco pie ac prudenter de Deo loquutus eſt, alibi tamen, vel quod ſibi à populo pertimuerit, vel quod tunc veritatem penitus ignorarit, multorum Deorum mentionem fecit, magnamque ita perniciem illis attulit qui in ſua monumenta incurrunt. Cur itaque amici homines turbidam, limoſamq; haurimus aquam, neque pellucidum fontem ac perſpicuum quæritamus? Plato enim cùm ex hoc

ex hoc fonte occaſionem Theologicè ſcribendi nactus fuiſſet, aquis puriſsimis terraceam ac limoſam aquam commiſcuit. An non, quæſo, tenetis, Moſen illum qui Iudaico populo leges tulit, eſſe veſtris omnibus Hiſtoricis, Poetis, Philoſophis antiquiorem? Quod ſi fortè nunc quoque ita eſſe dubitatis, ſuſpicaminique nos vobis commentitias nugas afferre, vnus ſaltem vobis idoneus Porphyrius teſtis eſto, ille inquam Porphyrius, qui propugnator factus impietatis, licentioſam effrenemque linguam contra Deum vniuerſorum commouit. Audite igitur quæ is ſcribit, vbi contra nos ſtylum intentat: ἱστορεῖ δὲ τὰ περὶ Ἰουδαίων ἀληθέστατα, ὅτι καὶ τοῖς τόποις καὶ τοῖς ὀνόμασιν αὐτῶν τὰ ξυμφωνότατα, συγχωνιάθων ὁ Βηρύτιος, etc. hoc eſt: Sanchoniathon autem Berytius narrat de Iudaicis rebus quę ſunt veriſsima quandoquidem ea quæ ſcribit, & locis & nominibus Iudæorum ſunt maxime conſentanea. Is enim cùm monumenta quædam breueſque commentarios ab Hierombalo Dei maximi ſacerdote accepiſſet, confectamque mox hiſtoriam Abelbalo regi Berytio dedicaſſet, ab rege ipſo cæteriſque diſquiſitoribus veritatis tanquam certus hiſtoriæ ſcriptor acceptus eſt. horum vero tempora, priora ſunt Troianis temporibus, proximeque accedunt ad ipſius Moſeos tempora, quantum Phœniciæ regum ſucceſsiones oſtendunt. Sanchoniathon vero, qui Phœnicum lingua Philalethes, hoc eſt ſtudioſus veritatis interpretatur, omnem Iudaicæ vetuſtatis hiſtoriam de ſingularum ciuitatum commentarijs, templorumq; monumentis collectam complexus eſt, ac literis commendauit, quo tempore Semiramis dominabatur Aſſyrijs. Hinc igitur ſciri poteſt, quanto fuerit Moſes temporibus Troianis antiquior. Nam ſi tempore Semiramidis floruit Sanchoniathon, qui Iudaicam ſcripſit hiſtoriam, iſque ea literis commendauit quæ multis annorum ſpatijs antè contigerant, Moſes vero leges Iudæis tulit, ſit continuo vt multis annis antiquior Sanchoniathone fuerit Moſes. Fuiſſe autem Semiramin ante Troiana tempora plus quàm mille annis, manifeſte illi oſtendunt, qui ſubducta ratione tempora temporibus contulerunt. Sed enim Porphyrium redarguere vt annorum temporumque ignarum, huius loci ac temporis eſſe non arbitror. Satis autem mihi fuerit oſtendiſſe, quanto fuerit Moſes temporibus Troianis antiquior. Homerus certè atque Heſiodus, multo poſt Troiana tempora floruerũt. Ipſe vero Orpheus poetarũ primus, generatione vna præceſsit Troiana tempora. Comes enim Iaſoni Peleo, Telamoni, Herculi, Caſtori ac Polluci in Colchiden enauigauit. At Iaſonis Euneus filius perhibetur, qui vinum miſit Achæis Troiam obſidentibus. Fuit & Tlepolemus Herculis filius, quem lancea Sarpedon Lyciorum Dux in Troiano bello transfixit. Aiax vero Telamone patre eſt genitus, Peleoque Achilles. Caſtorem autem ac Pollucen, qui Dioſcuri hoc eſt Iouis pueri nuncupantur, cùm è pinnis murorum vtpote ſuos fratres videre Helena concupiſceret, neque eos vſquam in Græcorum caſtris eſſe conſpicerêt, amaris fletibus angebatur, verita eos iam vitæ diem vltimum obijſſe. Vobis autem hæc explicui, non tanquam nugax homo verboſusque fabulator, ſed qui vobis oſtenderem fuiſſe Orpheum generatione vna bellis Troianis antiquiorem. Linus porrò ac Muſæus, circa Troiana tempora viguerunt. Thamiris item ac Philammon, fuerunt illis contemporanei. Cùm ergo, vt Porphyrius inquit, Moſes hiſce poetis ſit mille annis antiquior, hi vero poetarum ſint antiquiſsimi, poſt eos enim & Homerus & Heſiodus nati ſunt, qui & Thaletem & alios philoſophos multis annorum ſpatijs præceſserunt, cumque ſit Thales auditoresq; Thaletis vetuſtior inſequutis philoſophis, cur non, quæſo, his omnibus relictis, ad Moſen oceanum Theologiæ tranſimus, à quo, vt poeticè dicam, fluuij omnes & maria omnia deriuantur? Illinc enim & Anaxagoras & Pythagoras Platoque poſt eos, parua quædam veritatis lumina quædamq; initia, deſumpſerunt. Socrates quoque, qui Archelao Anaxagoræque conuixit, ab eis didicit quæcunque de Deo alijs ipſe tradidit. Moſes verò nequaquã ſequutus hominum rationes ſicut illi fecerũt, ſed clariſsima Dei voce perdoctus, Theologiam nobis conſcripſit. Deus enim conditor rerum omnium, initio legis quam Moſi dictauit, vnum coli Deum præcepit. inquit enim: ἐγὼ γὰρ εἰμί κύριος ὁ θεός σου, etc hoc eſt: Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Cumque Moſen recentis beneficij admonuiſſet, hortatus eſt vt in Dei ſeruitio permaneret, neque debito Deo cultu quenquam præterea impertiret, ſed vni Deo tribueret. οὐκ ἔσονται γάρ σοι, φησί, θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ, hoc eſt. Non enim erunt, inquit, tibi alij dij præter me. Tum & manifeſte Moſen docuit nihil eorum quæ videntur eſſe Deo perſimile, prorſusque inhibet vllam ab eo fieri imaginem viſibilium rerum, eamque opinari ſimulachrum Dei eſſe, cùm videri Deus non poſsit. inquit enim. οὐ ποιήσεις γάρ, ἔφη σαυτῷ, εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, etc. hoc eſt: Non enim facies tibi idolum, vlliusque rei ſimilitudinem, quæcunque in cœlo ſurſum, quæque in terra deorſum, & quecunque in aquis ſub terra ſunt, vobis non facietis neque ea adorabitis. Quoniam ego Dominus Deus tuus. Vocem, inquit, audiſti, faciem autem non vidiſti. Nullam itaque figuram efficies, cuius exemplum ignoras. Quin & alibi falſos ac mendaces Deos coarguens, eliminansque Aegyptiorum errores, ita Iudæos alloquitur. ἄκουε Ἰσραήλ, κύριος ὁ θεός σου κύριος εἷς ἐστί. hoc eſt: Audi Iſrael: Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt. Hac pollent doctrina, Moſeos monumenta, talemque Theologiam, & hiſtorijs & legibus & prophetijs inſeruit, ſcriptisque à ſe quinq; libris, mul

Exod. 20.

Deut. 6.

tos quidem qui & haberentur & vocarentur, nec tamen essent dij, coli prohibuit. vni autem ac soli Deo rerum omnium conditori, cultum exhiberi præcepit. Iesus item qui potestatem ductandi populi imperiumq; à Deo patre accepit, omnis denique Prophetarum chorus, eadem hæc & hortari & præcipere non destiterunt. Sed fortasse illud dicturos vos puto, ne nos quidem hanc vnius Dei colendi legem, integram prorsus illibatamque seruasse, qui Trinitatem, non vnitatem colamus, cùm tamen Iudæi qui Moseos ac Prophetarum libris innutriti sunt, vnum duntaxat venerentur Deum, Trinitatem vero detestẽtur, quam Christiani maxime colimus. Ego vero amici homines venia vos quidem haud prorsus indignos censeo, vtpote qui sacrarum literarum ignari sitis, Iudæorum vero extremam illam crassamque tarditatem lachrymis & commiseratione prosequendam puto, qui vt Esaias propheta inquit, Exaltati ab vtero matris suæ diuinisque in mysterijs à pueritia vsque ad senectutem eruditi, adhuc tamen Theologiæ veritatem ignorent, etenim cùm in Aegypto longinquum sanè tempus permansissent, multorumque ibi deorum cultum ritu Aegyptiaco didicissent, sapiẽtissimus Deus nequaquam illis manifeste, apertáq; prorsus oratione, Trinitatis mysteria tradidit, ne ita propositam sibi esse deorũ multitudinem arbitrantes, occasionem hanc haberent ad impictatem Aegyptiam reclinandi. Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in posterum penitus occultauit. In antiquis enim scripturis, perfectioris, Theologiæ materiam quasi semina quædam, dispersit. Ideóque vnius Dei nomine leges tulit, cùm tamen sic quoque per ænigma Trinitatem subinnuat. Qui enim dicit: ἄκουε ἰσραὴλ κύριος ὁ θεός σου κύριος εἷς ἐστι, hoc est, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est, & vnitatem docet, & Trinitatem significat. Semel enim Deo proposito, bisque domino repetito, Trinitatem subostendit. Cumque adderet, vnus est, & congruentem Iudæis doctrinam attulit, & vnam in tribus eandemque diuinitatem, & substantiam esse docuit. Vna siquidem sanctæ Trinitatis & substantia & potestas est & voluntas. Eamque ob rem inuisibilium potestatum chori, hymnum Deo concinentes, ter quidem Sanctus, semel autem Deus proferunt, ibi quidem numerum proprietatum significãtes, hic autem parem ditionis communitatem. Atque hic quidem, per ænigmata ea quæ sunt Trinitatis ostensa sunt, aliis autem locis alquanto manifestius eadem sancti patres docuerunt. Moses enim múdi genituram conscribens, narransque hominis plasmationem, ait orbis totius opificem sic loquutũ fuisse: ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καθ' ὁμοίωσιν. hoc est, Faciamus hominem secundum imaginẽ nostram & similitudinem. Tum paulò mox ita subiunxit. ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν. hoc est, Fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit ipsum. Ergo & Deum appellauit opificem hominis, nec minus & Deum cuius ad imaginem fecit hominem quem effinxit, non quod alia huius, alia illius sit species. vna siquidem natura est Trinitatis. Ideoq; ait Deũ dixisse. ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καθ' ὁμοίωσιν. hoc est, Faciamus hominem secundũ imaginem nostram & secundum similitudinem, additque, κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν. hoc est, Secundum imaginem Dei fecit ipsum, vt ostenderet differentiam personarũ. Cumque & ipsi Noe de comedendis carnibus legem ferret, sanguinisque esum inhiberet, ita vniuersorum Deus loquutus inducitur. ἐδεδοθε πάντα ὡς λάχανα χόρτου. &c. hoc est. Omnia tanquam olera fœni comedite, carnem vero in sanguine animæ ne comedite. sanguinem enim vestrum requiram, ex omnibus bestijs requiram illum, & de manu hominis fratris eius requiram illum. Quiesfuderit sanguinem hominis pro sanguine sanguis ipsius effundetur. Quoniã in imagine Dei feci hominem. Non inquit, in imagine mea ipsius feci, sed in imagine Dei, hoc etiam loco differentiam personarũ ostendens. Cumq; in vnum congregati sunt, qui contra factorem suum rabida insania debacchantes, maximam illam turrim extruxerũt, quæ nomen ab linguarum confusione sortita est, ita Deum loquentem legislator Moses inducit. δεῦτε καταβάντες συγχέομεν αὐτῶν τὰς γλῶτας. hoc est. Venite & descendentes confundamus ipsorum linguas. Quo sanè loco vbi ait, venite & descendentes confundamus, parem dignitatis gradũ ostendit. Neque enim descende, ait, aut descendat, quod subiectis personis, maiorũ capessentibus iussa congruit, sed descendentes, inquit, confundamus, quod æqualitatem manifestè significat. In illo autẽ Venite, & Filium significat & Spiritum sanctum, qui in mundi fabrica socij comparesq; fuerũt. Quando igitur hominem fingens, Faciamus, inquit, hominem secũdum imaginem nostram & secundum similitudinem, decenter vtique tunc quoque cùm linguam vocemq; vnam in multas partitus est, socios sibi & Filium assumit & Sanctum spiritum. Subsequutis autem annorum temporumq; curriculis, Sodoma fulminibus consumpturus, confinesque Sodomis ciuitates, quæ impietatis ac flagitij participes fuerunt, dualitatem dominorum nobis ostendit. inquit enim Moses, qui cladem illarũ ciuitatum nobis descripsit, Et pluit Dominus à Domino super Sodoma & Gomorra ignem & sulphur de cœlo. Ne quis autem existimet hunc solum Prophetam ea quæ sunt Trinitatis loquutum fuisse, audite charissimi & diuinum Dauid ita clamantem: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Rursusque. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Pauloque mox Domini pater, eundem Dominum sic allocutus inducitur. Ex vtero ante luciferum genuite. Et in alio item Psalmo.

Esa. 1.

Genes. 1.

Genes. 9.

Genes. 11.

Genes. 19.

Psal. 32.

Psal. 109.

Psal. 44. Psalmo. Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Eandem vero doctrinam nobis tradunt Esaias Propheta, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Zacharias, Micheas, vniuersusque prophetarum chorus. Sed enim ab re ac superuacaneum me puto facturum, si horum dicta & sententias vobis nunc afferam, qui nullam adhuc fidei Christianæ confessionem ad ecclesiam attulistis. Aliam itaque doctrinæ rationem aggrediar, ostendamque tum Platonem tum & qui Platonem sunt insequuti philosophos ab ijs quos superius nominaui, diuinis patribus, sacræ Theologiæ quæpiam compilasse, suisque illa libris inseruisse. Plato enim in ijs quæ scripsit ad Coriscum, verba hæc posuit, ἐπομνῦντας σπουδῆτε ἅμα μὴ ἀμούσῳ καὶ τῇ τοῦ σπουδῆς ἀδελφῇ παιδίᾳ, etc. hoc est. Iurantes studio non inepto, ac eruditione studij sorore, perque deorum omnium præsentium ac futurorum ducem, perque eius qui dux est & causa patrem dominumque iurantes, quem proculdubio scietis, si modo recte philosophemini. Hæc sunt charissimi Platonis verba, quorum alia quidem sunt laude dignissima, vt quæ ab apostolica propheticaque doctrina minus discedant, alia vero, sunt Græcanicæ fabulationis fœtus ac germina. Quod enim aliũ esse ait ducem mundi totius & causam, alium vero eius patrẽ qui causa sit, ingenue veritatem ostendit, de cuius haustu suos ipse sermones excoluit. Quod autẽ eundem appellat ducem præsentium deorum & futurorũ, alterum è duobus nobis subinnuit, aut videlicet in ignorantiæ labem Philosophũ incidisse, aut veritati mẽdacium scienter admiscuisse, falsæ ignorantiæ simulatione. Præterea vero & ostendit eos qui vulgo dij nuncupentur, natura deos nõ esse. Quis enim modo non penitus desipiscat Deum vocet, qui semper Deus non fuerit? At Plato, deos in tempore genitos ait fuisse atq; gignendos. inquit enim. τῶν τε ὄντων θεῶν καὶ τῶν μελλόντων. hoc est. Præsentiumq; Deorum & qui futuri sunt. Quo autem pacto esse poterit Deus, qui nondum sit? Quo inquam pacto augustissimo nomine vocitetur, qui esse ipsum nondum sit consequutus? At sacræ literæ nihil eorum quę vt noua gignuntur atque proueniunt, natura Deum appellant. Simplici enim Deum nomine illos dignatæ sunt, quibus iudicandi potestas est credita, quique quoad eorum fieri potuit impollutam Dei imaginem conseruarunt. Natura autem Deum solitæ sunt eum solum vocare, qui semper sit Deus, quique eodem modo & secundum eadem semper se habet. Cæterum hæc in alium locum commodius dicenda seruabimus. Nunc autem satis fuerit ostendisse, mundi totius causam ac ducem patrémque eius, haudquaquam Platoni prorsus ignotum fuisse. Licet vero eundem Platonem sic in Epinomidis libro loquẽtem audire. καὶ τιμὰς ἀποδίδωμεν, μὴ τοῦ μὲν ἐνιαυτοῦ, τοῦ δὲ μηνός τινος μοῖραν παρέχωμεν, etc. hoc est, Et honores reddamus, neque tamen huic quidem annum, huic vero mensem, huic autem partem mensis aliquam tribuamus, vllúmue aliquod tempus quo suum permeat polum, mundum perficiens quem digessit verbum omnium maxime diuinum. Quod beatus quidem primum est admiratus, tum vero etiam discendi desiderium habuit quæcunque vim ac naturam vt sciri possent, habebant. Hoc itaque etiam loco verbum ait omnia exornasse, non verbi patrem. Ad Dionysium quoque idem scribens, sic inquit, φρασέομεν δὴ σοι δι' αἰνιγμάτων etc. hoc est. Loquendum itaque tibi est per ænigmata, vt si quid forte literis hisce nostris vel in mari vel in insidiosis terræ locis infortunij acciderit, qui eas leget minus intelligat. ita enim se res habet. Circa omnium regem omnia sunt, & illius causa sunt omnia, ipseque est causa bonorum omnium. circa vero secundum secunda sunt, & tertia circa tertium. Videtisne quàm meticulose ac pauenter prisci illi Philosophi veritatis dogmata proferrent? vulgi enim respectantes errorem, non manifesta quidem assertione, sed obscurioribus verbis veritatem prodebant. Hunc vero timorem Plato & in Timęo ostẽdit. sic enim inquit, νῦν δὴ ὑμῖν τὸν πατὴρ ἡμῶν, ὧδε ἐχέτω, hoc est, Nunc itaq; animi nostri sententia hæc ferme sit, rerum quidem omniũ siue causam, siue causas, siue quodcunque de his dicendum videatur, hoc sane tempore loquendum non esse, non ob aliam quidem causam, quàm quia difficile admodum sit hoc ipso sermone quæ mihi videntur exprimere. Pythagoræus quoque Numenius in ijs quæ de bono conscripsit, manifestius hæc edocuit, ait enim, ὅτε δημιουργόν ἐστι χρεὼν τὸν πρῶτον, καὶ τὸν δημιουργοῦντος θεοῦ χρὴ εἶναι νομίζειν πατέρα, τὸν πρῶτον θεόν. hoc est, Neque oportet eum esse opificem, qui primus est, putare autem oportet opificis Dei patrem esse, Deum primum. Ipse etiam Plotinus, qui Platonis æmulatur Philosophiam, de tribus principalibus personis librum conscripsit, in quo et hæc ait. τί δὲ καὶ περὶ τοῦ τελεωτάτου λέγομεν: etc. hoc est. Quid igitur de perfectissimo est dicendum? Nihil ne ab eo esse, an maxima esse post ipsum? Maxima vero post ipsum, mens, & secundarium quiddam, mens enim illũ intuetur ac videt. Rursusque. πόθεν δὲ πάντα γεννῶν καὶ τοῦτο ἀγαπᾷ etc. hoc est. Omne autem quod gignit, cupit atque amat id quod est genitum, præsertim si soli fuerint qui gignit & is qui gignitur. Cùm verò etiam sit optimum quod est genitum, necessario asitum illi cohæret, ita vt hac sola re disiungãtur, quòd alter hic, alter ille est, imaginem vero eius, dicimus mentem, manifestius enim dicendum est. Plurima quoque & huic & Plutarcho, & Numenio & alijs dicta sunt quotcunque eiusdem sectæ Philosophi sodalitatisque fuerunt, hi namque cùm fuerint post aduẽtum Redemptoris nostri, multa Christianæ Theologiæ mysteria suis libris

inseruerunt. Plotinus itaque ac Numenius explicantes Platonis mentem, tria inquiunt à Platone posita fuisse, quæ sint supertemporalia & æterna, ipsum videlicet bonũ, mentemque, & huius vniuersi animã. Vocat enim bonum quem nos dicimus Patrem, mentem vero seu intellectum, quem nos filium Verbumque appellamus, potentiam vero quæ animet omnia & viuificet, animam vocat, eam ipsam videlicet quam Spiritum sanctum literę sacrę appellant. Atque hæc ipsa vt sæpe iam dixi, ex Hebræorum sapientia & Theologia subducta sunt. Ille enim Dauid qui diuinum melos concinuit, cuiq; diuina insonat gratia, ita cecinit. Τῷ λόγῳ κυείου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν etc. hoc est. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quid sint autem sacra Euangelia, & Plutarchus & Plotinus audierunt. Id quod Amelius ille qui Porphyrij scholis præfuit, manifeste ostendit. Admiratur enim vehementer procemium illud, à quo Ioannes Euangelista Theologiæ mysteria orsus est, sic enim inquit. ἡ ὅτῳ ἄρα ἦμό λόγῳ καθ' ὅμ ἀεὶ ὄντα, τὰ γινόμενα ἐγένετο, &c. hoc est. Et hoc ergo erat verbum secundum quod semper fuerũt quæ facta sunt, sicut Heracletus ipse censeret, ita & per Iouem barbarus homo censet in principij loco ac dignitate verbum apud Deũ constitutum, Deumq; esse per quem absolute omnia facta sunt. Quod itaq; factum est, in eo, inquit, & viuens, & vitã & ens fuisse. in corpus autem illapsum carnemque indutum, apparuisse hominem, inquo tamen & naturæ suæ magnificentiam tunc ostenderit. Cumque morte obita solueretur, rursus ad diuinitatem redijsse affirmat, Deumque esse qualis videlicet prius fuerit quàm in carneum corpus hominemque descenderet. Vsque adeo igitur barbari hominis Theologiam suspexit, homo Platonis aliorumque Philosophorum eloquentiæ innutritus, vt verbum confessus fuerit esse in principio, ac Deum esse, omnia denique effecisse, omnibusque vitæ causam dispensatoremque esse. Publicæ vero salutis causa, maiestatem quidẽ diuinitatis carne occuluisse. At ne sic quidem, non in parua & crassa illa corporis nebula detexisse ingenuam nobilitatem.

Cap. I. Nam cùm & Euangelista dixisset, Et verbum caro factum est, diuinęque naturę vim immutabilem ostendisset, tum inquit, & habitauit in nobis, ac deniq; nos edocuit ita humanam carnem induisse, vt tamen inuiolabilem incorruptumque emiserit diuinitatis splendorem. Vidimus enim, inquit, gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. Ille siquidem carneus amictus, diuinitatis eius radios nequaquam languidiores effecit, sed vel hoc ipso circundatus manifestabat quis esset, & à quo tanquam radius emicaret. Quod si aduersarij veritatis vsque adeo veritatem admirantur, vt exiguis inde compilatis particulis libros suos cultiores efficiant, neque parua illa ramenta quanquam multæ falsitati admixta sint, splendorem suũ decusque hebescunt, sed vniones in fimo ac stercore valde effulgent, ac sicut in Euangelio edocemur, Lux in tenebris lucet, neque à tenebris occultatur, facile hinc licet cognoscere, quãtopere adamandæ quamque admirandæ sint omnibus sacræ literæ, cùm omnis sint erroris ac falsitatis expertes. multum siquidem interest, vtrũ vnio statuatur in cœno, an positus in corona resplendeat. Ipsæ profecto digitorum particulæ, si abiungãtur à seipsis ac dispescantur, non eandem pulchritudinem commoditatemque præ se ferunt, quam sibi consitas & compactas habere cernimus. Sincera igitur ac impermista, veritatis pulchritudo spectanda est, etenim si aduersis admista coloribus, emicat tamen atq; effulget, multo scilicet manifestius effulgebit si ab noxijs abducatur. Hoc autem multo clarius ille cognoscet, qui Græcorum atque infidelium fabulas Apostolicæ ac Propheticæ doctrinæ conferens, proposita comparatione quid inter se differant speculetur. Sanchoniathon itaque Berytius, Phœnicum Theologiã conscripsit. Philon vero non Hebræus homo, sed Byblius, eam in Græcum idioma transtulit. Sanchoniathona autẽ Porphyrius valde admiratur ac laudat. Manethus præterea, & Isidis & Osiridis & Apidis & Serapidis aliorumq; deum Aegyptiorum fabulosa gesta conscripsit. Mundi genituram Siculus Diodorus. Quid enim narrem Ascræi poetæ Theogoniam, cùm ne adolescẽtulis quidem ea ignota sit? Orpheus homo Thracius ab Odrysia, Græcis tradidit Aegyptiorum mysteria. Cadmus autem, Phœnicum. Cornutus philosophus, infidelium Græcorum Theologiam composuit. Plutarchus vero atque Aetius, multorũ opiniones philosophorum collegerunt, quem sibi laborem Porphyrius quoque desumpsit, ita sane diligenter vt singulis opinionibus singulorum quoque philosophorum vitam moresque adiungeret. His omnibus, quęso, amici homines, nostratium scriptorũ monumenta conferte, atque ita perdiscite non solum quod Homerus ait, quanto cœlum à terra interuallo disiungitur, ea inter se distare, sed quãto locus ille qui dicitur tartarus, à cœlo semotus est. Ego sane fabularum vobis nunc apponere aceruũ nolo, ne quis me verbosum hominem nugacemque appellet. Nonnullas tamen, easq; perpaucas in ea disputatione commemorabo, quæ post hanc protinus à me, Deo permittente, scribetur, vt eorum quos fabulę deos vocant, non modo incredibilem falsitatem, sed stultitiam quoq; ac obscœnitatem, ostẽdam: si cui vero cupido insit res huiusmodi ex proposita comparatione discernere, copiosam eam inueniet in Eusebij Palæstini libris, quos ille Præparationis Euangelicæ titulo insigniuit. Ego nunc tamen paucis hoc dixerim, Aegyptios quidem homines ac Phœnicas, ipsosque præterea Græcos philosophos ac poetas, aut quæ videmus elementa deos esse opinatos, aut humano generi beneficos viros, quique cæteris mortalibus rerum copia, viribus, virtutibusque

busque prestarent, deorum nomine honestasse, templaque etiam mortuis extruxisse. Nos autem nihil eorum quæ oculis cerni possunt Deum esse asserimus. Illis itẽ hominibus qui virtute aliqua clariores fuerint, debitos optimis viris honores præmiaque deferimus. Solum vero adoramus vniuersorum Deũ ac patrem, nec minus & illius Verbum, ac sanctissimum Spiritum, eundem vero, & filium vnigenitum & verbũ, & lucem & veritatem, vitamque vocamus, sanctum insuper spiritum, Dominum dicimus & viuificantem. Tria hæc, vnum esse substantia & diuinitate credentes, plurimorum quoque aliorum vsu nominum diuinam laudamus naturam, eamque non ab ijs solum rebus quę illi insunt, sed ab ijs etiam quibus carere illam par est, nominamus. Nam eo quod à superiore nullo principio deducatur, *imprincipiam dicimus, item incorruptibilem, immortalem, infinitam, impassibilem, inuisibilem, *inspeciem, infigurabilem, incircunscriptam, incomprensibilem atq; inaccessam vocamus, nomenclaturas huiusmodi ab rebus imponentes quibus diuina caret natura. Quia enim videri non potest, inuisibilis appellatur ac inspectabilis, vt qui etiam animi phantasiam transcendat. Inaccessus vero aliter Deus atque infinitus, qui neq; finem habet neque principium. Idem, quod sit omni corruptione atq; interitu longe potior, incorruptibilis vocatur & immortalis. Alia autem hoc genus nomina, ea nobis significant, quibus diuina caret natura. Sed enim cùm bonum, iustum, lucem, vitam, opificem, vniuersorum præfectum gubernatoremque vocamus, & quæ sunt generis eiusdem nomina Deo tribuimus, ea significamus quæ habere Deum par est, quibusq; mundi machinam creaturasque gubernat, multaque humano generi bona distribuit. Pari modo & filius nuncupatur, vt qui ex Deo patre sit genitus. Vocatur & verbum, vt qui sine tempore ac passione prouenerit, nihilque gignentis violauerit, diuiserit, aut abruperit. Amplius vero & splendor gloriæ nuncupatur, vt qui genitori sit coæternus. Nulla vos autẽ, quæso, hinc perturbatio subeat, quod dici auditis, Verbum & ex patre gigni & cũ patre esse, quæ sunt enim apud Platonem insulsissima, æquis animis auribusque accipitis. Ille enim & Deum materię authorem, & tamen Deo coęternam materiam esse affirmat. Idemque Ideas, ex Deo & cum Deo constituit. Vos autem, Verbum Dei sanctumq; spiritum neque ex Deo prodire, neque esse cũ Deo creditis. Si enim materiam quæ alterius est naturæ quàm Deus, generisq; alterius, ac, vti ita dixerim, alienigena & extraria, & ex Deo & cum Deo esse vult Plato, multo magis rationi consentaneus, multoque verior sermo noster putandus est. Neque enim filium alterius naturæ, neque sanctum spiritum, esse dicimus, sed vnam trinitatis substantiam prædicamus. Si quis autem vestrum scire desiderat, quonam substantiæ modo sit filius ac sanctus spiritus, æquum sane est, vt is prior quærenti mihi respondeat, quem essendi modum habere possit quod non est genitum. Quo pacto inquam est, quod nullã habet vnde sit, causam? Hæc enim quæstio prorsus est dubia, solaque fidei puritate ac sinceritate capienda: fieri enim ac gigni præcedente causa, quippiam eorum quæ gigni ac creari possunt, humana ratio facile admittit: esse vero aliquid quod non emanet à causa, nulla ratio assentitur, nisi forte interuẽtus fidei ac sponsio intercedat. Quod si esse aliquid credendum est, nec vllo modo genitum nec à causa profectum, nec ab vllo pẽdens superiore principio, credendum vtiq; erit ab hoc ipso quod intellectus sit, genitum esse verbum, sanctumque processisse spiritum. Fuisse autem ex antiquis nõnullos, qui Deum esse genitũ negent, audiet qui velit ex Timæo Locrensi. ita enim inquit: μία ἀρχὰ παύτων ὅδ' ἀγένητος, etc. hoc est: Vnum omnium est principium, quod non est genitum, si id enim genitũ sit, non vtique erit principium. Sed principium potius illud erit, vnde id sit exortum, quod vocabamus principiũ. Parmenides vero Eleates mundum quoque carere ait generatione. inquit enim, Μόνον μονογενὲς ἐστε ἠδ' ἀφεμὲς ἠδ' ἀγένητον. hoc est: Solum, soligenum, intrepidũ manet, ingeneratum. Plutarchus etiã Cheroneus, in eo libro quẽ scripsit περὶ τοῦ εἶ τοῦ οἰ δελφοῖς, hoc est: De es in Delphis scripto, sic ait: Τί δ' ἐστὶ τὸ ἀΐδιον ἀγένητον ἠ ἄφθορτον etc. hoc est: Quid est igitur illud quod est æternum, incorruptum, ingeneratum, cui nullum tempus adfert mutationem? Si itaque esse aliquid affirmamus ingeneratum, nullaque profectum à causa, idque Parmenidæ quidem sententia mundum esse, Platonis autem Timæique Locrensis ac Plutarchi, nostraque adeo ipsorum sententia dicimus, Deum esse opificem rerum omnium, iam multo credibilius loquetur quisquis asserat ex eo qui sit ingeneratus emanare verbum, ac sanctum spiritum. Verbum quidem, vt genitum ab intellectu: spiritum vero, vt procedentẽ, ipsi enim verbo spiritus comprogreditur, non tamen vt verbo congenitum, sed qui simul cum verbo sit, consecłaque sit verbi atque procedat. Neque vero spiritum sanctum, spiramen esse aliquod oris dicimus. Deus enim, nec compositionem patitur, nec figuram. Neque verbum intelligimus, quale nostrum est quod loquentibus nobis per aerem diffunditur, sed verbum quod inest substantialiter, ac spiritum qui ad hypostasin pertinet. Quæ duo & in patre considerantur, & seorsum per seipsa sigillatimq; creduntur, quæq; & coniuncta sunt & discreta. Vnita quidem, eo quod eiusdem naturæ sint, proprietate vero differentia, singillatim seorsũmque intellecta. Hæc autẽ ipsa nequaquam exacte quisquam percipiet, nisi in sacrarũ literarum studijs versatus fuerit, ac nisi scientiæ huius lumẽ diuina collatũ gratia acceperit. Legenda itaq; sunt non ea solum quæ nos sancti Apostoli docuerunt, sed ipsorum quoq; Prophetarum oracula, ita enim qui & veteris & nouæ

* ἄναρχον.

* ἀνείδεον.

nouæ Theologiæ concordiam viderit, admirabitur veritatem, fugietq; Diagoræ quidem Milesij Cyrenæiq; Theodori, ac Euemeri Tegeatę profanam indeitatem. hos enim Plutarchus ait opinatos nullum omnino Deum esse. Stoicorum vero de Deo fugiet indignã Deo opinionem. hi nanque affirmarunt, Deum corpore esse prędituin. Stomachabitur etiam Protagoræ dubios illos de Deo infidelesque sermones. illius enim & huiusmodi verba circunferuntur. περὶ μὲν οὖν τῶν θεῶν οὐκ οἶδα οὔτε εἰ εἰσίν. etc. hoc est: De dijs quidem nescio sanè vtrum sint, aut quo pacto non sint, neque quali idea sint, prorsus scio. Effugiet insuper & aliorum fabulatorum errorem, ipsius inquam Platonis, Platoniqúe similium. Quæ enim illi è diuinis surripuerunt scripturis, deprehendet atque admirabitur. quæ vero falsa & mendacia bonis rebus admiscuerunt, abradet ille, ac veluti fimum stercusque rei jciet ab animæ suæ sedibus. Furtorum denique latibulis deprehensis, Pythagorici Numenij verbis fidem habebit. sic enim ille inquit: τί γὰρ ἔστι Πλάτων, ἢ μουσῶς ἀττικίζων; hoc est: Quid enim est aliud Plato, quã Atticus quidam Moses? His autem verbis apertissime ostẽdit Numenius, quæcunque pie dixerit Plato, è Theologia Moseos surrepta esse. Vt iam tempus sit amici homines, veritatis radices altius perscrutari. Sicut enim qui auro commixtam terram, argentaceámue effodiunt, simul atq; in minuta quædam ramenta inciderint, eiusmodi vestigia consectantes, vberiores rimantur venas, neque prius ab effodiendo desistunt, quàm multam auri vim copiamque inuenerint, ex qua ramenta illa sparsim diffusa fuerant, ita & vos decet Anaxagoræ, Pythagoræ, Platonis insuper ac Numenij, Plutarchique ac Plotini, cæterorumque philosophorum auditis sermonibus, fontem perquirere ex quo illi paucis admodum sacris vndis acceptis, libros suos cultiores reddiderunt. Denique illorum posthabita paupertate, sapientię abyssum haurire vos decet, vt inde quid sit opifex, quidúe opus, exactissime doceamini, quæ demum sit dignitas creaturarum quæ oculis videri non possunt, quæque sit earum commoditas quæ videntur. hoc enim perdocti Deũ in magnam deorum turbam minime diuidetis, sed Deum adorabitis qui semper est vereque existit, quique ex sola sibi insita bonitate cunctis rebus quæ sunt, ipsum dedit esse quo sunt. Ex quo fiet, vt qui nunc Dei hostes inimiciqúe estis, in domesticos Dei atq; amicissimos trãseatis, multaque vtpote familiares freti fiducia, qui nũc ducibus alijs indigetis, ipsi quàm plurimos aberrantes in veritatis semitam perducatis.

FINIS SECVNDI SERMONIS.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS SERMO TERTIVS, DE ANGELIS, DEQVE DIIS AC DAEMONIBVS MALIS.

TA vsu venit vt ea mirari corpora atq; efferre laudibus soleamus, quæ sint mẽbris integra, non cassa, non mutila, quæque naturę beneficio consonã pulchritudinem semel sortita, eam perpetuo saluam absolutamque tueãtur. Quibus autem corporibus vel deest aliquid vel superfluit, ea vulgo monstrosa dicere consueuimus. Pari quoq; modo & defectum principatus & multitudinem, vt rem maximè noxiam, accusamus. Monarchiam vero, hoc est vnius principis potestatem, veluti rem optimam, laudamus. Eo fit, vt Homericam illam sententiam magnis laudibus efferamus, quæ huiusmodi legem nobis instituit.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς. hoc est.

Haud bona res multi domini, rex vnicus esto,
Et dominus.

Hęc autem vobis non in cassum tanquam inanes nugas effutio, sed quia ab humanis rebus diuina vobis demonstrare contendã dignumque censeam diuinis in rebus huiusmodi comparationis terminum à vobis seruari. Ita vt sani quidem vobis atque integri appellentur, qui veram sectãtur Theologiam, quam videlicet & ab initio natura hominibus tradidit, & diuina subinde eloquia confirmarunt. Mancivero ac debiles habeantur, non ij solum qui nullos esse opinantur deos, sed ij quoque qui in multa numina Deum vnum partiti sunt, quique rerum omnium conditori parem creaturam statuerunt. Haud itaque soli Athei, hoc est Deum negantes, habendi sunt Diagoras Milesius, Cyrenæus Theodorus, Euemerusque Tegeates, & quicunque hos consectati sunt, Plutarcho teste Deum esse penitus abnegantes, sed Homerus præterea & Hesiodus, Philosophorumque collegia, nam & hi multos deorum ordines fabulantur. Quosdam autem illorum, ceu pessima quædam mancipia, humanarum perturbationũ seruos esse testati sunt. Neque vero etiam defuerunt, qui turpissima flagitia, quæque vel ipsi accusant, & à quibus suos abstinere adolescentes magnopere adhortantur, deos nuncuparent, ac tanquam dijs cultum venerationemq; exhiberent. Atque vt testis est Siculus Diodorus, omnium mortalium primi Aegyptij Solem Lunamque deorum nomine appellantes, Solem quidem Osirin, Lunam vero Isin esse dixerunt. Phœnices item cùm hæc ab Aegyptijs accepissent illorum exemplo deos sibi plurimos effecerunt. Plato etiam in Cratylo, affirmat Græcos primos hoc errore, de ijs videlicet qui falso dij nominentur, imbutos fuisse, ita vero inquit: φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων etc. hoc est, Videntur mihi Græcorum primi, hos solos esse deos censuisse, quos hodie barbarorum permulti, Solem ipsum videlicet, Lunam, Terram, Stellas, & Cœlum, quæ cùm viderent cursu quodam quasi euntia ab hac ipsa currendi natura θεοὺς quasi θέοντας, hoc est, currentes, nominarunt. Ipse quidem sapientissimus omnium rerum opifex, cùm sit vndecunque ditissimus, nec vllis quę videntur, quæque videri non possunt rebus indigeat, Cœlum tamen ac Terram, Solem, Lunam, cæteraque omnia quæ sentiuntur, quæque conspicua sunt, ad vsus hominum commoditatemque creauit, immo autem liberalitate ac magnificentia, amplius homini quàm pro necessarijs rebus contulit. Perque huiusmodi creaturas, præbet humano generi facultatem bonis omnibus iucundissime perfruendi. Sol enim ab ortu sese attollens, diemque efficiens, excitare homines videtur ad diuersa munia obeunda. Luna vero vbi iam luminare maius abscessit, nocturnas ipsa tenebras moderatur. Atq; ita fit, vt neque eos qui requiescere à laboribus volunt, contristet nimiæ lucis copia, neque illis rursus qui aut facere iter cupiunt, aut aliud quicquam agere, non opportunam facem luna sufficiat. Vbi vero luna iam deficit, idem præstare officium stellæ cernuntur. Ipse igitur mundi opifex, vt dudum dixi, hominibus prouidentia tanta consuluit. Homines autem qui muneribus ijs quæ maxima consequuti erant, quasi ducibus quibusdam suis ad Dei contemplationẽ vti debebãt, rerumq; illarum authorem laudando efferre, ipsum quidem inhonoratum illaudatumque reliquerunt, coluerunt autem naturam, vel vt Apostoli Pauli verbis vtar, seruierunt creaturæ magis quàm creatori, munerumque illorum tum magnitudo tum pulchritudo, occasionem illis ad ingrati animi vitium præbuit. datorem nanque illorum munerum ignorarunt, ipsis autem muneribus honores Deo debitos, persoluerunt. Atqui hunc hominum errorẽ sapientissimus Deus multo ante persentiens, nõnullos defectus elementis adiunxit, vt illorum quidem species ac magnitudo intuentes homines, ad opificem demirandum attolleret, ipsæq; vicissim labes ac * patientiæ homines cohiberent, quo minus ea tanquam deos adoranda censerent. In promptu enim videre est lucidissimum Solis ac Lunæ corpus exiguæ prætentu nubis obduci, caligineque ac nebula obtundi illorum radios & hebescere. Nonnunquam vero accidit, vt in meridiani temporis articulo, nec obiectis nubibus, nec vlla offusa caligine, Sol luce sua cassus appareat, idemque infortunium tempore nocturno Lunam afficiat. Quę sanè ipsa non absque sapientissimi Dei consilio euenire putanda sunt, etenim cùm moderatus ille tepor quià sole diffunditur, aptus sit alendis corporibus, plantarijsque ac seminibus valde commodus, dum illis quidem auctum nutritumque subministrat, fructus vero ipsos ad maturitatem opportunam perducit, Deus tamen vt ab eodem sole vehementiores radij nonnunquam intenderentur instituit, qui & hominum ipsorum & cæterarum animantium corporibus permolesti essent, fœtusque corrumperent à seminibus arboribusque profectos, nullamque aliam ob rem ita instituit, nisi ne solem vitæ causam esse authoremque opinemur, sed ministrum esse atque organum diuinæ voluntatis credamus. Aerem porro ipsum, tuendæ nobis vitæ quasi socium quendam adiutoremque instituit, huius enim reciproca spiratione non solum homines, sed brutæ quoque animantes victitare cernuntur, eiusq; illapsu refrigerare insitum calorem, lenioremque efficere, nihilo tamen secius & pestilentes morbi ab aere inuehuntur, contractaque pestis intemperie, corpora distabescunt, ne & hunc Deum esse opinemur, sed cùm illum videamus crebris affici qualitatibus immutariqúe posse, ab eius adoratione abhorreamus. Pari quoque modo & terram datricem vitæ diuitiarumque omnium, parentem insuper ac nutricem, communeque animantibus solum Deus decreuit, sed tamen ne harum rerum spectaculo ita decipiamur, vt eam veluti bonorum primam datricem in deorum numerum reponamus, multas huic quoque variasque rerum infirmitates adiunxit. Ex nimio siquidem calore ac frigore, iniuriam patitur, ac longe plus quàm sit opus imbre diluta, fatiscit atque dissoluitur, ita vt seminibus ac plantarijs vitium afferat. Rursumq; si nubes tempestiuam pluuiam non effundant, rarescit ea prorsus, & ad sterilitatem perducitur. Sæpe etiam accidit, vt pluuia tempore non suo illapsa, corruptionem vitiumque adducat, vnde perniciosas hominibus animantes progigni necesse est. Hanc itaque terræ infirmitatem conspicantes, qui sunt sanę mentis, tanquam Deum colere illam recusant, perque illam potius, perque enascentia germina ad contemplandum terræ germinumque factorem, tanquam per quædam media perducuntur. Sapienter igitur quidam nostrorum atque argute inquit, è creaturarum magnitudine ac specie, proportione quadam, generationis authorem spectari. Neque enim qualia sunt opera, talis continuo ipse est opifex, nec quanta hæc sunt, tantus & ille est. Videri enim hæc possunt, contrectari manibus ac sentiri, nonnullosque defectus atque infirmitates adiunctas habent. Ille autem nec tangi, nec videri potest, nec quic-

Rom. 1.

* πάθη.

quam pati, neque corrumpi, neque (quod ab eo facta opera patiuntur) vllam subit circumscriptionem. Valde igitur apposite, proportione quadam in superioribus verbis illis additum est. Etenim cùm cœli conuexa, terræ latitudinem, marium tractus, splendorem solis, lunæque nitorem, cæteraque huiusmodi contuemur quæ oculis cerni possunt, nequaquam ijs rebus factorem vtique parem facimus, sed infinita quadam mole ac pulchritudine potiorem illum suis operibus esse asserimus, vt merito sapiens ille vir dixerit, ex magnitudine ac specie creatarum rerum, generationis authorem spectari. Quam sane sententiam, Paulus Apostolus ita confirmat:

Rom. 1. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ, ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, etc. Inuisibilia enim ipsius, à constitutione mundi per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ipsius potentia & diuinitas. Per ea enim quæ videntur, factorem inuisibilem cogitamus. Ita & cùm arcam scamnumq; videmus, nequaquam ea fabrum lignariũ, sed fabrilia opera esse dicimus. Nauigium quoque affabre compactum cernentes, nõ illud solum miramur atq; suspicimus, sed illius opificem quamuis absentem quàm maximè laudamus. Tum si monile aliúdue collare ornamentum videmus egregie factum, aurifici laudem suam deferimus. Ita & in mundi fabricam oculos intendẽtes, illius quidem magnitudinem pulchritudinemq; miramur, quęq; vbertim ex ea sese fundit rerum vtilitatem. Intellectus autem noster, omissis huiusmodi qualitatibus, ad opificem illum procurrit qui hæc omnia sapienter extruxit. Optime igitur inquit Apostolus, Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque illius potentia & diuinitas. Tum omni prorsus venia indignos esse affirmat, qui mundi quidem creaturam spectarunt, neq; tamen illius creatorem, sunt admirati, sed ipsi creaturæ honorem Deo debitum, tribuerunt. Hinc merito Apostolus idem ita prosequitur.

Rom. 1. εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, etc. Vt sint, inquit, inexcusabiles, quia cùm cognouissent Deum, non tanquam Deum glorificauerunt, neq; illi gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Effusus vero in illorum accusationem, etiam opinionem eorum in medium attulit. φάσκοντες γὰρ, φησίν, εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν. hoc est: Dicentes enim se sapientes esse, stulti effecti sunt. Explicat autem quo genere amentiæ insanierint. inquit enim. ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου. hoc est: Immutarunt gloriam incorruptibilis dei, in similitudine imaginis corruptibilis hominis. Quique Deum incorruptibilẽ nominabant, imaginem sibi corruptibilium corporum extruxerunt. Neque vero cùm immortalis animæ ideam scirent, diuinos honores animæ tribuerunt, suámue ad impietatem satis hæc illis fuit insania, quod humana corpora, non animas, adorabant, sed, vt idem inquit Apostolus, & volucrum & quadrupedum & serpentum simulachra sibi componẽtes, hęc etiam deos esse dixerunt, quæque vtpote venenata & perniciosa, interitum viuis adferre solent, horum tamen imagines, seruatores deos nuncuparunt. Verum enim vero ad ea regrediamur, quæ nobis ad hæc dicenda originem præbuerunt, Aegyptios videlicet, Phœnicas, Græcosque, Solem, Lunam, Tellurem, Stellas prætera ipsaque elementa inter primos suos deos reposuisse. hoc enim & Plato, & Siculus Diodorus & Cheroneus Plutarchus tradiderunt. Subsequutis vero temporibus eos quoque qui humanum genus beneficio aliquo affecissent, aut qui fortiter in bellò pugnassent, quiúe terræ colendæ rationem aliquam inuenissent, infirmisúe corporibus salubrem attulissent curationem, hos delubris extructis in deorum numerum retulerunt. Hinc & ipse Sanchoniaton, Saturnum fuisse hominem, Rheam mulierem Saturni coniugem tradit, qui parentes Iouem & Iunonem filios procrearint. Subinde vero cùm beneficia quædam priores ipsi hominibus contulissent vita demum perfunctos dignos à Phœnicibus esse habitos qui diuinis honoribus culti, etiam dij vocarentur, quiúe & aris, & sacrificijs, & annuo epulo colerentur. Græci quoque Herculem sibi Deum fecerunt, vt generosum fortemque hominem. Neque minus & Aesculapium, quod artis Medicæ author saluberrimus extitisset, cassum vita, deum esse dixerunt. Eadem causa & Aegyptij adducti sunt, vt Apin diuina appellatione dignarentur. Et tamẽ Herculem Græci testantur, structis ab vxore Deianira insidijs, ipsum sibi lethale incendium intulisse, eoque pacto vita excessisse. Aesculapium vero aiunt fuisse hominem qui Medicæ artis præsidio, multos sanè mortales quàm plurimis ægritudinibus liberarit, tum fulmine ab Ioue incusso extinctum esse. Hæc autem præter multa alia Siculus Diodorus in quarto bibliothecæ libro cõscripsit. At nihilo secius quanquam Græci hęc probe sciant, & Herculem & Aesculapium, deos appellant. Cumque his Tyndarei filios Castorem & Pollucem, quos vocant Dioscuros, hoc est, Iouis filios, haud ita sane antiquos, sed qui cum Argonautis Colchos adnauigarint. Hi enim cum Hercule, Orpheoque cum illo, qui cithara vtebatur, piscesque fidibus suis permulcens soni harmonia pellectos sequi nauem cogebat, Argonautarum numerum impleuerunt, fuisse autem illos generatione vna Troicis temporibus vetustiores, superiore disputatione ostendimus. Bacchum vero, quod author serendæ vitis extiterit, vuaque compressa vini vsum ostenderit, in cæterorum deum ordinem transcripserunt. At ipsam Venerem, nullius quidem beneficij authorem, sed intemperantię magistram (prostituti siquidem corporis meretricem fuisse aiunt, ac Cinyram deperisse) deam tamẽ stultissimi appellarunt. Neque id sane admirandum

dum contingit. Nam qui ne venenata quidem reptilia non diuina appellatione dignati sunt, ægre ipsas mulieres hoc cassas honore voluissent. Quin & ipsum Ganymedem apud Poetarum fabulas rapuisse dij perhibentur, qui Ioui pocula ministraret. Neque minus & Helenam, post quàm plurima eademque vulgatissima adulteria seiungentes ab latere Menelai, in cœlum, sicut inquit Euripides, sustulerunt. Itaque non solum qui boni aliquid humano generi attulerunt, sed lasciuissimos etiam tum viros tum mulieres, Græci deos fecerunt. Hos autem ritus cùm Romani à Græcis perdidicissent, suos imperatores vita perfunctos, diuinitate dignos habuerunt. Neque solum eos imperatores qui legitime regnantes, iustitiam coluerunt, sed qui per tyrannidem iniustitiam, præterque fas imperium gubernarunt. Neronem enim, qui ad omnem speciem lasciuiæ iniquitatisque abunde progressus est, Domitianum præterea, & Commodum, sæuissimosq; alios & sceleratissimos homines, deorum suorum catalogo adiunxerunt, secundamque hanc speciem deificationis homines excogitarunt. Tertiam vero illi commenti sunt, qui fidem Poetarum fabulis habuerunt, quibus tamen & Plato in Timæo credi adhortatur, inquit enim Plato: περὶ γὰρ τῶν ἄλλων δαιμόνων, φησὶν, εἰπεῖν καὶ γνῶναι τῶν γενέσιν πλέον ἢ καθ' ἡμᾶς, etc. hoc est: De alijs dæmonibus vel loqui vel scire ipsorum genus, vires nostras excedit. Credenda vero quæ nobis veteres tradiderunt, à dijs, vt ipsi de se inquiunt, oriundi, maiorumque ac patrum suorum apprime conscij. Non itaque fieri potest, vt fides deorum filijs ac nepotibus non habeatur, tametsi nec signis, nec demonstrationibus necessarijs vtantur, ad faciendam fidem. Oportet autem lege quadam adactos, ea credere quæ tanquam sibi propria & domestica se dicere profitentur. Subinde vero & Hesiodũ Plato adducit, Chaos, Oceanum, Tethyn, Cœlum, Terram, Cœlique ac Terræ filios, Saturnum, Rheam, Iapetum, aliosque nonnullos, nec minus & eos qui ex Saturno & Rhea geniti memorantur Iouem, Iunonem, Neptunum, Ditem. Neque talem ac tantum pudet Philosophum, adhortari nos, vt ijs fidem habeamus qui talia fabulantur, quique lasciuissimos deos eosdemque patricidas & filiorum enectores, nobis proponunt. Saturnus enim, Cœli patris pudenda execuit, quotque ipse filios ex se gigneret natos protinus deuorabat. Iupiter quoque cùm Saturnum regni finibus expulsum Tartaro tradidisset, tyrannum sese, & quidem scelestissimũ, præbuit. Neque enim tantum sororem, sed matrem quoque ac filias sibi vxores adiunxit. præterque has ipsas & innumeras prope fœminas deasque stupri commercio vitiauit. quæ sane flagitia cùm Plato minime ignoraret, hortatus est tamen vt solius patriæ legis causa Poetis fidem habeamus, tametsi neque vllis signis, neq; demonstrationibus, ad probationem vtantur. Ex quo plane constat, Athenienſis populi metu adductum, populari errore implicitum permansisse. Quod ne quis dubitet verum esse, ipsemet Plato sua in Republica ita testatur. πρῶτον μὲν, ἦν δ' ἐγὼ, τὸ μέγιστον ψεῦδος τῶν μεγίστων ἐψεύσατο ὁ ἐπὼν, ἀληθῶς, etc. hoc est: Primum, inquam ego, qui maximum maximisque de rebus mendacium est loquutus, procul à veritate mentitus est, Cœlum videlicet ea perpetrasse quæ poeta canit Hesiodus, eundemque à Saturno affectum supplicio fuisse. Sed neque si maxime vera sint, quæ Saturnus fecisse dicitur, quæque à filio Ioue perpessus, temere sunt ea stultis hominibus iuuenibusque narrãda, sed reticenda sunt ea potius, aut si qua instet enuntiandi necessitas, danda est opera vt occultis atque obscurioribus verbis ea proferri audiant. Pauloque mox ita subsequitur: καὶ γὰρ ἦδ' ὅς, οἵ τε λόγοι χαλεποί, etc. hoc est: Etenim, ait ille, difficiles ò Adimante sunt hi sermones, neque in ciuitate nostra dicendi. Neque enim audiente iuuene dicendum puto, quod qui maxime sit iniustus, nihil noui admirandique admittat, neque qui malum atque iniquum patrem modis omnibus puniat. Quandoquidem ea faciat, quæ primi ac maximi deorum fecisse narrantur. Inquam vero ego, nequaquam ea mihi videri prorsus idonea, quę adolescenti, quæúe cuiquam alij referantur, quod videlicet dij deos bello insidijsque lacessunt, (neque enim vera, neq; vtilia censenda sunt) si putandum est eos qui nobis custodes futuri sunt ciuitatis, fœdum hoc facinus admittere: vt facile in mutuas simultates inimicitiasque ferantur. Maxime verò abest, vt fabulosæ deorum pugnæ gigantúmque dicendæ sint iuuenibus, aut componendæ, aliæúe genus omne insidiæ quas dij heroésq; aduersus cõsanguineos ac necessarios suos struxerũt. Subinde aũt cùm Plato idẽ lata lege sanxisset, quænam iuuenibus proponẽdę essent disciplinæ, ita subiũxit: ἥρας δὲ δεσμὸς τοῦ υἱέως, καὶ ἡφαίστου ἐξείλεις τοῦ πατρός, etc. hoc est: Iunonem verò à filio colligatam fuisse, Vulcanúmque proiectum à patre, vt matri quam Vulcanus verberauerat, auxilium ferret, deorum præterea pugnas quæ ab Homero finguntur, neque sensu allegorico, neque absque allegoria, in ciuitatem admitti decet. Puto autem ego hæc quæ modo attuli, Platonis verba, vel ab ijs etiam qui literarum prorsus ignari sunt, manifeste cognosci quàm sint penitus illis contraria quæ idem Plato in Timæo conscripsit. Ibi enim præcepit sine vlla disceptatione & controuersia poetis credendum esse, quanquam nec signis nec demonstrationibus necessarijs ad faciendam fidem vterentur. Hoc autem loco impudenter eos accusat, vt qui falsa figmenta & probrosa quædã commenti sint. Hinc & deorum nomina allegorijs honestat, turpitudinémque illorum ita obtegere ac velare conatur. Huiusmodi autem rationum liber qui Cratylus inscribitur, est plenissimus. In eo siquidem Dialogo, Cronon, hoc est Saturnum, quasi saturum mentis atque intelle-

intellectus Coronon vocat, modo & Chronon id est tempus, ab eo quod est ῥέω, rheo, quasi rhoon, id est fluentem, appellat. Fluxam quoque naturam Rhean, et aerem ἥραν, hoc est heran, appellat, qui enim rectum huius nominis, perpetuo quodam tractu sæpe ingeminet vt videlicet dicat ἥρα, ἥρα, ἥρα, id est, era era era, manifeste aeris nomen ingeminabit, quasi dicat aer aer aer. Nec minus & humentem naturam Posidonem, hoc est Neptunum, vocat, quasi δέοντα vel δεσμοῦντα τοὺς πόδας, hoc est pedes ambulantium colligantem, ac ne procedant vlterius cohibentem. Terram vero & Plato & Orpheus & alij nonnulli δήμητραν, id est Dimitran appellarunt, ὡς δὴ μητέρα καὶ προφόρον ἁπάντων ἐν αὐτῇ διαιτωμένων ἁπάντων, hoc est, Matrem altricemque omnium quę in ea vitam ducunt. At Aegyptij volunt Isin & Osirin, esse solem & lunam. Δία δὲ, hoc est, Iouem aũt spiritum esse aiunt, qui διὰ πάντων, hoc est, Per omnia feratur et commeet. Ἡφαίστον δὲ, hoc est, Vulcanum autem, esse ignem contendunt. Oceanum vero, humidam aqueamque naturam. Quæ rationes rerum, apud Manethum Siculumq; Diodorum leguntur. Ac terræ quidem principalem vim ἑστίαν, id est, Vestam, nuncuparunt, Rheam vero, petrosam montanamque portionem. At Dimitran, eam quæ campestri solo subsidit. Naturalem porro vim Dionyson, id est Bacchum, vocarunt. Selenen quoque, hoc est lunam, à splendore quod Selas appellant, etiam Artemin nuncuparunt, velut aerotomin, hoc est quæ per aerem pergens, aerem secet, quasi aerisecam. Huic Apin, bouem ita dictum, Aegyptij nutriunt. Soli vero, hircum, quem vocant Menden. Ita nonnulli Philosophorum pudore fabularum affecti, Poetarum fabulas in allegoriam verterunt. Rationé vero huiusmodi fabularum, Romani nunquam accipiendam esse censuerunt. Cui rei Dionysius Halicarnasseus idoneus testis est. Ita enim de Romanis loquitur, in libris quos de Romanæ vrbis antiquitate cõscripsit. ὅτε δὴ ὁρανὸς ἐκτεμνόμενος τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας πρὸ ὁμαίοις λέγεται, hoc est: Neque enim perhibetur apud Romanos Cœlius à suis liberis euiratus, neque Saturnus progenitos à se filios de medio tollere metu venturæ seditionis, neque item Iupiter, Saturni patris imperium demolitus, eum in carcerem Tartareum coniecisse. Alias denique à Græcis inuentas fabularum rationes, cæteraq; generis eiusdem mysteria, testis est Dionysius ab Romanis repelli. Atque hunc tertium esse modum dicimus, quem Græci dijs sibi faciẽdis commenti sunt. Est vero & quarta amplius species, extremæ cuiusdam insaniæ, furorisque plenissima. Quam enim patientem animæ vim appellant expertemque rationis, quamq; rationis imperio subijci adhortantur, hanc stulti gentiles Græci deificant, vimque concupiscendi Venerem Cupidinemque appellant, Martem vero, ipsam irascentiæ vim. Tum ebrietatem, Dionysium vocant, id est Liberum Patrem. Rationem vero, Mineruam. Rursusque Vulcanum, pro artibus volunt accipi, quia ignis adminiculo pleræque vtantur. Dolum præterea furacemque fraudem, vocant Hermen, ipsum scilicet Mercurium. Neque illos pudet qui lasciuiam detestantur flagitiososque homines pœna afficiunt, flagitium tamen ipsum pro deo venerari & colere. Cũq; latis legibus ignominia afficiant scortantes simũl & scorta, nec minus & iugulãdos esse eos decernant qui adulteri alienos thoros insiliunt, homicidasque præterea palis infigant tympanisque distentent, causas tamen ac stirpes tantorum scelerum, libidinem videlicet, iracundiam, crapulam, ebrietatem, cœlestium deorum appellatione dignari, diuinosque illis honores ritusque persoluere. Non inquam eos pudet, qui morborum talium causa, leges omnes instituerint, ipsos subinde morbos latæ legis præcepto venerari, quiq; alibi suis in sermonibus virtutem admirando collaudent, hic eam tamen vt superfluentem nimiamque exigere. Si enim, vt ipsi aiunt, vis illa animæ qua quicquam concupiscimus Deus est, qui obortæ libidini reluctetur, erit prorsus in Deum impius ac profanus. Pari modo, si ebrietas, si iracundia in deorum numerum reponuntur, qui hos deos auersetur, ab illisque se contineat, manifestumse deorum statuet inimicum. Fugienda itaque erit virtus, tanquam sit deis contraria, adamandaque erit incontinentia, vtpote quæ Deus nuncupetur. Cæterum, hæc sunt multo poeticis fabulis leuiora magisque noxia. Græci ergo gentilésque Philosophi, vt est in veteri prouerbio, dum fumum euitare contendunt, in ipsum vt videtur ignem inciderunt. Habet enim hoc periculum mendacij falsitas, vt qui sospes hunc effugerit callem, incidat in alterum multo difficiliorem. Ea igitur est apud Græcos quarta species deos instituendi. Antisthenes quidem Socratis familiaris Diogenisque præceptor, qui temperantiam dicitur fecisse quàm maximi, hæc de Venere olim dixit: ἐγὼ δὲ τῷ ἀφροδίσιῳ κατεχρησαίμην ἂν εἰ ἔβοιμι, ὅπου πολλὰς ἡμῶν κοὐκ ἀγαθὰς γυναῖκας διέφθειρεν, hoc est: Ego si Venerem capere mihi liceat, iaculis nil moratus transfigam, quando hæc, nobis honestas probasq; mulieres vna corrupit. Idem Antisthenes Cupidinẽ, naturæ vitiũ appellabat, cui vitio miseri homines succũbentes, pessimam ægritudinẽ, Deũ vocant. Eam obrẽ insanire potius, quã voluptate affici, peroptabat. Græcos aũt vel in ipso allegorico sensu discordes inter se fuisse, is plane cognoscet qui in philosophorum libros inciderit. Plato enim, aerem Iunonem nuncupat. Plutarchus vero, eandem esse vult terram. Latonam autem, lethen aut noctem vocat, in qua hominum mens, lethen quandã, hoc est obliuionẽ rerũ, accipiat. Orpheus autẽ inquit: Γῆ μήτηρ πάντων δημήτηρ πλουτοδότειρα. hoc est: Terraparens, ipsa alma Ceres bona cuncta ministrat. Græcos aũt Philosophos alternis disceptationib. euertisse quæ olim de Deo loquuti fuerint, Plato in Epino-

Epinomide hisce verbis ostendit: θεολογίαν τοίνυν καὶ ζωογονίαν αἰαγκαῖον ὡς ἔοικε. etc. hoc est: Theologiam itaque atque animalium genituram, cum superiores, quantum mihi videtur, non bene effigiarint, necesse est vt ipsi resumentes posteriore sermone melius effingamus, accedentes ad pias sanctasque rationes. De ijs autem hominibus qui in deos relati fuerunt, Plutarchus in eo libro cui titulus inscribitur, De oraculorum defectu, ita scriptum reliquit. τὰ δ' γιγαντικὰ καὶ πανικὰ πρὸς ἕλληνιν ἀδόμενα, etc. hoc est: Gigantum vero gesta & Titanum, quæ à Græcis canũtur, aliaque complura nefanda facinora, Typhonisque aduersus Apollinem pugnæ, nec minus & Bacchi exilia, Cererisq; errores, nihil differre videntur ab Ostricis rebus atq; Typhonicis, quas passim est audire turpiter atque impudenter fabulis inuulgatas. Rursus vero idem Plutarchus hæc ait: ἐπὶ καὶ Ὁλύμβος πυνθάνομαι τὸς λυκίων προσόμνυς, ἐν τοῖς μάλιστα τιμᾶν τὸν κρόνον, etc. hoc est: Quandoquidem & Solymos audio Lycijs propinquos, Saturnum maxime venerari. Postquam vero is eorum principes, Arsalum videlicet, *Arium, ac Tosobin, de medio sustulit, abijtque fugiens, quocunque demum abierit (hoc enim Lycij satis compertum nõ habent) aiunt eis nullam amplius Saturni curam fuisse, Arsalum vero sociosque Arsali duros ac difficiles deos appellare cœpisse, quorum in honorem * imprecationes diraſque suscipi tum publico tum priuato etiam ritu instituerint. Porphyrius quoque in ea epistola quam scribit ad Anebonen Aegyptium testatur ab Aegyptijs hominem in Anabi villa pro deo coli solitum esse, cui super aram rem diuinam facerent, certoque ac opportuno tempore proprium illi epulum conueniensque offerrent. Neque vero Aegyptijs quartus error suffecit, sed quintum insuper commenti sunt. Pessimos enim dæmonas sibi deos fecerunt, magicasque imposturas ab eisdem perdocti, sacrificijs magistros suos alijsque ritibus coluerunt. Id quod eo in libro Porphyrius plane ostendit, cui titulus est, De electorum philosophia. Ego autem, vel ipsius Porphyrij verba legenda vobis apponã: ἀλλὰ μὴν τοῖς τῶν ἐναντίων πάσα χρεία ἐπιτελεῖται, etc. hoc est: Per contrarios tamen ac infestos dæmonas, vsus omnis in Magia ipsa perficitur: eiusmodi enim maximæ dæmonibus præsidem potestatem ij placant & venerantur, qui per veneficia res noxias exercent. Mali siquidem illi dæmones, magnam copiam habent omne genus apparitionum atque imaginum, possuntque tum monstris atq; præstigijs ludificare mortales, tum philtris & amatorijs potionibus, quas conficere egregie callent. Omnem præterea diuitiarum & glorię spem, in ijs dęmonibus locatam ferunt, præcipue vero, impostura fraudisque artificium, mentiri enim ac fallere, vt proprium sibi vendicant, diuinitatem vero sibi arroganter vsurpant. Præsidens autem illis potestas, videtur maximus quidam deus esse. Hi denique sunt, qui nidore ac libaminibus gaudent, quibus eorum corporea vis, spiritualisque reficitur ac pinguescit. Præberi autem mihi hoc loco occasionem video, vt cum Porphyrij verbis conferam deorum sermones, quos Homerus loquentes inducit, quandoquidem & ij libamina nidoremque victimarum, in propriam sibi sortem cessisse aiunt. Plane igitur constat, malos dęmonas à Porphyrio nuncupari quos Homerus deos appellat, vterque enim nidore ac libaminibus gaudere illos affirmat. Quærendum vero, quænam illa sit potestas quam Porphyrius inquit malis dæmonibus præsidere, ac sese ipsam falso eorum maximam nuncupare. Neque vero mihi diu quæritandum erit, in eodem enim libro idem sic inquit: τοὺς δὲ πονηροὺς δαίμονας οὐκ εἰκῇ κατὰ τὴν σάρασιν καταπτεύομεν, etc. hoc est: Malos autem dęmonas, haud temere suspicamur sub Sarapidis esse potestate. Neque ad credendum signis tantummodo quibusdam adducimur, sed multo magis quod quæcunque vel demulcendis illis vel etiam auertendis Magi factitare consuerunt, ea omnia Plutoni deferuntur, sicut in primo volumine ipsi ostendimus. Idem vero est deus Sarapis, qui & Pluto, emque ob causam maxime dæmonibus dominatur. Iterum vero et hæc adiunxit: μὴ πολλοί εἰσιν οἷς ἄρχει ὁ σάραπις; etc. hoc est: An ne hi sunt quibus Sarapis imperat? Est autem illorum symbolum siue tessera, triceps canis, hoc est malus dæmon, qui in tribus inuenitur elementis, aere, aqua, & terra, atque hos quidem dæmonas cohibet Deus ac sedat, sub manu habens. Dominatur vero illis etiam Hecate, vtpote quæ illos continet in triplici elemento. Hæc autem quæ modo attuli, nõ Moses Hebraicus legislator, non Petrus aut Paulus aut Ioannes veritatis præcones, contra malos dæmonas conscripserunt, sed Porphyrius aduersarius veritatis. Plutonem igitur atque Hecaten, malorum dæmonum principes esse dixit, mentitosque ait sese maximum deum esse. Videtur autem hoc miraculum illi esse quæstioni persimile, quod fortis ille Sampson proposuisse quondam perhibetur, Ex ore comedentis exiuit cibus, & ex forti dulcedo. Hæc enim quæ sunt ad refellendum mendacium, à fautore mendacij Porphyrio scripta sunt, & qui veritatem accusabat, proditus est præter animi sui sententiam veritatis adiutor. Neque tamen hoc valde admirandum occurrit. Deus enim qui linguam vatis Balaam imprecari paratam, coegit bona verba proferre, idem & Porphyrij linguam rabido quodam furore aduersus veritatem exilientem, inuitam, contra mendacium falsitatemque immutauit. Neque vero hæc ipsa Porphyrius hoc solum loco conscripsit, sed in epistola ad Aegyptium Anebonem, persimilia his commemorat, ibi enim sic inquit: τοῦ τῶν θεῶν μὴ κολαζομένων, πονηρῶν δὲ ὄντων δαιμόνων,

*al. Iryum ac Trosobiũ.

*Quales fortasse ex in honorem Eumenidum facebant.

νων, etc. hoc est: De ijs autem qui Dei quidem nominantur, re autem ipsa mali sunt dæmones, illud me non parum sane conturbat quonam videlicet pacto hoc fiat, vt qui tanquam meliores hominibus potentioresque inuocantur, imperijs tamen hominum, ceu peiores inferioresque sint, vrgeantur. Cumq; ipsi æquum esse prædicent, vt seruus qui iniqua gesserit puniatur, ipsi tamen ad iniusta facinora sese iussis adigi patiantur. Neque aduocanti illi parendum putent, qui sit admisso stupro impurus, qui tamen ad obscœna flagitia quoscunque homines perducere non grauentur. Atque ab animatis quidem corporibus rebusque abstinere, sacrorum interpretes censeant oportere, ne à corporum vaporibus polluantur, cùm tamen ipsi nidore victimarum, sacrificiorumque vaporibus tanquam escis quibusdam quàm maximè oblectentur, nefasque ducant ab eo morticinum contrectari, qui sit rebus diuinis mysterijsq; præfectus, & tamen cæsis animantibus per cruorem cædemque dæmones deducantur. Illud autem multo quàm hæc omnia magis abest à ratione, cùm videlicet non dæmoni quidem aut animæ defuncti hominis, sed ipsi adeo Soli, quem maximum regem imperatoremque Magi habent, sed Lunæ, sed alicui ex cœli sideribus, homo de medio sumptus seruilisque nonnunquam conditionis terribiles minas intonat, mentiturque se dijs terrorem incutere, vt interrogati vera respondeant. Etenim cùm quis eorum denuntiat quod cœlum diffringet, quod occulta Isidis reuelabit, quod ea quæ sunt in adyto secreta aperiet, quod Charonis cymbam firmabit, quodque Osiridis membra Typhoni disserpet, si ea comminantem respicias quæ nec facere possit quisquam nec sciat, quem non illa stuporis excessum dementiæque excedant? Si vero dæmonem trepidantem deúmue consideres, nouo quodam fictitiæ rei metu quasi scilicet ne fatui quidem pueri terreantur, quam consternationis immensæ magnitudinem metus ille non superet? Ipse etiam Chæremon scribat rerum sacrarum, commemorat esse hæc apud Aegyptios valde nugis inuulgata, atque hæc ipsa & quæcunque sunt alia, esse violentissima. Post multa vero alia & hæc addidit: περὶ δὲ εὐδαιμονίας ἀδιάφορος, etc. hoc est: De felicitate autem nihil habent, quod tutum quodque dignum fide habendum sit. Verum enimuero Porphyrius ille qui nobis iure optimo planus quidam seductorque eorum dicendus est qui res diuinas veramque religionem perdocti sunt, multo etiam manifestius quàm ij fecissent qui dæmonum fraudem abominantur eorum dolos coarguit ac refellit quos ipsi deos vocatis. Ipse enim veritatis aduersarius, manifeste ostendit hos nec deos esse, nec bonos dæmonas, sed mendacij magistros, omniumque flagitiorum patres. Eosdem Plato in Timæo ne natura quidem immortales ait esse, inducit enim authorem ipsorum Deum, sic eos alloquentem: Ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ οὐδ' ἄλυτοι τὴν πάμπαν, etc. hoc est: Immortales quidem minime estis, neque penitus insolubiles, quod autem soluemini, mea voluntate id vobis continget. At Homerus his contraria sentire videtur. vbiq; enim in sua poesi eos immortales appellat. inquit enim: Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ' οὐδ' πίνουσ' αἴθοπα οἶνον, etc. hoc est: Nec Cererem absumunt, atri nec pocula vini. Sanguine nanque carent, immortalesque vocantur. Tanta est igitur de ijs qui non sunt quidem, sed tamen dij vocantur, inter Philosophos Poetasque controuersia, & tamen illis & aras & delubra ædificarunt, sacrificijsque eos colentes, tum simulachra & imagines è lignis ac lapidibus, aliaque ex materia exsculpentes, deos vocitarunt, idola manu confecta, statuasque Phidiæ, Polycleti, ac Praxitelis arte composita, diuina appellatione dignati sunt. Hanc itaque imposturam Xenophanes Colophonius accusans, ita inquit: Ἀλλ' οἱ βροτοὶ δοκοῦσι γενέσθαι θεούς, Καὶ ἴσην αὐσαν φωνήν τε δέμας τέ, etc. hoc est: At mortales homines, putant deos genitos esse, Sensibus æquales & voce & corpore nobis. Rursusque ita: Ἀλλ' εἰ μὲν χεῖρας εἶχον βόες ἢ λέοντες, &c. hoc est. Si manibus possent vti tauri atque elephantes, Pingere vel manibus, vel quæ nos facta referre, Iam similes & equis diuos bubúsque videres, Cornipedes finxisse & equos tauróque; bicornes, Haud alio factos quã quo ipsi corpore nunc sunt. Tũ verò imposturam hanc manifestius carpens, ab ipso quoque simulachrorum colore falsitatem coarguit. Aethiopas enim inquit suos sibi deos effingere atros prorsus ac simos, qua videlicet corporis habitudine Aethiopes ipsi nascũtur: At Thracas, deos effigiare glaucos, ac rubore suffusos. Pari modo Persas Mœdósq; sibi perquam similes deos facere. Aegyptios item, formare illos ad imaginis suę exemplum. Quę cùm videret Zeno Citieus in eo quem de republica librum edidit, iuxtà prohibuit & templa & deorum simulachra confieri. quandoquidem nullũ id genus opus dignum Deo habendum esset. Plato autem haud penitus hæc confici vetuit, timens scilicet ne Athenienſium gratia beneuolentiáque excideret, néue sibi quod olim & Socrati venenum porrigeretur, cùm tamen ipse quoque deorum statuas & simulachra, dicterijs plurimũ carpat. inquit enim: μηδὲν ὅρ ἕπτρῳ ἱερὰ καὶ πεφύτω θεοῖς, etc. hoc est: Nullus itaq; alter, sacra dijs cõsecrato. Aurum & argentum in alijs ciuitatibus & priuatim habitum & in sacris locis, inuidiosa res est. Ebur autem quod exemptum est exanimato corpori, oblatio minime sancta est. Ferrum præterea ipsúmque æs, bellorum sunt instrumenta. Lignea vero simulachra & lapidea, dicato qui velit, publicisque templis offerto. Quod autem Plato metu Athenienſis populi non penitus prohibuerit fieri simulachra, ex eo ipso, quem modo adduxi locum, facile est percipere. Primo enim vetuit, ne quis priuatim sibi deorum imagines faceret. Tũ verò & aurum & argentũ ciuitate exegit tanquam inuidio-

inuidiosam materiam, quæque animos mortalium ad sacrilegia perpetrãda incitare posset. Ebur autem, profanum ineptumque ad res sacras testatus est. Aes vero ac ferrum, bellis ait, non statuis faciendis, congruere. Et lignis vero lapidibusque duntaxat sculpi eas voluit. scicebat enim, puto, huiusmodi materiam contemptui obnoxiam esse, suapteque illam vi persuadere spectantibus posse, ne se vt diuinam rem haberent, néue eam materiam colerent, quam ita tenuem paruique adeo esse cernerent. Enimuero & pater omnium Deus, per prophetam grauiter eos accusat, qui sibi ligneos saxeosque deos faciunt, & venerantur. inquit enim, ξύλον ἄσηπον ἐκλέγετο τέκτων καὶ σοφὸς ζητᾷ πῶς στήσει εἴδωλον ἐκείνα ὡ ἵνα μὴ σαλεύηται. hoc est. Lignum inputribile delig it faber, & sapiens quærit quomodo imaginem sibi statuat ne quatiatur. Neque enim solũ demit è materia quod superfluum esse cognoscit, humanęq; formę similitudinem exprimit, ac partes singulas affabre sculpit, verumetiam sedis ipsius ac firmitatis non exiguam rationem habet, fulcrisq; ac ferreis clauis statuam firmat. Quódque ita tũ ex materia, tũ ex arte comparatum est, Deus vocatur, inquit ergo Propheta: ὃ δ' ἥμισυ αὐτοῦ κατέκαυσεν πυρί etc. hoc est. Cuius dimidiũ igne combussit tostasq; carnes comedit, & dixit iucundissimum mihi est quod calefactus sum, & vidi lumen. Dimidium vero sculpsit, ipsumq; adorat, precesque huiusmodi effundit. ἐξελοῦ με ὅτι θεός μου εἶ σύ, hoc est: Erue me, quoniam deus meus es tu. Cùm itaq; tam sapienter eorũ insaniam reprehenderit, ita subiunxit. γνῶτε ὅτι βδελυκτὸς ἡ καρδία αὐτῶν, καὶ αὐτοὶ πλανῶνται, hoc est. Scitote quoniam cinis est cor eorum, & ipsi errant. Ego vero eorum qui ad infidelitatem Gentiũ inclinant, impudentiam valde admiror. Conuicti enim ac pudore suffusi, cùm orbem terræ ad temperantiam modestiamque conuersum esse iam videant, atque ab antiquo errore depulsum, fatentur quidem mendacissimas esse fabulas ea quæ de dijs Poetę cecinerunt, neque tamen erubescunt ex ijs quæ faciunt, sese accusatos damnari. Adorãt enim manufactas imagines, inter quas & Veneris figurã, prostantibus in fornice meretricibus impudentiorẽ, quis enim vidit vnquam meretricem in foro stantem, nudo corpore sine palla & zona? At Venerem scortorũ præsidem & magistram, nudam faciunt statuarij sculptores, neque tunicula saltem illam obducunt. Quin & Europen tauro insidentem pictores pingunt, fabri constant, marmorarij cœlo effingunt. Bacchũ quoq; ijdẽ artifices, mollibus ac solutis membris, effœminatoq; corpore, nobis faciũt. Nec minus & ipsum Pana & Satyros equorũ atque asellorũ more coitus appetentes faciunt, atq; ad Venerem iã paratos concinnant. Pari quoque modo & Iouẽ sub aquilæ forma in Ganymede insanientem, Ledæ vero consertũ in cygni specie, Danaesque in sinum eliquati auri modo collapsum, aliaq; item figmenta sicuti Poetæ commemorant, effingunt simulachrorum artifices. Si ergo inanes rerum fabulas à Poetis confictas esse asseritis, quid ita, quęso, & marmorarios, & cusores apud vos esse, quid pictores etiam toleratis, cùm hi suo artificio falsitatem hanc tueantur? Cur & honore tanto afficitis quæ ipsi simulachra effinxerunt? Par enim fuit, siquidem Poetas iusta accusatione damnatis, ipsorum quidem poemata à vobis absumi, lege autem ipsos cohiberi artifices, illisq; obitum intentari, ne quis in posterũ vllo pacto eiusmodi simulachra vobis conficeret. Tum & illata nece plecti oportuit, qui legis pręcepta transgrederetur. Nec minus oportuit quæcunq; ad contumeliam & opprobrium factę essent imagines eorum qui dij vocantur, diffringi prorsus & aboleri, persuaderique omnibus falsa esse mendacia quę de talibus dijs vulgo ferantur. Cęterum nihil dum à vobis harum rerum factum esse conspicimus, imò autem permulta quę hisce rebus penitus sint contraria. Nam & poetas ipsos, eiusmodi figmentorũ causã suspicitis, statuarumq; opifices ac pictores operum suorũ quàm maximè laudatis, quęq; verborũ tenus simulachra detestamini, adoratis tamen, eáque sacrificijs ac solenni ritu percolitis. Quin & animal illud (Priapum dico) exigua quidẽ ipsum statura, sed exporrecto virili membro ingentem, pro deo habetis, phallúmq; Liberi patris, hoc est distentum veretrũ, videre est ab ijs qui orgia celebrant, adorari ea infestiuitate quam à circunferendis phallis Phallagogiã vocant. Nec minus & muliebrem pectinẽ (sic enim pudenda mulieris vocãt) in Cereris festo initiatę mulierculę diuino honore dignũ habent. Aegyptij vero sic obscœnis voluptatibus seruierũt, vt hircũ deum appellarint, quod salacissimũ animal sit ad Venerẽ, Mendesij verò eximijs hunc honoribus venerantur. Alię quoq; apud Aegyptios ciuitates, animalibus alijs diuinos cultus dicarũt. Nam Memphitę taurũ, & lupũ Lycopolitæ, & Leontopolitę leonem, & canẽ Cynopolitę, & piscem latũ incolę vrbis Latonis, alij verò ibin, alij crocodilũ proprijs festiuitatibus templisq; cõsecrarunt, ac eorũ singulis cõgruentes epulas apponẽdas curarunt, tum & stata illis sacrificia peregerunt. Defunctos autẽ, sumptuosa sepulchri mole dignati sunt. Tãtus olim error, quicquid terrarũ incolitur occupauit. Abunde vero hũc deleuit errorẽ, prsúsq; de medio sustulit Deus ille quẽ Christiani adoram⁹, ebriósq; homines ac dementes effectos, ad frugalẽ vitã cõstitutámq; traduxit. Sed enim dicturos vos puto, atque etiam vos Christiani quasdam potestates esse cõceditis, q̃ oculis videri nõ possint. Has aũt, Angelos, & Archangelos, principat⁹ pręterea, Potestates, Dominationes, ac Thronos vocatis, aliáisq; insuper Hebraicis nominibus Cherubin ac Seraphim appellare didicistis. Cur itaq; aduersum nos tantopere indignamini, si post Deum illum qui semper est, quique codẽ modo semper se habet, secũdarios quosdã deos, sed eo tamẽ multo inferiores, & opinamur

Esai. 40.

Esai. 44.

Esai. 44.

esse & veneratione prosequimur? Ad hæc autem quæ obijcitis, ita paucis respondeo. Puto equidem nos olim sacris fuisse monumentis perdoctos, esse quasdam potestates quę videri oculis nequeant, quęque hymnis laudent creatorem, eiusque diuinæ voluntati deseruiant. Neque vero has esse deos asserimus, neq; diuino cultu eas veneramur. Neque adorationem quæ Deo soli debetur, Deo & angelis ex æquo partimur, sed hos quidem pluris esse hominibus faciendos putamus, at conseruos tamen opinamur. Neque incorporeã naturam, in mares fœminásque distinguimus. Hac enim sexus discretione indiget eorum natura, qui subiecti mortis legibus viuunt, quia enim mors hominũ genus quasi in seruitutem adducit, nuptiæ liberorum propagatione, reponunt quod interitus ipse consumpsit. Mortale itaque animal, instrumentum hoc habet ad immortalitatem tuẽdam, sibi à creatore Deo tributũ, quod gignere filios ex se potest, eamque ob rem morituro quidem homini, fœminæ vsum necessariũ esse cognoscimus. Angelis vero quos immortales Deus creauit, fœmineus ille sexus omnino superfluisset, neque enim augeri propagarique indigent, qui decrescere comminuique non possunt, neque item commisceri opus habent qui corporum sunt exortes. Comprobat autem vera esse quæ dicimus, vtriusque speciei creatio. Neque enim Deus ab initio multos numero homines luto effinxit, sed virum vnum duntaxat, vnamque mulierem, duorúmque commixtio, totam continentem, marisque omnis insulas genere humano compleuit. Naturam autem eorum spirituũ qui videri non possunt, nequaquam ex duobus constituit, sed vniuersam simul semelque creauit. Quot enim millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tot repente simul produxit, vt superfluus continuo illis futurus fuerit fœminarum vsus, qui vt immortales propagatione non indigent, vtque incorporei commixtionem non patiuntur. Idcircoque hagios eos nuncupamus, tanquam nihil terreni insitum habentes, sed cunctarum infirmitatum exortes quæ circa terram gignuntur. Vnum vero duntaxat munus sortitos, vt in cœlesti choro factorem suum hymnis concelebrent; tum vt ministeria obeant, in quibus imperio diuinæ voluntatis obediunt, ab vniuersorum Deo ad humani generis salutem gubernationemque summissi. hoc enim de ipsis diuinus testatur Apostolus quo loco inquit: ἔχι πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν; hoc est: Nonne omnes sunt ministratorij spiritus in ministeriũ missi propter eos qui salutis hæredes futuri sunt? Horum profecto vitam imitati sunt, quicunque hominum Dei seruitium adamarunt, fugerunt enim quantumuis legitimam corporum commixtionem, vtpote quæ animum à diuinis rebus abducit. Patriam insuper ac necessarios reliquerunt, vt omnem curam ad diuina transferrent, nulloque vinculo impedirentur quo minus animo ac mente subuolarent in cœlum. Ita dum inuisibilem ineffabilemque Dei pulchritudinem intueri desiderant, omnia quæ sunt in terris, facile contempserunt. Horum iam plenæ ciuitates, plenæ sunt villæ, pleni montium vertices, pleni saltus atque conualles. Atque alij quidem cœnobia incolentes, cudunt in suis pectoribus philosophiæ pietatisque simulachra. Alij vero bini terniue ad summum viuentes, alij seorsum occlusi, oculisque prohibentes visibilium rerum pulchritudine oblectari, præbent animo facultatem fruendi rerum earum speculatione quæ intellectu solo percipiuntur. Quod si tam Cœnobitæ qui etiam solitarij, quanquam adhuc corporeis vinculis sint annexi, multisque ac varijs affectionibus perturbentur, incorpoream quasi vitam excellam illam quidem congruentemque cœlitibus amplexantur, quęnam satis oratio cœlitum vitam qui corporis sunt immunes, conuersationemque enarrabit ab omni prorsus perturbatione semotam, curisq; omnibus expeditam? Hæc nos igitur sacræ literæ docuerunt, quæ de natura illa sentiamus, quæ genita quidẽ est, sed oculorũ obtutu cerni non potest. At vos tantam cœlitum lasciuiam atque incontinentiam prædicatis, tantam omnis generis turpitudinem, tantas contentiones, tot bella, tot tyrannides eis tribuitis, vt ne pessimis quidem hominibus ea conueniant, quæ in vestris fabulis de illis conficta sunt. Neque enim scelestissimi homines tot numero flagitijs inquinantur, quot vos de maximo deorũ patre, deq; altissimo prædicatis. Permulti enim pueris adamandis fœdæ libidini seruierunt, alienas tamen nuptias minime attentarunt. Si qui vero in adulteria inciderunt, necessarijs tamen ac consanguineis fœminis pepercerunt. Quod si quis inuentus est qui sororijs amoribus captus fuerit, at in matrem debacchatus non est, neque in filiam insaniuit, humanæ aũt naturæ ac dignitatis eam rationem habuit quam debebat, neque induit brutorum animalium fatuitatẽ. Persas tamẽ semper excipio: soli nanq; hi vetusta quadam lege spurcissima quæque adducti, nullo habito delectu, beluarũ modo se gerunt, neq; se quicquam delinquere arbitrãtur. Iste vero quem Homerus hominũ patrem deorumq; appellauit, Iunonem quidem germanam sororẽ sibi vxorem fecit. Ipsi etiã Rheæ, quam & Deonam & Dimitran, id est Cererem vocant, quanquam mater ea sibi esset, actus furore libidinis, admixtus est, Phersephattamq; ex eo genitam stupro, vxorem duxit, factus filiæ suæ vir. Quę verò de Ganymedis raptu, de Leda, de Danae, deq; Semele & Alcmena, multisque alijs concubinis in Poetarũ fabulis lectitantur, explicare me pudet, puto enim rem superfluam me facturum, si apud fabularum peritissimos hæc percurram, poeticumq; fœtorem commouendo exuscitem. Vos aũt viri Græci appello, qui pudore fabularum suffusi, eas quidem falsissimas esse dicitis, & tamen vt veram Theologiam solidamque sectamini.

Hagios, quasi sine terra.

Heb. 1.

Conferte

Conferte igitur, quæso, quæ ipsi de incorporea quidem natura, sed tamen creata, fabulose confingitis, quæque à nobis de supernis potestatibus referuntur, ita enim quid intersit facile cognoscetis. Recta inquam ratione discernite, vestráne, an nostratia, inuisibilibus substantijs magis conueniant. Etenim si recto calculo dignoscere veritatem velitis, istos adorationis vestræ ritus, nõ sanctis quidem Angelis, sed pessimis dæmonibus congruere inuenietis. Quoniam verò in dæmonum mentionem incidisse me video, commodum puto quæ de ijs nostrorum hominum sit sententia, hoc maxime nũc loco vobis referre. Hos enim suo cũ principe, quem sacræ literæ, modo Hebraico vocabulo Sathanam id est apostatam vocant, modo diabolũ, quippe qui Deum patrem, apud homines criminando traducat, interq; ipsos homines alternas lites controuersiasque inijciat, Hos, inquam, ab initio nequaquam malos fuisse à Deo creatos perhibemus, neque qua nunc præditi sunt, sortitos naturam fuisse, sed vitio voluntatis à melioribus ad peiora præcipites corruisse. Cùm enim datis sibi muneribus cõtenti non essent, sed altiora quoq; appeterent, contraxisse labem superbiæ illos dicimus, ita vt ea quoque dignitate casi prorsus exciderint, qua honestati ab initio fuerant. Subinde aũt, rabie quadam contra humanum genus incitatos quod ad imaginem Dei factũ videbant, atrox bellum aduersus hominem suscepisse. Deum verò qui hominem procreauit, credimus Angelis præsidentibus custodisse humanum genus, ne qua vel violentia vel tyrãnide aduersarius noster hominem superirruens, quem inuidia succensus oderat, nulla habita ratione disperderet. Neque tamen sustulisse cœptum semel inter homines dæmonasque certamen, vt ea scilicet colluctatio pugiles fortissimos proderet, eaque occasione plurima virtutis ederentur exempla. Huius itaq; rei causa, tametsi violentos aduersarij contra nos impetus per angelorum custodiam repressisset, ille tamen concesit vt hominis rationes atq; discursus, tentationum pugna vexaret, vt videlicet eos corona dignos ostenderet, qui fortiter restitissent. Neque enim diabolum contra humanum genus armauit ipse atque instruxit, sed ad humanam vtilitatem diaboli malitia vsus fuit. Ita & medicos solere aiunt, qui ad morborum curationem viperis nonnunquam serpentibusq; vtuntur. Hæc inquam nos sacre literæ docuerunt, quæ de aduersis humano generi potestatibus sentiamus. Quæ autem Plato de eis senserit, pronum erit illi perdiscere, qui in eorũ lectionem inciderit quæ is in decimo legum suarum libro, ita conscripsit: ψυχὴ δὲ διοικοῦσα, ἣ οἰκοῦσα πᾶσι τοῖς πανταχῇ κινουμένοις, etc. hoc est: Cùm animam dicas omnia gubernare, omnibusq; insitam esse quæ vbicunque mouentur, vtique fatearis oportet cœlum quoq; ipsum ac terram animã gubernari. Quid ergo? vnámne, an plures animas statuemus? Ego pro vobis respondebo. Pauciores duabus animis ne statuamus, alteram videlicet, quæ bona conferat, alteram quæ res aduersas possit efficere. Plato igitur hæc conscripsit. Quantis verò ineptijs ea referta sint, continuo intueri licet. Vocauit enim animam, vim quandã & potestatem, quæ moderetur omnia & gubernet, tã quæ videri possunt quàm quæ videri non possunt. Hac autem, non modo ipsam terram, sed cœlũ quoq; gubernari asseruit. Tum interrogatus, vnámne, an plures animas ponendũ esset, respondit, pauciores duabus poni nõ oportere, harumq; alteram appellauit bonorũ, malorum alteram effectricem, vtrique autem, parem vim æqualemque facultatem tributam ait, fit ergo, vt & cœlũ ab ea gubernari statuat anima quæ perniciem rebus inuehat. Quanto nos igitur melius qui à sancto spiritu quem consolatorem litteræ sacræ appellant, regi sanctificarique, non Angelos solum atq; Archangelos, aliosq; supercœlestes ordines, affirmamus, sed ex hominibus quoq; ipsis quicunq; pietatem colere, magniq; res diuinas facere cooptarint. At verò dæmonas dęmonumq; antistitẽ non modo à cœli vertice deturbatũ fuisse credimus, sed nunc quoq; conspicimus horrore percitum, formidare ac fugere virtutis Christianæq; religionis athletas: Solos autem sibi eos subigere, qui diuinæ transfugæ veritatis, vltro se in illius amicitiam dederint. In solis enim *inobedientiæ filijs, operari illum diuinus ait Apostolus. De hoc rursus Plato sic in Phædro scriptum reliquit: ἔστι μὲν ἔμοιγε ἄλλα κακά, etc. hoc est: Sunt igitur & alia mala, sed dæmon quidam plurimis ipsorum præsentem voluptatem admiscuit. Hac ille tanquam illecebra quadam vtitur, perniciosúmque hamum obducens, alios quidem fallit perditque hominum. Quidam vero valentiore animo prediti, laqueos præuident, eosque transiliunt. Itaque tum de rebus alijs, tum & de Angelis ac dæmonibus sententias inuicem comparantes, videte, quęso, vtri magis conuenientia Deo senserint, ij ne videlicet qui bonũ Deum malæ naturæ authorem fuisse aiunt, huicque non modo terram, sed ipsum etiam cœlum sua pro libidine moderandum tradidisse affirmant, an qui contraria sentientes nullis aiũt rebus Deum mali cuiusquam fuisse causam, sed voluntario delectu dæmonas ad malitiam declinasse, sicuti & plerique hominum mali fiunt. Puto autem vos quoque iam confessuros, nostra hæc dogmata multo illis esse potiora. Quod si in sacras literas incidatis, finemque illarum diligentius doceamini, planius iam scietis quid diuinitus inspirati sermones ab humanis rationibus differant, qualiáque sint spiritus sancti dogmata, qualia sint rursus & malorum dæmonum documenta.

alias differentiæ.

Ephe. 2.

FINIS TERTII SERMONIS.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS CONTRA INFIDELES GRAECOS SERMO QVARTVS, DE MATERIA & Mundo.

DEMOcritus Damasippi filius, Abderites, dixisse fertur optimam doctrinam naturæ perquam similem esse. Hac enim transformari animam, atque in melius dirigi, notasque illas quas ab initio natura nobis inseruit, quasi vetustate abolitas renouari. Cuius viri sententiam, ego quoq; verissimam esse arbitror. Etenim Porphyrius, Socratem Sophronisci filium inquit agentem iuuentutis annos, ad lasciuiam propensum incontinentiamque fuisse, studio tamẽ ac disciplina typos eiusmodi abolesse, melioresq; sibi Philosophiæ notas impressisse. Multa vero in hanc fermè sententiam, sacræ nos literæ docuerũt. Publicanos enim seruator noster, genus hominũ auaritiæ iniustitiæque addictũ, lasciuissimam præterea meretricem, grassatorémque iniquissimum, multosque alios qui in malitia & peccato vitam consumpserant, sanctis concionibus atq; hortamentis eruit de malitiæ suæ barathro, perfectissimæq; virtutis operarios reddidit. Quid tres aũt vel quatuor, vel decẽ, vel quindecim dico homines? quicquid enim terrarum incolitur corruptissimũ flagitijs nactus, paucorum sermone quos ipse ad hoc muneris instituerat, protinus immutauit, quique olim homines extra se positis ac dementibus perquam similes erãt, frugi ac temperatos effecit. Harum itaq; rerum apprimè conscij, saluberrimam doctrinam vobis afferimus. Neque à curandis vobis labore vllo abducimur, tametsi pugnantes inuicem disceptantesque videamur, nostramque curationem longius repellentes. Imo autem vestræ impietatis morbum, spongia nostræ orationis aspergimus, iámque huic incepto tertiam nos operam contulisse gaudemus. Quàm sit enim vtilis, quãque necessaria fidei medicina ostendimus. Quid præterea de diuina substantia sentiendum, quid de naturis quæ quidẽ creatæ sunt, sed tamen videri non possunt: tum & poeticæ fabulationis obscœnitatem deteximus, refutatis portentosis Philosophorum allegorijs. Quia verò & de creatura quæ cerni oculis potest, neque vera neque inter se concordia Philosophi opinati sunt, sed veluti per vmbram noctis depugnarint, in multas dissecti partes abierunt, mutuisque dissensionibus sese tanquam acerrimis inimicis vsi sunt, haud ab re facturum me puto, si & horum sententias in medium afferam, sanctæque scripturæ dogmata ex aduerso in comparationem adducam, ex quo palam sit omnibus, quàm miseri sint hominum discursus, quámque cogitationes illorum vanæ sint, quod & quidam nostrorum sapientum pulchrè testatur. Xenophanes igitur Orthomenis, Colophonius, qui Eleaticæ sectæ princeps fuit, omne hoc quod oculis intuemur, vnum esse inquit orbiculari forma, finitum, nequaquam genitum, sed æternum prorsus atque immobile. Idem verò proloquij huius oblitus, è terra inquit cuncta enata esse. Xenophanis enim versus hic est:

Εκ γῆς γὰρ πάντ' ἐστὶ καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ.

Omnia de terra sunt hęc, in eámque feruntur.

Sunt autem huiusmodi sententiæ, inter se valde discordes. Si enim mũdus hic æternus est, vt idem paulò antè affirmarat, vtique & principio caret. Si hoc autem ita se habet, fit continuo vt à nulla sit causa. Quod si nulli est causæ obnoxius, terram ergo matrem non habet. At si mundi causa est terra, vt paulo mox Xenophanes cecinit, ergo causa non caret: Si causa non caret, vtique nec principio. Si principium habet, ergo non est æternus. Parmenides Pyrrhetus, Eleatus, Xenophanis auditor, consona illis scripsit, quæ prius à Xenophane prodita sunt. Illius enim versum hunc esse aiunt.

Μοῦνον μενογενές τε καὶ ἄτρεμες, ἠδ' ἀγένητον.

hoc est:

Solum, vnigenitum, intrepidum manet, ingenitúmque.

Causam autem rerum omnium, non terram sicut ille, sed ignem esse affirmat. Melissus autem filius Ithagenis, Milesius, eis quidem familiaris fuit, doctrinam tamen ab eis traditam minime sincerã seruauit. Nam cùm illi mundum esse finitum dicerent, ipse tamen infinitum asseruit. Democritus porrò Damasippi filius, Abderites, vacui ac solidorũ primus opinionem inuexit. Hæc autem solida Metrodorus Chius indiuisa & vacuum, appellauit rerum principia. Sicut & Epicurus Neoclis filius, Athenienſis, quinta generatione post Democritum natus, quæ superiores illi solida & indiuisa dixerunt, ipse atoma, hoc est, insectilia, appellauit. Quæ quidem nomina alij quidem indita opinantur, eò quòd ita firma sint ea corpora vt quicquam pati immutarique non possint. Alij verò, quòd ita sint exigua, vt nec sectionem vllam, nec diuisionem admittant. Vocant autem hoc nomine, parua illa tenuissimaque corpuscula, quæ per fenestras ac spiracula iubar solis ingrediens sursum atque deorsum sibi inerrantia passim ostendit. Horum de principijs rerum sententias, Diaphantus quoque Syracosius quidem genere, secta autem Pythagoræus, sequutus est. Plato filius Aristonis, principia rerum omnium quas videmus, & Deum & materiam & ideas esse inquit. Aristoteles Nicomachi filius, Stagirites, materiam, formam, priuationem. Idem, non quatuor elementa, sed quinque esse affirmat, quintum siquidem esse ait, æthereum, immutabile. Xenocrates autem Carthaginensis, iugifluam materiam esse dixit ex qua omnia facta sint. Zeno autem Citieus, Mnasei filius, auditorque Cratetis, ille inquam Zeno, à quo Stoicorum secta initium sumpsit, Deum & materiam principia rerum dixit. Hippasus vero Metapontinus, & Heracletus Ephesius, Blosonis filius, vnum esse dixerunt mundum immobilem ac finitum, ab igne autem sumpsisse principium. Diogenes Apolloniates mundum ex aere constitutum asseruit. Materiam porrò ipsam Thales quidem, Pythagorasque, & Anaxagoras, & Heracletus, omnisque Stoicorum ordo, versilem, alterabilem, fluxam denique esse dixerunt. Democritus vero, Metrodorus, & Epicurus, impatibiles atomos vnà cum vacuo principia statuerunt. At Plato corporiassimilem materiã esse inquit, sed informem prorsus nulla specie, nulla figura, nulla denique præditam qualitate. Aristoteles, corporalem eam vocauit, Stoici vero, corpus. Democritus & qui partes eius sectati sunt, vacuum esse dixerunt atomorũ locum. Alij verò omnes, hanc illorũ sententiam damnauerunt. Ne enim longius abeamus, Empedocles ita inquit:

Οὐδέτι τῷ παντὸς κενεὸν πέλει, οὐδὲ περισσόν.

hoc est:

In toto vacui nihil est, nihil inde superfit.

Stoici verò, intra vniuersum quidem mundum, negabant vacuum esse, cùm tamen extra illum, maximum esse dicerent atque infinitum. Contrà autem Straton, extra mundum quidem, vacui nihil esse censebat, intus vero dari posse vacuum affirmabat. Neque vero in his modo sententijs, sed in alijs quoque permultis, maxime inter se discordia disceptarunt. Mundum siquidem ipsum Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Parmenides, & Melissus, Heracletus, Plato, Aristoteles, Zeno, vnũ esse consentiunt. Anaximander vero & Anaximenes, Aristarchus, Xenophanes, Diogenes, Leusippus, Democritus, Epicurus, multos ac infinitos esse mundos opinati sunt. Alij, philosophorum, forma sphærica esse mundum dixerunt. Alij, varia & diuersa. Alij, pistrillariæ molæ rotatu ingyrum verti. Alij, rotæ modo circunuolui dixerunt. Alij, animatum spirantemque. Alij, voluere prorsus inanimem. Alij, non in tempore quidem genitum esse, sed mentis animique conceptu. Alij, prorsus ingenitum, nullique causæ obnoxium. Et hi quidem, corruptibilem, illi autem corruptionis expertem. Stellas porrò ipsas, Thales quidem, terrestres ignitasque esse dixit. Anaxagoras autem, ex mundi rotatu auulsas inquit petras attolli, easque subinde ignitas & in superna compactas regione, nuncupari stellas. Quam sane opinionem, Democritus quoque confirmat. Diogenes autem, pumiceas inquit esse, meatibusq; nonnullis ac respirationibus esse præditas. Anaximander illas esse inquit aeris quasdam compositiones in orbem globumque coactas, tum differtas igne, flammas è quibusdam apertionibus iaculari. Diogenes præterea, nonnullas ipsarum decidere ad terrã inquit, quę cùm subinde extinguantur, manifestè significent igneam esse illarum naturam. Ad cuius sententiæ faciendam fidem, teste vtitur globo illo lapideo, qui flamatus in Aegopontanum Hellesponti vrbem è cœlo decidit. Plato autem, quasi prorsus eas ex igni constare inquit, accedere autem & aliorum quoque elementorum participatum. At ipse Aristoteles, quinti corporis cognatas asseruit. Xenophanes verò, ex ignitis nubibus esse compositas, quæ cùm aduenente die extinguantur, rursus ad nocturnas tenebras carbonum ritu exuscitentur. Heraclides alijque nonnulli Pythagoricæ sectæ, singulas stellas singulos esse mundos dixerunt, qui terram aeremque contineant. Et alij quidem eorum, globulentas dixerunt esse. Cleanthes vero Stoicus, in conum protensas. Xenophanes præterea, solem lunamque ignitas esse nubes affirmat: Anaxagoras, Democritus, ac Metrodorus, ignitum ferrum, aut lapidem flamma succensum; Thales terrestri è materia, è pumicea Diogenes; Aristoteles, globum esse è quinto corpore cõflatum; Plato autem, inesse illi plurimum ignis, participem tamen esse & aliorum corporum; Philolaus Pythagoricus, è vitro illum constare inquit, quòd oppositum splendorem ab eo igne qui est in mundo accipiat, ad nos vero lucem teporemque transfundat, simulachri cuiusdam partes locumq; sortitus. Sed & alij, nõnulla quædam alia de sole opinati sunt, quę superfluum puto in medium afferri, ne & ipse in easdem incidam nugas. Quin & de solis magnitudine ac figura, multa apud eosdem Philosophos est contentio. Alij siquidem, globulentum esse aiunt. Alij vero, peluis modo incauum putant. Alij, rotis curruum esse persimilem. Anaximander quidem, vicies septies terra maiorem autumat. Empedocles verò, æqualem terræ. Anaxagoras, maiorem Peloponesso. Heracletus vero, illum esse ait pedali magnitudine. Ac de luna item ipsa, pari modo deblaterant. Nam Thales quidem, putat eam terrestrẽ esse. Anaximenes, Parmenides, Heracletus è solo igne conflatam autumant. Anaxagoras autem & Democritus ignitam soliditatem, quæ insitas sibi planicies, montes, vallesq; contineat. Pythagoras, esse illam inquit saxeum corpus. Heraclides, terram nebula circunseptam. Ipsorumque alij, terra maiorem esse ostendunt, alij æqualem, minorem alij. Sunt qui dicant, eius diametrũ palmo ab-

solui. Quid vero attinet ea nunc percensere, quæ illi de figuris, deque defectibus & interuallis, vberrimè fabulantur? Neque enim solum quid inter se distent singuli planetarum affirmant, sed quanto etiam interuallo ab ipsa terra subducti sint. Stadiorum enim quadringenties dena millia, vel plura etiam numerãt, quorum alia quidem à terrarum orbe ad lunam vsque intersint, alia vero inde ad solem digerantur. Neque eos pudet, passim gloriari aeris ætherisq; mensuram manifestè se scire, qui maris tamen profunditatem ignorent, quam conto funibusque summissis facile explorare possint. Aeschylum itaque admonentem nequaquam videntur audisse.

Τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ ζητεῖ μάτην, hoc est: Ne quære frustra quæ nihil tibi conferunt. Ea porrò quæ supra attulimus, tametsi fuerint inuentu facilia, tamen inutilia futura erant. Quando igitur homines illorũ inuentionem consequi non possunt, qui ea inuestigare contendunt, perquàm similes eis videtur esse, qui student in subiecta aqua depingere, vel qui aquam cribro attollunt. Iuxta enim hi atque illi inanem operam futilemque insumunt, nullam prorsus ad rem ociũ consumentes. Quod cùm Socrates animaduertisset, posthabitis eis Philosophis qui de pensilibus altissimisque corporibus, deque rerum natura proloquuntur, solam ipse morum doctrinam complexus est. Quod & Xenophon suis in commentarijs ita testatur, ὅλως δὲ τὴν οὐρανίων ἕκαστα ὁ θεὸς μηχανᾶται etc. hoc est. Prorsus autem dehortabatur, cœlestium rerum quas Deus ipse molitur, quenquam esse solicitum. Neque enim putabat, eas posse ab hominibus inueniri. Neque gratam dijs rem facturum existimabat qui ea rimaretur quæ ipsi cuiquam prodere noluerunt. Periculum vero insaniæ impendere illi opinabatur, qui eiusmodi res curaret atque inquireret. Neque minus quàm Anaxagoram insaniturum, qui explicandis Deorum concilijs & incœptis, plurimum sibi gloriæ vendicabat. Rursusque idem Xenophon de Socrate hęc quoque commemorat, οὐδεὶς δὲ πώποτε Σωκράτους οὐδὲν ἀσεβὲς. etc. hoc est. Nullus vero vnquam impij scelestiúe quicquam vel facientem vidit Socratem, vel loquentem audiuit. Sed neque is, quod plerique homines faciunt, de natura procul à nobis recedentium rerum, aut cæterarum eiusmodi differebat, neque contemplabatur quàm bene se habeat hic quem sapientes viri mundum appellant, quibusque necessitatibus singulæ cælestium rerum fiant. Verum eos qui talia curarent, insanire ostendebat. Ac primum omnium expendendũ putabat, vtrum cùm huiusmodi homines satis recte humanas res scire arbitrentur, tunc denique ad earum quas dixi, rerũ curam atq; inspectionem accedant, an dimissis humanis rebus diuinas cõtuendo opinentur congruentia sibi facere. Mirabatur aũt, quod nondum planè homines persentirent eiusmodi res ab hominibus inueniri non posse. Quandoquidem videre esset eos qui plurimum sibi sapere de ijs rebus loquentes viderentur, eadem inuicem minus sentire, neque secus atque amentes solent mutuis inter se dissidijs ac varietatibus male affectos esse. Nam & vecordium alios quidem videre est nequaquam expauescere ad ea quæ iure timenda sunt, vehementer horrere. Alijs autem ipsorum, minus turpe existimari, si vel in medio cœtu hominum, susque deque res omneis & faciant & eloquantur. Alijs autem videri ne prodeundũ quidem in conspectum hominum esse. Rursusque alios, neque templa, neque aras, neque aliud venerari quod sacrũ sit. Alios vero, passim lapides omneis, ac ligna omnia, ferasq; ac brutas colere animantes. Pari quoque modo eorum hominum qui naturam rerum solicite indagant, alios quidem opinari videmus vnum tantummodo esse ens, alios vero esse infinitam entium multitudinem. Viderique rursus eorum alijs omnia semper moueri, alijs immota semper fuisse. Videri alijs fieri omnia & perire, alijs nec genitum quicquam vnquam, ac periturum. Alia verò permulta in hanc sententiam Xenophon adducit, quibus magnas eorum Philosophorum nugas ostendit. His autem criminibus nullus sanè nostrorum hominum vestros illos altiloquos, sed Xenophon, sed Socrates ipse condemnat, qui duo, Gręcorum multo optimi esse censentur. Pronum est autem volentibus cunctis in commentaria Xenophontis incidere, ac manifestè perdiscere, illum, quæ supra attulimus, de celeberrimis scripsisse Philosophis. Si quis tamen opinatur & me calumniam viris illis afferre, dum illorum dissidia contentionesque coarguo, legat Aetij de Philosophorum placitis collectanea, legat & Plutarchi de rebus eisdẽ compendium. Ipsa quoque Philosophorum historia, quam Porphyrius scripsit, huius generis multa nos docet. Satis autem poterant ea Xenophõtis verba quę superius modo attuli, rebus à me dictis fidem conciliare. Is enim abunde persequutus est, tum magnam illorum inscitiam, tum vero & eam quam mutuo semper exercuerunt contentionem. Ego autem cæteros quidem omnes missos faciam. Platonem vero ipsum in nonnullis quidem laudabo, in nonnullis autẽ manifestè coarguam. Illa enim quæ is in Timæo cõscripsit, sunt laudatu dignissima, sic autem inquit. λέγωμεν δὴ δὶ' ἥντινα αἰτίαν, γένεσιν καὶ τὸν πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνεστήσατο, etc. hoc est. Dicamus itaq; quã ob causam, generationem rerum confecit, & hoc omne quod cernimus opifex ipse constituit. Tum optimam illam & admirandam attulit responsionem. ἀγαθὸς ἦν. ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς ποτὲ οὐδενὸς ἐπίγνεται φθόνος. etc. hoc est. Bonus erat. Bonum vero, nulla rei cuiusquam subit inuidia. Cùm itaq; extra inuidiam esset, voluit omnia esse sibi ipsi quàm maxime assimilia. Diximus autem similia, non secundum naturam, sed eo dũtaxat quod & ipsa sunt. Sicut enim ipse est, ita voluit vt quę olim nõ erant, fierent atq; essent. Verũ ipse sic est, vt ab nullo esse

esse acceperit, omnibus autem quæ sunt, esse ipsum tribuerit. Hæc quoque quæ insequuntur, superius allatis valde affinia sunt, οὐ γὰρ χρείας ἕνεκεν, ὁ θεὸς ἐποίησε τὸν κόσμον, etc. hoc est. Nullius enim proprię vtilitatis causa, Deus mundum hunc fecit, vt videlicet honores ab hominibus, à Dijs dæmonibusq; acciperet, ceu qui prouentũ aliquem ob oblatam illis generationem sibi ascisceret, vt à nobis puta fumidum sacrificij vaporem, à Dijs vero ac dæmonibus propria ipsorum ministeria. Hoc itaque etiam loco Deum rei nullius indigum esse testatur, solaque bonitate adductum hæc omnia effecisse. Deos vero ac dæmonas hoc loco eos appellauit, quos ipsi angelos nuncupamus, eosdemque Dei ministros esse asseruit. Digna quoque laudatu in Republica Plato conscripsit, inquit enim: τοῖς γενομένοις μὴ μόνον τὸ γένεσθαι παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ πρεῖναι, etc. hoc est: Creatis ac genitis rebus non hoc solum à bono esse quod genitæ ac creatæ sunt, sed ipsum quoque esse, ipsamque substantiam illis ab eo tributã, cùm ipsum bonum nequaquam sit substantia, sed vltra substantiam dignitate ac potentia longe abeat. Neq; enim Deus creatis rebus communem solummodo formam indidit, sicut ærarius quidam faber, aurique conflator, sed ipsam quoque illis * substantiam condidit & contribuit, non eadem ipse qua & creatæ res natura præditus. Supra enim extraque naturam Deus est, non sola æternitate, verum & potentia factis à se rebus longe superior. His itaque verbis manifestè Plato ostendit Deum è subiecta propositaq; materia mundum resque omneis quæ ab eo factæ sunt, minime procreasse, sed ea quæ prius non erant, sicut ei libitum protulisse. Sunt eiusdem Platonis hæc quoque admiratione dignissima: πότερον ἦν ἀεὶ, γενέσεως ἀρχὴν ἔχων οὐδεμίαν, ἢ γέγονεν, ἀπ' ἀρχῆς τινὸς ἀρξάμενος; etc. hoc est: Vtrum semper mundus hic fuit, vt nullum habuerit generationis principium? An verò potius ita est genitus, vt ab aliquo initio cœperit? Tum ita respondet: γέγονεν, hoc est: Genitus sanè est. Cui comprobandæ sententiæ rationem adducit: ὁρατὸς γὰρ, ἁπτὸς, σῶμα, καὶ ἁπτός ἐστιν, etc. hoc est: Videri enim potest, inquit, ac manibus contrectari. Cùm itaque tactui sit obnoxius, vtiq; habet & corpus. Cuncta autem huiusmodi, sensibilia sunt. Quę vero sensu percipiuntur, comprehendi quoque possunt opinione, ac genita esse constat. Genitas autem factasque res, oportere censemus à causa aliqua prodijsse. Hæc igitur Plato de creatis rebus proloquutus, sapientissimè nos edocuit, quid de illarum rerum authore sentiendum sit, inquit enim: τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ δημιουργὸν τοῦ παντὸς, hoc est: Vniuersi autem mundi huius autorem atque opificem, & inuenire arduum opus est, & cùm inueneris, palam omnibus eum prodere vires nostras excedit, neque enim hoc ita effabile est homini sicuti cęteræ disciplinæ. Ostendit igitur Plato Dei verbum omnia effecisse, ex Hebræorum siquidem monumentis, & hæc ipsa perdoctus est. Atque idcirco vocalissimè sic exclamat: οὗ τοῦ λόγου καὶ διανοίας θεοῦ, etc. hoc est: Ex quo verbo ac Dei mente, sol & luna & cætera quinque sidera quæ planetæ nuncupantur, in discretionem, numerorumque obseruationem qui ad tempus pertinent, facta sunt. Cumque horum planetarum corpora Deus opifex effecisset, in cœli orbibus collocauit. His quoque verbis Plato nos docet, Deum non modo per verbum, mundi fabricam effecisse, verum etiam solem, lunam ac stellas genita esse corpora, totumq; id quod sunt à Deo opifice accepisse. Deus itaque res illæ non sunt, quantum verba Platonis indicant, sed humanæ vtilitatis causa facta sunt. Id quod Euripides quoque in Phœnissis ostendit, sic enim inquit:

Εἰ τοῦ ἥλιος νύξ τε δ' ἀλοῦσ' εἰς βροτοὺς, etc.

Hoc est:

Cùm sol & atra nox hominibus seruiant,
Tu non feres vt æqua sit domus tibi? Verum enimuero Euripides solem ac lunam seruire ait hominibus, vos autem vestris famulari seruis non ægre fertis, diuinumque illis honorem cultumque exhibetis. Ego verò ad Platonem oratione mea transibo. Vehementer enim hominem laudo, qui in ijs quæ ad mundi finem consummationemq; pertinent proxima nobis sic loquitur: εἰ μὲν δὴ καλός ἐστιν ὅδε κόσμος, ὅτε δημιουργὸς ἀγαθός. hoc est: Quod si bonus hic mundus est, bonusque mundi opifex, patet vtique quod ad æternitatem respexit. Quumque idem Plato de cœlo sic prodidisset: ὁ μὲν γὰρ κάλλιστος τῶν γεγονότων, ὁ δὲ ἄριστος τῶν αἰτίων, hoc est: cœlum quidem pulcherrimum est rerum omnium quæ factæ sunt, opifex verò Deus optima causarum omnium: rursusque subiunxisset: ξυνεστήσατο οὐρανὸν ὁρατὸν καὶ ἁπτόν, hoc est: Constituit Deus cœlum quod videri ac tangi possit; paulo mox ita subintulit: χρόνος δὴ μετ' οὐρανοῦ γέγονεν, hoc est: Tempus itaque cum cœlo factum est, vt quæ simul facta sunt, simul etiam dissoluantur, si quando vlla ipsorum dissolutio futura sit. Tum & in Politico ita scriptum reliquit: τὸ κατὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχειν ἀεὶ, etc. hoc est: Eodem modo semper se habere, idemque esse, illis solis penitus congruit, quæ diuinissima sunt. Corporis autem natura, in hoc ordine reponenda non est. Cœlum quidem, ab ornatu mundum appellauimus, multarum enim beatissimarumque rerum ab opifice Deo particeps factum est, veruntamen in corporis communionem venit, eamque ob rem, carere prorsus mutatione non potest. Eiusdem vero Platonis hæc quoque sunt: τότε δὴ τοῦ παντὸς ὁ κυβερνήτης οἷον πηδαλίου οἴακας ἀφέμενος, etc. hoc est: Tunc itaque mundi huius vniuersi gubernator, ceu temonibus gubernaculisque omissis, in suam ipsius circumspectionem abscessit, mundum verò rursus inuer-

* id est materiam.

tit, & fatum, & congenita cupiditas. Omnes igitur Dij qui secũdum locos distributi cum maximo dæmone socium principatum gerunt, quum iam percepissent quod factum fuerat, suas quisque mundi partes curare diminserunt, mundus autem retro conuersus principio & fine in vnum commisso, actusque in contrariam partem, ac magno sui facto concussu, aliam sibi animantium omnium corruptionem effecit. Hoc autem loco nobis cum Platone optime conuenit. Totius nanque orbis mutationem ipse quoque testatur, Deóque rerum gubernacula dimittente, cessare quidem ait inuisibiles potestates, quæcunque cretis mundi partibus gubernandis diuino iussu addictæ sunt, ac omnia quæ oculis intuemur, subire mutationem ac perpeti. Reliqua autem, pro eo errore qui tunc mentes hominum occuparat, Plato percensuit, materiæ scilicet congenitam atque assitam cupiditatem mundum inuertisse, prout ab initio fati quoque legibus sanctum fuerat. Talia enim sunt, quibus Philosophum iure damnamus, vbi de mundi fabrica loquutus est. Ait enim hic quoque, materiam coæternam Deo esse. Id quod & Pythagoras, & Aristoteles, & qui à varia porticu Stoici nuncupantur, dixerunt. Materiam verò, nonnunquam & malignam appellat, audire est enim ita de mundo eum loquentem: πρὰ μὲν τοῦ ξυιστεθέντος πάντα καλὰ κέκτητο: etc. hoc est: Ab opifice quidem Deo mundus cuncta possidet bona. A priore autem habitu, habet quæcunque grauia & iniqua in cœlo fiunt. Hæc verò incommoda, ex eo habitu habet mundus, & animantibus ipse transfundit. Addidit autem Plato hæc quoque: τούτων δὲ αἴτιον τὸ σωματοειδὲς αἴτιον, etc. hoc est: Horum autem causa, est species corporea, quæ cum antiqua natura simul innutrita est, multum enim habebat ruditatis atque ineptiæ, priusquam in eum quem nunc cernimus, ornatum mundumque prodiret. Ad hæc autem Platonis verba indignaturum puto quicunque homo sana mente sit præditus. Manifeste enim accusat materiæ naturam, cuius adeò validum atque inuictum esse vitium inquit, vt ne opifex quidem Deus illud in melius commutare potuerit, præstitit enim malo suo perusa habitu, ac licet ab optimo Deo formam acceperit, pristinum tamen illud vitium minime abiecit. Eamque ob rem, non in terra solum, sed etiam in cœlo grauia & iniqua peragit, animantibusque transmittit. Sunt autem hæc, superius iam dictis prorsus indigna, sunt à sublimi illo sermone ac Theologia penitus aliena, sunt ab incuruis in humumque depressis rationibus consilijsque profecta. Cùm enim & in cœlo affirmet tantam rerum turbam inconcinnitatemq; permansisse, vt conijcere ausit ibi quoque grauia atque iniqua contingere, materiam profecto validissimam quandam rem facit, infirmum verò debilemque opificem. Præterea verò & Deum inquit cœlum construxisse ad intellectibile quoddam exemplum, sic enim scriptum est in Timæo: πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν εἰρήκαμεν, ἢ πολλοὺς, etc. hoc est: Vtrum igitur probe diximus, vnum esse cœlum, an multos esse atque infinitos? Rectius profecto est dicere vnum esse, si ad exemplum confectum sit. Exemplum verò, vt opinor, vel deũ intelligit vtpote vnum, vel ideam quam Dei conceptum esse ait, vel spiritale cœlum atque intelligibile, quod eminentius esse hoc visibili cœlo scriptura sancta testatur. Siue hoc autem, siue illud exemplum intelligat, nulli profecto cœlo conueniat graue aliquod iniustumque negotium. Atque eorum quidem qui Philosophi appellantur, tantam habent dogmata disceptationem atque discordiam. Tempus verò iam est, vt diuinæ scripturę candorem ingenuum ostendamus, eiusq; de mundi fabrica veritatem. Quæcunque enim fabulæ de ipsa materia peruagantur, eas diuina scriptura in chaos illud quod est apud Hesiodum Poetam coniecit. Deum verò omnia procreasse testata est, non tamen sicut cementarij solent ac nauiũ fabri, ærisue cusores atque aurifices, non inquam textorum ac sutorum modo, cæterorumque artificum. Hi nanque, quum sibi prius materiam compararint, tunc demum forma illam afficiunt, eamque excudunt, instrumentaque alij ab alijs commodo sibi assumunt. Sed Deum inquit, simul voluisse, simul quæ prius nullo modo fuerant protulisse, abunde enim locuples, reique nullius est indigus. At verò humanæ artes eo laborant defectu, vt aliæ aliarum ope adiuuari indigeant. Necessarius est enim gubernatori, nauium faber. Rursusque hic, indiget lignatore, indiget præterea & fabro ferrario, & picatore, & stupifero. Indiget lignator consitore plantarum. Hic verò, & terra, & irrigatione, plantarijsque ac seminibus, & ærario fabro indiget qui bidentem sibi rastrumque conficiat. Nec minus & ærarius indiget fabro lignario, qui ligneam casulam sibi struat, qui incudem super ligneam basin collocet, quique malleum capulo conferat & componat. Omnes demum artifices, pari quadam ratione, sutoris ac textoris opera indigent, ijdemque agricola opus habent, vt corpus alant indumentisque foueant, hique omnes fabro lignario ferrarióue vtuntur, qui commoda instrumenta singulis subministret. At verò rerum omnium deus opifex, nec instrumentis, nec materia vlla indiget, sed quod alijs artificibus sunt & materia & instrumenta, tempusque præterea & conficiendi opera ipsáque ars & exactissima diligentia, hoc est ipsi Deo sola vnicáque voluntas. Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari quoq; ipso & in omnibus abyssis, sicut sacræ nobis scripturæ testantur. Neq; tamen quotcunque poterat, totidẽ creare voluit, sed ea duntaxat quæ satis esse sua sapientia comprobauit. Facile enim illi fuerat, decies ac vicies mille orbes producere, quãdoquidẽ ipsum velle,

* id est Deo.

velle, multo omnium operum est facillimum. Nobis item accidit, vt ipsum velle facillimum multo sit, at nõ ilico facultas efficiundi quod velis, humanam sequitur voluntatem. At opifex vniuersorum Deus, quæ vult omnia eadem simul potest. Diuinæ siquidem voluntati, & facultas adiuncta est. Neque tamen rerum creationem mundique fabricam immensa illa sua potestate commensus est, sed quæcunque voluit ea confecit. Quoniam vero earum rerum quas ipse protulit, aliæ quidẽ sensibus sunt obnoxiæ, aliæ autem solo intellectu percipiuntur, sunt que rursus aliæ quidem in terris agentes, aliæ verò supercœlestes, necessario & animalia quidem fecit, alia sensibilia, alia intellectibilia. Ac intellectibilibus quidem aerem cœlumque addixit, sensibilibus autem mare ac terram ad incolendum dedit. Cumque nonnulli eorum spirituum qui intellectu solo percipiuntur, in malitiam inclinassent, iure optimo è regionibus cœli depulsi sunt, aeremque ac terram vbi commorentur in sortem acceperunt, non vt ibi ea perficiant quæ contra homines dolose aggrediuntur (hæc enim prohibentur angelorum custodia) sed vt ex eiusmodi locorum mutatione, condiscant quæ & quanta supplicia suis autoribus prauitas ipsa cõciliet. Quia verò animantia illa quæ sensibilia sunt, in species duas distribuit, horumque alia quidem fecit ratione prædita, alia verò rationis expertia, quæ ratione sunt cassa, rationalibus subdita esse voluit. Nonnulla tamen ipsorum tyrannicè reluctantur, atque in suum principem seditiose consurgunt, dolosque intendunt. Nec immerito quidem. Quando & ipsi homines, quibus in eas animantes imperium est traditum, idem peccare cernuntur, ac tametsi rationis munere honestati, nihilo tamen secius tanquam sint illius expertes, contra suum authorem rabidè debacchantur. Idcirco factum est, vt & ipsi rebelli animantium seditione impetantur, ita edocendi ex ijs quæ perferunt, quàm malum, quamque miserum sit præterire ordinem, semelque præstitutos fines impudenter transcendere. Ac videre quidem est, inanima elementa egregie, fines suos tueri. Mare siquidem ipsum quanquam turbinibus agitatum inuersumque violenter ad terram propellatur, arenæ tamen obices ac repagula subueretur, neque præfixos terminos transilire audet. Sicut enim equus ad cursum incitatus freno reprimitur & coercetur, ita & mare cum Dei legem nullis quidem in tabulis scriptam, sed in ipso littore positam contemplatur, non secus pedem refert ac si habenis quibusdam cohibeatur. Pari quoque modo & flumina, eum sui cursus tenorem seruant, quem tueri ab initio iussa sunt. Ita & fontes scaturiunt, & putei humanis vsibus aquas sufficiunt. Quatuor item anni stationes, commoda successione sese excipiunt, ac seruata inter se temporis æqualitate quod nimium sit minime appetunt. Hanc eandem legem dies ac noctes indesinenter obseruant, neque cùm protendũtur superbè se efferunt, neque cùm contrahuntur iniquo animo ferunt, sed alternis vicibus tempora mutando, rursus cùm ratio ipsa exigit sine vlla disceptatione debitum soluunt, neque inuicem reluctantur, sed quietissimè accipiunt reddũtque. Illud præterea opificis Dei sapientiam planè potentiamque ostendit, quod neque ipsa tellus, quanquam per tot annorum millia aratris terga scindatur, seratur, conseraturque, quanquam & fructibus alimenta sufficiat, conculcetur, effodiatur, radatur, imbribus niuibusque subsidat, atque ardoribus atteratur, vllam sui diminutionem perpessa est, minorésue agricolis fœtus aut pauciores educit. Neque ipsum mare, quanquam inde nubes vim aquarum incessanter exhauriant, hymbresque pariant, terrisque diffundant, imminutum olim exhaustúmue esse cernitur, non ab ijs deniqué littoribus recessisse, quæ olim fluctibus suis obduxit. Sed neque rursus auctum exuberat, tametsi plurimos vndecunque fluuios illabentes accipiat. Neque vero nunc differendum puto, vnde iugis fluuiorum copia deuoluatur. Ineffabilis enim mihi penitúsque abstrusa hæc quoq; ratio est. Quo autem sol aptus natus sit humidam aquę vim comminuere, pronum est cunctis volentibus edoceri. Aestuaria enim paludésque exiccat, aquarũ præterea collectiones ac stagna consumit. Corpora quoque hominum sicciora efficit. Quinetiam fluuios videmus decrescendo subduci, cùm sol relictis australibus locis ad boreales tractus concedit, æstatémq; nobis efficit. Eámque ob rem, Nilum aiunt non eodem tempore quo cæteri solent fluuij extra alueum inundare, sed media æstate aquis exuberantibus Aegyptum persundere, sole tunc ad Borealem circulum accedente, ac cæteris quidem fluuijs radijs ardentioribus incubante, ab ipso autem Nilo magnis sane spacijs abscendente. Si vero & alias Niliaci incrementi causas quidam esse contendunt, ego tamen hoc tempore materiã hanc conuenire mihi non arbitror, quippe qui alios cohorter, ne causas diuinæ gubernationis curiosius indagent, sed admirentur potius ea quæ facta sunt, ipsúmque opificem hymnis laudando concelebrent. Ego itaque vehementer admiror naturã aeris inconsumptam persistere, cùm tamen tot numero homines, tótque animalia rationis expertia, illum spirando & attrahant & remittant, solisque adeo feruentes radij permeando traijciant, prætérque solem ac lunam idipsum stellæ quoque efficiant. Sed enim vndique mundum intuenti, miraculum miraculo superadditur. Parum vero abest, ne confidenter dicam miraculum hoc loco pro miraculo habendũ non esse. Cùm sit enim mundi opifex Deus omnipotens, quæcunque ab eo fiant, decet admirari quàm minime, sed authorem profecto decet laudari quàm maxime. Sunt enim quæcunque fieri conueniant, factu illi perquam facilia. Inseruit autem & rebus omnibus quas creauit,

creauit, sufficientem ad id temporis facultatem quo esse illas ac perdurare decreuit. Et quo factum est, vt tellus hodieque ita permaneat sicut ab initio facta fuit, neque item mare augescat neque decrescat, vtque aer quam ab initio naturam sortitus est, inuiolatã conseruet, neque sol firmissimum illud cœlum, per quod assidue currit, eliquare possit, neque dissoluere, sed neque ipsum firmamentum, tametsi humida sit natura, flagrantem solem extinguat. Singulæ enim res, quod ab initio munus sortitæ sunt illud perpetuo conseruarunt. Contrarias siquidem sicci atque humidi qualitates, rursusque calidi & frigidi, in amicitiam fœdusque composuit rerum opifex. Quotiescunque igitur omnia hæc videmus, quoties solem modo ad boreales tractus, modo ad australes, modo ad æquatas cœli partes excurrere, quoties & lunam modo auctam lumine, modo imminutam, nec minus & stellas certis orientes temporibus & occidentes, messis præterea & sementis tempus significantes, tum & nautis ostendentes hyemem ac tranquillitatem, ne quæso amici homines hæc ipsa nobis deos faciamus, sed horum potius authorem, opificem, gubernatoremque laudemus, ac per ea quæ contuemur oculis, pergamus ad eum qui videri non potest. Ad hoc autem nobis non est opus peregrinatione, sed fide, per hanc enim solam videre illum nobis licebit. Cùm itaque stationes anni videbimus suis quanque pertransire temporibus, cùm terræ pluuiam dispensari, cùm terram germinare, cùm virentibus herbis obduci, vndare segetes, prata floribus renidere, comare syluas, ramos arborum fructibus prægrauari, linguã moueamus in eius laudem qui hæc terræ dona contribuit. Ne vero montium Nymphas, néue fontium ac fluuiorum, néue filias Nerei referamus in Deos. Ne cantemus Iulum Cereri, néue ipsi Rheę Lytiersan. Ne Baccho dithyrambum. Ne Peana Pythio Apollini, néue Dianæ concinamus Hypoepum. Sed rerum omnium conditori Deo hymnos Dauidicos proferamus, cumq; eo pariter exclamemus: Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti. Quotiescunque canoras aues audiemus varios cantus emodulari, cicadasq; tremulos euibrare concentus, Musis Sirenibusque dimissis, sapiẽtissimum Deum, eundemque potentissimum adoremus, qui & eiusmodi auiculis tantam tribuit Musicæ harmoniam, & humanum genus vndecunq; nutrit, fouet, ac mulcet. Nostra igitur, quæso, amici homines cum Philosophorum opinionibus comparate, rectaque ac diligenti ratione subducta, quæso, inspicite, quænam ex superius allatis opinionibus Deo magis congruere videantur, mundúmne hunc videlicet genitum non fuisse, casúue fortuito sic constitutum, ex atomisque & vacuo esse compositum, an à Deo quidem authore, sed præstituta ex materia factum esse. An verò impium est, Deo cuncta hęc tribui? Illud autem recte ac vere dicitur, esse rerum omnium authorem Deum, qui nequaquam, quod cæteri faciunt artifices, ex iam comparata materia omnia hæc effecerit, sed quæ prius non erant in ipsum esse protulerit, volueritque non antea existentibus rebus præbere vt quandoque essent. Facile est enim Deo, & ex ijs quę nondum sint, & ex ijs quæ sunt, excudere aliquid ac proferre, hoc enim, & ab initio olim fecit, & singulis, vt ita dicam, diebus facere cernitur. Nam & ex præstitutis comparatisq; iam corporibus, animalium corpora effingit, & ex ijs quæ non sunt, ipsas animas creat, non cunctarum quidem animas animantium, sed humanas duntaxat. Gignit autem ex volucribus volucres, nantiaque ex nantibus, singulasq; animantium species de homogeneis parit. Ita & terre fœtus, de iam ſatis consitisque plantarijs ad humanos vsus depromit. Olim vero nec arata tellus, nec seminibus vllis aspersa, plantarum seminumque ideam, quasique archetypum quoddam exemplum germinando produxit, reptiliumque & quadrupedum genera procreauit. Ipsa insuper humentium aquarum vis, sicuti iussa fuit, & aquatiles protulit animantes, & quæ natæ sunt volatu aerem permeare. Cæterum, neque terram ipsam, neque cœlum, neque aerem, neque aquarum naturam, neque ignem, item nec lucem, vlla prius comparata materia iussu Dei produxit, sed omnia ipse opifex Deus cùm nulla essent antea, procreauit. Idemque qui ceu conseuit compegitque capacissimam mundi huius phaselum, idem eandem quam sapientissime condidit, assidue nunc gubernat & dirigit. Hæc autem non ipsi modo Apostoli & Euangelistę nos docuerunt, sed ipsi quoque Prophetæ, Prophetarumque eximius qui mundi genituram Moses conscripsit, prioresque adeo his omnibus docuerunt, & Abraham & Melchisedech & vniuersus Patriarcharum chorus, horum enim quilibet, non multos quidem, sed vnum mundi authorem, Theologicè prodidit. Id quod & vobis perquam facile erit edisce re, si modo in diuinæ scripturæ libros incidatis. Proposita itaque comparatione per docti, quid humanis Philosophorum discursibus sacrarum literarum prestent documenta, fugite iam, quæso, errorem amici homines, veritatemque adamate sole ipso splendidiorem, vt huius claritate perducti, & diuinæ scripturæ sensum perspiciatis, & illius magistros doctoresque demirati, vt Apostolicis verbis vtar, in faciem procidatis, Deumque adoretis, & fateamini Deum vere in *nobis esse.

Luc. 8. Matth. 2. Ioan. 9.
**f. Christianis.*

LIBRI QVARTI FINIS.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS DE CVRATIONE INFIDELIVM GRAECORVM SERMO QVINTVS,
De natura hominis.

LAPIDIS quem magnetem vocant, eam esse vim constat, vt omnem aliam materiam quietam esse immotamque dimittat, ferrum vero duntaxat ad sese trahat, nonnunquam vero alte à se sublatum quasi ostentet, tametsi nullis idipsum rebus ab inferiori loco suffulciatur, nec superne aliquo nexu visibili colligetur, sed eius lapidis incubante virtute, occulta nobis ratione suspensum sit. Tale vero quippiam & in diuinis scripturis & in verbis quæ de Deo fiunt solet contingere, vt facile is cognoscet, qui diligenter aduertet. Plurimi enim, imò vt ita dicam, cuncti ferè mortales aurem illis accommodant, soli verò capiuntur, qui alumni sunt fidei, cùm tamen ab inferiori loco nullius terrenæ felicitatis solatio teneantur, neque quicquam appareat vnde à superiori loco vincti dependeant, sed ad occultas duntaxat rerum spes, mentem animumque accommodent. Eam ob rem Paulus quoque Apostolus, verba quæ de cruce fiunt, pereuntibus quidem stultitiam, esse inquit, ijs autem qui salui fiũt, dei virtutem, Deique sapientiam. Sed enim lapis ille, propria quadam naturæ suæ vi ferrum ad se moueri violenter cogit. Diuinorum autem sermonum gratia, non ipsa quidem est quæ alios admittat mortales, alios verò summoueat, cunctis enim qui saturari appetunt, vbertim riuos effundit. Fit autem voluntate ac delectu eorum qui auditum se conferunt, vt alij quidem ipsorum tanquam sentientes admoueantur, alij verò procul abscedant, ij videlicet qui ad eas res optandas animum non inducunt. Est itaque illius officium qui se animarum Medicum profiteatur, vt eorum voluntatem nequaquam cogat qui accipere curationem suam detrectant. Quando & ille opifex qui rationale animal potens sui liberumque creauit, hortamentis ac legibus ab ijs auertit quæ peiora censentur, ad potiora autem conuertit. Nequaquam tamen violenter impellit, si meliorum particeps esse nolit, ne videlicet naturæ fines semel constitutos immutet. Hinc & per Prophetas idem exclamat: Si velitis, & si audiatis me, bona terræ comedetis. Rursusque alibi: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligens dies videre bonos? Subinde verò ab ijs auertens quæ mala sunt, quid sit agendum ita ostendit. Siste linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Declina à malo & fac bonum, inquire pacem & sequere eam. Manifeste autem significat, & quæ proposita sint studijs eiusmodi præmia, inquit enim: Oculi Domini super iustos, & aures eius in deprecationem eorum. Quia vero timor illis maxime congruit, qui tanquam pueri ad virtutem instituuntur, necessario factum est, vt cessantes ac desides sic minando perterreat. Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Qui verò per prophetam sic homines adhortatus est, idem in sacris Euangelijs nullo quidem alio vsus nuntio ac ministro, quàm corpore, quod pro salute nostra factus homo assumpsit, ipse ore suo sic loquitur: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Item & alibi: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego requiem vobis dabo. Alia vero permulta id genus & in Euangelijs & in Apostolorum monumentis facile quicunque velit, inueniet, quibus planè ostenditur absoluta hominis voluntas, liberumque arbitrium. Huius rei gratia ipse quoque amici homines quintam vobis adhortationem hanc affero. Neq; vos solum quæso, sed vehementer obsecro & obtestor, ne medicinæ huius curationem temere abijciatis, nec salutem vestram in diem crastinum differatis, quem visuri nec ne simus, penitus ignoramus. Sed ea potius in memoriã reuocate, quæ Ascræus Poeta vos facere adhortatur, quo loco sic inquit:

Μηδ' ἀναβαλλεσθ' ἔστ' ἄυριον, ἔστ' ἐνιηυτόν.

Ne differ dum cras veniat, dum tertia lux sit.

Aliam quoque eiusdem Poetæ sententiam diligenter aduertite, inquit enim hic quoque quæ superioribus consona sunt:

Αἰεὶ δ' ἀμβολιηδρὸς ἀνὴρ ἄτησιπαλαίει.

Tristia dilator patietur damna frequenter.

Quando igitur iam superius edocti sumus quid de mundo, deque ipsa sit materia sentiendum, quantumque inter se distent quæ à diuinis præceptoribus quæque ab humanis Philosophis doctrina proficiscitur, agedum quod superest inquiramus, quænam illa cuiusue modi sint quæ de natura hominis sacræ nos literæ vt tuto tenenda docuerunt, quæque ij sapientiæ professores qui suos libros aspergunt eloquutionis ornatu, speciosoque prætextu nominum ac verborum falsitatem nobis adducunt. Quæcunque vero de hac ipsa re Poetæ fabulantur, hoc tempore omittemus, neque illos, vt Plato faciendum putat, aspergemus vnguento, sed potius contra eum fœtorem quem pessime ipsi olent, nares communiemus,

muniemus, illi enim non modo è terra erupisse homines, sed enatos iacto prius semine, quasi satitios, asserunt è serpentinis dentibus prodijsse. Sola igitur nobis ea sunt cum veritatis doctoribus conferenda, quæ ipsi Philosophi Historicique nugantur. Omissis autem omnibus, illud dicendum est, quãta videlicet contentione ac pugna ij semper digladiati inter se fuerint de humani generis constitutione atque primordijs. Alij siquidem ipsorum, humanam naturam ęternam asserunt, terramque hac animantium specie differtam semper fuisse. Alij verò, primum in terra Attica natos fuisse homines dixerunt. Alij, in Arcadia. Sunt qui malint in Aegypto. Alijs præterea in prouincijs atque vrbibus incredibilis quædam est de primatu originis iactantia & ambitio. Ad hæc autem, sunt qui beatum hominem esse dixerint, sunt qui infelicissimum ac miserrimum. Et Homerus quidem imbecillem ærumnosumq; appellat, Theognis autem Siculus, ciuisque Megarensis, ita exclamat:

Πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
Μηδ' ἐσορᾶν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου.
Φύντα δ' ὅπως ὤκισα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.

Optima non nasci res est mortalibus ægris,
Nec solis radios cernere luminibus.
Aut vbi natus homo est, propere vt descendat ad Orcum.

Consona verò huic sententiæ, Tragici apud Euripidem senarioli habent, sic enim inquiunt:

Ἐχθῆμ γὰρ ἡμᾶς σύλλογον τιθεμένους,
Τὸν φύντα θρηνεῖν ἐς ὅν' ἥξεται κακά.
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον,
Χαίροντας, εὐφημοῦντας, ἐκπέμπειν δόμων.

Oportuit nos funeris luctu graui
Dolere natum maxima ad discrimina.
At mortuum qui cassus est laboribus,
Efferre læto corde, lætis vocibus.

Solonem præterea, qui leges Atheniensibus tulit, testis est Herodotus Crœso regi dixisse:

Ὦ Κροῖσε πᾶς ἄνθρωπός ἐστι ξυμφορή. hoc est: O Crœse, homo est quædam grauis calamitas. Pythagoras autem ac Plato, populum nobis animarum sed carentum corpore proponunt, easque animas quæ in peccatum aliquod inciderint, aiunt supplicij causa in corpora destinari. Ideoq; Plato in Cratylo: σῶμα hoc est corpus, σῆμα hoc est sepulchrum vocat, tanquam anima in corpore sepulta sit. Concordia verò huic & Philolaus Pythagoręus commemorat, quo loco sic ait: μαρτυρέονται δὲ καὶ οἱ παλαιοθεόλογοί τε καὶ μάντεις, ὡς διά τινας ἁμαρτίας ἡ ψυχὴ τοῦ σώματι συνέζευκται, καὶ καθάπερ ἐν σήματι τούτῳ τέθαπται. hoc est: Testantur autem veteres Theologi ac vates, ob quædam supplicia corpori animam coniugatam, quasique hoc in tumulo consepultam esse. Verum Plato idem quasi oblitus eorum quæ in Cratylo dixerat, in tertio Reipublicæ suæ libro contraria prorsus ostendit. ait enim: ἐπιμελεῖσθαι γὰρ σώματος δεῖ, ψυχῆς ἕνεκα ἁρμονίας, etc. hoc est: Curandum est enim corpus, ob eam quam habet anima cum corpore harmoniam, per corpus enim viuere nobis licet ac recte viuere, si veritatem clara voce testari velimus. At si anima per corpus viuit, ac rectè viuit, fit vtique vt ante corpus ea non fuerit. Quod si tamen fuit etiam ante corpus, vtique & viuebat, immortalem sortita rationalemque naturam. Quod si tamen erat olim & ante corpus, nec tamen recte viuebat dum seiuncta esset à corpore, at vbi venit in corpus eo ipso bene instituto, tunc denique rectam anima vitam duxit, necessario sequitur vt anima per corpus ea bona consequuta fuerit, quorum particeps ea non erat antequam corpori iungeretur. Quid ita igitur insepultam corpori, veluti monumento cuidam, Plato ait? Satis igitur puto, ex ijs quæ modo attuli, nobis constabit, veteres gentiles philosophos non solum alios ab alijs dissidere, sed ijsdem quoque de rebus singulos sibijpsis discordes pugnantesque inueniri. Atque vt nobis planius innotescat, quanta sit inter eos contentio, age iterum ostendamus, qualia ea sint quæ de anima celeberrimi Philosophorum opinati sunt, quoque pacto eos inanis gloria, vt Homericis verbis vtar, ὀρριδι ξυνέηκε μάχεσθαι, hoc est, pugna contendere suasit. Quæcunque autem diuino auxilio fretus dicam, ea de Plutarchi, de Porphyrij, deque Aetij monumentis dicam. Thales igitur, animam esse inquit immobilem naturam. Alcman verò, eam inquit sponte sua motabilem. Pythagoras autem, numerum qui seipsum moueat, cuius opinioni conuenit & Xenocrates. Plato, intellectilem substantiam ex se mobilem. Aristoteles Stagirites, entelechian primam naturalis corporis & organici, quod habile aptumque sit vitam accipere, entelechian verò, actum appellauit. At Clearchus, animam esse ait harmoniam quatuor elementorum. Anaximenes, Anaximander, Anaxagoras & Archelaus, aeriam dixerunt animæ naturam esse. Stoici spiritualem quidem eam asserunt, sed quæ tamen maxima quoque calidi parte constaret. Parmenides, Hippasus & Heracletus, luculentam & igneam nuncuparunt. Epicurus Neoclis filius, commixtionem quarundam qualitatum, igneæ videlicet, aeriæ, ac spiritualis, quartæque præterea cuiusdam quæ certum nomen non habeat. Empedocles, commixtam inquit ex ætheria aeriaque substantia. Critias, ex sanguine & humido eam constare inquit. Alij porrò alia, & quidem contraria attulerunt. Quin & de ipsa animæ diuisione, maxima est inter Philosophos disceptatio. Pythagoras enim & Plato, hanc in parteis duas distribuunt, quarum altera sit ratione prædita, ratione altera careat. Rursusque hanc posteriorem bifariam secant, nánque alteram eius partem iracundiæ tribuunt, alteram libidini & cupiditati. Xenocrates verò ille qui tertius à Platone censetur, fuit enim auditor Speusippi Platonis ex

nis ex sorore nepotis in facultatem sentiendi ac vim rationis, animam partitus est. At Nicomachi filius Aristoteles, quinque illi officia partesque tribuit, appetendi, nutriendi, sentiendi, gradiendi, & cogitandi. Stoici verò, quinarium hunc numerum non admittunt, sed ex octo partibus animam constare dixerunt, ex quinque videlicet sensibus, visu, auditu, olfactu, gustu & tactu, sexta vocali potentia, septima seminali, octaua * principali ac domina, quasi stirpe à qua singulæ illarum partium suum peragendi munus vires sortitæ sunt. Animã præterea dixerunt, Polypi brachijs perquam similem esse. Pythagoræ autem successores, è quinque elementis constare corpus asserẽtes (quatuor enim illis notissimis & quintum æthereum adiunxerunt) totidem vires animæ affirmarunt esse, quas hisce nominibus appellarunt, intellectum, prudentiam, scientiam, opinionem, sensum. Quanta item inter eos controuersia sit, in collocanda principaliori animæ vi, perquam facile est videre. Hippocrates enim Democritusque ac Plato, in cerebro sitam esse affirmãt. Straton, in medio sincipitio, Erasistratus autẽ Medicus iuxta membranam cerebri, quam epicranidem, hoc est supercipitium, siue supercaluium vocat. Herophilus, in vẽtre cerebri. Parmenides & Epicurus, in toto hominis thorace. Empedocles & Aristoteles, vniuersaque Stoicorum societas, ipsum cor animæ sedẽ addicunt. Horumque rursus alij, eam in cordis ventre constituunt. Alij verò, in sanguine. Alij ea in chartilagine quæ cor obsepit. Alij autem, in ipso diaphragmate. Pythagoras, Anaxagoras, Diogenes, Plato, Empedocles & Xenocrates, animam dixerunt incorruptibilem esse. Heracletus verò, animas hominum corporibus liberatas, concedere ait ad mundi totius animam, vtpote quæ sit eiusdem generis ac substantiæ. Stoici verò, seiunctas à corporibus animas sibijpsis ad vitam sufficere affirmarunt. eas tamen quę sint paulò imbecilliores, exiguo temporis spatio superesse, quę autẽ validiores, perdurare vsque ad mundi conflagrationem. Democritus, Epicurus & Aristoteles, animam corruptibilem esse impudẽter asseruerunt. Plato & Pythagoras rationalem duntaxat animæ vim dixerunt esse incorruptibilem, quæ autem ratione caret corrumpi. Ac Plato quidem, etiam plantas inter animalia reponit, sed quæ tertiam animæ vim solam inditam habeant, quæ concupiscibilis nũcupatur. At Aristoteles, exhorruit plantas animalia appellare. Quod enim sentiendi munere præditum est, id solum animalis nomine dignum censuit. Germinalem tamẽ animam, cuius munia sunt, augeri, gignere, ac nutriri, inesse plantis opinatus est. Verum hanc illius opinionem, qui à varia porticu Philosophi cognominãtur, minime admiserunt. Germinalem siquidem vim, indignã putarunt quę anima diceretur. Zeno tamen Citieus, à quo duce Stoicorum secta defluxit, ea sectatores suos atque discipulos de anima opinari instituit. Genitale siquidem hominis semẽ, quod humore ac spiritu præditũ esse cernitur, partẽ esse animæ, quandamq; veluti abscissionẽ putauit, confusaneamq; mixtionem seminis patrum maiorumq; nostrorum de cũctis animę particulis in vnũ collectam, eiusque rei causa corruptibilem eam dixit. Numenius autẽ Pythagoricus, cõtra hos inuectus hæc inquit: τὴν δὲ ψυχὴν γεννητήν τε καὶ φθαρτὴν λέγουσιν, etc. hoc est: Animam verò isti generabilem corruptibilemque affirmant, non tamen eam inquiunt, si mulatque corpore absoluta sit, ilico interire, sed suis opibus innixam perdurare ad quædam temporis spatia. Proborum quidem virorum animas superfore, vsque dum vniuersus orbis incendio absumatur. Stultorum verò hominum, ad nescio quæ tempora esse duraturas. Longinus quoque, sic eos manifeste accusat: ζήνωνι μὲν καὶ κλεάνθῃ νεμεσήσαιεν ἄντις δικαίως etc. hoc est: Zenoni quidem ac Cleanthæ iure optimo succensere quis possit, qui de anima ita contumeliose loquuti sint. Vterque enim, esse animam solidi corporis euaporatum quendam, exhalationemque dixerunt. His autem prorsus contraria, ipsi Pythagoræ ac Platoni visa sunt. Intellectum enim, diuinam esse partem affirmarunt, cum quibus sensit & Nicomachi filius Aristoteles, tametsi * corruptibilem animam esse dixerit, aliud enim esse intellectum ab ipsa anima, opinatus est. Platonici verò ac Pythagorici, extrinsecus insinuari intellectũ dicunt. Horumque alij, sui dominum esse, moderarique affectus vt velit. Alij verò, & necessitatis & fati seruum esse dixerunt, agiique Parcarum filis protractum, ac pendere denique omnia quæ is agat, de superno cœli rotatu, siderumque congressu. Plato autem, contraria prorsus asserit, liberam enim esse animam sensit, dominamq; eorum quibus perturbetur affectuum, sponteque ipsam sua huc atq; illuc agitari, suæ demum voluntati referre acceptũ, quod vincat, quodque succumbat. Hoc verò ipsum Plato suis in legibus ita manifeste ostendit: ἡ ντεῦθα ὦ ἐξένε ἡ νικᾶν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτη καὶ ἀείστη, etc. hoc est: Hic quoque ò hospes, cùm quis seipsum vincit, prima hæc victoriarum atque optima est victoria. Cùm autem quis à seipso superatur, hoc vero ipsum est pessimum ac turpissimũ, hęc enim ita contingunt, tanquam contra nosipsos bellum aliquod nobis insit. Rursusque idem Plato paulo post: τόδε εἴσμεν ὅτι τοῦτα πάθη, etc. hoc est. Scimus hoc autem huiusmodi affectus tanquam insitos nobis neruos quosdamq; funiculos, trahere nos prorsum retrorsumque reuocare, sicutque ipsi contrarij sibi sunt, ita & nos trahere in contrarias functiones, quàm vbi discreta iam sit sedes vitij ac virtutis. Dictat enim ratio, vnum esse tractationum eiusmodi principatum, quẽ si quis ita consectetur vt ab eo nunquam deficiat, planè persentiet modicas omnino esse vires affectionum, quæ in contrarias partes sese trahere conentur, hunc verò ductum ac principatum, rationis esse asseri-

* ἡγουμενικὸν, νοεῖν τε μονικὸν.

* Al. mortalem, θνητὸν enim habent aliqui codices.

asserimus. His itaque verbis Plato ostendit, nequaquam nos ab initio malam naturam sortitos esse, neque vlla necessitate aut violentia cogi homines ad peccandum. Non denique agi Parcarum filis, neque astrorum congressu, ad ea quæ sunt agenda compelli. Sed esse animæ cum seipsa certamen, adesseque illi victoriæ facultatẽ, si modo inclinare ad virtutem constituat. Trahit itaque libido hominem ad seipsam, ab aduerso autem trahit eundem & irascentiæ vis, habet ratio parẽdi ac repugnandi liberã potestatem, sunt enim illius partes, vt aurigam se præbeat, agatque cæteros, non vt agatur ipsa, trahaturque. Comprobauit aũt hanc eandem sententiam Plato, & in decimo legum suarum libro, his verbis: τῆς δὲ γενέσεως τῷ παντὶ πυδός, ἀφῆκε πάσις βελήσεσιν ἑκάστου ἡμῶν αὐτῆν τὰς αἰτίας, etc. hoc est: Causas aũt qualitatis cuiuspiam, pendere Deus dimisit à nostris singulorũ voluntatibus, qua enim præditus cupiditate fuerit, qualitérue animum affectus, eo ferè semper modo, talisque vnusquisque nostrum plerunq; fieri consueuit. Maior est igitur anima & potẽtior, quàm sit virtus & vitium, quandoquidem & sua ipsius voluntate, & valida consuetudine immutatur. Etenim cùm diuinæ virtuti cõmiscetur, egregie transit in egregiam illam virtutem, sanctique cuiusdam loci fit particeps, tota nimirum translata in locum alium potiorem, cùm verò contraria virtuti elegerit, ad contrarias quoque sedes vitam suam traducit atque constituit. Hoc igitur etiam loco Plato nos docuit, animæ nostræ creatorem Deũ, penes illius potestatem tribuisse meliorum rerum peiorumq; optionem. Optio enim animi, ac delectus, afficit nos vt vel huc vel illuc inclinemus. Conuersatio autem, ipsaque adeo consuetudo, valide inhærentẽ habitum parit. Cùm itaq; anima virtutis adamãtior facta, eius sibi formam impresserit, in alium quendam locum commigrat, sanctum illum quidem ac longe præsentibus potiorem. Contra autem, cùm vitium præoptarit, turpemque victam sectata sit, tunc quoque conuenientem sibi locum sortitur. In secundo etiam Reipublicæ libro, consona his Plato cõscripsit, sic enim inquit: οὐκ οὖν ἀγαθὸς ὁ θεός, ὥς γ' ὄντιγε, καὶ λεκτέον οὕτως; etc. hoc est: Bonus est igitur Deus? profecto bonus est. Atque ita asserendum est? Quid ni sit? nihil ergo erit noxium quod sit bonum? Nihil quantum mihi videtur. Nocebitne igitur, quod non est noxium? Minime. Neque verò esse poterit alicuius mali causa. Qui enim possit? Quid igitur, vtiléne erit quod est bonum? Aio ego. Eritne igitur causa rei bene gerendæ? Erit inquam. Quod itaque bonum est, rerum omnium causa non erit, sed omniũ duntaxat quæ bene se habent? Non erit, inquam ego, quoniam bonus est Deus. Omnium inquam rerum causa non erit, sicuti multi aiunt. At paucarum quidem quæ hominibus accidunt erit causa, multarum verò non erit, quandoquidem nobis, multo paucioria malis bona contingunt. ac bonorũ quidem causa, in nullum alium præterea referenda est. Malorum verò, aliæ quædam inquirendæ sunt causæ. At Deus inquirendus non est. Verissime, inquit is, dicere mihi videris. Igitur, inquam ego, nec Homerus nec Hesiodus audiendi sunt, qui peccatum hoc de Dijs stultissime peccant. Aiunt enim:

Ος δύο πίθοι κατακείαται οὐ διὸς ἔδεα, etc.

Hoc est,

Dolia bina sedent stellanti sub Iouis aula,
Fataque discretim bona sunt hoc, tristia in illo.
Cuique Deus dextra commiscens, vtraque porgit,
Nunc bona sortitus gaudet, nunc tristia mœret.

Sunt igitur & alia huius generis, quæ apud Homerum, quæque apud Hesiodum Aeschilumq; leguntur. Tum præterea & hæc infert: κακῶν δὲ αἴτιον φαναιὸν θεὸν ἀγαθὸν ὄντα, δίδαμαχητέον παντὶ τρόπῳ, etc. hoc est. Modis autem omnibus pugnandum est, ne Deus qui bonus est, dicatur esse malorũ causa, néue qui iustis legibus victurus sit, verba hæc dicat in sua ciuitate, néue quis loquentẽ exaudiat, seu iunior sit ille, seu senior, qui vel metro vel soluta oratione talia mentiatur, fabulosq; confingat, vtpote quæ si vllo modo dicantur, neque sancta sint, neq; nobis vtilia, neq; sibi admodum consona. Faueo, inquit ille, tibi in lege hac, mihi enim valde est cordi. Hæc igitur, inquã ego, vna lex vnaq; demum formula sanciatur, in ijs quæ dici ab loquentibus, quæque fieri ab agentibus oportebit, ne videlicet sit rerum omniũ Deus causa, sed bonarum duntaxat. Hæc igitur de Deo qui fecit nos, deque nobis ipsis, & sentire & opinari Plato nos docuit, iussitq; ciuitate extrudi, qui diceret Deum esse malorum causam, inquit enim verba eiusmodi nefaria, esse nobis perniciosa, sibique ipsis non bene consona. Etenim si bonus est Deus, sicuti bonus est (cõmunis hæc enim sententia est) non vtique erit malorum causa, qui bonus est. Quod si Deus non est causa malorũ quæ fiunt, mala aũt propriè appellamus, non ea quæ à multis existimantur mala, paupertatem videlicet, ægritudinem, quæq; sunt præterea his similia, quæ nonnullis appellari damna mos est, sed malitiã, libidinẽ, cęterasque iniquitates, nos igitur hęc ipsa facere audemus, causaq; earum rerum in nos authores referenda est, in Deũ verò nequaquam, cùm ipse etiam latis legibus contraria fieri mandarit. Hæc itaq; nos sentire & Socrates & Plato docuerunt, hiq; animæ illam vim quę ratione prædita est, diuinam appellarunt. Est aũt operę preciũ, verba Socratis audire Alcibiadem alloquentis, quæ sic apud Platonẽ scripta inueniuntur. ἔχομεν ἄρ' εἰπεῖν, ὅτι τὸ ψυχῆς ὄντι θεότατον; ἢ τοῦτο καὶ εἰδέναι τε καὶ φρονεῖν ὁ ὄντιν, ὅτι ἔχομεν: etc. hoc est, Possumusne igitur dicere, partẽ animæ diuinissimam esse? an de hac ipsa re, nec scire quæ sit, nec sapere quicquam possumus? Hæc itaque animę vis, Deo est similis, atque hoc aliquis intuens, omneq; diuinum cognoscens, Deumq; & prudentiam, ita & seipsum nosse maxime poterit. Similia verò his et in Phædone scripta sunt: θῶμεν δή. ἔφη, βλέπε δύο εἴδη τῶν ὄντων τὸ μὲν ὁρατόν, τὸ δὲ ἀειδές, &c. hoc est, Vis enim inquit, ponamus duas rerum species, quarum altera videri possit, altera vero non possit? Ponamus, inquit. Quodque videri non potest, semper eodem modo se habeat, quod autem potest, non itidem habeat? Et hoc, inquit, ponamus. Age itaque, inquit ille, aliúdne quicquã nostri statuemus, an hoc solum, quod videlicet altera nostri portio est corpus, altera verò anima? Nihil aliud, inquit ille. Vtri aũt rerum speciei similius esse corpus dicemus atq; cognatius? Vniuerso, inquit ille, huic videlicet quod oculis cerni potest. Quid verò anima, viderine poterit, an nõ poterit? Ab hominibus ò Socrates, videri non poterit. Nos autem cùm poneremus alia esse quæ videri possent, alia quæ non possent, hominibúsne putas, an alij cuipiam naturę videri posse dicebamus, ac videri non posse? Hominibus, inquit ille. De anima igitur quid dicemus, visibilẽ ne esse, an inuisibilẽ? Aio ego non esse visibilem. Ergo inuisibilem esse ais? Ita est prorsus. Est ergo anima, similior inuisibili quã sit corpus, at visibile corpus est assimilius? Ita est necesse dici, ò Socrates. Multa verò alia prosequutus, hæc quoque addidit. ποτέρῳ ἄρ' ἡ ψυχὴ ἔοικε etc. hoc est. Vtri tandẽ anima erit assimilis? Plane constat ò Socrates, animam diuinæ rei persimilẽ esse, corpus verò ipsum mortali. Rursusque paulo post. τὸ δὲ σῶμα τοῖς θνητοῖς ἐοικέναι, ἆρα ἀχὶ σώματι μὲν ταχὺ διαλυθήσεσθαι προσήκει, etc. hoc est. Quid igitur, cùm hæc ita se habeant, an non, quæso, corpori quidem conuenit cito dissolui, animæ vero prorsus conuenit vt vel sit insolubilis, vel ad aliquid quod eiusmodi sit, proxime accedat? Qui hoc enim non sit? Cumq; ostendisset quo pacto corpus dissoluatur, ita hęc attulit. ἡ δὲ ψυχὴ εἰς τὸ ἀειδές, ἢ εἰς τοιοῦτον ἕτερον τόπον τινὰ οἰχομένη γενναῖον καὶ ἄριστον φοιτᾷ, &c. hoc est. Anima verò ad inuisibile, aut in alium quendam huiusmodi locũ se conferẽs nobilẽ illum atq; optimum, proficiscitur sine dubio ad bonum & prudentẽ Deum, quo, si Deus velit, ilico & meæ animæ proficiscendũ erit. Cùm itaque nostra hęc anima talis sit, eaque prædita sit natura postquam corpus euasit efflatáne, quod multi aiunt, euanescit ilico, prorsusq; interit? Imò longe aliter fiet ò charissime Cebes & ò Simmia, multoq; potius ita se res habet vt dicam. Tum & quæ sequuntur, in eandem feruntur sententiam, manifesteque ostendunt animę immortalitatem. Tantã igitur & Historici & Philosophi & Poetæ, tũ de anima, tum de corpore, tum de hominis genitura & constitutione, inter se litẽ exercent, dũ alij quidem hæc, alij vero illa preferũt, alij rursus & his & illis contrariam opinionẽ adducunt, neq; enim veritatis discendæ studio ac desiderio tenebantur, sed inani gloriolæ ambitioniq; seruientes, optarunt nouorũ dogmatum inuentores vocari. Ex quo sanè factũ est, vt in errores multos inciderint, dũ ij qui posterius succedebant, maiorum opiniones euertere conarentur. Anaximander enim, Thalete iam mortuo, contraria illi sensisse dicitur. Anaximenes quoque, post Anaximandri mortem idipsum fecit, idemq; Anaxagoras. Aristoteles aũt, Platoni adhuc viuenti manifeste aduersum se præbuit, contra Academiam bello suscepto, neque doctrinæ illi honorem vllũ rependit, quam liberalissime olim percepit, neq; celeberrimi viri gloriã est reueritus, neque Platonicæ eloquentiæ vim pertimuit, sed impudenter illi aduersarium sese gessit, cùm tamen nequaquã meliorum dogmatum, sed multo peiorum quàm Plato ipse, author extiterit. Nam cùm ille animã disserit immortalẽ esse, hic esse mortalem dixit. Cumq; ille dixerit, Deum res omneis prouidentiæ cura complexum esse, hic, quantum possunt eius rationes, terrarum orbem diuinæ prouidentiæ exortem facit. Inquit enim ad lunã vsq; Dei gubernationem deferri, quæ verò sunt infra Lunam fato esse subiecta. Plurima vero & alia quæ noua atq; insolita sunt, adducit, superuacanea prorsus quæ mihi hoc tempore explicentur. Illi ergo merito ac decenter suas ipsimet demoliti sunt opiniones, falsitas enim, nõ modo ipsi veritati, sed sibi quoque ipsi contraria est. Veritas autem & sibi est concors, & vnam modo falsitatem infestam habet. Itaque pronum est inuenire, vel de ipsa natura hominis & Mosen legislatorem, & Prophetam Dauid, & fortissimum virum Iob, & Esaiã quoque, & Hieremiam, vniuersumque Prophetarum chorum, Matthęũ quoque, Ioannem, Lucam, & Marcum, Paulumque præterea & Petrum, vniuersumque Apostolorũ cœtum, quæ sint vbiq; consona cunctos homines docuisse. Neque enim est horum audire alium qui hos homines, alium qui illos archetypos humani generis ac indigenas fuisse testetur. neque alios qui mortalẽ, alios qui immortalem animam dicant, neque alios qui perturbationum dominam rationem, alios qui mancipium seruamque asserant. Omnes enim concordi oratione nos docent, ex terra & aqua cæterisque elementis humanum corpus effictum esse, animam vero nequaquã ita in corpus demissam, vt tamen antea per se subsisteret, sed corpore iam plasmato creatam esse. Plasmauit enim, inquit, Deus hominem, puluerem sumens de terra, & inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ, factúsque est homo in animã viuentem. Neque vero intelligendũ est, inspirationem hanc fuisse quendam anhelitus defluxum qui de ore Dei prodierit, incorporeus enim Deus est, idẽ simplex neque cõpositus, sed ipsam animæ naturã, spiritum esse præditũ ratione & intellectu. Hæc itaq; Moses in mundi genitura cõscripsit, quibus assimilia nos docet, & in diuinis legibus. Vbi enim de prægnante muliere mentionẽ facit quæ plagis affecta pariat abortiuum, formari prius in aluo matris infantem ait, ac tunc denique iam perfecto corpore animari, non ita quidem vt anima præ-

Gen. 1.

Exod. 21.

ma præexistens alicunde corpori inseratur, neq; vt enascatur è semine, sed diuino instituto sicut ab initio insita naturæ lex fuit, creationem accipiat. Hoc ipse Iob in suis illis certaminibus cum magistro * ludorum Deo, suoq; creatore, ita disserens confitetur. μνήσθητι ὅτι πηλόν με ἔπλασας etc. hoc est, Memento quod * ex luto plasmasti me, in terram verò iterum conuertis me. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carne induisti me, ossibus & neruis implicuisti me, vitã & misericordiam posuisti iuxta me, & inspectio tua custodiebat spiritũ meum. His autem verbis ostẽdit nuptiale commercium, nec minus & occasionem gignendorum liberorum, exiguamq; illam humani seminis portionem in quàm plurimas ideas membrorum speciesque transformari, ac tunc deniq; creari animam corporiq; adiungi, quæ postquam fœtus in lucem æditus sit, diuina ope custodiatur ac gubernetur. Clamat insuper deiloquus Dauid. αἱ χεῖρές σου ἔποίησάν με, etc. hoc est, Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum, & discam mandata tua. Quibus in verbis, hic etiam creatori suo commemorat opus suæ creationis, petitq; ab eo intellectum & sapientiam cõsequi. Omnes item Prophetæ, quæ valde his cõcordia sunt, de humana natura nos docent. Ne quis autem opinetur, alio quidem pacto Græcos enatos esse, alio autem Romanos, alióue Aegyptios, Persasq; ac Massagetas, Scythas, Sauromatasque, aliam atq; aliam sortitos esse substantiam, Moses idem nos docuit, vnũ ab initio hominem de terra plasmatum fuisse, deq; eius latere mulierem formatã. Quibus in matrimonij copulam coeuntibus vniuersum orbẽ terrarum natis inde filijs ac nepotibus impletum fuisse, cũ singuli generationes plurimas propagarẽt. Deo siquidem facillimũ fuit imperij sui iussu vniuersam terram, mareq; vniuersum semel statimq; habitantium cœtu differtum reddere. Ne verò quisquam opinari posset diuersam esse hominum naturã, ex vna duorum hominũ copula innumeras propagari gentes præcepit. Ob hanc itaque causam mulierem ipsam non aliunde quidem plasmauit, sed ex viro desumpsit illius effingendæ materiam, ne & ipsa putans se aliam à viro naturam sortitam esse, aduersam sese viro contumacemq; præberet. Hinc & easdem leges viris, quas & mulieribus, tulit, propterea quòd illo tenui corporis discrimine ac figura, non autem anima inter se differunt, est enim mulier ratione prædita, sicut & vir, docilisq; etiam quid agendum, quid deniq; sit fugiendũ, quidúe capessendũ pari modo & ipsa percipit mulier, nonnunquam verò & multo melius viro quid magis sit profuturum mulier cõminiscitur, vtilis agendis rebus, commodaq; consultrix. Itaque non viris solum, sed ipsis etiam mulieribus patere templorum aditus debent. Neque viris quidem lege permittitur diuinis expiari mysterijs, mulieribus autem interdicitur, sed hæ quoque iubentur initiari, rebusq; mysticis erudiri. Quin & virtutis præmia, fœminis æque ac viris proposita sunt, nec iniuria quidẽ quãdo & virtutis certamina, sunt vtrisq; communia. Neq; vero linguarum atq; idiomatum differentia quicquam generi humano vitij affert. Videre enim licet, tũ Græcos, tũ barbaros homines, & studere virtuti, & flagitijs dare operã. Id quod & Græci verum esse affirmant. Anacharsin enim, Scytham hominem, demirantur ac laudant, non Atticum, non Argiuum, non Corinthium, non Tegeaten, non denique Spartiaten. Brachmanas quoq; valde suspiciunt, Indos genere, non Doricos, non Aeolas, non Ionicos. Laudant præterea Aegyptios, vt maxime sapientes, multas enim ab ijs disciplinas accepimus. Linguarum itaque differentia & varietas, naturam detrimento nõ afficit. Hippomolgos enim populos Thraciam incolẽtes, ita appellatos quòd equarum lacte nutriantur, iustissimos Homerus vocat. Cyrum præterea Cambysæ filium, paterno quidem genere Persam hominem, Medum autem materno, prudentiæ, temperantiæ, iustitiæ, fortitudinisque Xenophon Grylli filius laudauit. Itaque ipsimet Græci confitentur esse apud barbaras nationes curã aliquam studiumque virtutis, neq; prohiberi linguarum differentia quò minus in officio consistamus. Omnes siquidem veritatis præcones, Prophetæ inquam atque Apostoli, Græcę quidem eloquentiæ fuerunt prorsus expertes, quia tamen vera sapientia abundarunt, cunctis & Græcis & barbaris nationibus diuinam attulere doctrinam, vniuersumq; orbem terræ, mariaque item omnia impleuerunt virtutis pietatisque monumentis. Ex quibus factum est, vt cuncti mortales abdicatis Philosophorum nugis, piscatorum fruantur publicanorumq; disciplinis, sutorisque volumina & amplexentur & colant, ac Italicæ quidẽ Ionicæq; sectæ, ac Eleaticæ, ne nomina quidem sciant, eorum nanque memoriam temporis lõginquitas abolevit. Prophetarum vero nomina, quanquã pluribus quàm mille ac quingentis annis eiusmodi Philosophis antiquiorum, loquentes huc illucque circunferunt. Quin eos quoq; patres qui Prophetas tempore præcesserunt, Abraham inquam filiosque Abrahæ, hisque etiam ipsis vetustiores Noe, Enoch, & Abel, cęterosque quotcunque laudabilis vita illustres fecit, norunt quàm optimè. At septem illos sapientes, qui longo pòst Prophetas tempore nati sunt, eorúmque præterea nomen qui sapientibus illis successerunt, ne illi quidẽ qui Græco fauent idiomati satis sciunt. Sed quid ego præsentes homines viuósque commemoro, cùm & apud priscos ac remotiores magna de illis dubitatio fuerit? Nonnulli enim, septem sapientibus annumerant Periandrum Corinthium, alij verò, Creticum Epimenedem, alij, Acusilaum Argiuum, alij, Anacharsin Scythã, alij, Syrum Pherecyden, Plato autẽ, Mysonem Cheneum. Hos itaque sapientes vel qui circa eorum tempora vixerunt homines ignorarũt. Matthęum vero, Bartholomęum, & Iacobum, Mosen,

* Al. certaminiũ suorũ.

* Al. lutum.

Psal. 118.

Mosen, Dauid, & Esaiam, aliósque item Apostolos & Prophetas æque nũc homines tenẽt, ac filiorum nomina. Neque tamen etiã desunt, qui illorum nomina simulatq; audierint, tanquam barbara sint, comicè irrideant & persequantur. Nos tamen huiusmodi irrisorum insaniã quàm maximè miseramur, qui cùm videant homines barbaro sermone vsos, superasse leporem Græcę eloquutionis, comptiloquósque illos suos authores prorsus iam eliminatos fuisse, piscatorumque solœcismis dissolutos Atticos syllogysmos, non erubescunt tamen, neque in latebras se conijciunt, sed impudenter pro mendacio & falsitate depugnant, quanquam ita pauci sint, vt quàm facillime numerari possint, nec Græcæ quidem participes eloquẽtiæ, sed qui in totidem barbarismos incurrant quot & verba pronuntiant, summam se ostentare doctrinam ac loquendi nitorem arbitrantes, si iurentur inter loquendum, per deos, per solem, talesq; iurationes oratione sua effingant. Quod si mentiri me creditis, quæso, dicite Græci homines, quẽ Xenophanes Colophonius successorem sectæ suæ reliquerit, quem Parmenides Eleates, quem Protagoras, quem Melissus, quémue Pythagoras, quem denique Anaxagoras, quem Speusippus atque Xenocrates, quem Anaximenes, quem Arcesilaus vel, Philolaus? Quinam hodie inueniũtur sectæ Stoicę præsidentes, quiúe etiam sunt qui Aristotelis Stagiritæ doctrinam corroborent? vbi sunt, qui ad leges Platonis ciuitates gubernent, quiúe vsquam homines, eam vitæ normam quam leges illæ instituunt, amplexi sunt? At nullum profecto eorum dogmatum præceptorem ostendere nobis poteritis. Nos autem vobis apostolicæ Propheticæque doctrinæ inexhaustum robur manifeste ostendimus. Vniuersã enim facies terræ, quantacunque soli subijcitur, eiusmodi verborum plena iam est. Hebraici verò libri, non modo in Græcum idioma conuersi sunt, sed in Romanam quoque linguam, Aegyptiam, Persicam, Indicam, Armenicamque, & Scythicam, atque adeò Sauromaticam, semelque vt dicam in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes vtuntur. Ac Plato quidem, qui complures sermones de animæ immortalitate disseruit, ne Aristoteli quidem auditori suo persuasit eã positionem. Nostri verò piscatores ac publicani, noster inquam sutor, ipsis Græcis, ipsisque Romanis, amplius verò & Aegyptijs, cunctisque nationibus immortalitatem animæ persuaserunt, eamq; ita ratione præditã esse vt improbis affectionibus dominari possit. Neque cùm positas naturæ leges transcendit, vllaui coactam id facere, sed contemptu negligentiáque peccare, rursusq; pœnitentia duce ad meliora inflecti posse, ac priore malitia expiata, diuinas iterum sibi notas imprimere. Passimq; videas hæc nostratia dogmata, non ab ijs solum teneri, qui sunt Ecclesiæ magistri populorumque præceptores, sed ab ipsis quoq; sutoribus, fabrisq; ferrarijs, lanificibus præterea cunctisque artificibus, quin & à fœminis item omnibus, non ijs modo, si quæ demum illæ sunt, quæ literas didicerunt, sed quæstuarijs ac sartricibus, ancillisque adeò & pedissequis. Neque ij solum qui vrbes incolunt homines, sed ipsi quoq; agricolæ, probè eadem sciunt. Fossorésque adeo ac bubulcos inuenias, plantarumque consitores, de diuina Trinitate, rerumque omnium creatione discertantes, humanæ itẽ naturæ magis conscios esse, quàm Plato Stagiritesq; fuerint. Quid enim dicam, quod ab his omnibus declinatur malum, futura extimentur supplicia, citráque vllam dubitationem diuinum illud iudicium expectatur? Quid, quod ijdem ipsi de immortali ac sempiterna vita sapienter philosophantur, quódque cœlestis regni gratia labores omneis ac rerum difficultates libenter alacritérque cooptant? Neque tamen ab alijs hæc ipsa præceptoribus didicerunt, quàm ab ijs quos ipsi barbaros imperitósque nuncupatis. An verò non audistis, quæ olim Anacharsis dixerit, ἐμοὶ πάντες ἕλληνες σκυθίζουσιν, hoc est: Mihi Græci omnes Scythizant. Quod sanè dictum, proxime omnino ad sutoris nostri verba accedit, ea videlicet: εἰ μὴ γὰρ μὴ γνῶ τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς, ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος, καὶ ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ, βάρβαρος, hoc est: Nisi enim sciam vim vocis, ero illi barbarus qui mecum loquitur, & qui * mihi loquitur, erit barbarus. Profecto enim sicuti Græcis hominibus Illyrici, Pæones, Taulantij, ac Titanes, barbari esse censentur, ita rursus & eisdem illis alijsque fermè omnibus qui audire Græcum idioma non possunt, Attica lingua, Dorica, Aeolica, & Ionica, videntur barbariem quandam sapere. In vnum quidem sensum rerúmque intellectum linguas omneis referri, magistra experientia docti sumus. Est enim apud barbaras quoque nationes inuenire florentes artes ac disciplinas, editáque in bellis gerendis egregia fortiorum virorũ facinora. Quidam verò barbarorum, multo callidiora quàm Græci sæpenumero machinamenta inueniunt, argutiores dolos, astutiorésque insidias ijdem comminiscuntur. Neque desunt, qui Græcæ eloquutionis venustatem superent arguta breuitate sermonis. Hoc enim de Persica natione & antiqui scriptores testantur, si quisúe præterea vel exercitus imperator, vel legatus, vel mercimoniæ causa in eorum fines profectus, cum eis diuersatus sit. Aiunt enim illos argutè nimium deprehendere omnes loquendi strophas, dictisq; breuissimis colloquentes reuincere, eosdémque disputatores esse quàm maximos, quæque ab aduersarijs implicentur argumenta, solere ab illis citra moram vllámque difficultatem facile solui. Prouerbijs quoque vti eos affirmant sapientia plenis, altissimisque ęnigmatis. Non quod Chrysippi labyrinthos Aristotelisúe cognorint, quódue illos genus hoc eruditionis vel Socrates vel Plato vel Demosthenes edocuerint. Neque enim Rhetorum sermonibus

* Al. in mẽ.

Philosophorúmue intenti fuerunt, sed natura duntaxat magistra vsi sunt. Ipsos autem Indos multo quã Persę sunt, sapientiores esse testantur. Quin etiam Nomades ij qui sunt nobis finitimi (Nomadas autem cùm dico, Ismaelitas dico eos videlicet qui in solitudinibus vitam degunt) singulari quadam mentis solertia præditi ac prudentia esse narrãtur, acutissimóq; ingenio pollere ad cognoscendam veritatem, falsitatemque refellendam maxime facto. Nam de Aegyptijs quidem nihil puto à me dici oportere, cùm primi Philosophorum vel illis potiores esse dicant Aegyptios, qui apud Græcos celeberrimi Philosophi perhibentur. Apud Romanos profecto & Poetæ, & Oratores, & Historici viguerunt, vtque illi aiunt qui in vtraque lingua versati sunt, multo prudentiora sunt Romanorum quàm Græcorum authorum inuenta, multoque breuiores sententiæ. Neque hoc idcirco à me dictum existimari velim, quod Græcorum idioma deterrendo attenuem, cuius & ipse aliquo modo sum particeps, neque quo secus ac debeo altrici meæ præmia nutritionis persoluam, sed quo tumentiores eorum buccas deprimam, superciliaq; deijciam, qui nimio plus Greco idiomate gloriantur, doceamque non debere illos irridere linguam ac persequi quæ traditione veritatis eniteat, neque ijs efferri sermonibus, qui fuco quidem artis exculti sunt, omni autem veritate sunt casi, sed contrà potius admirari veritatis magistros indoctos illos quidem comere ac variare sermones suos eloquentiæ venustate, puram tamen veritatis pulchritudinẽ ostendentes, minimeque indigos qui extrinsecus petitis ascititijsque floribus excolantur. Itaque amici homines ventosis Philosophorum nugis simplicem Piscatorum doctrinam, quæso, conferte, quantáque inter vtrosque differentia sit inspicite, tum verò multis enumeratis librorum vestrorum millibus, tandem, quęso, perdiscite, quæ sit in ijs rationum argumentorumq; imbecillitas, quandoquidem nullus vnquam paulo prudentior homo fuit, qui vel Poetarum fabulas, vel Philosophorum sequi opiniones animum suũ induxerit. Sacrarum itaque literarũ & admiramini compendium, & vim ipsam quæ immensa est laudate, veritatemq; tandem eorum dogmatum quæ in illis continentur perdiscite, corporis videlicet plasmationem, naturam animæ immortalem, vimq; illam quę ratione prędita est perturbationum atque affectuũ dominam esse, necessarios quidem affectus esse, humanoque generi perquam vtiles. Concupiscendi siquidem vis, plurimum nobis confert, quęque huic ab adverso loco opponitur irascendi facultas, per illam siquidem excitamur ad diuinas res appetendas, contemptisq; rebus omnibus quas oculis intuemur, ea quæ solo intellectu percipi possunt, cogitatione animoque versamus. Ex quo fit, vt quanquam pedibus adhuc terram prementes, cœlestem videre Dominum cupiamus. Ab eadem quoque facultate, virtutis desiderium nobis aduenit, hac ipsa vitam tuemur, hac excitante cibum nobis potumque desumimus, hæc demum est, quæ liberorum procreatione genus protendit. At ipsa irascendi vis data est socia rationi, quæ immoderatam videlicet cupiditatem libidinemque coerceat. Quandoquidem enim illa, vltra positos fines transilire contendit, coniugam sibi creator Deus iracũdiam vinxit, quasi ferocientem pullum, qui eam remoretur ac retrahat, si quando vltrà quàm opus est, efferre pedem conetur. Ac veluti cali da frigidis maxime sunt contraria, si tamen eadem admixta inuicem temperentur, optimam commixtionem efficiunt, ita iracundia & cupido inuicem admixtæ, alterno impedimento faciunt optimam virtutis commixtionem. Est autem penes vnam rationem vis ac potestas agendarum rerum, vt iracundiam quidem contineat, cupiditatem verò impellat. Etenim cupiendi vis nimiam iracundiam sistit, rursusque iracundia castigat inexplebilem cupiditatis affectum. Hæc autem ipsa perfectissimè transiguntur, dum ratio habenas scientissimè moderatur. Quod si ratio vel facilitate libidinis lenitateq; delinita, vel exultante iracundia simul egressa, laxius quàm par sit habenas remiserit, illę quidẽ affectiones tumultuatim excurrunt, equorum more qui frenum mordicus apprehendunt, domina autem ratio per vim tracta raptatur, in derisum spectantibus opprobriumque adducta. Optimo itaque iure pœnas persoluit, tanquam sponte damnum illud clademque subierit, etenim & ab hominibus latæ leges, eos qui delinquunt, irrogatis pœnis coercent. Deus item, peccatoribus inexhaustum comminatus est ignem. Neque igitur Deus cùm sit optimus ac iustissimus, ab ijs pœnas exigeret, qui *exlegem vitam viuere adamarunt, si adacti necessitate aliqua deliquissent. Neque hominum sapientissimi coercendis sceleribus leges vnquam tulissent, nisi compertũ illis fuisset certa animi sententia, humana facinora perpetrari. Porrò autem nec qui principatum in cæteros mortales sortiti sunt, immanibus tormentis noxios homines scelestosque lacerarent, si probè scirent non à delectu quidem voluntatis, sed vel fati vel naturæ necessitate homines edicta legum transcendere. Qui verò peccantibus nequaquã parcendũ putant, manifeste ostendunt peccatum à certa sententia proficisci. Hęc itaque de natura hominis sentiendum esse, à maioribus nostris edocti sumus, ipsiq; mortales cęteros edocemus, valdeq; admodũ demiramur, conspicuam opificis Dei sapientiam nostris in corporibus contuentes, nempe ex vno cerebri fonte, tam differentes sensuum functiones productas. Quoque pacto alij sensus, alios ad eundem fontem fructus commoditatesque referant, alium quidem visus, aliũ verò auditus, alium olfactus, alium gustus, alium porrò & tactus. Quique sit vsus homini, quæ vtilitas è cunctis partibus corporis, tam conspicuis

* ἄνομον.

spicuis palamque extantibus, quàm introrsus etiam recedentibus. Vt memoria suis in thesauris plurima, eademq; diuersa excipiat, neque tamen ea confundat, sed discretim sincera conseruet, tum & repetẽdo recenseat quæ olim multo ante conceperat, in quibus & multæ sint rerum cognitiones quæ se inuicem minus conturbent, sed singulæ suis temporibus sese prodant. Quandocunque igitur hæc animo & cogitatione repetimus, quæque sunt hisce rebus similia, cum Propheta vocem admirantes tollamus : Ἐθαυμασθὴ ἡ γνῶσίς σου ἐξ ἐμοῦ, etc. hoc est : Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam. Quæ enim satis possit oratio explicare, vel apparentem nostri corporis harmoniam, vel ipsi animæ inditam sapientiam? Cùm itaque complura de hisce rebus & Hippocrates & Galenus, Platoque præterea, Xenophon, Aristoteles, Theophrastus, alijque prope innumeri, literarum monumẽtis mandarint, multo plura sunt dictis rebus ea quæ de diuinæ sapientiæ operibus omiserunt, humanæ siquidem mentis solertia, consequi vniuersa non potuit. Eiusque rei gratia & Propheta Dauid in ijs quæ animo complexus est, Deum laudauit, cùm tamen assequi cuncta non posset quæ nobis insita esse contemplabatur, victum se manifeste confessus est, satisque eam esse confessionem existimauit, per quam Deo Opt. Maximo, haud ita prorsus indignas Deo laudes persolueret.

Psal. 138.

FINIS LIBRI QVINTI.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS DE CVRATIONE INFIDELIVM GRAECORVM LIBER SEXTVS, DE Prouidentia Diuina.

QVI maritimis sese studijs addixerunt, alij quidem naues remis impellunt, gubernaculisue moderantur, alij vero piscatores, lembis inuecti retia demergunt, quibus innutritos aquis pisces concipiant. Videreq; est eorum nonnullos cautibus insidentes funem demittere, vt quos prius esca pisces illexerint, traiectos hamo vndis extollant. Sunt autem qui aduersa nauigatione vtentes, fracta naui pelago demergantur, siue quod imprudenter haud suo tempore in altum subducti sint, siue quod temerario quodam ausu sese tempestatibus obiectarint. Hæc autem non incassum verbosus nugaciterque effundo, sed qui proposita similitudine demonstrare contendam, quanta sit eorum stultitia qui in mundi machina grauiter peccant, quæque in eo per diuinam prouidentiam gubernantur, sine pudore vllo accusant. Alij siquidem mundi huius constitutionem spectantes, opificem laudibus, iure efferunt. Alij vero, plusquam oporteat mundum demirati, fatuo quodam consilio Deum faciunt. Rursusque nonnulli mortales singula eorum quæ in mundo fiunt, non sine admiratione maxima cõtuentur. Videntes enim mundi gubernatorem omnia quàm optime moderantem laudant sapientiam quæ in gubernaculis tanta conspicitur. Contrà vero non desunt qui omnia quæ fieri in mundo contingit, maxime oderint, neque eorum quicquam satis placere sibi fateantur, iamque adeo & diuitias damnent, & paupertatem infament, iuxtaque & de morbis expostulent, & bene valentes grauiter ferant, atque, vt semel dicam, nihil eos delectet eorum quæ contingunt in vita, siue prospera illa sint, siue aduersa. Itaque pariter & annonæ fœcunditate turbantur, & agrorum sterilitate. Tristantur liberorum copia, & carentia. Dolent pace, dolent & bello. Ex quo sanè fastidio factum est, vt accusent prouidentiæ gubernacula, immo vero quantum in ipsis est, funditus tollant, inducãt autem Parcas, fatum, fortunam, singulisque nostrum violentam quandam necessitatem præficiant, à qua præter animi nostri sententiam fieri nos latrones, mœchos, parricidas, affirmant. Agedum itaque gentilium Græcorum opiniones iterum disquiramus, easque tum Apostolicis, tum Propheticis dogmatis comparemus. Sed enim Poetas hoc loco, cum suæ impietatis fabulis relinquamus, quando & princeps Poetarum, deorum principem flebiliter conquerentem inducit, quòd filium vlcisci non possit, eo quòd Clothonæ filis inferior sit, eaque dissoluere quidem velit, ab Atropo autem & Lachesi prohibeatur. Eamque obrem lamentis, fletibus, vlulatuque permulto verba commisceat. Idem & Neptunum inquit velle quidem vltionẽ sumere de Cephaleniorum duce, qui Polyphemo oculum eruit, haud tamen potuisse fatum superare, quandoquidem fato iam decretum erat, Vlyssem Laertæ filium ad Ithacam patriam rediturum esse. Poetis igitur prætermissis, Philosophorum potius cœtum afferamus. Diagoran sectatoresque Diagoræ, Atheos cognomento nuncupatos ferunt,

runt, eò quòd penitus Deum negarent esse. Protagoran vero, ancipiti opinione de Deo sensisse aiunt, nam dixisse illum affirmant, nescire se vtrum dij sint, an omnino non sint. Epicurus autem Neoclis filius, quæque ab eo secta societasque descendit, Deum quidem esse dixerunt, verum ad sese ipsum quicquam conuersum esse, neque curare ipsum quicquam negocij, neque item sibi velle ab alijs exhiberi. Nicomachi porro filius Aristoteles, luna tenus putauit Dei prouidentiam rebus præesse, at ea omnia quę infra lunam subsidunt, minus Deum curare, sed eorum gubernationem tradidisse fatorum necessitati, cui quidem tantum tribuebat, vt non solum diuitias, paupertatem, prosperam valetudinem, morbos, seruitutem, bellũ, pacemq; diceret ab hac mortalibus dispensari, sed virtutem quoq; vitiumque contribui. Hanc vero eius opinionẽ, Cynicus Oenomaus apertissime accusauit, vatẽq; Pythium quod ijs similia suis in oraculis responderet, eiusdem accusationis reum fecit, ac librum quem ea de re conscripsit, veneficorum indaginem appellauit. In eo aũt scripta hæc sunt: ἀπώλωλε γὰρ τόγε πῆ θῖς θφοῖς, ἐκ τῆ ἀνθρωπείᾳ βίᾳ ἀπώλωλε, εἴπ, ὅιαιρέτ αὐτό, etc. hoc est: Perijt enim (quantum in sapientibus viris est) perijt inquam ex humana vita, siue id temonem, siue saburram, siue crepidinem libeat appellare, libertas videlicet humanæ vitæ, quam nos quidem vel rerum quæ maxime necessariæ sunt, dominam esse decernimus. Democritus autem, nisi fallor, & Chrysippus, alter planè seruam, alter semiseruam esse pulcherrimã hominis partẽ demonstrare contendunt. Verũ tanti eorum sermo fieri debet, quanti ab homine faciẽdus est homo. Si vero hac in re Deus quoque nobis aduersus sit, pape qualia patiemur mala? Cumq; alia permulta in hanc sententiam dicat, hæc insuper adducit: φέρε καὶ ἡμεῖς ἀντογανακτήθωμεν, π δύπωτε; etc. hoc est: Age et nos contrà indignemur. Quid igitur? Vbi nobis aliquid ita agendum esse videatur, certissimum hoc erit atque antiquissimum? Vbi vero non ita videatur, ibi aduersa quadam vi latens nescio quid in nos potest, ipsa videlicet Himarmene ipsaque Pepromene, hoc est, sua cuique fatalis connexio & transactio, de qua cuilibet vestrũ diuersa sententia est, huic quidẽ quod ea ex Deo sit, huic autem quod ex minutis illis corpusculis quæ agente necessitate sursum deorsumque impelluntur, implicantur, soluuntur, absistunt, accedunt, & apponuntur? Rursumq; paulo mox, τῶτῳ δὲ ἕνεκα τᾶυτα προσήνεγκα θῆ λόγῳ, etc. hoc est: Horum aũt causa, in nostrum hæc ipsa sermonem contuli, quoniam te ò vates Pythie effugerunt ea quorum domini aut horesque ipsi sumus. Ita qui te scire omnia profiteris, nequaquam tamen hæc scisti, quorum stamina ex voluntate nostra dependent. Hisce itaque verbis Oenomaus ille Cynicus, Apollinem Pythium, Democritum, Chrysippumque accusauit, iustam aduersus eos indignationẽ concipiens, quod humanæ mentis liberam ingenuamque naturam redigentes in seruitutem, suæ illius Himarmenes ac Pepromenes necessitati tradiderint. Quod nominum vt rationem aliquam teneamus, est operæ precium videre, quo etymo Chrysippus eas exponat. Ait enim Pepromenen, quasi Peperasmenen esse, hoc est, perfectam transactamq; rerum gubernationem: Himarmenen vero, quasi Hiromenen, hoc est, complicitam eandẽ conseruatamque siue ex diuina volũtate, siue quacũq; alia causa. Parcas etiam Mœras appellatas ait, eò quod memerismenæ, hoc est, particulatim singulis diuisæ, ac distributæ sint. Ita & tempus Chronon dici putat à chreon, quasi quod necessitate quadam secundũ fati connexionem adijciatur rebus ad easque pertineat. Parcarum aũt numero, tria nobis tempora significari, quibus omnia reuoluãtur & consumantur. Ac Lachesin quidem, dictam esse à λαγχάνω verbo, id est, sortior, eò quod sorte vnusquisque sibi distributum habeat quod semel fato decretũ transactũq; est. Atropon vero, esse stabilitatẽ sortis illius quæ inuerti & commutari non possit. Clotho autem, nominatam à verbo eiusdem vocis κλώθω, quo significatur modo eorũ quæ nentur, omnia fato circumuolui & cõplicata connecti, vnãq; esse Parcarũ dispositãq; sententiã. Totamq; hanc seriem, prouidentiã nominarunt, eò quòd singula ad vtilitatẽ cõmodumq; dispenset. Adrasteam quoque eandem dici voluerũt, à διδράσκω verbo, id est, fugio, quia nihil scilicet eam effugiat. Verum enim vero non solũ Democritus, Chrysippus, & Epicurus, eorumq; sectatores omnia fieri necessitate dixerũt, quam Himarmenen aliter appellabant, sed celeberrimus ille quoq; Pythagoras necessitatẽ mundo circunsitam esse dixit. Parmenides vero, ipsam necessitatem, etiam dæmonem & iustitiam & prouidentiam appellauit. Heracletus quoque, fieri omnia fato asseruit, quod & necessitatem vocauit. Stoicus item Chrysippus, nihil interesse censuit inter fatale ac necessarium, esse autem Himarmenen, sempiternam, continuam, ac dispositam motionem. Zeno antem Citieus, Himarmenen inquit esse vim materiæ motricem, eandemq; & prouidentiam & naturam appellauit. Huius aũt successores, Himarmenen dixerunt esse rationem earũ rerum quæ in mundo nõ sine prouidentia gubernantur. Rursusq; in alijs suis libris, hirmon, id est, connexionem causarum, Himarmenen vocarunt. Pari quoq; modo & fortunã alij quidem opinati sunt deam esse, diuinosq; illi honores tribuerunt. Plato aũt, causam esse dixit quæ accidenti aliquo fieret. Rursumq; eandem naturæ casum aut electionis vocauit. Aristoteles item, causam, eam dixit esse per accidens in ijs quæ volũtario motu fiunt rei alicuius ergo, sed occultam & inconstantẽ. Anaxagoras & Democritus, quique à varia porticu Philosophi cognomentum traxerũt, aiunt eam occultam humanæ rationi, causam esse. Philemon vero Comicus, tametsi homo ad exciendum

exciendum risum maxime factus, apertissime illos accusat, qui fortunam deam esse dixerunt, sic enim vocalissime exclamat:

Οὐκ ἔσιμ ἡμῖν ὐδεμία τύχη θεός,
ὐκ ἔσιμ, ἀλλὰ ταυτόμαθον ὅ γίγνεται
ὡς ἔτυχ' ἑκάστῳ, προσαγορεύται τύχη, hoc est:
Non est Deus fortuna, non inquam Deus,
Sed casus ille quo fit omne vt contingit
Cuicunque, fortunæ vocatur nomine. Idem Poeta, eos qui augurijs sortibusque vtuntur, ita comice infamat:
Ὁταμ ἴδω πρᾶτηρεῦντα τὶς ἐ πᾶρερ,
ἤπερ ἐσιμ ὁ προσώρσκηποῦντα, ἀπολῶ
θῶν ὐθύς, etc. hoc est:
Cùm video, inquit, obseruantem qui sternuat, aut
Speculantem si quis accedat, perdam hũc ego
Hominem è vestigio, in foro sibi quilibet
Nostrum & ambulat, & loquitur, & sternutat.
An non enim illis qui sunt in ciuitate,
Ita res fiunt vt natura instituta sunt?
Menander quoque in Comœdia cui titulus Disidæmon, id est, superstitiosus, huiusmodi obseruatores ita irridet:
ἀγαθόν μοι πγένοιτ' ὦ πολυτίμητοι θεοί,
ὅσοι δ' ἡμᾶς θῦ ἱμάντα τῆς δεξιᾶς
ἐμβάδ' διεῤῥήξα, etc. hoc est:
Bene precor hoc vertat ò dij multũ colendi.
Dum calcior, Iorum dextræ effregi crepidæ.
At iure discidisti fatue blactero.
Iam enim vetustate illud computruerat.
Tu vero nimium parcus, qui nouas tibi
Crepidas emere nolueris.

Hoc itaque pacto scisse se ostenderunt qui ludicram theatralemque vitam sectantur, eiusmodi signa obseruationesque rerum valde esse ridiculas. Quin & Antipho, cũm videret quendam grauiter ferre, sibique ominosum fore id suspicari quod sus apud se fœtus quos enixa fuerat, ambedisset, χαῖρε, εἴπερ, πῆ θῶ σημείῳ ὅπ πεινῶσα, τὰ σὰ ὁ καπέφαγε τέκνα, hoc est: Gaude, inquit, hoc signo, quoniam fame affecta filios tuos minime comedit. Simile vero huic est, quòd Bion dixisse fertur. Nam is quoque huiusmodi superstitiones irridens, τί θαυμαστόν, ἔφη, εἰ ναὶ ὁ μῦς τὸν θύλακον δηέφαγεν, ὃν ἔχων ὁπ φάγῃ, etc. hoc est: Quid mirum est, inquit, si mus cùm non haberet quicquam quod esset, panarium saccum corrosit? Illud sanè mirandum contigisset, si vt Arcesilaus iocans dicere solebat, murem saccus comedisset. Diogenes autẽ cùm forte pistillo serpens se aduoluisset, factumque id valde quidam admiratus, portentum esse opinaretur, ne quæso, inquit, mirare, magis enim præter opinionem accideret, si pistillum recto serpenti se aduoluisset. Rursus hic idem cùm reperisset apud quendam ita domestico parieti inscriptum: Iouis puer inuictus Hercules domum hanc inhabitat, huc mali nihil subito, & quomodo, inquit, dominus intrabit domus? Ita sanè vel ij quoque qui tunc in sæculo vixerunt superstitionibus multis addicto scõmatis ac dicterijs incessebant & auguria & sortes & quæ hodie quoque à nonnullis prodigia & portenta existimantur. Ergo & sibi sternuere sternutantes dicebant, non qui cuiquam inde quicquam portenderent, sed qui solitum sibi id accidens paterentur. Item & mutuo colloquentes, nihil significare aliud quàm vt de propositis sibi rebus verba inter se facerent. Murem quoque illum fame compulsum vt saccum panarium perforaret, non vt domino sacci, futuri quicquam prædiceret. Pari modo & crepidę religacula, vt quæ vetustate computruissent, facile esse discissa, non vt grauia quædam oracula funditarent. Horum omnium probe conscius Epicharmus ille Pythagoræus, iubet ea prorsus cuncta contemni, hortatur autem, illum timeamus qui res omneis prospicit & tuetur, inquit enim:

Οὐδὲν διαφεύγει τὸ θεῖον τῶθ γινώσκειν σε δεῖ.
ἀυτὸς ἑῶ ἀμῶν ἐπόπτης· οἰδυνατεῖ δ' ὐδὲν θεῷ.

Hoc est:

Nihil effugit Deum, scire te hoc oportet.
Ipse nostri est speculator, nihilque Deus
Non potest. Diphilus etiam Comœdus veram philosophiam fabulis suis admiscens, ita scriptum reliquit:
οἴει σὺ τοὺς θανόντας ὦ Νικήρατε, etc. hoc est:
Putásne vita Nicerate perfunctos,
Olim voluptas quos refouit in vita,
Fugisse numen, vt latentes? protinus
Est cuncta cernens oculus, est sancti iuris.
Geminæque sub terra viæ ad manes agunt.
Vna est piorum, sed malorum est altera.

Pauloque mox idem sic ait:

μηδὲν πλανηθῆς ἐσὶν ἐν ἅδε κρίσις,
ἥνπερ ποιήσει θεὸς ὁ πάντων δεσπότης.

Hoc est:

Te nullus error habeat, est ius inferis,
Quod ille dicet omnium Deus Dominus.

Et quæ sequuntur. Quando enim non omnes qui delinquunt pœnas apud nos scelerum suorum persoluunt, neque virtutis pugiles dignissimi qui coronentur, suorum hic certaminum præmia cuncti pro dignitate accipiunt, iure optimo inquit Diphilus esse oculum rerum omnium inspectorem, iure is quoque * diuini iudicij mentionem fecit, vt mortales suppliciorum metu adducti, amanda virtutis certamina vltro cuncti accederent, neque propterea turbarentur quod nulla hic suis officiosis laboribus rependi præmia cernerent. Thebanus etiam Pindarus, fatũ ac fortunam valere iubens, ignaros docet omnipotentis Dei virtutem, inquit enim: θεῷ γὰρ δυνατὸν ἐκ μελαίνας νυκτὸς, ἀμίαντον ὀρίσαι φάος, κελαινεφεῖ ζόφῳ τε κολύψαι καθαρὸν ἀμέρας σέλας. hoc est: Potis est Deus atræ noctis è tenebris, purum iubar exerere, potis tetra caligine clarum diei lumen obruere. Aristonis autem filius Plato, manifestius nobis ostendit, Deum rebus omnibus præsidentem gubernacula orbis totius manibus continere, inquit enim suis in legibus: ὁ μὲν δὴ θεὸς, ὡς καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, etc. hoc est: Deus itaque, vt antiquus etiam

* Al. futuri.

etiam ſermo teſtatur, principium rerum omnium, finem, mediumque complexus, recta tranſigit ſecundam naturam, omnia circumluſtrans, iuxta autem huc, comes iuſtitia ſemper ſequitur, vltrix eorum qui à diuina lege procul aberrant. Quiſquis itaque beatus futurus eſt, iuſtitiæ inhæreſcens, humilis ac permodeſtus eam ſubſequitur. Si quis vero iactantia elatus, aut euectus pecuniis, honoribúſue ac pulchra valentis corporis habitudine, tum iuuentute ac dementia inflammatur animum, non abſque contumelia tanquam nec principe nec iam ductore vllo indigeat, ſed qui potis ſit ipſe alios ducere, deſertus adeò relinquitur, relictus verò alijs eiuſmodi ſibi adiunctis exultat, omnia ſimul conturbans. Ac multis quidem videtur aliquid eſſe. Poſt certum vero tempus non culpabilem iuſtitiæ pœnam ſubiens, & ſeipſum & domum & ciuitatem copioſe ſubuertit. Hiſce autem verbis Plato nos docet, Deum totius mundi curam eſſe complexum, tum & nobis oſtendit eius quandoque nonnullis in rebus longanimitatē ac tolerantiam, quodque inde inſipientibus damnum proueniat, quæque illis demum pernicies in poſterum afferatur. In ipſo autem Gorgia, huius quoque ſupplicij cauſas nobis exponit: ſic enim inquit: προσήκει δὲ πάντι τῷ ἐν τιμορίᾳ ὄντι, etc. hoc eſt: Congruit autem ei qui in ſupplicio conſtitutus eſt, dum ab alio id ſupplicium recte patitur, vt vel ipſe inde melior fiat emolumentumque capiat, vel ſaltem ſit cæteris exemplo, vt videntes eum pati quæ patiatur, timore adducti, fiant meliores. Sunt vero qui dum pœnas exoluunt, ita & ab ipſis dijs & ab hominibus vtilitatem profectus capiunt, ij videlicet qui ſanabile aliquod peccatum expiabileque peccarint, quibus tamen non niſi per dolores & cruciatus & in hac vita & apud inferos vtilitas illa contingit, neque enim aliter poſſunt ab iniquitate expiari. Qui vero extrema quædam peccata admiſerint, atque ob ea inſanabiles facti ſint, ex hiſce hominibus exempla alijs fiunt. Atque hi quidem ex irrogatis ſupplicijs vtilitatem nullam accipiunt, vtpote inſanabiles, alij tamen inde proficiunt qui eos vident, ob ea quæ maxima admiſerunt peccata, horribiles & acerbiſsimas pati pœnas, ſempiternoque tempore ad manifeſta omnibus exempla ſublatos eſſe. Videtur autem philoſophus Plato, hæc è ſacris voluminibus ſuffuratus. Planè enim puto, audiuit quæ deiloquus Moſes conſcripſit: ait enim Pharaoni Deum dixiſſe: εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειράσε ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, etc. hoc eſt: Ad hoc ipſum te excitaui, vt oſtendam in te * potentiam meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuerſa terra. Illi enim ſceleſtiſsimo iam effecto varias Deus ac multiplices pœnas intulit, non vt illum quidem meliorem efficeret (norat enim duriſsimam eius mentem, labémque inſanabilem) ſed vt ea quæ olim de ipſo prædicanda erant, perutilia cunctis exempla fierent. Sicut enim ciuitates, iuſtitiæ miniſtros & carnifices alunt, per quos & parricidas, & latrones, & alijs ſceleribus delinquentes pœna afficiunt, non laudantes quidem quæ ſibi carnifices peragenda munia deſumpſerunt, ſed ad neceſſarios tamen vſus eorum miniſteria tolerantes, ita & mundi huius præſul ac gubernator, patitur tyrannos eſſe ceu quoſdam carnifices vt per eos ab impijs & iniquis, hominibus pœnas exigat, mox tamen & eoſdem tyrannos exactiſsimo traditurus ſupplicio, quandoquidem non vt Dei miniſtri, ſed ſuæ ipſi malignitati ſeruientes, ea damna hominibus intulerunt. Ita Deus peccantem Iſrael, Aſſyriorum ſæuitiæ tradidit puniendum. Quia verò & Aſſyrij cauſam pœnæ illius non cognouerunt, illorum denique ditionem diſſoluens, alijs ſeruire eos coegit. Eſaias enim & Ezechiel omnéſque prophetæ apertiſsimè hæc nos docent, à quibus vt opinor Plato ſcribendi occaſionem ſurripiens, ait eos qui iam inſanabiles facti ſunt, erudiri ad aliorum vtilitatem. Iterum verò & in Philebo idem Plato rationem prouidentiæ confirmauit: πάντες φῆσι, φησὶ, ξυμφώνησιν οἱ σοφοὶ ὄντως ἔωτες νεμνύοντες, etc. hoc eſt: Omnes enim, inquit, ſapientes, conſentiunt verè hac in re ſeſe ipſos honeſtantes, intellectum eſſe regem cœli ac terræ, ac fortaſſe bene aiunt, minutius autem, ſi vis, ipſum genus inſpiciamus. Tum quamplurimis ſyllogiſmis vſus, hæc addidit, βούλει δὲ καὶ ἡμεῖς τοῖς πρόσθεν * ὁρμημένοις ξυμφωνήσωμεν, etc. hoc eſt: Viſne vt et nos ratis iam poſitionibus & comprobatis aſſentiamur, quod videlicet hæc ita ſe habent. Neque ſolum putemus, quæ diuerſa ſint, ſine periculo à nobis dici non poſſe, verum eſſe nobis commune periculum ſubeundum, conſortéſque infamiæ nos futuros, quotieſcunque acer homo ac vehemens dicat non ita hæc eſſe, verum potius tumultuarie ſe habere. Plurimis verò alijs rationibus et hæc addidit: ὅν ἐν ἐὰν μὴ ὦσιν μετ' ἐκείνου τοῦ λόγου ἂν ἑωσόμενοι βέλτιον λέγοιμεν, etc. hoc eſt: Itaque niſi hoc eſt, illam ſequentes rationem melius vtique diceremus, eſſe videlicet, quod ſæpe iam diximus, infinitum in vniuerſo, multum ſanè, & finem maximum, quandámque ipſis incubare non contemnendam cauſam quæ ornat connectitque annos, menſes & horas, quæque ſapientia & intellectus nuncupatur. Hæc autem, ſicut pleraque alia, de fluentis Hebraicis Plato hauſit. Illa ſiquidem manifeſte nos docent, Deum ſapientia terram fundaſſe, ac præparaſſe cœlos in intellectu. In ſuis quoque legibus idem Plato diuidit naturam bonorum, oſtenditque alia quidem eſſe diuina, alia verò humana. ſic enim inquit: διῃρά ἀγαθά ἐστι, τὰ μὲν ἀνθρώπινα, τὰ δὲ θεῖα, &c. hoc eſt: Duplex eſt bonorum natura. Sunt enim alia quidem diuina, alia verò humana. Pendent autem humana, è diuinis. Si quis igitur ea poſsideat bona quæ maiora ſunt, poſsidet continuo & minora, ſin vero non, priuatur

* Al. virtutē.

* ὁμολογήσωμεν.

uatur vtriſque. Sunt autē minora dona, quorum primo loco ponenda eſt ſanitas. Secundo, eſt pulchritudo. Tertio autem, corporis robur atque agilitas ad curſum motuſque alios corpori congruentes. Quarto autem loco ponendus eſt Pluto, non ille quem nonnulli cæcum depingunt, ſed oculatiſsimus atque acutiſsimum videns, modo ducem prudentiam ſubſequatur. Diuinorum autem bonorum iure primum eſt ac cæteris ducem ſe exhibens, ipſa prudentia. Secundum verò locum ſibi vendicat, vnà cum intellectu, animæ temperatus habitus. Ex hiſce autem cum fortitudine admixtis, tertium bonum erit iuſtitia. Quartum autem, fortitudo. Hæc autem omnia, natura ſunt priora illis, atque legumlatori ita diſponendum eſt. Poſt hæc autem alia ciuibus præcepta quæ in hæc tendāt, præcipienda eſſe cenſeo. Horum itaq; bonorum, quæ humana ſunt, ſpectant in diuina. Quę verò ſunt diuina, in principem ducemque intellectum omnia reſpiciunt. Tum pluribus verbis Plato nos docet, natura bonum, ſolam eſſe virtutem, alia vero bona, æquiuocè bona dici, ſolo nomine * participia, inquit enim: τὰ γὰρ ὑπὸ πολλῶν λεγόμενα ἀγαθά, οὐκ ὀρθῶς λέγεται, etc. hoc eſt: Quæ multi bona appellant, nequaquam recte vocantur bona. Vulgo enim fertur, optimum bonorum eſſe bonam valetudinem. Secundo loco, pulchritudinem in bonis eſſe. Tertio autem loco, diuitias. Alia quoque innumera vocantur bona, nam acuto viſu acutoque auditu præditum eſſe, alijſque ſenſibus vti ſine impedimento poſſe, præterea in dominatione exercenda compotem eſſe quempiam faciendi quæcunque appetat, bona hæc multi appellant. Finem denique omnis beatitudinis eſſe aiunt, vt qui hæc omnia poſsidet, fiat quàm ocyſsimè poſsit immortalis. Vos autem atque ipſe adeò vobiſcum, ita fermè ſentiendum dico, eſſe videlicet harum omnium rerum vſum iuſtis ſanctiſque hominibus multo optimū, iniuſtis verò eſſe quàm peſsimum, vt à bona valetudine incipientes cætera proſequamur. Nam videre, audire, cęteriſque vti ſenſibus, ac longiſsimum viuere, maximum quidem malum eſt ei qui per omne tempus ſit immortalis, exceptaque iuſtitia, omnique demum virtute, cuncta ea quæ vocantur bona poſsideat. Minus autem mali ei contingit, ſi quàm minimum tempus in vita fuerit. Pauloque mox idem Plato hæc addit: ἐγὼ μὲν οὖν λέγω σαφῶς, τὰ μὲν κακὰ λεγόμενα, ἀγαθὰ τοῖς δικαίοις εἶναι, etc. hoc eſt: Ego quidem dico, quæ vocantur mala, iuſtis quidem hominibus bona eſſe, iniuſtis autē mala. Quæ vero bona dicuntur, iuſtis quidem bona contingere, malis autē hominibus mala eſſe. Ego quoque, vt verum fatear, hanc bonorum diuiſionem valde laudo, plurimumque admiror. Maximum eſt enim profecto bonum ſcire quidnam proprie vereque ſit bonum. Quid item bonum quidem dicatur, fiat autem alicubi quidem bonum, alicubi vero malum, apud eos qui bene pulchreque vtuntur, vel qui abutendi mentem conſiliumque ſectantur. Sanitas enim, robur corporis, pulchritudo, diuitiæ, alijs quidem profuere, quos & digniſsimos earum rerum poſſeſsione oſtenderunt, alijs vero malitię inſtrumenta, incontinentięque fuerunt. Temperantia verò ac iuſtitia cęteraque his ſimilia, pertinent ad animæ ſolius poſſeſsionem, ſuntque habentibus cunctis valde vtilia, nihil autem poſsidentibus damni afferunt. Talibus itaque hominibus etiam illa quæ vulgo appellantur bona, perquam vtilia eſſe contingit, iuſti enim temperatique homines, illis vtuntur. Quæ igitur ex talium virorum bono vſu fiunt quàm optima, videntur eſſe tunc peſsima cùm iniuſtis maliſque poſſeſſoribus ea contingunt. Etenim ea viſu atque auditu percipiunt, quæ videnda prorſus atque audienda non ſunt, ſenſuſque item cæteros in omni laſciuia incontinentiaque erudiunt. Ne itaque amici homines confundamus rerum naturam, ſed diſpiciamus quid vere quidem bonum, quid autem ſit malum, quidque illud ſit quod medio inter vtrunque loco poſitum eſt, neque beatos vocemus diuites, nec robuſtos, neque eos qui poteſtate aliqua communiti ſunt. Infelices enim profecto ac miſerrimos appellari eos decet, qui eiuſmodi naturæ muneribus præditi, vtuntur eis tanquam materia ſcelerum. Quotieſcunque igitur peſsimum hominem videamus vndique affluentem diuitijs, opibuſque ſufſultum, ne, quæſo, hunc beatiſsimum nuncupemus, ſed infelicem cenſeamus, quod ei multæ ſint ad inique viuendum occaſiones oblatæ. Contrà vero ſi quem videamus qui probus homo exiſtimetur, ſed qui tamen inopia rerumque difficultate circunuentus ſit, ne propterea hunc eſſe miſerum opinemur, neque iniuſtam Dei prouidentiam cenſeamus. Primo enimnon vtiq; vere iuſtus eſt, quicunque iuſtus exiſtimatur. Aliter enim ac nos hæc etiam videt oculus ille qui omnia contuetur. Ipſúmque hoc eſt, quod Samuelem prophetam vniuerſorum docuit Deus inſpector: οὐχ ὡς ἄνθρωπος, φησὶν, ὁρᾷ, οὕτως ὁρᾷ ὁ θεός, ἄνθρωπος μὲν γὰρ εἰς πρόσωπον, θεὸς δὲ εἰς καρδίαν, hoc eſt: Non ſicut videt homo, ita videt & Deus, homo enim faciem videt, Deus autem cor. Vt autem ponamus vere iuſtum hominem graui aliquo infortunio detineri, illud tamen omnibus plane conſtabit, nullum ei inſigne detrimentum ex eo infortunio aduenturum. Docte enim ac perprudenter aduerſas res feret, tanquam ſit virtutis athleta fortiſsimus. Sicut enim ij qui perdite vitam ducunt, etiam illa quæ vocantur bona inſtrumenta ſibi ad nequitiam eſſe oſtendunt, ita & amatores virtutis, ea quæ vulgo putantur mala, inſtituunt ſibi materiam eſſe ad veram Philoſophiam. Hoc itaque pacto ſingula diſcernentes, nunquam profecto iniuſtum eſſe Deum dicemus, ſed recte potius ſe habere quæ Platoni in Theæteto conſcripta ſunt, Deum videlicet nullo modo iniuſtum eſſe, ſed quàm maxime poſsit eſſe iuſtiſsimum, nihilque illi eſſe

* μετέχει.

esse similius quàm qui nostrum fiat multo iustissimus. Plato etiam in decimo legum libro *sanare illos aggreditur qui rationem diuinę prouidentiæ non admittunt. sic enim ait: τὸν δὲ ἡγούμενον θεοὺς μὲν εἶναι, μὴ φροντίζειν δὲ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων, πολλαχῇ μὲν ὡδὲ ὡ ἄριστε δοιμοφῶν, etc. hoc est: Qui vero deos quidem esse existimet, curam vero humanarum rerum nullam habere, hac consolatione curandus est ò optime Demophoon. Quod deos esse existimes, diuina te quædam agit cognatio, vt tibi insitum colas, atq; esse opineris. Malorum vero hominum iniustorumque fortunæ, tum priuatæ, tum publicæ, quæ reipsa beatæ non sunt, opinione autem beatæ admodum habentur quanquam indecenter ac fatuè, ducunt te ad impietatem. Tum vero percurrens apparentem existimatamque iniustorum hominum prosperitatem, hæc ita superioribus addidit: ἀλλ' ὅδε γὰ ἄρ εἰ χαλεπὸν ἐνδείξασθαι τὸ γνῶ, ὡς ἐπιμελεῖς σμικρῶν εἰσὶν οἱ θεοὶ, etc. hoc est: Nequaquam vero fortasse hoc difficile ostensu erit, curare deos videlicet etiam quæ pusilla sunt, neque minus hæc curare, imò autem magis, quàm quæ egregie magna sunt. huc enim veniunt, atque hic intersunt, nunc mutuo colloquentibus, affirmantibusque quod cùm boni sint omni genere virtutis, rerum omnium curam velut maxime propriam sibi vendicant. Tum & syllogismis hanc rationem confirmans, ita subiungit: μὴ δίνυν τὸν θεὸν ἀξιῶμεν ποτὲ θνητῶν δημιουργὸν εἶναι φαυλότερον, etc. hoc est: Ne itaque opinemur Deum esse opificē mortalibus *inferiorem, qui cōueniētia sibi opera, quanto ipsi sunt meliores, tanto exactius perfectiusque, vna eademque arte, tum magna tum pusilla conficiunt. Deum vero quis putet, cùm sit idem sapiens, velitque ac possit curare omnia, posse quidem facilius ea curare quę magna sunt, quæ vero sunt exigua, vllo modo curare non posse, quasi nobis inertem quendam ac desidem proponamus, qui propter nimiam vim laborum timide subsidat, reficique per otium velit. Tum & hæc amplius ita addidit: μηδαμῶς δόξαν διαύτῳ τοῦδε θεὸν ὦ ξεῖνε ἀποδεχόμεθα, etc. hoc est: Nullo pacto amice hanc de Deo admittamus opinionem. Neque enim sanctam neque veram, nostro animo sententiam versaremus. Paulóque mox: πᾶς γὰρ ἰατρὸς καὶ πᾶς ἔντεχνος δημιουργὸς, πάντος ἕνεκα πάντα ἐργάσεται πρὸς τὸ κοινῇ ξυντεῖνον. etc. hoc est: Omnis enim Medicus, omnisque peritus artifex, vniuersi gratia, cuncta operatur, ad id respiciens quod commune sit bonum. Partem itaque, totius gratia peragit, nequaquam vero totum, partis ergo. Tu vero indignaris, cùm minime scias quonam pacto id quod est circa te optimum, toti conueniat. Rursusque post multa rationum verborumque inuolucra, ita subsequitur: ὁ αὐτὸς δὲ λόγος σοὶ τοῦδε ἐκείνῳ ἀμ ἔστ, etc. hoc est: Eadem vero tibi ratio, & de illis erit quos cùm videas è pusillis auctos nunc esse, amplissimosque effectos quanuis & impietatis & aliorum scelerum sibi conscij sint, tamen eos putasti ex infelicibus ac miseris beatos euasisse, atque in illorum fortunis atque successibus existimasti te veluti quibusdā in speculis deorum securitatem ac negligentiam perspexisse, cùm tamen nescias earum rerum finem, absolutamque perfectionem, hoc est, quænam inde vniuerso sit peruentura vtilitas. Hisce autem omnibus suis dictis, & prouidentiæ ius Plato nobis ostendit, & quonam pacto singula quæ sunt, vniuerso conducant. Neque enim totum est, exiguæ portionis causa, sed particulæ potius vniuersi complent harmoniam. Neque ob vnius digiti *particulam, corpus vniuersum plasmatum est, sed ipsius corporis causa, digiti suis cum portionibus facti sunt. Quando igitur hominum natura mortalis est, propterea que multarum rerum est indiga, videlicet agriculturæ, consitionis, architecturæ, fabrilis ac nauicularię artis, textoriæ insuper ac sutoriæ, cæterarumque omnium quæcunque artes ad necessariam corporis curam pertinent, merito ac decenter orbis totius gubernator & custos, alijs quidem paupertatem, alijs vero diuitias sortito distribuit, vt qui opibus pollent, materiam subministrent, qui vero sunt inopes exercitatas artibus manus admoueant. Quin & eos qui diuitijs gloriantur, quasi necessitatis fune implicitos, à paupertate suspendit rerum omnium gubernator. Indigent enim nō pistoribus solum & cocis propinatoribusque, sed architectis, & agricolis, & lanificibus, & sutoribus. Ampli vero homines ac magnifici, plastis ac pictoribus indigent, artificibusq; alijs, quorū opera, magnatū virorū ædes fiunt ornatiores. Contrà vero, manuales artifices indigent locupletibus viris, qui pecunias erogēt, emātque opera quæ ipsi suo artificio confecerunt. Qui vero hanc rerum varietatem grauiter ferūt, indignanturq; quod non omnes homines in eisdē bonis officijsque versentur, hi, si fas est, pictores quoq; accusent, quod non vno tantum colore vtantur, sed varijs imagines suas excolant. Item eos accusent, qui lyras faciunt. Ipsosque adeo fidicines reprehendant, quod non eundē sonū chordæ omnes remittunt, sed aliū quæ ima est, aliū quæ est summa, hæc enim acutam sonat, illa autem grauem, alia vero mediam vocem. Indignari eosdē par erit & Geometris, quod non eandē figuram omnibus demonstrent, qui ab eis linearum scientiam edocentur, sed triangulas, quadrangulas, lunares, circulares, mensales, aliasque complures. Accusent eos præterea, qui numerariam tradunt, propterea quod numerorum alij quidem pares sunt, alij vero impares, alij paridispares, alij disparipares, alij cubi, alij supercubi. Quod si necesse est varias esse numerorum species, varias imagines, multiplicemque fidium differentiam, multa colorum genera, quid ita, quæso, ægre fertis quod nō omnes Crœsi, Midæ, Darij, facti estis? Neq; enim

*alias, curare.

*σκυτοτομίδα.

*alias peiorē.

libris *præposuit. διὰ μὲν τοῦ αὐτομάτου τὸ τύχη διδόναι τὸ δὲ τοῦ παντὸς τῶν αἰτίαν καὶ ξύστασιν. etc. hoc est. Casui quidem ac fortunæ, huius vniuersi substantiam compositionemque ascribere, quàm sit procul ab ratione, quamq; hominis qui nec intellectu nec sensu præditus sit, manifestū plane est vel si à me verbum non fiat. Multi vero ante hunc ipsum copiosique sermones allati iam sunt, qui hoc ita esse ostenderent. Tum multis huiusmodi explicatis rationibus, hęc subiunxit. ὅτῳ δὴ ὅλα τὸν νοῦν καὶ τὸν ἀπ' αὐτοῦ λόγον, ἀνέστη τόδε τὸ πᾶν καὶ διέστη. hoc est. Ita igitur ex vna mente atque ex verbo quod ab ea prodijt, omne hoc emersit secretumque est. Hæc vero & Plotinus de sacrarum literarum adytis compilauit. Nempe enim audiuit docētem nos Euangeliorum sacram doctrinam, quod per verbum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Plotinus enim longo post Apostolos tēpore natus est. Illi enim, Tiberio regnante salutarem prędicationem aggressi sunt. Tiberio autē successit Caius Caligula, cui Claudius, cui Nero. Tū hac serie imperatores aliquot numerātur, Vespasianus, Titus, Domitianus, Nerua, Trajanus, Hadrianus, Antoninus primus, Verus, Commodus. Hoc autem Romanum imperiū moderante, Ammonius cognomento Saccus, relictis saccis in quibus frumenta circunferebat, Philosophicæ vitæ se tradidit, huius auditorem fuisse aiunt nostrum Origenem. Plotinum vero hunc de quo nobis est sermo, fuisse aiunt Origenis auditorem. Plotini autem doctrinam, Porphyrius quoque hausit. Huius vero temporis rationem non temere verbosus numerando subduxi, sed qui ostēdam Plotinum non modo Hebręorum patrum (quod Plato fecit) sed piscatorum quoque ac sutoris nostri perdoctum traditiones, inde nimirum scisse quod ex mēte verboque, quod verbum ex mente gignitur & emanat, omnia & constituta & discreta sunt, congruentemq; harmoniam consecuta. Plotinus vero præterea, nonnullorum refellit insaniam, qui quasdam mundi particulas dare vitio conabantur. inquit enim. ὅλον γοῦν τοι ἐποίησε πάγκαλον καὶ αὔταρκες καὶ φίλον αὐτῷ τοῖς μέρεσι τοῖς αὐτοῦ etc. hoc est. Vniuersum hoc fecit perpulchrum sibique sufficiens amicum sibi suisque portionibus, tum principalioribus, tū minoribus ipsi quàm maxime congruētibus. Qui ergo à partibus totum accuset, huius suæ accusationis causa, insulsissimus est habendus. Oportet enim inspicere, sint ne partes ipsi toti consonæ ac conformes. Qui vero ad totum respectet, non ad quasdam minutiores partes respicere oportet. hoc enim nequaquam sit mundum ipsum reprehendentis, sed quædam illius seorsum capientis. Vt si quis ex toto animali crinem inspiciens, imósue pedum vngues, nequaquam totum hominem, egregiámue ipsius ac prope diuinam faciem curet inspicere, vel si Deo placet, omissis cæteris egregijs animantibus, quod tenuissimum sit vilissimumque acci-

enim aliud vultis qui istam rerum æqualitatem appetitis, quàm fame ac egestate earū rerum quę necessariæ nobis sunt, humanum genus penitus aboleri. Quis enim velit, si omnes homines æquali sint dignitate, pro commodo proximi cuiusquam laborem curamq; subire. Quis aratro terram sulcare? Quis semente agros aspergere? Quis messem facere? Quis plantas cōserere? Quis vuas legere? Quis vinū oleumque exprimere? Quod cùm ea dignitatis æqualitas alium alij subseruire non sineret, quinam, quæso, simul omnia esse possent, bubulci, caprarij, pastores ouium, subulci, textores, sutores, fabri ferrarij, pistores, opsonarij, agricolæ, cōsitores, nautæ, nauium fabri, gubernatores, harum siquidem cunctarū artium, multoque his plurium, mortales singuli indigemus. Quid itaque non laudatis optimam rerum distributionem, sed ipsi hanc maxime ægre fertis, qui ex ancillis, famulis, agricolisq; quàm plurimis, vsum vobis commodaq; percipitis? Agricola enim sorte sua contentus viuit, sua item & famulus. Manualis artifex, artem suam non odit, muniaque libens exercet quibus sese ipsum semel addixit. Vos autem qui deliciarum copia nauseatis, qui alijs ministrantibus omniū luxu ac voluptate diffluitis, calumnijs ac maledictis authorē tot bonorum incessitis, eiusque modi verba profunditis, cùm institueritis incontinentię serui esse. Hanc vero existimatis purgandi vestri occasionem vos inuenisse. Primum quidē, quod nulla Dei prouidētia mundi gubernacula moueantur. Tum vero quod sub vna fati necessitate, nō modo corpus & ea quę corporis sunt, sed ipsa quoq; voluntas atque electio sita sit. Atqui Plato contraria prorsus docet, ait enim virtutem nulli domino esse subiectam, quam vt quisque vel coluerit vel contempserit, ita plus virtutis minúsue, habiturus est. Rursusq; idem Plato. αἰτία ἑλομένου, θεὸς ἀναίτιος, κακῶν γὰρ ὁ θεὸς ὅστε αἴτιος. hoc est. Culpa est eligentis. Deus culpæ immunis. Deus enim malorum causa non est. Socratem præterea ostendit Plato vel in grauissimis periculis constitutum, de prouidentia, deque metu mortis excutiendo philosophantem, hæc enim verba suæ defensioni inseruit: ἀλλὰ γὰρ καὶ ὑμᾶς χρὴ ὦ ἄνδρες δίκαιοι εὐέλπιδας εἶναι πρὸς θάνατον, etc. hoc est. Sed enim viri iudices & vos oportet bonam spem de morte concipere, vnumque hoc cogitare verum esse, bono videlicet viro, seu viuat ille, seu moriatur, nihil posse mali contingere, neque Deum non curare huius negocia. Itaque vere mala non sunt, mors, pauperies, seruitus, ægritudo, sed vocantur quidem à stultis mala, bene autem vtentibus bona fiunt. Augeri autem hominum iniquitatem eo quod non omnia credant prouidentia gubernari, Atticus ille Platonicus plane testatur. Est itaque res ad iniquitatem paratissima prouidētiæ *desperatio. Plotinus quoq; (est autem & hic clarissimus inter eos qui in Philosophia scripserunt) procœmium hoc suis de prouidentia

Al. inseruit.

*Alias abnegatio.

piat, vel tota ſpecie vt hominum puta poſthabita, Therſiten ignauiſsimum hominum, turpiſsimúmq; in medium adducat. Quando igitur hoc quod factum eſt, vniuerſus eſt mundus, quiſquis hunc contemplandum inſumat, forte ipſum dicentem huiuſmodi verba audiet. Deus me fecit. Ego inde ſum factus animantibus cunctis præfectus, meipſo potens, mihi ſufficiens, rei nullius indigus. Inſita enim mihi omnia ſunt & plantaria & animantia, ineſtque mihi natura omnium generabilium rerum. Hiſce autem ſuis verbis Plotinus aliud quoque furtum patefecit. Videtur enim mihi audiſſe Dauid ita concinentem. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Paulo autem mox item Plotinus oſtendit rerum quæ ſunt genitæ, differentiam. ſic enim ait. τὰ μὲν τὸ εἶναι μετέχειν δοκεῖ μόνον. τὰ δὲ τοῦ ζῆν etc. hoc eſt. Alia quidem hoc tantummodo habere videntur quod ſunt. Alia vero etiã hoc quod viuũt. Alia ſunt ſenſibus prædita. Alia ratione vtuntur. Alia perfectiſsimam vitã habent. Neq; enim ſunt æqualiter omnia ab inæqualibus exigenda, eſt enim oculorum videre, non digitorum. Itemque quod ad digitum pertinet, aliud eſt digito eſſe, aliud habere per digitũ. Quę Plotini verba, ſi enarranda ſint, participes ſolius eſſe lapides ipſos inquit, & ea quæ lapidibus ſunt ſimilia. Plantas vero non modo in ipſius eſſe participatum venire, ſed etiam vitæ. Brutas vero animantes, & vitæ ſimul & ſenſus eſſe participes. Ratione autem præditum eſſe genus humanum. Perfectiſsima autem eſſe vita eos ſpiritus qui corporibus caſsi ſunt. Poſt hæc autem Plotinus hæc ita adiungit. πῦρ δὲ εἰ ζῶν ὕδατος σβέννυτο, οὐ ἕτερον ζῶν πυρὸς ἐξαφανίζοιτο, μὴ θαυμάσῃς etc. hoc eſt. Nulla te admiratio teneat, ſi aqua ignẽ extinguit, aqueúiue humor ab igne corrumpitur. In alia enim aqua naturam, in alia vero ignis eſt editus. De virtute quoque ac vitio in eadem diſputatione ſic Plotinus commemorat. πρὸς δὲ οὐ ὑπ' ἄλλων πάσχειν ἀκούοντων τῶν ποιούντων οὐ πρὸς ἄλλο ἱεμένων etc. hoc eſt. Multa vero ab alijs patiuntur inuitis quidem illis in aliumq; finem tendentibus. Liberæ autem poteſtatis animalia quæ mouentur ex ſeſe ipſis, modo in meliorem, modo in deteriorem partem inclinare poſſunt. Quenquã vero à ſeipſo motum ad peiora exigere, fortaſſe indignum eſt, exiguus enim motus cùm ſubinde proceſſerit, maius ſemper ac numeroſius peccatũ parit. Corpus vero ita conſtitutum eſt, vt ei neceſſariò indita ſit cõcupiſcendi vis. Quod ſi ab initio negligenter habeatur, neq; à caſu illico reuocetur, continuò fit vt electionem faciat quis eius rei in quam præceps defertur. Iuſtitia tamen eum comes ſubſequitur. Neque iniuſtum eſt, vt qui talis euaſerit, ea patiatur ſupplicia quæ ſuæ qualitati ſint congruentia, neque experendum eſt, vt ijs beatitudo contingat qui nihil beatitudine dignum geſſerunt. Soli autẽ boni felices ac beati ſunt, ob hoc enim dij quoque beati eſſe cenſentur. Si hoc itaq; eſt, licetque animis in vniuerſo hoc orbe eſſe felicibus, non eſt vtique vniuerſum hoc accuſandum ſi quæ ipſarũ minimè felicitatem conſequuntur. Sed in illarũ imbecillitatẽ culpa eſt conferenda, quæ nequiuerunt fortiter depugnare, eoq; peruenire vbi virtutis pręmia ſunt propoſita. Illis autẽ qui diuini effecti nõ ſunt, quidnam graue contigiſſe videri debet, ſi deorum vita non perfruantur? Subinde aũt Plotinus infortunia multa dinumerat, aitque peccantibus neceſſaria eſſe. inquit enim. πενία καὶ νόσοι, τοῖς μὲν ἀγαθοῖς οὐδὲν, τοῖς δὲ κακοῖς σύμφορα, etc. hoc eſt. Paupertas atq; ægritudines, bonis quidem hominibus nihil eſſe cẽſentur, malis autem proſunt. ac neceſſe quidẽ eſt eos ægrotare qui corpus habent. Neque ſunt huiuſmodi infortunia, ad ordinẽ perfectionemque vniuerſi prorſus inutilia. Præterea vero docet Plotinus, ab hiſce rerũ exemplis quàm plurimos alios mortales vtilitatem percipere. ait igitur. ἡ δὲ κακία ἔργαστα τὸ πᾶν χρήσιμον εἰς τὸ ὅλον παράδειγμα δίκης γενομένη, etc. hoc eſt. Ipſa vero malitia, nõ nihil vtilitatis ad vniuerſum attulit, in exemplum iuſtitię ac iudicij poſita, multaq; ſeorſum ex ſe ipſa commoda nobis exhibens. Vigiles enim homines reddidit, mentemque ac prudentiam eorum hominum excitauit, qui ſcelerum progreſsibus ſe opponunt. Malorũ præterea comparatione propoſita quæ ſceleſti homines patiuntur, ipſa nos docet malitia quale bonum, quantumque ſit virtus. Dictum eſt autem non propter has cauſas mala eſſe producta, ſed quandocunque fieri ea contingat, vti Deũ illis ad bonũ aliquod. Eſt autem maximæ cuiuſdam potentiæ ac virtutis, benè vti poſſe quæ mala ſunt, informiaq; effecta poſſe in vſum vertere aliarum formarum. Denique ſic ſtatuendum eſt, malũ nihil eſſe aliud quàm boni defectum. Poſt multas vero huiuſmodi rationes, hortatur nos, ne exactum ac ſincerũ bonum poſtulemus ineſſe animali quod mixtũ eſt, ſic autẽ inquit: πρῶτον τοίνυν λευκότερον, ὡς καλὸν εἶναι δεῖ μικτῷ ζῴῳ καὶ μὴ πάντα ἀπεπεῖν, ἀλλ' ὅσον καλῶς οἷόν τε μικτῷ ἔχειν, etc. hoc eſt. Primum itaque dicendum eſt non oportere eos qui in commixto bonum quærunt, vndique perfectum bonum poſtulare, ſed quantum ineſſe mixto conueniat. Neque ab ijs quæ ſecundum locum tenent, prima quædam poſtulanda eſſe, ſed quando corpus habent, eſſe illis aliquid veniæ concedendum, atq; hinc oportere ad vniuerſi contemplationem tranſire. Ab ratione aũt exigendum eſt, quantum mixtio & compoſitum queat admittere, ſcrutãdumque diligenter num quid eiuſmodi rerum deficiat. Indignatur vero illis Plotinus, qui nullum pro capeſſenda virtute ſubire certamen volunt, & tamen æquum cenſent vt à deo ſeruentur, inquit ergo: νῦν δὲ οἱ μὴ ὅπλοι, οἱ δὲ ὁπλισθέντες κρατεῖσι, etc. hoc eſt. Nunc vero, alij quidem hominũ ſunt inermes, alij vero qui armati ſunt ipſi deniq; * rerũ potiuntur, vbi fas nõ eſt, ꝓ imbellibus Deũ ipſum pugnare. Lege ſiquidem cautum eſt, eos è bello ſaluos fieri oportere, qui fortiter pugnando viros ſe gerant, non qui precibus ſe commendent, neque enim illi referunt agrorum fructus qui vota concipiunt, ſed qui agriculturæ dant operam, neque item bene valenti ſunt corpore, qui valetudinis rationem non habent. Haud itaque cõtinuo indignari oportet, ſi forte infimis ac malis hominibus agrorum fructus largi proueniant, modo ij vel quàm optime vel melius quàm cæteri agros colant. Præterea vero perquam ridiculum eſt, homines ex animi ſui ſententia cætera quidem omnia per vitã exequi, tametſi ea quę faciunt dijs grata non ſint, à ſolis autem dijs ſeruari eos debere, quanquam ea non fecerint per quæ ſaluos eos fieri dei iubent. Eſt itaque illis interitus longe melior, quàm vt eo ſint modo ſuperſtites, quo viuere eos nolunt quæ in vniuerſo ſunt leges. Itaque ſi contraria euenirent, eſſetque perpetua quædam pax in ſtultis maliſque hominibus ſtabilita, perperam atque inſulſe ſe haberet prouidentiæ ſtatus, cùm permitteret tantum habere virium quæ peiora ſunt. Imperant autẽ mali ac regnant, ſubditorũ ignauia, ita enim multo eſt æquius, quàm ſi contrà contingat. Neque vero ſtatuendum eſt, ita prouidentiam eſſe ſolã, quaſi nihil nos ipſi ſimus. Nam ſi omnia ſit prouidentia, ſolaque ipſa ſit, at ea ita tolletur vt ne ſit quidem, cuius enim rei prouidentia eſſe poterit? Solus itaque erit Deus. Paulò vero mox oſtendit bonorũ præmia. inquit enim: τοῖς μὲν ἀγαθοῖς γενομένοις ἀγαθὸν βίον εἶναι, etc. hoc eſt. Illis quidem qui viri boni euaſerint, bonam fore vitam, in poſterumque repoſitam illis eſſe. Malis autẽ contraria fore omnia. Præterea vero inquit: κακοὺς δὲ γενομένους ἀξιοῦν ἄλλους αὐτῶν σωτῆρας εἶναι ἑαυτοὺς προεμένους θεμιτὴν εὐχὴν ποιουμένων. hoc eſt: Iniqua eſſe malorum hominum vota, qui æquum putent ſeſe ab alijs ſaluos fieri, cùm tamen ipſi, omnem propriæ ſalutis curam abiecerint. Tum & de cæteris animantibus ita inquit: ἐπεὶ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα ἐλάττω ζῶα αὐτῶν κόσμον * γὴ φέροντα. μέμφεται οὐδὲν ὅν ἔχων &c. hoc eſt: Quandoquidẽ nullus homo prudens queritur de cæteris animantibus, quæcunque minora homine orbem quoquomodo exornãt. Ridiculum nanq; ſit, ſi quis forte expoſtulet quod ea homines quandoq; ſummordeant, quaſi pediculos aut culices oporteat tantummodo dormientes viuere. Neceſſe eſt enim & hæc eſſe animalia, manifeſtasque afferunt nobis cõmoditates. Multas vero quæ nos olim latebant, ipſa dies inuenit, ita vt hominibus fruſtra ſit nihil. Ridiculum vero etiam ſit, incuſare quod animaliũ quàm plurima ſint agreſtia & ferocia, cùm & agreſtes atq; immites homines eſſe contingat. Poſt alia vero multa et hæc inquit: εἰ δὲ ὥσπερ οἱ ἀπειροτέχνοι γραφικῆς τέχνης αἰτιῶνται ὡς ὁ καλὰ χρώματα πανταχοῦ, etc. hoc eſt. Nos vero ſimiles illis videmur eſſe, qui picturæ ignari id accuſant quod pictor renidentes colores vbique non adhibuerit, cùm tamen ille congruos ſingulis diſtribuerit locis. Neque aliter facimus, ac ſi quis propterea tragœdiam accuſet, quod Heroes cuncti non ſint qui in ea loqui inducuntur, ſed quod aliquis in ea vel famulitij ordinis, vel agrorum colonus, vel ineruditus infimæque notæ homo loquatur. Atqui tragicum illud drama pulchrum non erit, ſi quis inde inferioris fortunæ homines tollat, cùm illius pulchritudo per eos quoque amplius compleatur. Omnis itaque Plotini diſputatio, ſeu priorem ſeu ſecundam aſſumas, huiuſmodi rationibus plena eſt. Ego autem ne ſim longior, plurimas prætermittã. quamuisq; & Xenophonte Socratico, & Stoico Epicteto, alijsq; permultis teſtibus vti poſſim, queamque Phyſicis demonſtrationibus refellere inſcitiam eorum qui ſermoni noſtro non credunt, tamen ad confirmandã veritatem ſatis puto hæc eſſe, quæ à me collecta iam ſunt. Solum vero id operæ pretium eſſe duxi, iam dictis rebus adiungi, quod vbi ſemel hoc conſtitutum ſit, Deum videlicet curare cuncta quę fecit, pacatiſsimè citraque omnem controuerſiam demonſtrata eſt ratio diſpenſationis vindicis noſtri. Haud enim decebat rerum omnium poſſeſſorem, quiq; rebus quæ prius nullæ erant ipſum eſſe contribuit, contemnere deſtructã generis humani naturam, cuius gratia fecerat omnia quę videntur. Terra enim eſt hominum ſedes, ijdemque cœlum pro tecto habent. Aer præterea, mare, flumina, & quicquid pariunt nubes, rores quoque ac venti, fœcundæ inſuper ſterilesque plantæ, quin & terreſtres animantes, volucresque, ac natrices, quæque in alterutro viuunt elemento, herbarumque infinitæ ſpecies, metallorumque materiæ, non paruam humano generi vtilitatem apportant. Sol quoq; ac luna, infinitaque ſtellarum multitudo quæ biſariam tempus diſcriminat, æqualiter illud animantibus partiũtur. Ac ſol quidem ipſum diem illuſtrat, animantesq; ad ſua quanq; munia excitat. Luna vero vnà cũ ſtellis, nocturnæ facis officium ſortita eſt. Deus itaquè dominus rerum omnium non putauit eum contemnendum eſſe à peccatis obſeſſum, cuius gratia cuncta hæc facta fuerant. Ideoque humanam ipſe induit ſpeciem, ſpectabiliq; natura obduxit alteram quæ videri non poteſt. Tunc & ſpectabilem hanc immunẽ peccati conſeruauit, occultamq; illam in ſua puritate continuit. Neque enim hæc paſſa eſt vllũ corporeæ infirmitatis conſortium, ſed ne aſſumpta quidem caro vllas peccati ſordes accepit. Erat illi quidem facillimum, vel citra hoc humanę carnis inuolucrum, humani generis ſalutem perficere, ſolaq; voluntate mortis poteſtatem diſſoluere, ac penitus abolitam reddere matrem mortis iniquitatem, patremque illius diabolum de terræ facie profligatum ad inferni tenebras relegare, quibus & paulo poſt exortum peccatum interminatus eſt ſe illum traditurum eſſe. Cæterum oſtẽdere noluit, quid poteſtati ſuæ liceret, ſed potius quid æquitas prouiden-

Pſal. 18.

* Al. victoriã conſequuntur.

* Al. πῆ.

prouidentiæ postularet. Sicut enim qui poterat, si modo ei collibuisset, homines de cœlo affari, desiderique ac inertes ita perterrendo ad officium excitare, neque tamen id ipsum fecit quia nimirum nouerat imbecillem hominum naturam suæ vocis sonum capere ac sustinere non posse, sed raro ac parcè illis apparuit commensas comparesq; infirmis illorum oculis apparitiones dispensans, cùm tamen hominibus internuntijs modo leges ferendo, modo adhortando ac monendo assiduè homines emendaret, vsus Prophetis edictorum sermonumque suorum ministris, ita & insequutis temporibus, cùm vellet vniuersò generi humano salutarem medelam afferre, non angelorum quidem ministerio archangelorúmue vsus est, neque cœlitus vocalissimam vocem effudit, cunctisq; semel hominibus auditu perfacilé, sed ipse sibi in vtero virginis tabernaculum fecit, indeque progressus est homo visibilis Deusque adorabilis, è substantia quidé patris ante sæcula genitus, è virgine autem assumens quod apparebat, idé recens atque æternus. Neq; enim naturas confudit. Neque fecit vt esset sub tempore, per quê tempora facta fuerant. Neque quod in tempore natum est, antesæculare ac prætemporeum declarauit, sed vtraq; natura syncera permansit. Altera quidem infirmitates quę ad eã pertinebant, perpessa, famé videlicet, sitim, somnum, fatigationem, crucem, interitum. Altera vero quæ sunt diuinitatis efficiens, sibique cõsuetis illustrata miraculis, demũ pedes perambulãdo mari habiles fecit, ac panes quinq; satis esse iussit multis hominũ millibus ad saturitatem pascendis. Vinũ præterea tunc primo factũ nuptijs dedit, mutilosq; ac defectos artus curauit. Quosq; oculos natura opifex nostri corporis in aluo matris non fecerat, è luto mirabiliter finxit. Solo item verbo dissoluta membra coercuit: somnoque iam mortis oppressos reuocauit in vitã, moueriq; ad cursum disposuit: cæteráq; effecit, quę sacra Euangelij monumenta nos docent. Quod si hęc miracula ita vt par est admiramini, Deoque congruentia esse dicitis, & tamen dispensationis modum quo salui facti sumus indecentem vocatis, primum quidem insignem esse audaciam atque insaniam dixerim, si ea sapientia quę est opifex rerum omnium asseratis sapientiores vos esse, neque comprobetis quæ ab ea facta sunt, sed arbitremini vel ea melius quod agendum sit inuenire vos posse. Ego vero non dubito, si ea vel aliam salutis nostræ rationem inijsset, vos nihilominus & ea indignaturos fuisse. fastidiosi enim estis planeque implacabiles, solumq; periti cauillis ac dicterijs incessere diuinæ dispẽsationis mysteria. Quando igitur iuuenili ac temerario quodam ausu, sapientiæ abyssum vestris cõsilijs superaturos vos creditis, meliorem nostræ salutis modũ, quæso, nobis ostendite. At inuenire profecto nullum poteritis. Tanto enim vsus est Deus noster lenitatis excessu, vt incredibile hoc & vobis & vestri similibus factu objiciatur, vnigenitum videlicet Dei filium qui est ante sæcula Deus verbum, quique opifex est rerum omnium, humanitate nostra assumpta hominem factum esse, nostramque hoc pacto salutẽ peregisse. Atqui eos medicos maxime laudare soletis, non qui nos quidem suis ministris curandos ægros committunt, sed qui palliũ deponunt, interulamq; succincti, suis ipsi manibus ferrũ accipiunt, vlcusque si sit opus incidunt, neque fœtorẽ vlceris auersantur, imò autem profluentem saniem excipiunt, spongiáque inspergunt, & vnguenta compingunt, aliáque remedia multa conficiunt, quę adhiberi Medicinę lex iubet. Neque vero illos etiam reges admirari laudibúsque ornare soliti estis, qui regalibus in thalamis molliter enutriti, omni genere delitiarũ perfrui solent, sed quibus graue non est, pro subditis hominibus caput periculis obiectare, quique armis obtecti in prima acie cum hoste fortiter pugnant. Quod si fortè mirabundi inquiritis, cur non olim multo prius humanitate assumpta opifex mundi nobis consuluit, agedum & Medicos accusate, qui in postremum curationis tempus differũt acriora remedia. Lenioribus siquidé prius vsi, quæ potentiora sunt vltimo loco adhibent. Idem itaq; fecisse inuenitur creator ac medicus animarum nostrarum. Nam cùm prius olim multa & varia remedia attulisset, cunctis quidem hominibus ad pietatẽ alliciendis, ea inspectanda proponens, quæ in mundi fabrica & natura rerum ab eo facta cernuntur. Hebræis autem Prophetas mittens, & scriptã legem contribuens, postremo & hoc vndiq; potens pharmacum ac saluberrimum nobis attulit, quo omnis ægritudo funditus tolleretur. Verbis autẽ nostris fidem conciliant, orbis vniuersus terra mariq; à priore ignorãtia liberatus, idolorum sedata fallacia, impietatis pulsa caligo, radij lumine cognitionis diuinę mũdum complentes, Græci, Romani, Barbari de crucifixo theologicè proloquentes, ipsumque signum crucis prosequentes honore maximo, proque multis ac mendacibus dijs Trinitati cultum latriæ exhibentes, abolita idolorum templa, idolorum aræ ad fundamenta subuersæ, illustres vero Ecclesiæ vbique extructæ, in ciuitatibus, in pagis, in agris, in extremis prouinciarum finibus Martyrũ templa pulcherrime fabrefacta, Monachorũ habitacula quibus sancti fiunt montium vertices, vastęq; solitudines incoluntur. Hæc igitur & quæ sunt his persimilia, dignam Deo congruentemque dispensationem vindicis nostri ostendũt, Euangelicam pręterea veritatem & antique Prophetiæ confirmant. Hæ nanque, prædicunt quæ in Euangelijs continentur. Euangelia vero, Propheticę prędictionis finem ostendunt. Ac Prophetæ quidem prædixerunt Virginis partum, hæc vero nos docent Propheticã veritatem. Illi prædixerunt crucis mysterium, sed Euangelia ostenderunt. Illi prædixerunt Christi tormenta, hæc vero narrant facta miracula. Illi cecinerunt mundi salutem, nos autem videmus oraculorum finem. Illi Iudæorum

rum perfidiam perditionemque prædixerũt, nos permanentem adhuc eorũ perfidiam, dispersionem, seruitutemque videmus. Ego autem ni conijcerẽ nimis longo sermone & vos & eos qui in posterum in nostra hæc monumenta inciderint defatigãdos fore, vobis vel ipsas Prophetarũ prædictiones apposuissem, vt exactius à rebus ipsis disceretis verborum veritatem. Quoniam vero me hoc facere non sinit copia dictarum rerum, vos quæso viri Græci & Propheticis dictis fidem habetote, & clamãtibus rebus aurem accõmodate, persuaderique vobis finite ab Euripide Tragœdiarum scriptore, qui sic in Oenomao suo canit: Τεκμαιρόμεσθα τοῖς παροῦσι τἀφανές. id est: * Existimamus quæ latent, ab ijs quæ sunt. Rursus idẽ in Phœnissis: τἀφανὲς τεκμηρίοισιν ἐοικόσιν ἀλίσκεται. hoc est: quod delitet coniecturis cõgruentibus deprẽditur. Quod si forte vobis Euripides indignus fide testis videatur, audite saltem quæ Hyperides Orator dicit: ἃ δ' ἔστιν ἀφανῆ ἀναγκαῖον τοὺς διδάσκοντας τεκμηρίοις χρῆσθαι τοῖς εἰκοῦσι λέγειν, etc. hoc est. Quæ autem sunt obscura, necesse est eos qui docent indagare per cõiecturas & signa. Consona his & Isocrates Orator scripsisse cernitur, inquit enim: δεῖ γὰρ τὰ μέλλοντα τοῖς προγεγενημένοις τεκμαίρεσθαι. hoc est, Oportet quæ futura sunt ex præteritis rebus conijcere. Sed enim & Andocides vnus è decem Oratoribus χρῆ, φησί, τεκμηρίοις κεχρῆσθαι τοῖς προγεγενημένοις τοῦδε τῶν μελλόντων. hoc est. Oportet, inquit, vti signis præcedentibus, ad res futuras. Quia enim ab ornatu eloquutionis pendetis, hinc vobis demonstrationes attulimus, vt per eas ad veritatem perducti, rerumque euentis iam manifestam cernentes Dei ac redemptoris nostri apparitionem de illius dispensatione sermonem alacres accipiatis, amabilique ac peroptabili salute minime careatis.

*Alias A præsentibus verbis, ea quæ nos latent conijcimus.

FINIS LIBRI SEXTI.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS CONTRA INFIDELES GRAECOS LIBER SEPTIMVS, DE SACRIFICIIS.

LOCOS I ferme ac ridiculi sunt plerique omnes mortalium, neque illis est cordi studiosum vitæ genus intensæq; grauitatis, sed fluxũ potius ac remissum. Ex quo fit vt perquã facile illis dominetur malignissimus dæmon, neque enim eos hortatur ad rectam illam viam angustámque capessendam, salebrosam, difficilem & accliuem, sed alterã quæ prona, inclinata, leuis atque expedita est. haud enim illis vnquam temperantiæ iustitiæque vllam habere rationem præcepit, sed confidenter atque impune cunctis flagitijs libidinibusque incumbere, omne demum scelus impudenter audere permisit. Hinc haud difficulter quàm plurimos in seruitutem adduxit, fugientes enim laboriosam virtutem, legisque diuinæ difficultatem euitantes, ad eum scilicet transfugerunt qui factu facilia eademque iucundissima imperauit. Hoc itaque pacto in seruitutem redactis, primum quidé abolendas curauit quas de opifice rerum omnium Deo natura illis ab initio opiniones inscripsit, tum & iniquis mendacissimorum dæmonum dogmatis imbutos, adorare turbam eorum qui dij vere non sunt pro vno & solo Deo, perdocuit, vitæq; perditissimæ fulcrum hoc, basimque subiecit. Etenim cùm delinquẽtes homines latens cura summordeat (pũgit enim illos interior conscientiæ stimulus, nec sinit integram esse voluptatẽ peccati, sed acerbissimos illi cruciatus admiscet, id quod plane conspici potest euenire sicarijs, grassatoribus & adulteris, quique murorum perfossionem, latrocinia, proditionésque obeunt, aliúdue quippiam audent quod lege prohibeatur) callidus iniquitatis magister poculũ hoc indolentiæ atque obliuionis commentus est, vt hominibus scilicet, eorum qui falso vocantur dij opiniones insinuaret. Eos itaque voluptarios, lasciuissimósque fieri curauit pædicones, adulteros, parentibus violentos, incestis, matrum, sororum, filiarum amplexibus impudentissime polluì, mutuas thalamis insidias intentantes, interdúmque deprehensos, ab ijs quidem quos iniuria affecerant colligari fuduit, ab alijs autem vulgo passimque irrideri. Ac eiusmodi flagitijs cœlum & terram inquinasse aiunt, quos ipsi cœlites deos vocant. Item & marinos, pontũ terrámque polluisse. Ab ipsis porro nymphis, montes, saltus, syluas, atque conualles inquinatas fuisse. Has vero tam fœdas abominandásque fabulas, non solum Poetis, sed Theologis quoque Philosophisque * insonuit, varijs plane modis structa fallacia, multisque doli præceptoribus sibi ascitis. Quia vero maxima pars hominum literas nescit, neque idonei sunt qui Poetarum ac philosophorum verba sensũsq; percipiant, alia quædam retia rudioribus his capiendis retinendisque comparauit. Instituit enim pictores, fabrósque ferrarios, quique faciendis simulachris opifices ligno lapidéq; vtuntur, tales eorũ figuras qui vocãtur dij pingere,

*insonuit, pro insonando inseruit.

gere, cudere, conflare, effingere, quales illi fabulatores ſuis pridem verbis expreſſerant, vt haberent hi quoque propoſita flagitiorũ exempla, quiq; participes lectionis ſermonumque eſſe non poterant, ita ſaltem fœdiſſimas imagines intuendo execrabili doctrina minus carerent. Atq; horum artificum ſimulachris, non ſolum templa complerunt, ſed fora, ſed vicos, ſed locupletum virorũ domos, quoquo enim te vertas, eſt videre eos qui falſo dij nominantur *amare, præ libidine rabidos ferri, in Venerem concitari: patremque deorum tauro, aquila, cygno diſſimilatum, eoq; pacto amicis fœminis commiſceri: Mercurium vero ſermonis præſidem, hircũ effectum, Pana filium genuiſſe caprinis fultum cruribus & cornibus præmunitum. Quid enim dicam Pythij Apollinis ardores, Daphnesq; virginis temperantiam? Quid eundem Apollinem lauri truncũ præcupidis brachijs amplectentem? Quid à Plutone raptam Proſerpinam? Quid errores Cereris matris? Hæc enim omnia, & Poetæ fabulantur, & Theologi veſtri comprobant, Philoſophi autẽ grauiſſima quidem illis myſteria coaptare contendunt, quanto vero magis id ſtudent, tanto magis ridiculam fabularum allegoriã adducunt. His itaque dijs, infeſtus homini dæmon, feſtos dies, ſolennes ceremonias, populariaq; conuiuia celebrari inſtituit, ſuis queq; nominibus ac titulis inſignita, Ioui quidem Pandia & Diaſia, Herea vero Iunoni, ac Mineruæ Panathenæa. Baccho autem Patri Dionyſia, Cereri Eleuſinia & Theſmophoria, Apollini Delea & Pythia. Cęteriſque præterea omnibus, quorum ſanè magna eſt turba, ſuas cuique ſolennitates dicauit, è ſingulorum dæmonum nomine eas vocans, Hermæa Mercurio, Poſidonia Neptuno, Herculi Heraclea, Aſclepia & Panacia Aeſculapio. Neque vero ijs ſolum, quos deorum nomine dignabantur, ſed hominibus etiam ipſis cultum hunc pietatis exhibebant. In eiuſmodi autem conuenticulis, omne flagitiorum genus patrabatur. Initia enim Cereris, & Liberi Patris orgia, eorum ſcelerum quædam inuolucra prætendebant. Eleuſis namque pectinem oſtendebat, veretrum autem Phallagogia Libero dedicata. Sed enim citra ænigmatum hæc inuolucra, ipſa quoque orgia, quæ à celebrantibus fieri cernebantur, ad omne flagitiorum genus ſpectantes facilè incitabant. Quis enim vel ſilaciſſimæ homo libidinis intra cubiculi penetralia, ea patrare vnquam eſt auſus, quę Satyrorum chorus publica in pompa flagitioſe exhibuit, cùm Silenum Panaq; in medium acceptos circũferrent, hũc quidem in Bacchas rabida libidine irruentem, illum verò quem effœminati adoleſcentis eſſe pædagogum aiũt, ebrietate nimia reſolutũ? Hiſce dijs veteres centenis milleniſque mactatis bubus rem diuinam *facere, integros illi ouium greges, integra boum armenta iugulare, thus adolere, vinum libare, hęc enim fieri deorum ſacerdotes videbãt. Aiunt vero poetæ, valde illos gaudere fuſis libaminibus ac nidore, ipſoſque teſtari ſolitos ſibi hoc decus, hoc veluti præmium eſſe reliquum, eaque potiſſimum cauſa libenter ad Aethiopum ſacrificia proficiſci, Hectoremq; illis omni diligẽtia omnique cura dignum cenſeri, quod illorum aras nunquam vacuas ſacrificijs paſſus eſt eſſe. Sed neque Chryſes Homeri verſibus celebratus, Apollinem, cuius ipſe erat ſacerdos, ſuæ probitatis modeſtiæque ſummonuit, ſed pinguium coxarum quas cęſis tauris capriſq; adolebat, tum & virentium olentiúmque ſertorum quibus templum ſedulò adornabat, vſq; adeo illos hoſtiarũ vapor demulcebat, nidoriſque fragrantia, vt verè mihi videantur popinonibus fuiſſe perſimiles. Immo autem non ſatrecte illos coquinarijs cõparaui. Illi enim, quæ opipare curarunt obſonia, olfactu guſtuque percipiunt: at dij gentium, de peruſtis oſſibus halantem putorem excipiebant. Ac nos quidem ſi pauxillum modo temporis in altarium foculos incidamus, iniquè ferẽtes, nares obſtruimus, tetrúmque odorem penitùs auerſamur. Quia autem nectare atque ambroſia frui dicuntur, à putore peruſtorum oſsium pendere videntur. Hæc autem ipſi retorquere fortaſſe audebunt in verum ac ſempiternum Deum. Audiunt enim & in ſacris monumentis leges de ſacrificijs latas extare. Verum iſti conſilium mentemq; latoris Dei prorſus ignorant. Iſralem enim longinquum tempus in Aegypto verſatum, prauiſque moribus illius regionis imbutum, ab Aegyptijſq; perdoctum idolis ac dæmonibus hoſtias immolare, ludis præterea choreiſque aſſuetum ac muſicis organis oblectari, iámque in harum rerum habitu conſtitutum, liberare Deus deſideras, ſacrificare quidem permiſit, non tamen omnia, neque falſis Aegyptiorum dijs, ſed ſibi ſoli ac vero Deo Aegyptiorum deos ſacrificium victimamque offerre. Olim ſiquidem Aegyptij, deos, ſibi bouem, pecudem, capram, columbam, turturem faciebãt, cumque his & alia quędam animalia, quę eſculenta non ſunt, ſed vocantur impura. Ne itaque indignarentur ſi viderent antiquo illo rei diuinæ ritu ſibi penitùs interdictum, prohibuit eos rem diuinã illis facere qui dij vere non eſſent. Contraque lata lege eis edixit, vt ſibi vero Deo in ſacrificium victimámque offerrent quæcunque prius impie venerati fuerãt, è terreſtribus quidem capram, pecudem, bouem: è volatilibus autem turturem & columbam. Sunt enim hæc animalia, manſueti cicureſcentisque ingenij. Itaque ſapientiſsimus ille Medicus hoc remedij genus adhibuit *Aegyptiæ ægritudini, dum ſacrificare quidẽ Iudæis ad eorũ imbecillitatem indulſit. Et tamen ea quæ prius colebant in ſacrificiũ iuſsit offerre, vt dũ hoc facerent, ſcirent deos nõ eſſe quos tanquã victimas ipſi mactarent. Ideóq; abſtinere illos etiam ſuillis carnibus iuſsit. Quia nimirũ hiſce ſolis Aegyptij veſcebantur, cæteris autẽ animantibus, tanquam dijs ſuis parcebant. Ita qui lata lege voluit haberi ſues immundos, nẽpe illud præcepit, vt quę animãtes pro deis habitæ

*i. amatorũ facta exprimere.

*pro ſacrificabant, & ſic de alijs.

*i. in Aegypto cõtracta.

habitæ prius fuerant, paſsim comederentur. vt in contemptum adductæ, quæ ſic in aluum deuoratæ deſcenderant, nequaquam ſibi diuinos honores amplius vendicarent. Etenim cùm Hebræos ſciret quadã ſuperſtitione ſubtrepidos, patinarioſq; ac gulones eſſe quàm maximos, morbum morbo curandum exiſtimauit. Superſtitioni ſiquidem, gulam oppoſuit, qui enim abſtinere ſuillis carnibus vt impuris præcepit, alias vero carnes illorum edacitati lata lege permiſit, ita profecto vorãdæ carnis cupidine incitatos, veſci eos coegit animantibus illis, quas olim deos eſſe opinabantur. Haud itaque victimarum indigens Deus, nidoriſũe appetentior, ſacrificia illa inſtituit, ſed vt imbecillitati eorum ſapienter hoc pacto leniterque conſuleret. Ita & muſica inſtrumenta paſſus eſt eſſe, non qui illorum concentu ſuas ipſe aures oblectaret, ſed ita paulatim idolorum præſtigia ſurrepturus. Etenim ſi vt primum ab Aegyptij conuerſatione liberati fuerant, perfectas eis leges obiecißet, abſque mora vtique reſilijſſent, frenumque accipere indignati, ad priſtinam labem cupide recurriſſent. Si enim rebus hac indulgentia tolerantiaque diſpoſitis, ſæpenumero id facere conati ſunt, quid non auſi fuiſſent Deo illis ab initio Euangelicæ Philoſophiæ legem ferente? Vt vero Deum ſciatis nec ſacrificijs indigere nec muſicis inſtrumẽtis, audite, quæſo, quæ per Prophetas ſuos nobis loquatur: ὃ δέξομαι ἐκ τοῦ οἴκου σου μόσχους. &c. hoc eſt: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Meæ ſunt enim omnes beſtæ agri, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. His itaque verbis, æque omnia repulit, quæ lege prius offerre iubebantur. Neque terreſtria ſolum & volatilia, ſed ipſius quoque vini libamina, oleumque quod cum ſimilagine ac placentis inferri templo mos erat, hæc enim agri pulchritudinem appellauit, iuxtaque & hæc & illa ſua eſſe teſtatus eſt opera. Ita quodammodo nos erudiens, huiuſmodi rebus Deum non indigere. Tum vero non ſine quadam eleganti, ſed tamen vtilitatis pleniſsima, ironia ignorantiam eorum redarguit, ſuamque ipſe authoritatem potentiamque oſtendit. ſic enim inquit: ἐὰν πεινάσω, οὐ μή σοι εἴπω, etc. hoc eſt: Si eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius. Per hæc autem verba, & mundi opificio, & ſuo in eum dominatu manifeſte oſtenſis, quod prius ironicè dixerat moderandum curauit. inquit enim: μὴ φάγομαι κρέα ταύρων, ἢ αἷμα τραγῶν πίομαι; hoc eſt: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Cumque oſtendiſſet ſuperflua eſſe penitus ſacrificia, eſſeque Deo prorſus indigna, nouum quendam ſacrificij modum propoſuit, quod aram quidem cruore effuſo minus imbueret, ſed quod lingua duntaxat labijſq; confieret, ait ergo: θῦσον τῷ θεῷ θυσίαν αἰνέσεως, καὶ ἀπόδοσον τῷ ὑψίστῳ τὰς εὐχάς σου. hoc eſt: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua. Itemque: ἐπικάλεσαί με ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως σου, καὶ ἐξελοῦμαί σε καὶ δοξάσεις με. hoc eſt: Inuoca me in die tribulationis tuæ & eruam te, & glorificabis me. Sufficit enim Deo rationabilis congruaque oratio, ſuper omnes greges ouium & caprarum, ſupraque omnia boum armenta, eamque libenter accipiens rependit offerentibus quæ conueniant, opem enim ſuam indigentibus porrigit, eoſq; opportuna vltione defendit, ab eorum manibus vindicatos qui eis detrimenta inferre conabantur. Idque ipſum in fine huius melodiæ ſic additum eſt: θυσία αἰνέσεως δοξάσει με, etc. hoc eſt: Sacrificium laudis glorificabit me, & illic iter quo oſtendam illis ſalutare Dei. Neq; enim ſatis eſt, ſi Deum nobis beneficia conferentem ſolis laudibus veneremur, ſed præterea nos decet eam viam incedere, cuius finis vera eſt ſalus. Idem alio quoque in Pſalmo ſic ait: θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, etc. Id eſt: Sacrificium et oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſta & pro peccato non poſtulaſti. Iterum alibi: αἰνέσω σε, εἴπε, τῷ ὀνόματι τοῦ θεοῦ μετ' ᾠδῆς, etc. hoc eſt: Laudabo enim (inquit) nomen Dei mei cum cantico, magnificabo eum in laude. Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem & vngulas. Ne quis autem veſtrum opinetur hæc ſolum prophetam Dauid ſcripſiſſe, audite, quæſo, qualia ea ſint quæ Deus per Eſaiam loquutus eſt: τί μοι πλῆθος τῶν θυσιῶν ὑμῶν λέγει κύριος, etc. hoc eſt: Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum dicit Dominus? Plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem agnorum, & ſanguinem taurorum aut hircorum nolo. Neque ſi veneritis in conſpectum meum. Quis enim exquiſiuit hæc de manibus veſtris? Tum et hæc addidit: πατεῖν μου τὴν αὐλὴν οὐ προσθήσεσθε, etc. hoc eſt: Non adijcietis ambulare in atrio meo. Si enim offeratis mihi ſimilaginem, fruſtra. thymiama, abominatio mihi eſt. Neomenias veſtras, & ſabbata, & diem magnum non fero. Ieiunium, & vocationem, & feſtiuitates veſtras odit anima mea. Facti eſtis mihi in ſatietatem. Apertiſsime igitur his verbis oſtendit, nequaquam hæc vt certa ac neceſſaria ſuis legibus præcepiſſe, ſed vt ſe ad eorum imbecillitatem accommodaret. hoc enim prorſus ea verba ſignificant. Quis exquiſiuit hæc de manibus veſtris? Sunt autem hæc omnia Dauidicæ melodiæ perquam ſimilia. Pari enim modo hic quoque non ſolum tauros, agnoſque reiecit, ſed ipſam ſimilaginem, ipſaque aromatica ſuffimenta, cumque his & magnarum ſolennitatum catalogum. Sicut autem per os Dauid, huiuſmodi ſacrificijs ritibuſque ſublatis, ſacrificium laudis offerri iuſsit, ita & hoc loco per Eſaiam cuncta ea porro eliminans, incorruptionis baptiſma regenerationiſq; proponit, ſic enim inquit: λούσασθε καθαροὶ γένεσθε, etc. hoc eſt: Lauamini, mundi eſtote. Ne

Pſal. 39.

Pſal. 68.

Eſa. 1.

quis autem putaret iussisse illum per Esaiam, vt consuetis lotionibus vterentur, necessario addidit: ἀφέλετε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν μου. hoc est: Auferte mala ab animabus vestris, à conspectu oculorum meorum. Hæc autem verba manifeste ostendunt baptismatis sancti donum. Alibi quoque in medio prophetiæ Esaias hæc inquit, personam Dei nobis proponens: οὐνῦν ἐκάλεσά σε Ιακώβ, οὐδὲ κοπιάσω σε ἐπροίησα Ισραήλ, etc. hoc est: Non te vocaui nunc Iacob, neq; laborare te feci Israel. Non tulisti mihi pecudes oblationis, neque in sacrificijs tuis glorificasti me. Non seruiuisti mihi in mulieribus, neque laboriosum te feci in thure. Neque comparasti mihi argento thymiama, neque adipem victimarum tuarum concupiui. Sed in peccatis tuis, & in iniustitijs protexi te. Ita rursus ostendens legalium victimarum species esse inutiles, pollicetur peccatorum veniam, quæ per sanctum baptisma mortalibus data est. inquit enim: ἐγώ εἰμι ὁ καλέσας τὰς ἀνομίας σου ἕνεκεν ἐμοῦ. &c. hoc est: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Neque enim vllis operibus nostris, sed per solam fidem mystica bona consequuti sumus. Hinc & Apostolus manifeste testatur: χάριτι ἐσέσωσμένοι, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν. θεοῦ τὸ δῶρον. Gratia salui facti estis, et hoc non ex vobis. Dei est donum. ne quis glorietur. Id ipsum hoc loco significans, quod superius dixerat Deus per Esaiam propter me. Hæc et per Hieremiam ferme sic inquit: τὰ ὁλοκαυτώματα ὑμῶν προσαγάγετε μετὰ τῶν θυσιῶν ὑμῶν, etc. hoc est: Holocausta vestra congregate cum sacrificijs vestris. Quoniam non sum loquutus ad patres vestros. Neque in die qua eduxi vos de Aegypto, præcepi eis de holocaustis & sacrificio. Quod igitur de hisce rebus in lege præceptum est, ad illorum stoliditatem accommodatum videri debet, nulla vero Dei vtilitate dictum aut perpetua voluntate, alibi enim inquit: τὰ ὁλοκαυτώματα ὑμῶν οὐκ εἰσὶ δεκτὰ, καὶ αἱ θυσίαι ὑμῶν οὐχ ἥδυνάν με. hoc est: Holocausta vestra non sunt accepta, neque vestra me sacrificia oblectarũt. Et rursus: ἀπέστησα ἀπ' ἐμοῦ ἦχον ᾠδῶν σου, καὶ φωνὴν ὀργάνων σου οὐκ ἀκούσομαι. hoc est: Elongato à me sonum canticorum tuorum, & vocem organorum tuorum non audiam. Aliaque permulta hoc genus est inuenire, quæ manifeste nobis ostendant, Deum nec sacrificijs egeisse, nec vapore carnis aut nidore, musicisue instrumentis oblectatum ea fieri iussisse, sed sola prouidentia qua illorum infirmitatibus consulebat. Ne itaque existimate hãc pro vestris sacrificijs quę ipsi damnamus defensionem vos afferre posse, quod Hebræi quoque patres sacrificia Deo obtulerint. Quę enim latæ legis intentio, quod consilium, finisque quis fuerit, ipse qui legem tulit, per prophetas Deus ostendit. Quæ quum diligenter Porphyrius perlegisset (plurimum nanque temporis in eis contriuit) dum sua in Christianos volumina detornaret, aliena is quoque à vera pietate sacrificia esse ostendit. Qua in re iure id Porphyrio contigisse dixerim, quod contingere similijs solet. Sicut enim illi quoque quosdam humanos gestus imitantur, neque tamen continuo transeunt in humanam speciem, sed permanent in similorum natura, ita & Porphyrius è sacris literis quæ sibi collibuit suffuratus, nonnullis inde sententijs suamonumenta interfitis, posthabuit veritatem perdiscere, simiusque duntaxat imitator permansit, vel vt verius dicam, graculus quidam fuit alienis plumis exculcus. Hic itaque cùm multis scriptis sermonibus contendat ab animatis abstinendum esse, testem inducit Theophrastum, priscos homines neque thus, neque sacrificium, neque vllas victimas solitos esse offerre, sed pauxillũ decerpti fœni tanquam genitabilis rei partem, manibus alte sublatum, flammis imponere consuesse, atque ita demum apparentes cœlestes deos excepisse. Tum plurima quædam in hanc sententiam persequutus, hæc addit: πρόῤῥω δὲ τῶν τοιῶν θυσίας ἀπὸ τῶν ἐμψύχων ποιοῦσιν παρανομίας, etc. hoc est: Cùm autem sacrorum primitiæ ad multam iniquitatem hominibus processissent, execrabilis paulatim vsus victimarum inductus est crudelitatisque plenissimus, ita vt si quæ olim contra nos imprecationes susceptæ sunt, nunc maxime videantur euentum consequutæ, cùm videamus homines cædibus delibutos aras deorum cruore multo conspergere. Tum & post alia quamplurima ita subsequitur: μὴ χρῆναι θεοὺς παραλαμβάνειν, etc. hoc est: Deos nullo pacto habendos esse, qui sibi rem diuinam fieri cæsis animantibus gaudeant. esse enim iniustum, impium, ac scelestissimum facinus, mactare dijs animalia. ideoque ne ipsis quidem hoc gratum contingere. Addit autem et hæc amplius: εἰκότως ὁ Θεόφραστος ἀπαγορεύει, etc. hoc est: Merito Theophrastus prohibet rem diuinam fieri animatis rebus, ab ijs qui veram pietatem colere studeant, multis eiusmodi vsus rationibus ad suam hanc sententiam comprobandam. Mox autem ostendit quæ dijs immolari conueniat. inquit enim: καὶ μὴν θύειν δεῖ ἐκεῖνα, ἃ θύοντες οὐδένα πημανοῦμεν, etc. hoc est: Atqui ea decet immolari, quibus immolandis nihil detrimenti cuiquam inferatur. nihil est enim quod æque cunctis innoxiũ esse debeat, atq; ipsum sacrificiũ. Rursusq;: ἀφεκτέον ἄρα τῶν ζῴων ἐν ταῖς θυσίαις, etc. hoc est: Abstinendũ est itaque animalibus, in faciẽda re diuina. Reuocat preterea in memoriã quę factę fuerint hominum cædes: ἐθύετο γὰρ, φησὶν, ἐν Ῥόδῳ, etc. hoc est: Mactabatur enim XVI. Calendas Nouembris homo apud Rhodios in honorẽ Saturni, quod cùm per diu seruatum fuisset, in consuetudinem abijt. Quendam enim ex ijs qui publica sententia damnati essent ad capitale supplicium, ad vsq; Saturnalia viuum asseruabãt. Tum vero ait, & apud Cypriam Salamina hominem mactari solitum, Agraulo Cecropis filię. Homines item treis apud Aegyptiam Heliopolin singulis diebus mactari. Quinetiam Lacedæmonios immolare hominem Marti, huiusmodique victimas in Laodicea Syriæ, Libycaque Carthagine offerri solitas. Ipsos etiam Græcos cùm ad bella progrederentur, ab humana cæde auspicatos fuisse, aliaq; permulta in hanc sententiam Porphyrius narrat. Scribit & Philo Historicus, Aristomenẽ Messenium trecentos olim homines Ioui Ithomio immolasse. Plutarchus quoque consona his testatur, alijque complures historici eadem nobis memoriæ prodiderunt. Quin & Tragici Poetæ huiusmodi cædes suis Tragœdijs decantarunt, quas Menœcei quidem apud Thebanos, apud Athenienses autem Codri ac Lei filiæ pertulerunt. Pronum vero est, hæc omnibus edoceri qui veterum historiarum libros in manus sumant. Ita enim facile cognoscent, eorum iussu qui falso dij nuncupantur, has victimarum cædes institutas fuisse. At vero mundi pater ac dominus, hanc iniquitatem per os Dauidicum detestatur, inquit enim: καὶ ἔθυσαν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν, etc. hoc est: Et sacrificarunt filios suos & filias suas dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum & filiarum suarum, quos sacrificauerunt sculptilibus Chanaan. Per Ezechielem quoque ita conquerens ait: καὶ ἔλαβες τοὺς υἱούς σου, etc. hoc est: Et accepisti filios tuos ac filias, quos genuisti mihi, & adduxisti eos amatoribus tuis. hoc super omnem fornicationem tuam. Hæc itaque passim Græci, Romani, Aegyptij, Hebræi, gentesque aliæ facinora perpetrabant. Postquam vero Deus noster hominumque seruator Christus apparuit, illa quidem prorsus extincta sunt, sacræ vero Euangeliorũ leges, nationes melius ciuitatesque moderantur. Præter alios vero & Sophocles Atheniensis Tragœdiarum scriptor, eas immolationes hominũ Tragicè detestatur, pie quidem de Deo loquutus, sapienterq; infectatus dæmonum simulachra, sic enim inquit:

Εἷς πᾶς ἀληθέστατος εἷς ὅδ' θεός, etc. hoc est:
Vnus profecto solus est vnus Deus,
Terramque fecit, & populorum vertices,
Pontique fluctus, & sonora flumina:
Sed nos sopore corde mortales vagi,
Statuimus hoc solatium mentis leue,
Simulachra diuum è marmore, aut ex ære,
Elephantino ex ebore, fuluóue ex auro.
Queis sacra, cœtusque & coronas affatim
Dantes, putamus sic pium persoluere.

Neque enim soli nos, sed vestri quoque Poetæ, Historici, ac Philosophi, huiusmodi ritus plane irrident, qui vobis diuini sanctique habentur. Ego autem puto & Socratem Sophronisci, Mercurio immolari gallum iussisse, vt illatum crimen refelleret, quippe quem Anytus ac Melitus, vt immortales deos abnegantem detulerãt. Alibi enim Socrates idem manifeste ostendit, scire se Deũ nequaquam victimis indigere. Nam & hæc quoque Socratis dicta sunt, si modo illius sententias Plato literarum monumentis mandauit: οὐ γὰρ χρείας ἕνεκεν ὁ θεὸς ἐποίησε τὸν κόσμον, etc. hoc est: Nullius enim necessitatis vsusue sui causa, Deus mundum hunc fecit, vt honores videlicet ab hominibus, dijsque alijs ac dæmonibus referret, quasi prouentum sibi quendam pro rerum gubernatione deposceret. A nobis quidem viscerationum vapores, à dijs autem ac dæmonibus propria cuiusque ministeria & officia. His itaq; verbis Socrates plane ostendit, nullius quidem rei Deum indigum esse, nihilque habere aliud eiusmodi hostias præter fumum, ac putore quidem multo grauissimum. Quæ vos & à præceptoribus vestris perdocti, & à sacris iam monumentis, vnde illi plurima compilarunt, diuinam doctrinam vestris in pectoribus confirmantes, quæ cauponibus lanijsque conueniunt sacrificia detestamini: sacrificium vero laudis creatori Deo offerte. vobis enim persuadere hoc debent, non leges à principibus latæ, neque suppliciorum metus, sed veritatis potentia, quæ iam maris ac terræ incolis omnibus est notissima.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS LIBER OCTAVVS, DE MARTYRIBVS.

PYthagoram illum Samiũ, cuius apud vos est celeberrimum nomen, dixisse aiunt qui illius vitã memoriæ prodiderunt, esse Musas Sirenibus præferendas. Ego autem, si mos illi fuisset explicito ac manifesto sermone vti, quali videlicet complures Philosophi vsi sunt, affirmarem vtique illum vt idiotam hominem altiorisque vllius rei minime conscium, Musarum cantus ac vocem Sirenibus prætulisse. Quia verò sunt illius dicta, griphis ænigmatisque abstrusa, scopulorum modo qui marinis fluctibus occultantur (per symbola enim, sua illie monita proponebat, qualia videlicet ea sunt, Gladio ignem ne fodicato, Néue modio insideto, Néue caudatrum

datrum comedito, Stateram ne transilito, & quæ sunt generis eiusdem) idcirco illum puto comptos lepidosque sermones Sirenibus opinatum esse persimiles, Musis verò, qui nihil inducti decoris fuciqúe præferentes, nudam veritatis formam ostendunt. Quanto enim ingenua pulchritudo potior est ea quam fucus artis mangonicæ medicauit, tanto est melior simplex ille veritatis decor, acrioratione lepidoque verborum concentu. Habenda est itaque fides ò viri Græci, si non alijs at celeberrimo saltem Philosopho, qui hæc ita decreuit. Neque adeò sacræ vobis literæ contemnendæ, quoniam superfluo sermonis apparatu minus vtantur, sed nudam pulchritudinem veritatis, & tamen emicantem, nobis proponant. Pronum siquidem fuit & quàm facillimum, sapientiæ fonti qui profanis impijsque hominibus eam qua tantopere gloriantur eloquentiam dedit, vel Platone facundiores, vel acriores Demosthene, vel rotundiores Thucydide, vel Aristotele & Chrysippo cudẽdis insolubilibus syllogismis acutiores, prodere veritatis præcones. Cæterum loquples illa liberalissimaque diuinitas, noluit quinque solum, decémue aut quindecim, centum aut ducentos homines aquis salutaribus recreari, sed cunctas affatim tum Græcas, tum barbaras nationes, neque solum homines literarum studijs innutritos, sed sutores iuxta textoresque, fabros item ferrarios, cæterosque manuales artifices, præterque hos ipsos, etiam mendicos, agricolas, lignatores, fœminas quoque, tum diuitijs affluentes, tum mannuum suarum studio parce ac duriter victitantes. Eamque ob rem, piscatorum publicanorumque, ac sutoris ministerio vsus, protulit hominibus salutarem diuinamque doctrinam, nequaquam linguis immutatis, quibus verbi sui præcones ab initio vsi fuerant, sed per eas tamen prenitentis sapientiæ riuos effundens, non aliter quàm si quis odoris vinum saporisque suauissimi conuiuis suis apponat, quod tamen phialis poculisque infundat minus eleganter affabreque insculptis. Nihilo enim secius qui sitientes accumbunt, vino se imbuunt, neque poculorum materiam artificiúmue inspiciunt, sed vinum laudant, quod cum magna voluptate exhauriunt. Idem cũctos hodie mortales facere assidue cernimus. Sacræ enim doctrinæ riuos haurientes, non modo non irrident Apostolorum linguam, sed valde potius admirantur, quod eloquentiæ sacris minus initiati, horumque alij vel à pueris solam piscationem edocti, alij vero publicanorum trapezis assistere consueti, alij sutoriam exercere, illico prodierint ministri diuinarum rerum, supercœlestiumque bonorum dispensatores, præsidia in aduersis rebus, claraque luminaria quæ non vnam modo gentem lumine illustrarũt, sed quotcunq; sol hic quem cernimus, iubare suæ lucis illustrat. Admirantur autem cuncti mortales, mortuos iam Apostolos, nunc quoque vertendis ad Christianam religionem populis, ea conficere quæ cùm olim viuerent faciebant, immo autem maiora multoque clariora, postquam excesserunt è vita per eos facta conspicere. Tũc enim cùm mortale corpus induti, inter homines versabantur, modo ad hos, modo ad illos populos accedebant. Nunc Romanos, nunc vero Hispanos, Celtásue alloquebantur. Postquam vero ad illum se receperunt à quo destinati olim missique fuerant, omnes illis populi cunctæque nationes continue perfruuntur. Neque solum Romani, quique sub Romanorum iugo lubentes agunt & gubernantur, sed Persæ quoque, Scythæ, Massagetæ, Sauromatæ, Indi, Aethiopes, vtque semel dicatur, omnes habitabilis terræ fines. Quæ enim illi monumenta scripta nobis reliquerunt, simplicia illa quidem omnisque Græci nitoris expertia, tum perpauca & perquam breuia, sunt hominibus cunctis charissima, vobis exceptis, ac si quis eadem, qua & vos impietatis nebula circunseptus, nolit veritatis iubar inspicere. Quin eadem Apostolica monumenta, non solum carent Atticæ eloquentiæ fastu, verumetiam ea quæ nobis tradunt eius sunt generis, vt nihil inde magnificum nostris oculis ac perspicuum proponatur. Neque enim regnum ostentant, quod hic videri à futuris possessoribus queat. Non illi purpura exornatum regem, non corona insignem vident, non scutatorũ numero ac magnitudine formidandum, non exercitu communitum, non ducibus qui fortitudinem in bello perdocti sint. Nihil denique eorum vident, quibus homines splendore nominis & gloria inclarescunt. Sed tophaceum specu vident, in quo præsepe, in quo pauperculam Virginem, in quo tenui fascia obuolutum infantem ipso in præsepis sinu humiliter reclinatum. Præterea & oppidum vident vbi hæc accidisse narrantur, ignobile, inglorium, ac pusillum. Proponitur illis etiam spectandus, infans in paupertate eductus. Proponuntur quæ acerba perpessus est, fames, sitis, languórque de via. Post hæc autem omnia, supplicium illud passim ab omnibus decantatum, alapæ cum colaphis in maxillam incussæ, terga flagris discissa, gestata crux, pedibus ac manibus infixi claui, lancea pectori adacta, acetum sitienti porrectum, mortis genus ignominia crucia-túque perhorrendum. Et tamen cùm hæc & quæ sunt his similia, narrent Apostolorum monumenta, fidem fecerunt cunctis passim hominibus, eum de quo illa dicuntur, Dei filium, Deum verum, ante sæcula genitum, factorem rerum omnium atque opificem, humanam assumpsisse naturam, eóque instrumento salutem humani generis confecisse. Neque vero tenuem ac superinnatantem fidem fecerunt, sed adeo profundis nixam radicibus, vt magna hominum multitudo pro his dogmatis retinendis mortem libentissime sustinuerit, eáque inficiari volentibus nõ linguas ad defensionẽ obiecerit, sed flagris humeros, sed lampadibus

padibus latera ferreisq; vrgulis, & ceruices gladijs supposuerit, tympanis ac fidiculis extẽta fuerit, palis infixa cõstiterit, ab immanibus se feris laniari cõspexerit. Iure igitur qui certamina hęc proposuit, inextincta illos gloria illustrauit, memoriamque factorum nuntiam tribuit, quę potens sit vires temporis superare. Nam cùm cętera omnia paulatim marcescere aboleriqúe instituerit, horum tamen gloriam incorruptam seruauit. Ac animę quidem triumphatorum Martyrum, in cœlesti nunc patria vitam agunt angelorum choros interstitæ. Eorum vero corpora non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed ciuitates, oppida, paganique conuentus, hæc inter se sortito partiti sunt, laborantibusque animis ac ægrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant. Nihiloque secius vrbium custodes ac locorum præsides venerantur, quorum precibus & interuẽtu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera consequuntur. Sectis itaque eorum corporibus, integra tamen vis & gratia perseuerat, tenuesque ac tantillæ reliquiæ toti parem habent, nullasque in partes Martyrij dissecto, virtutem. Gratia enim quę pollens vigensque persistit, petentibus dona distribuit, fidei supplicantium liberalitatem suam commensa. Vos autem Græci homines ne hæc quidem adducunt, vt Deum regem Martyrum laudetis, sed cum derisu damnatis eum qui à cunctis latè mortalibus eis honor defertur, abominandum scelus admittere vos putantes si ad eorum busta propius accedatis. Esto autem vt cæteri passim mortales hoc Martyrum facto offenderentur, at Græcos certe ipsos nullo hinc profecto decuit pacto offendi. Ab his enim authoribus prodierunt libamina expiationes, heroes, semidei, hominesque in deos relati. Herculem enim mortalem hominem, Alcmena & Amphytrione parentibus natum, Deum Græci declararunt, sicut temerè Deum esse opinabantur, cæterorumque Deorum catalogo addiderunt. Quod autem Plato Amphytrionis esse filium, non Iouis, eum crediderit, inde puto constabit, si videlicet audiatis quæ is in Theæteto conscripsit: ἀλλ' ἐπὶ πέντε καὶ ἕκατι καταλόγῳ τῷ γόνων σεμνυνομένῳ, etc. hoc est: Sed eorum qui sese iactant viginti quinque progenitorum catalogo, fatuum sibi ineptumque videri consilium, ob nimis exactæ rationis minutias. Quòd autem Amphytrion altius repetito principio quintus supra vigesimum fuerit, sicut ei fortè fortuna obtigit, quinquagesimus ab Lao descenderit, eorum sit inquirere qui possunt generis rationem subducere, inuentoque principio ita se stulto animi fastu liberare. Rhetor quoque Isocrates ita testatur: Ζεὺς γὰρ Ἡρακλέα καὶ Τάνταλον γεννήσας, etc. hoc est: Iupiter enim cùm Herculem ac Tantalum genuisset, vt est in fabulis, passimque ab omnibus creditur. Hoc itaque pacto irridebant, qui vere inspicere poterant qualia ea essent quę alij mortales fabulis commendabant. Et tamen cùm ipse Hercules à mero homine nihil differret, regique Eurystheo seruire seruitutem coge-retur, illi tamen aris templisque excitatis sacrificia obtulerunt, diesque festiuos dedicarunt. Neque soli Athenienses ac Spartiatæ, sed tota simul Græcia, Europæque quamplurimæ regiones. Erroris autem huius pestilentia & in Asiam penetrauit. Multa enim Tyrij, ciuitatesque aliæ, ingentia templa Herculi excitarunt. Neque ei solum festiuitates celebrabant, sed quarto quoque anno ludos eidem ac certamina dedicabant. Tametsi mortalem fuisse hominem scirent, nec temperatum, nec sapientiæ amatorem, sed qui vitam in * licentia & libidine transegisset, vt enim cætera illius flagitia taceantur, hoc narrare sit satis, quod nocte vna quinquaginta virginibus stuprum intulisse dicitur, ac nisi fallor, tertium decimum fertur hoc illius esse certamen. Satis autem hoc potuit Herculis vitam moresque testari. Adde autem, quòd ex ea nequitia finem sibi vitæ maturius aduocauit, ducta enim iam pridem vxore Deianira, amicæ tamen quam deperibat commixtus est. Vxoris itaque imprudentis aliamque rem agitantis dolo captus occubuit. Nam cùm hæc amatorium, sicuti opinabatur, pharmacũ parauisset, viriqúe interulam eo veneno imbuisset, poscenti viro eam transmisit, sperans ita eum sibi facile se retenturam esse. A spe vero plurimum aberrauit, eo siquidem veneno corpus Herculis calefactum, graui ægritudine circumuentum est. Is itaq; dolore correptus ac cruciatus impatiens, in extructam pyram sese ipsum coniecit, dignumque hunc anteacta vita finem inuenit. Neq; enim ea fuerunt Herculis studia, quibus à vestris Deus fieri mereretur. Quę licet illi non ignorarent (sunt enim antiquis monumentis memoriæ prodita) nihilo tamen secius Herculem patrem auxiliaremque appellarunt. Cumque in admirationem rei cuiusquam inciderent, Hercules Rex inter loquendum exclamabant, & vos hodiéque si Deo placet, hoc loquendi more gaudetis & gloriamini, putãtes satis magnum daturos vos esse vestræ eruditionis iudicium, si crebro eiusmodi verbula vsurpetis. Atque vt ad alios quoque transeam, testis est Apollodorus Aesculapium ab alijs quidem existimatum esse filium Arsiones, ab alijs vero Coronidis quæ clandestino violentóque Apollinis congressu prægnans effecta, editum subinde infantem exposuisse dicitur. Hunc vero ait Apollodorus à venatoribus casu repertum, raptúmque ab altricis canis vberibus Chironi Centauro delatum fuisse, ibiq; enutritum Medicæ arti operam impendisse, cuius in Tricca Epidauróque ciuitatibus, experimenta prima ediderit. Tanta vero diligentia, tantóque studio Medicinam perdoctus dicitur, vt non ægrotos solum in pristinam valetudinem restituerit, sed (vt fama est) nonnullos à mortuis excitarit, quo facto Iupiter indignatus, fulmine traiectum de medio sustulisse dicitur. Fuit igitur hic quoque mortalis

* lascivia.

talis homo, quanquam more cæterorum hominum educatus non fuerit. Prima enim vitæ alimenta de vbere canis accepit, venatorumque misericordia seruatus, non diuina quidem sapientia edocente, Medicinæ artem adeptus est, sed à Chirone Centauro eruditus. Iam vero Chiron, & Achillis fuit præceptor. Vnde satis constat, ambos eodem penè tempore floruisse, tametsi Aesculapius Achille paulo sit maior, quippe qui cum Argonautis Colchos adnauigarit, cuiusque filius Machaon Troiano bello cum Achille interfuit. Illud vero incussum fulmen, illaque insequuta combustio, haud penitus syncerę vitæ impollutique ingenij signa sunt. Et tamen ita natum hominem, sicuti superius dictum est, ita enutritum, ita ambustum, maiores vestri dijs alijs addiderunt, templisque ac aris eius numini consecratis, fuso libamine, ac victimarum nidore palam illi quidem coluerunt, vos autem in domesticis penetralibus nihilominus eum colitis, eiusque simulachra honore diuino dignaesse censetis. Tum & implicitum illi draconem demirati, signum id esse artis Medicæ affirmatis. Sicut enim serpens vetustatem seniumque deponit, ita & qui ægroti sunt, ope artis Medicæ morbos depellunt. Quod autem Homeri tempestate, nondum relatus in deos Aesculapius fuerit, Homerus ipse testatur, qui Martis vulnerum curatorem, non Aesculapium quidem, sed Pæonem inducit, decuit enim eius generis Deos, & accipere vulnera, & Medicis indigere. Machaonem quoque nec Dei filium, nec semidei, sed homine prognatum Homerus facit, inquit enim: Φῶτ' ἀσκληπιοῦ ἰάμ ἀμύμονα ἰητῆρα, id est: Huic homini pater est Asclepius, arte medendi Clarus, &c.

Ipsum pręterea Dionysium, qui & alio nomine Bacchus dicitur, & Homerus & Euripides & alij quàm plurimi Poetarum Semele natum affirmant. Semele autem, Cadmi censetur filia. Et tamen hunc quoque diuinitate dignati estis, quanquam mollem, effœminatum, semiuirum. Cur enim talis non haberetur, qui suppetias sibi ferentibus mercedem se daturum pollicebatur, non aurum, non argentum, sed corporis sui stuprum. Cuius quanquam tetri abominabilisque polliciti adeo certus executor fuit, vt auxiliaribus prius vita perfunctis quàm probrosam illam mercedem accepissent, ipse tamen aliam implendi promissi rationem excogitarit.* Taceo autem ficulnum veretrum, quæque circa illud mysteria, ritusque haberentur. Pudet enim ea me referre, quibus olim Græci solennitates dicarũt. Iidem profecto & Tyndarei filios Deos nominabant cognomẽto Dioscuros Ephestios, Anacas Iouis pueros, domesticos lares, præsides benignosque curatores. Illos autem sacris ædibus non Spartiatæ solum, sed Athenienses quoque dignati sunt. Horum mentionem sic Demosthenes facit: ἐν τοῦ πανδοκίου iuuene eũ esse τοῦ πρὸς τοῦ διοσκουρίου, etc. hoc est: In publico hospitio quod est iuxta ędem Dioscorum,

* Interpres eius orationis quã priorem S. Gregorius Nazianzenus contra Iulianum scripsit apostatã, ait Bacchũ olim quæritantem Semelem matrem, audisse à Polyhypno in Lernæa pa-

Leocorium verum est templum Lei filiabus dicatum. Alios item complures infelices ac miseros homunciones in Deos retulerunt, publicoque epulo acceperunt. Pythius enim Apollo, Cleomedi Astypalensi pugili diuinos honores conferri iussit, responsumq; de hoc edidit Pythia his fermè versibus:

Ὑστατος ἡρώων κλεομήδης ἀστυπαλαιεύς,
Ὀμβροσίας πιμαθ' ὡς δὴ ἔπ θνητὸν ἔοντα.

Hoc est:

Vltimus heroum Cleomedes Astypalensis,
Quem sacris colite, haud etenim mortalis habendus.

Vt autem sciatis & vos cuius rei gratia, & Iouis & dijs alijs Cleomedes pugil annumeratus sit, ipse narrabo. Hic enim cùm perduellem Athletam vno ictu in certamine percussisset, in apertum latus manu iniecta, viscera comprehendit, ludorum autem præfectis ob eximiam crudelitatem grauiter commotis, mulctamque decernentibus, ille quidem indignabundus sese inde subduxit, perque forum transiens columnam ex ijs quæ tectum porticus fulciebat impulsam protuit, eaque ruina integrum adolescentium cœtum obtexit, qui suo cum præceptore ibi fortè tunc considebat. Huius itaque tam præclari facinoris causa, Pythius Apollo eum diuis adiunxit. Hadrianum pręterea Romanorũ imperatorem ferunt puerum Antinoum in deorum numerum retulisse, temploque illi extructo edixisse omnibus imperio Romano subiectis, vt diuinis honoribus eum prosequerentur. Ipsi verò Spartiatæ hyacinthia solennitatem maximam legitimamq; habebant, quam etiam largissimo epulo celebrabant. Quid igitur viri Græci, qui defunctos tot numero homines appellatis deos, aduersùs nos indignationẽ concipitis, cùm nullos quidem nostrorum hominum referamus in deos, quanquam debitos honores Martyribus persoluamus, vt Dei testibus seruisque amantissimis? Cur & eum inquinari polluique censetis, qui ad loculos defunctorum accedat? Esse hoc extremæ ignorantiæ dixerim, maximæque dementiæ. Athenis enim sicut* Antiochus in nono Historiæ suæ libro testatur sepulchrum Cecropis in ipsa arce positũ est, iuxta Mineruam ciuitatis custodem. Ac in Larissa Thessaliæ vrbe, eiusdemque Mineruę templo Acrisium conditum esse aiunt. In Didymo autem sacro Milesiæ vrbis loco, situm esse Cleomachum Leander scribit. Zeno autem, in Dianæ Magnesiæ templo Lycophronem conditum esse. Nec desunt, qui Apollinis aram quæ est in Telmesso, monumentum esse dicant Telmessei cuiusdam vatis. Neque tamen quieos homines tunc ibi sepelierunt, opinati sunt vllum se inquinamentum aris afferre, nec qui ibidem rem diuinam faciebant, se piaculum committere existimarunt. Soli igitur vos in hac opinione versamini, cùm tamen maiores vestri tale nihil veriti suspicatique fuerint. Homerus nanque in Iliade sua testatur Achillem Pelei filium Aeaciq̃ue

lude, eo enim à Polyhypno transuectam fuisse, Bacchus aũt præmiũ huic indici pollicens corporis sui stuprũ, implere promissa nõ potuit, Polyhypno in traiectu Lernæ paludis demerso dũ pauiter per eam irent. Itaque ficulneum veretrum sibi super sceptrũ apposuit, vt ita pollicitũ præstaret memorque amatoris defuncti videretur.

* aliàs, Antiochus historicus.

cique nepotem, quodque ipsi iactatis Thetide dea prognatum, genusque ab Ioue ipso ducentem, Patrocli cadauer vlnis amplexum fuisse. Cumque illud Myrmidones ad accensam pyram efferrent, capillum sibi detondisse. Tum extincta pyra cineres collegisse, inditosque aureæ phialæ, in tentorium detulisse. Thucydides verò historicus, effusa narratione cõmemorat honores qui defunctis in bello Peloponesiaco psoluti sunt. Ait enim singulos inuenta propinquorum corpora sepulchris condidisse. Nec pretermittit quo iustorum ritu honestata fuerint quæ inueniri non potuerũt. Cyparissinos enim loculos cõmuni quadam funeris pompa alij præcedebant, alij sequebantur, alij ab lateribus constipabant. Tum & illis immanem tumulum dedicarunt, quotcunq; auium rostris canúmue rictibus aut lyncũ discerpta & absumpta fuerant. Ita & eos honestandos curarunt, qui pro patrię libertate pugnantes in campis Marathonijs ceciderunt. Quod autẽ maiores vestri etiam libamina defunctis obtulerint, conscij & vos estis qui nocte intempesta præter legum sanctiones id nũc facere audetis. Sed enim Homerus quoq; testatur. Is enim Vlyssem inducit Laertæ filiũ Circe ita fieri præcipiẽte, egesta terra, in foueã libamina effudisse, idque Vlysses Alcinoo Phæacum regi ita factum cõmemorat. Αὐτὰρ ἐγὼ ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ, etc.

Hoc est:

Hic* ego diripui vagina interritus ensem,
Diffodique solum spatio non amplius vlnæ.
Manibus ad circum stygijs libamina sacra,
Mulsa quidem primo, dehinc dulcia vina Lyæi.
Mox & aquæ latices, & adorea munera fudi.
Votaque suppliciter voui imbecillibus vmbris,
* Sub caris Ithacæ tectis, redolentia propter,
Ligna pyræ, lectæ ac sterilis bouis exta datarum.
Tiresiæ soli pecudem nigrantibus atram,
Velleribus, quæ prima gregis sit gloria nostri.
Astvbi iam manes precibus sacrisque litaui,
Tergora diripui pecudum, iugulosque reclusi,
Tum niger in foueam cecidit cruor, iuit & vna
Ex Erebo superas animarum cœtus ad auras.

* alias, Ego.

* alias, Sito neam portus Ithacæ.

Narrat præterea quo pacto animarum turba cõcursu magno festinarit ad ea libamina percipienda. Quid ego autem vobis nunc poetæ versus adduco? Aristocles enim Peripateticus Lyconem Pythagoricum testem citat, Aristotelem Nicomachi filium eo ritu mortuæ vxori rem diuinã facere solitum, quo Athenienses deæ Cereri faciebant. Atqui nos ò Græci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed vt sanctos homines deique amicissimos honoramus, tanto enim amore creatorem Deum, generisque humani vindicem prosequuti sunt, vt amabile illis fuerit pro accepta semel religione, iugulum percussori porrigerè. Quod si fortè existimatis eos sine sensu nunc esse, nec ita potius decessisse vt beati finis fructus percipiant, Pindarus hanc à vobis opinionem extrudat, quo loco hæc ait:

Ψυχαὶ δ' εὐσεβῶν οἱ ἐραγοῖς ναίουσι,
Μολπαῖς μάκαρα μέγαν αἰῶ ἐσιν ἐν ὕμνοις.

Hoc est:

Animæ piorum cœlos colentes,
Cantu beatum & magnum in hymnis canũt.

Si ergo cœlum, sedes illorum est qui pie vitam duxerunt, hunc profecto finem sui cursus & Martyres consequuti iam sunt, his enim magis pium esse nil potest. Empedocles quoque Agrigentinus, ita quorundam felicitatem commendat:

Εἰς δὲ τέλος μάντεις τε καὶ ὑμνοπόλοι καὶ ἰητροί:

&c. hoc est:

Hymnidici vates, artis Medicæque periti,
Mortales cũctos primi post terga relinquunt,
Sunt vbi dij superi magnis in honoribus auctu.

Quod si vatibus ac Medicis tantum ille honoris repensum prodidit, quid de illis dicẽdum sit, qui pro religione ac pietate, tanta fortitudinis ediderunt exempla, quibusque res actæ in vita non solum fortitudinis, sed iustitiæ, temperantiæ, ac prudentiæ fidem conciliant? Quid enim esse illis temperantius possit, qui noluerunt ab incœptis illis dogmatisque discedere, quę olim bona esse crediderũt? Quid verò sit illis etiam iustius, qui diuina munera sibi execto iugulo compararunt, suaque ipsi corpora pro eo tormentis omnibus obiectarunt, qui crucicorpus suum pro nobis tradidit? Quid verò prudentius, quid sapiẽtius dici queat ijs qui hoc consilij captauerunt, vt quæcunque sunt in hoc terrarum orbe contemnerent, velut ea quæ nihil habent stabile ac mansurum, illa autem toto pectore adamarent, quæ sermone vllo exprimi non possunt? Quid deniq; fortius eis sit, qui multa variaq; certamina subeuntes, animi constantia eos vicerunt à quibus acerrimè torquebantur? Hi sunt igitur verè hominum duces, principes, pugnatores, custodes, per quos à nobis infortunia auertuntur, proculque arcentur quæ à Dęmonibus inferuntur mala. Heracletus profecto etiam eos qui in bello occisi essent, nullo non dignos honore existimauit. ἀρείφατοι φασὶν οἱ θεοὶ τιμῶσι καὶ ἀνθρωποι. hoc est: Quos enim Gradiuus occidit, & honore dij & homines prosequuntur. Rursusque alibi: μόνοι γὰρ μέζονες μείζονος μοῖραν λαγχάνουσιν. hoc est: Soli maiores sortem habent. Hanc vero illius orationẽ, haud equidem ipse admitto. Quamplurimi enim qui sceleste vitã peregerunt, violentam mortẽ perpessi sunt. Si ergo omnes qui in bello cæsi procubuerunt, honorari conueniat, continuo vel Oedipi filijs Eteocli ac Polynici hoc à nobis præmij persoluetur, qui patre per contemptum posthabito tyrannidem affectantes, mutua in se rabie cõuersi alter alterius sanguine dextras cruentarunt. Honoribus item & Pisistratidæ honestandi erunt, ab Armodio & Aristogitone

iure optimo truci dati. Verum multo aliter fecisse Athenienses inueniuntur. Percussoribus enim statuas æreas posuerunt, eorum posteris immunitate tributorum concessa. Non sunt itaque omnibus ferro peremptis, vt Heracletus ait, honores dandi, sed ijs profecto qui pręsua in Deum pietate necem alacres acceperũt, hi nanque (vt ipsius verbis vtar) soli nimirum aucti maioresque sunt. Ideoque maiori sorte merito perfruuntur, qui nunc & à cunctis late mortalibus honores amplissimos ferunt, & æternis insigniti coronis expectãt. Verum illud Heracleti dictum valde admiror, ὅλι μένε τὸς ἀποθνήσκοντας, ὅσα ὐκ ἔλπονται, ὐδὲ δοκέουσιν. hoc est, Manere morientes homines, ea quæ neque sperant, neque expectant. Quòd autem sanctorum animæ, beati finis iucũdissimos fructus percipiant, Plato quoq; in Phędone ostendit, ait enim, ὃι δὲ δὴ ἄμ δόξωσι διαφερόντως πρός θ' ὅσιον βιῶναι προκεκρίσθαι, &c. hoc est, Qui autem videantur vitæ sanctitate præ cęteris egregij fuisse, hi sunt qui terrenis malis veluti quodã carcere liberãtur, ad supernam vero puram illam habitationem perueniunt. Paulo vero mox & hoc addidit, μὴ εἰς οἰκήσεις εἶι τοῦτων καλλίους ἀφικνοῦνται, etc. hoc est. Ad habitacula vero multò his quoque pulchriora perueniunt, quæ neq; facile ostendi possunt, neque mihi ad hęc explicãda nunc tempus datur. Ne quis vero cùm hæc dici audiret, desiderio illus diuinæ vitę succensus, æquum sanctumque existimaret, violentas sibi manus inferendo, sese ipsum de hac vita extrudere, necessario addidit, ὃ δεῖ δ' αὐτὸν ὐκ τωύτης λύειν, etc. hoc est. Nefas est autem sese ipsum quenquam de hoc soluere habitaculo, fugamq; hinc arripere, atque vt paucis dicam, malam esse materiã arbitrari. Ait vero posse animã cùm seorsum ad sese ipsam receperit veram consequi sapientiam, maioremque humana virtutem ac facultatẽ, quandocunque videlicet amor hinc eã subuolare fecerit per Philosophicam vitam ad terminũ suę spei profectam, vbi alterius vitæ sempiternum principium capiat. Rursusque in eodem Dialogo ita inquit: μετὰ ἀγαθῆς μὲν ἐλπίδος τὰς καλὰς ψυχὰς ἐνθένδε ἀπιέναι, etc. hoc est: Optima quidem cũ spe bonas hinc animas proficisci, at qui mali sunt homines, pessima inquit cum spe viuunt. Idem Plato Philosophiam, mortis meditationem esse dixit. κινδυνεύουσι γὰρ, φησὶν, ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας, λεληθέναι τοὺς ἄλλους, etc. hoc est. Qui, recte inquit, Philosophiam attingunt, in eo sunt discrimine, ne videlicet homines alios lateant, quandoquidẽ nihil aliud curant studentque, nisi vt moriantur, mortuique iam sint. Hęc itaque omnia in Phædone Plato conscripsit, in decimo autem reipublicæ suę libro sic inquit: τῶν δὲ δὴ ἀποθανόντων ἐπὶ τρατιᾶς ἀεὶ ἑπόμενον μὲν τὸ χρυσοῦ γένος εἶναι φήσομεν ὃς ἂν εὐδοκιμήσας τελευτήσῃ, etc. id est: Ex ijs autem qui in expeditionibus perierunt, quicunque laudatus interijt, nónne aurei generis esse primum dicemus? Pauloq; mox, τί δὲ, ὃ μέλλομεν τὸν λοιπὸν χρόνον ὡς δαίμονας γεγονότας, ὅτω θεραπεύειν τε καὶ προσκυνεῖν αὐτῶν τὰς θήκας etc. hoc est. Quid autem, an non in posterum, perinde ac dæmones illi fuerint, eorum colere sepulchra atque adorare debemus? Idem vero nobis faciendum esse existimabimus, quoties vel senio cõfectus, vel alio mortis genere obierit, qui dum viueret egregiæ bonitatis homo habitus sit. Sed & in Cratylo sententiam hanc Plato latius explicuit. Laudat enim Hesiodum Poetasque alios qui dicunt bonum hominem vita perfunctum, eximiæ sortis gradum, maximosque honores apud immortales deos accipere, fierique dæmonem, hoc est, scientem, à prudẽtia videlicet orto cognomine. Hoc eodem in loco & ipse sciẽtem hominem colloco. Hesiodus vero de aurei generis hominibus ita cecinit.

Αὐτὰρ ἐπειδὴ τοῦτο γένος καταμοῖρ' ἐκάλυψεν,

&c. hoc est:

At postquã genus hoc terra mors obruit alta,
Dæmones hi sancti terrestres rite vocantur.
Custodes hominum, nostra hæc quibus omnia curæ.

Quod si Poeta Hesiodus auxiliares custodesque mortalium eos vocat qui sanctè olim beneque vixerunt, eamque Poetę huius sententiam Philosophorum optimus adeò confirmauit, vt eorum hominum sepulchra colẽda esse atque adoranda censuerit, quid ita quæso, boni viri, quæ ipsi facimus, accusatis? Nos enim pari modo eos qui illustri pietate viguerunt, próque ea iugulati ac cæsi sunt, & auxiliares, & medicos nominamus, at non dæmonas tamen, absit à nobis, absit hic furor. Sed amicos Dei fidelesque seruos fuisse dicimus, dicendi libertate maxima vsos, dũ certissimum bonorum prouentum nobis prænuntiarent. Id quod etiam vobis Philosophorũ princeps in sua Epinomide ita significat: ὅ φημι ἓν δυνατὸν ἀνθρώποις μακαρίοις τε καὶ εὐδαίμοσι γενέσθαι, etc. hoc est: Haud sane dixerim posse homines beatos ac felices euadere, paucis exceptis, donec viuimus, ita decerno. Bona est autem spes morienti, omnia consequi. Hæc autem, perquam similia sunt ijs quæ in sacris monumentis legũtur: μὴ μακαρίσῃς ἄνδρα πρὸ τελευτῆς αὐτοῦ, etc. hoc est: Ne beatum quenquam feceris ante obitus sui diẽ, et φῶς δικαίοις Ἁλὸς παντός, hoc est: Vsquequaque lumen est iustis, & iustorum animæ in manu Dei sunt, & quæ sunt his similia. Solere autem mundi rectorem Deum iustos homines dum sunt in vita, iniurijs, conuitijs, verberibũsque subijcere, idem Plato in republica sua testatur: ὅτω γὰρ φησι διακείμενος ὁ δίκαιος αἰκισθήσεται, etc. hoc est: Iustus enim ita præparatus, cædetur, torquebitur, colligabitur, oculos eruetur, cuncta denique perpessus, postremo etiam suspendetur. Sunt itaque miserrimi, qui cęteros mortales talibus damnis afficiunt, felicissimi vero, qui ea perpetiuntur. Posse autem sanctorum animas vel cum extra corpus

corpus hoc fuerint hominum curare negotia, Plato etiam in vndecimo legum libro hisce verbis affirmat, εἴς τινα γὰρ ἔμ μοι καιρὸν φαινόμεθα τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις διεξελθεῖν, etc. hoc est: Opportunè itaque admodum ea quæ superius tractata sunt, loquuti videmur, animas videlicet defunctorum vel postquam ex hac vita excesserint, quæ inter homines fiant, curare posse. Sermones ergo qui de hisce rebus habentur, veri ac beati sunt. Credendum verò est & alijs quoque narrationibus quæ eadem nobis tradunt, ita illæ quidem & antiquę & multæ sunt. Credendum præterea & ijs qui leges tulerunt, ita hæc se habere. Cùm itaque Philosophus credendum esse rumoribus censeat, vos tamen non solum nobis fidei nil habetis, clamantemq; euentorum vocem audire non vultis. Sed ne vestro quidem Philosopho credendum esse existimatis, cùm tamen is planè affirmet sanctorum animas etiam corporibus exolutas, humanarum rerum statum curare. Decet autem profectò quantumcunque est hoc honoris ac præmij eos adipisci qui res diuinas totis præcordijs adamarunt, quique ad vsque supremum vitæ diem in ijs perstiterunt incœptis, quæ olim ab initio præoptarunt, neque passi sunt eam cui sese addixerant, stationem relinquere. Hunc Plato sermonem & in Apologia cõfirmat, sic enim ait: ὅτω γὰρ ἔχει ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τῇ ἀληθείᾳ etc. hoc est: Ita enim profecto res habet ò viri Athenienses, quo se loco quispiam collocarit, arbitratus optimũ illum esse, aut in quo sit ab ipso principe constitutus, in eo quantũ equidem sentio, permanere illum oportet, identidem animo reputantem, nullum sibi maius aliũdè discrimen, ne à morte quidẽ ipsa, quàm à turpitudine imminere. Pauloque post, θ' γάρ τοι θάνατον δεδιέναι ὦ ἄνδρες, etc. hoc est. Mortem enim timere ò viri Athenienses, aliud nihil est quàm videri quenquam sapientem qui reipsa non sit. Rursusque paulo post, πρὸ γοῦν τῶν κακῶν ὧν οἶδα ὅτι καλὰ ἔστι, &c. hoc est. Præ illis autem malis quæ scio penitus mala esse, non timebo ea nec fugiam quæ haud satis scio an & bona esse contingat. Iterum et hæc amplius, πάνυ γὰρ ἄλλα εὐδαιμονέστεροί εἰσιν οἱ ἐκεῖ τῶν ἐνθάδε, etc. hoc est. Quod ad cætera quidem pertinet, beatiores sunt qui illam, quàm qui hanc incolunt regionem, reliquo enim tempore sunt immortales. Platonis etiam sunt ò amici homines, ea quæ nunc nobis contemplanda proponam, ἐμὲ γὰρ οὐδὲν βλάψειαν ὅτε μέλιτος ὅτε ἄνυτος, etc. hoc est. Mihi enim neq; Melitus neque Anytus quicquam nocebunt. Neque enim nocere poterunt, fas enim esse non puto, vt qui melior homo est, à peiore detrimentum accipiat. Interficere me illi quidem fortasse poterunt, aut ciuitate exigere, aut in contemptum adducere, verum hæc ipsa, alij atque alij fortasse mala esse existimant, ego autem mala non puto, sed multo maius esse malum opinor, ea facere quæ hic nunc facit, qui videlicet hominem præter fas aggrediatur occidere. Hæc itaque Socrates, atque in ipsa maximè capitali causa philosophatus est, sicut & Plato commemorat, neque tamen est honores consequutus, quos Martyres Christi cõsequutos videmus. Nam nec illi templum arámue extruxerunt, nec locũ aliquem consecrarunt, nec solennem festiuitatem dixerunt, qui illius interfuere sermonibus, sed in honoratum passi sunt esse, quanquam sapientem scirent fortemque hominem. Iniusta ille quidem nece sublatus est, haud tamen vera nec pura pietate præditus fuit. Plurima enim huic quoque ex eo errore commixta erant, qui tunc terrarum orbem occupabat. Vnde factum puto, vt vita perfunctus nullo dignus honore habitus sit. Sed neq; Anaxarchus ille qui cùm pistillis ferreis tũderetur, Tunde, inquit, Anaxarchi peram, neque enim Anaxarchũ contundis, hoc honoris est consequutus. Non Zeno etiam Eleates: ille, inquam Zeno, qui cùm cogeretur proferre coniurationis secreta, cõstantissimè tormentis omnibus restitit nihil effatus, vtq; ait Eratosthenes in ijs libris quos de malis bonisq; conscripsit, timens ne victus excessu tormentorũ proderet aliquid ex compositis rebus, consciosq; coniurationis nominatim efferret, linguã dentibus abscissam in tyranni faciem conspuit. Quod ipsum & Theodotũ Pythagoricum fecisse aiunt, Paulumq; præterea Lacydę familiarẽ, vt testis est Pergamenus Timotheus in libro de Philosophorũ fortitudine. Idemq; Achaicus in Ethicis libris affirmat. Nullus tamen eorũ, quo Martyes, honore digni sunt habiti. Neque itẽ illi quibus illustria & celeberrima excitata sunt virtutis trophęa, Miltiades, Cimon, Pericles, Themistocles, Aristides Lysimacho natus patre. Hic vero nõ modo fortis patriæ propugnator, sed iustissimus quoque homo est habitus. Verum neque hic, neque Spartanus Brasidas, non denique Agesilaus, non Lysander qui dissoluit Atheniensium potentatum, non Pelopides Bœotorum princeps, non Epaminondas qui Laconicam deuastauit, ausus ad vsque Spartana mœnia hostilem exercitum admouere, non Romanorum præclarissimi imperatores, non Scipionum maior, non Brutus illum nomine Brutum referens qui Tarquinios Roma exegit, non Cato, non Sylla, non Marius, nõ Pompeius, non ipse Cæsar. Hi enim ductandis exercitibus egregiaque in gerendis bellis fortitudine viguerunt, neque sic tamen, quali Martyres, honore affecti sunt. Quid ego autem bellicos duces commemoro, cùm ne ipsi quidem reges habitabilis terræ, ita vnquam honestati cultique fuerint? Non Cyrus, non Darius, non Xerxes, non Philippi filius Alexander, insignes enim duntaxat clarissimosque propono. Non itaque Augustus, non Vespasianus, non Traianus, non Hadrianus, non Antonius. Attamen hi omnes cùm viuerent illustres conspicuique fuerunt, victoresque deuictis barbaris pompas miserunt, solennitatesque celebrarunt. Mortui tamen, nihil à multitudine differunt. Neque enim conditi sunt insignibus

monumentis, neque publico epulo festiuitatis annuæ honestátur. Quis est enim homo, qui sepulchrum Xerxis, Darijúe cognorit? Quis Alexandri illius qui exiguo tempore tot barbaras nationes bello perdomuit? Sed quid ego tam antiquos reges commemoro, cùm ne Augusti quidem Cæsaris tumulus aliorúmue supersit qui post eum Romanum imperium moderati nesciérunt tantę ditionis datorem Deum, soli vero adhuc extare cernantur imperatorum eorũ tumuli, qui pij cultores Dei fuerunt? Quòd si qui tamen & illorum apparent qui profani homines impijque regnarunt, at nullo prorsus in honore habentur, neque solum carent imperiali, sed multo etiam minus quàm sepulchra priuatorum hominum honorantur, cùm tamen eorum stultiores quidam deos sese declararint, sibique ipsis adhuc viui templa construxerint. Nam & Antiochus Deus vocatus est, & Caius qui Tyberio imperatori successit. Vespasianus quoq; & Hadrianus, sibi templa ingentia excitarunt. Verũ & vitali simul aura & impio honore priuati sunt. Martyrũ verò templa, conspicua cernuntur, magnitudineq; præstantia, omni pręterea ornatus genere variata, splendoremque quodãmodo pulchritudinis suę latè fundẽtia. Neque vero hæc per annum semel, aut bis, aut quinquies aduentamus, sed in eis sæpenumero dies festos peragimus, sæpe diebus singulis eorũ Martyrum Domino laudes hymnosque cantamus. Quiq; homines prospera sunt valetudine, conseruari eã sibi à Martyribus petunt, qui vero ægritudinem aliquã patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri & mulieres, dari sibi filios petũt, qui vero parentes sunt, integra sibi & propria custodiri quæ consequuti sunt, dona. Item qui peregre aliquo proficiscuntur, petunt martyres sibi comites esse in via, vel potius itineris duces, qui vero iam sospites redierunt, gratias agunt, acceptũ beneficium confitentes. Non qui se ad deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres tanquã diuinos homines, intercessoresque sibi eos apud Deum aduocẽt ac precentur. Pie vero fideliterque precatos ea maxime consequi quæ desiderant, testantur illa quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij vero pedũ, alij porrò manuum simulachra suspendunt, ex argento auróue confecta. Gratissime nanq; accipit eorũ Dominus qualiacunq; sunt dona, nec exigua nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaq; omnium spectaculo exporrecta, testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitate consequutis allata, hæc, inquam, sepulchrorum ibi Martyrum quæ sit virtus ostendunt. Martyrum autem virtus quem ipsi coluerunt Deum, verum esse Deum declarat. Age enim, quæso, animo reputemus quinam fuerint, quóue orti loco, quos tanto munere, tantoq; honore Deus dignatus est. Num fortè illustres quidam, clarique homines qui se generis nobilitate iactarint, an qui diuitiarum copia circumfluxerint, potentatúue vt aliquo celebres facti sint? Minime quidem gentiũ. Nihil enim illi horum habuerunt, sed priuati homines gregarijque fuerunt. Nonnulli vero ipsorum, tenuem seruitutem famuli ancillæq; seruierunt, quæ tamen infirmis admodũ corporibus generose certarunt, aliæ summa cum castitate matrimonij iugum trahentes, aliæ verò nuptias nondum expertæ. Audio ego verò nonnullos è scenico genere hominum repente immutatos, in athletarum nostrorum ordinem transijsse, factosq; tormentorũ victores, ac iam coronam Martyrij consequutos post celebratã victoriam magno eos dæmonas concussisse terrore, quibus olim subditi ipsi fuerant. Ex quo factũ est, vt ex ijs multi sacerdotes æditiq; templorum egregia sibi, contra impietatem trophæa sustulerint. Ex ijs itaque viris ac mulieribus, cõstituti sunt Martyrum chori. Ac Philosophi quidem præclarique Oratores obliuioni iam dati sunt, imperatorum vero ac magnorum ducum ne nomina quidem multi hodie norunt, cùm tamen Martyrũ nomina, magis quàm familiarium, cuncti mortales sciant. Quin etiam nascentibus filijs ea imponi curant, ita custodiam illis tutelamque certissimam comparantes. Sed quid ego Philosophos, imperatores, ducesq; commemoro, cùm eorum quoq; qui passim dij ferebantur memoriam è mente hominũ Martyres aboleuerint? Eorum nanque templa, vnà cum suis lucis sic destructa iam sunt, vt ne vlla quidem vestigia superent, nedum qua forma illorum aræ constiterint scire homines possunt. Earum verò rerum materia, templis arisque Martyrũ excitatis expiata est. Suos enim mortuos Dominus Deus noster, in templa pro dijs vestris induxit. Ac illos quidem cassos gloria vanosq; reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit, pro Pandijs enim Diasijsque, ac Dionysijs, hoc est, Iouis, Lyberique patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, alijsque sanctis Martyribus solennitates populari epulo peraguntur. Proque illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate ac impudentia, fiunt modestæ, castæ ac temperantiæ plenę festiuitates, non illæ quidẽ mero delibutæ, non commessationibus leues, non cachinnis solutæ, sed diuinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ. In quibus ad Deum preces non sine sanctis lachrymis ac suspirijs summittuntur. Cùm itaque talem tantamque vtilitatem ex Martyribus honore collato prouenire homines videatis, fugite, quæso, errorem dæmonum, præuióq; ductu Martyrum facibusque vtentes, viam capessite, quæ ad Deum perducit, vt immortali æuo illorũ choris & præsentia perfruamini.

OCTAVI LIBRI FINIS.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS LIBER
SEV SERMO NONVS, DE LEGIBVS.

VOS quidẽ viri Græci elegantes cõptosque sermones audire percupitis, quærentes his quàm maximè permulceri. Vbi vero tales non inueniatis, risu effuso eos contemnitis ac maledictis incessitis, quin etiã obstructis auribus, quæ dicuntur audire non vultis. Contrà vero animaduertere vos oportuit, ita vsu euenire, vt ea quæ sunt quàm maximè pretiosa, cuncta ferè vili materia integantur. Videre siquidem est pretiosum vnionem, quales ampli ac magnifici viri apud se esse desiderant, aspernabili admodum testę innasci, eademque nutriri, augescere, occultari. Qui vero eum sibi coemunt, auri plurimum persoluentes, missam faciunt testam. Pręterea vero pellucentes gemmas, ornandisque regijs capitibus destinatas, aliud genus lapidis extrinsecus circumuestit, despicabilis ille quidem atque inutilis. Qui ergo eas gemmas expoliunt, ad ornatumque concinnant, superfluam illam testam nihilique pendendam circumamputantes abradentesque, nitorem lucentium lapillorum detegunt & expediunt. Aurum quoque quod passim à multitudine peramatur, ipsumque præterea æs, ferrum, argentum, terra atque arena obtegitur, verum qui auri venas argentiúe rimantur, metalla quidem effodiunt, ramenta vero sibi & minutias colligunt, postquam vero impressis notis aurum iam signatum est, incussúmq; imperatoris characterem accepit, non illud aurei loculi, sed thecæ vel ex corio vel ex marmore confectæ inditũ seruant. Iure igitur factum est, vt verissimas de diuinis humanisq; rebus traditiones, non illustres eloquentia tumidique sermones, sed simplices humiléisq; ac omnibus mortalibus noti prędicent, magnúmq; adeò ineffabilémque thesaurum viles admodũ thecæ despicabiléque circunferant. Quantum autem roboris, quantúmque virtutis insitum habeant, facile is inspiciet qui Græcorum legislatores ac Romanorum in medium proferat, ijsque nostros piscatores ac publicanos in comparationem adducat. Inueniet enim illos ne finitimis quidem persuasisse, vt ad suas leges vitam instituerent. Contrà autem * Galilæos, nõ solum Romanos Græcósque, verum etiam cunctas barbaras nationes ad amorem legis Euangelicæ traduxisse. Ac Minos quidem, qui, vt est in fabulis, Ioue genitum sese iactat, eiúsque antrum sæpius frequẽtando (sic enim fabulantur) hoc prætextu acceptas à patre leges mentitus est, ipsis Cretensibus leges tulit. Tamen nec Siculos, nec Carthaginenses, nec Græcos induxit, vt à se latis legibus rempublicam gubernarent. Solam verò Cretam, cuius ipse rex erat, ad eas leges accipiendas coegit. Neq; tamen hoc ad perenne tempus impetrauit. Ex quo enim Romani rerum potiti sunt, Cretes quoque Romanis legibus sese regunt. Fertur præterea Charondas quidam, primus Italis Siculisq; ciuitatibus leges tulisse. Verum is nec Tyrrhenis, nec Celtis, nec Iberis, nec Celtiberis, quanquam contermini confinéisq; essent, persuadere potuit latas à se leges accipere. Quid ego autem confines dico, cùm ne illi quidẽ, qui tunc eas leges coluerunt admiratique sunt, eis nunc legibus viuant? Romanorum enim iugum hi quoque iam subierunt. Zaleucus verò Locrensibus leges tulit, docente Minerua iuris scientiã consequutus, vt illi aiunt qui comminisci fabulas consuerunt. Sed neque Acarnanes, neque Phocenses, neque Locrenses * alij, sese ijs legibus subdiderunt, tametsi haud procul remotã regionem incolerent, sed propinqui admodum essent. Lycurgum porrò aiunt, qui authoritatem conciliare suis legibus student, sese Delphos ad Apollinem Pythium contulisse, cuius spiritu afflatus leges Lacedæmonijs tulerit. Oraculum præterea huiusmodi adducunt, quod de Lycurgo protulisse Apollo Pythius dicitur:

Ἥκεις ὦ λυκόεργε ἐμὸν πότι πάτιόν νηόν, etc.

hoc est:

Qui mea nuper adis hæc pinguia templa Lycurge,
Chare Ioui, & superas cunctis habitantibus arces,
Sis vter inquiro deus an mortalis habendus,
Sed magis esse Deum credo, qui limina nostra.
A duenias, legum cupidus, iustique tuendi.
Protinus ipse tibi leges dabo.

Tale itaque de Lycurgo oraculũ protulit Pythius. Nec tamen illustris huius latoris gloria, nec Spartanus splendor, nec Pythij responsum, coegit vel Argiuos, vel Tegeatas, vel * Mantineos, vel Corinthios vel de illis propinquos, ad Lacedæmonum leges suam quenque rempublicam moderari. Atque vt de alijs taceam, Phliasij quidem oppidum perexiguum habitant, semper autẽ fuere Lacedęmonũ amicissimi, cum quibus in eandem societatẽ fœdusque coierant. Merebant ergo sub Lacedęmonijs ducibus, sempérque in bellis gerendis sociam operam conferebant, minus autem Laconum legibus vtebantur. Vtque alios legum latores prætermittam, videlicet Apin Argiuorum, Mnesona Phocensiũ, Demonacta Cyrensium, Pagondam Achæorum, Cni-

Locri Opuntij in Græcia, Locri Epizephyrij in Italia.

aliat, Mantineos, tices.

i. Christianos, sic enim eos & Iulianus apostata vocitabat.

diorum Archian, Eudoxum Milesiorum, Philolaum Thebanorum, Pittacum Mytilenensium, Nestorem Pyliorum, cuius melle dulciores Homerus esse sermones dixit. Vt hos, inquam, cęterosq; legum latores silentio transeam, celebratissimus ille Solon, Draco præterea & Clisthenes Athenienſibus quidem leges tulerunt, neque tamen Atticis vti legibus, vel Megarenses, vel Euboicos, vel Thebanos conterminos ac propinquos suos, persuadere Athenienses viri potuerunt. Quin ipsi quoque Athenienses ijsdem legibus omisisis, Lacedæmonij præterea & Locrenses, cum Thebanis Græcisque alijs, Romanorũ legibus viuunt. Romani quoque, barbarorum legibus Græcorumq; congregatis, habito optimarũ delectu, subditas sibi nationes eis seruire legibus coegerũt. Illos tamen qui Romano subesse imperio noluerũt, nec vi, nec suasionibus adegerunt vt Romanis legibus viuerent, imò autem permulti, qui frenũ Romani imperij acceperunt, viuere noluerunt illorum legibus. Neq; enim Aethiopes qui sunt Aegyptijs Thebis contermini, neque multæ item Ismaeliticæ nationes, non Lazi, non Sanni, non Auasgi, non quamplurimi alij barbari Romanorum dominatu accepto, vllis Romanis legibus in conuentionibus suis vtuntur. At nostri illi piscatores ac publicani, sutorq; ille noster, cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neque solum Romanos, quiq; sub Romano viuunt imperio, sed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Aethiopas, Persas, Seras, Hyrcanos, Britãnos, Cimmerios & Germanos, vtque semel dicatur, omne hominum genus, nationesq; omnes induxerũt Crucifixi leges accipere, non armis vsi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Persicæ violentia, sed verborũ suasu, ostensa legum quas prædicabant vtilitate. Quod sane ipsum nec sine magno quidem suo periculo faciebant, sed in singulis ciuitatibus frequentes passi iniurias, flagráque passim à quouis hominum genere subeuntes, dũ torquentur, colligantur, omnem denique crudelitatis speciem patiuntur. Benefactores itaque homines salutaresque Medicos, tanquam insidiosos & inimicos, alij quidem procul *arcere, alij lapidibus petere, alij manicis ac pedicis colligare, atque eorũ alios tympanis extendere, alios palis infigere, alios bestiarum dentibus obiectare. Itaque latores quidem legis ipsósque præcones perdere illi & confodere potuerunt, legum tamen vim dissoluere atque abolere non potuerunt. Multo enim illæ valentiores vel post necẽ latorum apparuerunt. Illis nanque iam vita perfunctis, ad Scythas, ad Persas, barbarasque alias nationes ipsæ leges facile penetrarunt. Omnibusque contra reluctantibus, non solum barbaris, sed Romanis rerum dominis, illæ tamen in eodẽ semper robore permanserũt, omnemq; funem (quod dici solet) commouentibus Romanis, vt piscatorũ memoriã nostrique sutoris extinguerẽt, illustriorem illã clarioremque reddiderunt. Ac Lycurgi quidem leges, Solonis, Zaleuci, Charondæ, Minois, aliorúmque latorum, cessare ac posthaberi iusserunt, nullusque eorum hominum qui legibus illis viuebant, reluctari est ausus. Eorum itaque qui olim celeberrimi legum latores fuerãt, memoria prorsus extincta est. Romanæ autem leges, Græcorum ciuitates moderantur. Cessat enim apud Athenienses Areopagus & *Heliæa & iudicium quod in Delphinio habebatur, quingentorũq; senatus & vndecim viri, cessant legum ceremoniarumque magistri, cessat belli præfectus, cessat annuus princeps. Quorum alioqui nomina paucis duntaxat cognita sunt, qui in veterum Historiarum monumentis versantur. Sed neque apud Lacedæmonios est videre patrio ritu hospites è finibus pelli, non captiuos ac spurios seruitutem seruire, non eos asseri in libertatem, quos ipsi neodamodes vocabant, non denique ex Lycurgi legibus licenter pueros adamari, neque cuiquam fas esse mutuo abusu nuptias violare. Lycurgus enim ille qui Græcorum sapientium iudicio censetur optimus legum lator, suis in legibus scriptum reliquit, vt aiunt qui de republica Lacedæmoniorum scripserunt, licere eis qui nuptiale iugum subierunt, viris quidem ex alienis vxoribus, fœminis autem ex alienis maritis sibi filios comparare, ita sese impunè licenterq; commiscentibus. Has verò Lycurgi leges & Plato admiratus est, quamq; ipse ciuitatem instituendã suscepit, his gubernari iubet. Sed nos philosophum Platonem, quẽ & Philosophorum & eorũ qui tulerunt leges, iactant optimũ esse, ad extremum cõfutationis locum reijciamus. Nunc verò Pythiarum legũ (nihil enim refert easdem & Lycurgicas appellari) refellamus infirmitatem. Simul enim Romani iusserunt has cessare leges, & suas accipi. Ergo inexpugnabilis illa via Lycurgicarum legum soluta est. At legũ quas nostri piscatores ac publicani, quasq; sutor tentoriorũ tulerunt ac promulgarunt, non Caius, non Claudius, dissoluere potuerũt, nec qui eis Nero successit, hic enim, tametsi duos optimos legislatores sua immanitate prostrauerit, Petrũ nanque ac Paulum interfici iussit, at certè quas illi promulgarunt leges, minime sustulit. Non denique Vespasianus, non Titus, non Domitianus, quanquam multis ac varijs machinationibus eas oppugnare contenderit, multos enim de medio sustulit qui se legibus illis addixerant, omne tormentorum genus contra eos intendens. Traianus insuper atque Hadrianus, magno se apparatu contra eas leges instruxerunt. Ac Traianus quidem, Persarum potentatum dissoluit, Armeniosq; Romanorum freno subiecit, Scythicas præterea nationes compulit sceptris suis parere. Piscatorũ tamen, nostrique sutoris abolere leges non potuit. Hadrianus verò, vrbem Iudęorum à quibus crucifixus est Christus, totam diruit & euertit. At eos qui in Christum crediderunt, abducere à Christi seruitute nõ potuit.* Antoninius quoque qui Hadriano successit, quique ex

*pro arcebãt ersic de alijs.

*Curiæ quædam apud Athenienses sic dictæ

*Hic est Pius.

que ex eo genitus est * Verus, quàm plurima trophæa deuictis barbaris excitarunt, libertatemque adamantibus populis iugum Romanæ ditionis imposuerunt. Neque tamen eos qui lubentes Christi iugum ferebant, aut vi, aut suasionibus impulerunt missum facere quem tantopere diligebant, cùm tamen illos & minitando terrerent, & irrogatis supplicijs cruciarent. Atque vt Commodum,* Maximinianumq; silentio transeam, cæterosque item imperatores qui ad Aureliani tempora, Carinique regnarunt, quis ignorat quæ Diocletiani, Maximiani, Maxentij, Maximini, Licinijque fuerit contra Christianam pietatem insania? Neque enim singulos Christianos binósue aut ternos, sed simul plurimos oppugnabant, eorúmque nunc mille, nunc dena millia trucidari iubebant. Quibusdam verò in ciuitatibus, differtas viris, pueris, mulieribúsque Ecclesias incenderunt. Quódque magis indignum est, in ipso salutiferæ passionis die, quo & passionis & resurrectionis memoriam celebramus, omnes Christianorum Ecclesias in Romani imperij finibus destruxerunt, lapidum illi quidem structuras compagésque demoliti, in Christianorum vero pias animas potestate nulla vsi. Quę autem aduersum Christianos Apostatæ Iuliani temporibus audacissimè gesta sint, norunt omnes etiam tempestate nostra paulo seniores. Audiuimus verò & nos temporum illorum tragœdias, illis narrantibus qui viderunt. Cęterum hi tot numero imperatores, tantáque dominatione orbem gerentes, contusis barbarorum animis, clari bellicis victorijs atque illustres, manualium tamen artificum, rudiúmque hominum & pauperrimorum, mulierúmque lana & tela victum sibi quærentium, potentes minime fuerunt, quanquam aduersus eos machinamentis omnibus vsi fuerint. Quid autem grandiores natu viros dico ac mulieres, cùm ne adolescentes quidem prima literarum elementa perdoctos, à Dei cultu nostrique seruatoris, summouere potuerint. Itaque Corybantium more capita præ furore iactantes, inciti rabie, technisque ac veteramentis vsi quamplurimis, piscatorum leges non dissoluerunt quidem, sed multo validiores oppugnando eas reddideruut: planéque illis perimiles inuenti sunt, qui flammam quidem restinguere concupiscunt, oleum verò fatui instillantes, ardentiorem illam efficiunt. Etenim hi quoque contra pietatem bello suscepto, piæ veritatis robur manifestius declararunt. Ac veluti quondam rubus ille quem vidit Moses, ardore ignis non est absumptus, ita nec Christianos impiorum bellis petitos, tela hostilia consumpserunt. Quin potius sicut lignatoribus syluam cædentibus multo plures pullulant propapines ab radicibus, quàm sint rami qui inciduntur, ita nunc quoque pijs compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam Euangelicam accedebant, cruórque ille cæsorum corporum, irrigatio quędam erat nouis in Ecclesia emergentibus plantis. Cuius rei fidem ea nobis faciunt quæ nunc videmus. Infinita enim proportione, qui nunc Christianæ fidei titulo decorantur, eos excedunt qui priscis olim temporibus in Christum crediderunt. Eorum siquidem filij qui Christianam fidem acerrime oppugnarunt, parentum insaniam rabiémque pertæsi, ad eorum acies transfugerunt, quos à suis parentibus oppugnari videbant. Ex quo factum est, vt impios gentium ritus euanuisse cernamus, sempiternæque obliuioni traditos esse: Piscatorum vero doctrinam longe latéque pollere, quémque illi prædicarunt haberi vniuersorum Deum. Plenæ sunt autem ciuitates, plenæ sunt villæ hominum in Christum credentium. Montani quoque vertices, ab eo quo tenebantur errore, liberati iam sunt. Vbi enim prius obscœnę aræ dæmonum præstigijs impostorísque seruiebant, ibi nunc insident Monachorum chori, qui Christum crucifixum, patrémque illius Deum, ac spiritum sanctum laudant. Si quis autem existimat piscatorum doctrinam, imperatoribus ad fidem Christianam conuersis, robur atque incrementa sumpsisse, vel hoc maximè argumento ostendit quanta vis eius doctrinę fuerit, neque enim immutata voluntate traditas à maioribus suis leges veteráque rerum monumenta, atque inolitam consuetudinem vnà cũ patrijs institutionibus contempsissent, nisi veritatem Christianæ legis admirati, aduersus ea omnia indignationem atque odium concepissent. Cur autem non memoria repetitis illata Ecclesiæ bella? Inde enim profecto diluetis omnem istius vestræ opinionis errorem. Si enim tot tantíq; imperatores omni contentione contra pietatem pugnantes, cunctis illatis machinis, ne minimam quidem vexationem illius mœnibus attulerunt: fit continuo vt stolidus ac planè stupidus homo sit, qui non putat diuinam esse piscatorum virtutem, sed imperatorum potentia opinatur auctam fuisse. Atque vt hoc ipsum vobis clarius illucescat, audite obsecro qualia nuper facinora Persæ sunt ausi. Quod enim illi crudelitatis genus in Christianos commenti non sunt? An non illi tergora diripuerunt? Non pedes manúsque abscíderunt? Non aures naréſque obtruncarunt? Non ad excessum doloris vincula arctissima inuenerunt? Non foueas, non loculos excauarunt, eósque vbertim prius melle perunctos, muscarum copia, maximisq; & aculeatis crabronibus impleuerunt, qui colligatos figerent morsibúsque absumerent? Et tamẽ cùm tot cruciatus, multóque etiam plures aduersum Christianos commenti essent (mos siquidem illis erat, verberibus cædere, mutilationibus obtruncare, perdere modis omnibus & corrumpere) fidei thesaurũ furari certè non potuerũt. Atq; alijs quidem suis legibus succũbere adegerunt subditos sibi homines, at eis qui in Christũ credebant, non persuaserũt abdicationem legũ, quas à piscatoribus Galilæis acceperant. Persicæ itaq; nationes, quæ iam-

*Verus hic æquo iure cũ M. Antonino imperium administrauit.

*Maximinũ puto legendũ qui apud Aquileiam cũ filio interfectus est.

iampridem Zaradæ legibus regebantur, matrum, fororum, filiarum connubijs, ſuſq; deque commixtæ, remq; iuſtiſsimam arbitrantes id quod erat facinus iniuſtiſsimum, audita piſcatorum lege atque accepta, Zaradæ leges vt iniquitatē maximam conculcarunt, Euangelicamque temperantiam protinus amplexæ ſunt. Quique prius, edocente illo, didicerant mortuorum corpora canibus diſcerpenda volucribuſque porrigere, nunc ex quo credere in Chriſtum cœperunt, ab huiuſmodi immanitate abhorrent, ac terræ mortuos ſuos infodiunt, neque curant principum leges, quibus id fieri prohibetur, neque tortorum ſæuitiam perhorreſcunt, magis enim timent Chriſti iudicium. Cumque præſentia cuncta irrideant, ſomniare magis gaudent quæ non videntur, eaque demum reuerentur ac timent. Has itaque nouas leges acceperunt à promulgatoribus Galilæis, quique non timuerunt Romanorum potentiam, ſeſe vltro Crucifixi hominis imperio ſubdiderunt. Atque vt ij Romanis legibus viuerent, neque Auguſtus ipſe impetrauit, neque Traianus qui Perſarum regna ſubuertit, & tamen Apoſtolorum monumenta Perſæ homines, tanquam cœlitus allata fuerint, venerantur, indigenæque aduenarum atque externorum hominum ſubiecti legibus viuunt. Maſſagetæ vero, miſerrimos eſſe homines arbitrati, qui alio mortis genere quàm violenta nece decumberent, quique idcirco legem de mactandis ſenibus comedendiſque tulerunt, poſtquam piſcatorum leges, ſutorumque acceperunt, abominabiles illas dapes ac hoſtias pertæſi ſunt. Tibareni quoque, ſoliti olim ſeniores ab altiſsimis rupibus dare præcipites, legem iniquiſsimam conſciderunt Euangelica lege accepta. Neque amplius Hyrcani, neque ipſi etiam Caſpij canes alunt hominum cadaueribus. Neque Scythæ vnà cum mortuis hominibus viuos infodiunt, quos olim viuentes illi dilexerant. Tantam morum mutationem, piſcatorum leges inuehere potuerunt. Atque hi quidem vel barbaras nationes vti legibus à ſe traditis adduxerunt. Plato autem multò Philoſophorum optimus, legibus à ſe iam conſcriptis, ne Atheniensibus quidem ciuibus ſuis perſuaſit, vt illarum inſtitutis rempublicam gubernarent, ac merito quidem, ſunt enim leges riſu digniſsimæ. Ac ne quis me arbitretur tantum Philoſophum falſi criminis reum agere, audite, quæſo, Græci homines cuiuſmodi illa ſint quæ is legibus ſuis facienda inſtituit. Cùm enim præcepiſſet non puellas modo, verum etiam aniculas mulieres nudato corpore contuendas proponi, tum animaduertens in riſum ſe ſoluiſſe qui colloquentes intererant, ita inquit orationem ſuſcipiens: ὁ δὲ γελῶν ἀνὴρ ἢ γυμναῖς ταῖς γυναιξὶ τῶ βελτίστω ἕνεκα γυμναζομέναις, etc. hoc eſt: Qui ridet ob nudas mulieres, quæ tamen optimæ rei cauſa nudantur, cùm ex ridicula ſapientia fructum vtilitatemque ſit acceptur us, neſcit, quantum mihi videtur, qua de re rideat. Rurſuſque alibi. ταῦτα δὲ καὶ τοῦδε θηλέοιν ὁ ἐμὸς λόγος ἄν εἴποι τὰ πάντα ὅσα, καὶ τοῦδε τῶν ἀῤῥένων, etc. hoc eſt: Hæc autem omnia & de fœminis noſtra oratio diſſeret, quæ de maribus dici conueniat. Pari enim modo & fœminas exerceri oportet. Nihilque veritus affirmare hoc auſim, neque equitandi artem, neque gymnaſticam facultatem, ita ſolos decere maſculos, vt fœminas quoque non deceant. Et quiſnam, queſo vos, cùm dici hæc audiat, non continuo & irrideat? Natura enim, vtrique ſexui diſtribuit ſua munera, fœminis quidem lanam facere, viris autem agrum colere, pugnaſque obire. Hoc ſanè rerum diſcrimine & Homerus vtitur, inducit enim Hectorem ſic vxorem Andromachen alloquentem.

Ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
Ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε,
Ἔργον ἐπιτρέψασθαι. πόλεμος δ' ἄνδρασι μελήσει. hoc eſt:

Ipſa domum perge, & quæ ſunt tua munera cura,
Telas atque colus, ancillis penſa iubeto.
Bella viri curent, merito queis bella gerenda.

At vero tantus ille Philoſophus, ne Poetarum quidem videtur diuiſionem ſciuiſſe, ſed exerceri nudas mulieres atque equos agitare inſtituit. Quæ vero apud Platonem ſequuntur, ſuperius iam dictis planè ſunt conſentanea, ſic enim inquit: πῶς δὲ τὸν τῶν γάμων χρόνον ξυμμετρίαν δικαστὴς σκοπῶν κρινέτω, etc. hoc eſt: Iudex vero, inſpiciens iudicato quænam ætas celebrandis nuptijs apte conueniat. Eamque ob rem nudos mares, nudaſque fœminas, vmbilico tenus inſpiciat. Qui vero hæc ſcripſit, nequaquam viſus eſt meminiſſe quæ Candaule regis vxor olim dixiſſe fertur. Illa enim à viro iuſſa nudum corpus oſtendere, valde pudicum verbum locuta eſt, hoc videlicet: ἀφῃρημένη γὰρ χιτῶνα ζωαπτέτη καὶ πολὺ αἰδῶ ἡ γυνή. hoc eſt: Mulier cum tunica ſimul & pudicitiam exuit. Noſter itaque hic Philoſophus, cùm ſponſas nudat, planè impudicitiam docet. In decimo etiam legum ſuarum libro, conſona his conſcripſit, inquit ergo: τῆς σωφροσύνης ἕνεκα, etc. hoc eſt: Huius cauſa oportet diſciplinam conſtitui, vt tam pueri quàm puellæ choreas celebrent, ſpecténtque ac ſpectentur. Cúmque ratione & ætate quæ habeat opportunas ac probabiles cauſas, & hos & illas nudari permittimus, vſque dum ſingulorum pudor modeſtiáque ſeruetur. Ego vero ex hac Platonis lege ſuboriri quidem perniciem magnam video, nullum vero pariter commodum prouenire. Quæ enim mulieres ita ſe nudas intuentibus præbeant, nudóſque ipſæ mares intueantur, non modo ad impudicitiam erudiri, ſed magnas ad mutuam libidinem præbere occaſiones oportet. Aſpectus enim nudorum corporum, tam mares quàm fœminas irritare ſolet ad enormes laſciuiæ appetitus. Sed ne videamur non tam refellendi ſtudio, quàm

quàm vt Philoſophorũ hunc maledictis contumeliſque infamem reddamus, in demonſtrando legum huiuſmodi detrimento tantopere occupari, agedum ad pulcherrimas illas nuptiales leges tranſeamus, qualeſnã illæ ſint nonnihil etiam oſtenſuri. Audiamus itaque in Republica ſic loquentem: ἀνδρῶν τε τῶν ἁπάντων πάσας εἶναι γυναῖκας κοινάς, etc. hoc eſt. Horum omnium virorum communes eſſe vxores, nulli vero propriam ſub eodem tecto incolere, filios item omnibus omnes communes eſſe, ita vt neque pater ſciat quem ex ſe filium progenuerit, neque item filius ex quo natus ſit patre. Tum ſuperius dictis hæc quæ ſequuntur adiungit, εἰς μὲν τοίνυν, ἦν δ' ἐγὼ, νομοθέτης αὐτοῖς ὥσπερ τὸν ἄνδρας, ὅτω τὸν τὰς γυναῖκας ἐκλέξας παραδώσει, etc. hoc eſt. Vnus igitur, inquam ego, legiſlator tã viros quàm etiam fœminas prius eliget, atque in connubium dabit, curans ſcilicet vt quã maixme fieri poſsit, ingenio moribuſque conueniant. Illi autem ita cõiuncti, vt & communes domos habeant, & communi menſa vtãtur, nihil earum rerum proprium ſibi ac ſuum aliquo poſſidente, ſimul continuè victitabũt. Promiſcuè vero ita conſerti, tum in gymnaſijs, tum vero & alijs in officijs, ex neceſsitate inditi à natura appetitus, alter ad alterius agentur commixtionem. An non tibi, quæſo, videor ne neceſſaria demonſtrare? Neceſſarijs, inquit ille, argumentis ac demonſtrationibus vteris, non Geometricis tamen, ſed amatorijs. Haud vero tenue periculum eſt, ne ſint iſtæ Geometricis multo potentiores ad faciendam populo fidem, trahendumque quò velint. Hoc itaque Platonis inſtitutum fuiſſe, vt vxores omnibus viris promiſcuæ haberentur, longi ſermonis probatione non eget. Ipſe enim ea de re manifeſtariam legem tulit, neceſsitatemque ad communem coitum probe commentus eſt. Communi enim domo, inquit, & communi menſa vtentes, ab eo quem natura nobis indidit appetitum, ad mutuam impellentur commixtionem. Idque communes omnibus liberos futuros eſſe oſtendit, cùm videlicet vnuſquiſque cuicunque ſe mulieri impunè commiſceat, proque ſuo habiturus ſit quicquid inde naſcatur. Hæc itaque cùm animo reputaret, qui ibiloquens inducitur, interrogaſſetque eum Socrates, An non quæ neceſſaria ſunt tibi videor loqui? Reſpondit his verbis: Non Geometricis vteris, ſed amatorijs neceſsitatibus. Neque tenue periculum eſt, ne ſint iſtæ Geometricis multò valentiores ad faciendam populo fidem, trahendumque quò velint. Ego autem hoc loco valde admiror eorum improbitatem, qui ea Platonis verba quodam alio ſenſu interpretari contendunt, imò autem detorquere ac deprauare conantur. Aiunt enim illum nequaquam communem virorum ac fœminarum coitum inſtituiſſe, ſed quandam potius beneuolentiæ familiariſque conuictus ſocietatem. Neque ſtolidi audiunt quæ is dicat, quòd ſi videlicet domo, menſa, gymnaſioque ſimul in commune omnes vtantur, neceſsitate inſiti appetitus ad mutuam impellentur commixtionem. Sed ij fortaſſe cùm ad tam ridiculas Platonis leges erubeſcant, præceptoris ſui peccatum nouis interpretamentis occultare aggrediuntur. Atqui magis eos decuit, Platonicæ illius ſententiæ meminiſſe, qua dicitur, Amicum quidem hominem, ſed magis amicam eſſe veritatem. Sed nos age alias quoque Platonis leges audiamus. inquit enim: γυναικὶ μὲν, ἦν δ' ἐγὼ, ἀρξαμένῃ ἀπὸ εἰκοσαετοῦς, etc. hoc eſt. Mulieri congruere, inquam ego, vtà vigeſimo ætatis anno ciuitati incipiat ciues parere, viro autem cùm primum tranſierit ſummum illum apicem procurrentis augmenti, ab eo ætatis articulo ciuitati filios procreare, ad vſque quintum ſupra quinquageſimum annum. Sed enim hæc inſtituta nihil afferunt, quod manifeſte noxium ſit, quæ vero inſequuntur, nõ riſu quidem, ſed lachrymis igniſque potius ſunt digniſsima, quo tam pulchræ leges penitus deleantur, ſic enim inquit: ὅταν δὲ αἱ γυναῖκες οἷπε ἄνδρες τὸ γεννᾶν ἐκβῶσι τὴν ἡλικίαν, etc. hoc eſt: Vbi autem viri ac mulieres gignendi tempus exceſſerint, liberos eos ſinemus conuerſari vt velint, hoc ſolum præmonentes, ne quem amplius conceptum fœtum in lucem edant. Si quis autem inſtitutum hoc ita violarit, vt fœtum ad partum perducat, ita eum denique exponat, vt omni prorſus alimonia careat. Quid vero vnquam tale vel Echetus, vel Phalaris, legibus ſuis inſtituit? Quis tale parricidij genus eſt vnquam auſus? Nam qui prohibet fœtus in lucem edi, abortitijs profecto pharmacis infantes corrumpi iubet. Qui vero etiam mandat eos infantes, qui lethalis poculi vi ſuperarint, in lucemque editi ſint, ita exponi vt ne communi quidem alimonia ſubleuentur, ſed fame gelũue intereant, aut ferarum dentibus diſcerpantur, quem exceſſum crudelitatis non ſuperat? Hæc itaque noſter Plato de nuptijs, deque liberis procreandis, in legibus ſuis canit. Quæ verò etiam de alia ſpecie libidinis narrat, pronum eſt volentibus cunctis perdiſcere. Illos enim qui contra leges naturæ maſculam venerem conſectantur, beatiſsimos hic eſſe opinatus eſt, ac vbi ex hac vita exceſſerint nihilo ſeciùs beatos fore aſſeruit. ὐμικρὸν γὰρ φησιν, ἆθλον τῆς ἐρωτικῆς φέρουσι, εἰς γὰρ σκῶρ, etc. hoc eſt; Haud enim exiguum amatoriæ præmium ferunt, neque vlla lex iubet ad tenebras iterque ſubterraneum eos pergere qui ſub cœleſti via detinentur, ſed vt illuſtrem vitam agentes beati ſint, ſimulque proficiſcantur coaligeri & conuolucres ſui amatoris cauſa. Tum vero hæc ita repetendo concludit: ὦ παῖ καὶ ὅτῳ θεῶν δωρήσεται ἡ πτέρασ ἡ φιλία, etc. hoc eſt: O puer ita tibi diuina munera largietur amatoris beneuolẽtia. Hæc autem, non de caſtis amatoribus, ſed de impuris obſcœniſque à Platone dicta ſunt, quod ex ipſius dialogis planè cognoſci poteſt. Hanc vero legem neque Romanorum ſpurciſsimus imperator Nero, neque Aſſyrius ille Sar-

Sardanapalus,qui voluptatibus ac delicijs est notissimus,vel tulit vnquam,vel laudauit. Ego enim puto vel eos qui valde voluptatibus seruiunt, animi morbum quem ita patiuntur nequaquam laudare, sed tempori deseruire, cùm ex perdita consuetudine habitum iam contraxerint. Quid autem commemorare oportet, quàm nefaria ea sint quæ de cædibus ac parricidijs Plato in legibus suis instituit? Insontem enim innoxiumque haberi iubet, qui proprium seruum occidat. Eum vero qui iracundia succensus, alienum seruum de medio tollat, tanti mulctandum censet, quanti seruus ille venierit. At eum qui liberum hominem prę iracundia enecet, solum biennium exulare iubet. Qui vero per insidias perimat, triennio extorrem agit. Eum porro qui dum exulat, idem parricidium facit, perpetuo exilio puniendum censet. Easdem vero pœnas decreuit & patribus qui filios, & filiis qui parentes, & viris qui coniuges, & vxoribus quæ maritos occidant. Verum enimvero leges hic quidem tulit, nulli tamen hominum suis viuere legibus persuasit, non ciuibus,non externis,non vrbanis,non villicis, non Græcis,non barbaris,non seruis, non liberis,non viris, non mulieribus, non iuuenibus, non longæuis, non literarum studio innutritis,non denique rudibus & indoctis. Ego vero quas Galilæi piscatores cunctis nationibus leges dederunt, iam vobis contuendas proponam. Vos autem quæso, & has & illas inuicem comparantes,nostrarum diuinos radios admiramini. Plato igitur eximius Philosophorum scelestissimum pædicatum commendat, beatissimaque huic flagitio reposita esse præmia ostendit. At verò generis humani seruator, non admissum modo flagitium, sed procaces lasciuosque intuitus puniendos decernit. Qui enim, inquit, viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Ac Philosophus quidem,impunè ac licenter alienis vxoribus admisceri instituit. At humanæ naturæ opifex, qui eam ipse effinxit,vnumque ab initio virum,mulieremque vnam plasmauit,has dissolui nuptias vetuit. Vnam vero copulæ huius dissoluendæ occasionem proposuit, qua penitus nuptialis distraheretur coniunctio. Inquit enim: Omnis qui dimittit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Quibus sanè verbis cætera vxoris vitia æquo animo ferri iubet,seu loquax sit illa, seu temulenta, seu conuitiosa. Sin verò nuptiarum leges transiliat, in aliumque virum procax intendat,tunc denique copulam solui iubet. Eadem verò rursus & per sutoris literas mandauit Corinthijs. Bonum est, inquit, homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem, vnusquisq; suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Videtisne igitur, quæ inter sutoris ac Philosophi legem sit differentia? Hic enim singulos singulis vxoribus viros addicit,ille autem, mulieres omnes viris omnibus communes esse permittit. Quin & vbi seruandæ continentiæ dat præcepta,neq; vxori permittit vt viri sui conuictum conuersationemque fugiat,nisi hoc ille consentiat: neque item viro vt ab vxore sua semotus viuat, ea non comprobante. Inquit enim: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem,nisi fortè ex consensu. Putat enim se fraudari sua potestate, qui præter animi sui sententiam abstinet à complexu vxoris. Tum verò mox ad ea quæ sunt perfectiora perducens,hæc addidit: Ad tempus vt vacetis ieiunio & orationi, & iterum reuertamini in idipsum. Sic itaq; ipsi naturæ leges dimensus,causam præcepti subiunxit. Ne,inquit,tentet vos Sathanas, vtque doceret,illum tentandi nostri sumere à nobis occasionem, sequutus est ita, videlicet: Propter incõtinentiam vestram. De cœlibatu autem non leges quidem, sed consilium dedit, ostendens quanta sit in eo vitæ statu vtilitas, inquit ergo: Qui sine vxore est, solicitus est eorum quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cũ vxore est,solicitus est eorum quæ sunt mundi,quomodo placeat vxori. Hæc sunt quæ de mulieribus ait Apostolus, docens à virginitate & cœlibatu conferri nobis vitam quæ sit curarum immunis. Admiramini,quæso, amici homines sutoris Hebræi linguam, Deumque qui per eam loquutus est,adorate. Quod nisi vobis molestum est,leges quoque de cædibus ac parricidijs,quæso, inspicite. Philosophus enim,ne patris quidem interfectorem talionis pœnæ subiecit. At liberator vindexque noster,importunam quoque contumeliam, iniustumque iracundiæ motum,censet puniendum esse. Inquit enim: Omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha,reus erit concilio. Qui autem fatue,reus erit gehennæ ignis. Quin & ociosi sermonis rationem se repetiturum comminatus est. Neque amicis solum benefacere, sed inimicis præcepit. Diligite enim,inquit, inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos. Subinde verò ostendit & præmium quod obitorum certaminum dignitatem longè excedit. Vt sitis, inquit, filij patris vestri qui in cœlis est,qui oriri facit solem suum super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos. Quumque de iureiurando mentionem faceret,iurare prorsus inhibuit, satis esse inquiens ad confirmanda ea quæ loquamur, si dixerimus: Est, Non est. Pauperem quoque vitam, perfectissimam esse asseruit. Qui enim, inquit, non renunciauerit omnibus bonis suis,non potest meus esse discipulus. Et tamen quum adeò exactum vitæ genus suis legibus institueret, nihil delectabile, nihil iucundum sese nobis in hac vita daturum promisit, sed paupertatem, miseriam, contumelias, flagra,cædes,ac multiplices vexationes, inquit enim: In mundo pressuram habebitis.&,

Matth. 5.
1. Cor. 7.
Matth. 5.
Matth. 12.
Luc. 14.
1. Cor. 7.

Ioan. 16. tis.&, Beati estis cùm maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint,& dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. Ac labores quidem illis periculaque ostendit, præmia vero & coronas post hanc vitam se daturum promisit. Rursumque ait: Si me persequuti sunt,& vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Et rursus: Si dominum, Beelzebub vocauerunt, quanto magis famulos & domesticos suos? Leges itaque sunt huiusmodi. Dignum vero præterea est, vt diuinos illos homines, quique illis etiam crediderunt, suspiciamus & admiremur. Cùm enim eam prædicari legem audissent,neque tamen aut diuitias,aut potentatum, aut corporis robur à vocante Christo accepissent, sed tantummodo rerum que non videbantur largis promissionibus crederent, nihilo tamen secius & labores desumpserunt, & pericula multa perpessi sunt, terramque habitabilem peragrantes,gentibus vniuersis doctrinam saluberrimam detulerunt. Nihilo verò minus & eos laudari par est, qui traditam ab eis doctrinam acceperunt. Quandoquidem nihil illustre, nihilque conspicuum magistris prædicatoribusque illis inesse cernentes, sed piscatorum sutorumque idioma,extremamque rerum omnium egestatem (Neque enim saltem ad victum necessarijs abundabant. Quo enim pacto ea sibi compararent, quibus Euangelica lege prohiberetur cogitare de crastino?) tamen non solum nouæ legi crediderunt, sed quibus ad eam diem legibus vixerant prorsus omissis, patrijsque relictis moribus,vel maximo cum periculo ipsi quoque vitæ reliquum peregerunt. Etenim magistrorum suorum vestigia consectati, prædicationibus dare operam,parique modo à temulentis illudi,cædi,percuti,conuitijs aspergi, per easdem denique tempestates ad salutis portum proficisci. Tanta autem pietate quos ad mortem periclitatos viderant,prisci homines venerati sunt,hodieque mortales cunicti venerantur, vt eorum loculos opinentur esse bonorum omnium fontes vberrimos. Harum legum,quæso, Græci homines robur ac virtutem inspicite. Has enim leges Romani ac Persæ, illorumque extra ditionem positæ nationes abolere conati,suam ita quidem imbecillitatem ostenderunt, earum verò legum multo clariorem potentiam reddiderunt. At verò quas Lycurgus leges Solonq; tulerunt, nullis vnquam vexationibus agitatas fuisse legimus, sed abolitas sponte sua dissolutasque videmus. Neque vero Apollo Pythius, nec Dodones columba, quas olim leges tulerant perpetuò conseruarunt. ad primos enim Romanorum iussus extinctæ sunt. Age verò Græci nobis ostendite vnum saltem Spartiatam ciuem, qui pro tuendis Lycurgi legibus, vnum Athenienſem qui pro Solonis,Locrensem qui pro Zaleuci, Cretensem qui pro Minois subire mortem pertulerit. Nemo autem vestrum id ostendere nobis poterit. At nos contrà vobis ostendimus,pro piscatorum sutorisque nostri legibus, virorum mulierumque multa milia mortem sæuissimam subijsse. Testes autem nobis sunt,testium ipsorum, id est Martyrum,excitata templa, quibus vrbes quàm plurimæ regionesque exornantur ac illustriores redduntur, magnaq; inde tum externis, tum indigenis hominibus emolumenta proueniunt. Quando igitur & ipsarum legum & latorum differentia quanta sit ex proposita comparatione iam constat, atque ibi quidem humanæ rationis inuenta, hic autem Dei munera maximeque salutaria visa sunt, gratis hæc,quęso,animis accipite Græci homines, neque adeò magnificum liberalemque datorem parui omnino facite. Scietis autem multo melius diuinorum munerum legumque dignitatem, si pessima è vestris animis opinione depulsa, oculos sacris hisce monumentis admoueatis.

Ioan. 15.
Matth. 20.
Matth. 6.

FINIS LIBRI NONI.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS LIBER DECIMVS, DE VERIS ET FALSIS ORACVLIS.

MVI tyrannidis cupiditate agũtur, minus sibi congruentem potestatem inuadunt, ac regiam quidem sibi speciem apparatũq; circunponunt, purpuram, coronam, sellam, currum triumphalem, spiculatorũ globos, mores tamen qui regibus conueniant, imitari non curant. Neque enim mansueti patres audire percupiunt, sed difficiles amarulentique domini, nec populorum beneuoli curatores,sed durissimi ac perhorridi duces. Ex quo sæpenumero euenit, vt ab legitimis regibus deleantur,quos oppressorum ciuium, populorúmque acerbius vexatorum, subit misericordia. Sæpe etiam tyranni,suis à militibus,populisque iugum superbiæ non ferentibus, occupata tyrannide exuuntur. Idem verò & fecisse mali dæmones & perpessi videntur.

dentur. Relicta enim quam fortiti fuerant ſtatione, dum mitiſsimum creatoris Dei fugiunt dominatum, ipſi tyrannidem rapuerunt, vſurpatoque Dei nomine, ſeſe Deos ſuperbiſsimi nominarunt. Quin & ſtolidos homines ſeduxerunt, qui diuinos ſibi honores cultuſque perſoluerent. Tum vero vt ſic arreptam tyrannidem conſeruarent, prænoſcendis futuris rebus prædicendiſque arroganter ſe ingeſſerunt. Vnaque hæc demum eſt ratio, qua ſimplicioris notæ homines, captuque facillimos, proruunt. Paſsim itaque per orbis terrarum ſpatia, ſuæ fraudis laqueos appararunt, commenti varios diuinandi modos, multipliciaque mangonia. His namque docentibus prodierunt qui ex farina, qui ex perna, quiè mortuis nomen ſibi ac diuinandi munus deſumpſerunt, ijdemque dæmones nobis dederunt Caſtaliæ fontem, Colophonium fluentum, ſacram quercum, Dodonæum tintinabulum, tripodem Cirrhæum, Theſprotium lebetem. Ac in Lybia quidem Ammonis oraculum, Iouis autem in Dodona. In Branchidis etiam Delo, Delphis, Colophone, oraculum Clarij, Pythij, Delij, Didymæi Apollinis. Tum in Lebadia quidem Trophonij, in Oropo Amphiarai, in Tyrrhenorum verò finibus & Chaldæorum Necromantiæ antra obſcuriſsima. Et alibi quidem Amphilochi, alibi verò Glauci, alibi autem Mopſi, aliorumque quorundam famoſorum hominum diuinationes nobis propoſuerunt. Fuiſſe vero hæc oracula malignorum dæmonum qui Dei ſibi nomen vſurparunt, cõijcere ſatis poſſumus è taciturnitate quam illis nunc impoſitam eſſe cernimus. Etenim poſtquam ſeruator noſter in humana carne apparuit, fugam arripuerunt qui diuinationis dolos nobis inuexerant, neque enim iubar diuini luminis ferre poterant. Teſtatur autem hoc apertiſsimè Plutarchus, non Hebræus homo ſed Cheroneus, natione Græcus & idiomate, veſtris ipſe quoque addictus opinionibus, ſed idem tamen quàm doloſa fuerint dæmonum oracula probè conſcius, neque enim procul diſtant à Cheronea Delphi, Lebadia, Oropus, ſed contermini ac propinqui ſunt. Hic itaque Plutarchus multa ſanè conſcripſit. fuit enim doctrinæ atque experientiæ multæ vir. Inter cętera vero & nonnulla ſcripſit de oraculis, titulumque libro inſcripſit, περὶ τῆς ἐκλελοιπότων χρησηρίων, De oraculis quæ iam defecerunt. Hoc igitur in libro præter alia multa & hoc inquit: ἐμοὶ γὰρ ἐφεσᾶναι δοῖς χρησηρίοις μὴ θεὸς, etc. hoc eſt: Qui autem opinetur præſidere locis vbi dantur reſponſa, non Deos quidem quos terrenis affectibus decet expeditos eſſe, ſed dæmonas Deorum miniſtros, haud male mihi opinari videatur. At qui ex Empedoclis verſibus collecta ſententia eos dæmonas, ſceleſtos, noxios, doloſoſque autumet, ac poſtremo etiam velut homines morti ſubijciat, hunc ego audacius ac *magis barbarè dicturum puto. Hęc autem verba, non Propheta, non Apoſtolus è noſtro ordine protulit, nec quiſquam alius eorum qui eis crediderit, illorúmue ſententias confirmare ſtuduerit, ſed homo ex veſtris in omni diſciplina verſatus, quique antiquo Philoſophorum errore tenebatur. Is ergo ait primum quidẽ, eos qui darent reſponſa dæmonas fuiſſe, non Deos. Tum verò ſacerdotes qui eorum templa incolerent, dæmonibus ijs arreptos, ac furore afflatos, venalitia oracula proferre ſolitos. Nihil autem veri prædicere, ſed de ijs quoque dæmonibus quorum inſidere ſibi ſpiritum, mentemque inſolentiſsimè gloriantur, multa grauia & dura proferre, neque ſolum damna & dolos, ſed etiam interitus quales homines patiuntur. Verſus autem quos pronuntient, nullo quidem furore diuino afflatuque incitatos ex tempore nouos ederè, ſed ab Empedoclis poematibus compilare. Quæ verò inſequuntur eiuſdem ſunt fermè ſententiæ, inquit enim, καὶ περὶ τῆς μυστικῶν ἐν οἷς τὰς μεγίστας ἐμφάσεις λαμβάνειν ἔστι τῶν περὶ δαιμόνων ἀληθείας εὔσομά μοι κεφάθωκαθ' ἡρόδωτον, etc. hoc eſt: De myſticis etiam in quibus eſt accipere maximas ſignificationes ad dæmonum veritatem, bona verba (vt Herodotus ait) loquamur. Feſta verò & ſacrificia ceu nefandos & horribiles quoſdã dies, in quibus caro cruda comeditur, & diſtractiones corporum fiunt, cum ieiunijs & fatigationibus, multis autem in locis, & ad ſacra ipſa obſcœna verba fundũtur, aliaque fiunt inſaniæ agentium ſe cum turbatione ceruiciſque iactatu, nulli quidem deorum conſecrari hæc dixerim, ſed potius malis dęmonibus auertendis placandiſque: vt illis hoc ritu ſolatium aliquod reponatur, pro cæde hominum, qua illis quondam ſacrificari mos fuit. In ſuperioribus itaque verbis à me proxime diſcuſsis aiebat Plutarchus dęmonum eſſe illa oracula, non deorum, hoc autem loco etiam malignos dæmonas appellauit, rebus quæ ab eis patrantur pro manifeſtiſsimis ſigni. vſus. Cui enim crudæ carnis comeſtio, membrorum diſtractio, turpes eorum voces, obſcœna facinora, furores præterea cum turbatione ſe rotantium, caputque in diuerſa iactantium, præterquam dęmonibus malis conueniant, qui magnas humano generi calamitates important, quique olim quidem vt ſceleſtiſsimi cæde miſerorum gaudebant? Poſtquam verò ſenſerunt homines eiuſmodi cædis homicidijque pertæſos, quæ ſibi ab eis quondam exhiberi appetebant, errorum ac fabularum etiam deſiuiſſe, flagellatus, crudaſque epulas, alioſque huiuſmodi turpes ritus commenti ſunt. Superioribus autem dictis Plutarchus hæc addit amplius: παυσαμένου δὲ τοῦ ἀμμωνίου μᾶλλον ἔφην ἐγὼ, etc. hoc eſt: Quum autẽ loqui deſiuiſſet Ammonius, tum maxime, inquam ego, age Cleombrote dic nobis aliquid de oraculo Ammonis. Magna enim ac percelebris fama diuinitatis ibi quõdam percrebuit, nunc verò prorſus videtur emarcuiſſe. Tacente autem Cleombroto atq; in humum deſpiciente, haud oportet, inquit Demetri-

*Id eſt, truculentius & aſperius.

Demetrius, de Ammonicis rebus interrogare, neque vllo pacto ambigere, cùm & hoc euanuiſſe oraculum, imò autem vno alteróue exceptis, omnia paſsim defeciſſe oracula videamus. Hæc autem ſcripſit Plutarchus, poſtquam generis humani ſeruator Deuſq; noſter in humanitatem deſcendit. Ipſum itaq; tempus manifeſte oſtendit, quam in cauſam referenda ſit oraculorum illa ceſſatio. Porphyrius autẽ in eo libro quem de electorum philoſophia conſcripſit, hæc fermè ait: ἀλλ' ἤδη καὶ τὴν γνῶσιν τῶν φορᾶς, etc. hoc eſt: Verum et ipſius quoq; motus exactam cognitionem, quæque de his rebus diſſeruntur, cenſemus non poſſe ab hominibus percipi, neq; ab his ſolũ, ſed à nonnullis quoq; dæmonum ſciri non poſſe. Ex quo fit, vt multis de rebus interrogati, mendaces ſępenumero inueniantur. Quando igitur Græci homines veſtra nobis oracula diſſerentibus habere fidẽ non vultis, illi ſaltem qui nobis infeſtiſsimus eſt, vobis aũt amiciſsimus, credite. Implacabilis enim nobis hic aduerſarius, manifeſtũ contra religionẽ Chriſtianã bellum ſuſcepit, at is tamen inquit mendaciſsimos eſſe dæmonas, qui diuinationum locis oraculorumque præſideant. Quòd verò eos etiam deos vocet, magiſq; illis Aſtrologiam tribuat, quàm diuinam vllam præſenſionem, ipſemet in eodẽ libro teſtatur, ſic enim inquit: οἱ γὰρ λέγουσιν οἱ θεοί, etc. hoc eſt. Quæcunque enim dei loquuntur, ſi modo ita loquũtur vt quæ fato proueniũt ipſi cognoſcãt, cuncta illa nimirũ de aſtrorum motu ſignificant, cunctique hoc fermè prodiderunt, qui mendaces dei non ſunt. Verũ quos hoc loco deos appellat, alibi eſſe deos negauit. Quod ipſum non alibi, ſed in eodẽ maxime libro factitauit. Etenim cùm Apollinis oraculũ expo fuiſſet, quod docet quo ritu terreſtribus inferiſque dijs ſacrificandum ſit, quo itẽ marinis ſuperq; cœleſtibus & ætherijs, hoc idem Porphyrius refellit oraculum tanquã planè inſulſum, ait enim: μὴ χρῆναι θεὸς ὑπολαμβάνειν etc. hoc eſt: Deos nõ eſſe exiſtimandos, qui ſibi cęſis animalibus fieri ſacram rem gaudeant, eſſe enim huiuſmodi ſacrificia rẽ iniuſtiſsimã, impiam, abominabilẽ, noxiam, neq; idcirco dijs gratam contingere. Tum & Theophraſtũ affirmantẽ inducit, non congruere dijs ſacrificia quæ per cædem animalium fiant. Cumq; ſatis edocuit ea iuſſu malignorum dęmonũ inſtituta fuiſſe, ita ſubiũxit: διὸ ζωεκὸς ἀνὴρ καὶ σώφρων εὐλαβηθήσετη τοιαύτης χρῆσθαι θυσίαις, etc. hoc eſt. Idcirco prudens temperatuſq; vir cauebit vti eiuſmodi ſacrificijs, quibus eos dæmonas ad ſe trahat. Studebit aũt modis omnibus animã ſuam purgare, purgatam nanq; animã minus aggrediuntur. Verũ Pythius contraria ijs quæ Porphyrio videntur, legibus ſuis inſtituit. Iubet enim, vt qui ab oraculo reſpõſum petit, malo dęmoni dona quædã perſoluat, tanquã liberationis mercedẽ libamina videlicet pyramque, atrumq; cruorem, nigraq; vina ſimul, aliaq; nõnulla. Preces quoq; nos docuit, quę à ſacrificãte proferri debẽt, ita videlicet:

Δαίμων ἀλιβρονόων ψυχῶν διάδημα λελογχὼς
Ηερίων ὑπέρερβε μοχῶν, χθονίων δ' ἐφύπερθε.

Hoc eſt.

Dæmon qui nactus peccantum regna animarum,
Conuexum cœli ſubter, terrę & ſuper orbem.

Atque hæc Porphyrius in eo libro cõſcripſit, dæmonẽ hunc oſtendens deũ non eſſe, ſuamq; illam ſententiam planè comprobans, qua deos eſſe non vult qui *ſacrificijs gaudeant. Ne quis autem ſuſpicari poſsit eum ſimulato animo hæc protuliſſe, iuſiurandum verbis appoſuit, inquit enim: τοὺς θεοὺς διαμαρτύρομαι οὔθ' ὅλως ὅτε προστίθεικα, etc. hoc eſt. Deos teſtor, neque addidiſſe me quicquam, neq; dempſiſſe de oraculorum ſententia. Niſi forte alicubi mendoſum verbum correxi, aut quod nimis obſcurum erat immutando clarius feci, aut quod deficiebat metrum ſuppleui. His autem verbis, & ignorantiæ Pythium accuſat, neque enim ſolum errorem ſingularum dictionum correxit, & quæ obſcuriores erant clariores reddidit, ſed claudicantes quoque verſus ſuffulſit, quos Pythius per ſuos vates ita male ,ptulerat. Verum & Diogenianus, deorum in oraculis reſponſa fundentium falſitatẽ mendaciaq; redarguit, ſic aũt inquit: ὅλι δὲ ἀφτυγχάνεται τὰ πολλὰ τοῖς καλεμένοις μάντεσι, &c. hoc eſt. Multa autẽ rerum euenta fruſtrari eos qui diuinatores vateſq; vocantur, teſtari poterit omnis hominum vita, ipſique teſtes erunt certiſsimi qui diuinandi artẽ profitentur. Pauloque mox ita inquit: νῦν δὲ τοσοῦτον τοῖς εἰρημένοις προσθήσω. etc. hoc eſt. Nunc verò tantum hoc ſuperius dictis adijciam, quod ſi quando veri inuenti ſunt in ſuis prædictionibus ij qui vates appellantur, nullius quidem ſcientię, ſed fortunę opus id fuit. Haud enim fortunæ opus appellandum cenſemus, ſi quis nunquam propoſitũ ſibi finẽ aſſequatur, ſed ſi nõ ſemper, nec plurimum, verum rarenter citraq; ſcientiam aſſequatur, diſtinguẽtes ſingulis nominibus attributas, manifeſtaſq; animi noſtri conceptiones. Quod autẽ Porphyrius idem affirmet, quæ prædicunt diuinatores dij, coactos ab hominibus ea prædicere, pronum eſt volenti ex eo Porphyrij libro perdiſcere, quem is de philoſophia electorum inſcripſit. Ibi enim vel ipſa deorum verba inſeruit. Ait ergo Hecaten ab homine quodam accitam, ſic reſpondiſſe.

Ηλυθον εἰσαΐσσα τεῆς πολυφραδμονος ἐυχῆς,
Ηρ θνητῶν φύσις εὗρε θεῶν ὑπεθημοσύνησιν.

Hoc eſt:

Adueni, noſtras tua vox ſcita appulit aures,
Quam mortale genus docuit ſapientia diuum.

Eadem rurſus Hecate vocantem accuſans, ita increpitat. τίνος δὲ χατίζων. al. Σεῖο δόμας al. ἐκαλέσσας

Θεοδάμας ἑκάτην με θεὴν ἐπέδεσας ἀνάγκαις;

Hoc eſt.

Quid tibi opus noſtri eſt, Hecaten fatalibus vt me

*Id eſt, truculentius & aſperius.

Sub tua tecta deã vinclis sit adire necessum?

Apollo etiam sic exclamat:

κλῦθί μευ ὦκ ἐθέλοντος, ἐπεὶ μ' ἐπέδησας ἀνάγκῃ. hoc est.

Audi ea quæ inuitus dicam tibi, quæque coactus.

Et rursus.

Λύετε λοιπὸν ἄνακτα, βροτὸς θεὸν ὦκ ἔτι χωρεῖ. Hoc est:

*Al. capit. Soluite iam diuum, mortalis non*tenet vllus.

His itaque verbis, tum Porphyrius, tum & qui sibi dei nomen dæmones vsurparunt, manifeste ostendunt humanas artes quę dæmonibus necessitatẽ imponunt, multo plus posse quàm dæmonas. E supernis enim locis eos deducunt, atque in inferioribus cohibent, ita vt priusquam soluãtur ab hominibus, abire non possint. Alia verò innumera est apud eundem scriptorem inuenire, quæ dæmonum infirmitatem ostendant. Quanta verò mala eorum diuinationes apportent, ex ijs quæ ipse nunc dicam, facile omnes cognoscent. Fame olim Athenienses vrgente, Pythius Apollo responsum dedit, eam prius desituram non esse, quàm septem virgines totidemque adolescentes Minoi Athenienses mactarent. Ipsæ itaque oraculorum perplexæ ambages, multis magnam perniciem attulerunt. Aristomachus enim, quum non intelligeret quid sibi vellet Stenygra, qua dictione vsum dicitur oraculum Pythij Apollinis, fretum triremesque reliquit, perque Isthmum hostiliter ingressus clade accepta extinctus est. Decuit autem diuinantem Deum, si modo futuri probè conscius fuerat, tanta obscuritatis caligine oraculum non inuoluere, sed vafre nimis ancipitem prædictionem dedit, ne falsitas ac mendacium deprehendi posset. Eadem oraculorũ perplexitas, Crœsum Lydiæ regem ad calamitatem perduxit, inquit enim Apollo.

Κροῖσος ἅλυν διαβάς, μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. Hoc est.

Crœsus Alyn superans, magnam consumet opum vim.

Vtrum verò regnum perditurus esset, suúmne videlicet, an ingruẽtium sibi inimicorum, minime prodidit, vt quemcunque euentum, vel victoriæ, vel cladis, Crœsus experiretur, vatem accusare non posset. Hoc itaque pacto Pythius erga Crœsum se gessit, à quo tamen pretiosissima dona acceperat. In alterum itaque res cadat necesse est, vt vel arrogans Apollo Pythius, vel ingratissimus habeatur. Aut enim ea quæ nescit præsentire se iactat, aut futurorum conscius vltro iniuriã ijs rependit, qui eum omni studio coluerunt. Eisdem quoq; ambagibus imperatorem Iulianum inuoluit, quum in Persas Romanũ ductaret exercitum. Inquit enim. νῦν γὰρ πάντες ὁρμισθεμεν θεοὶ πρὸς τὰ θεὶ ποταμῷ νίκης τρόπαια κομίσασθαι. τὸ τῶν ἐγὼ ἡγεμονεύω θεῷ πολεμόκλονον ἄρης. hoc est: Nunc omnes dij appulimus ad Thera fluuiũ relaturi trophęa victorię, horũ ego dux ero acer belli turbo Gradiuus. Simile quiddam & Athenienſibus attulit. Etenim quũ Xerxes infinita hominum millia aduersus Græcos duxisset, misi ab Athenienſibus consultores ad oraculum properarunt, Pythius autem Apollo responsum hoc dedit: ὦ μέλεοι τί κάθησθε; hoc est.

Otia quid miseri trahitis segnesque sedetis?

Hoc aũt responsum, manifestam Pythij Apollinis ignorantiam prodit. Si enim verè scisset Athenienses victuros, non eos vtiq; miseros, non inertes, sed felicissimos appellasset. Superarunt itaq; illi ducentas supra ter mille Persarum naues, terque decies centena hominum millia. Eoq; pacto fuerunt Athenienses parta ingenti victoria quàm clarissimi, non autẽ segnes neque miserimi, quippe qui immortalis gloriæ celeberrimum trophæum erexerunt. Adde autem, quod eos ad fugam hortatus est, prędixit enim Mineruam ciuitatis custodem, tutandis illis impotentem fore.

Οὐ δύναται παλλὰς Δ' ὀλύμπιον ἱλάσασθαι λισσομένη πολλοῖσι λόγοις. hoc est.

Haud potis est Pallas magnũ placare tonantẽ, Supplicibus quanquã verbis effusa precetur.

Apertissimè autem cõtraria sunt quæ sequuntur. Cùm enim dixisset Iouem Mineruæ precibus minime inflectendum, quasi mox pœnitentia motus ita subiunxit:

Τεῖχος τριτωγενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα ζεύς. Hoc est:

Iuppiter altitonans dat lignea habere Mineruæ Mœnia. Quum itaque Athenienſium spes, sub acie, quod dicitur, nouaculæ substituisset, nullum tamẽ eis euadendi compendium ostendit, sed suam ipse ignorantiam dubijs oraculis Pythius occultauit, dum timeret falsus mendaxque deprehendi. Similis verò est superiusà me dictis, & oraculi eius finis. Sic autem inquit:

Ὦ θεία σαλαμὶς, ἀρχλεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν
Ἢ σπιδναμένης δωμήτερος, ἢ συνιοῦσης. Hoc est.

O Salamis & tu mulierum pignora perdes,
Aut cùm lecta Ceres coit, aut cùm spargitur agris.

Ignorabat enim, quantũ ostẽdit, vtri casuri essent in acie, Persæne videlicet an magis Atheniẽses, atq; idcirco mulierũ duntaxat filios nominauit, gentẽ verò ipsorũ patriamq; subticuit. Illud præterea, Aut cũ lecta Ceres coit, aut cũ spargitur agris, verbũ est penitus ignorãtis victoriæ tẽpus. Cæterum Themistocles sua & prudentia & fortitudine prorsus effecit, quominus oraculi falsitas apertissime nosceretur, neq; tamen segnes ac miseros Atheniẽses, sed strenuos felicesq; ostendit. Lacedęmonijs pręterea cladẽ, Cnidijs verò seruitutẽ eadem Pythij oracula attulerunt. Idemq; Pythius sese iactat Lycurgo leges illas cruẽtissimas, obscœnissimasque dictasse. Profecto enim Lycurgo ad Delphicum templũ, hæc dixisse narratur.

Ἡκῆς ὦ λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηὸν, etc. Hoc est.

Salue nostra subis qui pinguia templa Lycurge

Chare

Chare Ioui, & superis qui cœli tecta frequentant.

Subdubito, Deus, an mihi sis mortalis habendus.

Sed magis esse Deum spero, qui sancta Lycurge

Iura petas, tibi iura dabo legesque libenter.

Quales vero Pythius Lycurgo leges dictarit, in superiore nostro sermone ostendimus, hospites enim finibus pelli iubet, pueros impunè prostituit, fœminas licenter exponit, leges nuptiales euertit. Sapiens ergo vates musicusque Apollo, ipse se harum legum inuentorem facit, ac modo Deum appellat qui eas promulgauit, modo ignorare se confitetur vtrúmne illum Deum, an hominem vocet. Cumque maximum ei honorem collaturus esset, tamen tanquam Deus auctoritatem habens non dedit, sed spero inquit, tanquam si homo quidem esset mortalis. Hic idem & Lacænas mulieres collaudat impunè ac licenter quibuscunque viris se commiscentes, ait enim.

Γαῖης μὲν πάσης τὰ πελασγικὸν ἄργος ἄμεινον
Ἵπποι θρῃκίαι, λακεδαιμόνιαι δὲ γυναῖκες, Hoc est.

Vrbibus in cunctis Argi laudantur, equarum
Thracia fert palmam, mulierum terra Laconum,
Laudanturque viri qui potant fontem Arethusæ.

Idem quoque Archilochum, obscœnissimum poetam, celeberrimum vocauit & immortalem, hoc enim patri illius responsum dedit.

Ἀθάνατός σοι παῖς ὁ ἀοίδιμος ὃν τελεσίκλεις
Ἔσεται οἰ ἀνθρώποις. hoc est.

Immortalis erit tibi filius ò Teleficles
Mortales inter celeberrimus vsque futurus.

Homerum autem sic appellauit, ὀλβιε ὁ δυσδαίμων, hoc est, O idem felix, idemque miserrime, hoc quidẽ propter cæcitatis casum, illud autem propter Poesin ab eo compositam quam exactissimam opinatus est, ob quam tamen eum censuit Plato, hirundinum modo, vnguento prius aspersum è ciuitate quam ipse instituebat, exigendũ esse. Hic est Apollo qui pugilem Cleomedem dignum diuinis honoribus iudicauit, responso hoc edito.

Ὑστατος ἡρώων κλεωμήδης ἀσυπαλαιεύς
Ὃν θυσίαις ἱμᾶτ' ὡς ὦκ ἔτι θνητὸν ἐόντα, Hoc est.

Vltimus heroum Cleomedes Astypalensis,
Sacris quem colite, haud etenim mortalis habendus.

Quantas autem cædes hic Cleomedes facere ausus sit, satis supra ostẽdimus. Hic est Apollo qui Methymneis ita respondit.

Ἀλλὰ κε μεθύμνης νάσαις πολυλώιον ἔσται,
Φαλληνὸν τιμῶσι διονύσοιο κάρηνον. hoc est.

Hoc Methymneis præstabit ciuibus inquam,
Vt tua summissi præputia Liber adorent.

Neque pudet deorum sapiẽtissimum, quemq; Poetæ Phœbum appellant, vtpote castum & impollutum, responsis suis hortari Methymneos ciues ad Bacchi præputium adorandũ. Hic est Apollo, qui cùm suam ædem flammis videret absumi, nullas ei suppetias tulit, sed Parcarum decreto sortem hanc illi contigisse testatus, nam iam cecinit, qua incendiũ illud deflevit. Ego autem hoc loco eius carminis finem attulisse contentus ero, qui talis est.

Τέτλαθι μοιράων ἀμετάτροπα δίνεα μυμῶ. Hoc est.

Parcarum consulta feras quæ vertere non est.

His etenim certus promisit Iuppiter auctor
Quod fusis voluant, incõcussum fore semper.
Hoc itaque in fatis erat, vt voluentibus annis
Ab Ioue demisso hæc arderẽt fulmine tẽpla.

Alia quoque propè innumera est inuenire in Apollineis oraculis, quæ sint risu dignissima. Collegit autem eius oracula, non solum Porphyrius quo libro agit de electorum Philosophia, sed Oenomaus quoque Cynicus egregius in redarguendis eiusmodi responsorum mendacijs. Quòd autem hoc loco & Oenomai, & Porphyrij, & Plutarchi & Diogeniani, aliorumque meminerim, vestra maximè factum est causa, quando ij potissimum apud vos fidem promerentur, qui vestra vobis cum memorant. Nobis vero testimonium sufficit ab rebus ipsis petitum, quod quidem vocalissimum est, atque ad oraculorum falsitatem redarguendam maxime factum. Prius enim quàm vindex hominum Deus, in nostræ mortalitatis substantia appareret, quadam veluti nebula terram habitabilem continente, maligni dęmones hominibusque infesti, ceu sicarij quidam grassatoresq; insidijs ac laqueis vtebantur, omni retium genere speciem humanam captantes. Postquã vero lux diuinę veritatis orbi terrarũ exorta est, cuncti specubus latibulisq; suis relictis, fugã arripuerunt. Ideoq; Christo iam inter homines diuersante, statim exclamare cœperunt. ἔα τί ἡμῖν καὶ σοι, &c. hoc est. Sine, quid nobis & tibi Iesu filij Dei? venisti huc ante tempus torquere nos. Alij vero rursus obtestabantur eum, ne ipsos in abyssum demitteret. In Philippis autem Pythonis spiritus hæc de Apostolis vociferando testatus est, οὗτοι οἱ ἄνθρωποι δοῦλοι τοῦ θεοῦ ὑψίστου εἰσὶ, οἵτινες καταγγέλλουσιν ὑμῖν ὁδὸν σωτηρίας. hoc est. Homines serui sunt Dei altissimi, qui annunciant vobis viam salutis. Cùm itaque viderent præconium veritatis per omnes terrarum locos late diffundi, transfugarum militum modo, qui videlicet magnis atque horrendis facinoribus perpetratis instare sibi regis præsentiam conspicantur, arrepta fuga locos omneis in quibus insidiari hominibus consuerant vacuos reliquerunt. At vniuersorum conditor & dominator Deus illorum arces ac stationes funditus aboleuit. Nullæ itaque diuinationes ad Castaliæ aquas fluunt, nullæ ad Colophonium fontẽ, nihil prædicit lebes ille Thesprotinus, nihil tripus ille Cirrhæus, Dodonæum tintinnabulum nihil nugatur, nihil loquitur vulgatissima illa quercus. Sed tacet Iupiter Dodonæus, tacet Colophonius Apollo, Delius, Act. 16.

Pythius, Clarius, Didymæus. Silentium est in Lebadia, & in Trophonij antro, obmutuit Amphilochus, Amphiaraus obmutuit, & Ammonis oraculum. Cessauit etiam illa Chaldæorum ac Tyrrhenorum per mortuos diuinatio. His enim locis atque dæmonibus, ille silentium imperauit, qui vt Propheta inquit abyssum increpat, eamque exiccat, qui abysso inquit, ἐρημώσω ἅπαν, καὶ ποταμούς σου ξηρανῶ, etc. hoc est. Relinqueris deserta, & tuos fluuios exiccabo. Lauriger autē Apollo cùm suis suasibus daret operam, vt ossa Babylæ aliò transferrētur, incusso cœlitus fulmine ictus est. Neque enim patiebatur vicini Martyris numen ab eo quicquam prædici, hominesque solitis præstigijs irretiri. Verum sicuti magnus Paulus spiritum Pythonis increpuit, ita & Martyris huius cineres frenum vati mendacissimo iniecerunt. Cuius itaque modi fuerint Dæmonum vestrorum oracula, è vestris iam Philosophis accepistis. Qualia vero prædixerit opifex mundi Deus, quamque sint illa hominum vitæ vtilia, quantaque veritatis luce splendentia, licet vnicuique exactissimè edoceri qui in sacris literis diuersetur. Ego vero ex magno prædictionum aceruo pauca quædam adducam, vt qui inter se differant ex comparatione ostendam. Primo autem loco eas explicabo Prophetias quæ prædicunt idolorum euersionem. Audite igitur Esaiam dicentem, ἔσται ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐμφανὲς τὸ ὄρος τοῦ κυρίου, etc. hoc est. Erit in nouissimis diebus manifestus mons Domini, & domus Dei in vertice montiū, & exaltabitur super colles, & veniētad eū omnes gentes, & ambulabunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & annūciabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea, ex Sion enim exibit lex Dei, & verbū Domini de Hierusalem, & iudicabit inter gentes, & redarguet populum multum, & conflabunt gladios suos in aratra, & lāceas suas in falces, neq; assumet gens contra gentem gladium, neque discent amplius pugnare. Qualia igitur Propheta Esaias oracula prēdixerit, audistis. Age vero per veritatem vos rogo, num quod ibi sinuose aut ambiguè dictum vobis videatur? Sed negaturos confido. Videtis enim manifesta rerum indicia, cùm euenta eius prædictionis passim impleta conspiciantur. An non enim videtis Christianæ Ecclesiæ sublimitatem? An non cunctos ferè mortales illis suppliciter inclinatos, honoremque deferentes? Ac plurimos quidem spōte adductos id factitare, alios vero aduersantes præter animi sui sententiā deseruire? An non videtis excelsos montiū vertices, dæmonum vestrorū abominatione depulsa, monachorū cœnobijs exornatos? Nónne omnes vndique confluentes, verbumque quod apparuit in Sion Theologicè prædicantes, quodque inde verbum scaturijt amplectentes? An non cessasse videtis hostes Ecclesiæ, proque bellicis armis, agriculturæ instrumenta desumi? An non tenetis quo tempore Esaias hæc cecinit, sub alio rege fuisse Hierusalem, sub alio Samariam, sub alio Idumæos, sub alio Moabitas, sub alio Ammonitas? Quin & Arabes Madianitæ, Amalachitæ, Gazei, Ascalonitæ, Azotij, Sidoneij, Tyrij, Damasceni, sub diuersis singuli principibus regebantur? Neque enim solæ ciuitates, sed villæ quoq; ac pagani cœtus, suis subditi præfectis viuebant. Statim vero simul ac Seruator noster secundum carnem natus est, Cæsar Augustus latè rerū potitus, sublatis principatibus gentium, particularibusque imperijs, prouincias omnes Romanis subdidit gubernaculis. Hæc itaque præuidens Esaias, quæ superiùs attuli, diuino spiritu afflatus prædixit. Paulò vero post & euersionem idolorū quæ sibi homines manu confecerant, quasi tragicè decantauit, inquit enim, πάντα τὰ χειροποίητα κατακρύψουσιν, &c. hoc est. Omnia manu facta abscōdent, deferentes in speluncas & in scissuras petrarum & in foramina terræ à facie timoris Domini, & à gloria roboris ipsius, cùm surrexerit percutere terram. In die enim illa eijciet homo abominationes suas argenteas & aureas, quas fecerunt sibi vt adorarent res vanas & vespertiliones. Ita vt ingrediantur in foramina firmæ petrę, & in scissuras petrarū à facie timoris Domini, & à gloria roboris sui quando surrexerit percutere terram. Hanc vero Prophetiam me vobis interpretari non decet, sed vos magis illius admirari veritatem, faterique; ingenuè quæ sæpius admisistis. Nullus autē vos à confessione hac remoretur, neq; enim pudenda est peccati confessio, sed ipsa potius perpetratio. Quod si fortasse vos id fateri non vultis, at omnibus planè constat qui viderunt, sæpenumero vestros Deos terra obrutos fuisse, eosdemque ab ijs qui pietatem colere didicerunt, rursus erutos in spectaculum prodijsse. Impij enim dæmonum cultores, illorum simulachra occuluerunt, ita tutius præsidium suis dijs allaturos se arbitrantes. Quidam vero etiam rimantibus indicarunt vbi obruti delitebant. Nec defuerunt, qui erutos inuentosque in plateis publice spectandos proponerent, vt qui Dei quondam vocati fuerant, muliercularum adolescentiumque ludibrio impeterentur. Illorum namque imagines, aliæ reptiles, aliæ quadrupedes animantes referebant. Iam enim & vespertilionum simulachra & murum adorauerant homines. Cumque ipsa animalia, serpentes inquam, scorpiones, mures, vespertilionesque interficerēt, harum tamen animantium simulachra sibi Deos erexerant. Verum de his satis multa iam diximus. Aliarum itaque prædictionum veritatem inspiciamus, sunt enim quæ modo afferam eiusdem Prophetæ verba. τὰ δὲ λέγει κύριος ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ πεποιθὼς ἔσται ἄνθρωπος, etc. hoc est: Hæc dicit Dominus Deus Israel. In die illa confidet homo in eo qui fecit eum, oculi vero eius ad sanctum Israel respicient. Neque confident in altaribus, neq; in operibus manuum suarum, & quæ fecerunt digiti ipsorum. Neque amplius

Esa. 17.

plius videbunt arbores, neque abominationes suas. Hæc autem ipsa plusquā mille annis ante Constantini Cæsaris tempora, prædixerat Esaias. Postea enim dæmonum luci cū delubris destructi sunt. Verum multò antè ceu præsentia intueretur homo Deo plenus præuiderat, tuncq; illa prēdixit quę post tot annorū spatia euentura essent. At Iupiter Dodonæus, & Apollo Pythius, ne prēdixerunt quidē quo pacto gerenda essent quæ trimestri pòst tempore futura erant, sed ancipiti sono huc atque illuc vergentia oracula reddiderunt. Audite vero et quæ sequuntur, ἐπιστράφητε οἱ τὴν βαθεῖαν βουλὴν βεβουλευμένοι καὶ ἄνομον ὑμῖν Ἰσραήλ, &c. hoc est. Conuertimini qui profundū consiliū iniquumq; consuluistis filij Israel. Quoniam in die illa auferent homines opera manuum suarum, argentea & aurea, quæ fecerūt manus ipsorum. Et rursus. ἐγὼ θεὸς πρῶτος, καὶ εἰς τὰ ἐπερχόμενα ἐγὼ εἰμι. etc. hoc est. Ego Deus primus, & in ventura tēpora ego sum. Viderunt me gentes & timuerūt, & extrema terræ obstupuerunt, appropinquauerunt & venerūt simul, iudicans vnusquisq; proximo & fratri suo auxiliari, & dicet: Potuit vir faber & ferrarius verberans malleo simul & impellens, aliquando quidē dicet, commissura pulchra est, corroborarunt eā in clauis, statuent eā & non mouebitur. Neque enim ea stare possunt nisi clauis confixa sint, neq; nisi ab alijs ferantur ambulare possunt. Et iterum. ἰακὼβ παῖς μου ἀντιλήψομαι αὐτοῦ, etc. Iacob puer meus, susci piam eum, Israel electus meus, accepit eū anima mea. Dedi spiritū meum super ipsum, iudicium gentibus efferet. Non clamabit, neq; remittet, neq; audietur extrà vox ipsius. Calamum fractum nō franget, & linum fumigans non extinguet. Sed in veritatem efferet iudicium, splendebit & non quassabitur, donec ponat in terra iudiciū, & in ipsum gentes sperabunt. Ita dicit Dominus Deus Israel qui fecit cœlū & compegit illud, qui firmauit terrā & quæ in ipsa sunt, qui dedit flatū populo qui est super eam & spiritū ijs qui calcant eam. Ego Dominus Deus vocaui te in iustitia. Tenebo manum tuam, & corroborabo te. Dedi te in testamentum generis, in lumen gentium, aperire oculos cæcorum, educere è vinculis colligatos, & è domo custodiæ sedentes in vmbra. Ego Dominus Deus, hoc mihi est nomē. Gloriam meam alteri non dabo, neque virtutes meas sculptilibus. His itaq; verbis vniuersorum Deus Dominum nostrum Iesum Christum, vt hominem alloquutus est, quē videlicet à conspicua humanitate visibiliq; natura, & Iacob & Israel appellauit. Ex ea enim prosapia quod ad corpus assumptum pertinet, natus est. Ostendit præterea Christi mansuetudinem & tolerantiam, qua vsus est, cùm sibi ab Iudæis illuderetur. Hunc itaq; ait in testamentum generis datū fuisse. Patriarchis enim cæterisq; Iudæis, per hunc salutem se daturum promisit. Ait vero & hūc eundē in lumen gentium exortum esse, vt cæcorū oculos aperiret, vinculaq; captiuorum diffringeret, vtque eos à tenebris liberaret, qui in tenebris ignorantiæ tanquam in carcere desidebant. Cęcos autem ac vinctos atque in tenebris desidentes, eos vocauit qui circumuēti caligine ignorantiæ ac peccatorum cathenis vincti tenebantur. Quòd autemhac appellatione eos significarit qui vanis superstitionibus seruiebant, testātur ea quæ mox sequūtur: ἐγὼ γὰρ ἔφη κύριος ὁ θεός, τοῦτό μοι ἐστὶν ὄνομα, τὴν δόξαν μου ἑτέρῳ οὐ δώσω, οὐδὲ ἀρετάς μου τοῖς γλυπτοῖς. hoc est. Ego enim Dominus Deus, hoc mihi est nomen. Gloriam meā alteri nō dabo, neque virtutes meas sculpitibus. Etenim protinus vt in carne apparuit, ea dæmonas nudauit appellatione, quam sibi raptam circū posuerant. Paulò verò mox et hoc inquit. Κύριος ὁ θεὸς τῶν δυνάμεων ἐξελεύσεται σωτηρίαν πόλεμον καὶ ἐπεγείρει ζῆλον, etc. hoc est. Dominus Deus virtutū egredietur, vt conterat bellum & exuscitet zelū, & clamabit aduersus inimicos suos cum robore. Docet autem quare hoc olim non fecerit, ait itaque. εἰσιώπησα ἀεὶ αἰῶνος, hoc est. Tacui à sæculo, nunquid semper tacebo & tolerabo? Sustinui tanquam mulier quæ parturit, manifestabo, & dissipabo, & exiccabo simul. Sunt autem verba illa tolerantiæ ac longanimitatis, hæc vero humanitatis. Patiens enim Deus ab initio nō punijt delinquentes, subinde autem cùm iam satis hominibus pepercisset, errantes ad se vocauit, atque in errore perseuerātes dispersit, hoc est enim quod ait, Dissipabo et exiccabo simul, et ἐρημώσω ὄρη καὶ βουνούς etc. hoc est Desertos faciam montes & colles, ponam fluuios in insulas, & stagna arefaciam. Quibus sanè verbis idolorum lucos & templa significauit, quę in eiusmodi locis erant, hęc enim omnia, postquàm in nostra humanitate apparuit demolitus est. Inquit præterea. καὶ ἄξω τυφλοὺς οἰ ὁδῷ ἣν οὐκ οἴδασιν καὶ τρίβους οὓς οὐκ ἐγνωσαν, ποιήσω πατεῖσαι αὐτούς. hoc est. Et ducam cæcos, in viam quam nescierant, & in semitis quas non cognouerūt ambulare eos faciam. Olim siquidem aberrantes, viam veritatis nesciebant. Nacti igitur Apostolos, hospites, duces, lucisque ministros, erroris siquidem semitas reliquerunt, cognouere autem viam veritatis. Amplius vero ait, ποιήσω αὐτοῖς βαθεῖαν εἰς φῶς, καὶ τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν. hoc est. Faciam ipsis tenebras in lucem, & quæ sunt obliqua in rectum. Pro antiquis enim tenebris intellectuale lumen percipient, relictisque obliquis semitis recta incedent. Præterea vero quasi adhuc errantes ita increpitat. αἰσχυνθήτε αἰσχύνῃ οἱ πεποιθότες ἐπὶ τοῖς γλυπτοῖς etc. hoc est. Confundimini confusione qui confiditis in sculptilibus, qui conflatilibus dicitis, vos Dei nostri. Pauloque mox: ἰδὸ ἐγὼ ποιῶ καινά, ἃ νῦν ἀνατελεῖ, etc. hoc est. Ecce ego facio noua quæ nunc orientur, & cognoscetis ea, & faciam in deserto viam, & in sicco flumina, vt dem potum generi meo electo, & populo quem acquisiui mihi, vt enarret virtutes meas. Genus aūt nunc eos appellauit, qui crediderunt in eum, quorumque

Esa. 31.

Esa. 42.

Esa. 42.

Esa. 43.

ipse ob assumptam humanitatem primogenitus dictus est. Quòd vero hæc de gentibus dicat, ea quæ sequuntur planè ostendunt, ait enim, ἀκούσατε νῆσοι, καὶ προσέχετε ἔθνη, &c. hoc est. Audite insulę & attendite gentes, per multũ tempus state, dicit Dominus. Quorum nihil Iudæis congruere, tum insularum, tum gentium nomen indicat. Item & illud. ἀκούσατέ μου, ἀκούσατε λαός μου. etc. hoc est. Audi me, audi populus meus, & reges auribus percipite. Quoniam lex à me egredietur, & iudicium in lucem gentium. Appropinquat cito iustitia mea, & egredietur in lucem salutare meum. Me insulæ expectãt, & in brachium meum gentes sperabunt. Hisce autem omnibus verbis futuram gentium salutem prædixit, legemque Euangelicam ac diuinæ lumen cognitionis, quod per sanctos Apostolos gentibus cunctis attulit. Brachium itaq; non intellexit humani corporis membrum (simplex est enim Dei natura, & compositionis immunis) sed figurate robur diuinum significauit. Quia enim & milites manu pugnant, & agricolæ terram versant, alijque omnes artifices manibus vtantur necesse est, merito ac decenter nomine brachij robur illud significauit quo freti homines exclamamus: Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Rursus autem propheta idem exclamat: ἰδοὺ μαρτύριον ἔθνεσι δέδωκα αὐτόν, etc. hoc est. Ecce testem gentibus dedi eum, principem & præceptorem gentibus. Ecce gentes quæ non nouerunt te, inuocabunt te, populi qui nesciunt te, ad te confugient, propter Dominum Deum tuum & sanctum Israel, quoniam glorificaui te. Cùm itaque videatis Dominũ Iesum Christum in orbe terrarũ latè regnantem, gentesque omnes eius principatum libẽtissimè confitentes, intelligite iam prophetiam, eiusque veritatem suspicite. Audite vero & quæ sequuntur. καὶ φοβηθήσεται οἱ ἀπὸ δυσμῶν ὄνομα κυρίου, etc. hoc est. Et timebunt qui sunt in occidente nomen Domini, & qui in exortu solis, inclytum nomen eius. Et iterum. ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν, etc. hoc est. Manifestus apparui ijs qui me non interrogabant, inuentus sum ab ijs qui me non querebant. Dixi ecce sum, gentibus quæ non inuocauerunt nomen meum. Omnis deniq; Esaiæ Prophetia huiusmodi verborum plena est. Cęterum vt & alios quoque Prophetas videatis consona diuinitus prædixisse, audite & Hieremiam clamantem: οἱ τῷ καιρῷ ἐκείνῳ καλέσουσιν τὴν ἱερουσαλὴμ θρόνον κυρίου, etc. hoc est. In illo tempore vocabunt Hierusalem solium Domini, & congregabuntur in ea omnes gentes, neque ambulabunt post cogitationes malas cordis sui. Videte igitur quanta sit in Prophetarum verbis concordia. Videte mortales omnes ad ciuitatem illam vndique concurrentes, in qua dominicæ mortis mysterium salutare orbi terrarũ consummatum est. Videte omnes abominari idolorum impostura, illi autem qui olim cruci affixus pependit, diuinos honores persolui. Sunt autem

Psal. 22.
Esa. 55.
Esa. 59.
Esa. 65.
Hier. 3.

eiusdem Hieremiæ quæ modo adducam. τάδε λέγει κύριος, σταθῆτε ἐπὶ τὰς ὁδοὺς καὶ ἴδετε, etc. hoc est. Hæc dicit Dominus, State super vias, & videte. Quærite semitas Domini æternas, & videte quàm sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis sanctificationẽ animabus vestris, & dixerunt, non ambulabimus. Constitui super vos speculatores, audite vocem tubę, & dixerunt, non audiemus. Propter hoc audierunt gentes, & qui pascunt pecudes in eis. Quæ sane verba, seriem gestæ rei ostendunt. Primis enim Iudæis allata sunt, & à Prophetis & ab Apostolis diuina edicta. Postquam vero ij se contumaces præbuerũt, diuinę bonitatis dona cunctis gentibus data sunt. Deus itaq; qui per prophetam loquebatur, antiquos prophetas vias appellauit, bonam autem viam, ipsum mundi seruatorem Christumque Dominum. Sicut enim in regiam militaremque viam reliqui calles à pagis agrisque peruenìunt, ita & Prophetæ omnes hunc tanquam viam cunctis credere volentibus indicarũt. Ipse etiam Dominus Deusque noster in sacris Euangelis clamat: Ego sum via, veritas, & vita. Hortatur itaque Iudæos ad legenda Prophetarum oracula, quærendumque quod illi in oraculis prædixerunt. Renuentibus autem ac contumaciter reluctantibus, Euangelicam tubam attulit. Quia vero iterum dixerunt, non audiemus, exclamauerunt in ipsorum faciem diuini Apostoli verbis huiusmodi, quæ Lucas adducit in Apostolicis Actibus. ὑμῖν ἦν ἀναγκαῖον πρῶτον λαλῆσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, etc. hoc est: Vobis oportuit primum loqui verbum Dei. Postquam vero indignos iudicatis vos vita ęterna, puri nos, ex nunc ad gentes proficiscemur. Rursus vero idem Propheta, gentium salutem prędicit, clamatque ad vniuersorũ Deum, κύριε ἰσχύς μου, βοηθός μου, καὶ καταφυγή μου ἐν ἡμέρᾳ κακῶν, etc. hoc est: Domine robur meum, & auxiliator meus, & refugium meum in die malorum. Ad te gentes venient ab extremo terræ, & dicent, Quàm mẽdacia possederunt patres nostri idola, & non erat in eis vtilitas? Si faciet sibi ipsi homo Deos, & ipsi nõ sunt Dij? Quid autẽ his verbis manifestius esse possit? Propheta enim tanquam pręsens videret habitabilis terrę mutationem, quasique audiret gentes ad pœnitentiam cõuersas, deridentesque idolorũ imbecillitatem, ita tunc oracula sua conscripsit. Amos autem Propheta, non solum gentium salutem, sed Iudęorum quoque prædicit dispersionem, inquit enim, ἰδοὺ γὰρ, φησὶν, ἐγὼ ἐντέλλομαι καὶ λικμήσω οἶκον ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, etc. hoc est: Ecce enim, inquit, ego mando, & ventilabo in cunctis gentibus domum Israel, quemadmodum ventilatur triticum in *area. Pauloque mox, τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ, etc. hoc est. In die illa suscitabo tabernaculũ Dauid quod ciderat, & reædificabo ruinas eius & defossa eius, & reædificabo illud sicut dies æternitatis, vt quærant me residui hominum, & omnes gentes, in quibus inuocatum est nomen meum super eas, dicit Dominus qui facit hæc

Amos. 9.

* Alias vento tribabro.

hæc omnia. Si quis autem vestrum scire desiderat, quodnam sit hoc tabernaculum, audiat Ioannem sanctissimum sic dicentem: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, à patre plenum gratiæ & veritatis. Clamat autem et Sophonias. ἐπιφανήσεται κύριος ἐπ' αὐτούς, etc. hoc est: Apparebit Dominus super ipsos, & perdet omnes deos terræ, & adorabunt eum vnusquisque de loco suo & omnes insulæ gentium. Quia enim Iudæis præcepit vt templum quod est Hierosolymis frequentarent, necessario addidit fore vt mendacibus dijs de medio sublatis, vnusquisque verum Deum adoret, ita vt non cogatur quidem ad illud templum accurrere, cùm in suis vrbibus, agris, pagis, cultum Deo exhibiturus sit. Pauloque mox idem inquit Propheta: τότε μεταστρέψω εἰς λαοὺς γλῶσσαν ἐπιγνωσίαν αὐτοῖς, etc. hoc est: Tunc conuertam ad populos linguam in generationem ipsis, vt inuocetur nomen Domini, vt seruiant ei sub iugum vnum, à finibus fluuiorum Aethiopæ ferent mihi sacrificia. Vnam enim Apostolorum linguam in cunctarum gentium linguas dimisit, omnibusque detulit salutarem vocationem. Per Zachariam quoque consona his prædicit: θύγατερ καὶ εὐφραίνου θύγατερ Σιὼν, etc. hoc est: Delectare & lætare filia Sion. Ecce ego venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus, & confugient gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt sibi in populum, & habitabo in medio tui, dicit Dominus, & cognosces quia Dominus omnipotens misit me ad te. In hisce autem verbis vnigenitus Dei filius, & suam ipsius & patris ostendit personam. Missus autem esse dicitur, quia non sicut Deus, sed sicut homo apparuit. Conuenit autem sibi in aduentu suo implere iustitiam pro hominibus, ac præstare obedientiam quam tantopere laudauit. Iterum Zacharias idem, χαῖρε σφόδρα θύγατερ Σιὼν, κήρυσσε θύγατερ Ἱερουσαλὴμ, etc. hoc est: Gaude multùm filia Sion. Cane tuba filia Hierusalem. Quoniam ecce rex tuus venit tibi iustus & Saluator, ipse mansuetus, sedẽs super subiugalem & pullum iuuenem. Et perdet currus Effrem & equum ex Hierusalem, & perdetur arcus bellicus, & multitudo pacis ex gentibus, & dominabitur à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque * ad exitus terræ. Et rursus post multa alia: καὶ ἔσται κύριος εἰς βασιλέα ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, etc. hoc est: Et erit Dominus in regem super omnem terram. In die illa erit Dominus vnus & nomen eius vnum, ambiens in circuitu omnem terram & desertum. Quod autem viri Græci horum verborum est vmbris obscuratum, enarrationisue indigum? Aut quod non potius superius dictorum, habet vocalissimum rerum testimonium? Audite vero & per os Malachiæ Deum vniuersorum Dominum ita Israel compellantem: οὐκ ἔστι μοι θέλημα ἐν ὑμῖν, λέγει κύριος, etc. hoc est: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, neq; sacrificium accipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu solis & vsque ad occasum, nomen meum glorificatum est in gentibus, dicit Dominus omnipotens, & in omni loco thymiama offertur nomini meo & sacrificium purum, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Vos autem profanatis ipsum. Comparate quæso amici homines verba hæc rebus ipsis, ac videte tum Iudæorum contumaciam, tum gentium confessionem, videte inquam vbique terra ac mari spirituale sacrificium Domino Deo offerri, atque hymnis eum concinite, qui hæc tam manifestè prædixit. Quod si vultis & Danielis, & Ezechielis & Iohelis & Michęæ, omniumque Prophetarum oraculis oculos admouete, omnes enim, gentium salutem prædicunt. Deus profecto cum Patriarcha Abraham insigne illud fœdus percutiens, in semine ipsius daturum se gentibus benedictionem promisit: inquit enim: εὐλογήσω σε, καὶ μεγαλυνῶ σου τὸ ὄνομα, etc. hoc est: Benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus, & benedicam benedicentes te, & maledicentes te maledicam, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Neque hoc illi semel, verum sæpissime est pollicitus. Quin & eo defuncto eandem benedictionem dedit filio suo Isaac, postque illum ipsi Iacob. Quia enim ex illorum semine naturam humanam assumens factus est homo, mysteriumque dispensationis perficiens missis per orbem terrarum Apostolis pręcepit docere omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Illæ autem sic credentes, salutem consequutæ sunt. Iure ac decenter & ipsi Abraham, & ijs qui ex eo sunt geniti, benedictionem hanc dedit, eisdemque futura prænuncians magnitudinem præmij ostendit, ac diuinorum verborum auditores spe salutis consolatus est. Iacob etiam Patriarcha, cùm Iudam benediceret de gentium benedictione non tacuit, inquit ergo: οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰοῦδα, etc. hoc est: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat ille cui repositum est, & ipse expectatio gentium. Magnus item Moses exclamat: εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. hoc est: Lætamini gentes cum populo eius. Diuini autem Dauid quis Prophetias facile colliget? In secundo enim Psalmo vindicis nostri personam assumens, ita inquit: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. In octauo autem Psalmo hæc scripta sunt: Domine dominus noster quàm eleuata est magnificentia tua super cœlos? Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Videmus autem hæc quotidie euenire. In nono etiam Psalmo ad Deum conuersus: Exurge, inquit, Domine, non confortetur homo, iudicentur gentes in conspectu tuo. Constitue Domine legislatorẽ super eos

Ioan. 1.
Zach. 1.
* alias, fines.
Gen. 12.
Gen. 12.
Gen. 49.
Deut. 32.
Psal. 2.
Psal. 8.
Psal. 9.

eos,vt ſciant gentes quoniam homines ſunt. Quia enim ad extremam inſaniam genus humanum delapſum erat, neceſſario petit dari eis legiſlatorem, vt nobilitatem ſuæ naturæ cognoſcentes, brutum ac ferinum viuendi morem deponerent. In xxj. Pſalmo, hæc ipſa ſunt, Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentiũ, quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium, & quæ ſequuntur in eandẽ ſunt ſententiam. Prædicit autem è cunctis gentibus nouum populum. Tum & in quadrageſimo quarto Pſalmo ſic inquit: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Item & in quadrageſimo quinto: Vacate, & cognoſcite quoniam ego ſum Deus, exaltabor in gentibus & exaltabor in terra. Qui verò hunc ſequitur Pſalmus, ſalutem gentium totus prædicit, inquit enim: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus *altiſsimus, terribilis, rex magnus ſuper omnem terram. Quique hunc Pſalmi perpetui tres ſequuntur, omneſque vt ita dicam Pſalmi Dauidici, habitabilis terræ mutationem prædicunt, gentiumque prædicant & vocationem & fidem, Dei præterea vindiciſque noſtri ſubſtantiam illam quæ eſt ante ſæcula, ex Deo patre generationem, partum ex virgine, per eum facta miracula, irrogata illi ſupplicia, Iudæorum peruicaciam, Chriſti reſurrectionem ex mortuis, in cœlum aſcenſionem, Spiritus ſancti aduentum, in vniuerſum orbem terra mariſque Apoſtolorum diſcurſum. Eadem verò hæc & omnes alij Prophetæ prædixiſſe inueniuntur. Ego autem ſuperfluum putaui, omnes de Chriſto prędictiones colligere. Multis enim mihi librorum voluminibus opus eſſet, vt inde Prophetias omnes deſcriberem, quæque ſunt ad rem hanc opportuna decerperem. Sufficit autem, modo ipſi velitis, harum, quas nuper allatas vobis audiſtis, veritatem diſcernere. Sunt enim manifeſtæ atque veriſsimæ, ac velutĩ expreſſæ quædam rerum imagines. Sicut itaque optimorum pictorum artem facilius explorare quis poterit, qui veræ atque archetypæ rei pictam imaginem conferat, ita & vos decet quum prophetiam ſapientiſsimus pictor Deus antè depinxit, velut imaginem quandam rebus ipſis quę iam euenerunt, conferre, atque ita nihil euariantem ſimilitudinem intueri. Prius enim quàm Prophetia ex euentu rerum finem conſequeretur, non parum laboris erat perſuadere hominibus qui tunc viuebant, euentura eſſe quæ prædicerentur. Nunc autem cùm impleta iam videamus, quæ tot antè ſæculis Prophetæ illi prædixerant, quæque olim verba fuerant eſſe nunc facta, nullus iam nobis labor relinquitur ad faciendam auribus fidem. Aures enim, oculorũ teſtimonio nunc vtuntur. Neque indigemus Herodoti autoritate, vt ſciamus aures eſſe oculis infideliores. Oculi enim noſtri vident, quæ auditu aures accipiunt. Quando igitur & Prophetias à me citatas audiſtis, & rerum teſtimonia oculis inſpexiſtis, age iam noſtrorum Prophetarum diuinas voces, dæmonum veſtrorum oraculis comparate, vt cum Apoſtolo exclametis: Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæue conuentio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Quis conſenſus templo Dei cum idolis? Templa enim Dei, ſunt Prophetarũ chori. Idola verò quæ gentes adorarunt, ſurda & muta ſunt. De quibus & Dauid ita loquutus eſt: Simulachra gentium argentũ & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo. Neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Vobis autem viri Græci potius contingat veritatem perdiſcere, quàm Propheticæ huius imprecationis pati ſupplicium.

Pſal. 21.

Pſal. 46.

*alias, excelſus.

Pſal. 113.

DECIMI LIBRI FINIS.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS CONTRA INFIDELES GRAECOS LIBER VNDECIMVS, DE FINE & Iudicio.

ARISTIPPI nomen ò Græci homines ad veſtras fortaſſe aures peruenit, illius inquam Ariſtippi, qui ex filia nepos fuit eius Ariſtippi, quo Socrates amiciſsimo vſus eſt. Is itaque ex familiaritate matris atque conuictu (nam & hanc philoſophatam Græci aſſerunt) ad magnam Philoſophiæ cognitionem peruenit. Cognomen verò etiam ab re ipſa contraxit, omnes enim Mitrodidacton, hoc eſt, matris diſcipulum, appellabant. Atque illi quidem ad participatum Philoſophiæ, ſola matris documenta ſatis fuerunt. Vos autem cùm tot iam Prophetas audieritis, nec

nec minus & eos qui poſt Prophetas celebri doctrina claruerunt, perdiſcere veritatem non vultis. Hoc autem vobis inde vitium aduenit, quod exiſtimatis inutilia prorſus hæc eſſe inſtituta, quę de Chriſtiana religione perdiſcenda ſunt. Non enim Syracuſanas delicias, non remiſſum vitæ genus atque molliſsimum, non execrandas diuitias pollicentur, non ex diuitiarum fluxu lubricum Euripum, ſed ſudores multos laboreſque, vitam denique anxiam & duriſsimam. Sunt enim hæc omnibus ante oculos poſita, paſsimque perſpicua. Finis autem cuius gratia hęc feruntur, abſtruſus eſt, nullique conſpicabilis. Aſſueti enim ea ſola intueri quæ videntur, ſcire non poteſtis eorum naturam quæ non videntur. Oculis enim illis caretis, quorum fides eſt opifex. Ego autem hic quoque adhibitis ſacrorum ſermonum facibus, & hæc ipſa vobis oſtendam, quæ mihi oſtendendi, quæque vobis capiendi facultas erit. Puto autem nunc quoque operæ pretium me facturum, ſi Philoſophorum opiniones, ac diuina Euangeliorum dogmata vobis ex aduerſo conſtituam, vt expropoſita comparatione ſcire poſsitis, quemnam illi finem nobis ſtatuerint, & quem diuini ſermones polliceantur. Epicurus itaq;, iucundiſsima vita finem metitur. Supremum nanque bonum, ſolam eſſe voluptatem opinatus eſt. Democritus autem Abderites horum dogmatum pater, pro voluptate concupiſcentiam poſuit, non ſententiæ quidem, ſed nominum duntaxat facta mutatione. Heracletus item Epheſius nomen inuertit, ſenſum ſeruauit. Nam pro voluptate, beneplacitum dixit. Habet tamen hæc dictio, aliam quandam vim, infinita enim atque incerta ratione beneplacitum poſuit, qualitatem tamen huius beneplaciti non expreſsit. Sunt autem hac in re variæ hominum, differenteſque ſententiæ. Alijs ſiquidem placet temperantia. Alijs verò, quod huic maximè contrarium eſt vitium. Alijs continentia placet. Alijs, incontinentia. Alijs, per iniquitatem atque auaritiam viuere. Alijs, per iuſtitiam & æquitatẽ. Quod itaque vnicuique libitum eſt, quod iucundum atque amabile, id ille videtur finem hominis definiſſe, tacito quidem voluptatis nomine, proque eo beneplaciti vſus nomenclatura. Pythagoras autem, vltimum hominis bonum in exactiſsima numerandi ſcientia opinatus eſt eſſe. Hecatæus, in eo ſtatu rerum qui homini ſatis eſſet. Antiſthenes, in modeſtia & humilitate. Anaxagoras Clazomenius, in vitæ ſpeculatione, in eaque animi libertate quæ ab huiuſmodi ſpeculatione proficiſcitur, conuenientem Philoſopho terminũ omnino conſtituens. Maximum enim profecto bonum eſt, naturam rerum callere, vt ex ea cognitione contemnamus quæ fluxa ſunt, animumque ab omni ſeruitute liberum conſeruemus. Plato autem Ariſtonis filius, altitudine ac magnificentia termini, illum nobis occuluit. Bonorum ſiquidem finem ſtatuit, vt quantum in nobis ſit, Deo perquam ſimiles euadamus. Laudabilis ſanè adhortatio, quæ nos ad diuinorum imitationem inuitat, illa tamen verborũ additio, vt id faciamus quantum in nobis eſt, admirabile id magis homini quàm præſtabile oſtendit. Neque enim fieri poteſt, vt vſquequaque Deo ſimiles euadamus. Quo enim pacto viſibilis homo, inuiſibilem imitetur? Quomodo qui breuis eſt ac exiguo loco concluditur, illi queat eſſe perſimilis, qui extra omnem terminum conſtitutus ipſe continet vniuerſa? Quæ ſit rurſus ad æternum rerumque omnium conditorem illius ſimilitudo, qui recens eſt ac nouitius, quique ne vlnaris quidem quantitatis queat cœlum componere? Nulli eſt ergo natura illa, nulli potentia, nulli ſapientia imitabilis, bonitatis tamen ac manſuetudinis, iuſtitiæque ac humanitatis diuinæ typos aliquos quoquo modo effingi poſſe, nõ inficias iuerim. Quandoquidem & Chriſtus ijs qui perfectionem aſſequi cupiebant, genus hoc imitationis propoſuit, inquit enim: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt, qui oriri facit ſolem ſuper malos & bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Platonis quoque præceptor Socrates filius Sophroniſci, non diuitijs affluentem hominem, neque ſecundo vento ſemper vtentem, ſed iuſtitia exornatum virum ſolitus eſt felicem appellare. Impios enim ſceleſtoſque vocabat qui vtilitatem à iuſtitia ipſa ſeiungerent, opinatus in ſola probitate ac iuſtitia repoſitam eſſe vtilitatem. Oratores autem, his dictis aures accommodare noluerunt. Dicebant enim, vtilitatem ab recto ſeiunctam eſſe, non ſentientes vtilitatem ſine iuſtitia, omni vtilitate caſſam relinqui. Nam ſi iniuſtum eſt quod iuſtitia caret, quod eſt iniuſtum vtique erit & noxium, quod verò noxium eſt, vtile nunquam vocari poterit. Plato igitur eiuſque præceptor Socrates, conſona & laudabilia dixiſſe inueniuntur. Ariſtoteles autem, tametſi Platonis auditor fuerit, ex illius tamen doctrina parum profecit, ex triplici enim bonorum genere, id eſt animæ, corporis, ac externis bonis, plenam felicitatem fieri affirmauit. Aiebat enim, qui verè felix habendus ſit, eum non modo virtute excultum eſſe oportere, ſed robuſta præditum valetudine, ſed egregia forma inſignem, ſed diuitijs affluentem, qui autem careat aliquo eorum bonorum, felicem appellandum non eſſe. Hic autem, vt mihi quidem videtur, Simonidæ poetæ ſententiam ſequutus eſt, is enim ſic inquit: ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρί, etc. hoc eſt: Optimum eſt homini, vt bene valeat: proximum, vt bona ſit forma: tertium, vt ſine dolo ſit diues. Theognis item poeta, paupertatem vitari quàm maximè adhortatur:

Χρὴ πενίην φεύγειν πόλυ εἰς μεγακήτεα πόντον,
Ῥίπτειν καὶ πετρῶν κύρνε κατ' ἠλιβάτων.

Pauperiem fugitare decet, pelagiq; ſub vndas
Vertice vel montis mittere præcipitem.

Luc. 6.

Stoici verò ipſi, ſanxerunt quæ his apertiſsime ſint contraria. finem nanque hominis ac felicita-

felicitatem definierunt, vt naturam vitæ ducem sequatur. Animam quoque ijdem Stoici dixerunt, neque vtilitatis à commercio corporis, neque detrimenti quicquam accipere. Nam neque ad virtutem capessendam, bona corporis valetudine dum viuit, compellitur, neque rursus ad vitium trahitur, vlla corporis ægritudine. Hæc enim indifferentem habere vim opinabantur. Illud verò eorundem Stoicorum impudens planè verbum, atque audacius dictum est. Eandem nanque & Dei & hominis virtutem esse asserebant. At Epicurus his contrariam viam ingressus, felicitatem hominis eam definiuit, vt nec famem nec sitim patiatur. Proque tuenda saturitate, censebat vel aduersus patrem Iouem esse homini depugnandum. ad tantam ille impietatem voluptarium hominem erudiebat. neque enim solum Iouis nomen aduertendum est, quod ille in derisum ac dicterium vsurpabat, sed Deum totius mundi opificem, quem ille Iouis appellatione intelligens blasphemare est ausus. Hoc autem vitium illi accidit, quod & casui & atomis nimium tribuebat, nulloque duce gubernari, sed ferri sua sponte ac impune vagari cuncta opinabatur, nullam putans anteactæ vitæ reddendam esse cuiquam rationem, sed statum hominis sepulchrorum tenus protendi. Plato autem, vel defunctis vita hominibus iudicia imminere suppliciaque testatur. Ita enim in decimo Reipublicæ suo libro scriptum reliquit: ἐνταῦθα δὴ ἄνδρες ἄγριοι διάπυροι ἰδόντες παρεστῶτες, etc. hoc est: Hic itaque aderant feroces quidam viri, aspectuque ignei, qui cùm prodeuntem ex eo spiraculo mugitum percepissent, alios quidem seorsum correptos perducebant,* Aridæum vero nonnullosque præterea vinctos manus ac pedes decusso capite ac detracta cute iuxta viam raptabant, deflexo per acutissimas spinas tribulosque itinere. In ipso quoque Phædone proxima his conscripsit, inquit enim: τρίτῳ τραυμὸς τούτῳ κατὰ μέσον ἐσβάλλει, etc. hoc est: Tertius autem fluuius, hoscce medius interlabitur, ac non longe progressus, loco amplissimo cadens excipitur, qui multo igni ardere cernitur, ibique nostro hoc mari longe maiorem paludem efficit, aqua cœnoque subbullientem. Inde autem egrediens, serpit in circuitum cœno subturbidus, ambituque magno circumuolutus, tum ad alia peruenit loca, tum ad extremos Acherusiæ paludis fines, cuius tamen aquis minime commiscetur, sed multiplici ambitu sub terram volutus, infra Tartarum denique erumpit. hic est autem quem Pyriphlegethontem appellãt, cuius etiam riui auulsos aquarum ductus exufflando eructant, vbi terrarum locorumque contingat. Ex aduerso autem huius quartus item fluuius in horribilem atque asperrimum locum influit, fertur aũt coloris esse cyanei, Stygnusque nomine appellatur: quam vero influens paludem facit, Stygem appellant. Is itaque in eam cadens, certasque ab illius aqua vires accipiens, ac terræ demum immersus, lapsu erratico reuolutus fertur contra Pyriphlegethontem, fitq; illi obuius ex auerso ad Acherusiam paludem. neque vero illius aquis confunditur, sed hic quoque flexo volumine in circuitum lapsus influit in Tartarum, aduersus Pyriphlegethonti. Ego vero plura non dicam, ne cuncta quæ possent vobis adducens, æquo longiorem sermonem protraham. Facile est autẽ viri Græci hunc Platonis librum in manus sumere, docerique ex illius lectione quodnam iudicij tribunal ipse constituat, vtque leuiter peccantibus pares ac commensas pœnas decernat, grauiter autem crebroque delinquentibus, indelebiles. Ego autem pauca vobis ex eo libro nunc legenda apponam. sic enim inquit: οἱ δ' ἂν δόξωσιν ἀνηκέστως ἔχειν διὰ τὰ μεγέθη τῶν ἁμαρτημάτων, etc. hoc est: Qui autem videantur insanabiles esse ob magnitudinem delictorum, vt qui sacrilegia multa & grauia, quique cædes præter æquum ac iustum frequenter admiserint, & quæ sunt alia generis eiusdem, hos omnes æqua & conueniens sors in Tartarum demittit, vnde nunquam sint emersuri. Qui vero expiabiliter quidem sed tamen grauiter videantur peccasse, quale est, si qui iracundia perciti violenter in parentes aliquid fecerint, sed tamen pœnitentia adducti eos in reliquo spatio vitæ coluerint, aut si qui hominem occiderint, vel tale quippiam perpetrarint, hos sane ipsos nihilo secius oportet in Tartarum deijci, quumque annum ibi totum peregerint, ab vndis eiectantur: homicidæ quidem ad Cocytum, qui vero in parentes peccarunt, ad Pyriphlegethontem. Narrat autem post hæc Plato, quo pacto ij qui sic torquentur, magna voce veniam ab ijs petant quos iniuria ipsi affecerint, vtque illis renuentibus iterum in lacum deuoluantur, eadem quæ prius adhuc supplicia subituri. Quum hæc itaque tormentorum loca Plato satis ostenderit, tum & ea commemorat quæ reposita sunt ijs qui pie atque honeste vixerint. Sic enim inquit: οἱ δ' ἂν δόξωσι διαφερόντως πρὸς τὸ ὁσίως διαβιῶναι προκεκρίσθαι, etc. hoc est: Qui autem viuendi sanctitate excelluisse cæteros videantur, hi sunt qui ab hisce terrenis locis, tanquã à vinculis exoluti prorsusque liberati, ad superiorem illam puram habitationem peruenium, atq; ibi in terra optima collocantur. Qui vero homines per Philosophiam satis purgati fuerint, ij & reliquum omne tempus absque vllis penitus laboribus viuunt, & subinde in pulchriores quàm hæ sint, habitationes se cõferunt. Quę cuiusmodi sint, haud facile quisquam dixerit, neq; mihi præterea ad narrandum vacat. Sed horum gratia quę dicta sunt ò Simmia, omni studio est annitendum, vt virtutem ac prudentiam consequamur. pulchrum enim præmium est repositum, nec exigua consequendi spes. In Gorgiæ quoque libro, narrat ea quæ sunt his valde affinia. sic enim inquit: ἄκουε δὴ μάλα καλὸν λόγον, ὃν σὺ μὴ ἡγῇ μῦθον, ὡς ἐγὼ οἶμαι, ἐγὼ γὰρ λόγον, etc. hoc est:

* Vel ἐρρίπτουν.

Audi

Audi perpulchrum sermonem, quem tu quidem, quantum ipse opinor, esse fabulam existimabis, ego autem constantem sermonem puto. Itaq; dicantur tibi tanquam vera, quæcunque dicturus sum. Pauloque mox ita subsequitur: ἀνὴρ δὲ δικαίως καὶ ὁσίως βίον διελθὼν ὁτὰν καὶ ὁσίως, etc. hoc est: Eum vero qui vitam iuste ac sancte transegerit, morte obita in beatorum insulas deferri asserimus, easque incolentem frui omni felicitate, ac exortem esse malorum omnium. Qui vero iniuste atque impie vixerit, in iudicij ac iustitiæ carcerem detrudi affirmamus, quem Tartarum vocant. Et rursus: ἔπειτα γυμνὸς κρίτον ἀποθάνωσι τάφον, etc. hoc est: Præterea iudicandi sunt nudi rebus hisce casisque omnibus, mortui enim iudicandi sunt. Nudum quoque oportet iudicem esse, ipsumque etiam mortuum, qui anima duntaxat, quam iudicaturus est, animam speculetur cuiuslibet vita excedentis. oportet inquam esse iudicem priuatum cunctis consanguineis, qui omnẽ videlicet* mundum reliquerit, quo super terra viuens vtebatur, vt hoc pacto iustum sit, legitimumque iudicium. Plato igitur ita hæc narrauit vt qui maxime crederet esse apud inferos iudicij ac suppliciorum loca. In Aegypto enim cum Hebræis diuersatus proculdubio quę hic dicuntur, à prophetis accepit. Indeque didicit esse ignis fluuium, quem Daniel Propheta vidisse se narrat. Didicit autem & quæ leguntur apud Esaiam. Ille enim de ijs qui apud inferos puniuntur, hæc inquit: ὁ σκώληξ αὐτῶν ὁ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν ὁ σβεσθήσεται. hoc est: Vermis eorum non morietur, neque ipsorum ignis extinguetur. Et iterum: τίς ἀναπελεῖ ἡμῖν τόπον αἰώνιον; hoc est: Quis renuntiabit nobis locum æternum? Plurima vero in hanc sententiam est apud Prophetas perdiscere. Plato itaque tum sibi quædam inde assumens, tum & illis multa commiscens ex Græcorum fabulis, eos demum quos attuli de hisce rebus sermones scripsit. Quæ vero insequuntur, in eandem feruntur sententiam. Inquit enim: τῶν δὴ δικασῶν, ὅπερ ἔλεγον, πρῶτον μὲν ὁ Ῥαδάμανθυς ἐκεῖνον ἀνιστίεν πυλάλαβε, etc. hoc est: Ex iudicibus enim (quod dudum tibi dicebam) primum quidem Rhadamanthus ille, si quem talem iudicandum accipiat, nihil sane aliud illius hominis nouit, neque quis sit ille, neque ex quibus ortus parentibus, sed solum curat malúsne illesit, quod vbi comperit, ad Tartarum eum demittit, signo apposito indicans sanabilísne an insanabilis videatur. Ille autem eo transmissus, congruentia patitur. Nonnunquam vero idem Rhadamanthus hominis Græci animam conspicatus, quæ sancte vitam peregerit, idiotæque aut alterius qui veritatem coluerit, atque vt equidem sentio ò Callicles, Philosophi præsertim animam nactus, qui soli sibi vacauerit, neque multarum præterea rerum in vita solicitus fuerit, amanter hanc excipit Rhadamanthus, atque ad beatorum insulas mittit. Pauloque mox hæc prædictis adiunxit: ἐγὼ μὲν, ὦ Καλλίκλεις, πείθομαι τούτοις τοῖς λόγοις πέπεισμαι, etc. hoc est: Mihi quidem ò Callicles his rationibus persuasum plane iam est, idque vnum maxime aspicio, vt quàm sanissimam animam iudici Rhadamantho ostendam. Missàs igitur eas faciens quas multi appetunt dignitates, veritatiq; incumbens, curabo vt quantum in me sit, quàm optimus homo viuam, quumq; mihi moriendum sit, mori homo quàm optimus. Hortatos autem & cæteros mortales velim quàm maxime possum, teque ipsum in primis ad hoc tam pulchrum virtutis certamen quod præ cunctis certaminibus quæ adiri possunt in vita optandum esse affirmo. Teque nunc ipsum increpo & accuso. neque enim tibi ipsi vllas poteris afferre suppetias, cùm tibi causa ibi fuerit, statueturque iudicium quod tibi modo commemorabã. Sed cùm veneris in conspectum iudicis illius Aeginæ filij teque ille correptum eò perducet, hiabis attonitus, tenebrasque & vertiginem non tu ibi minus quàm ego hic patieris, ac te fortasse ille percutiet, colaphisque capiti tuo incussis, ignominia te dedecoreque afficiet. Hæc autem tibi fortasse tanquam anicularum fabulæ dici videntur, tibique contemptui habebuntur. Neque sane admirandum sit, hæc à nobis contemni, si quærentes possimus quæ hisce meliora, quæque his veriora sint, inuenire. Nunc autem vides, quod qui tres estis Græcorum sapientissimi, tu inquam Polus & Gorgias, nequaquam probare potestis aliam nobis viuendam esse vitam, præter hanc quæ videtur ad eam felicitatem percipiendam profutura. Hæc igitur Plato, & in eo quem nuper adduxi sermone, de rebus illis disseruit, sapienterq; admodum hortatus est, vt hic ea curemus per quæ à supplicijs illis expediamur. In Critone etiam leges inducit ita Socratem alloquentes: ἀλλ' ὦ Σώκρατες πειθόμεθα ὑμῖν τοῖς τρόφοῦσιν, etc. hoc est: At ò Socrates nobis credetuis altricibus, neque iustitia liberos, neque vitam, neque quicquam aliud pluris facito, vt quum ad Plutonis domos descendes habeas hæc omnia quæ respondeas inferis illis principibus. In ipsa autem Apologia, mortem etiam bonam esse dixit: ἐννοήσωμεν δὴ καὶ τῇδε, ὡς πολλὴ ἐλπίς, ἀγαθόν* αὐτὸ εἶναι, etc. hoc est: Cogitemus enim etiam hic viuentes, valde admodum sperari posse, bonam esse mortem. Duorum enim alterum fit in ea oportet, vt vel nihil amplius sit, nulliusque rei sensum habeat qui defunctus est, vel ex ijs quæ diximus ei mutatio quædam contingat, animæque de hoc ipso habitaculo in locum alium commigratio videatur. Sunt hęc autem Platonis dicta laude dignissima, tametsi admixta quædam habeant ex nothis adulterinisque dogmatis, vt Rhadamanthum, Minoem, insulas beatorum, solasque animas sine corporibus puniendas esse. sunt enim hæc à veris pijsq; dogmatis aliena. Est autem

* Mundum hoc loco etiã pro ornatu & decore possumus accipere.

Daniel. 7.

Esa. 66.

* Κρίνειν θάνατον.

illi

illi quodammodo ignoscendum, qui particeps Apostolicæ doctrinæ non fuerit. Quæ vero is de animarum in hæc atque illa corpora transmigratione, de Pythagoræ dogmatis compilarit, sunt nobis penitus euitanda. sunt enim ea oppidò quàm ridicula. inquit enim in Phædonis libro de animis quæ in corpora transmittuntur, eas vt par est induere iterum mores illos quos in hac vita excoluerunt. Inquit ergo: τὰ ποῖα δὴ τοῦτα λέγεις ὦ σώκρατες, etc. hoc est: Quales vero mores hos esse dicis ò Socrates, vt si qui videlicet gulæ indulserint, petulantesque se aut temulentos præbuerint, nulla prorsus honestatis habita ratione, hosce asinorum species ac bestiarum subire vero simile est? An non ita maxime congruum fore affirmas? Qui vero iniurias, tyrannides, rapinasque præoptarint, in lupos, accipitres, miluosque transire? Nam quò aliò dicamus sese tales animas recepturas? In hæc profecto animalia, inquit Cebes. Ne vero cuncta quę sunt apud Platonem percensens, sermonem longius protraham, qui eum legat facile affirmantem inueniet, animas eorum qui virtutem politicam exercuerunt, apicularum corpora vesparúmue ac formicarum & hominum subituras. Hæc vero non modo sunt perridicula, verum ijs quæ Plato superius dixit penitus sunt contraria. Ibi enim puniri animas affirmat, alias quidem in Acherontem fluuium paludemque Acherusiam, alias vero in Stygem, Cocytumque ac Pyriphlegethontem abiectas. Queque inexpiabile quid peccarint, fluxu Pyriphlegethontis conuectas in tartarum rapi. Quæ vero ita deliquerint vt expiari possint, nihilo secius deferri per vndas fluminis, sed tamen suppliciter ab ijs veniam petere quos à se olim iniuria affectos ibi in ripa fluminis adesse conspiciant. Rursusque ab amnis defluxu in paludem sontes illos deferri ait. Hoc autem loco eos qui voluptatibus fœde seruierint, asinos inquit fieri. Qui vero tyrannicam vitam rapacemque adamarint, transire in luporum, accipitrum, miluorumque corpora. Egregia vero ac beatissimorum præmia illis decreuit, qui politicam vitam virtutemque obierint, quandoquidem euadere illos inquit in vespas, apes atque formicas. Hoc enim honoris genus homo Philosophus illis contribuit, qui virtutem officiumque coluerunt. Atqui & hęc sunt superne dictis contraria. Ibi enim eos ad beatorum insulas destinauit. Philosophorum autem habitacula ne verbis quidem explicari posse asseruit. Hic autem eis attribuit vesparum, apicularum, ac formicarum vitam. Quique olim in vita neminem iniuria affecerint, præmium innocentiæ hoc ait accipere, vt alijs maxime noceant. Apes enim ac vespæ, natæ sunt stimulis aculeisque ictus inferre. Ipsæ item formicæ segetes depræ dantur, sibique cum agricolis terræ fructus compartiuntur, tametsi minus in laboribus tolerandis sociæ fuerint. Vespæ autem, plantarum cultoribus molestissimæ sunt, arboreos enim fœtus terebrant & corrumpunt. Idem quoque & apiculæ ipsæ faciunt, neque tamen horum quicquam incommodorum sapientissimo atque optimo philosopho in mentem venit, sed ad solam Pythagoræ illius qui primus hasce animarum commigrationes commentus est, authoritatem respexit. Quin & alibi Plato noster huiusmodi nobis fabulamenta adducit. Inquit enim: ἐς δὲ γὰρ δὴ ὀθερμῖκῆ ἡ ψυχὴ ἐκάστου νεκρὸν ἐλθοῦσα μυρίῳ, etc. hoc est: In eum quidem locum vnde anima proficiscitur, non quælibet vtique peruenit infra decies mille annos. neque enim alas ad euolandum assumit ante hoc tempus, præterquam illius anima qui philosophatus ingenue fuerit, puerosque secundum Philosophiæ normam adamarit. hæ nanque tertio vitæ peracto circuitu, millesimo demum anno * liberantur. Ter, inquam, continue ad hanc vitam pennis ita sublatæ, post annos mille discedunt. Alię vero animæ quum vitam primam peregerint, iudicium subeunt, quo absoluto alię quidem in subterraneą fora demissæ, pœnas persoluunt. Aliæ vero ab iustitia in quandam cœli regionem sublatæ, agunt pro illius vitæ meritis quam olim inter homines victitarunt. Horum autem verborum quę sit stultitia, est intueri promptissimum. Quis enim Platonem docuit illa dena annorum millia? Vnde hic, inquam, didicit, annorum decem millibus euolutis vnamquanque animam in suum locum reuerti? Quæ autem superioribus verbis intersita sunt, ne à flagitiosis quidem hominibus, nedum à Philosopho dici conuenit, adiunxit enim puræ Philosophiæ cultoribus, lasciuos puerorum amatores, eademque præmia & his & illis reposita esse ostendit. Sed enim horum quoque verborũ quandoque oblitus (cœlum nanque huiusmodi animis in Reipublicæ libris sedem constituit) Orphei animam cygni corpus induisse ait, Agamemnonem vero aquilam euasisse, in leonem transisse Aiacem, in athletam Atalantam, in simiam vero Thersiten. Neque sane scio cuius rei gratia tam insulsa dogmata suis dialogis Plato inserta voluerit. Mihi profecto magis iocari, quàm serio agere videtur, vbi animarum in hæc atque illa corpora commigrationes commemorat, multis enim locis esse pœnarum sedes apud inferos narrat. Ego itaque ad eas potius me conuertam, ne tanti Philosophi orationem in eiusmodi ridiculis relinquamus. Audite igitur sic loquentem: ἀλλ' ὁ μύθοι σοι, ἦρ δ' ἐγὼ Ἀλκίνοε γε ἀπόλογον ἐρῶ, etc. hoc est: Verum tibi ego non Alcini apologum referam, sed fortis viri Heris Armenij, genus è Pamphylia ducentis, sermonem narrabo, qui quum in prelio cecidisset, decimoque pòst die aliorum quidem corpora qui simul occubuerant, iam marcentia recepta essent, integer adhuc sublatus est, domumque delatus. quumque duodecimo ab interitu die tumulandus esset, ante pyram constitutus reuixit, reuersusque ad sese narrauit

*Al. dimittuntur.

narrauit quæ apud inferos vidisset. Inquit ergo animam è corpore egressam, cum multis alijs peruenisse ad admirabilem ac incredibilem quendam locum, in quo duo hiatus terræ paterent sibi inuicem coherentes, tum & cœli apertiones duæ quæ illis supernè ex opposito imminerent. Inter hos hiatus medij iudices desidebant, qui peracto iudicio, iustorum quidem animas iuberent per dexteram apertionem ad superna cœli conscendere, quibus in pectore iudicij sui notas iudices ipsi assuerant. Iniustorum autem animas iuberent per læuam ad inferna præcipitari, has quoque nihilo secius in tergo anteactæ vitę signa gestantes. Sibi vero aiebat in conspectum progresso dixisse iudices, oportere illum nuntiare hominibus quæ ibi fierent, iussisseque illum omnia diligenter auditu visuque percipere. Sunt vero hi philosophia digni sermones, neque enim animas in brutorum corpora summittunt, sed in cœlestem subuehunt regionem quæ bene vixerint, quæ vero contrarium virtuti vitium præoptarint, ad inferos detrudunt, vt iam mihi videatur, ibi quidem ioco, hic autem serio agere. Plutarchus quoque in ijs quæ de anima cõscripsit, & iudicem subostendit, & iudicij ministros inducit huiusmodi narrationem suis verbis interserens. Ἀτύλλω φησὶ, τούτῳ καὶ αὐτοὶ παρῆμεν ἅμα Σωσιπίλῃ καὶ Ἡρακλεῶνι, διηγεμένῳ. etc. hoc est. Huic inquit Antyllo, & nos narranti interfuimus, cùm Sositele simul & Heracleone. Is enim cum Medicis iam exanimis videretur, paulum ad se reuersus ex quadam non admodum profunda dormitatione, nihil sane aliud fecit aut dixit, quod emotę mentis signũ censeri posset. narrabat autẽ se vita perfunctum, iterum in vitam redijsse, neque tamen prorsus atque irreuocabili morte ex ea tunc ægritudine perijsse: immo autem ministros qui se ad inferos deduxerant, ab ipsorum præsidę grauiter increpitos fuisse aiebat, qui pro Nicanda ad quem deducendum missi fuerãt, Antyllum in conspectu eorum statuissent. Erat autem Nicandas sutor coriarius, qui cùm paulo mox interisset, statim se Antyllus dicebat in vitam ac prosperam valetudinem redijsse. Qualia sint igitur Philosophorum dogmata, vtque ipsorum alij quidem mensi sunt ventre humanam felicitatem, alij vero perfectius quiddam de ea loquuti sunt, vtq; alij humanam vitam sepulchrorum tenus esse censuerunt, alij quantum valuere dicendo conati sunt ostendere horribilia quædam suppliciorum loca, neque tamen ea fabulis expedita nobis reliquerunt, ex ijs quę superius dixi iã percepistis. Tempus vero iam est, vt quæ Deo congruentia sunt Euangeliorum sacra dogmata contemplemini. Nostrates ergo, initiũ bonorum à laudabili timore Dei auspicantur. Initium enim sapientiæ timor Domini, vt & Salomon & Dauid Salomonis pater testatur. Finem vero bonorum faciunt, diuinis & legibus & præceptis excultam vitam. Beati enim immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Hoc idem nos in Euangelijs docuit totius mũdi seruator. Beatos enim vocat non diuites, non delicijs deditos, non eos qui à torrente voluptatis ablati rapiuntur, sed pauperes spiritu, sed mites, sed misericordes, sed qui esuriunt, sitiuntque iustitiam, quique pro tuenda probitate aduersi aliquid patiuntur. Pollicetur autem sese ijs daturum cœleste regnum, qui in eiusmodi rebus gerẽdis nauiter sese gesserint. Non abs re autem facturum me putem, si nunc eas vobis recenseam leges quæ nobis sub specie beatitudinis scriptæ sunt, inquit enim, μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, etc. hoc est. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecũtionẽ patiuntur propter iustitiã, quoniam ipsorũ est regnum cœlorum. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniã ipsi Deum videbunt. Alia item Euangelica præcepta, in eãdem ferme tendunt sententiam. Sed hęc satis erunt ad ostendendam legislatoris intentionem, quenque nos ille respectare finẽ edocuit. Neque enim nos iussit expectare diuitias, non pulchritudinem sanitatemque corporis, sed officiosos sudores multaque pro virtute discrimina. Tum & maxima virtutis præmia, nullique dictu facilia, quæ enim possit oratio immortale illud infinitumq; cœleste regnũ satis ostendere? quę vitam illam senectute, curis doloribusq; carentem? De his aũt rebus Paulus exclamat, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, etc. hoc est. Quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę preparauit Deus diligentibus se. Quòd si ne is quidẽ qui spectator interfuit, ea narrare potuit quorũ spectaculo dignus est factus, vix alius effari audebit quæ dicenda non sint. Audite verò quæ Paulus ad Romanos scribit, vt sciatis & hunc, finem homini statuisse vitam æternam, ὅτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, etc. hoc est. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis ipsi iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tũc in illis in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero, vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors, gratia aũt Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Satis est, enim inquit, libertatis donum, vt ex seipso fructum vobis pietatis ostendat, tamen ex sua liberalitate munificus Dominus ac magnificus æternam vobis superingerit vitam, vt peccati ac iustitiæ differentiam cognoscatis, peccatum enim, finem habuit mortem. Iustitia vero, habet vitam ęternam. Subinde autem & maximum donorum ostendit. ὅσοι γὰρ, φησὶ, πνεύματι θεοῦ ἄγονται, &c. hoc est. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, non enim accepi-

Psal. 110. Eccle. 1.

Psal. 118.

Matth. 5.

1. Cor. 2.

Rom. 6.

Rom. 8.

ſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater. Ipſe enim ſpiritus, teſtimonium reddit cum ſpiritu noſtro, quod ſumus filij Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen conpatimur vt & conglori-
Galat. 4. ficemur. Ad Galatas quoque ſcribens idem, ſic inquit, ὥστε οὐκέτι εἶ δοῦλος etc. hoc eſt. Itaque iam non es ſeruus, ſed filius. Si autem filius, & hæres Dei per Ieſum Chriſtum. In eandem quoque ſententiam & ad Timothe-
Timoth. 4. um ſcribit, πιστὸς ὁ λόγος, εἰ γὰρ συναπεθάνομεν, καὶ συζήσομεν, etc. hoc eſt. Fidelis ſermo, ſi enim commortui ſumus, & conuiuemus, ſi ſuſtinemus, & conregnabimus. In alio item loco ad eundem Timotheum ſic ſcriptũ eſt,
Ibidem. ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, etc. hoc eſt. Ego enim iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex, non ſolum autem mihi, ſed & omnibus ijs qui dilexerunt aduentum eius. Pari modo & de reſurrectione corporum, & Corinthjs, & Theſſalonicenſibus, & Philippẽſibus, & multis alijs ſcripſit. Ὁ νῦν μὲν, φησὶ, σπείρεται ἐν φθορᾷ, etc. hoc eſt.
1. Cor. 15. Et nunc quidem ſeminatur in corruptione, reſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale. Et rurſus. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur, oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Et iterum: ἡμῶν δὲ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, etc. hoc eſt. Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, vnde & Saluatorem expectamus Dominũ Ieſum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori gloriẽ ſuæ. Ipſe quoq; Domi
Ioan. 6. nus hiſce verbis Iudæos alloquutus eſt, ὅλον υἱὸς ἀνθρώπου ὤν, μὴ θαυμάζετε τοῦτο, etc. hoc eſt. Quoniã filius hominis eſt, nolite mirari hoc, quoniam venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionẽ vitę, qui vero mala egerunt in reſurrectionem iu-
Matth. 24. dicij. Rurſuſq; cùm de communi fine rerum diſſereret, verba hæc addidit, εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν ἡμερῶν ἐκείνων ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, &c. hoc eſt: Statim vero poſt tribulationẽ dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna nõ dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc apparebit ſignũ filij hominis in cœlo, & plangent ſe omnes tribus terræ. Hiſce autem verbis oſtẽdit luctum eorum qui Euangelio non
Matth. 25. crediderint. Tum & adducta virginum parabola, in qua ipſarum aliæ cum lampadibus ingreſſæ ſunt thalamum, aliæ vero extra thalamum remanſerũt, quod earum lampades ex-
Ibidem. tinctæ ſunt. cumque etiam talentorum parabolam addidiſſet, ſeruorumque induſtrio-

rum meminiſſet, ac inertis illius qui talento occultato miſſus eſt in tenebras exteriores, ita demum ſubiunxit. ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, etc. hoc eſt. Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes ſancti Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & cõgregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidẽ à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet rex ijs qui à dextris eius erũt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Hoſpes eram, & collegiſtis me. Nudus, & cooperuiſtis me. Infirmus, & viſitaſtis me. In carcere eram, & veniſtis ad me. Ibi iuſtis dicentibus ſe nihil vnquam tantis dignum præmijs præſtitiſſe (proprium eſt enim virtutis athletis, vt modeſtos ſe præbeant, ſuaſque opes occultent) eis contrà ita reſpondit: Amen dico vobis, quod feciſtis vni ex his minimis fratribus meis, qui in me crediderunt, mihi feciſtis. Hos autem cùm ita vocis ſuæ præconio collatiſque laborum præmiis honeſtarit, tunc dicet & ijs qui ſtabunt à ſiniſtris, πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, etc. hoc eſt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius. Explicat autem malis quoque ſuppliciorum cauſas, quandoquidem nullus eorũ ea præſtiterit quæ iuſtorum præſtitit chorus, neque ſummam illorum modeſtiam imitati fuerint. Iuſti enim etiam ſe feciſſe negabant bona cuncta quæ fecerant, hi vero quę non fecerunt ſe feciſſe mentiuntur. Iure ergo redarguti, pœnis ſupplicijſque tradentur. Hæc itaque viri Græci conferte, quæſo, cum Platonis ſermonibus, qui maxime laudandi ſunt. Cæteræ enim Platonis, tum & aliorum Philoſophorum nugæ, dignæ ſunt quæ in tenebras exteriores mittantur. Quæ vero nos è Platone decerpta vobis laudauimus, habent aliquam cum Euangelicis dictis affinitatem, malorum enim ſupplicia, boniſque repoſita præmia, & ille cõfeſſus eſt, & ſacra nobis tum vetera tum recentiora monumenta oſtendũt. Iudices tamen ille multò alios nobis induxit, Aeacum, Minoem, Rhadamantum, homines videlicet nõ vſquequaque laudandos. Minoem vero ſunt, qui criminibus etiam multis accuſent. Nos autem iudicem nobis eum expectamus, qui & nos fecit, optimè conſciũ naturæ illius quam ipſe effinxit, neque eius facta ſolum dictaque callentem, ſed ipſos quoque internæ cogitationis motus, iudicabit autem nos, huius noſtrę humanitatis veſtem indutus, ſuę nanque diuinitatis natura, oculis cerni non poteſt. Hinc & ſeipſum hominis filium ſæpe appellat, quia videlicet ij qui iudicabuntur, noſtram hanc naturam in eo videbunt. Eam ob rem Paulus A-
Act. 17. poſtolus cùm apud Athenienſes concionaretur, ſic inquit: τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπερ-

ὑπεριδὼν ὁ θεὸς, etc. hoc eſt. Tempora igitur ignorantiæ Deus non curans, nunc annunciat omnibus vbique hominibus, vt pœnitentiam agant, eò quòd ſtatuit diem in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis. Si quis autem veſtrum minime ijs credit quæ multa vobis adducimus, putatque nugas eſſe Apoſtolorum verba, ſaltem hinc, queſo, illorum veritatem perdiſcat. Multa ſanè de futuræ vitæ ſtatu, tum Chriſtus ipſe, tum ab eo miſsi diſcipuli prædixerunt, multa inſuper & alia ijdem prænuntiarunt, quæ nihil quidem ad illam futuram vitam, ſed ad hanc duntaxat, quam hic traducimus, pertinerent. Diſquirite igitur diligenter ſpectantes ad hanc vitam prędictiones, quas ſi fuiſſe veras inuenietis, ac in euentus rerum clariſsimos abijſſe, tum & ea quæ de futuris adhuc rebus prædicta ſunt, ſine vlla prorſus diſceptatione accipite. Hoc vero ipſum hac maxime vobis ratione inſpiciendum eſt. Hieroſolymę vrbis obſidionem Chriſtus euerſionemque prędixit, templumque illud celeberrimum funditus proruendum, fore etiam vt Iudæi qui ſe crucis ligno affixuri erant, patrio ſolo extorres per vniuerſum terræ orbem diſpergerentur. Agedum itaque videamus an hæc prædictio ad euentum peruenerit. Ac de Iudæis quidem vos dubitaturos non puto, patria enim vrbe expulſi iam ſunt, alioq; terrarum commigrarunt. Templi vero ſolitudinem, immo autem à fundamentis euerſionem, qui è vobis eò profecti viderunt, confiteantur, reliqui vero, ſaltem narrantibus fidem habeant. Ego quidem hiſce oculis vidi deſertum templi locum, quamque rerum prædictionem auditu prius acceperam, hiſce inquam oculis ſum intuitus, veritatemque non laudaui ſolum ſed etiam adoraui. Eorum itaque verborum veritatem res ipſæ clamore vocaliſsimo prædicant. Quæramus verò & alterius Prophetiæ finem. Chriſtus Apoſtolis ſuis quę certamina ſubituri erant periculaque prædixit, quo videlicet tempore ſuam doctrinam
Matth. 10. Iudæis et gentibus inuulgarent. ἰδὼ γὰρ, ἔφη πρὸς αὐτοὺς, ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων, etc. hoc eſt: Ecce enim inquit eis, ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Et iterum. Tradent vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ad preſides & ad reges ducemini, propter me in teſtimonium illis & gentibus. Pauloque mox. Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Item hæc amplius. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius? Itemque. Nolite arbitrari, quia venerim mittere pacem in terram. Non veni mittere pacem, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrẽ ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. Hæc autem viri chariſsimi cernimus euenisse, ijs enim circũuenti periculis quæ Chriſtus prędixerat, lucem orbi terrarum Apoſtoli attulerunt, quique Apoſtolis ſucceſſerunt, religionem ab illis acceptam conſeruarunt. Cuius rei nobis ſunt teſtes, ſepulchra Martyrum quæ per terrarum orbem terra marique reſplendent, quaſique veritatem prædicant diuinarum prędictionum, neque enim illis ſola diſcrimina, ſed victoriam quoque prędixit. Super hanc enim inquit, petrã ædificabo Ec- Matth. 16.
cleſiam meam, & portæ inferi non præualebuut aduerſus eam. Eſt autem videre quod Chriſtus fore prædixit, iam domos familiaſq; diuiſas. Viri enim Chriſtianæ religioni affecti, vxoribus infeſti ſunt quæ adhuc in ſua impietate perſiſtunt. Item quæ vxores eiuſdem religionis iugum ſubierunt, vagos errabundosq; viros ſuos fidei ſagena irretire contendunt, neceſſariaque ad ſalutem diſſenſio, ita laudabilem parit coniunctionem. Atque vt prędictiones alias miſsas faciam, mulier quædam ad ſanctos Chriſti pedes vnguentum attulit, cuius ille fidem accipiens, circunſtanti-
Matth. 26. bus inquit diſcipulis. Amen dico vobis, vbi- Mar. 14.
cunque prædicatum fuerit Euangelium hoc regni, prædicabitur & quod fecit hæc in teſtimonium eius. Hanc vero prædictionem videre eſt iam finem conſequutam eſſe, vbique enim terra ac mari, mulieris huius fides prædicatur. Quando igitur hæc Chriſtus multò antè prædixit, idemque futuræ vitæ ſtatum nobis prænuntiauit, videmuſq; perſpicuam rerum harum veritatem, illa quoque ſine cõtrouerſia, queſo, accipiamus ab ijs quę facta iam cernimus ad ea perducti, tanquam rebus his vtamur pro rerum illarum ſignis & argumentis, hac enim cauſa & hæc & illa Chriſtus prædixit, vt his ea maxime ſtabiliret. Ac honores quidem, quos in ſe credentibus minime eſt pollicitus, liberaliter tamen dedit, neque viuis ſolum ſplendoris multum contribuit, ſed optime defunctos plurimo honore affecit, vt ex ijs quæ minime pollicitus tamen dedit, credamus euentura quæ eſt pollicitus. Nam qui ea donauit quæ ex conuentionibus non debebat, quique ſua liberalitate longe promiſsiones exceſsit, dabit procul dubio reliqua quæ promiſit, quæque decertantibus præmia oſtendit. Turpe enim ac miſerum ſit, vt ludorum quidem gymnaſiorumque præfecti, athletis præbeant quæ ſe daturos illis dona promiſerint, quique item operarios quoſcunque conduxerint, opera perfunctis ex conuentu ſatisfacere ſtudeant, mundi vero totius opifex, à quo ea quæ prius non erant creata ſunt, quique ſalutiferæ diſpenſationis myſterium conſummauit, qui tot cæcis hominibus diuinæ cognitionis lumen infudit, hunc dicamus quæ promiſit non effecturum. Quod ſi vera eſt, ſicuti vera eſt (Dei enim promiſſo vera eſt) nec vana nec inutilis eſt viri chariſsimi diuinæ inſtitutionis diſci-

plina, credentibus enim regnũ cœlorum, vitamque nullum finem habituram, corporibus etiam resumptis nos cœlitum choris interfore, disciplina nobis ea pollicetur, sicuti contrà & incredulis æterna supplicia comminatur. Hoc enim ipsum & in parabola zizaniorum ostendit, quam cùm ipsemet interpretaretur, hæc addidit. Sic erit in consummatione sæculi huius. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Tum & hæc addidit, Qui habet aures audiendi, audiat. Eadem igitur vobis amici homines adhortantes afferimus, neque enim inuitos cogimus diuina dona percipere, sed adhortantes potius & obsecrantes, eorumque vobis magnitudinem demõstrantes. Itaq; superius à nobis allata, hoc Domini Dei nostri dicto concludimus, Qui habet aures audiendi, audiat.

Matth. 13.

VNDECIMI LIBRI FINIS.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS LIBER DVODECIMVS, DE VIRTVTE ACTIVA.

ITA natura comparatum est, vt arbores suis radicibus innitantur, atque ab eis alimenta percipiant, ab ipsis autem ramis ac frondibus quique inde suspẽsi cernuntur, fructibus exornentur, si quis enim ramos excindat, comamque decerpat, fiunt prorsus inutiles, omnique sic decore spoliantur, vt superfluum videatur radicum illud ac stirpium fundamentum. Ita & animantium corpus indiget quidem oculis ad obtutum, quibus videlicet sensus alij, tanquam ducibus suis, vtantur. Indiget vero & pedibus quibus ambulet ac feratur. Indiget manibus quæ opus faciant, membrisque alijs ac particulis cibum potumque ac alias res necessarias sumministrent. Iam vero subuculas hybernas, chlænas, & castrensia sagula, nequaquam stamina sola conficiunt, est enim opus subtegmine quod staminibus intexatur & cohærescat. Quorsum vero hæc dixi? Non ideo viri Græci quia fabulas nugasq; consecter, sed qui per has similitudines ostendere vobis contendã, quæ sit exactissimę Philosophiæ materia. Maximum nanq; bonum est diuinarum rerũ cognitio. Neque vero satis hęc est, quæ consummatum hominem eum reddat qui ea factus sit dignus, oportet enim bonas rerum functiones ad cognitionem scientiamque adiungi. quod enim radix est arbori, quod oculus corpori, quodque telis contexendis ipsa sunt stamina, hoc perficiẽdis animis est veritatis cognitio, stabilisq; rerum diuinarum fides. Oportet autem non solum scire quid de Deo sentiendum sit, verum etiã ad illius leges vitam moresq; instituere, sicut enim qui picturam, quiúe sutoriam vel quamuis aliam artem perdiscunt, non vt solam earum rationem teneant illis dant operam, verum multo magis vt eas manibus suis exercent, seq; opere aliquo magistrorum imitatores ostendant, ita decet operarios pietatis, non solum Theologiam rationemq; naturæ, sed practicæ quoque virtutis leges ac instituta perdiscere, queque didicerit quantũ queat seruare, ad eaque conari animæ speciem componere ac effingere, qui enim sic animam componat atque informet, nõ solum diuinarum legum exprimit characteres, sed ipsius quoque legislatoris viua quædam imago rationalisq; efficitur. Hoc & veritatis prẽco docens exclamat. Estote imitatores Dei. Eiusque præterea dominus & magister nos monet. inquit enim, Estote imitatores patris vestri qui in cœlis est. Et iterum. Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Imitatur autem Deum quantum imitari licet, qui ea diligit odioque prosequitur, quæ Deus amat ac detestatur. Quę vero illi iucunda, queúe inuisa sint, diuinæ leges manifestè nos docent, audimus enim exclamantem Dauid. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes operantes iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Cumque his verbis ostendat legislatoris dispositionem atq; affectum, alio in psalmo personam eius inducit qui has notas diligenter expresserit, ita Dominum deprecantis, inquit ergo. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non ponebã ante oculos meos rem iniustam, facientes præuaricationes odiui. Nõ adhæsit mihi cor prauum, declinantẽ à me malignum non cognoscebam. Detrahentẽ secreto, proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde, cũ hoc non edebã. Oculi mei ad mansuetos terræ, vt sedeant mecum. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabat in medio domus meæ faciens superbiam. Qui loquitur iniusta, non direxit in conspectu oculorũ meorum. Hisce autem

Ephes. 5.
Matth. 5.
Psal. 5.
Psal. 100.

autem verbis non modo nos docuit, posse nos imitari potentissimum Deum, sed rationem quoque modumque imitandi nobis ostendit, neque enim nos iussit, cœlũ, Solem, Lunam, resque alias procreare, neque vt simplici essemus incircumscriptaque natura, sed eadẽ quę Deus & amore & odio prosequi. In hac autem obeunda virtute cùm Propheta egregium se præbuisset, confidenter exclamat, Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis cõfortatus est principatus eorum. Et iterum. Nónne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos & in hostes facti sunt mihi. Et rursus, Viri sanguinum declinate à me & declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Et amplius. Iniquos odio habui, & mandata tua dilexi. Et: Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Et: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Multaque sane huiusmodi inuenire quilibet sibi poterit apud Psalmographum regem. plena est enim eius prophetia hoc genere doctrinæ. Moses quoq; qui dictatas sibi à Deo leges Hebręis dedit, in eis ipsis plane ostendit quid amet Deus, & quidnam oderit. Omnis præterea Prophetarum chorus in hoc rerum discrimine nos pulchre erudit. Ipse insuper Deus in Euangelijs ita inquit. Non omnis qui dixerit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est. Et: Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Et: Qui diligit me, mandata mea seruabit. In parabola etiam talentorum testatus est se non solum totidẽ repetiturum quot dedit, sed fœnus etiam exacturum, quod qui reddere non habebit, cassum etiam sortis dono, vinctumque, in tenebras demissurum. Quin & virgines illas quæ secum oleum non attulerant, extra thalamum passus est esse. Illum etiam qui indutus erat vestem nuptijs minime congruentem, nuptijs exclusit, conuiuioq; abegit. At ille tamen non sponte se ingerens, sed vocatus ingressus est, verum quia ex sola sponsi liberalitate accersitus, vestẽ non immutauit, idcirco ea perpessus est. Hinc & Apostolus inquit, Voluntarie peccantibus nobis post acceptã notitiã veritatis, iam non relinquitur pro peccato sacrificium. Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios. Tum ab exemplo verba hæc magis confirmat. inquit enim. Irritam quis faciens legem Moseos, sine misericordia, duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Dei filium conculcauerit & qui sanguinẽ testamenti pollutũ duxerit in quo sanctificatus est, & spiritui gratię contumeliã fecerit? Scimus enim qui dixit. Mihi vindicta & ego retribuam, dicit Dominus. Et iterũ. Quia iudicabit Dominus populũ suum. Tum & otiosos cessatores inertesque homines ita perterret: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Et rursus. Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Indigere itaque scientiam practica virtute, satis hinc puto me ostendisse. Age vero nũc videamus quid de his quoque rebus senserint Greci philosophi. Inueniemus enim Platonem, nonnullosque alios, qui Platonis Philosophiam sectati sunt, sermoni nostro admodum cõsentaneos. Is enim in legum suarum libro sic inquit, ἐμὲ δὴ τῷ θεῷ πεφιλῆ γενόμενον, εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα etc. hoc est. Deo itaque gratum amicumque hominem necesse est quã queat maxime talẽ euadere qualis sit Deus, hacque potissimum ratione. Qui enim frugi homo temperatusque est, Deo est charus, similis enim illi est. Qui vero non est temperatus, absimilis plane est. Nihil hic ergo alienum à nostratibus dixit, imò autem & is fatetur oportere nos quantum vires nostræ patiantur in bonis affectionibus creatorem Deum imitari. Hoc autem loco temperatum intelligit Plato, non eum, qui se potentiorẽ voluptatibus præbeat, sed qui rationalem animæ nostræ vim saluam atque integram vsquequaque conseruet. Hisce autẽ similia & in Theæteto conscripsit, sic enim inquit. ἀλλ' ἐκ ἀπόλωλε τὰ κακὰ δυνατὰ οὐ θεόδωρε, etc. hoc est. Sed interire ac tolli ò Theodore mala prorsus nõ possunt, necesse est enim semper esse quod bono contrariũ sit, neq; tamẽ ea Deo inesse possunt. Mortalem autem naturã circa locũ hunc versari necesse est. Quapropter tentandũ est, vt hinc eo ꝗ ocissime fugiamus, est aũt fuga, ipsa Dei similitudo quantũ in nobis est, similitudo aũt, vt cum prudentia sancti ac iusti simus. Sapiẽter autem ac manifeste his verbis, rationẽ nobis imitationis ostendit. Primum enim iussit vt mundana hæc & terrestria fugiamus, non tanquam procul ab hac terra subducti, sed animo atq; affectu ab his curis terrestribusque negocijs liberati. hoc enim patefecit in ijs quæ sequuntur. φυγὴν δή, φησίν, ὀνομάζομα τὴν πρὸς θεὸν ὁμοίωσιν. hoc est. Fugã enim vocaui, hominis ad Deũ similitudinẽ. Laudabilis vero est illa verborum additio, neq; enim sua nobis lege præcepit, vt absolute ac simpliciter similes Deo simus, sed quantum vires hominis patiantur. Tũ & similitudinis formã ostendit, inquit enim. Similitudinem voco, cùm quis sanctitatem cum prudentia iustitiamque consequitur, quæ accessio, non minus & ipsa laudabilis ac peramanda est. sunt enim nõnulli qui summam quidẽ iustitiæ rationem habent, sed ij tamen stoliditate animi cùm ad actionẽ peruentum est, pulchritudinẽ virtutis eius corrumpunt. Multis vero pręterea verbis Plato in eodem dialogo perfectionẽ virtutis ostẽdit. λέγομεν δὴ τοῦδε τοῦ κορυφαίου, etc. hoc est: Loquamur ítaq; (inquit) de summis eximijsque Philosophis, quis enim de ijs loqui curet, qui aberrãt à legibus institutisq; Philosophiæ? Hi vero qui summi sunt, neq; viam norunt quę ad forum ducit, neque vbi iudicium senatúsue sit, aliúsue publicus ciuitatis consessus. Leges

Psal. 138.
Psal. 118.
Matth. 6.
Matth. 5.
Ioan. 14.
Matth. 25.
Matth. 22.
Heb. 10.
Ibidem.
Deut. 32.
2. Cor. 5.

præterea & decreta, seu verbis ferantur, seu scripta sint, neque audiunt hi, neque inspiciunt. Studia vero populi, suffragiaque creandis magistratibus collata, cœtus alios & conuenticula, & conuiuia, lasciuasque cum tibicinis comessationes, ne per somnum quidem sibi obseruari velint. Neque vero etiam *nouit si quis malus est homo in ciuitate, neque si quid olim peccatum est ab antiquis vel viris vel mulieribus. Imò autem magis hæc ignorat, quàm quod dici solet, quot aquæ poculis mare conster. Verum & hæc omnia ignorare se nescit, neque enim his abstinet rebus ea gratia vt laudetur, atque vt hominibus placeat. Solum itaque illius corpus in ciuitate versatur, mens autem illius hæc omnia parui faciens, ac veluti sint nulla contemnens, euolat in partes omnes, vt ait Pindarus, tum inferna terræ loca, tum & summa dimetiens, nihilque secius ad astra cœli se tollens, omnemq; naturam scrutabunda perlustrans. His autem verbis Plato nostratium Philosophorum, id est Christianorum hominum vitam effinxit, neque enim apud priscos illos Græcos Philosophos talem ferme inuenias virum. Socrates enim ille, quem Philosophorum eximium iactitant, & in gymnasijs, & in artificũ officinis assidue disputabat, modo autem & in ciuitate moram trahebat, modo & ad Pyræum se conferens pompas ipse quoque spectabat. Armatis etiam militibus sese inferens, & in Potidęa, & in Delo insula militauit. Cùm vero etiam conuiuia comessationesq; obiret, Aristophanis Comœdi ludibria, & Alcibiadis petulantiam passus est, hæc enim Plato suo in Symposio commemorat. Theatrales etiam ludos populo insertus spectasse dicitur. Minime igitur Socrati conueniant, quæ Plato superius ab eximio Philosopho requisiuit. Quod si eà Socrati non conueniant, ægrè alium inuenias cui ea conueniant. At quicunque Euangelicæ philosophiæ studio inarserunt, procul se ab omni ciuitatis strepitu receperunt. Ergo aut montium fastigijs occupatis, aut alibi solitarijs locis ad incolendum delectis, rerum diuinarum contemplationi, ac vitæ quæ contemplationem eam deceret, sese penitus addixerunt, nulla vxorum, nulla filiorum, nulla agrorum, nulla domesticarum rerum cura distracti, sed animam duntaxat sub regula diuinarum legum in virtutis recto conseruantes. quod enim suis in tabulis facere optimi pictores solent, ad egregia virtutis exempla spiritales imagines depinxerunt. Ea vero Platonis verba nostris maximè hominibus cõuenire ipse sit testis, qui plurimis interiectis verbis hæc addit: ἄγροικον δὲ καὶ ἀπίδευτον ὑπ' ἀρολίας οὐδὲν ἧττον τῶν νομέων τὸν τοιοῦτον ἀναγκαῖον γίγνεσθαι, etc. hoc est. Rudem verò et indoctum præ sui negotij attentione, talem, Philosophum fieri necesse est, non secus atque sint ipsi pastores, quasi illorum modo Philosophus hic, montano sit stabulo circunseptus, cũ verò audit esse qui decem millia iugera, vel si quid est aliud maius, admirabili copia multitudineque possideat, valde exigua sibi audire videtur, qui vniuersum terræ orbem spectare sit solitus. Quod autem nullus Græcorum Philosophorum montanum sibi cõstructum stabulum habitarit, satis veterum monumenta ostendunt. Idem verò & vos planè testamini, qui Christianos homines in eiusmodi solitudine vitam trahentes odio magno perosi estis, cùm tamen id vitæ genus Plato valde laudandum esse existimarit. Consentanea verò his & in secundo Reipublicæ libro inquit: τὸν γὰρ, φυσὶ, τοιοῦτον θέντες δίκαιον αὖ παρ' αὐτὸν ἰσῶμεν, etc. hoc est. Tali homine semel à nobis posito, iuxta hunc rursus statuamus virum simplicem, iustum, ingenuũ, generosum: qui, vt ait Aeschylus, esse quidem bonus appetat, minime autem videri. Illud enim videri velle, prorsus tollendum censeo. nam si iustus hominibus videatur, honores illum & munera insequentur. Incertum itaque erit, vtrum is præmiorum ac dignitatum causa, sit talis. Nudandus itaque est rebus omnibus, solaque illi iustitia relinquenda, vt ita in contrariam partem redigatur atque prius affectus erat. Cùm itaque nihil habeat iniustitiæ, tamen iniustissimus esse credatur, vt hoc examine probetur ad iustitiam, si nec infamia, nec rebus ijs quæ proueniunt ab infamia moueatur, sed immutabilis ad mortem vsque persistat, tametsi per omnem vitam credatur esse iniustus. Hæc autem & Athletis nostris maxime congruunt, neque enim quæ recte faciunt fortiterque depugnãt, Antisthenis, Diogenis & Cratetis modo, inanis gloriæ causa faciunt, sed honestatis solius habita ratione. Eamque ob rem semoti à ciuitatibus & pagis vitam agunt, hominibus quidem virtutem occultantes, soli autem illi penes quẽ sunt eis reposita præmia, ostendentes. Vos tamen pugiles nostros tam bene decertantes, nec spectare vultis, nec laudibus exornatis. Si quos autẽ fortè Christianos videatis nominis quidem huius specie circumamictos, neque penitus consentaneam figuræ vitam retinentes, illico in maledicta linguã commouetis. Ac siquidem solos eiusmodi homines infamia peteretis, posset vestrum istud factum aliqua ratione ductũ videri. Quia verò & vnà cum illis contenditis, eos maledictis aspergere passimq; traducere, quos planè constat contrariã ac longe diuersam ab illis vitam agere, mentis vestræ iniquitatẽ, pessimumque consilium ita proditis. Neque enim malis infensi estis, sed officiosam vitã laudabilemque damnatis, non secus facientes ac si quis similem conspicatus hominis gestus aliquos imitari, ob eam imitationem genus hominum odio persequatur. Hoc verò tam insulsum iniquumque iudicium non ego solus accuso, sed Plato hisce verbis in Theæteto persequitur: σκεψώμεθα δὲ καὶ τόδε, φέρε πίς αἰγῶν προφὴν, καὶ ζῶον αὖ κτῆμα ὡς καλὸν ἔστι ἐπαινεῖ, etc. hoc est: Videamus autem hac fermè ratione. Est qui è capris alimentũ percipit, ideoq; hoc animal vt rem perutilẽ laudat. Alius verò capras nactus sine custode pascẽtes, cultumque agellum deuastantes, & has ipsas detestatur, & quodcunque pecus viderit vel rectore cassum, vel à malis custodibus rectũ. An verò idcirco æquum putemus, vt tali accusatione, quodcunque aliud vel innoxium pecus accuset? Hæc autem Platonis verba, non mea sunt, quibus nos admonet, non debere pecora omnia in vniuersum damnari, ob ea quæ à malis pastoribus aguntur, vel quę pastoribus carent. Rursusque alibi manifeste nos docet, non posse multitudinem esse Philosophorum: πολλοὶ μὲν δὴ, φησὶ, ναρθηκοφόροι, παῦροι δ' τε βάκχοι, hoc est: Multi quidem ferulas gestant, commune Satyrorum insigne, pauci vero sunt Bacchi. Idem quoque, verbis tamen alijs, Christus noster affirmat, inquit enim: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Quibus verbis ea consentanea sunt, quæ Plato inquit in Epinomide: ὃ φημὶ εἶναι ἀνθρώπους δυνατὸν μακαρίοις τε καὶ ὀλιγίστοσι γενέσθαι, etc. hoc est: Nequaquam dixerim posse homines felices ac beatos fieri, præterquam in paucis, dum vitam hanc viuimus, ita decerno. Optima vero est spes moriẽti omnia consequi. Quid igitur iniquo animo fertis, quid indignamini, quod nonnullos nostrum videatis quam profitentur vitam, moribus mentientes? Quare autem contrà non laudatis, nec admiramini, quos videtis supra hominũ conditionem vitam sectari, ac in corpore quidem contra difficultates rerum tentationesque pugnare, incorpoream tamen ac spiritualem vitam imitari? Contrà enim facitis ac hos facere decuit & oportuit. Laudandi enim vobis erant, qui humanæ naturæ foueas expediti leuesque transiliunt. Illis autem nonnihil ignoscendum fuit, qui ab infitis naturæ malis affectionibus rapiuntur, quàm sint enim hæ adsuperandum difficiles, ipsi non ignoratis, neque enim è querno stipite aut duris è cautibus geniti prodijstis. Hoc & Plato manifeste ostẽdit in primo Reipublicæ suæ libro, Cephalum cum Socrate hisce verbis discertantem inducens: οὐ γὰρ ὅλῳ ἐμοιγε δοκοῦσιν αἱ ἄλλαι κατὰ τὸ σῶμα ἡδοναὶ ἀπαραβατοῦσαι, hoc est: Tu sic habeto. Quanto mihi aliæ corporeæ voluptates emarcescunt in dies magis magisque debilitantur, tanto magis augescit desiderium colloquendi, sermonisque voluptas. Tum Socrate interrogante, an etiam libidinosæ voluptatis affectus contra eum insurgerent: οὐ φημὶ ἄνθρωπε, hoc est: Meliora (inquit) loquere, ego enim libentissime has voluptatũ perturbationes effugi, non secus ac truculentum quendam tyrannum sæuissimumque effugerim. Hoc autem loco de turpi atq; obscœna voluptate hæc dixit. In Gorgia vero, de iustitia deque iniustitia ita loquitur: χαλεπὸν καὶ γὰρ ὦ Καλλίκλεις καὶ πολλοῦ ἐπαίνου ἄξιον, hoc est: Difficile ò Callicles, ac impendio est laudabile, hominem iustè viuere qui in potestate magna constitutus, impunè queat esse iniustus. Pauci enim tales inueniuntur viri, nam & hic & alibi fuisse non nego, putoque etiam fore virtute hac honestos bonosq; homines, si ea iustè dispensent quæ sibi commissa sint. Et rursus: ἀλλ' ἐν τοσούτοις λόγοις πολλῶν ἐλεγχομένων, hoc est: Sed enim cum ex tot sermonibus iam multi redarguti fuerint, solus hic sermo nobis honestissimè conquiescit, quo decernimus cauendum magis esse ne iniurij alijs ipsi simus, quàm ne quid ab alijs iniuriæ patiamur, præque rebus omnibus ei qui verè sit vir hoc curandum esse, ne videatur quidem, sed re ipsa & publicè & priuatim sit bonus. Eosdem vero & sermones & Critoni Socrates loquutus est. Post multa enim quæ dixit, hæc ita intulit: οὐδαμῶς ἄρα δεῖ ἀδικεῖν, hoc est: Nullo igitur pacto oportet iniuria quenquam afficere, neque si tibi inferatur eam vicissim referre, sicuti multos sentire video, nullo siquidem pacto decet esse iniuriũ. Quid vero Criton, malóne quenquam licet afficere, an non licet? Nullo modo licet ò Socrates. Malum verò in eum referre à quo prior passus fueris, fásne est, an nefas? Nullo quidem modo fas est, malo enim quenquam afficias, an sis illi iniurius, nihil differt. Rectè inquis. Neque igitur iniustitiam referre, neq; malum inferre cuiquam licet, ne si quidem quoduis quisquam prior patiatur. Hanc igitur de iustitia, deque iniustitia Socrates ac Plato doctrinam nobis tradiderunt, laudabilem illam prorsus rationique consentaneam, nec ab humano ingenio abhorrentem. Moralem siquidem disciplinam, mortales omnes natura ipsa erudijt. Creator enim Deus cùm hominem de terra effinxit, humano ingenio indidit bonorum malorúmq; discretionem. Hinc factum est, vt non solum Socrates, Plato, Aristides, Lysimachus, ac nonnulli alij Græcorum iniustitiam abominati fuerint, verumetiam barbarorum quàm plurimi. vt enim Hellanicus in Historia sua testatur, Hyperboreæ gentes vltra montes quidem Riphæos habitant, & tamen iustitiam colunt, neque enim carnibus vescuntur, sed arboreis tantùm fructibus viuunt. Alij quoque narrant Historici, Brachmanas in syluis agere, corpus frondibus vestientes. Aiunt præterea Scytham fuisse Anacharsin Philosophum. Tanto autem illum Philosophiæ amore inarsisse affirmant, vt celeberrimus euaserit, apúdque omnes homines latè illustris, neque enim solum aduersus animi perturbationes vigili cura pugnabat, verumetiam dormiens magna dedit suæ continentiæ argumenta. consuerat enim sinistra quidem manu virilia continere, dextra verò labra ipsa comprimere, vt ita ostenderet maioris esse negotij opus, in coercenda lingua, maioríque nos auxilio indigere, vt ab eius periculis tuti esse possimus. Hermippus autem Berytius, Chironem ait Centaurum præcepta iustitiæ tradidisse. Homerus quoque, eundem vocat Centaurorum multo iustissimum. Haud itaque admirandum est, quod Hesiodus virtutis viam & arduam & asperam & inaccessam proponat, quódque

*Intellige, vir bonus.

Matth. 20. & 22.

Simonides habitare virtutem dicat petras inuias ac difficiles. quæ enim de Chirone Centauro, deque Hippomolgis Homerus testatus est, quæque Anacharsis Scytha re ipsa præstitit, ad ea nos suis carminibus probi illi Poetę hortati sunt. Antisthenes vero Cynicus qui & Socraticus fuit, prętare inquit insanire quã oblectari. Idcirco & amicos hortatur, vt ne digitum quidem voluptatis causa extendant. Huius sanè doctrinam consectatus est Diogenes Sinopensis, verbo quidem tenus Philosophię inseruiens, seruus tamen factus voluptatis, pessimumq; exemplum spectatoribus prębens. Aiunt vero, cùm eius factum quidam reprehendens percontaretur, quid nam agis ò Diogenes, respondisse illum non absque solita contumelia: O scelus, hominem facio, si fortè quod molior eueniat, adeò scilicet impudenter is Venerem exercebat. Huius vitam Crates ille Thebanus imitatus est, qui multis quidem laudibus virtutem coronauit, eius enim est hæc sententia: ἡδονῇ ἀνδραποδώδει ἀλούλωτοι καὶ ἄκαμπτοι, ἀθάνατον βασιλείαν ἐλευθερίαν τ' ἀγαπῶσι. hoc est: Qui ad seruilis imperia voluptatis, liberi atq; inflexi persistunt, immortale regnum libertatemque amant. Idem dicere consuerat, Veneris appetitum si non fame, at laqueo coerceri. Verum is libidine insurgente Hipparchian Maronitida publico in prospectu duxit vxorem, communesque nuptias in varia porticu celebrauit, magnificis illis suis de virtute sentętijs prorsus omissis. Aristippus vero Cyrenaicus, graniter increpitus, quod amicam Corinthiam frequens adiret, Habeo, inquit, Laidem, me vero Lais non habet. Ipsi præterea Peripatetici, verbis quidem virtutem laudabant, re autem ipsa voluptati studebant. Neque hac re ab alijs accusantur, sed ipsimet turpia de præceptore suo conscribunt. Aristocles enim Peripateticus ait Lyconem Peripateticum testari morem eum fuisse Aristoteli, vt oleum venderet quo se prius calido perunxisset. Quumque is olim in Chalcidem nauigasset, publicanos explorato eius nauigio inuenisse ollas eius olei quatuor ac septuaginta, vel, vt alij referunt, trecentas. Puto autem illos haud ita prorsus mentiri, huiusmodi enim rebus felicitatem Aristoteles finiebat, quippe qui solitus esset dicere, non alia fermè ratione posse quenquam fieri beatum, quàm prospero ac iucundo corporis statu, externarumque rerum affluenti copia, sine his enim aiebat virtutem nihil vtilitatis afferre. Hæc autem Atticus Platonicus in ijs quæ ad Aristotelem scribit, manifeste ostendit. Quæ itaque contra Aristotelem dicuntur, multorum sermone confirmantur. At Plato contraria prorsus docet, in tertio enim Reipublicæ suæ libro, rationem habere corporis iubet, sed propter animæ harmoniam, per corpus enim viuere est hominibus ac recte etiam viuere, ijs videlicet qui sese in prædicanda veritate exerceant. Hoc autem & Apostolus adhortatur, cùm inquit: Nox præcesit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs. Neque enim sic diligenter curandum est corpus, vt contra rationem animumque exiliat, sed vt ministerium suggerat animæ, sociamque opem ferat, nutibus illius obtemperans. Plato igitur hoc loco nostris consonus inuenitur. Adhortatur enim nos, vt necessariam curam corporis habeamus. Ostendit autem quibus ab initijs ortum habeat, quoque pacto augescat ipsius appetitus, ac libidinum perturbatio, inquit enim: ἡμᾶς γὰρ λέξομεν ἆρ' ἴσως ὀρθῶς ἀπόπους, etc. hoc est: Nos enim dicere fortasse haud absurde possimus, visum esse amoris principium, spe vero illum augeri, nutriri memoria, vsu & assuetudine conseruari. Hoc vero ipsum & de virtute sic inquit: παντὸς φυτοῦ, ἔφη, φυτοῦ ἡ πρώτη βλάστη, etc. hoc est: Omnis enim plantæ prima germinatio bene ad virtutem directa, naturæ suæ tanquam potentissima domina est, plurimumque valet ad opportunum finem consequendum. Socrates quoque suadelas omneis atque illecebras cauere nos iubet, vt esurientes non comedamus, neque sitientes bibamus, pulchrorum quoque oscula & obtutus vitare penitus iubet, vtpote quæ peius & scorpionibus & phalangijs venenum infundant. Cæterum mera verba hæc sunt rebus factisque carentia. Socrates enim pulchrorum adolescentium causa, frequens gymnasia obibat, flagitiosoq; spectaculo pascebat oculos. Id enim & Philebus & Phædrus & Riuales & Charmides & alij Platonis dialogi testantur. Quæ vero Alcibiades in Symposio de eodẽ Socrate loquatur, Plato quidem scribit, ego autem vt Socrati parcam potius obticebo, tantam ij dialogi Socratis ineptiam ac petulantiam narrant, tantúmq; incitamentum præbent lubricis ad peccandum hominibus. Aiunt enim Socratem à vespera totas noctes inter meri pocula protraxisse, alijsque iam defessis, somnúmq; appetentibus ipsum tamen insomnẽ ad cyathos perstitisse, garrula inter potandum loquacitate diffusum, nihil tamen effatum quod frugi esset, verum quod Alcibiadi potius & Aristophani, alijsque procacibus conuiuis atque potoribus quàm Philosopho homini conueniret. Porphyrius item in ea quam de Philosophis scribit historia, primum fuisse Socratẽ inquit ad iracundiã excandescentiámq; procliuem, Aristoxeno teste vsus, qui vitã Socratis moresq; conscripsit. Ait enim Aristoxenus, cum nullo se vnquã homine conuersatum qui Socrate ad persuadendũ quæ vellet magis esset idoneus, talem illi vocem orisq; habitũ, talẽ denig; apparentem indolem narrat ei fuisse, præterque ea omnia propriam vultus ac formæ vim. Hęc autem in eo tunc

Rom. 13.

eo tunc viguisse, cùm nulla iracundia tentaretur. Si quando enim ea teneretur perturbatione, magna illum impudentia prosilijsse, vt qui nec verbi vlla nec facti turpitudine abstineret. Taliaque hoc pacto de Socrate persequutus, ostendit illum voluptatibus obnoxium seruumque fuisse, ait enim fuisse illum ad Venerem vehementissimum, ita tamen vt violentus nulli esset aut iniurius, solis enim vel vxoribus vel vulgo prostantibus vtebatur. Duas autem simul habuisse illum vxores narrat, Xantippen videlicet ciuem communioremque quodammodo, Myrtonam vero filiam Aristidæ Lysimachique neptem ex filia. Et Xantippen quidem assumpsisse, prius sibi implicitam, ex qua Lamproclem filium, Myrtonam vero legitimis nuptijs vxorem duxisse, ex qua Sophroniscum Menexenumq; susceperit. Hæ verò cùm à mutuis inter se contentionibus cessarent, in Socraten irruebant, eò quod disceptantes nequaquam cohibere sit solitus, sed cum risu spectaret, & mutuo inter seipsas & aduersum sese ipsum contendentes. Ait vero Socraten fuisse in conuersando nonnunquam difficilem, petulantem, contumeliosum. Hæc denique Porphyrius in Socratis vita conscribit. Vulgaris quoque fama percrebuit, puerum Socraten ne officiose, nec modeste vixisse. Primum enim aiunt eum perpetuo contumacem contra patrem fuisse, quoties enim cunque à patre iuberetur instrumenta marmorariæ artis in manus sumere, aduersari solitum esse, contemptoque patris iussu licenter quocunque libuisset aberrare. Decimum vero ac septimum agenti annum accessisse Archelaum Anaxagoræ discipulum, qui se diceret amore eius correptum, Socraten vero amatoris occursum ac familiaritatem minime auersatum, multos illi annos conuixisse, eoque pacto ab Archelao ad Philosophiam traductum esse. Paulò vero mox hæc idem Porphyrius de Socrate commemorat: ἐν δὲ καὶ τὴν ἐπιλεμωμένην καὶ τὰ δὲ Σωκράτει, etc. hoc est: Inter cætera autem quibus Socrates accusabatur, hæc erãt, quod in conferta populi turba cõflictaretur, quodque ad * mensas ipsosque * Hermas, in triuijs dissertationes moramque protraheret. Hæc & quædam huiusmodi alia de Socrate Porphyrius narrat, quæ sciens volensque præteeo. Ex ijs autem quæ dixi nosse est, veteres illos Philosophos verbis quidem laudare virtutem, re autem ipsa voluptatem sectari solitos, turpemque seruitutem cupiditatum perpessos esse. Nam si, vt inquit Porphyrius, Socrates propensius in Venerem ferebatur, neque duarum simul vxorum satietatem capiebat, sed publicè etiam prostantes fœminas impudenter inibat, atque vt testis est Plato nudos iuuenes in palæstra cum voluptate spectabat, si erat idem pronior ad iracundiam vixque poterat exilientem iram continere, si dicacis linguæ homo infrenisque erat, scire sane id velim quodnam is Philosophiæ genus obierat. Vt autem noueritis Platonem quoq; à nonnullis antiquorum accusari solitum esse, vt qui multa fecerit quæ Philosophia indigna essent, audite quæ Xenophon in epistola ad Aeschinem Socraticum scribit, inquit enim: ἀιγύπτου γὰρ ἤρασθαι, καὶ τῆς τερατώδους Πυθαγόρου φιλοσοφίας, etc. hoc est: Aegyptum enim * adamarunt, monstrosamque Pythagoræ Philosophiam, quorum luxuriam, inconstantemque animum apud Socraten perdurandi, ostendit amor ille quo tyrannũ prosequebatur, proque frugi ac parco victu Siculą Dionysij mensa gulæ atque edacitatis immodice appetita. Inuuit autẽ his verbis Porphyrius, Platonis cum Dionysio Siciliæ tyranno cõsuetudinem. Athenis enim relictis, apud illum degebat, fruens Syracusanis delicijs, neque minus Dionysio vita perfuncto cum eius filio conuersabatur. Tantum vero suis apud tyrannum adhortationibus cõsilijsque profecit, vt primo quidem vinctus fuerit, ac marmorum * metallis addictus, subinde vero tanquam barbarum mancipium ad seruitutem venundatus. Ait vero Plutarchus, Platonem venalitium oleum ad Aegyptios detulisse. Cumque probra hæc de illo ferri audiamus, nihilo tamen secius ea quæ probe dicta sunt ab eo, laudamus atque suspicimus, neque indigna putamus esse de quibus & vos vtilitatem fructumque capiatis. Cæterũ mulieres quoque apud Græcos viguisse laudandas accepimus. Aiunt enim Lysidicen præ insigni quadam pudicitia, ne tunc quidem cùm lauaretur solitam esse subuculam exuere, Philoteram autem cùm in labrum balneare descenderet, quantum corporis aquæ immergeret, tantum ab inferiori parte sensim detegere assuetam, subucula paulatim ad superiora subducta, cumque aquis lota emergeret, eadem ratione superiora corporis amictu obtegere. Pythagorica porrò Theano cuidam se intuito cupidiusque effato, * pulchrum brachium, respondisse fertur, at non publicum. Rursusque interrogata, quoto demum die mulieri liceret à complexu viri sacris Cerealibus interesse, statim licere, ait, ei quæ à proprio viro discesserit, quæ autem ab adultero, licere nunquam. Hæc igitur & quæ sunt generis eiusdem, laudamus vehementer, ac Philosophia digna esse censemus, Platonemque admittimus qui inter hominis bona nuptias collocet, quas etiam immortalitatis tuendæ inuentum, generisq; humani stabilitatem appellet. Democritum vero & Epicurum non parum sanè accusamus, qui & à nuptijs, & à liberorum procreatione homines dehortantur, qui enim humanam felicitatem voluptate sola finiebant, quicquid vel curarum aliquid, vel fastidij afferre posset, reijciebant atque damnabant. Philosophi autem qui variam porticum frequentabant, à qua Stoici dicti sunt, media quadam via incesserunt, coniugia enim ac liberorum susceptionem, rebus illis annumerabant quæ susque deque indifferentésque habentur. Sacræ autem literæ cœlibatum quidem vehementer laudant, quem nonnulli

*Plato & Aristippus.

*id est, fossis.

*Admirantur.

τραπέζας, id est, mensas, ambigue dictum, potest enim & cum uiuarum & trapezitarũ esse nummorum.

*Hermas, statuæ Mercurij sed in quadratum & cubis cum lapidem desinentes, quas pro templis & in vestibulis ædiũ statuebant.

nulli ad excolendam Philosophiam commenti sunt, vtpote qui vitam homini tribuat curis omnibus expeditam. Neque minus tamen & de legitimis nuptijs legem ferunt, vt quæ & hominum genus augeant, & impuris libidinibus eos liberent qui castitatem sectari volunt. Stupra vero ac fornicationes omnemq; aliam speciem lasciuię accusant & persequuntur, vt immundis suibus congruentem. Honorabile enim connubium in omnibus & Heb. 13.
thorus immaculatus, inquit sanctus Apostolus. Fornicatores autem & adulteros iudica-
1. Cor. 7. bit Deus. Rursusque: Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego, quòd si se non continẽt, nubant.
Ephe. 5. Et alibi: Fornicatio autem & immunditia ne nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Et
Heb. 12. alibi: Ne quis fornicator aut profanus sicut Esau. Nostri itaque magistri, doctoresque nostri, vitam suis legibus nobis instituerunt, quæ rationalem hominem maxime deceat. At vero qui è vestris habiti sunt Philosophorum optimi, non minus & ipsi voluptatibus seruierunt, legesque conscripserunt flagitiorum libidinumq; magistras. Huiusmodi sunt enim Platonis leges, quas de coniugijs, deque pueris adamandis reliquit. Verum & de amicitia Hippodamus Pythagoricus hæc commemorat: ἀ μὲν ἐξ ἐπιτιμᾶς θεῶν, ἀ δὲ ἐκπροχᾶς ἀνθρώπων, ἀ δὲ ἐξ ἡδονᾶς ζῶων. hoc est: Alia quidem gignitur amicitia, ex deorum scientia, alia vero ex hominum præbitione, alia
Ioan. 15. porrò, ex animalium voluptate. Dominus autem Iesus Christus in sacris Euangelijs ita decernit. Maiorem hac charitatem nemo potest ostendere, vt animam suam ponat quis
Matth. 5. pro amicis suis. Quo autem loco ad perfectissimum genus vitæ nos erudit, iubet vt inimicos etiam diligamus. Hippodamus autem Pythagoricus Tetractyn illam Pythagoræ, hoc est quaternarij numeri vim perdoctus, humanam amicitiam proficisci ait à præbitione. Cæterum ratio hæc, non modo est absona & inepta, sed quæ consistere nullo modo possit, multos enim quos olim, puta, quis inimicos perpessus est, inuenimus ei mox beneficia contulisse. Rursusque est videre permultos, qui magnis ornati beneficijs, ingratos tamen aduersus eos se præbent à quibus beneficia illa acceperint. Haud igitur amicitia gignitur ex præbitione, sed fructus amicitiæ est præbitio. Hæc itaque viri Græci rursus inuicem disquirentes, cognito quid humanis inuentis diuinæ leges intersint, per ea ipsa tanquam per elementa quædam ad diuinarum rerum perfectionem conscendite,
Psal. 140. neque vt spiritus sancti melodia inquit, excusationes in peccatis excusate. Quoties enim cunque vobis ostendimus Euangelicas leges esse Græcanica Philosophia multo sublimiores, eas quidem laudatis, nihilo tamen secius earum transgressores impudenter nobis obijcitis, ac illorum causa conamini leges etiam accusare. Contrà autem oportuit, eos quidem reprehendere homines, leges autem minime detestari, neque enim propter malas vites, à bonis vitibus abhorremus, neque ob amaras amygdalas, eas continuo quæ dulces sunt, auersamur, neque ob aurum quod ære subdito adulterinum censetur, id quod est purum putumque damnamus, non denique ob ementitam purpuram, carpimus vtique & ingenuam, neque quod nonnulli sint inepti pictores, idcirco accusamus peritos, neq; ob scelestos homines, odio probos atque officiosos prosequimur, non quod ignarum curãdi medicum fortè quempiam incurrimus, ideo & omnem medendi rationem persequimur. Verum è pictoribus, medicis, sutoribus, fabris ærarijs, aurarijsq;, eos qui sunt egregij laudamus atque suspicimus, imperitos vero suæ quemque artis carpere consueuimus. Neque tamen ipsas artes vllo pacto accusandas putamus, tametsi nullum qui eas teneat inuenire possimus. Sit enim hoc profecto facinus insulsissimum, si quis ob aliquos cæcutientes oculos, ipsum videndi sensum tanquam inutilem damnet, vel ob id quod nonnulli homines blęsi balbutientesque sint, vocis organa detestetur tanquam minime necessaria, propterque obstrusas nonnullorum aures, superfluum dicat esse audiendi sensum. Pari quoque modo miserum sanè atque iniquum sit, ob eos Christianos qui Dei leges transgrediuntur, ipsas accusare leges ac persequi cum ijs vnà Christianis qui parere legibus annituntur. Neque enim si quis forte faber lignarius lineam quidem recte ac secundum rationem duxerit, malè autem præterque rationem ascia vtens tollat atramenti signa, vt vel vltra lineam demat quæ interius demenda erant, vel quæ extrà superfluunt intacta relinquat, idcirco linea est accusanda, quæ suapte vi rectum ostendit, quicquid enim ibi peccatum est, ignorantia fabri peccatum est. Leges itaque pro linea, pro regula, pro indice nobis positæ sunt. Eorum vero qui legibus vtuntur, alij quidem optime vitam instituunt, alij vero quæ iucunda sunt melioribus præponentes, extra rectam lineam legum feruntur. Hi sunt igitur accusandi, leges verò laudandæ, neque enim si peritus Medicus ægrotanti precipiat, alijs quidem vesci, ab alijs autem penitus abstinere, tum ille contemptis Medicinæ præceptis, curatione pluris fecerit voluptatem, ita vt quibus sibi interdictum fuerat epotis esisque morbum sibi grauiorem effecerit, Medicum ceu dolosum insidiatoremque accusamus, cùm non illius consilio ac voluntate, sed laborantis intemperantia inualuerit ægritudo. Hæc igitur animo ac ratione versantes, quæque sunt hisce rebus similia, salutarium legum latorem hymnis ac laudibus celebrate. Ipsarum autem legum, commodã humanæ vitæ vtilitatẽ suspicite. Ac veluti spectatores quidam laudabilium certaminum constituti, laudũ præconijs eos qui leges seruant tanquam fortes pugiles declarate. Neq; tamen legum transgressores, æquali omnes calculo

calculo condemnate, quandoquidem non æquali omnes consilio leges ipsas transgrediuntur, multa enim præter sententiam, preterque voluntatem mortales peccamus. Hæc autem sunt ea peccata quæ leges appellant * inuoluntaria. Vt si quis in canem puta rémue aliam saxum intorquens, consilij sui falsus, percussum fortè hominem interficiat, huiusmodi enim casus, & ab Herodoto celebrantur. Sæpe autem accidit, vt dum lignator ictum in arboris truncum librat, in transeuntem quempiam securis ferrum eiaculetur. His autem peccatis, vtpote quæ præter voluntatem admissa sunt, leges dant veniam. Sed enim & quæ à certa voluntate proficiscuntur, non parum inter se differunt, neque enim par esse peccatum dicas, si quis ira incitatus, pximum percusserit aut etiam neci dederit, nihil ante id facinus meditatus, neque mortem verberibus intendens, ac si quis alter præparatis antè insidijs, certo animo cui necem intulerit. Illud enim fuit præcipitis iracundiæ factum, hoc autem supremę cuiusdam malitiæ. Idque non totum fuit voluntatis, hoc verò totum penitus fuit. Ita & non omnes homines procumbunt in voluntatis peccata. Nam alij quidem amorum * securi, neque circa venustas facies occupati, statim formæ elegantis aculeis transfiguntur, nonnunquam enim simul ac viderint, perturbationi cupidiniqúe succumbunt, ratione statim à dominatu suo decussa. Alij verò in eo vitam consumunt, vt solicitos oculos pascant formarum spectaculo. Sunt autem qui primo non sine quodam metu ac pudore poculentis esculentisq; manus admoliantur, interno autem desiderio agitati paulatim succumbant, quia scilicet reluctari fortiter neglexerunt. Nonnulli verò intemperantius sese gerunt, aggestis nanque epulis se infarciunt, omnemque luxus speciem comminiscuntur, omni denique artificio appetitus alios voluptatum irritant. Quin etiam si elanguescere illos ac restingui sentiant, grauiter admodum perturbantur. Quando igitur tanta est peccantium differentia, non decet parem erga omnes indignationem concipi, sed eos quidem abominari qui ex professo porcorum vitam sectantur. Alios vero & consulendo & hortando & manum porrigendo, curare diligenter oportet, eisque salutaria pharmaca exhibere. Rursusq; illos qui ventri sese addixerunt, si pergant brutarum animantium vitam degere, viuos quidem luctu commisceremus, defunctorum verò sepulchris epigramma Sardanapali inscribamus. Ita enim illius tumulo inscriptum fuit:

* ἀκούσια.

* Id est, non cogitantes rẽ amatoriam.

Τόσ' ἔχω ὅσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος
τερπί' ἔπαθον. τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.

Καὶ γὰρ ἐγὼ ποδός ἐμι Νίνου μεγάλης βασιλεύσας. Hoc est:

Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hausit, multa quidem & felicia, cuncta reliqui.
Nam cinis ecce ego sum, magnæ qui celsa tenebam
Regna Nini.

Sed enim egregie mentiti sunt, qui sic inscripserunt, neque enim qui vita defunctus est, habet amplius quæ comedit olim ac bibit, sed ea omnia in putrem corruptionem abierunt. Habet autem solum iniquitatis suæ fœtorem, qui animam scelerum sibi consciam, eaque in memorię sinu perpetuo retinentem, continuo dolore discruciat. Atque vti iam finem faciam scribendi, has ego vobis duodecim viri Græci disputationes conscripsi, satisque ostendisse me puto, quænam de Deo, deque materia & mundi fabrica, quæq; item de virtute ac vitio senserint Græci Philosophi: rursum verò, quæ de rebus eisdem sacra nos docuerint monumenta, vtque illorum quidem instituta, omnia extincta iam sint atque obliuionis caligine inuoluta. Nostra verò hæc florescere in dies magis ac pullulare cernantur, innumerisque per singulas ciuitates atque prouincias, tum auditoribus, tum magistris etiam frequententur, Platonica quidem carentibus eloquentia, sed tamen veritatis porrigentibus medicinam, testantibusq; mendacium deorum & falsitatem depulsam esse. Nostri autem seruatoris dogmata passim promulgata diffundi. Hoc enim & Porphyrius confitetur in ijs quę aduersum Christianos conscripsit. Hæc enim inquit: νυνὶ δὲ θαυμάζουσι εἰ δοσάτων ἐτῶν κατείληφεν ὁ τῶν πόλιν, ἀσκλαπιὸς μὴ ἐπιδημίας καὶ τὴν ἄλλων θεῶν οὐκ ἔτι δοκεῖ. Ἐκεῖθεν πιωμένων δὲ μιᾶς δημοσίας τῆς θεῶν ὠφελείας ἤδεσθαι. hoc est: Nunc autem mirantur per tot iam annos ciuitatem morbo correptam teneri, cùm neque Aesculapij, neque aliorum Deum sit amplius in eam accessus. Ex quo enim Iesus coli cœptus est, nullus sanè mortalium publicam deorum vtilitatem persensit. Hæc autem Porphyrius scribit homo Christianis maxime inimicus, at manifeste tamen confessus Christum suo aduentu Deos gentium, potestate cassos reddidisse. Itaque post salutiferæ crucis mysteria, Christoque irrogata supplicia, nec Aesculapius generi humano imposturas molitus est, nec eorum quisquam qui falso dei nuncupantur. Omnem siquidem illorum cœtum, non secus ac noctuarum cateruam, iustitiæ sol exoriens in tenebras ire compulit. Huius autem lucis & vos participes fieri Deum precor, idcirco enim scribendi laborem hunc operamque suscepi, quasique salutaribus herbis vndecunq; collectis auxiliare vobis pharmacum concinnaui.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS DE PROVIDENTIA SERMONES DECEM.

SERMO PRIMVS.

Demonstratio Prouidentiæ ex Cœlo, Sole, Luna, & reliquis stellis.

NATVRA hanc mortalibus legẽ posuit, vt filij parentibus illatam iniuriam vindicẽt, & serui dominorum causam asserant, & cùm ciuitates ab hostibus oppugnantur, ciues patriæ periculis sese opponant: vt denique quicunque beneficia ab alijs acceperunt, dignas benefactoribus suis gratias pro virili sua retribuant. Sed & reges videre licet, qui vbi commissum sibi populum recte iusteque gubernant, & potestatem clementia temperant, in bellis per scutigeros & satellites acriter defenduntur. Nec est quod hic mox quispiam obstrepat, & parricidas, mastigia, proditores atque tyrannos obijciens sermonem mendacij arguat. De iustis enim & legum cultoribus nobis sermo est: alteros vero illos & ingratos & transgressores nominare consueuimus, qui pœnas quoque suis facinoribus dignas persoluunt. Quod si vero pro parentibus liberos, pro dominis seruos, pro ciuitatibus ciues, pro regibus satellites regijque corporis custodes natura pugnare iubet: multo vtique sanctius & iustius est, vt qui à Deo & conditi & saluati sunt, pro Deo non verbis modo pugnent, sed & mortem extremam eligant. Hic enim & parentibus propinquior (huius enim beneficium est quod illi parentes vocantur) & dominis præstantior (huic enim ipsa natura, non seruorum calamitas, illi dominij ius contulit) ac omni muro solidior & tutior (hic enim etsi adamantinus fuerit, hominum tamen manibus factus est, licetque machinarum vim & robur effugiat, temporis tamen manus non vnquam effugere potest: ille autem æternus & perpetuus est, ac ad omnem custodiam & tutelam sufficit) tum regibus tanto regalior est, quanto excellentius & immensius apparet quod æternum est, si cum eo, quod & factum est & corrumpi solet, conferatur. Deus quippe æternus est, & cognatum æternæ suæ essentiæ imperium obtinet: Rex autem tam idipsum quod est, quàm imperium à Deo acceptum habet, & ad breue temporis spatium paucissimis duntaxat, non omnibus qui eiusdem naturæ participes sunt, imperat. Quandoquidem ergo Deus & parentibus nobis propinquior est, & dominis præstantior, & omnibus benefactoribus magis prouidens, tum omni muro tutior ac firmior, cunctisque regibus in immensum excellẽtior, decet omnino, vt nos, qui & hoc ipsum quod sumus, & quod incolumes ac salui sumus, ab ipso accepimus, impijs qui illum conuitiari audent linguas nostras opponamus, & pijs rationibus impios illorum sermones retundamus: non equidem vt tanquam indigo nostri opem feramus, (nullius enim rei indiget qui omnium creator est, & luteæ huius atque terrenæ linguæ patrocinio non habet opus: eandem tamen suas laudes celebrantem probat, & pro se pugnantem dignis præmijs remunerat, & mendaciũ confutantem coronat) sed vt nostram erga hunc testemur beneuolentiam, & conseruorum audaciam, siquidem id fieri potest, dissoluamus: vel si minus, arguamus saltem & ijs quoque spectandam exhibeamus qui ipsam ignorauerunt hactenus. Atqui multi admodum & varij eorum qui blasphemijs operam dare student, cunei sunt, & diuersa multum blasphemiarum tela & iacula. Mendacium enim multiplex & varium, sed veritatis gratia simplex est. Poetarum siquidem phalanx, dum diuinum numen verbis quasi in partes diuidit, & mendacia fabularum voluptate condit, ex multis quodammodo & diuersis herbis confusam potionem miscens, eo errore, qui Deorum multitudinem docet, hominum mentes inebriauit. Altera autem illa, quæ pallio albo & barbæ prolixitate & capitis capillicio philosophiam metitur, poeticæ theologiæ ludicrum & risu dignum figmentum cernens, alias errorum semitas excogitauit, quæ tamen in idem poetici erroris barathrũ homines deduxere. Quidam enim illorum fastuoso orationis & verborum ornatu atque argumentorũ fortissimis copijs turpe illud & fœdum Poetarũ de Dijs cõmentum velauerunt. Alij vero ipsis affectibus & passionibus hominũ Dei nomina & appellationes tribuere ausi sunt. Et voluptatẽ quidem

Poeta.

Philosophi.

Veneris,

Veneris, iram vero Martis, ebrietatẽ Bacchi, furtum Mercurij, prudentiam Mineruæ nominibus appellauerunt. Ac dum huiusmodi quædam superbo admodum supercilio & Attica facundia non sine summa auditorum admiratione effundunt, complures hominum in aliam traduxerũt erroris speciem: adeo, vt qui philosophiam professi, & eo, qui ab externo habitu prouenit, honore potiti homines affectibus dominari iusserunt, ijsdem vt affectus colerent authores fuerint, mentemque hominis liberam & sui iuris existentem, cui affectuum habenæ commissæ sunt, Concupiscentiæ & iræ, furto & ebrietati alijsque affectibus sacrificare imprudenter & stulte persuaserunt. Alij rursum, cùm nihil præter ea quæ oculis cernuntur, mente concipere possent, sed sensibilium duntaxat consideratione mentem includerent, res istas externas & visibiles Deos dixerunt. Et augustum illud quod horrore hominum aures concutit nomen, alij quidem elementis, alij vero eorũdem partibus assignare dignati sunt. Et hi quidem mundum per se temere factũ esse, alij pro vno plures mundos esse stulta quadam imaginatione somniauerunt. Alij item Deum omnino nullum esse, alij vero, esse quidem Deum, sed nullam eorum quæ in rerum natura sunt curam gerere: alij rursum, illum quidẽ res mundi curare dixerunt, sed id perparce admodum & negligenter facere, & Lunæ finibus Prouidentiam terminare, reliquam vero mũdi partem fati necessitati seruire coactam fortuito ferri tradiderunt. Sunt præterea alij quidam, qui Christianorum quidem nomine gloriantur, veritatis autem dogmata palã oppugnãt. Hi enim illud quod increatũ vel ingenitum dicimus in tria secant, & hoc quidem Bonum, illud vero Malum, tertium autem Iustum appellant. Alij porro ingenita vel æterna sibiq; inuicem ex diametro pugnantia mirificis verbis depingunt. Alij rursum, dum se quidẽ impia dogmata oppugnare pollicentur, aliam tamen impietatis viam excogitant. Nam licet vnigenitum illud Dei verbum, filium scilicet, confiteantur, ipsum tamen quasi factum creaturis adnumerant, & Creatorem creaturæ parem & æqualem constituunt. Sed & spiritum sanctum impia sua disputatione à vera sua natura excludere vel pellere nituntur. Alij quoque per multos & diuersos errores amissa recta via, dum ducum & præeuntium maiorum vestigijs insistere nolunt, quàm longissime à veritate deuiarunt. Ex quibus alij quidem omne illud, quod circa nos transactũ est, salutis negotium abnegauerunt: alij vero Deum quidem Verbum suum hominem fecisse fatentur, sed solum corpus ab hoc assumptum esse contendunt. Rursus alij carnem, quæ assumpta est animatam vocant, interim vero rationalem & intellectiuam in eo animam fuisse negant: suã nimirum propriam insaniã huius opinionis sue argumentum constituentes. Nos vero hominis animam nullam præter eam, quæ & rationalis & immortalis est, nouimus. Cæterum alios quidem omnes nunc omittamus: nec enim fieri potest vt sermo noster ceu in acie consistens contra omnes hosce simul argumentorum iacula emittat. Quapropter omnes aliæ impiorum turmæ quietem agant: nos vero eorũ qui Dei prouidentiam negare audent, acie in medium protracta, eandem argumentorum vi perrumpere, perruptam distrahere, & cõfertis illorum cohortibus dissolutis ipsos captiuos ducere conemur, omnemq; intellectum in Christi pertrahamus obedientiam. Reliqua vero impiorum turba spectatrix stationem agat, & pugnę certamen spectet. Nam verisimile est, nequaquam opus fore, vt cũ singulis priuatim congressi decertemus, sed ipsæ sua sponte ad veritatis castra confugient, vbi deuictorum stragem viderint, & veritatis vim ac potentiam considerarint. Quin sequens quoque oratio, etiamsi tardior incedat, eos tamẽ fortasse qui nunc audiunt, & qui pòst in ipsius lectionem inciderint, aliquo modo afficiet. Induti ergo armaturam spiritus, thoracem iustitiæ, scutũ fidei, galeam salutis, & circumcinctis lumbis baltheo per veritatem, & calceati pedibus in præparatione euangelij pacis, super omnia autem arrepto gladio spiritus, qui est verbum Dei, pugnam capessamus: diuina autem tuba nostram infirmitatem fulciens succinat. Nos vero in ipso statim limine aduersarios interrogabimus, quam ob causam Prouidentiæ Verbo contradicant, cùm idem hoc Creatorem suum esse fateantur. Ad hos enim nobis in præsentia sermo sit. Vnde ad hanc impietatem tanto proruistis impetu? Quid ex omnibus, quæ oculis exposita sunt, inornatum & indecorum vobis videtur? Quid in toto rerũ creatarum numero inordinatum cernitis? Et quænam creaturæ totius pars iusta proportione caret? Quænam vel formæ vel quantitatis defectu laborat? Aut quę res non rite & concinne mota hanc vobis impietatem peperit? Inspicite ergo nunc (siquidem hactenus noluistis) visibilium omnium naturam, situm, ordinem, statum, motum, proportionem, consonantiam, decorem, pulchritudinem, quantitatem, vsum, delectationem, varietatem, alternationem, & illum qui subinde in idem fit regressum, sed & eam quæ in corruptibilibus est perseuerãtiam & durationem. Cernite (inquam) ipsam Dei prouidentiam, quæ per singulas mũdi partes prospicit, apparet & loquitur, tum etiam per ipsas res tantum non clamitans indomita vestra obturat labia & effrenes vobis linguas freno coercet. Videte eam in cœlo & in luminibus, quæ in cœlo sunt, sole nimirum, luna & stellis, in aere & nubibus, in terra & mari, in omnibus item quę in terra sunt, in plantis & herbis, in seminibus, in animalibus tam rationalibus quàm brutis, pedestribus, volatilibus, aquatilibus, reptilibus & amphibijs, mansuetis & sylue stribus, cicuribus & indomitis. Ipsi vobiscum perpendite, quisnam ille sit, qui cœlestes orbes continet, vt in tot annorum millibus cœlum nec con-

Ephes. 6.

Cœlum.

ſenuerit,nec aliquam è temporis diuturnitate ſubierit mutationem,idque cùm paſsibili natura conſtet,ſicuti beatus ille Dauid docet: Ipſi (inquit) peribunt,tu vero permanes, & omnes ceu veſtimentum veteraſcent, & quaſi pallium inuolues ipſos,& mutabuntur. Tu autem vnus & idem es,& anni tui non deficiunt. Veruntamen cùm & paſsibili & corruptibili ſubſtantia conſtet,integrum tamen & ſaluum permanſit hactenus, non alia re, quàm Creatoris ſui verbo conſeruatum.Quod enim hoc condidit Verbum, ipſum quoque conſeruat, & firmitatem ſimul ſoliditatemque illi, quoad voluerit, largitur. Hanc ergo ob cauſam, cùm tantus circa hoc ignis voluatur,Solis nimirum, Lunę & reliquorum ſyderum, tot tamen annorũ euolutionibus nec liquefactum funditur,nec areſcit,nec incẽſum ardet. Haſce enim vires ignis natura à Creatore acceptashabet. Aurum quippe & argentum, ferrum itẽ & æs, plumbum & ſtannum, ceram & picem,& quæcunque alia ſunt huius generis, liquefacta diſſoluit,& in fluxam naturã transmutat. Lutũ vero & paluſtria aquisũe cœnoſa loca humore conſumpto arere facit. Lapides autẽ excoquit,& omni duritie exuit,quin ſolidiſsimam horũ naturam in puluerem redigit.Lignum item, fœnum & arundines ocius & facillime incendit.Atqui nihil horũ cœli natura patitur.Nec enim quod in illo glaciale apparet, liquefactum funditur, cùm tanta adſit illi ignis copia: nec eadem illius leuitati nocet, nec ſphæricam quæ in eo eſt figuram vel inæqualem reddit,ſed quem primo ſitum accepit,eundem in finem vſq; conſeruat. Qui enim hoc ceu fornicem conſtituit,& idẽ quaſi tentorium ad inhabitandum extendit,contrarias ſibi inuicem naturas amicitiæ legibus conſtrinxit. Nec ignis naturam aquarũ copia extinguit, nec glaciale ilud vel aerium & nubilum cœli corpus nimio illo & ardenti ignis ardore liqueſcit aut perit. Sed licet vicina ſibi cohabitent, celant tamen hoſtiles vires, & Creatoris ſui verba perſuaſa perpetuam ſanxerunt amicitiam, idque cùm inanimata ſint, & mente gubernatrice careant: manẽt tamen, & eũ qui ab initio ipſis conſtitutus eſt, terminum cuſtodiunt. Creaturam enim ipſe Creator regit, nec nauim, quam ipſe conſtruxit, regimine & gubernatore deſtitui patitur. Sed cùm idem ipſe nauim fabricarit, & materiam è qua conſtat plantauerit,ſimulque materiam crearit,nauimque extruxerit,clauum quoque eiuſdem conſtanter tenet & regit. Teſtantur hoc ipſum tot annorũ circuli,& longiſsimum temporis ſpatium,quod nauim hanc non corrupit, ſed ſaluam & integram non primis modo hominibus, ſed ſeræ quoque poſteritati ſpectandam exhibet. Poſtquam ergo Dei prouidẽtiam in cœlo apparere vidiſti,ò amice, ad alias nunc Creaturæ partes te deducemus, & vt in pueris fieri cõſueuit, qui primos greſſus figere incipiunt,dextera tua apprehenſa,te pedetentim omnem hanc totius creaturæ machinam obambulare & luſtrare docebimus.

Pſal.101.

A cœlis itaque in Solem, ceu in gradum primum deſcendito, nec ardorem vel incendium metuas,ſed ipſum conſcende & diligenter vndiquaque inſpice: nec enim adurete,ſi animus tibi erga Creatorem ſuum candidus & gratus ſit: quin potius opificem illum tibi monſtrabit, qui ipſum naturæ ſuæ viribus in contrarium vti iuſsit.Ignis enim naturali motu in altum ferri conſueuit, quemadmodum aqua fluxu deorſum vergẽte labitur. Nec poſsibile eſt,aquam,vt à montis radice exorta cacumen verſus ſurſum feratur, dirigere, vel igni vt flammam ſuã deorſum emittat perſuadere. Quin ſi quis lampadẽ aut facem tenens illam manu deorſum deprimere vel millies contendat,flamma tamen in altum fertur,manumque qua fax tenetur impetit, & motum quo illam primo donauit rerum opifex non relinquit,ſed intra naturę fines cõſiſtit. Creatori autẽ facilia factu ſunt omnia.Nam quod tuæ dextræ parere recuſat, Creatoris & opificis nutibus facile cedit. Equidem Solẽ & Lunam, vnà cum toto illo ſtellarum cœtu cœlo terga vertiſſe,& radios ſuos deorſum emittere videmus.Creatori enim ſeruiunt, & natura illis eſt,quem Creator conſtituit,terminus. Tibi equidem minime parebit ignis natura, nec à propria ſua potentia recedet (conſeruus enim tibi eſt) Creatoris autẽ nutibus ſeſe accommodat, & cuius natura erat ſurſum tendendo in altum ferri, deorſum ferri incipit. Similiter & aquarum naturam, cùm fluida & laxa ſit, ſublimem tamen in altum ſubuehit idem opifex, & ex imis mundi partibus in altum ſubductam mediam inter cœlum & terram extendens conſtituit, non aliquo ſuffultam præſidio,ſed ſolo verbo in altum ſubuectam ſimul & ſuſpenſam. Cæterum interea nihil de nubibus audire deſiderabis, nec currere voles priuſquam ingredi poſsis,ſed pedetentim circa mundi machinam obambulans pietatis curſum perdiſcito. Veruntamen hic quoque dei Prouidentiam inſpice,quæ Soli & Lunæ & reliquis ſtellis inſiſtit, & has ceu voce quadam hominibus faces præferre iubet, nec ſimpliciter modo faces præferre, ſed & temporis diuiſiones & ſpatia abſoluere. Exoriens enim Sol diei author eſt: occidens vero, & ſe veluti occultans,nocti cedit,cuius caliginoſas tenebras Lunæ & ſtellarum beneficio ille rerum Conditor temperat. Et ſanè diem & noctem veluti ſorores quaſdam videre eſt, quæ temporis ſpatia ad hominum vſus inuicẽ mutuantur ſimul & beneuole reddunt.Deficiente enim iam hyeme, & nouo illuceſcẽte veře, quando multi admodũ hominibus circa ſua opera labores exoriuntur, vtpote profectiones & peregrinationes, nauiumq; è portu deductiones, quando & mare ſtratum & hiberni frigoris rigore liberum eſt,terraque ſegetibus ſuperbiens agricolam ad culturam vocat, & plantæ hortulanum ad putationem,purgationem,rigationem & ſarritionem inuitãt: tunc (inquam) dies operationis tempus hominibus augens à nocte horas mutuo ſumit, & paulatim quidẽ eas recipit,ne nimio augmento ijs noceat, qui eius opera ad res ſuas conficiendas vtuntur. Nimius enim & maior ſolito labor,ſi ſubitus incidat,corporibus nõ mediocriter nocet,quæ nulli aliquandiu labores exercuerunt. Quapropter paulatim ſuum illud incrementum recipit dies. Vbi vero ad medium æſtatis peruentum eſt, deſinit quidem mutuo ſumere,mox vero debiti ſolutionem aggreditur, adeo vt hanc ne vel in vnici diei moram procraſtinando reijciat. Paulatim autem & ſenſim,quemadmodum antè acceperat,ita quod acceptum eſt,reddit.Deinde vbi autumni tempore nocti ęqualis factus eſt, ſe hac minorem fieri non pudet, nec ſororem coniugem debito fraudare ſuſtinet, ſed deficiens licet non antè ceſſat, quàm debitum omne perſoluerit, tunc quoque non contemnendam & longam quietis, qua homines curari poſsint, temporis opportunitatẽ conficiens. Cùm enim frigoris,pluuiarum item, luti & cœni moleſtia domi deſidere cogimur,nox ipſo die nobis multo iucũdior eſt. Quin tales quoque eſt inuenire homines, qui ne ſic quidem in tantum extẽſo noctis ſpatio, quietis & ſomni ſatietatem capiunt, ſed diluculi orientis fulgorẽ moleſtiſsime ferunt.Porrò vbi debitum omne nox recepit,idẽ diei mutuo reddere non recuſat. Et ſic quidem omnis vitæ noſtræ curſus his ſpatijs abſoluitur, nec minorem,quàm dies, nox vtilitatem hominibus confert. Primò etenim tenebrarum luciſque varietas, ipſam lucem nobis iucundiorem magiſque gratam reddit. Vnde aurora meridie multo deſiderabilior eſt. Vbi enim nos lucis ſatietas interdiu cepit, nocturna quiete nobis opus eſt. Hanc autem aſſecuti ſatietatis faſtidium ponimus, & denuo lux nobis gratiſsima oritur. Similiter laborum quoq; tædio capti fatigatũ diurnis operibus corpus noctu quieti tradimus. & vbi hoc lecto ſimul & ſomno atque quiete probe curatum eſt,idem ſub auroram ceu nouum ad opera afferimus. Tantę nobis & talis vtilitatis nox author eſt. Huius beneficio mercenarius requieſcit, & ſeruus laboribus finem & quietem inuenit. Noctis enim tenebræ vel laborioſiſsimos quoſque à laboribus ceſſare cogunt. Hanc ipſam belligerantes quoque & pugnantes ſæpius optauerunt,hi nempe qui & victoria vſi, hoſtes fugientes perſecuti ſunt: & hanc aduentantẽ conſpicati perſequendi finem fecerunt, fugientibus vero fugam conceſſere ſecuriorem & magis tutam. Eadem homines domum congregat, & dulcem ſomnum illis conciliat: feras autem ad paſtum educit, & liberũ tutumque paſcendi tempus exhibet. Quapropter magnus ille Dauid Deum omniũ dominum & Creatorem celebrans exclamat: Fecit Lunam in tempora: Sol cognouit occaſum ſuum. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. In ipſa pertranſibunt omnes ferę ſylueſtres. Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum,& ad operationem ſuam vſque ad veſperum. Quare hanc etiam commoditatẽ nox exhibet, quod & homines quiete fouet, & feris eſcam ſuam tuto quærendi occaſionem præbet. Sed obijciat fortè aliquis ex eorum, qui Prouidentiam negant, numero.Cur autem feras creauit dominus?& quænã ab his ad homines redit vtilitas? Sed obiectionis huius dilutionem in eum vſque ſermonem expectet, quem de feris ſingularem habebimus: interea ſuũ iter & inſtitutum perſequatur oratio.Atqui noctis vſum hominibus neceſſarium & cum primis vtilem eſſe, ſufficienter(meo quidem videre)ea, quæ modo diximus,docere poſſunt: addemus tamen & alia quædam quæ priora iſta ſuo teſtimonio confirment. Quoniã enim natura nobis mortalis eſt, & finitam certiſque circumſcriptam temporum ſpatijs vitam viuimus, oportebat vtique nos temporum quoque menſuras edoceri.Nox itaq; diebus media intercedens temporis mẽſuras conſtituit.Nam ſi lux quædam perpetua nullo alio intercedente medio permanſiſſet,certe nec annorum orbes,nec menſium numerum diſcere vel edocere potuiſſemus:ſed vnica illa dies continua totius præſentis ſęculi menſura fuiſſet, qualẽ nimirũ futuri illius ſęculi conditionẽ fore credimus.Illum quippe diem ſine veſpero fore & omnia alia ſucceſsione carituru eſſe, edocti ſumus. Etenim huiuſmodi ſęculum ijs,qui immortales futuri ſunt, conuenit. Cùm verò in præſenti hoc propter naturam noſtrã mortalem fatoque obnoxiam multa nobis deſint, temporis menſuras & ſpatia nouiſſe neceſſariũ eſt: vt dum tempus hoc elabi cernimus,ſalutis cura tangamur, noſque ad peregrinationem & abitionem è ſæculo præparemus. Nox itaque diei ſuccedens temporis menſura eſt. Et cùm hæc ſepties diem excepit, hebdomadis vel ſeptimanæ ſpatium complet. Menſis verò ſpatium ex Luna colligimus, vnde nomen etiam illi inditum eſt.Nam Græci Lunam μήνην nominare conſueuerunt. Hæc enm creſcens ſimul & deficiens, vbi falcata & diuidua, deinde vtrinque gibboſa, tandemque plena pleno lumine fulſerit, indeque in gibboſam figuram denuo tranſiens,rurſum quoque diuidua & falcata apparuerit,triginta dierum (paucis duntaxat horis demptis) numerum abſoluit. Anni vero circulum, non ex menſibus modo, ſed ex dierum quoque numero didicimus. Ineunte enim vere medium cœlum Sol tranſiens, æquale diei & noctis ſpatium conſtituit. Hinc vero eam,quæ magis ad Septentrionem vergit Orientis partem occupans noctes breuiores dieſque longiores reddit: ſed & terræ feruentior imminens illius fructus ad maturitatem excoquit. Vbi vero ad ſolitos vſq; terminos peruenerit,à Septentrione in Auſtrales mundi partes reuertitur,rurſumque circa autumnale tempus æquinoctium afferens Auſtralior fit, & noctibus quidem horas reddit, quas ab illis acceptas diebus antè tradiderat:aerem vero condenſari permittit,vt nubibus

Diei & nox.

Pſal.105.

Nox temporis menſura.

Luna.

Annus.

bibus obductus vniuersam tellurem irriget. Inde vero ad æquinoctialem circulum reuersus, anni complet circulum. Postquam igitur Solis & Lunę vsum, simulque noctis & diei æquales successiones vnà cum fructu, qui inde ad iniquos & iniustos redit homines, cognouisti, nunc quoque quatuor anni partium iucundissimam simul vtilissimamque successionem mihi considera. Nec enim bifariam solummodo anni circulum diuisit rerum opifex, nec æstatem duntaxat dedit & hyemem, nec ab extremis immediate ad extrema transimus: sed ver & autumnus, quibus medium quoddam temperamentum inest, inter frigus & æstum media intercedunt. Et hyemem quidem extreme humidum & frigidum non æstas extreme sicca & calida excipit, sed vernum tempus, quod dum huius quidem calori & illius frigori participat, optimum inter extremas hasce anni qualitates temperamentum constituit, & ab ijs quæ sibi inuicem contrarię sunt, ceu manibus quibusdam apprehensum, nempe hyemis frigore & æstatis calore in consortium & amicitiam pertrahit, quæ alioqui hostiliter pugnant. Quapropter dum ab hyeme ad estatem progredimur, sine omni molestia id facimus. Nam dum pedetentim illius frigora deserimus, & huius calori appropinquamus, non vllum damnum ob subitam & nimiã mutationem subire cogimur. Similiter ab æstate quoque ad hyemem transimus, medio rursum nobis intercedente autumno, qui nos extreme contrariis non subito appelli patitur, summum calorem summo frigori miscens, & aliud quoddam temperamentum constituens, paulatim ad illud quoque extremum nos deducit. Tantam nostri curam gerit summus ille rerum conditor, qui hoc modo per anni partiũ successiones non molestia modo nos liberat, sed voluptate quoq; delectat. Sed exurgat fortasse ingratus quispiam, qui ea quoque quæ bene & pulchrè facta sunt, simulque sapienter & commode administrantur, reprehendere vel culpare volens dicat: Cur sodes istę anni conuersiones fiunt? Et quænam ex hisce anni partium successionibus ad nos vtilitas redit? Sed ohe sapientissime fortissimeque Prouidentiæ accusator, tu potius dicito, quænam bona non harum beneficio nobis contingant. Initium enim sumente hyeme, semina terris mandamus: qui vero eam nobis artem tradidit, pluuijs è nubibus demissis illa nutrit ac fouet: & marinas aquas verbo in altum subuehens atque sublime ferens, salsas illas & amaras dulcedine conditas transmutat, & in guttas discernit, quas nunc quidem paruulas demittit, nunc vero maiores & torrentis instar ruentes, perinde ac si cribro aliquo hosce nubium fœtus discernat. In hunc ergo vsum hibernum tempus conditum est, vt te hominem ingratissimum alat, vt tibi, inquam, iniquissimo beneficiorum cœlestium censori necessarium victum suppeditet. Nouo autem ineunte vere, alij quidem ex agricolis vites putare incipiunt, alij verò nouas conserunt, aerisque calore soluti laxatique palmites gemmare coguntur. Deinde vbi æstas viguerit, & solares radij aerem vehementiori calore incenderint, triticum quidem agricolã ad messem vocat, vuæ nigrescunt, oleæ enutrito iam fructu turgent, & maturescunt pomorum genera. His superueniens autumnus hæc permatura cultoribus suis exhibet: qui vbi fructus omnes collegerunt, ad sementem faciendam denuo accinguntur. Desine igitur ingratus esse: desine per ipsius Prouidentiæ munera illi calumnias struere: desine, inquã, bona, quæ tibi data sunt, contra datorem & largitorem ceu tela eiaculari. Quin potius in omnibus, quæ hactenus dicta sunt, Dei prouidentiã agnoscere discito, quæ omnia regit & gubernat, simulque omnium bonorum copiam tibi liberaliter parat. Sed stellarum quoque naturam, earundem situs, ordinem, figuras varias, iucunditatem, vtilitatem, motum, ortus & occasus inspice. Has enim summus ille rerum opifex non in hunc modo finem condidit, vt noctis tenebras suo fulgore illuminent, & Luna non fulgente lucis vsum hominibus exhibeant: sed vt iter facientes deducant, & nauigantibus viam monstrent. In has enim respicientes nautæ nullis tritas vestigijs aquarum semitas secant, & harum situs attenti obseruantes nauim regunt, & ad quoscunque voluerint portus appellunt. Quandoquidem enim aquarum natura nec equorum nec mulorum nec viatorum pedibus calcari, nec curruum rotis percurri, nec etiam aliquibus indicijs notisque signari potest, in quæ viatores respicere, & iter certum percurrere queant, astrorum situs ceu vestigia quædam marinorum itinerum per alta maria nauigantibus constituere summo illi rerum Domino visum est. O amorem erga homines ineffabilem. O sapientiam inenarrabilem. Quis vtique diuinæ prouidentiæ boniratem, potentiam, in dubijs copiam, in difficilibus facilitatem, operum magnitudinem, diuitias, pro dignitate admiretur? Reuera mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, non potero ad eam. Idem & ego clamo. Quod si verò mihi parueris, eandem mecum vocem edes, & benefactorem pro virili laudabis, & infinitis beneficijs affectus gratos sermones illi referes. Porrò ne tibi nunc primum gressus figere incipienti longioris viæ spatio laborem & molestiam pariamus, hic te quieti tradentes, vt Dei prouidentiam, quæ in cœlo & cœlestibus apparet, contempleris, relinquemus. Credo enim fore, vt qui hucusque deductus es, contemplationem hanc ipse augeas, & quæ breuitatis studio in hac oratione nostra omissa sunt, ex ijs quę diximus, facile colligas, tandemque cum propheta exclames: Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti: tibi sit glora in æternum, Amen.

Anni partes.

Stellæ.

Psal. 138.

SERMO

SERMO II.

Demonstratio Prouidentiæ ex aere, terra, mari, fluuijs & fontibus.

VI Prouidentiæ habenis fidẽ habere nolunt, & mundum hunc, qui cœlo & terra constat, sine auriga gubernatore tanta cum cõsonantia & ordine ferri, nimium imprudenter sibi persuaserunt, perinde mihi facere videntur, ac si quis in naui sedens pontumque traijciens, gubernatorem quidem clauũ tenere & gubernacula prout opus est mouere, & nũc quidem in dextrum, nunc vero in sinistrum latus declinare, nauimque ad quoscunque volet portus appellere videat, interim tamen manifeste mendax veritatem oppugnare studens, gubernatorem puppi insistere neget, tum ipsam nauim nec remis instructã esse, nec claui motu dirigi, sed sua sponte ferri & per se fluctuum procellas superare, cumq; ventorum incursionibus decertare dicat, imò nec nautarũ auxilio nec nauclero, qui in commune consulẽ nautis quæ facienda sunt imperet, opus esse contendat. Hi enim cùm palam & luce clarius omnium rerũ Dominum mundum, quem condidit, gubernare, & omnia conuenienter & iusto ordine deducere & mouere videant, simulq; in omnibus quæ fiunt conuenientem proportionem, ac tum in tota hac mundi machina pulchritudinem vsumq; commodum, tum in singulis huius partibus vtraque hęc euidenter apparere cernant, volentes tamen cæcutiunt, imò videntibus oculis impudentiam suam produnt. Et cùm Prouidentię munera quotidie percipiant, illa ipsa tamen quæ percipiunt, conuitijs lacerant, & per ea quibus fruuntur, rectorem & gubernatorem suũ oppugnant. Possent autem quę heri de cœlo, Luna, Sole & reliquis stellis dicta sunt gratis & beneuolis auditoribus sufficienter persuadere, vt & sapientius iudicarent, & benefactorẽ suum dignis celebrarent laudibus. Porrò ne quis ex illorũ numero, qui Lunam Prouidentiæ terminum constituentes, officium huius & vires ad illius orbem vsque extendi dixerunt, eamque nimis parcam & exilem finxerunt, ex sermonis nostri breuitate blasphemię ansam arripiat, hinc rursum te, ò Philotes, per aera ad terram vsque deducemus, & vt hesterno die, ita nunc quoque pedetentim gressus tuos formantes, Prouidentiã in minimis quoque mundi partibus sese exerere demonstrabimus ijs, qui animum aduertere voluerint: quin simpliciter omnibus ijs, quę facta vel genita sunt, tam communiter quàm priuatim adesse semper & subsequi ostendemus. Vlterius ergo progressi aeris naturã inquiramus, vt nimirum hæc tenuissima sit & labilis, adeò vt facillime euanescens vel fugiens alijs ipsum cohibentibus medijs opus habeat: quapropter rerum opifex, cùm cœlum & terram perfecisset, aerem inter hæc medium diffundi voluit: adeò vt illi per duo hæc cœli & terræ corpora fortissimum & infractum murum ædificarit, illumque simul cunctis quæ inter cœlum & terram sunt, animatis corporibus vitæ opitulatorem fecerit. Hunc enim respirando tum nos homines viuimus, tum bruta quoque omnia, tam volatilia quàm reptilia & amphibia, hoc ceu vitæ suæ opitulatore vtuntur. Idem commotus nubium irrigationibus terram humectat. Eodem Sol instar vehiculi vsus videntium oculos suo lumine pascit. Idem medius inter Solem terrasque diffusus radiorum vehementem vim temperat, & naturali suo humore & frigore illius siccam & calidam naturam mitigans, vt eius luce sine molestia & dolore frui possimus, efficit. Et ne aerem tanti boni primarium authorem esse putes, vide vt & Sol huius naturam, quę & immodica est, & temperamento opus habet, suo calore fouens reprimat. Aeris enim naturam, si omni temperamento careat, ob immensam frigus nemo ferret: quod ipsum hibernum tempus abunde testatur. Tunc enim ad Australes poli partes Sol transcurrens, & Boreales mediasque cœli regiones deserens, licentiam quandam & impunitatem aeri præbet, vt suæ naturæ viribus liberius vtatur. Quapropter quia tunc Solis calore non consumitur, sed frigore astrictus constipatur, largissimas quoque pluuias destillat, quas vehementioribus ventorum procellis exasperans in niuem & grandinem constipat: tum rorem quoque sereno cœlo destillantẽ aura condensans frigore suo in pruinam conuertit. Et hęc quidem omnia, cùm Sol longius abest, licet adhuc illius calorem & vires nonnihil sentiat, parere consueuit. Cæterum aliud quoque hic se argumentum profert, vnde Dei Prouidentiã euidenter conspicere licet. Cùm enim magna elementis vtilitas insit, & eorundem eximius vsus existat, ad hæc insigni quoque pulchritudine & specie ineffabili luceant, Deus ea quoque, quæ nobis molestiora & aduersa videntur, idèo condidit, ne ipsa elementa pro Dijs haberemus, sed Dei opera crederemus esse, quę & regantur & gubernentur, quocunque ille voluerit. Quapropter, hic vitæ nostræ cooperarius aer, cuius respiratione omnes nos viuimus (hic inquam, communis pauperum simul & diuitijs superbientium, seruorum & dominorum, priuatorum regumque thesaurus, cuius respiratione non magis quàm pauper aliquis, fruuntur qui purpura ornati sunt, sed qui æqualiter distributus vniuersam hominum naturam, quoad singulis necessarius est, honorat & adiuuat) non modo iucundis auræ respirationibus & pluuiarum generatione nos delectat, verumetiam frigore nobis molestior est: hoc nimirum argumento nos docens, quod solus ad vitæ generationem & viuentium salutem minime sufficiat. Similiter & Solis radij non delectare solummodo & visibilium corporum,

Aer.

Elementa delectant simul & affligunt.

rum, quantitatis item & coloris differentiam oſtendere ſolent, ſed ijdem illi contriſtant quoque, & niſi ſummus ille rerum gubernator aeris motu auras frigidulas nobis cieret, idem ille Sol, quem ſtulti adorare ſolent, vno omnia incendio ſimul miſcens cultoribus quoque ſuis vitam eriperet. Nullum itaq; ex elementorum numero ſolum per ſe vitam largiri poteſt, imò nec omnia ſimul temperata ſine ſuprema illa, qua omnia gubernantur, virtute & potētia, alicuius boni cauſa eſſe poſſunt. Nam videre eſt, quod cùm aer eſt temperatiſsimus, cùm tempeſtiuis imbribus terras rigat, Sol item radiorum viribus clementer vtitur, cùm ventorum auræ conuenienter ſpirant, cùm agricolæ etiam terram ſtudioſe colunt, & ſementes rite faciunt, tamen nec terra fructus liberaliter grateq́ue perſoluit, nec humanum genus à morbis eſt liberum. Horum autem ſummus ille rerum adminiſtrator author eſt, hoc nimirum argumento nobis perſuadere volens, ne creaturis fidamus, nec hiſce, ſed harum opifici bona hæc feramus accepta. Quoniam ergo ipſum aerem quoque diuinæ prouidentiæ gubernatione frui, & eundem illum huius beneficio per tot iam annorum millia ſuffeciſſe vidiſti, adeò vt nec animalium reſpirationibus abſumptus ſit, nec corporum, quibus continetur, fines eruperit: agedum ad terram quoque communem omniū nutricem, matrem ac ſepulchrum, te ducamus: è qua corpus tibi eſt luteum, & os illud, quod contra creatorem ſuum (iuxta Danielis viſionem) tam grandia loquitur. Ante omnia autem huius ſitum conſidera & multiformem eius ſpeciem. Nec enim omnia vel ſupina, vel plana aut etiam ardua ſunt: ſed in montes, ſyluas & campos tota terra diuiſa eſt. Videas enim in patentiſsimis campis colles in altum ſurgere, inter montes autem medios loca prona & plana maris ſinus forma ſua referre. Sed & ipſos montes in hominum vſus & vtilitatem rerum conditor diſtribuit: quos dum vallium præcipitijs diſcreuit, hybernis & niualibus aquis meatus ſtruxit vel alueos, tum hominibus quoque in iniquis & aſperis locis faciles viarum ſemitas extendit. Præterea montes quidem fabrorum arti materiam exhibent, campi vero montium cultoribus frumenti copiam & vſum retribuūt. Sed & ſitus ille varius non alit modo, verumetiam intuētium oculos mirifice delectat. Quæ enim vnam & eandem formam habent, mox ſatietatem ſui pariunt. Dic ergo mihi, quiſnam ſit, qui hæc tam pulchre diſpoſuit? qui tantis facultatibus hæc inſtruxit, vt tot annorum euolutiones theſaurum hunc non potuerint conſumere? quis item ille ſit, qui ea quæ in rerum natura ſunt, firma & immota conſeruat? Quis fluuiorum fluenta vrget? quis fontium venas impellit? Ecce etenim, vt illi hic quidem in ſummis ſcateant montium verticibus, alibi vero ne ſub imis quidem montium radicibus vlli appareant, ſed è profundiſsimis puteis aquarum vſum hominibus offerant. Ne enim hanc aquarum naturam eſſe arbitreris, vt ſua ſponte in altum tendat, diuerſum re ipſa docet mundi conditor: adeò vt aqua Dei verbo obediens ſummos montium vertices facile occupet, quam ſi arte tua cogere velis, nunquam tamen in camporum planitiem redierit: ſed illic effodiendo & terræ profunda rimādo puteos conſtruis, vt aquis è profundo exhauſtis frui queas. Elementorum enim conſeruus, non creator es. Creatori autem facillimum eſt factu, aquarum naturam non modo in mōtium vertices, ſed in medium quoque aerem ſubuehere, & amaram dulcedine condire, liquidam & ſolutam denſare, ligatam geluq́ue aſtrictam ſoluere, continuam diſcernere, fluidam ſiſtere, eamq́ue cuius naturalis motus deorſum fertur, ſurſum currentem oſtendere, ſed & frigore torpentem ſine ignis adminiculo calefacere. Et hęc quidem propter te, hominem ingratiſsimum, facit, vt illarum quoque beneficio, quæ citra omnem hominum operam calefactæ ſunt, frui poſsis, vt nimirum corporum morbis per has mederi liceat. Sed & eas ipſas varias & diuerſas tibi exhibuit, & quæ diuerſis quoq; & contrarijs vſibus conueniant. Aliæ enim neruos rigentes laxant & molliūt. Aliæ verò luxatos aſtringunt & roborāt. Rurſus hæ quidem phlegmata infeſtant, aliæ autem melancholię medentur, & alię vlcera exſiccant. Tantam in calentibus quoque aquis commoditatem rerum gubernator tibi cōtulit. Te vero nihil horum mouere poteſt, quò minus blaſphemus ſis, ſed ingratus eſſe pergis, conuitia exſpuis, & Manichei morbo vel inſania laboras, qui cùm cibo & potu fruatur, eos tum conuitijs lacerat, qui hæc ipſi exhibent, imò meſſores quoque & piſtores impetit, tum & illos qui panem diſſecant execratur, ipſe quidem panem ſecare non auſus, ſed ſecatum comedere minime veritus. Simili modo & tu, cùm infinita hæc & innumera bona percipias, quæ rerum conditor tibi offert, quotidie tamen per ipſam creaturā tanto largitori te ingratum præbes, nec à conuitijs & blaſphemijs abſtines, dū illum ijs prouidere negas, quæ ipſe condidit. Vide autem quantæ illum iniquitatis accuſes, dum has illi intendis calumnias. Cur enim hęc creauit, ſi eorundem curam habere noluit? Quam vero ob cauſam horum curam detrectat? num quod illam quidem gerere poſſet, ſed id facere nolit? Atqui hoc illum poſſe, omnia hæc quæ facta ſunt teſtantur. Quomodo enim viſibilium horum pulchritudinem, magnitudinem & proportionem condidit, ſi potentiam linguæ aut verbis reſpondentem nō habet? Quomodo item in conſortium & habitum vnum redegit quæ inter ſe diuerſa ſunt, nempe aquam & ignem, diem & noctem, vnamq́ue ex omnibus iſtis harmoniam & conſonantiam conſtituit, qui nihil prouidere poteſt? Multo maius enim eſt, ea quæ non ſunt, vt ſint efficere, quàm ijs quæ ſunt, prouidere. Veruntamen, quod hæc poſsit, mun-

Terra.

Fontes.

Deus creatur rasſuas cur ras.

mūdus ipſe teſtis eſt: quod vero & velit, idem ille locupletiſsime teſtatur. Nec enim aliquo cogente mundi opificium aggreſſus eſt, nec ceu rerum indigus mundum introduxit, ſed quia bonus eſt, & bonitatem omni menſura maiorem poſsidet, ijs quæ non erant, ipſum eſſe dare voluit. Qui ergo tanta erga hæc quæ non erant bonitate vſus eſt, quaratione ea quę iam facta ſunt, negligeret? Nec enim dicere poſſumus, quod operibus ſuis Dominus inuideat. Natura enim ab inuidia & omni affectu libera præditus eſt. Porrò vt quàm abundātiſsimè impietatis imbecillitatem exerceamus, pauca quædam ipſos interrogabimus. Quam ob cauſam cedo Deum mundo, qui ipſum eſſe ab ipſo accepit, inuidiſſe dicitis? Num propter magnitudinem? Atqui ipſe & increatus & infinitus eſt, qui nec initium habuit vnquam, nec finem quoque habiturus eſt, omnia item complectitur, ipſe à nullo circumſcriptus: nam in manu eius ſunt fines terræ, & ipſe manu menſuratus eſt aquas, & cœlum ſpithama, omnemq; terram pugno. Num vero propter pulchritudinem? Atqui ab ipſo factus eſt. Atqui nemo vel inuidiſsimorum hominum, ſi domum elegantem & ſplendidam ædificarit, illi inuidet vnquam, quin potius voluptatem inde capit, delectatur, gaudet, & ſi qui eam non viderunt antè, ijſdem illam ſpectandam monſtrat. Quæ autem hominis ratio vnquam digne expendet, quanto omnem mundi huius formam & pulchritudinem intelligibilis illius lucis, cuius virtute omnia hæc condita ſunt, pulchritudo exuperet? Videte ergo, quorſum tandem euadat impietas. Cùm enim peſsimi quique homines domibus à ſe extructis non modo non inuideant, ſed illis vel maximè ſuperbiant, vos tamen in omnis bonitatis fontem, cuius natura eſt nullo affectu turbari inuidiæ, affectum cadere dicetis? Et quiſnam impietatis gradus ſublimior vobis relictus eſt? Quoniam ergo mundi huius gubernacula Deus obtinere poteſt, & eundem bonis omnibus frui vult: manifeſte vtique conſtat, quod eundem curet ſimul & illi præſit: quin apprehenſis habenis eius ceu peritus aliquis auriga omnem naturam abs ſe creatam regit, nihilq́ue incuratum relinquit. Porrò, vt hæc tibi plenius conſtent, ad mare rurſus deſcendito, & illius profunditatem, amplitudinem, fretorum interſtitia, litora, portus, & in medio eius ſitas inſulas, piſcium item genera, ſpecies, formas, varietatem, & amorem, quo terras appetunt, conſidera. Simul & fluctuum ſaltus & Prouidentiæ frenum, quod illis iniectum eſt, inſpice: quo nimirum impediti terras inundare nequeunt, ſed dum contra arenam impetuoſe feruntur, poſitos tamen ſibi terminos pertimeſcunt: & dum legem à Deo ſibi latam illic inſcriptam vident, inſtar contumacis equi, quià ſeſſore freno retractus collum reflectit retroq́ue cedit, refugiunt, quaſi & eius facti illos pœniteat, quod arenis appellere auſi ſunt. Adhæc per mare terras diuiſas videmus, quo etiam ceu ſequeſtro quæ procul inter ſe diſtant, in amicitiam coierunt. Concordiam enim humano generi inſerere volens dominus, mutuis illos operis & auxiliorum neceſſitate conſtrinxit. Per mare longinquas peregrinationes facimus, & ea, quibus indigemus, à nobis inuicem petimus, ſimulque alijs, quæ ipſis neceſſaria ſunt, rependimus. Nec enim aliquam terræ partem ſummus ille rerum adminiſtrator cultoribus ſuis omnia ſimul ad vſum victumq́ue neceſſaria proferre paſſus eſt, ne nullius ope indigens copia mutuę amicitiæ noceret. Iniurijs enim gaudet rerum ſaturitas, & turbarum parens eſt. Vnde in medium telluris mare prominet, quod in plurimos ſinus diuiſum, ingentis alicuius ciuitatis forum repræſentat, omnem neceſſariorum copiam liberaliter exhibens, multoſq́ue tam venditores quàm emptores capiēs, quos hinc inde dimittit ſimul & adducit. Quia enim profectiones quæ per terram fiunt, plenæ laborum ſunt, quin non modo laborioſum, verumetiam impoſsibile erat, vt per has omnis inopia ſarciretur, maris dorſum extendit Deus, quod tam magnarum quàm paruarum nauium capax eſt, quæ multam neceſſariarum rerum copiam indigis hominibus aduehunt. Nam vnius nauis onera vix aliquot millibus iumentorum vehi poſſe videmus. Ne vero qui per mare iter faciunt, nimia afficerentur moleſtia, inſulas veluti ſtationes quaſdam rerum conditor infixit, in quas delati refectis corporibus & emptis neceſſarijs rurſus eò ſoluāt, quò illis curſus eſt. Reuerere ergo beneficiorum multitudinem, dixit mare. Magis enim tibi quàm Sidoni, hæc prophetæ verba conueniunt. Hæc quippe, cùm mundi Creatorem ignoraret, ipſum numen in multos Deos diſtraxit, & vnicum illum cultum diſſecans ijs illum, qui Dij nō erant, impendit, Prouidentiam interim non negans, ſed illis hanc tribuens. Nec enim ſacra feciſſet ijs, quos Deos eſſe putabat, niſi plenè ſibi perſuaſiſſet, quod & vtilitatem conferrent, & damnum auerterent. Tu autem eo errore, qui Deorum multitudinem fingit liberatus, cùm viſibilia hæc omnia facta eſſe fatearis, & harum creatorem adores, eundem tamē ab operibus ſuis eijcis, & quàm longiſsime à Creatura collocas, hancq; tantam mundi machinam gubernatore carere, & ceu nauim quandam, omni regimine ſimul & præſidio deſtitutam, fortuitis caſibus ferri contendis. Reuerere ergo ea, quæ ex mari accipis beneficia: tum & illa, quæ ex terra, ex aere, ex Sole tibi proueniunt. Reuerere & cœli, quod tibi incumbit, faſtigium. Reuerere tributum, quod ex mundo percipis. Singula enim horum, quæ modo recenſuimus, tibi quaſi tributaria ſunt, & ſui vſum ceu reditus quoſdam & vectigal tibi offerunt. Et ſol quidem illuminat, calefacit, & è terra prognatos fructus excoquit. Luna noctu prælucet. Stellę tibi in terris verſanti nocturnum tempus indicant, & temporum viciſsitudinem ſignant: per mare autem nauiganti viæ ad terram duces ſunt.

Mare.

Inſulæ.

ces ſunt. Aer item abs te hauſtus eum, qui tibi ingenitus eſt, calorem recreat. Pluuię agriculturæ fructus enutriunt. Et dum frigora ciet naturæ conditor, plantas ſimul & ſemina in altum germinare prohibet, & vegetatiuam vim in radices diſtribuit, eamq́ue in altum eluctantem frigore, ceu flagello quodam, ad inferiora compellit. Idem reptilium quoque, quæ & plantis & ſeminibus nocent, corpora perdit: ſimulq́ue tibi alumno ſuo auium genera exhibet. Quid vero hic fructus, qui è terra, è fontibus, è fluuijs, è mari proueniunt, enumerare attinet? His ergo cùm fruaris omnibus, largitoris tamen obliuiſceris? Et cùm creaturę fructus percipias, aduerſus creatorem tamen inſanis, furis & deſipis? Sed & dona, quæ manibus geſtas & circunfers, non ſentis, ſed contradicendi rabie laboras? Noui enim obiectiones tuas: ſed nec illas ipſas huic ſermoni adiungere, nec earundem ſolutiones ſubtexere inſtitui. Sed cùm alter mihi ſermo, quo iuuari poſſum, reſtet, Prouidentiam, quam tu oppugnas, hiſce rationibus fulcire volui. Interea te hic dimiſſum in eorum, quæ dicta ſunt, conſideratione cum voluptate verſari, & vndiquaque ſalutem tuam venari iubens, ipſe omnium gubernatorem laudibus decantabo, cui debetur gloria in ęternum, Amen.

SERMO III.

De monſtratio Prouidentiæ ab humani corporis fabrica.

VI corporibus valent, ijs medicorum cura minimè opus eſt: valetudo enim ſalua & incolumis pharmacorum ope non indiget. Qui autem morbo aliquo infeſtantur, medicos in auxilium vocare conſueuerunt, quorum arte & armis contra morbos auxiliarijs vſi illos quaſi hoſtes quoſdam è corporibus propulſare conantur. Medica enim ars corporibus auxilium præbet, & morbis inſidias ſtruit. Similiter, qui animabus ſuis valent, & illas pietate ſana & integra exornatas habent, nullis doctrinæ pharmacis indigent: qui autem praua aliqua opinione tenentur, quiq́ue profanorum dogmatum morbos contraxere, & temporis diuturnitate ex affectione habitum morbi nacti ſunt, multis equidem purgationibus opus habent, quæ inimicam illam materiam repellere animaſq́ue puriores reddere queant. Sed & multis alijs pharmacis indigent, quæ genitales peccantis materiæ meatus ſua virtute occludant & obſtruant, atque noxios dolores ſedent. Quoniam itaque periculoſus admodum & difficilis illorum morbus eſt, qui mundo Prouidentiæ curam negare & auferre conantur, duo quidem pharmaca, ex mundi partibus temperata, iam illis obtulimus: vt vero omnem morbum radicitus euellamus, & illos moleſta & difficili hac infirmitate omnino liberemus, tertium quoque illis parare & offerre aggrediemur. Huius autem parandi pharmaci materiam, nec è cœlo vel terra vel mari, nec ex Sole vel Luna aut reliquis ſtellis, nec item ex aere vel nubibus aut ventis, nec etiam ex fluminibus vel fontibus aut puteis, ſed ab illis ipſis, qui blaſphemias huiuſmodi effundere ſtudent, petemus. Cùm enim illis os à creatore donatum ſit, vt pro acceptis ab illo bonis largitori laudem offerant, non modo illum laudare recuſant, ſed blaſphemijs quoque linguam polluunt, & nobile illud orationis inſtrumentum ignominioſiſsime tractant. At qui vnicum illud hominis membrum, Creatoris non modo ſapientiam, ſed immenſam quoque & inexhauſtam eius erga nos bonitatem ſufficienti demonſtratione teſtari poteſt. Organo enim muſico, quod æneis fiſtulis conſtat, & follium flatu vel aura inſpiratum, artificiſq́ue digitis motum, ſoni concinnam hanc vocem edit, plane ſimillimum eſt. Non autem ab arte natura principium duxit, ſed ars à natura iucundi illius & ſuauis concentus organum fabricare didicit. Exemplar enim artis natura eſt, ſimulachrum vero naturæ ars. Ecce igitur, ò homo, qui cùm loquendi donum diuinitus acceperis, eum tamen qui te tanto honore dignatus eſt, merito ſuo honore ſpolias, vt pulmo quidem inſtar follis vel vtris ſitus ſit, quem non hominis alicuius pedes, ſed thoraci adiacentes muſculi ipſum contrahentes ſimul & dilatantes exprimunt. Hic vero per arteriam aſperam ſpiritum emittit, qui expulſus gutturis operculum aperit, & per ipſum guttur ad os vſque effertur. Ratio autem lingua quaſi dextræ manus officio vtens, ipſam dentibus ceu æneis quibuſdam fiſtulis infert, facitq́ue, vt ſurſum & deorſum diſcurrere, & expedite ſimul & facile elabi queat. Simul autem huic motus facilitati ſubiacens illa glans opitulatur, quæ fontis inſtar perpetuo humore ſcatet. Cùm enim aſſiduus ille motus linguam exiccet, iuſto vtique & modico humore opus erat, qui ipſam & humectaret, & leuiorem reddendo motum quoque pręberet facilem. Poſtquam ergo hominis ratio per linguam dentibus illiſa eſt, ſpiritu ſimul (vt dixi) emiſſo & labijs contractis, & aere ſpiritus emiſsione conſonanter percuſſo, articularis illa vox perficitur, & ſermonis vehiculum fit ſpiritus, qui ex interioribus effertur, natura nimirum quod in hoc cordis aduſtione fumoſum iam eſt, tanquam ſuperfluum, expellente. Cùm enim cor naturalis caloris fontem rerum opifex fecerit, & ex hoc totum corpus caloris qualitatem hauriat, tum ipſum quoque cor tanto calore occupatum recreatione vel refrigerio opus haberet, pulmonis reſpiratione illud recreari curauit naturæ conditor. Hic enim purum, qui extra nos eſt, aerem per aſperam arteriam ſuſcipit, per leuem vero illum ipſum ad ſiniſtrum cordis ſinum

Sermonis vel vocis organa.

ſuum tranſmittit: inde enim (quemadmodum tradunt, qui de his diligentius perſcripſere) illa principium ducit. Pulmo autem purum illum & recentem aerem cordi tranſmittens, alterum illum, qui iam cordis calore feruens, fumoſior eſt, recipit, & eundem ceu ſuperfluum per aſperam arteriam rurſus foras expellit, adeo vt qui ſuperfluus & omnino inutilis videbatur, mente hominis ſic volente, quæ & linguam concinne & decenter mouet, ſermonis vehiculum fiat: & ſpiritus ille, quem ceu noxium pulmo à corde euexit & expulit, articulatæ vocis author eſt & operarius. Vere ergo exclamare licet: O profunditatem diuitiarum & ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Vere, inquam, & hoc dicemus: Quis enarrabit potẽtias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Vere inquã dicimus: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: omnia in ſapientia feciſti. Et quænam oratio Creatoris laudibus ſufficiet? Quibus verbis corporis noſtri fabrica digna enarrari poterit? Quis ſermo, vt ſermonis organa exponat, erit ſufficiens? Quis ad tantam peruenit ſapientiam, vt Creatoris ſapientiam plene perſpexerit? Tu vero cùm hæc non videas modo, verumetiam eorundem vſu fruaris, horum tamen authorem celebrare detrectas, tum negligentiæ illum accuſas, qui omnium quæ fecit, curam gerit diligentiſsimam. Et ſanè vnica hæc humani corporis pars Creatoris curam & ſtudium, quo erga viuentem hanc creaturam ſuam tenetur, pleniſsime demonſtrare poteſt. Cùm enim ſermonis vſu nos donauerit, ea etiam quæ ſermoni conueniunt, dedit organa. A quibus imitationis anſam accipiens ars tibias fecit, ſed & lyras & citharas compoſuit. Nam dentium loco chordę extenſæ ſunt, labiorum autem vſum æs implet, & linguæ officium ipſis chordis plectrum exhibet: manus autem dum ab acuto ſono ad grauem tranſit, hominis rationem imitatur, quæ linguam ſurſum & deorſum currentem moderatur. Veruntamen tanta licet arti diligentia inſit, numerum quidem & conſonantiam carminis homines admirantur, nullam vero articulatam vocem vel ſermonem audiunt. Naturæ enim æmulatrix eſt ars, articulatam vero vocem natura perficit, vtpote quæ à Deo omnium creatore ſit cõdita. Et quemadmodum ars animalis figuram imitari conſueuit, & vel æneam maſſam vel lapidem in humanæ formæ ſpeciem effingit, ſimulq́ue & oculos & nares, os denique, aures, collum, manus, pectus, ventrem, femora & crura pedeſq́ue addit, ſenſum vero ac rationem motuſq́ue voluntarij facultatem largiri non poteſt: ſic lyra quoque & cithara, & quod ex æneis fiſtulis conſtat organum, ſonum quidem concinnum & ſuis conſtantem numeris per inſpirationes vel pulſationes reddunt, vocem vero articulatam ſolum illud viuum, quod horum exemplar eſt, organum edit. Hoc enim ipſius Creatoris opus eſt: illa vero omnia ab eo facta ſunt, qui Creatoris imago eſt: adeo vt homo, qui Creatoris imago eſt, ipſum Creatorem imitari contendat. Et ſane quæcunque ſic fiunt, vmbris cum ipſa rerum veritate pugnantibus, ſimillima videntur, quæ formam quidem rerum referunt, ipſa autem operandi virtute carent. Tantam ergo in hiſce organis Dei omnium Creatoris prouidentiam cernens, deſine quæſo illi negligentiæ crimen obijcere. Porrò, vt ex alijs membris quoque Creatoris, quam de nobis gerit, curam cognoſcas, agedum ad ipſum cor te reducamus. Hoc ergo, quia præſtantiſsima humani corporis pars eſt, & totius corporis imperium ſibi commiſſum habet, ceu regem quendam vndique munit, & thoracis fortiſſimo vallo circumſepſit, ne quid eorum quæ extrinſecus homini incidunt, cor facilius lædere queat. Quoniam vero idem hoc aſsidue mouetur (nam arteriarum fons eſt) inferius quidem rarum, ſpongioſum, poroſum & arterijs plenum pulmonis corpus illi ſubſternere placuit: ſuperius vero conum ipſius robuſtiorem fecit, & tunicam membraneam quidem, ſed denſam validamq́ue circumpoſuit. Alimenti autem materiam cordi, non ſpiritus modo, ſed etiam ſanguis exhibet, quem à iecinoris partibus per venam cauam, ceu canalem quendam, attrahit. Cæterùm iecur ex ventre eandem illam haurit materiam. Venter vero ſtomachi opera cibum dentibus cõſciſſum & molarium vi comminutum attrahit, & attractũ primo quidem feruat, ſuccum illius elicit, alterat & tranſmutat, ſibiq́ue ſimilem efficit: deinde concoctum probe & mutatum rite & æqualiter diſcernit, & puriſſimam quidem illius partem iecinori colandam attrahendamq́ue concedit: quod vero in eodem ſuperfluum eſt expulſoria virtute inteſtinis tranſmiſſum eijcit. Similiter & iecur, vbi puram illam & ſynceriorem alimenti partem ſuſcepit, purgatione & diſcretione ea, quam modo expoſuimus, minime contentum eſt, ſed eandem denuò quaſi per fauces quaſdam & anguſtiores meatus diſcernit & purgat: cuius denſiorem & lutoſam feculentamq́ue partem per meatus quoſdam lien ad ſe trahens, eas ſibi alimentum facit: alteram vero eius partem, quæ vltra modum excocta bilioſam qualitatem contraxit, pallidiorq́ue facta eſt, bilis veſicula recipit. Quod vero in eadem fluxum nimiſq́ue tenue eſt, nec quicquam alere poteſt, in veſicam, humidis excrementis deſtinatum receptaculum, ſecedit. Et ſic quidem, vbi alimentum hoc plene purgatum & iecinori conforme in ſanguinis naturam tranſijt, mox illum caua vena excipiens, cordi quidem, quantum opus eſt, confert, ſimulq́ue in ſuperiores corporis partes tranſmittit, tum in plures venarum ramos diſſecta, thoracem quoque nutrit, humeros & manus, quin ad ipſos quoque vngues peruenit, collum amplectitur, caput occupat, in clunes denique, femora, genua, tibias pedeſq́ue deſcendit, imò omnes corporis partes ambit, nec vllum membrorum viuentium hac irrigatione deſtitu-

Rom. 11.
Pſal. 105.
Pſal. 103.
Instrumenta Muſica.
Cor.
Iecur.
Lien.
Vena caua.

ænæ. destituitur. Venæ enim canales & aquæ ductus similitudine referunt, quibus corporis irrigandi officium concreditum est. Quapropter tenui quoque & rara tunica constant, vt quæ illis adiacent partes alimentum ex illis *Arteriæ.* facilius haurire possint. Arterijs autē & densiores & duplices tunicæ sunt: non enim sanguinis vasa sunt, sed spiritus, qui & tenuior est, & facilius quàm sanguis effluit. Quamobrem vel hinc quoque Creatoris Prouidentiam agnoscito. Venas etenim, quæ corporis nostri membris sanguinem aduehunt, ex tenuissimis membranis composuit, & illorum poris quasi fungosa quædam palliola circundedit. Corpus enim crassum est, & maioribus ad effluxionem poris indiget. Ne tamen omnis simul effluereat, sed quasi humorem solummodo aliquem vicinis membris exhiberet, huiusmodi vasorum naturam constituit. Arterias autem, quibus vitalis ille spiritus per totum corpus vehitur, qui & tenuissimus est, & facillime euacuari potest, vtpote qui per minimos quoque meatus mox effluit, non simili modo contexuit summus ille rerum opifex, nec vna duntaxat tunica, sed duabus, ijsque densis simul & solidis constare voluit. Venis autem arterias circumposuit, vt sanguis calidi spiritus commotione excitatus vndiquaque discurrat. Hic enim, si immotus consistat, condensari consueuit. Quam ob causam in membris quibusdam has sibi inuicem minutissimis poris vel meatibus inserujt, vt nimirum sanguis spiritum paulisper suscipiat, quo impulsus moueatur: spiritus vero humore aliquo humectetur & madefiat, qui ipsum non patiatur in vniuersum exarescere. Et quis sodes eorum, qui & ambitiosissimi & opulentissimi sunt, domum ædificans tanta prouidentia aquæ ductus disponit, scaturigines illorum tam sufficienti aquarum copia instruit, & fontes ac phialas ad tantam delectationem ædificat, vt summus ille omnium architectus rationalem hanc domum ædificare volens, ipsam tot ac tantis circumsepsit vasculis, quę illi ad omnem necessitatem inseruiunt? Quis item tam peritus faber, qui zephyri flatibus domum perflari volens, ventorum vias vel fenestras ita dilatet, quemadmodum sapientissimus ille architectus, Deus ista disposuit, vt spiritus, qui cordis calore adustus, fumidus & fuliginosus est, corpore egrediatur, purior autem & syncerior ingressus omnes arterias percurrat? Quis item vel herbas plantans, vel arbores inserens aquas tanto studio deducit, & plantarum radices tam diligenter irrigat, vt qui viuam hanc plantam inseruit, & omnem creaturam condidit, arcano quodam modo humani corporis membra per venas irrigare solet? Nam quod alimentum attinet, nos homines ab inanimatis arboribus nihil differimus. Perinde enim vt his, ita nobis quoque alimento opus est. Arbor quippe nisi nutriatur, arescit: & homo fame pressus, similiter omni exhausta humorum copia morti traditur. Quemadmodum igitur arbores, vbi vel è nubibus demissas pluuias, vel fluuiorum aut fontium latices susceperunt, per radices quidem humorem attrahunt, hoc autem & ramos, & corticem & medullam enutriunt, qui simul & folia producit, & flore enato fructus tandem ad maturitatem excoquuntur: sic & animal hoc cibum quidem ore suscipit, qui illi instar fontis est, canalem autem stomachus refert: at venter ceu radix quædam hunc susceptum quasi per scalam quandam ramorum iecinori transmittit: iecur autem non sibi modo necessarium alimentum inde decerpit, sed eiusdem irrigatione omnia corporis membra reficit. Et corpus quidem hoc modo enutritum in pueris crescit, & in longitudinem & latitudinem extenditur, ac breui ad iustæ magnitudinis mensuram peruenit: vbi verò constitutum sibi attigerit limitem, tunc quidem augeri desinit, & nutritur solummodo. Tanta diligentia naturæ nostræ Creator omnium prospicit, & non modo format, verumetiam nutriens conseruat: nec id duntaxat, sed & omnem aliam, qua nobis opus est, curam adhibet. Quare totus hæreo & animi dubius sum, quo pacto summum illum creatorem meritis laudibus celebrare possim. Omnem etenim mentis cogitationem tanta Prouidentiæ, quam circa nos gerit, varietas exuperat. Omnis oratio tantæ creationis sapientiæ cedit, nec vlla tam admirabilem corporum nostrorum fabricam digne enarrare poterit. Sufficiat tamen vel hoc vt Deum conditorem celebres. Non terram versus vt bruta animalia vultum dimittis, nec *Hominis statura.* instar porcorum ventre pronus nutas. Suspice saltem, & Dei Prouidentiam cernito. Solum te ex animalibus erectum condidit, & binis pedibus incedere fecit. Sed & crura *Crura.* singula non ex vno duntaxat, sed ex tribus vel membris vel partibus composuit, & in tres compages vel iuncturas colligauit. Et hanc quidem coxendici coaptauit, alteram vero genubus conseruit, tertiam talis commisit. Præterea compages hasce neruorum vinculis validissime constrinxit, & musculis voluntarij motus facultatem indidit. Vincula quoque nec laxa nimis fecit, nec nimium intendit: plus æquo enim intensa omnem mouendi facultatem impedirent & eriperent, illa vero luxatas articulorum compages dilabi paterentur. Eiusdem ergo Prouidentiæ Dei beneficio ingrederis, curriſque quò libet, & standi simul sedendique libera tibi potestas est. Simul tamen hic aliud quoque huius curæ specimen considera. Ne enim nudæ illi ossium compagi insidere coactus aliqua afficereris molestia, sed citra omnem dolorem vel nudo solo vel etiam saxo insidere posses, nates vel clunes quasi connatum ti- *Nates.* bi puluinar substrauit. Tu tamen ingratus esse pergis, & dona hæc ne sentire quidem vis, quin insanis & furis contra æternā illam, quæ tam benigne tibi prouidit, sapientiam.

Atque

Atque canis nutritorem suum agnoscit, & præsenti assidet, absentem desiderat, redeunti demissis auribus & cauda hinc inde vibrata gaudium suum testatur, obedientiam promittit, seruitutem fatetur, & beneficentiam euidentissime prodit: hæc autem facit, cùm & ratione careat, & sermonis vsu destitutus non nisi temporis diuturnitate ex consuetudine & assiduis beneficijs inter ignotū & notum, interque amicum & hostem discernere didicerit. Tu vero sermonis vsu instructus, & mente præditus, qua nihil in tota visibilium natura interque volatilia cuncta velocius est (Sol etenim vno quidem die totius orbis stadium percurrit, hæc vero vno nutu totum terrarum orbem obambulat, & phantasiæ cursu in cœlū tendit, & hoc ipsum transcendens Deum quoque, quoad fieri potest, conspicatur, & infinitas angelorum myriades cernit, & archangelorum millia lustrat, imò quæ sub terra sunt curiose inquirit, dum videlicet hæc quoque superare conatur quidem, sed non potest, vtpote cùm eorum quæ didicimus notitiam Deus phantasiæ terminum fixerit) hunc, inquam, talem tantumque ducem, gubernatorem & vectorem habens, diuina tamen beneficia non sentis, nec beneficiorum multitudinem consideras, sed ingratitudinis vitio pertinaciter inhæres. Et cùm tot tibi magistri adsint, prouidentiæ tamen elementa discere non vis. Caue ergo, ne te prorsus neglectum ille deserat, & experimento discas quantum interfit inter hominem, qui prouidentiæ cura regitur, & eum, quem à Prouidentiæ suæ cura reiecit Dominus. Denuò igitur adesto, ò Philotes, ad aliam *Spina dorsi.* enim te corporis partem traducemus. Dorsi spinam mihi considera, quæ vbi à sacro osse, quod natibus adiacet, exorta est, ad collum vsque ascendit, & instar fortis ac validæ columnæ ex multis vertebris compositæ, & ventrem, & humeros, & manus, & ceruicem, & caput sustinet. Quoniam enim nihil ossei roboris rerum cōditor exteriori ventris parti addidit, vt videlicet cibo sumpto facilius sese extendere posset & dilatare, atque sufficienti tumore ad cibos capiendos extolleretur, eundem in posteriori corporis parte dorsi fulcro sustineri voluit. Huius autem spinam è pluribus ossibus Deus construxit, vt cùm homo incuruare sese vult, & facilius inflecteretur, & inflexio eandem non infringeret. Alimentum vero huic dorsilis medulla exhibet, cuius origo ex cerebro ducitur. Cæterum, quid hic de manibus dicere attinet, quarum vsum & vtilitatem multiuariæ artes prędicant? Sed earum mentio in sequenti oratione fiet, vnde vsum illarum eiusque expositionem in illam vsque reseruabimus. Hinc ergo ad collum ascendito, & illius formationem considera. *Collum.* Et hic mihi aquæ ductuum castella in mentem reuocabis, quæ ab infima parte sursum perforata multis foraminibus patent, vnum tamen (quod medium est) maximum amplissimumq; recipiunt, per quod aquarum canales plurimum quidem aquæ attrahunt, eandem verò per alias & diuersas fistulas distributam emittunt, & hanc quidem in Australem ciuitatis partem, illam vero Orientem versus, in Occasum aliam, & aliam in Septentrionem transuehunt. Eundem vsum humano corpori collum exhibet. Ars enim (vt supra diximus) naturam imitari consueuit, & sua illa figmenta ad huius operum similitudinem effingit. Collum quippe ad stomachi os vsque porrectum ventri cibum potumque transmittit: habet præterea arteriam asperam à pulmone ad larynga vsque ascendentem, & præter hanc venas quoq; & leues arterias continet, per quas sanguis simul & spiritus affertur cerebro, quod illis nutritum & auctum, per connexa sibi ossa dorsalē medullam dorso transmittit, qua tota ossium natura alitur, simulque nerui enascuntur firmi, crassi & tenues, lati & rotundi, quorum vinculis articuli ligantur, & musculi motus vim suscipiunt. Postquam vero ad ipsum caput peruentum est, illud arcis instar in summo ciuitatis huius (humani nimirum corporis) fastigio situm conspice, in quo opulentissimus quoq; hominis thesaurus, nempe cerebrū, quasi in munitissimo castro custoditur. *Caput.* Cranium enim instar valli vel galeæ est. Vnde et galeam Græci κράνος à cranio denominant, eo quod ad huius similitudinem fabricari soleat. Et cranium quidem cerebrum ambiens omne extrinsecus illi incidens malum pro viriliarcere consueuit. Ne verò cerebrum, quod natura mollius est & laxius, ab ossibus quæ dura & solida sunt, quassatum læderetur, duabus illis inuoluit tunicis rerum opifex, quas membranas Medicorum discipuli nominant. Et eam quidem, quæ tenuissima est, quamque à secundarum seu extimi fœtus inuolucri forma Græci χοροειδῆ dicunt, ipsi connatam & propius coniunctam esse voluit, vt hoc firmius quidem continere posset, interim verò summa illa & subtilissima tenuitate non quicquam lęderet. Alteram verò densiorem & robustiorem fecit, quæ media inter cerebrum & cranium extenditur, néue cerebro duriori sua substantia noceat, vel ipsa ab ossibus cranij aliquid damni accipiat, ipsis mollior existens. Cerebrum ergo instar thesauri (vt diximus) in capite tāquam in arce custoditur. Quandoquidem autem arcis præfecto, menti scilicet, speculatoribus quoq; opus erat, simul & hos addidit rerum conditor: nec vni solummodo speculam istam cōcredidit, sed binos excubitores constituit aut vigiles, & hunc quidem ea quæ ad sinistram sunt, alterū verò quæ à dextra consistunt obseruare & speculari iussit. Quia verò ijdem illi custodibus simul & pinnis atque propugnaculis ac vallo opus habebant, nec in his constituendis vr bis huius conditor negligentior visus est. Sed oculis, quibus videndi sensus commissus erat, pinnarum & propugnaculi loco superciliorum castella imposuit, quibus hi protecti ea quoque quæ longi-

Cerebrum.

us, di-

us diſtant, tuto proſpiciunt. Illis ipſis autem vel pinnis vel propugnaculis tecti loco, quod ſuperne delabentes pluuias arceat, tenues quoſdam & ad exteriores faciei partes vergentes pilos inſeuit, qui à fronte defluentem ſudorem excipiant, & inter ſe diuiſum per tempora diſtillantes hac quoque moleſtia vel damno oculos liberent. Porrò, cùm armatura quoque muniendi eſſent illi cuſtodes, palpebrarum tunicis illos induit, illiſq́ue ceu haſtilia quædam & tela pilos, quos & cilia vocant, dedit: qui nequaquam vt ſuperciliorum pili inflexi ſunt (ne ex propugnatoribus hoſtes vel inſidiatores reddantur) nec etiam ſecundum rectam lineam extenduntur (ne in palpebrarũ connixtione ſeſe inuicem atterant) ſed foras nonnihil extenduntur, vt ea quoque quæ ex tenuiſsimis corporibus damna accidunt oculis, arcerent. Cùm enim ventus vehementiori flatu ſpirans oboritur, non tenuior modo, ſed & craſsior puluis, tum feſtucæ etiam, & ſi quę ſunt alia huiuſmodi excitantur, imò culices quoque & quæcunque ſunt his ſimilia animalcula in oculos inuolant: vbi vero cilia inſtar palorum & ſudium præfixa, conſpexerint, retro fugiunt. Similiter ſpicas quoq; ſummus ille omnium conditor armauit. Nam tritici vaginis vel folliculis ariſtas imponens, minorum auium, quæ ſeminibus inſidiantur, morſum hoc ceu vallo à frugibus prohibet, & his ceu haſtarum cuſpidibus territas fugat. Sed dices fortaſsis, ò ingratiſsime: Quid ergo mihi amplius quàm ſpicis largitus eſt? Sed & ſpicas ò ſtupidiſsime, propter te condidit. Quid ergo ingratus es, ſi quę tua ſunt propter te tuis armis muniuit? Tu ingratiſsime, frugum ſemina telluri mandas, ipſe autem irrigat, calore fouet, nutrit, munit, cuſtodit, & maturas iam tibi propinat. Tu vbi meſſe peracta in aream fruges intuliſti, & artificioſe diſſectas à paleis repurgauiſti, mola contritas, & à furfure diſcretas manibus tuis ſubigis, & in clibano vel fornace excoctis panibus cum voluptate frueris, & tamen horum largitorem ignoras? Sed ad oculum reuertamur. Huius ergo naturam omnem inſpice: vide quot ille tunicis munitus ſit: vide quanta ſit huius exterior pulchritudo vel forma: vide inſuper pupillæ tenuitatem, huic circunfuſam Iridem, quam nos σεφάνλω ceu coronam nominare ſolemus: vide item corneum circulum, vueam tunicam, criſtallinam ſphæram, quæ huic ſubiacet, & per medium eius pſpicit: præterea qui circa hanc diffuſus eſt, humorem vitreum: ſed & alteram illam eiuſdem tunicam, quæ à retis piſcatorij figura Græcis nomen traxit. Inſpice item glanduloſam eius ſedem, cui totus innititur, & alimentum, quod ex cerebro per tenuiſsimum vaſculum illi exhibetur, & ſuperflui humoris per hirquos effluxum. Vide præterea in quot colorum ſpecies ſanguis mutetur. Hic enim primo cibus erat, qui dentium vi contritus ventri tranſmiſſus eſt. Hic ſibi concolorem efficiens album reddit. Eundem autem ſuſcipiens iecur in proprium colorem tranſmutauit. Poſtquam vero ſanguinis natura hoc modo abſoluta eſt, pars huius in cerebrũ conſcendens denuo albeſcit, & in oſſa condenſatur, ac in neruos denſos quidem & firmos, ſed flexibiles lentoſq́ue conuertitur. Sed idem fortaſsis fecero, quod ij qui arenas numerare conantur, ſi omnem, quæ in corporibus noſtris apparet, Dei prouidentiam exponere velim. Ipſe igitur priuatim omnes reliquos ſenſus, guſtum nempe, olfactum & auditum, mentis contemplatione percurrito. Vt nimirum olfactus odores percipiat, & ſuaues quidem admittat, fœtidos autem graueſq́ue repellat, ſimulq́ue capitis excrementa ſuo ductu eijciat. Cùm enim ipſe in ſuperiori corporis parte conſtitutus, omnes ab imo aſcendentes vapores excipiat, horum autem inundatio præſtantiſsimæ corporis parti, cerebro nempe, cum primis noxia ſit, nec hic etiam negligentior fuit rerum conditor: ſed meatus quoſdam fungoſos & fiſtulares fabricauit, per quos humida & craſſa illa excrementa ad palatum nareſq́ue deduxit: ſimulq́ue duo hiſce excernendi membra deſignauit, quo facilius, quod in his noxium eſt, effflueret. Vaporum vero excrementa & fuliginoſa illa ſurſum per cranij ſuturas efferri fecit. Sed & auditus potentiam contemplare. Hunc enim videbis, quilicet infinitas voces excipiat, non tamen ſaturatur: nec etiam impletur, tum nec ſimili ratione omnes excipit: ſed acutæ & grauis vocis differentiam nouit, vocis concinna modulatione delectatur, & diſſonantem reſpuit. Huius beneficio diuina oracula percipimus: per eundem omnem humanam ſcientiam natura tradit: nempe Grammaticam, Rhetoricam, Sophiſticam, Arithmeticam, Medicinam, mechanicam, & ſi quæ alia humano ingenio vnquam inuenta eſt. Hunc ipſum auditum noſtris hiſce verbis ſubijce: per hunc pharmacum, quod animam tuam purget, & eandem ab impia illa blaſphemia liberet, ſuſcipe. Huic portas impone, rationem: & ianitorem adde, Timorem Dei. Tum ſermones qui afferuntur, iuſto iudicio examina: & pijs quidem ianitor fores pateſaciat: blaſphemos autem, profanos & Deo aduerſos amandet, ac clauſis portis ſidei robur, ceu infractum vectem obijciat. Sic enim fieri poteſt vt hoſtibus liberentur, & animarum ſaluti conſulant, qui amicos & vtiles ſermones admittunt, quibus & aures (vt Paulus inquit) non pruriunt, nec eas ſuauibus quidem, ſed rationi noxijs ſermonibus præbent: quin potius eorum quæ dicuntur & fiunt, veros iuſtosq́ue iudices ſeſe conſtituunt, & non niſi ſalutares deligunt & vtiles: qui denique noctesq́ue dieſq́ue, ſiue deambulent ſiue ſedeant, & quodcunque vel faciant vel patiantur, Deum (vt Propheta inquit) ſemper coràm aſpiciunt. Illi ſit gloria in æternum. Amen.

Olfactus.

Auditus.

Sanguis.

SER-

SERMO IIII.

Demonſtratio Prouidentiæ ex manibus humanis, & inuentis artibus.

Pſal. 18. PRopheticam illam vocẽ audiui, quę canit & clamat: Cœli enarrãt gloriam Dei, opus vero manuum ſuarũ annunciat firmamentũ. Atqui vocem iſtiuſmodi, quam ſpiritus per arteriam ad os delatus, & lingua rationis motu dentibus illiſa, labiorum item corrugatio & aeris percuſsio repercuſsio edit, nemo vnquam hominũ terreſtrium audiuit cœlitus deferri. Sed dum cœlũ oculis noſtris expoſitum, magnitudinẽ ſimul & pulchritudinem ſuam ſpectandam præbet, & hominibus tecti locum & vſum exhibet, tacens quoq; factorem ſuum prædicat, & omniũ linguas ad laudis decantationem inuitat. Et veluti cùm domum aliquam, quæ ſummo artificio extructa, & ſolido ſtabiliq́; fundamento innixa, angulis quoq; rectiſsime coaptata latitudine & longitudine altitudineq́ue iuſtæ proportioni per omnia reſpondet, tum feneſtris etiã probe & ordine diſpoſitis illuſtratur, & omnibus ijs quæ ad ædificiorum ſplendorẽ faciunt ornata & inſtructa eſt, conſpicimus, mox ipſum architectũ admiramur, & abſentis imaginem animo concipimus, omnemq́ue proportionis quæ in ędificio cernitur formam, ad illius artem ſolemus referre. Sic etiam cùm cœlum intuemur, & vtiles illos commodoſq́; cœleſtium ſyderum motus, nequaquam hæc adoramus, ſed horũ opificem encomijs & laudibus pro virili noſtra vehimus, & ex operum magnitudine ſimul & pulchritudine authorẽ illorum iuſta animi contemplatione æſtimamus. Vere enim & merito hæc animis noſtris voluimus. Quod ſi tanta eſt operum magnitudo & præſtantia, quantus eſt vtique ipſe operum conditor? Et ſi tanta ineſt rebus conditis elegantia, quantã ſapientiſsimi illius omnium creatoris pulchritudinem eſſe conuenit? Sic (inquam) cœli enarrant gloriam Dei, opus vero manuum ipſius annunciat firmamentum. Sic dies diei eructat verbum, & nox nocti annunciat ſcientiam: non quidem aliqua vocis emiſsione vel linguę loquela, ſed mutua illa, qua ſe inuicem excipiunt, ſucceſsione & viciſsitudine, qua hominũ vtilitati inſeruiunt, qua tam altum quodammodo exclamant, vt vniuerſum hominum genus illorum vocẽ exaudiat. Nec enim ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non exaudiantur voces. Omnes quippe gentes & linguæ diei & noctis præconia percipiunt. Nam linguæ quidẽ aliquo inter ſe diſcrimine differunt, vna autem omniũ natura eadem ex his vtilitate fruitur. Vnde idẽ ille, qui hæc locutus eſt, in alio etiam pſalmo Creatorem celebrans dixit, Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, non potero ad eã. In meipſum enim (inquit) conuerſus, dum penes me omni externorum cura liberatus verſor, propriam meijpſius naturã contemplari, & rationalem illam animę potentiam diligentius inſpicere volui, ſcientias nempe quarum ipſa capax eſt, & artes quibus vitam omnem repleuit, quarũ etiam beneficio vitã ſuauiorem & iucũdiorem tranſigit, tum immenſam illam, quam tũ ipſa parit, tum ſimul capit, verborum copiam, vt deniq; eadem recondat, & diſtincte ſingula cuſtodiat, & conſeruet, q̃ facile vnum quodq; illorum quæ ipſi commiſſa ſunt pro ſuo arbitrio proferat, vt corpus totũ dirigat, vt eadem oculis quidẽ quãtitatis & coloris diſcernendi iudiciũ commiſerit, linguæ autem humorum diſcrimina concrediderit, eandemq́; ceu miniſtrum aliquem ſuorũ fœtuum (ſermonũ ſcilicet) delegerit, nares itẽ odorum examine donarit, & aures, vt ſermones qui extrinſecus aduehũtur capiant, patefecerit, per reliquum aũt corpus tactum extenderit, & vt his quidem ſentiendi vim largiatur, ipſa aũt ab ijſdem vel doloris vel lætitiæ voluptatiſũe affectũ percipiat: hęc (inquam) & quęcunque talia ſunt animo voluẽs, & horũ omnium, quæ alioqui ſibi inuicem contraria pugnant, in vnius animalis fabrica concurſum videns, vnà cum admirabili illa mortalis & immortalis naturæ coniunctione, tanto miraculo vincor, & cõtemplationis huius myſterium minus aſſequens, me victũ confiteor, & ſapientiæ creatoris victoriã prędicans, ipſumq́; Creatorem celebrans exclamo, Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, nõ potero ad ipſam. Et hæc quidem verba nobis in præſenti negotio conueniunt, qui eam quæ in humani corporis membris apparet, ſapientiam inſpicere quidem conamur, infirmitatẽ vero noſtram re ipſa experimur. Non parum tamen emolumenti ex alia quoq; obſcuriori contemplatione ad nos redijt. Nam in minima corporis particula Dei Prouidentiã clariſsime elucentẽ ſpectauimus. Quid enim pilis vilius? Quid in cũctis corporis partibus omnis ſenſus perinde expers eſt? Nihilominus tamen horum quoq; neceſſariũ vſum ſermo noſter oſtendit. Teſtantur hunc ſupercilia & palpebrarũ pili. Teſtantur eundem, qui caput ornant teguntq́ue, capilli. Quę enim horũ ſit vtilitas & vſus, calui manifeſte docent. Primo enim quaſi decore ſuo ſpoliati erubeſcunt. Deinde alia quędam velamenta comminiſcuntur, quæ horum vſum illis expleant. Et ſane hanc ob cauſam (vt mihi videtur) rerum Opifex quorundam capita pilorum velamento deſtitui permiſit, vt diſcamus, quod & horum cura habita hominem hoc modo formauerit. Sic eos qui virilem ætatem ingrediuntur, & pueriles annos tranſierunt, barba exornat, quæ genas aliqua ex parte cum mento inferiori veſtit. Et primo quidem lanugine florent malæ: deinde modicum pilorum velamen eaſdem tegit, vt augmento hoc ætatis diſcrimen doceat, & ipſa vultus figura homini perſuadeat, vt relictis puerilibus ludis, ad res ſerias accingatur.

Pſal. 138.

Pili.

Barba.

Quoniam vero pariendi dolores muliebri sexui ad hanc doctrinam sufficere possunt, non nisi virorũ genas hoc modo coronauit. Quod si vero quis ex eorum numero qui non aliud quàm veritati obstrepere didicerunt, eos hic nobis pilos obijciat, qui in alijs quibusdã corporis partibus enascuntur, is se circa hos quoque ingratitudinem suã immerito testari sciat. Naturalibus enim & spõte enatis velamentis eas partes natura contexit, quas nos manu factis tegumentis velare studemus. Quapropter ijs, quorũ ratio adhuc infirmior inter virtutem & vitiũ discernere nequit, hæc pilorum velamina natura nõ apposuit: eos vero, quibus iam firmior esse incipit rerũ cognitio, quique singulorum membrorum vsum edocti sunt, bene & honeste hoc velamento ornauit, quasi tegere volens eas corporis partes, ob quas homines erubescere consueuerunt. Hunc certe pudoris affectum Adam humani generis con-
Gen. 2. ditor in paradiso minime sensit. Erant enim, inquit scriptura, ambo nudi, tam Adam quàm vxor ipsius, & non erubescebant. Vbi vero legem transgressi delictorũ suorum vim sense-
Gen. 3. runt, & Dei vocem auribus percepere, ficus folia consuerunt, & fecerunt sibijpsis cinctoria. Quamobrem vel in his quoque corporis partibus creatoris circa te curã aspice, ò amarulentissime, tam ipsius creationis quã Prouidentiæ accusator. In ijs (inquam) mentione tu quidem erubescis, Deus autẽ qui & fecit &
Gen. 1. condidit, in ijsdem gloriatur & exultat. Vidit enim (inquit) Deus omnia quæcunque fecit. & videns valde bona, Faciamus, ait, illi adiutorem, similem ipsi. Sed & hæc prima est Dei benedictio: Crescite, & multiplicamini, & implete terrã, & dominamini super illam. Quoniam autẽ oratio ad ea corporis membra, quę & Di-
2. Cor. 12. uo Paulo teste inhonestiora censentur, nescio quo pacto ceuvi quadam delata est, denuo in his ineffabilem creatoris erga humanũ genus amorem considera. Oris enim sitũ (cuius officium est sermoni seruire, cibum excipere, & susceptũ ventri transmittere) oculis vicinum
Anus. constituit: excrementorum aũt secessum, qui visum lædere, & cibi fastidiũ parere, ac nauseã mouere posset, non longo duntaxat ab his interuallo distare fecit, sed ex oculorũ conspectu omnino remouit, rectũ videlicet intestinum in posteriores corporis partes deflectẽs, & inter nates meatũ aperiens, horum quoque egestioni naturale quoddã velamentum construxit. Quin ergo corã tanto Dei erga nos amore erubescis? Ineffabilẽ eius curam cũ tremore suspice, dũ hanc ea fabricare vides, quæ te vel nominare pudet, dum, inquam, eandem illam sua Prouidentia curare cernis, quorum mentio tibi pudorem offundit. Cùm enim omne illud quod in animali cernitur, mortale sit, & alimento (vtpote mortale existens) opus habeat, necessario vtiq; & os & excrementorum secessum addidit, ac tortuosos intestinorum orbes ædificauit, qui limosam & feculentam alimenti partem exciperent, non autẽ recto statim ductu egererent, ne euacuationem semper postulante impletione ciborum vsui tempus vacuum nullũ daretur, hoc nimirum per egestionẽ semper interturbato. Et quid hic omnia naturæ miracula dicere attinet? Tempus enim nunc est ad manus transire, quarum mentionem hesterna die prætermittentes earundem vsum nos hodie expo-
Manus & brachia. situros esse promisimus. Has ergo inspice, vt nõ longius quã opus est extensę (ne videlicet corpus reliquum onere suo aggrauent) nec etiam minori quàm vsus postulat spatio contractæ, sed operibus, quorum executio ipsis destinata est, iustam ac conuenientem mensuram sortitæ sunt. Quapropter trifariam quoq; illas diuisit rerum conditor. Et primam quidẽ compagem humeris inseruit, cubito autẽ brachium & vlnam coarticulauit, brachiali reliquam vlnæ extremitatem coarticulans, & huic post-
Digiti brachiale subiungens quinque hos illi digitos inseruit. Singulos autem horum ex tribus internodijs vel radijs composuit, quorũ extremitates alias quidem sinubus excauatas, alias autem sphæricas & rotundas fabricans, deinde excauato sinui rotundam alterius extremitatem inserens neruis simul validis cõstrinxit, & circumpositis musculis voluntarij motus facultatem largitus eosdem tenui molliq; cuticula vestiuit, ne digitorũ contractioni impedimento esset durities. Præterea, cùm digitorum extremas partes interius molliores fecerit, foris tamen eorum incolumitati & securitati consuluit. Vngues nempe tenues latosq; Vngues.
impositit, quorum exterior eminentia rotundior est. Et tenues quidẽ fecit, ne molliorem illam, quæ in summis digitis est, carnẽ aggrauent, si onus sit nimium: latos vero vt in laboribus subeundis reniti possent, dum mollem quę illis prominet carnẽ suffulciunt: eminentias autem eorundem rotundas fecit, hac nimirũ figura, ne facile læderentur, munire volens. Angulos enim in triangulis & quadrangulis tenuium corporum figuris fragiles esse constat. Leonibus equidẽ, vrsis, pardis & alijs feris acutos, crassos, prælongos & validos vngues rerũ conditor inseruit, ac armatura illas instruxit naturali, eo quod rationis vsũ destitutę non aliquo ab arte excogitato auxilio sibi consulere possunt. Hominem vero, quem rationalem fecit, & mente, quæ pluriũ scientiarũ & artium inuentrix est, instruxit, naturali armatura destitutum nudumque creauit, nec ferinos illi vngues tribuit, nec etiam vngulis pedes illius contexit. Quomodo enim, si his armatus esset, per scalas ascenderet? quomodo item tenuiori murorum superficiei insisteret, dum lapides aut lateres contexens domum ędificat? Quomodo etiam vngulis instructus in summis domuum fastigijs tuto stare posset? Nunc autem tenerior illa & in longũ extensa Pedes.
pedum substantia & digitorum flexibilitas, homini & motus facilitatem & stationẽ magis tutã exhibet. Et sane, cùm nudis pedibus homo vtitur, expedite super lignum quoque incedit,

incedit, & scalis minimis insistere audet, & infinita huius generis multa cum agilitate peragit. Vngularum vero vsum aliunde ascisci homo. Expecudũ enim, quas illius imperio Deus subiecit, genere pelles accipit, & coriaria atq; sutoria artibus ceu cooperarijs vtens, in ijs formandis pedum formam & magnitudinem, longitudinem & latitudinẽ exprimit, & eosdem ita vestit, vt & periculum, quod à duris corporibus inter eundũ imminet, arceant, & frigoris vehementiam retundant. Et hanc quidem ob causam rerum conditor soli huic animali manus, ceu organa quædã rationi ser-
Manuũ vsus. uientia, largitus est. Manibus enim homines arant, & sulcũ excindũt, & semina telluri mandant, & sarculum vel ligonem tractantes fossas egerunt, arbores plantant, & vbi falces exacuerunt, nunc ad gemmationem festinantes vites putant, & superfluam palmitum partem auferunt: nunc vero fruges demetũt, & laborum prẽmia manuum beneficio decerpunt, & manipulos colligunt, & eosdem in areas deferunt, paleasque à tritico secernunt, manibusq; ceu cooperarijs vsi illas quidem ad suos acerues transmittũt, hoc vero in horrea & granaria recondunt. Simul autem ijsdem manibus & vindemiam peragũt, & oleas legunt, vinum exprimunt, holerum omniuaria genera plantant, & innumeras fructuum species artis varietate excogitantes, eas & decerpũt, & his frui
Ars nautica. cupientibus offerunt. Manuum opera humana mens non terram modo floridis pratis, luxuriantibus aruis & immensis nemoribus exornat, sed & ipsum mare plurimis vijs instruxit, & quod pedestribus cunctis inuiũ erat, tale effecit, vt complures viatores capiat. Cùm enim diuinitus concesso sapientiæ dono naues fabricandi artem inuenisset, à ferrarijs fabris (quorum artem antè excogitauerat) securim, ferram, asciam, & quæcunque alia sunt huius instrumenta accipiens, tum à seniori illius sorore, agricultura nimirum, arbores infrugiferas mutuans, easdem instrumentis hisce fabrilibus excidit: & carinam quidem ceu fundamentũ quoddam iaciens, super hanc vero asseres muri instar contexens, clauisque omnia apte compingens, & picis pinguedine inungẽs (huius nimirum præsidio aquarum influxum arcere studens) marinum vehiculum vel currum, nauim videlicet, cõstruxit. Quoniam vero equis & mulis ad currum hunc opus erat, eos autem non ferebat fluida aquarum substantia, hoc quoque incommodum nauis gubernator sapienter admodum sarciuit, manuum nimirum ministerio vsus. Nam temonis loco malum erexit, cui vela instar iugi appendit, & immissis ventorum flatibus ceu equis aut mu-
Zeuglae iugi partes sunt, quae à iugo propendentes, hinc inde boum colla amplexãtur. lis vsus est, quos simul tanquã equos Zeuglis dirigere consueuit. Porro cùm naui habenis quoque opus esset, claui vel gubernacula has imitantur, quibus arreptis gubernator instar aurigæ alicuius puppi tanquam currus circunferentiæ insidens nauim facili motu hinc inde trãsfert. Nec secundis modo ventis spiran-
tibus nauim scienter regere, sed & turbulẽtas ventorũ procellas dissoluere, & ceu equos indomitos & effrenes freno cohibere nouit. Et hęc quidem omnia manuũ ministerio vsa hominis mens instituit. Earundẽ opera nauta remigat, nauclerus nauim gubernat, mercator emptas exponit merces, piscator deniq; omnis artem suã exercet, & nusquã apparentem prędam ingenioso retium contextu venatur. Sed agedũ è mari tandem in terram descendamus. Tempus enim ad diligentiorem & exactam vniuscuiusque artis expositionem non sufficit. Inspice igitur vt artes mutuum à se in-
Artium cognatio. uicem officium & quod singulis vtile est postulent. Aedificatoria enim è ferraria instrumentorum vsum petit. Hæc autem vicissim ab illa domum accipit. Vtrisque autem simul agricultura alimentum ministrat. Sed & hæc ab illis domuum ædificia & alia, quæ ad terræ cultum facere possunt, mutuatur. Quin potius ipsa rerum primordia perpendito, vt nimirum omnium Conditor necessarios rerũ vsus homini ostenderit. Vnde enim ferrum & æs, plumbũ & stannum inter terræ viscera scrutari didicit? Quis illi argenti venas monstrauit? Quis auri feracem terram effodere, & minuta auri ramenta colligere docuit? Vnde vitri naturam cognouit? Quis illum in arenæ discrimine cognoscẽdo instituit? Quis prętera docuit, qualis arena igni cõmittenda sit, quo pacto item & quã diu id fieri debeat? Et tamen eam quæ cõtinua quidem, sed separabilis est, in continuã & inseparabilẽ substantiam transmutat. Quo pacto ex hac ignis & spiritus ministerio vsus varias poculorum formas, nempe phialas, calices, ampullas, amphoras, supellectilia deniq; plurima, tum & alia vasa ad omnẽ cibi ac potus vsum idonea, fingere didicit? Cõstat itaque quod omniũ horum cognitionem à conditore suo acceperit, & quod rerum opifex tam considerationis potentiam quàm artium inuentiones humanæ naturæ inseuerit. Vnde cum magno illo Iob colloquens dixit: Quis dedit mulieribus texturę sapientiam, & variegatiuã scientiam? Reuera enim & huius Texturia.
artis decor diuinæ bonitatis munus est. Et temporis quidem diuturnitate contemptum ac vile factum est, operisque vulgaris iam cognitio inuentorum nomen vel famam perdidit. Si quis autem singulas huius partes diligentius inspicere velit, hanc quoque artẽ plurimum admirabitur. Lanę enim vbi deronsæ, aquis ablutæ & purgatæ sunt, pectuntur primo & minutim distrahũtur: deinde quod distractum est, denuo in cumulum globũmue colligitur. Quem accipiens lanifica, quod in hoc syncerum & purum est, & quasi venis quibusdam & rectum protensis fibris distinguitur, à reliquis secernit. Alteram vero eiusdem partem colligens stamini subtegmen parat. Vbi autem paratas iam lanas mulierum manus acceperunt, tenuissima ex ijs fila ducunt: & hæc primo quidem veluti chordas quasdam ordine in telis extendunt, & quod subte-

gmini destinatum est secernunt, radijs autem intermedijs stamen dirimũt, & funiculos, qui illis innexi sunt, alios quidem laxant, alios vero intendunt, simulque instrumentis quæ in hunc vsum fabrefacta sunt, subtegmen propellunt & constringunt, omnemque hoc modo texturam absoluunt. Quis ergo traditam huic animali sapientiam digne admiretur? Vide enim vt yni & eidem lanarum colori aut ijsdem filis sericis omnis generis animalium formæ intexantur, & cum his hominum quoque imagines, quorum alij quidem venantium, alij vero adorantium speciem & habitum repræsentant, tum & arborum formæ, & alia huius generis infinita. Reuera igitur, Laudate dominum omnes gentes, quas tanta sapientia dignatus est, & quæ in tantis bonis enutrimini. Quis sodes marinum piscem lanis tincturam præbere decreuit? Quis item eius artis inuentor prodijt, quæ lanarum speciem infinitis colorum generibus vestire solet? Porrò ingratitudinis vitio laborans, vermiculos quoque inueniri dices, qui tenuiora quàm homines fila ducere soleant. Sed & hoc ipsum diuinæ erga te curæ & prospectionis opus est. Ne enim ob multiuariam artium scientiam animo extollereris, nec diuitiarũ copia iuuenilius exultares, tui curam gerens rerũ Opifex per vermiculos docet, hæc nequaquam tuæ virtutis opera, sed diuinæ qua erga nos vtitur beneficentiæ dona esse. Licet vero te hoc modo erudiat, simul tamen consolatur, ne dũ te ab illis vinci vides grauius æquo doleas: cùm videlicet illorũ pensa tibi offert, & horum quoque artifices tuis imperijs subijcit. Tu solus ex omnium animalium numero vrbes cum splendore ædificauisti, turribus & vallis muniuisti, habitaculorum, cœnaculorum que elegantes formas extruxisti, & portubus ipsum mare continenti iunxisti. Quia vero Deus, qui te mortalem in hac vita cõdidit, sciuit te morbis quoq; exercendũ fore (quod enim mortale est passionibus quoque subiacet) simul & medicam artem te docuit, cuius scientiam morborũ incursionibus opposuit. Hinc morborũ, qui non apparent, differentiam nouisse, & pulsuum motu febriũ remissiones & intẽsiones cognoscere, & morbi aduentum, eiusdemque quo maxime feruet vel remittitur tempus dijudicare, & mortis indicia preuidere: preterea turbantis & peccantis materiæ speciem deprehendere, & quæ hanc expugnare possunt apponere, humidam exiccare, calidam restinguere, frigidam concito calore fouere, inũdantem & superfluam vel vomitorijs vel expulsorijs pharmacis, aut etiam venarum incisione exhaurire didicisti. Porrò quis sermo vel morborũ vel remediorum copiam plene explicet? Multa enim sunt corporum naturæ vel incolumitati contraria, simul autem plurima & varia sunt, quibus illa arceri possunt, pharmaca. Multa quippe ars inuenit, quæ singulis morbis pugnare solent. Quapropter Creator rerum terram quoque multas herbarum species non ad vescendum modo, sed eas quę esui inutiles sunt, germinare iussit. quandoquidem non alimẽto modo, verumetiam valetudinis cura nobis opus est. Et has quidem nos in cibum paramus, illas vero animalia herbiuora depascũtur, alias item medicorum legunt discipuli, & ex illis morbos arcentia pharmaca componunt: adeo vt quod comesum perniciem afferret vel interitum, pharmacum fiat, quo corporis morbi depelluntur. Quare non est, vt hæc te ad Prouidentiæ accusationẽ excitent. Singula enim hæc gratorum hominum linguas ad gratulationem inuitant. Sed perinde mihi facere videor, quod ij qui in mari natant, & vndiq; irruentibus fluctuum procellis terram contingere cupiunt: dum videlicet immensum sapientiæ, quæ circa artes versatur, pelagus aggredi ausus, & vndique accedentiũ argumentorum copiam ceu fluctuum incursus effugere studens, ad ipsum finem percurrere, & hunc ceu marinũ quoddam littus attingere cupio. Quamobrẽ relictis alijs omnibus ad Grammaticam sermo noster transeat, quæ sermoni ipsi propinquior est reliquis, & homini qui animal sermocionale est, cùm primis cõuenit. Hæc itaque literarum elementa inuenit, eadem certo numero circumscripsit: tũ coniuncta inuicẽ in syllabas colligauit: deinde duabus tribúsue syllabis compositis vocabulorum lectionem docuit: tum eadem illa componens & contexens vnam continuamque orationis consonantiã effecit. Huius igitur beneficio innumeri libri veterum dictis repleti sunt, quorum hi quidem religionis, oraculorum & cœlestium rerũ mysteria continent, alij vero reliquas disciplinas explicãt. Eadem quoq; metrorum varietate, sententiarum elegantia & compositionis concinna structura fabulosas narrationes velans tum aures demulcet, tum pijs quoq; contra impietatis alumnos arma ministrat. Eiusdẽ beneficio absentibus conuersamur, & qui multorum dierũ itinere distamus, atque immensis mansionũ spatijs & interuallis seiungimur, ingeniorũ concepta & animorũ sententias nobis inuicẽ ceu per manus transmittimus. Et lingua quidẽ, quæ primarium orationis organum est, otiosa cessat, sermoni autem dextra ancillatur, quæ calamo arrepto quod nobis cũ amico transigendum erat negotium papyro aut chartæ inscribit, & sermonis vehiculum est non os nec lingua, sed manus, quæ longi temporis vsu artem exercuit, & elementorũ compositionem seu structuram probe edocta est. Hac de causa tales nobis manus fabricauit rerũ Opifex, quas in quinq; diuisit digitos, è quibus maiorẽ reliquis quatuor opposuit. Nec enim possibile fuisset, vt quis omnis generis opera, digitis recto ordine sitis, exequeretur. Nunc vero cùm pollicẽ reliquis oppositum habeamus, & stylum & sarculum & ligonem, serrã denique, asciam, malleum, forcipem, & quæcunq; alia sunt artis instrumenta firmiter & expedite tenemus. Quoniam ergo vidisti ex sermone hoc, quantos circa corporis tui fabricã ex Prouidentia fructus perce-

Psal. 116.

Bombyces.

Medicina.

Grammatica.

perceperis, quot item artes & scientias rerum conditor non ad viuendum modo, sed etiã ad bene viuendum tibi donauerit tanto circa tui curam studio vsus, quantam præterea bonorum copiam gratuito effuderit, vt vitã tibi artium vsu & exercitio iucundiorem redderet (quoniam non modo necessitatẽ sarciuit, sed & ea quæ communem vsum excedunt copiose & abundanter vndique affudit) ingratitudinis vitiũ lingua eijce, ipsam laudibus instrue, domino te submitte, & illi supplex esse studeto, quinetiam cum propheta exclamare disce: Mirabilis facta est scientia tua ex me, cõfortata est, non potero ad eam. Ipsi sit gloria in sæcula, Amen.

SERMO V.

Demonstratio Prouidentiæ ab imperio quod homini in bruta & belluas commissum est.

QVanta Creatoris & omniũ opificis circa nostram naturam cura sit, vobis vtiq; probe perspectũ est, ò amici & socij, nec vlla verborũ doctrina indigetis. Cùm enim beneficiorũ fontes illinc assidue percipiatis, largitori horũ laudes pro virili offertis. Quoniam vero nõnullos inuenire licet, qui magna indolentia correpti diuina hæc munera non sentiunt, sed cùm in bonis diuinitus concessis delitientur, ingratissimas tamen cõtra Creatorem suum voces eructant, necessariũ omnino fuit, vt oratio nostra mundũ hunc omnem celeri cursu percurrens, & humanam naturam in mediũ statuens, Dei Prouidentiam in singulis tam mundi quàm nostræ naturæ partibus euidenter & palam apparere demonstraret. Eadem quoque simul nonnullarum artium, quæ humanæ mentis industria inuentæ sunt, sapientiam simul & vsum declarauit. Eas vero quas ambitionis & voluptatis studiũ inuenit, nempe pictoriam, sculptoriam, auaritiam, culinariam & innumera placentarum inuenta, volens prætermisit: simulque cum his eas etiam, quarũ curiositas modum excedit, astronomicam nimirum, geometricam, arithmeticam & musicam (cuius officium est auditum demulcere & mouere, animæ affectiones pro suo arbitrio mutare, & tristẽ quidem in lætitiam resoluere, dissolutam vero fortiorem & virilem reddere) has, inquã, & quæ harum similes sunt, sponte tacuit, dum & nimiæ verbositatis fugit vitium, & breuitati studet, & auditorũ mentibus singularum artium exactiorem contemplationem permittit. Facillimum enim est, occasione ab ijs quæ diximus accepta, in earum quas omisimus, considerationem peruenire. Erunt autem fortassis aliqui ex eorum numero, qui cùm Deum celebrare nesciant, eundem calumnijs proscindere probe nouerunt, qui Deum artium inuentionem non soli hominũ naturæ & ingenio tradidisse dicent. Nam minimum illud (inquiunt) volucrum genus apes nimirum, videre licet, quæ politicæ & sociæ vitę leges studiose sectantur, propter imbecillitatem autem aculeo armatæ per vices & ordines ex aluearibus auolãt, & aere traiecto nemoribus, pratis & campis insidẽt, & quod in his lanugenosum ipsisq; ex vsu est colligunt, & seipsas onerant, anteriorũ videlicet pedum ministerio, ceu vlnis, hęc sua onera ceruicibus imponentes, deinde sic onustæ in aluearia reuertuntur. Præterea fauos ædificant, nec regula nec gnomone indigentes, & angulos sibi coæquales omni mathematica scientia præstantiores efficiunt. Sed & parietũ texturas, et mellis interstitia vel septa, tenuia admodũ veluti ex filis & membranulis quibusdã contexunt, humidamque mellis naturam tenuibus istis, sed crebris tabulatis probe cohibentes, hoc modo dulcissimis mellis liquoribus vasa replere consueuerũt. Et quid vnquam (aiunt) huic simile ab humano genere, quod in discipulos & doctores distributũ multo labore & tempore artis cognitionem plene correxit, excogitatum esse constat, quale laboriosum illud & honestatis amans apum genus effinxit, quod nec doctorũ & discipulorum ordinibus distinctũ est, nec per lora & ferulas artẽ didicit, sed cognatam sibi & voluntariã habens tam difficilis operis construendi scientiam fauos contexit, & nec mensuris, nec centris, nec angulis indigens, vasa sua complet? Vasa, inquam, complet, cùm nec botros vuasq; exprimat, nec vllis frugibus noceat, sed tenuiorem duntaxat roris partem hauriens, mellis substantiam ingeniose conficit. Sed agedum ex hac ipsa accusatione defensionis argumenta contexamus: facillime enim per seipsam dissolui poterit. Apes enim copiosum illum ingeniosumque laborem, & optimum atque dulcissimũ laboris fructum humano generi fruendum offerunt. Et tanquam vernæ quidã, quos iusti dominij lex cogit, domibus suis exeunt, quod illorũ operi conducit legunt, oneribus ferendis satagũt, studiose ædificant, & mellis quod intulerunt liquori tanquam thesauro signacula & sigilla imprimunt, illumq; hominibus, ceu regibus suis, instar tributi & vectigalis assiduè persoluũt. Quid ergo, ò miser, calumniaris? & cũ vectigale hoc fruaris, huius exactorẽ cõuitijs laceras? & qui alienis laboribus voluptatẽ tuam adimples, eorundẽ largitorem ingratis hisce petis sermonũ iaculis? Nec laborum modo fructus ab hisce percipis, sed aliud quoque hinc metis commodũ. Primo enim quanta bona hominibus concordia cõferat, & quàm dulces illius fructus sint, discis. Politicam enim vitam apũ examina imitantur. Nec quicquam apud illas priuatum est aut proprium, sed communis opum thesaurus, & indiuisa rerũ possessio. Non lites habent nec fora: nec enim se mutuis afficiunt iniurijs, nec quod plus aut nimiũ est appetunt: operi faciendo assiduè incumbunt, vnde & fucos à præsepibus arcent, ceu ignauũ pecus,

Apes.

pecus, qui cùm laborare non poſsint, otioſi tamen alienos labores deuorãt. Confuſam inter multos poteſtatem & Democratiam odio habent, vnum ducem obſeruant, huic parere illis gratiſsimum eſt. Et hæc quidem ſingula faciunt ſimul & patiuntur, cùm nec aliorum ſermones audiant, nec legum volumina euoluant, nec doctorum ſcholas frequentent. Nec enim aliqua illarum alia ſapiẽtior eſt, nec quæ ſenior eſt, iuniore plus nouit aut intelligit. Omnes vero ſimul ea quæ diximus exequuntur, cùm non in rationali ſcientia, ſed in naturæ ſcrinijs à communi omnium Creatore laborioſum illud & honeſtiſsimum operis ſui faciundi ſtudium acceperint. Ad te vero omnium horum omniſque commodi materia redit. A brutis enim & irrationabilibus tu, qui ratione præditus es, diſcis otioſam vitam ceu noxiam abominari, virtutis labores alacri animo perſequi, eiuſdem theſaurum vndiquaq; conquirere, principatum ſi abſit minime ambire, venientem vero & tuæ fidei concreditum recte & iuſte adminiſtrare, res tuas vel opes communes æſtimare, & earum fruitionẽ indigentibus permittere. Illis enim, qui vera ſapientia præditi naturæ ſuę characterem integrũ conſeruant, innata ratio ad eruditionẽ & doctrinam ſufficit: eos vero, qui hunc corruperunt, vitamque ſequuntur beluinam, rapacem nimirum & ſanguinariam, cõcinna illa & ordinarie inſtituta brutorum animalium politia vere arguit. Tuæ ergo vtilitati vel ſaluti proſpiciens rerum opifex naturalibus hiſce priuilegijs brutorum genera ornauit, vt ab ijs quoque aliquam vtilitatem percipere poſſes. Et huius rei Solomon teſtis eſt, qui tibi acclamat dicens: Abi ad formicam, ò piger, & æmulare vias eius. Et proficiſcere ad apiculam, & cognoſce, vt operaria eſt, & opus ſuum ceu honeſtũ facit: cuius labores tam reges quàm priuati ad valetudinem conſeruandam adhibent. Teſtis eſt ſimul communis ille omnium Deus, per prophetam dicens: Turtur & cicada & hirundo ac paſſeres agri cognouerunt tempora aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicia Domini. Et rurſus per Eſaiam: Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Homines ergo, quos ratione donauit Dominus, hæc brutorum animantium circa res ſuas adminiſtrandas ſtudia accuſant. Quãobrem dolore correptus propheta, & hominem ad irrationalem conditionem relapſum tragice exagitans clamauit: Homo in honore exiſtens non intelllexit. Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quapropter alios quidem hominum lupos, alios vero leones inſidiantes, alios canes nutritoribus ſuis oblatrantes, alios œſtro concitas vaccas, alios rurſum ſperpẽtes & viperarum proles, alios aſpides quæ auribus ſuis obturatis incantationes audire nolunt, nominare ſolent. Et quemadmodũ corruptis hominum animis ac moribus ferarũ nomina impoſuerunt: ita ſimplices & malitia omni carentes animas laudatorum animaliũ nominibus ornauerunt. Nam inuenire licet fidei ſimplicitate ornatam animam, quæ columbę & turturis nomine appellatur. Quo nomine ſpõſus quoque in myſtico illo Canticorum libello dignatur eccleſiam. Tum morigeras quoq; & paſtoris amantes, oues nominare conſueuit. Oues meæ (inquit vocem meam audiunt, & cognoſco oues meas, & cognoſcor ab eis. Et rurſus: Ego ſum paſtor ille bonus. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus. Et alibi: Statuet agnos à dextris, hœdos autẽ à ſiniſtris. Simili modo altiuolantes illos, qui omnibus terreſtrium curis liberati, animæ oculum incorruptum habent, & myſticum corpus contingere deſiderant, in ſacroſanctis Euangelijs Aquilarum ornauit nomine. De ſanctis enim, qui reſurrectionis tempore in cœlos rapiendi ſunt, diſſerẽs, tandem infert: Vbicunque cadauer eſt, ibi congregantur aquilæ. Conſtat ergo ex ijs quæ hactenus dicta ſunt, quod rerum conditor tum apibus tum reliquis brutis omnibus, huiuſmodi naturalem ingeniorum & operis faciendi induſtriam propter nos dedit & diſtribuit, vt nimirum vndiquaque quę ad noſtram vtilitatem faciunt, percipere poſſemus. Nam præter hęc aliud quoque ad nos lucrũ redit ab apibus. Scientiarum enim & artium inuentione nõ iuuenilius gloriari, nec altum ſapere, & naturæ noſtræ obliuiſci, ſed Creatorem noſtrum agnoſcere, & in illũ cauſam bonorũ referre diſcimus. Ne vero ob hęc animis cõſternati toti deijceremur, vt qui bruta animalia artis conſortia habentes, à brutis nihil differremus, Deus omnem laborioſæ illius mellificationis fructum nobis tradidit, vt ſimul contumacem noſtram ceruicem artis conſortio reprimeret, & ſociorũ ſeruitio nos conſolans doloré repelleret. Quid ergo doles, ò homo, quod apes hæc tãto artificio perficere cernis? Etenim illarum quidem labor, tuus vero laboris fructus eſt. Et hæ quidẽ labores ſuſtinent, tu autem laborum voluptate frueris. Quin araneam tenuia & inuiſibilia ferè fila ducere docuit idem rerum Opifex, vt te quo pacto volucres capi poſſent, edoceret. Hæc enim non verbis aut ratione artem edocta, ſed natura magiſtra vtens retia contexit. Tu vero rationem tibi familiarem habens, cùm exemplar ob oculos poſitum cernis, infinitas retium ſpecies parauiſti. Atqui faſtum tuum & inſolentiam minimum hoc animalculum (quod cùm ratione deſtitutum ſit, paradigmatis tamen vſum tibi exhibuit) prohibet. Rurſum vero ex retium varietate ſolatium percipis. Ipſum enim exemplar vel archetypum vnicum eſt, eiuſdem vero imitatio infinita & multiplex. Volatilibus enim Nephelotheriam ſtruxiſti, quã locis arduis & vtrinque præruptis infigens retium aeris colorem imitantium dolo auibus viſum quodammodo ſuffuraris & eripis. Aucupium autem hoc perſecutionis timor adiuuat. Excitatæ enim, quas captas, auiculæ & vndiquaque in retia compulſæ,

Prouerb. 6.
Iere. 8.
Eſa. 1.
Pſal. 48.
Aranea.
Aucupia.

compulſæ, dum inſecutores ſuos metuunt, coràm expanſa minus exacte perſpicere poſſunt: deinde continuo ordine extenſa retia contingentes, in laqueos incidunt. Et his quidem in aerem ſuſpenſis auiculas venari ſoles. Rurſus autem alia his firmiora magiſque valida tibi excogitata ſunt ad eorundem animantium capturam: quæ ſuper terram quidem expandis, foueam vero in hunc vſum effoſſam aqua adimples, aueſque cicures retibus imponis, vt ſuo conſpectu ſimul & cantu cognatas ſuas aut contribules auiculas alliciant. Deinde vbi illæ aquam conſpiciunt, altera autem illa cantillans auditur & videtur, illæ quidem aduolant, tu vero arte vſus intra retium plagas pertractas comprehendis. Alia item ad quadrupedes quoque captandas inuenta eſt machina. Laqueis enim, podagris & pedicis cerui capiuntur. Apris autem, capreis & leporibus extenduntur caſſes. Barathra item vel foueæ & aliæ huius generis machinę immaniſsimis feris ſtrui conſueuerunt. Nec tamen volatilium & terreſtrium genera tibi ad prædam ſufficiunt: ſed marina quoque animalia audacter aggrederis, & cyrtos, panagra, verricula, ſagenas & ſi quæ aliæ ſunt huius generis inſtrumenta contexens natatilium genus perſequeris, atque eos quos natura ſub aquis vitam tranſigere fecit, tu artis opera in altum aerem ſubducis, & venaris aquarum alumnos, cumque ipſe terreſtris ſis, eos tamen ad te pertractos capis, quibus domicilium maris profunditas exhibet. Atqui innumera piſcium genera tibi fruenda proponuntur, piſcatoria nimirum arte horum vſum tibi offerente. Non igitur eſt, quod araneam tenuium filorum textricem moleſtius feras: hinc enim illud lucri percipis, ne animo efferaris, ſed communem omnium opificem laudibus celebres. Rurſus autem ſolatio hoc tibi eſt, cùm araneam quidem culices & muſcas aliaque huius generis animalcula venari, tua autem induſtria velociſsimas aues vinci, & aquatile illud natantium genus tuis machinis cedere, & pedeſtria animalia tuis legibus ſubijci cernis. Non igitur dolendum tibi, quod alis deſtitutus ſis: ſapientiæ enim donum nactus es, quæ alatas volucres tibi poteſt ſubijcere. Sed & mentem cunctis volatilibus, imò & ipſis vẽtis velociorem poſsides. Pro tuo enim nutu quocunque volueris penetrat, & licet corporis carcere clauſa detineatur, & terræ alligata ſit, cœlum tamen obambulat, & quæcunque in cœlo pulchra ſunt, ſed & ipſum cœlum tranſcendit, & quæcunque cœlo ſublimiora ſunt, animi imaginatione complectitur: tum orbem terrarum vniuerſum luſtrat, cum plurimis gentibus conuerſatur, & cum amicis qui procul abſunt, colloquitur. Quid ergo viſibilium alarum inopia doles & triſtaris, qui tales mentis & intellectus alas poſsides, quæ volatilia tam facile ſuperant? Corpus quidem alatum tibi deeſt, aues autem aerias ſapientiæ viribus aſſequeris. Eiuſdem ſapientiæ auxilio vſus taurum robore & cornibus armatum ſub iugum mittis, ſeruire cogis, & aſsiduis laboribus ſubiectum exerces: vt nimirum terram aratro ſcindat, currum trahat, & quæ alijs iumentis intolerabilia ſunt onera tranſuehat, tum ædificantibus quoque ſuam afferat materiam. Et tu quidem iubes, ille autem iugũ ſubit, & hoc ſe aſtringi patitur, cornuum vſus obliuiſcitur, tuamque vocem pertimeſcit, & quantum inter tuum & ipſius robur diſcrimen ſit, non nouit, ſed animali ſe multum infirmiori ſeruire ſuſtinet. In tantum humani ingenij ratio corporis viribus præſtantior eſt. Hæc aſinum, mulum & camelum onera vehere iubet, & ſinguli horum cùm iubentur, ſubſidendo ſeſe ſubmittunt, rurſus vero iuſsi & onerati ſurgunt: præterea cùm longis itineribus feſsi ſunt, lædentes ſe patiuntur, grauantibus ſe parent, & fame afflicti poſſeſſoribus ſuis non occlamant. Qui enim ſeruitutis limites vel leges ſint, natura magiſtra didicerunt. Hanc itaq; ob cauſam ſola dominorum vox animalium fortiſsima terret. Tu vero totius naturæ dominum contemnis, & cùm ex brutorum imagine tui commodi adeoque ſalutis occaſionem percipias, tamen nec domino ſubijci, & illi ſupplex fieri dignaris, nec virtutis onera decenter ſuſtines (hæc enim Dominus tibi ferenda impoſuit) ſed calcitras, & tyrannidem ſpiras, & iugum inſtar indomiti vituli fugis, nec frenum pateris, ſed hoc etiam confracto fuga emicas, & per præcipitia ruens innatum tibi aurigam & rectorem diſtrahis & laceras. Quotquot vero honeſtiſsimam hanc ſeruitutem amauerunt, & herili hoc amore, feruido & generoſo, vulnerati ſunt, plurimum vtilitatis ab ipſis quoque brutis animantibus perceperunt. Quapropter in Pſalmis per vnius vocem omnes illi exclamant: Iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Iumento enim, quod ab alio regitur (inquit) ſimilis te ſequor, minime curioſus in quã me viam perducas, nec etiam quàm illa vel breuis vel longa vel laborioſa ſit, curioſius perçunctor, nec illius anguſtias, arduum aſcenſum & præcipitia iniquius fero. Nam mihi à meipſo perſuaſum eſt, te cùm bonus ſis, viæ quoque ducem fore optimum. Idcirco in alijs quidem omnibus inquiſitor quiſpiam & rationalis rerum iudex ſum, & quod opus eſt dijudicare noui, tum quod aduerſum mihi nocet, palam effugere ſcio: cùm vero tu ducis, rationis iudicio longum valere dicens iumenti morigeram & obedientem naturam imitor, & qui alijs rationalis ſum, inſtar iumenti coram te conſiſto. Quapropter à tua conuerſatione non ſeparor, ſed ſemper tecum ſum: quoniàm tuis veſtigijs inſiſto, freno obſequor, & vtcunque duxeris me, duci patior, ſiue per planam, ſiue per aſperam, ſiue per anguſtam, ſiue per latam viam me velis ingredi. Tuæ enim ſapientiæ confido, bonitati credo. Quodcunque enim tu volueris, idipſum reuera & honeſtum & bonum eſſe noui. Tantam (inquam) ex brutis quo-

Venatio.
Piſcatio.
Iumenta.
Pſal. 72.

tis quoq; vtilitatem capiunt, qui illam percipere vel lucrari nouerunt. Tu itaque cùm animalium genera tibi parere videas, illi parere ſtude, qui hæc tuo imperio ſubiecta tibi ſeruire fecit. Idem ille equorum armenta tibi ſubdidit, & cùm ferocientem equum nactus es, qui ſeſſorem admittere nondũ nouit, mox arte domitum commodiorem reddis, audaciam eximis, ſaltuum inſolentiam reprimis, & ſublime illud & arrogans collum inſtar arcus deflectis, vt facies terram verſus deſpiciat: præterea greſſus numerum ac modum pedumque concinnam tranſpoſitionem & currendi cùm opus eſt celeritatem edoces, eum denique qui armentis aſſuetus fuerat, cicurem reddis, & vt manus tuæ imperium ferat, vocique obtemperet, perſuades. Hinc eſt, quod flagelli ictus patitur, qui & robore & celeritate te multum ſuperat. Minas tuas fert & metuit, & ijs ipſis quæ facit, ſeruitutem fatetur. Idem venante te tecum venatur, pugnantem te adiuuat, & in hoſtes non ſine ruina & procella fertur. Vbi vero fuga tibi conſulere volueris, mox & ipſe timore perculſus audaces animos ponit, conuerſus fugam arripit, teque ingenti curſus celeritate è perſequentium manibus liberat. Præterea, ſi vel contra hoſtilis aciei frõtem ruere iubeatur, immo rigerum ſe nequaquam exhibet, nec etiam ſi fugam illi iniungas quicquam obloquitur, ſed inſeſſoris ſui legem vnicum agnoſcit ſalutis terminum. Porrò quid equum, aſinum & camelum commemoro? Iam enim & Elephas, terreſtriũ animalium longe maximum, qui promuſcidis viribus ingentes quoque arbores radicitus euellere poteſt, tibi parere dignatur, nec robur ſuum quantum ſit expendit, nec vires animo conſiderat, nec vaſtam hanc & immanem corporis molem perſpicit, qua colles etiam imitari videtur, ſed tuum imperium volens ſuſtinet. Et tu quidem (te ſiquidem naturam voco) inſidens agenda præcipis, ille vero quod iuſſiſti exequitur: ac ſi ſpectaculi mercedem à ſpectatoribus acceperit, eandem tibi promuſcide forcipis loco vtens porrigit. Idem belligeranti ſuum auxilium præſtat, & humeris ac tergo plurimos ſagittarios ſuſcipiens facit, vt hoſtes quaſi è turri aliqua ſagittis petere liceat, & eorundem phalanges aggreſſus eas facile terret ac perrumpit, armatoſque diſſipat. Non igitur doleat tibi quod corpore paruo præditus es, quin potius quanta huic animalia ſeruire dignentur conſidera, eumque qui hęc tuo imperio ſubiecit alacri & prompto animo celebra, ac per hoc ipſum gratitudinem tuo factori teſtare. Animæ enim tuæ ſaluti proſpiciens, nequaquam magno vaſtoque corpore te onerare voluit: ne videlicet vtraque parte præſtantior exiſtens in diabolicam inſolentiam prolabereris. Cùm enim paruo hoc corpuſculo præditus inſanire, & contra Creatorem tuum furere ſoleas, quid non facturus eſſes, ſi & hoc vaſtum & magnum acceſſiſſes? Nunc vero parua hæc & mediocris ſtatura te ſapere & factorem agnoſcere docet: ratio autem diuinitus conceſſa corporis exilitatem ſolatur. Per hanc enim omnem brutorum animalium naturam ducis & regis, nempe ouium, caprarum & porcorum greges, equorum armenta, camelos paſcentes ſimul & onerarios, & mixtam vel auium vel mulorum naturam. Quorum alia quidem in eſcam tibi propoſita ſunt, menſamque tibi lautiorem reddunt, ac omniuariam voluptatem exhibent, dum varijs edulijs materiam ſuppeditant: alia vero frumentis & lignis vehendis deſtinantur, & aliorum quæ neceſſaria ſunt vſum explent. Inter canes equidem alij venantibus auxilium ferunt, alij ſimul paſcunt, alijque domus cuſtodiam ſeruant, & horum vigilijs confiſi paſtores ſomno ſecuro fruũtur, ac ijſdem auxiliaribus vſi pauciores multis ouibus paſcendis ſufficiunt. Nec enim pro dominis modo, verumetiam pro ipſis ouibus periclitari ſolent, & pro paſtoribus pugnant, & cum lupis fortiter dimicant, imo nec vulnerati etiam ignaua fuga ſibi conſulere volunt: quin potius latratu paſtores in auxilium vocant. Et hæc canis facit, non ratione aut ſermone magiſtro vtẽs, ſed hoc ceu naturali priuilegio præditus. Idem feram inueſtigare à venatore iuſſus odores percipit, & his ceu veſtigijs quibuſdam ſtudioſe inſiſtens, non antè deſiſtit, quàm feram inuenerit. Inuentam vero dentibus & vnguibus conſtringit, nec captam deuorat, ſed integram ei, à quo emiſſus eſt, conſeruat: atque licet ratione deſtitutus ſit, dominium tamen agnoſcit, nec in captæ feræ participatum ſe cum domino ſuo ingerere conatur. Quod ſi vero maiorem feram inuenerit, quæ illius vires longe ſuperat, vtpote aprum aut vrſum aut aliam huiuſmodi, exertorum dentium ictus ſtudioſe cauet, pugnat autem fortiſsime: atque dorſo aſsidue inhians feram tuto comprehendere tentat, & vehementi ſua dimicatione fugiendi copiam feræ non permittit. Hanc enim aſsiduo incurſu circunquaque fatigans & in orbem exercens in vno & eodẽ loco permanere, & venatoris aduentum expectare cogit. Hic tandem ſuperueniens arte fabricatorum armorum auxilio vſus feram celeriter & facile comprehendit. Neque hic mihi aliquis ex imperitorum & ſimplicium numero rabioſos canes, & calcitrantes aſinos, vel mordaces camelos, tauroſque cornupetas in medium productos obijciat. Pauciſsimi enim è tanto numero hiſce vitijs laborant, & nec id quidem ſine magna aliqua neceſsitate fieri conſueuit. Hoc enim argumento intelligere licet, quod horum natura, non voluntaria per ſe, ſed Creatoris ſui nutibus obtemperans tibi ſubiacet. Et quæ tuo imperio repugnant, vtpote camelus mordax, cornupeta taurus, & quæcunque alia his ſimilia ſunt, manifeſtiſsimum eius rei teſtimonium exhibent. Similiter enim omnia illa tuum dominium effugerent, niſi diuina lege impedirentur. Vnde illorum rebellio iuſti ordinis & legitimæ conſtitu-

Equi.

Elephas.

conſtitutionis author eſt, & horũ ſaltus inſolentiores tuos illos ſaltus compeſcunt, tuque illorum exercitatus ferocia & tyrannide, tyrannidem vitare, & dominum tuum agnoſcere diſcis. Eandem ob cauſam feras quoque & belluas atque ſerpentum genera rerum Opifex condidit, vt tuum illum iuueniliter inſoleſcentem, & audacem animum ad virtutem erudiret, ac ferarum terrore te diuini auxilij indigum faceret. Horum enim timor ac metus tibi imminens, teque aſsiduo dolore pungens ac ſtimulans ad preces excitare ſolet, & auxiliatoris opem atque auxilium implorare cogit. Cùm vero auxilium petere iubet neceſsitas, eum quoque colere & obſeruare ſatagis, qui auxilium ferre poteſt, & eidem aſsidere cogeris, vt inſidiantium damna effugias: tum animo in altũ reſpiciens principem queris, ab ijs quæ lædunt, liberari cupiens. Vnde timor hic tibi ducis loco eſt, quo ducente ad Deum peruenis. Ne vero indeſinenter & aſsidue hoc timore perculſus vitam triſtitia & doloribus plenam ageres, eadem hæc longiori abs te ſpatio remouit. Venenata enim antris quibuſdam abſcondit, & in ſubterraneis cauernis vitam tranſigere iuſſit, nequaquam illis liberum faciens, vt audacter & omni metu poſito homines inuadant, ſed ſemper occultari & raro admodum comparere, viſaque hominum conſpectum (vtpote dominorum ſuorum) fugere voluit, legemque hanc illis ſtatuit, vt pauciſsimos, & non niſi raro lædant, idque dum non ipſa pugnam primo exordiuntur, ſed laceſsita contra hoſtes ſeſe defendunt. Nec enim aliquis horum timor vnquã nos affeciſſet, ſi illorum vires humana natura nunquam fuiſſet experta. Quadrupedum vero generi ſyluas & cautes & antris plena loca, ab hominum conſuetudine remotiſsima, ſummus ille omnium gubernator ad inhabitandum decreuit. Ad paſtum vero certum illis tempus diſtribuit, noctem videlicet: Poſuiſti enim (inquit ſcriptura) tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertrãſibunt omnes feræ ſylueſtres: catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Deinde hanc Dei diſpenſationem admiratus propheta exclamauit: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia feciſti in ſapientia. Quod vero poſt peccati quoque ingreſſum, cùm hęc hominum imperium reieciſſent, denuo ſubiecta ſint & ſeruitutem ſubierint, Adam humani generis conditor abunde teſtatur, qui omnibus nomina indidit, nec timore illorum perculſus, nec fugam arripiens, nec aliquo ab illis nocumento læſus eſt. Teſtatur idem ſecundus ille hominũ conditor, totius humani generis ſciptilla aut fomes, beatus ſcilicet Noe, qui non mitiũ modo, verum etiam ferociſsimorum animalium paſtor in arca fuit, & per integrum anni ſpatium tam hæc quàm illa vno in loco paſcens carniuora herbarum pabulo veſci coegit. Teſtatur idipſum ſaluus & integer cuſtoditus mundorum animantium numerus. Teſtimonium quoque nobis fert magnus ille Daniel, qui leonibus eſca aut cœna appoſitus, ipſos virtutis fulgore perterruit, & diuinæ imaginis charactere perculſit. Poſtquam enim in imagine archetypi exemplũ valde ſyncerum & integrum conſpexere, ſeruitutis ius confeſsi ſunt, & ferociam omnem depoſuerunt, Adamum illum ſe videre putantes, qui ante peccatum nomina ipſis impoſuerat. Simile item Paulo apoſtolo contigit. Cùm enim hic lignorum faſciculum accenſæ pyræ alimenti loco inferret, & aeris rigorem ignis auxilio temperaret, in lignis deliteſcens vipera ignem quidem, vtpote ſibi noxium, fugit, apoſtoli vero manum corripuit tanquam illum vltura, à quo perdenda fuerat: vbi vero leuẽ mollemque peccati naturam non inuenit, quin potius in fortem & infractam virtutis armaturã impegit, illico reſilijt inſtar iaculi, quod in ſolidum quippiam emiſſum ad eiaculantem reſilire ſolet, in pyram autem ardentem abijt, quaſi temeritatis pœnã à ſeipſa exigens, quod videlicet domini ſui manum furore ſuo impetijſſet. Feræ ergo loris, ferulis & pædagogicis diſciplinis ſimiles videntur. Hæ enim ab ijs qui iam perfecti ſunt, & puerilem ætatem tranſierunt, facile contemnuntur: ijs vero qui mente adhuc paruuli ſunt, cum primis neceſſariæ & vtiles exiſtunt. Et quemadmodum iuſto (iuxta Diui apoſtoli ſententiam) non eſt lex poſita, iniuſtis vero & immorigeris, impijs & peccatoribus, impuris & profanis, parricidis & horum ſimilibus: ita feræ inſtar diſciplinæ alicuius hominibus impoſitæ ſunt, quæ eos quidem qui ad peccandum proni ſunt, timore percellit & territat, à virtutis autem alumnis tanquam ludus quiſpiam contemnitur. Quapropter cùm hinc quoque Dei erga te curam deprehenderis, & omniuariam eius prouidentiam cognoris, deſine tandem, ò amice, calumniari, & laudes dignas benefactori perſoluito. Quomodo enim non abſurdum fuerit, literatorem quidem, qui ad tempus pueros cædit, & ferula ignauiæ torporem excutiens loris firmam literarum memoriam infigit, collaudare, & medico gratias agere, non modo cùm cibum potumque laboranti præbet, verumetiam cùm ſecat, vrit, & morbo ſeſe hoſtiliter opponit, ne ille auctus vlterius ſerpat prohibens: Deum vero, qui longe vberiori ſapientia & diligentiori cura animarum ſaluti proſpicit, & bonorum largitione flagrorumque metu virtutis elementa nos edocet, ac malitiæ morbum radicitus euellit, ſolidamque animæ ſalutem operatur, blaſphemijs ac conuitijs proſcindere? Prohibe ergo linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur blaſphemiam. Diuerte à malo, & fac bonum: curam quam de te habet inſpice, & eum qui ſua prouidentia tibi proſpicit, collauda, vt tuam circa gratuita ſua beneficia gratitudinem conſpicatus, & nunc beneficijs

Fera.

Canis.

Pſal. 103.

Act. 18.

1. Tim. 1.

Pſal. 33.

neficijs te plene affundat, & promiſsis bonis dignum iudicet: quæ vtinam & nos conſequamur in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui ſit gloria in æternum, Amen.

SERMO VI.

Quod diuitiæ & paupertas humanæ vitæ vtiles ſint.

Pſal. 74. SAEPE quidem iam cùm propheta iniquis dixi: Nolite inique agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu veſtrum, & nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem, dum videlicet mundum hunc, quem ille condidit, omni gubernatore deſtitutum ab ipſo deſeri dicitis. Sed ingratos hoſce nec Cœli
Pſal. 18. perſuadere poſſunt, qui Dei gloriam annunciant, nec Sol, qui ceu ſponſus è thalamo ſuo egreditur, & ad terminos ſuos ſplendore ſimul atque calore penetrat: nec Luna, quæ alternis ſuis figuris radiàt, & temporis ſpatia metitur: nec ſtellarum ortus & occaſus, quæ & nauigantibus itineris duces ſunt, & agricolas ad meſſem & ſementem faciundam excicitant: non (inquam) mouent hos anni partium viciſsitudines, non ſolſtitiorum mutationes, non tempeſtiui & alterni nubium partus, non terræ mariſq́ue concordia, non fluuiorum fluxus, non fontium latices, non fructuum vberrimus prouentus, non animalium varietas & commodus vſus, non rationi conueniens corporis huius fabrica, non animæ immortalitas & ſapientia corpus totum gubernans, non artes variæ ſimul & infinitæ, quę nõ neceſſaria modo, ſed & ea quæ à communi vſu longius remota & alieniora ſunt, ſuppeditant, nec vlla alia munera quæcunque magnificus ille largitor hominum generi quotidie confert. Sed cùm omnibus hiſce fruantur, furiunt tamen & inſaniunt, & ſedulam hanc aſsiduamq́ue Dei curam negligentiæ titulo infamant, & diuitias ac paupertatem nobis obijciendo vitæ inæqualitatem accuſant. Agedum ergo ſummum illum Dominum, nauis huius (mundi videlicet) ſapientiſsimum gubernatorem in ſermonis auxilium aſſumentes obiectionibus & argumentis illorum obuiam ibimus, & oppoſitas nobis rationes diſſoluemus, tum accuſationem, quæ ab ipſis contexta eſt, araneæ telam eſſe demonſtrabimus. Cur (inquiunt) qui hominum peſsimi ſunt, diuitijs abundant, & infinitis vndique bonis affluunt, ſecundis ventis vitæ huius nauigationem abſoluunt, & diuitiarum abundantiam iniquitatis viaticum recipiunt? (Diuitiarum quippe affluentia auaritiæ faci materiam miniſtrat, & malitia, ſi opes adiutrices nacta fuerit, ingentẽ flammam incendit, dumq́ue voluntati vires accedunt, malitiam reddunt intolerabilem.) Virtutis autem cultores in paupertate viuunt, ærumnis miſere iactantur, neceſſariorum quoque penuria laborant, ſqualent, ſordent, in terram deprimuntur, aliorum petulantiæ ſubiacent, conuitijs lacerantur, & infinitas moleſtias ſuſtinent? Quapropter, hoc primo illos interrogabimus, quemnam felicitatis finem ipſi ſtatuant. Quod ſi diuitias dixerint, mox mendacium illorum arguemus. Quo pacto enim felicitatis author erit diuitiarum theſaurus, qui, vt ipſi aiunt, iniquitatis cooperarius eſt? Si enim propter hunc mali ſupercilia attollunt, buccas inflant, & equis ac curribus vecti forum ſuperbe ingrediuntur, in tantum alios præ ſe contemnentes, quantum illos ex alto deſpicere contigit: ſi denique propter hunc inique agunt, defraudant, aliena ſibi vendicant, ad ſe non pertinentia concupiſcunt, in aliorum bonis voluptuantur, ex pauperum ærumnis negotiantur: & hæc omnia diuitiarum ope & auxilio vſi faciunt, quo pacto felicitatis finem & beatitudinis materiam diuitias eſſe dicemus? Quod ſi vero Virtutem bonorum pulcherrimum optimumq́ue dixerunt, & huius amatorem flagrantiſsimum atque cultorem diligentem in ſummo bonorum faſtigio conſtitutum eſſe fatentur, cur diuitias admirantur, & diuites beatos nominant? Nam ex diametro inter ſe pugnant opum abundantia, & virtutis egregiè geſtorum ſupellex. Porrò communem hic quæſtionem excutientes, auxiliante nobis veritatis luce, inquiramus quotnam ſint virtutis ſpecies, & quo pacto illarum poſſeſsio alicui facile contingere poſsit. Quapropter virtutis nomine definimus, Prudentiã, Temperantiam, Fortitudinem, Iuſtitiam, & quæ ex his natæ ſunt, aut in his continentur philoſophiæ partes. Inquiramus igitur quidnam ſingula hæc ſignificent, quis item illorũ ſenſus, quæ ſit interpretatio aut vis. Prudentia ſane eſt rationis qua præditi ſumus vigilantia: quemadmodum videlicet deſipientia, item imprudentia eiuſdem eſt ebrietas, quæ ex affectibus genita & quaſi in nubem quandam condenſata rationem obſcurat, eamq́ue quod illi opus eſt videre non permittit. Vnde eiuſdem ſanitas prudentia nominari conſueuit. Temperantiam vero ab affectibus liberam rationis conſtitutionem dicimus. Cùm enim huius ſenſus ſaluus & integer eſt, affectus quidem remiſsi langueſcunt, diffluunt & diſsipantur, ac quod in illis feruore tumet diſſoluitur, mens autem hominis gubernatrix conuenienter equis ſuis inuehitur. Iuſtam ergo affectuum conſtitutionem & gubernatricis mentis vel rationis incolumitatem, Temperantiam vocamus. Fortitudinem vero dicimus iuſtum illum indignationis aut iræ motum: quemadmodũ econtra eiuſdẽ motus, ſi iniuſtus & inordinatus fuerit, audacia dicitur. Iuſtitiam autem legitimum rectumq́; animæ imperium & conuenientem affectuum, qui huic ſubiecti ſunt, conſtitutionem appellamus. Concupiſcentiæ enim & animoſitatis, vel iræ cum ratione conſenſus, & mutuum iuſtumq́ue

Diuitiæ non ſunt ſummũ bonum.

Virtutes quæ ſint.

Prudentia.

Temperantia.

Fortitudo.

Iuſtitia.

iuſtumq́ue inter hæc temperamentum, iuſtitiæ theſaurum vel opes nobis perficiũt. Quoniam igitur, quænam virtutis partes ſint, quis item ſingularum ſenſus ſit aut vis, didicimus, agedum nunc illud quoque excutiamus, qua ratione aut via, ſi quis volet, has recte aſſequi poſsit, ſi vel diuitijs vtatur cooperarijs, vel etiam paupertatem ſibi auxiliantem habeat. Atqui diuitiæ quidem, quæ multas turbas & curas habent omniuarias, tum infinitas quoque fluctuum & tempeſtatum ſpecies, virtutis inſidiatrices & hoſtes ſunt, non auxiliares ſocij. Quomodo enim temperantiam conſequatur, qui ventri aſsidue inſeruit, & compotationibus intabeſcit, & conuiuia inſtruit, lectis item & menſis occupatus piſtores, popinatores, ſartores & cupediarios, vina odorata, phialas, calices, & varia poculorum genera, & opſoniorum varios apparatus animo ſuo circunfert, merum auide bibit, ventremq́ue plus quàm natura ferre poſsit, onerat? Qui denique rationis vigilantiam extinguit, affectuum vero pyram hac materia magis incendit, atque immodicum & intemperans voluptatis ſtudium quã maxime inflammans iram per ea, quæ illius feruori ſeruiunt, exacuit, & rationem hominis gubernatricem affectuum ſeruitio ſubijcit, eamq́ue quæ domina facta eſt, ventris famulam reddit: qui diuinitus collatam homini poteſtatem & imperium ad cupiditatum mancipia detrahit, principem ſubditis captiuum tradit, aurigam equis diſtrahendum propinat: qui item facit, vt gubernator clauum non amplius tenere, nec nauim totam regere poſsit, ſed affectuum procellis, quæ nauim per præceps abripiunt, & fluctibus mergunt, permittat. Qui equidem talis fuerit, non prudentiæ modo expers, verumetiam omniuarijs intemperantiæ vitijs addictus eſt. De iuſtitia vero quid hic dicere attinet, cùm & ipſi aduerſarij fateantur, eum qui vt multa poſsideat concupiſcit, iniuſti & iuſti diſcrimen non velle agnoſcere? Qui enim tales ſunt, ijs inordinata, infinita & indiſcreta ſunt omnia. Quod ergo qui diuitiarum auxilio vtuntur, virtutem difficulter conſequi poſsint, vel contentioſiſsimis quibuſuis ex ijs quæ modo dicta ſunt perdiſcere licet. Paupertatem vero philoſophię coadiutricem eſſe, & non alium, præter hanc, perfectam virtutem feliciter cõſequi poſſe, mox diſcemus. Primo enim neceſſariorum penuria affectus rationi ſubijci cogit, & illos nec intumeſcere, nec menti gubernatrici & dominę recalcitrare permittit, quod delicatis & ventri ſeruientibus plerunque contingit. Deinde anima, cùm ſuperfluis liberata oneribus, & à curis externis expedita quiete & trãquillitate ſumma fruitur, in ſe ipſam reſpiciens propriam ſuam dignitatem contemplatur, & ſubditorum ſibi affectuum ſeruitutem agnoſcit, tum etiam imperium tenens ſubditis moderationis & ordinis leges præſcribit, & vtriuſque (tam iræ quàm cupiditatis) rebellionem alternis earundem vicibus punit & reprimit. Et nunc quidem iræ affectu intumeſcente concupiſcentiam excitat, & illius vehementiam huius malitia diſſoluit: nunc vero mutato & translato puniendi officio, iræ affectu aduerſus hanc vtitur, & iræ flagello concupiſcentię vehementiorem motum coercet. Rurſus autem labores quoque rationi ad affectuum moderationem ſubſeruiunt. Inopiæ enim neceſsitas ad laborum ſtudium excitat, & neceſſariorum penuria labores exhibet: laborum vero miſeria affectus tabefaciens, & materiam illorum conſumens, eos intumeſcere non permittit. Quid ergo ingratus eſſe pergis, cùm paupertatem iuſtis coniunctam eſſe vides, & virtutis organum conuitijs laceras? perinde faciens ac ſi quis thronos & gradus & lectos, ianuas item & omnem ædificiorum elegantiam collaudet, fabri autem vel architecti inſtrumenta vituperet, & ſecuri, terebro alijſq́ue, quorum opera omnis illa ſtructura conficitur, conuitia ingerat. Porrò quod virtus per paupertatem facilius quàm per diuitias acquiri & comparari poſsit, ipſi etiam pietatis alumni teſtantur. Teſtantur idem quotquot apud Græcos ſapientiæ cultores fuerunt, & naturę lege magiſtra vſi ſunt. Per paupertatem enim omnes iſti moralem virtutem comparauerunt, idq́ue cùm diuina oracula non audierint, quæ palam clamant: Si quis
Luc. 14. non renunciat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ad doctrinam tamen & eruditionem natura ipſis ſuffecit. Diuina quippe Lex non nouas traditiones affert, ſed naturæ leges in memoriam reuocat, & naturæ ſcripturas, quas temporis diuturnitas hominum negligentia corrupit, naturæ conditor per pręcones ſuos reſcribit. Cùm ergo Socrates, Diogenes, Anaxarchus, & qui horum fuerunt ſimiles, moralis virtutis deſiderio moti opes ſuas quas poſsidebant, reiecerint, & paupertate ad præſtantiſsimam virtutis poſſeſsionem coadiutrice vſi ſint, idq́ue cùm circa veritatem doctrinę cæci fuerint, & regnum cœlorum non expectarint, nec veri illius & ſummi boni tenuerint notitiam, cur tu paupertatem accuſas, ò Philotes, per quam virtutis curſus facilis, & aſpera illa ac ardua via executoribus ſuis expedita & leuis redditur? Hæc autem dicimus non quod diuitias accuſemus, vel malum malo repellere ſtudeamus (ſi enim diuitiæ per ſe malæ dicantur, blaſphemia hæc in illarum largitorem redundat) ſed diuitias ſimul & paupertatem tanquam materiam quandam vel inſtrumenta à rerum opifice nobis propoſita & oblata eſſe dicimus: homines vero ceu fabros quoſdam per hæc aut virtutis ſimulachrum effingere, aut malitiæ ſtatuam exculpere. Cęterum per diuitias vix aliquis paucula quædam virtutis membra eleganter exculpet, multi vero paupertate adiuti omnia ſimul fabricare poſſunt. Ne ergo paupertatem proſcindamus, quæ virtutis parens eſt: nec etiam opes conuitijs laceremus, ſed eos qui his perperam abutuntur, accuſemus. Nam & ferrum hominibus datum

Diuitiæ virtutis hoſtes.

Paupertas virtutis coadiutrix.

Diuitiæ & paupertas inſtrumenta ſunt.

nibus datum est, vt ædificantibus, agricolis & nauium fabricatoribus cooperetur, & alias humanæ vitæ artes adiuuet. Qui vero in se mutuo grassantur, illud necessarijs duntaxat vsibus seruire non permittunt, sed mutuas etiam cædes per illud perpetrant. Non tamen idcirco ferrum culpamus, sed eorum qui hoc abutuntur, detestamur malitiam. Similiter vini vsus hominibus ad lętitiam, non autem desipientiam vel insaniam conciliandam datus est. Qui vero intemperantiæ student, & ebrietati intabescunt, lætitiæ genitorem desipientiæ patrem faciunt. Cæterum nos iustum in his calculum ferentes, eos quidem qui diuino munere male abutuntur, vinosos, ebrios & malos nominamus: vinum vero ceu diuinitus collatum munus admiramur. Idem de diuitijs harumq́ue possessoribus iudicium ferre consueuimus, & diuitias quidem omni culpa & crimine liberamus: illos vero, siquidem harum dispensatores iusti fuerint, maximis præconijs ornabimus: si autem inuerso ordine ipsi diuitijs seruierint, illarum nimirum iussa in omnibus exequendo, & omne seruitium malum subeundo, iniquitatis illos accusabimus: quod nimirum, cùm domini constituti sint, dominij ius corruperunt, & herilem potestatem seruitute permutarunt. Sed dicat forsitan aliquis illorum, qui nihil aliud quàm bene dictis obstrepere norunt. Quam ob rem non cunctis hominibus diuitias possidendas rerum conditor largitus est: sed his quidem diuitias copulauit, illis vero paupertatem quasi sorte addixit, vitamq́ue hanc inæqualibus admodum & imparibus conditionibus repleuit? Quem & ego lubens interrogauerim, cur non omnibus corporis nostri membris vnam & eandem vim rerum opifex indiderit: sed oculis quidem colorum & figurarum iudicium commisit, auditum vero vocum & sonorum discrimina cognoscere voluit, nares autem vt vapores excipiant, & suauem odorem à fœtore discernant, linguam item vt gustu sapores dijudicet, dulcis & acerbi, acris & amari & pinguioris discrimen deprehendat, instituit? Et pedibus quidem incessus potentiam concessit, manibus vero omniuariam operationem ceu sorte distribuit. Ventrem alimenti receptaculum, iecur vero eiusdem purgatorium, cerebrum medullarum thesaurum, caloris autem fontem ipsum cor constituit. Arterijs item spiritum inclusit, venas autem sanguinis canales fecit, singulis itē membris diuersa operationum decreuit officia. Atqui omnia quę modo dicta sunt, sed & ea quæ silentio præteriuimus, ad vnius corporis perfectam fabricam seruiunt, interim tamen singulis aliquid propriæ functionis commissum est, & in commune illud singula conferunt. Visus equidem pedes ducit, & viæ planitiem illis monstrat, & locos asperiores deuitat: ipse autem à pedibus fertur. Auditus quoque dum sonos percipit, visum ad videndum excitat, idem autem per visum sonorum authores cognoscit. Et vt apostolico testimonio quæ modo dicta sunt confirmemus, non potest oculus dicere manui, Non est mihi opus te: aut rursum caput pedibus, Non est mihi opus vobis: imò multo potius quæ videntur membra corporis imbecilliora esse, necessaria sunt: & quæ putamus minus honesta esse, his honorem vberiorem apponimus. Nec vnquam aliquis indignatur diuersam in membris operationem cernens, nisi valde desipiat: quin potius Creatorem amat & admiratur, qui tam sapienter singula discreuit, & singulis commodam & idoneam alicuius officij functionem commisit, eamq́ue quæ singulis propria erat, toti corpori communem fecit. Nec enim visus solus visibilium sensu fruitur, nec solus auditus sonis iuuatur, vt nec solum os sapores, nec solus nasus odores, nec soli pedes incessum, nec solæ manus operationes, nec solus venter alimentum, nec solum cor calorem, nec solum cerebrum sentiendi affectionem percipit: sed peculiarem quidem & propriam vim singula habent, vsum vero & vtilitatem omnem in commune conferunt. Et cor quidem totum corpus calore fouet, hoc totum nutrit, illud vero alium quæstum aliquem, quasi tributum, animato corpori affert. Et operationis varietas in omnia quidem corporis membra diuisa est, singula vero mutuum à se inuicem fructum percipiunt, & communis omnium vsus est. Nec auditus indignatur quod non videt, nec oculus audiendi sensu destitutus dolet, sed singula hæc naturæ limites studiose obseruant, & tributum, quod ab initio ipsis iniunctum est, persoluunt. Tu vero multum indignaris, quod non omnes homines diuitiarum vndis affluunt, & domos splendidas inhabitant, & tunicarum palliorumq́ue splendore corpus exornant, & equis mulisq́ue vecti magna præcursorum & assclarum ac famulorum turba ministerijs addicta gaudent, tum etiam auro intertextas spondas, lectumq́ue mollem & fluxum, & miros opsoniorum apparatus, & varia voluptatum inuenta, ac vndique affluentes, atque voluptatem incendentes delitias possident. At quo pacto aliquis temperantiam conseruet, qui tot contra se hostes concitat? qui illam omnibus tam animæ quàm corporis partibus expellit? Quomodo prudentiæ habitum conquirat homo, qui tot sarcinis rationem obruit? Sed quid hic temperantiam, iustitiam, fortitudinem & prudentiam dicere attinet, quarum ne nomina quidem isti audire possunt? Quomodo item omnes simul diuitiarum possessione fruantur, si omnes eiusdem conditionis & sortis fuerint? Quo pacto denique, si æquales omnes sint, & omnes opibus similiter abundent, necessariorum inopiam & vsum homines farcient? Aut quis, si eadem cum reliquis omnibus opum abundantia instructus sit, alteri seruire volet? Quis (inquam) foco assidere, opsonia parare: quis item panes coquere, aut mola triticum

Cur non omnibus diuitiæ datæ sint.

1. Cor. 12.

ticum conterere, & farinas cribro discernere, abstergere, coquere, & ignis calorem ferre (nisi inopia & egestate cogatur) sustinebit? Quis vero boues aratores sub iugum misit, & terram nouis sulcis secuit, sementem fecit, eandemq́ue vbi germinauit & excreuit falce demessam in aream transuexit, & à paleis separauit, quem nō paupertas ad labores sustinendos compulerit? Quis porrò lapicidinis assedit vnquam, & lapidum materiam ædificijs struendis exhibuit, domusq́ue bene & eleganter concinnatas extruxit, nisi qui paupertate extimulatus opus facere coactus est? Quis nauticam artem? quis marinam negotiationem? quis nauticam in laboribus assiduitatem? quis textoriam? quis sutoriam? quis figulinam & ferrariam exercuit? Si enim æqualis esset opum possessio, nequaquam illa alium alij inseruire permitteret, sed inter duo hæc alterutrum contingeret necessario: nam aut singulis omnes artes tenendæ & obeundæ essent, aut omnibus simul necessariorum penuria foret periclitandum. Quod vero vnum aliquem omnes hominū artes addiscere impossibile sit, non vtiq; multis rationibus demonstrare opus est, nam ipsa nobis experientia locupletissimum eius rei fert testimonium. Si quis enim vel duas saltem simul discere instituat, vtranque perdit, cùm vtraque alteri noceat. Mens enim in diuersarum partium studia distracta, cùm vtranque simul apprehendere non possit, particulas quidem aliquot ex ambabus elicit, exactam vero & perfectam cognitionem nec vnius quidem assequitur. Reliquum ergo est, quod si omnes æquali opum abundantia donandi fuissent, eadem illa interitus causam attulisset, idemq́ue nobis contigisset quod ijs qui edendi voluptatem & appetitum nimia saturitate perdūt: nam & illi opsoniorum assiduo esu appetitum hebetant, & hi propter opum amorem & studium necessariorum quoque penuriam sibi asciscere concupiscunt, & diuitijs iunctum interitum paupertati cum vita coniunctæ præferunt. Sed hos quidem delirare sinamus: nos vero hinc quoq; Dei erga nos curam demonstrabimus, & quam ipsi inæqualitatem vocant, iucundissimam vitæ causam & optimæ politiæ scopum & institutum esse ostendemus. Demonstrabitur quippe, quod summus ille omnium princeps hic quoque rerum æqualitati quàm maxime consuluerit. Primo etenim terram commune omnibus solum dedit, commune domicilium, & nutricem & matrem & sepulchrum, vnum item creationis principium, puluerem nempe omnium progenitorem, sed & cœlum commune omnibus tectum extendit, Solem quoque & Lunam vnà cum reliquis stellis ceu communes faciferos donauit. Aerem medium effudit, hunc quoque similiter communem omnibus thesaurum proponens. Nec enim ex eo plus pauperioribus diuites attrahunt, sed æqualem ex hoc quoq; partem paupertas sumit, quin maiorem quoque, vtpote cùm longe plures huius alumni sint, quibus corporis sensus & validiores sunt, & à superfluis illis oneribus magis liberi. Fluuij rursum & fontes omnibus communes latices ebulliunt. Quin & corpora tam pauperibus quā opulentis similia condidit, imò in his etiam præstantiori conditione sunt pauperes: horum quippe corpora validiora & saniora sunt. Inopia enim bonæ valetudinis mater est, vt sapientissimus medicorum dixit: tum labores & exercitia, iuxta eiusdem doctoris sententiam, maximum ad valetudinem tuendam momentum conferunt. Præterea animæ etiam tam horum quàm illorum, eandem naturam obtinent. Vna & eadem fœturæ vel conceptionis origo tam his quàm illis, vnius & eiusdem generationis scopus in vtrorumq; nuptijs, pares conceptionis menses: nec enim pecuniarū copiam tempus veretur, nec diuitias cum pudore suspicit, vt vel ante præscriptos limites fœtū emittat, aut eundem diutius in vtero detineat, sed simili modo tam diuitis quā pauperis fœtus prodeunt. Dolores & hunc & illū in lucem emittūt, imò (si experientiæ fidem habes) pauperculæ partus longe facilior est, & dolores pauciores. Laborum enim cōsuetudo facilitatem parit. Quamobrem delicatioribus fœminis medici priusquam pariēdi tempus adueniat, laborem necessario inferunt. Proinde simili modo impregnantur, non aūt similiter pariunt: sed illic quidem diuitiarū fiducia solatium præbet, & maior difficultas cruciat, hic vero necessariorum penuria & natura consolatrix infirmitati succurrit. Quin potius naturę cōditor disparem hanc vitæ conditionem temperās, partus difficultati, quæ ex delicatioris vitæ ratione oborta est, medicorum & pharmacorum solatia adhibet: ei vero quę propter inopiam hac ope destituitur, naturæ auxilium confert. En tibi iustissimi iudicis decretū, & linguam ad laudes commoue. Sed & ipsos fœtus inspice, qui similiter omnes nudi in lucem prodeunt. Nec enim diuitis fœtus purpura vestitur, nec pauperis pannis laceris inuolutus est: sed vterq; nudus in lucē editur, ipso creatore æqualitatē prædicante. Simili modo respirans aerem attrahit, simili modo mamillā sugendo trahit, non alio lacte pauperis infans nutritur, nec aliud diuitis infanti præbetur: sed tā hic quàm ille vnum idemq́; alimentū percipiunt. Nec vero ingressum modo in vitā hanc vnum & eundem omnes habemus, sed & exitus omnibus vnus est. Vna & eadē mors omnes excipit. Nec enim diuitias mors metuit, nec lancearios satellites timet, nec purpurā horret, quin & muros, turres regumq́; aulas contemnit, ac in ipsos thalamos penetrat, lachrymantis non miseretur, orantis precibus non mouetur, donis non corrumpitur, medicam artem non moratur, pharmacorum vires vanas & inefficaces esse ostendit: sæpius etiam nec vltima manu data dare, nec opum hæredē scribere permittit, sed rapit, ruit, animamq́ue à corpore separat.

Par diuitum & pauperum conditio.

parat. Finem ergo vitæ communem habent & hi qui diuitijs ſuperbiunt, & hi qui cum paupertate conflictantur. Tum vbi vitam egreſsi ſunt, eandem etiam è mundo hoc peregrinationem ſuſtinent. Simili enim modo putredo ſequitur, & ſanies defluit, & vermes enaſcuntur, & terribilis ille viſus extinguitur ſimul & liqueſcit, tum inſatiabile illud os & lingua rabida vermibus arrodēda & comedenda ꝓponitur. Ad hæc ferocientis & elatæ ceruicis faſtus non modo inflexus deprimitur, ſed & totus diſſoluitur: inflata illa & tumida bucca non modo diſſoluitur, ſed etiam in paruum & tenuem puluerem abit: genarum flos langueſcit & euaneſcit prorſus, tum qui malitiā ſcripſerunt digiti tota compage diſsipata iacent. Hæc itaque omnia diuitibus ſimul & egenis communia ſunt. Reſtat ergo quod & iplæ diuitiæ ſimul & paupertas omnibus communes ſint, quas tu quidē peculiares & proprias quorundam hominum eſſe arbitraris, eaſdem autem ſimiliter cōmunes exiſtere ſermo noſter, diuino ſic fauente numine, demonſtrabit. Diuitum quippe opibus pariter & ij qui in paupertate victitant, fruuntur. Communis enim vtrorumq; conditor omniuarijs artibus paupertatē excoluit, propter quas diuites ad pauperum fores veniunt, & pro pecunijs quæ ſibi neceſſaria ſunt, ab illis recipiunt: & dum pluribus propter opes indigent, omnium neceſſariorū penuria laborant. Ab his enim panes, ab ijſdem opſonia emunt. Alij item pedibus calceos conficiunt, alij tunicas, togas & pallia parant, alij tapetia, vittas & amicula texunt: & hi rurſum domos ac thronos ædificāt, illi vero olerum & fructuum infinitas ſpecies, alij triticum, hordeum & reliquas agriculturę diuitias proferūt, ſine quibus vitā tranſigere impoſsibile eſt, licet vel Crœſi vel Midæ aurum aliquis poſsideat. Pauperi vero panis ex milio confectus vel etiam furfuraceus ſufficit, & vulgari opſonio contentus eſt. Quem ergo (ſiquidem recte & iuſte pronunciare voles) indigū vel egenum vocabis? quem item pauperem eſſe, & neceſſarijs carere dices? eūmne qui paucis quibuſdam, vel potius illum qui pluribus indiget? Eūmne, inquam, qui ea per quæ vita noſtra conſiſtit manibus tenet, vel eum qui auro infido confidit, quod ſeras & ſigilla atq; ſignacula vincit, quod item foribus longum valere renuncians foſſorum furumque manibus raptum aufugit? Atqui pauperis artem nullus prædo eripiet: opulentos autem non prædo duntaxat, ſed ſycophanta quoque diuitijs ſpoliare poteſt. Et pauper quidem ad forum aſsidet, vel ſutoriam exercens, vel aurum elaborans, vel argentum aut veſtem, vel aliud quippiam neceſſariorum diuidens. Qui vero diuitijs ſuperbit, qui corpus vltra capitis quoque verticem attollit, & manus magna ſatellitum caterua ſtipatus circunfert, ad hunc venit. Et hic quidem, vt par eſt, ſedet, vel corium conſuens, vel argentum exculpens, vel aliud quippiam artis, quam profitetur, opus perficiens: hic vero cum illo ſermones miſcens, & præſentia ſua artis illius neceſſarium vſum indicans aſtat. Quid ergo indignaris, & paupèrtatem accuſas, cùm diuitias quoq; huius opera cum primis indigere, eoſque qui diuitijs affluunt, ſine hac viuere non poſſe videas? Quin illum admirare, qui hæc tam ſapienter inſtituit: qui his quidem pecunias, illis vero artes largitur, & mutuam concordiam amicitiamque hac neceſsitate conciliat. Nam hi quidem pecunias largiuntur, illi vero artis ſuę opera proferunt. Paupertas enim de honore contendit, & diuitias ſuis muneribus ſuperat. Quæ enim diues ceu inutilia poſsidet, ea paupertas arte tranſmutans neceſſaria & ad omnem vſum idonea exhibet. Quin etiam ſi quis rem omnem exacte cognoſcat, ipſam quoque diuitiarum materiam paupertas colligit. Ipſa enim aurum, argentum, æs & ferrum, quibus diuitiæ conſtant, effodit. Et diuitiæ quidem ex omnibus artibus aliquid corrogantes naſcuntur, artes vero paupertatis propriæ ſunt. Sed & hanc ipſam informem diuitiarum materiam paupertas ſumens effingit & format, & ex hac annulos, inaures, monilia, calices, torques, pocula, & quæcunque alia diuitum buccas inflare ſolent, fabricat. Quapropter cùm diuitiarum theſaurus paupertate conſtet, & paupertas viciſsim diuitiarum auxilio ſubleuata, artes obeat, qui tu æqualitatis tantę inæqualitatem accuſas? Cur quæ ſibi inuicem amiciſsima ſunt, contraria nominas? Cur politiam calumnioſe carpis, cuius beneficio & pauperibus & diuitibus vita eſt ſuauior & iucundior? Dum enim tam hi quàm illi res neceſſarias à ſe mutuo recipiunt, vſum rerum implent, omnemq; neceſsitatem ſarciunt. Sed dicas fortaſſe. Cur autem plures diuitum iniuſte viuunt? cur non omnes iuſtitiæ alumni vel cultores ſunt? Verum hic denuo liberam homini voluntatem eripis, & pręſtantiſsimū hoc animal honore, quem à Conditore ſuo accepit, ſpolias. Præterea apertiſsimum defenſionis campum haberent malitiæ operarij, ſi in hac præſenti vita ſolis iuſtis diuitiarum theſauros iudex ille diſtribuiſſet. Eadem enim, quæ & ipſorum magiſter ac doctor contra Iobem locutus eſt, dicerent: Quia tu circumuallauiſti interiora & exteriora domus ipſorum: frumentum, & vinum multiplicauiſti eis. Sed mitte manum tuam & tange quæcunque habent, niſi in faciem te benedixerint. Hæc (inquam) dicerent homines improbiſsimi, ſi ſoli virtutis cultores & alumni diuitiarum munera accepiſſent. Poſtquam vero paupertatem & diuitias, quaſi materias quaſdā, in medium propoſuit rerum conditor, his vero quidā ad virtutem comparandam vtuntur, alij vero eaſdem malitiæ ſuæ materiam habent, iam nec pauperibus nec diuitibus, qui in malitia vitam tranſigunt, excuſationis vel veniæ locus relinquitur. Qui enim diuitias bene & honeſte adminiſtrant, nec aliorum detrimentis vel ærumnis has augent, & opulentiæ ſuæ conſortes adhibent egenos, ij in illorum accuſationem iuſtam ſufficiunt, qui diuitijs male vtuntur, & auaritiæ ſtudēt. Qui item paupertatem ſapientiæ ſtudio temperant, & illius inſultus forti & generoſo animo ſuſtinent, eorum iuſti accuſatores erunt, qui malitiam in paupertate imbibēre. Simul autem aliam quoq; ſummi illius gubernatoris diſpenſationem inſpice, quo feruētius & alacrius illius gloriam decantes. Poſtquam enim multam circa diuites curam vidit, corporis valetudinem integram paupertati ceu ſorti attribuit. Et diues quidem magno cum labore & ſtudio fertur, pauper vero alienis pedibus nequaquam opus habens incedit. Et hic quidē pauperis valetudinem optat, ille vero diuitis infirmitatē miſeratur. Sed in ipſis quoq; morbis videre eſt, hūc quidem multorum cura foueri, interim vero acerrimis doloribus excruciari, & morbi vehementiam ſuſtinere non poſſe. Et hiberno quidem tempore miſerabiliter domi deſidet, molli lecto affixus iacet, veſtibus multis & calidis inuoluitur, focos vndique circunſtantes habet qui frigoris vim arceāt, pharmaca item innumera quæ cum morbis certent, medicorum quoq; pollicitationes conſolationis plenas audit, & amicorum præſentia fruitur, qui morbi vires ſuauibus colloquijs quaſi auferūt vel fallunt. Quod ſi vero æſtiuum aduenerit tempus, mox aliæ illum domus ſuſcipiunt, patentiores nimirum, quæ ventorum auras facile admittant, & vbi hæ ceſſauerint, famuli flabellis motis ventulum ſtudioſe faciunt. Rami circunquaque fixi aſtant, qui hortum ex tempore referant, & domum ſyluæ aut nemori ſimilem reddant. Fontes quoq; in ſummis ædium faſtigijs ingenioſe parantur, quorū ſcilicet ſtrepitu palpebris ipſius ſomnū conciliare ſtudent. Et tanta licet vndique cura adhibeatur, nihilominus tamen ille nudus & hac illac ſe ſe circumuolutans cruciatur, & manuum iactatione abſconditum & latentem morbi calorem indicat. Pauper vero vnicam domunculam, eamq; mercede cōductam inhabitat (imò eos etiam inuenire licet, qui cùm mercedē exſoluere non poſsint, foro pro domo vtuntur, quibus lecti loco ſolum eſt, & ſtraguli molliori vſum ſtorea exhibet) illique nec medicus adſtat, nec coquus medici mandatis ſubſeruiens, non famula, & nonnunquam nec fœmina coniunx. Ad omnia autem ipſi Dei prouidentia ſufficit, quæ morborum ſtimulos hebetat, dolores mitigat, caloris ignem & æſtum citra omnem pharmaci opem extinguit, ſimulq; omne quod vel ex frigore vel æſtu vel inhærente humore detrimentū oboritur, arcet. Nemo illū docet quinam cibi morbi vires alant, qui item valetudini & ſanitati auxiliū ferant. Sed non aliquod horum diſcrimen obſeruans indifferenter quodcunque forte nactus fuerit, comedit, & quod per ſe noxium erat, ipſi vtile & proficuum redditur, tum etiam frigidæ aquæ hauſtus illi loco pharmaci eſſe conſpicitur, ac aridus ficcuſque panis morbi æſtumac flammam extinguit. Non indiget ijs quæ ſupra per os ſumuntur pharmacis, nec qui per anum immittuntur clyſteribus. Natura enim inopiam ſupplet, & medicam opem laboranti offert. Et ſanè videre licet eū, qui in ſolo nudo proſtratus iacet, facilius morbum ſuſtinere, quàm ij qui omni illa, quā paulò ante commemorauimus, cura fouentur. Quapropter, cùm in omnibus quæ fiunt, Dei curam & iuſtam diſpenſationem videas, ne tu curioſius ſingula quæ fiunt inquiras. Quod ſi vero curioſius aliquid inquirere, & ingenij vires exercere libet, eiuſdem tuæ curioſitatis compendium ſit, diuinæ laudis & gloriæ celebratio. Hæc tuum iter deducat, hæc eadem ad eorum quæ fiunt inueſtigationem te præcedat & viæ dux ſit. Huic item obtemperans omnem occaſionem ad Creatoris laudem celebrandam apprehendito. Tres iſtos pueros imitare, qui camino incluſi, inanimatam quoque creaturam ad gloriæ diuinæ celebrationem & confeſsionem inuitauerunt, actyrannum, qui illos crudeli ſententia camino tradiderat, ad miraculi contemplationem pertraxerunt, & vt illum Deum, quem ipſe oppugnabat, adoraret, ſuo illo miraculo compulere. Illos equidem nec caminus linguas ſuas ad blaſphemiam commouere coegit, ſed tanto flammarum ardore & ęſtu circumſepti hymnis benefactorem venerabantur. Te vero nec caminus, nec leones blaſphemare cogunt, ſed cùm in donis, quæ tibi diuina conceſsit liberalitas, voluptuari & delitiari conſueueris, dona tamen non ſentis. Quod ſi vero mihi obedire voles, linguam pietate exornabis, & creaturam quidem laudibus proſequeris, Creatorem vero hymnis coles, & vbique præſentem illius prouidentiam adorabis. Ipſi ſit gloria in æternum, Amen.

Diuitiæ & paupertas omnibus cōmunes ſunt.

Cur non ſoli iuſti diuites ſint.

Pauperū & diuitū valetudo.

SERMO VII.

Quod ſeruitus & herilis poteſtas ad humanam vitam vtiliter conſtitutæ ſint.

NOn equidē humana lingua ad laudes ſuas celebrandas ſummus ille omniū Conditor opus habet: nā nec eam, quæ ab angelis ipſi confertur, gloriæ ſuæ enarrationē quaſi indigus huius recipit: animorum tamen beneuolentiam cernens gratitudinē probat: & cùm legales victimas olim offerrent, nō tanquam Deo neceſſarias offerebant, ſed pro innumeris, quæ ab illo percipiebant, beneficijs eam quā poterant, gratiam referre conabantur. Quapropter nec vnam & eamdē victimam omnes obtuliſſe videmus. Hic enim vitulum, ille agnum, alius hœdum ſacrificabat. Et alius quidem plures, alius pauciores victimas. Cui vero paupertate preſſo hæc omnia deerant, illi par turturum aut pulli columbarum ad oblationem ſufficere poterant. Qui autem

autem etiam illis carebat, ſimila parua & aliquanto thure rem faciebat diuinam. Vnde iuſtum illum iudicem animi qualitatem, non donorum quãtitatem, reſpicere diſcimus. Similiter & nos pios hoſce ſermones noſtros offerimus, non equidem, vt hac ceu minima gutta immenſam ſapientiæ abyſſum augeamus, ſed familiaribus animi noſtri gratitudinem teſtari, & conſeruorum temeritatem arguere, & eoſdem herili iugo ſubijcere inſtituimus. Magnus etenim & acerbus nos dolor excruciat, cùm quæ omnia gubernat Dei ſapientiam illorum calumnijs proſcindi videmus, cuius gratia & præſentem hunc dicendi laborem ſuſcepimus, & blaſphemas voces argumentis compeſcere conamur. Quod vero nimium imprudenter eam, quæ eſſe videtur, vitæ inæqualitatem accuſent, & deſipientes id quod opus eſt non perſpiciant, abunde ſatis proximo ſermone docuimus, qui & paupertatis vtilem vſum demonſtrauit, & diuitiarum inopiam euidẽtiſsime arguit. Quoniam vero non modo paupertatem accuſant, verumetiam ſeruitutem deplorant, & ob regalium tributorum exactionem lamentãtur, tum ob alia quoque innumera, quæ vitæ noſtræ cumprimis conueniunt: agedũ illa quoque paucis percurramus, & peritos medicos imitemur, qui vbi ægrotos cibis abſtinere, & oblata ſibi edulia faſtidire vident, medicis quibuſdam artibus illorũ moroſitatem callide admodum eludunt. Quæ enim aridiora & acerbiora ſunt, dulcioribus condimentis temperant, & gratiſsimum efficiunt, quod ægroto nauſeam mouere videatur. Et hi ſanè, perinde vt illi, omnia quæ vident, & quæ fiunt reprehendunt. Atqui alteris illis morbus præter animi ſententiam contingit, & acerbis cruciati doloribus à cibis abſtinent, cumque illis veſci cupiant, morbi tamen vi prohibentur. Hos vero voluntariæ paſsiones oppugnant, & faſtidio laborant, nõ cibi aut opſoniorum, ſed eorum omnium quæ & ſapienter & iuſte à diuina Prouidentia diſpenſantur. Et dum ſementem faciunt, imbres deſiderant: iter vero facientes eoſdem accuſant. Præterea vt ſeminum fructus ad maturitatem excoquantur, feruentiori radiorum ſolarium æſtu opus habent: eoſdem tamen moleſtius quoque ferunt, & æſtum vituperant. Omnes labores ventris cauſa ſuſcipiunt, nempe agrorum culturas, nauigationes, tum etiam profectiones longiſsimas: & rurſum eiuſdem amarulentiſsimi accuſatores fiũt, quaſi is nõ in hoc ordinatus ſit, vt animæ nutibus ſeruiat, ſed vt eidem imperet. Fulmina, grandines, & ſi quæ alia tempeſtatum damna ſunt, culpant: è contra autem Dei longanimitatem reprehendũt, & nec iuſtitię Dei nec longanimitatis reuerentia tanguntur. Sed ipſi quidem, ſi vel maxima committant flagitia, precantur tamen, vt Dei longanimitate frui poſsint: in eos vero, à quibus ipſi offenſi ſunt, ſtricto prorſus iure & abſoluto iuſtitiæ rigore animaduerti volunt. Viderunt pauperes, & mox linguam contra prouidentiam mouerunt, & paupertatẽ plurimis obruerunt ſcommatis. Vt autẽ è contra diuitem, ſummis pedũ digitis incedere, leoninum tueri, hinc inde humeros circũferre, aut vehiculis inuehi, famulorum item & ſatellitum multitudine ſtipari conſpexerunt, mox contra opes blaſphemiæ ſuæ rabiẽ proferunt, vitam quaſi inæqualitatis plenã moleſtiſsime ferunt: mortẽ vero, quę inęqualitatem tollit, & parem omnium corporibus conditionẽ aſſert, odio proſequũtur. Atqui vitam eos amare decebat, qui mortẽ vituperant: aut mortem laudare eos qui de vita quiritantur. Ex diametro enim mors & vita ſibi inuicem contraria ſunt. Sed hi cõfuſe omnia ſimul conuitijs proſcindunt, & omnia ſimiliter vituperãt. Et cùm pueri ſunt, viros felices iudicant: virilem vero ætatem ingreſsi, pueros beatos dicunt. Sed quorſum opus eſt omnes quas prauus iſte morbus gignit, enumerare calumnias? Nihil enim eſt ex omnium quæ fiunt numero, quod non aliquod ab illorũ lingua emiſſum conuitij telum excipiat. Eia igitur, medicis cõpendijs vſi ea ipſis iucundiſsima demonſtrabimus, quæ ipſos hactenus offenderunt. Atqui de diuitijs & paupertate, de inęqualitate item quę in illis eſſe videtur, ſufficienter in priori ſermone diſſeruimus, tam huius quàm illarũ vtilem vſum demonſtrantes. Quod vero hominum genus ab initio rerum conditor in ſeruitutem & herilem poteſtatẽ diſtinxerit, mox oſtendemus.

Vna omnium origo.

Huc ergo ad primam noſtri generis creationem accedito, & vide, vt vnus quidem homo è terra conditus, mulier vero ipſi ſimilis non ſimiliter è terra formata ſit. Coſtam enim vnam ex illo rerum conditor accipiens, ſic ſexum illum creauit, ne illa alterius cuiuſdam naturæ propter terræ diuerſitatem eſſe videretur. Vnus itaque è terra creatus eſt, & ex viro mulier, & ex duobus hiſce vniuerſum genus mortalium. Non enim ab initio ſtatim rerum Opifex his quidem ſeruitutis iugum, illis vero herilem poteſtatem diſtribuit, ſed vnum omnium noſtrũ genus creauit. Præterea cùm Noam arcam parare iuſsiſſet, & ſalutem ipſi iuſtitiæ mercedem tribueret, ipſum & vxorem vnà cum filijs & eorundem nuptis extructã arcam ingredi præcepit, nec quiſquã ſeruus ingreſſus eſt. Nec enim adhuc hominum natura illud inſtitutũ ſuſceperat, ſed ea ſolummodo quæ verè ſerua ſunt, brutorũ videlicet animalium genera, quæ & idcirco vniuerſalis rerum Conditor in hanc vitam induxerat.

Magiſtratuũ inſtitutio.

Poſtquam vero in ijs quę poſtea contigerunt, multa inordinate & indecenter ex hominũ licentia, nullo magiſtratuũ metu coercita, prodijſſe vidit, omnemq; iniquitatem citra omnem timorem patrari, in magiſtratus & ſubditos humanum genus diuiſit, vt nimirũ magiſtratuum metus peccatorum multitudinem imminueret. Timor enim rationi obſtrepentiũ affectuum motus frenare, & animę propenſionem ad malum coercere conſueuit: ſæpe etiam quę ratio minus efficere potuit, timor recte & egregie geſſit. Poſtquam enim natura in malum impegit, & mens affectibus circundata atque ſubmerſa ipſum corpus abſq; omni ordine (ceu nauem clauo & moderamine carentẽ) abripiendum deſtituit, neceſſario nobis legibus opus fuit, quæ ancoræ inſtar eſſent, quæ & nauem ſiſteret, & procliuem pronumq; eius impetum inhiberet, ac gubernatorem denuo emergere, clauumq; arripere permitteret. Atqui in eadem & pari poteſtate omnibus conſtitutis & æqualitate regnante, Legum promulgationem fieri impoſsibile erat. Nam nec in ijs vrbibus, quæ Democratia regũtur, vbi rerum agendarum authoritas penes populum eſt, eadem & æqualis eſt omnium conditio: ſed alij quidem Theſmothetæ, alij vero Legiſlatores, alij aũt Imperatores erant, alij ſubditorũ numerum impleuerunt: Demagogus autẽ tam ſubditis quàm reliquis primatibus imperat. In ijs vero quæ Oligarchia reguntur, plures quidem ad ſubditorum catalogũ pertinent, pauci vero, qui & prudentia excellunt & virtutibus inſignes habentur, Rerumpublicarũ adminiſtrationem & imperium obtinent. Et hi quidem Ephori, alij vero Nauarchi, alij rurſum Harmoſtæ ſeu aptatores fuerunt, & populũ prout illis vtiliſsimum eſſe viſum eſt, gubernauerũt. Proinde peccato Legum neceſsitas introducta eſt. Leges vero legiſlatorũ poteſtate opus habebant, imò non legiſlatorum modo, ſed illorum quoque, qui trãſgreſſores punire poſſent. Et peccatum quidem inordinatam & indecentem rerum confuſionẽ introduxit: huic vero ſummus ille rerum omnium gubernator ordinem præſcripſit, & peccati impetum legibus, quaſi freno quodam cohibuit, atque freni huius habenas magiſtratibus, tanquam aurigis, commiſit. Ab his & ciuitates rite reguntur, & caſtella & militiæ. Quis enim iniuſtorum manus ferre poſſet, niſi cupiditatis & auaritiæ illorum flammam ac impetum Legum metus coerceret? Nam perinde vt piſces ſolent, magni minores deuorarent, niſi gladium acutum, ardentem rogum, & quæcunque alia in malorum ſupplicium à magiſtratibus excogitata ſunt, Lex oſtenderet. Si enim, cùm & Leges minitentur, & ſcelerum pœnas magiſtratus exigant, adhuc tamen nonnulli ſunt, qui omni fera crudeliores animos contra proximos gerunt, & vt ſcorpij in illos irruunt, vt ſerpentes mordent, vt canes rabidi furiunt, & erga eiuſdem generis conſortes ac ſocios vt aduerſus diuerſi generis animalia leones rugiunt: quid non facerẽt illi, ſi nec leges eſſent, nec vlli magiſtratus pœnas exigerent? Nunc vero audent quidem nonnulli iniquius agere, ijdem tamen illi latere ſtudent, quia leges metuunt & iniuſtitiam ſuam verborum virtute velare conantur. Et qui iniuriam paſſus eſt, intrepide iudicem adit, & iniuriarum actionem inſtituit, atque iniurij in ſe hominis nec potentiam metuit, nec diuitiarum ipſius ſplendorem horret. Sed in forum, ceu in portũ aliquem, feſtinat, iniuriæ ſpecies enumerat, & vt leges in medium adducantur orat, iudicemque, vt ſecundum has ſententiam ferat, precatur. Hic vero calculum ſuum profert, & ereptam domum aut agrum aut ſupellectilem ei, qui iniuriam paſſus eſt, reddi præcipit: ſæpe etiam pecuniariam multam ab eo, qui alteri iniuriam inferre auſus eſt, exigit. Hoc timore & murorum perfoſſores & fures coerciti, non palam, ſed occulte, delicta ſua patrant, & eo ipſo quod latere conantur, timorem ſuũ prædicant: alioqui etenim pugionibus aut gladiis arreptis omnes ſibi obuiam factos iugularent, & illorum opes diriperent. Quoniam vero timent, multi quidem omnino abſtinent: qui vero malitiam patrare audent, vel viarum deſerta inſidioſe obſident, aut noctu in vrbibus nequitiã ſuam exercent, tenebrarum nimirum & ſomni & quietis, qua omnes indulgẽt, auxilio adiuti. Quod ſi autem duo aut tres ex illorum numero deprehenſi ſecundum leges puniantur, illi ſufficiens admodum ad ſalutem exemplum fiunt reliquis, qui vbi ſociorum ſupplicia vident, malitiam, vtpote ſupplicium huiuſmodi matrem, odiunt. Atqui neſcio quo pacto in hæc verba digreſſus ſim, qui ſeruitutis cauſam exponere inſtitueram: quare eò vnde digreſſus redire tempus poſtulat. Quod itaque ſummus ille omnium rerum opifex vnam omnium hominum naturam fecerit, & ex vno viro & vna muliere vniuerſum orbem habitatum hoc hominũ genere complerit, diuina ſcriptura teſtatur. Quicunque enim vel Orientem vel Occidẽtem, vel Auſtrales vel Boreales mundi partes acceperũt, quicunque item medium terrarum orbem inhabitant, vnam obtinent formationis ſpeciem, eundem ſenſoriorum numerum, ſolis moribus & colorum diuerſitate differentes. Mores autem ab ingenio & libera animæ voluntate vel arbitrio effinguntur. Eandem vero apud noſipſos differentiam inuenire licet. Porrò colorum diuerſitatem locorum ſitus inducit. Qui enim à ſolaribus radijs remotiores habitant, corporis ſuperficiem candidiorem habent. Qui vero in Oriente vel Occidente Auſtraliorem poli plagam incolunt, cùm radijs hiſce magis vicini ſint, corporibus nigredinem contrahunt, perinde vt ligna quæ aſsidua ignis inflammatione contacta carbones referre, nigrumque colorem induere conſueuerunt. Proinde vna quidem hominum natura eſt, tam magiſtratuum quàm ſubditorum, tam regum quàm illorum imperio ſubiectorum hominum, ſeruorum item & dominorum. Vna autem hæc & eadem natura Opificis iuſtitiam prædicat. Eadem vero temporis progreſſu in ſeruos & dominos diuiſa, interim vero tam his quàm illis eundem characterem integrum conſeruans, peccatum accuſat, quod iſtiuſmodi conditionem vel neceſsitatem inuexit. Simul autem & hoc loco Creatoris æquitas demonſtratur. Nam vnam illam & eandem ſubſtantiæ conditionem

Seruitutis origo & cauſa.

nem in finem vſq; conſeruauit: confuſionem vero, quæ per peccatum introducta eſt, magiſtratus ordinatione expulit, & illius cupiditatem nimiam legum regula moderatus eſt, perinde vt faber nauium tabulas amuſsi dirigit, & quod in illis ſuperfluum eſt reſecat. Quapropter cùm ſeruitutem vides, nequaquam rerum Opificem accuſabis, quin potius peccatum & blaſphemiæ crimen fugito, propter quæ humanum genus in ſeruilem & herilem conditionem diuiſum eſt. Atqui tu, cùm nauim ſecundis ventorum flatibus ferri, & vectores tutos & quietos ſedere, nautas vero vel remos agere, vel rudentes trahere, vel aliud quippiam eorum quæ iubentur exequi, proræ autem rectorem ſcopulos, ſyrtes & ſaxa obſeruare & gubernatori oſtendere, hunc vero omnibus præeſſe & clauo nauim dirigere vides, ordinem hunc admiraris, nec iubes vt omnes gubernatores ſint, nec omnibus nauis imperium decernis: & dum hos quidem quietos ſedere, illos vero iuſſa exequi, aliumque quod vidit prædicere, illum vero omnibus ſimul præeſſe cernis, nequaquam hoc indignius fers, nec hanc nauis gubernationem ceu inordinatam vituperas, quin potius talem ordinem ſumma admiratione proſequeris. Domos vero nauium inſtar gubernari non vis, ſed inique fers, dum alium quidem totam domum regere, alios autem omnes ab hoc regi cõſpicis. Atqui quod adminiſtrationem attinet, magna admodum inter nauim domumque ſimilitudo eſt. Dominus enim tanquam gubernator aliquis arrepto familiæ clauo omnibus præeſt. Qui vero inter vernas primatum obtinet, cuique aliorum omnium cura cõmiſſa eſt, proræ rectorem imitatus dominum ea docet, quæ illi è re ſua eſſe videntur. In reliqua vero domeſticorum turba, alij quidem tanquam nautæ curis inter ſe diſtributis iuſſa exequuntur, reliqui vero tanquam vectores in medio horum confidẽt, qui & ab illis diriguntur, & illorũ opera ſibi neceſſaria acquirunt. Quid igitur nauim, quę hoc modo gubernatur, collaudas: domũ vero, cui eadem omnino adminiſtrationis ratio cõtigit, vituperare pergis? Ego ſanè te militiæ quoq; rationem probare arbitror, cuius dux ſummus imperator eſt, manipulos autem manipulares duces ſeruant, decenter vero à principibus ducũtur ordines. Centuriones autẽ & Tribuni ab imperatore acceptas teſſeras ipſis tranſmittunt. Et nunc quidẽ in aciem exercitum conſtituunt, nunc vero tranſuerſum, alias etiã in directum ducunt. Fit etiam vt vtroque cornu quàm latiſsime extenſo hoſtes concludant, nec aliquam fugæ copiã permittant, quin ſimul vndique immiſsis telis omnes conficiant prorſus. Atqui nihil horum fieret, niſi exercitus in duces vel principes & milites, qui horum iuſsis obediunt, diuiſus eſſet. Nam quę penes multos eſt rerum agendarum poteſtas in bellis malum omnium nocentiſsimum eſt, quæ exercitũ in partes ſecat, & concordiam diſtrahit. Nam pluribus quidem conſilijs exercitũ ducere conãtur, quibus tamen ille læditur magis quã gubernatur. Quomodo igitur non abſurdũ fuerit, te qui & in naui vnius primatũ laudas, & exercitus ordinem, quem imperatorum leges inſtruunt, probas, domum culpare quæ eodem modo regitur? Sed durũ & amarum eſt (inquiunt) ſeruire, & aſsiduis vexari laboribus, atque pro dominorum arbitrio dimenſum ſuũ accipere. Cęterũ ſi cum veritatis ſtudio ſingula quæ diximus, inſpicere velis contẽtioſis illis valedicens ſermonibus, herilẽ poteſtatem triſtitiæ, ſeruilem autẽ conditionem vtilitatis plenam inuenies. Paterfamilias enim plurimis curis oppugnatur, multũ nimirum cogitans & circunſpiciẽs, vt domeſticis neceſſaria ſuppeditet, regibus conſtitutũ tributum exoluat, vt quæ ex reditibus ſuperflua ſunt expẽdat, ea vero quę ipſi deſunt, coemat. Quod ſi terra agricolas ingrata fefellerit, hominũ ſcilicet erga Creatorẽ ſuũ ingratitudinem imitata, ille mœrore conficitur, creditores circũſpicit, ſcribis nomen dat, & voluntariam ſibi ſeruitutẽ contrahit. Quod ſi eadem fructus protulerit, ſi inquam frugibus tota oneretur & ſegetibus luxuriet, ſi deniq; arborum ramos fructuum copia oneratos deorſum nutare cogat: ille nouis rurſum vrgetur ſtimulis: nam prouentuũ emptores ſolicite quærẽs nullos inuenit, & fertilitatis abundantia ipſi nonnihil fit intolerabilior. Nec interdiu ſolum modo curæ illis obuerſantur, animumq; circunſtipantes affligũt, ſed noctu longe grauius oppugnant. Anima enim externis negotijs liberata quietẽ agens domeſticarum rerũ, ſiue illæ bonæ ſiue malæ ſint, ſenſu acrius tangitur. Seuus aũt corpore ſeruiens animã liberam & omniũ iſtiuſmodi expertem poſsidet. Nec enim ob terrę ſterilitatem dolet, nec venalium vilitatẽ queritur, nec in creditoris conſpectum cum mœrore incidit, nec exactorum petitionẽ formidat, nec foro aſsidere cogitur, nec pręconis vocem, nec iudicẽ terribili ſe vultu oſtentãtem metuit. Dimenſum ſuum iuxta menſuram quidem, ſed omni cura liberum accipit. In ſolo proſtratus dormit, ſed nulla cura ſomnum excutit, quin potius hic dulcis admodũ palpebris ipſius infuſus ſoliduritiem ſentire non permittit. Id ipſum ſapiens quoque iuxta naturæ rationes pronunciauit, Dulcis ſomnus ſerui. Vnica veſte corpus tegit, ſed corporis viribus herum longe ſuperat. Furfuraceo pane vtens nullo alio ad hoc opſonio veſcitur, ſed ſuauius multo quàm ipſe dominus epulatur. Hic etenim ventri aſſidue inſeruiens & ſatietatis limites tranſcendens cibos vrget, ac vi quadam ventri tranſmittit. Hic vero manu dimenſum ſuum metiens & datum chœnicem non modo rite diſtribuens auide & cum appetitu cibum ſumit, verumetiam facilius concoquit, laborem ſcilicet ſibi cooperarium habens. Cæterum tu ſeruitutẽ quidem vides, valetudinem autem corporis integram non vides: & miniſterium

Seruitus vtilis & neceſſaria eſt.

Seruitus herili poteſtate iucundior eſt.

Eccleſ. 5.

miſterium quidem cernis, ſed quod huic ſubeſt ſolatium, non perſpicis: & laborem quidem damnas, vitam vero ſecuram non laudas: ſed & ſeruitium calumnioſe carpis, ſomnum vero illum dulciſsimum nõ animaduertis. Atqui hinc quoq; Dei Prouidentiam videre, & gubernationis ipſius æqualitatem perſpicere oportebat. Quandoquidem enim peccati neceſsitas in herilem & ſeruilem conditionem humanum genus diuiſit, illis quidem cum imperio curas quoque coniunxit, & vigiliarum moleſtiam tradidit, ſed & morbos in illos plures effudit: his vero corporum valetudinem præſtantiorem, & ſuauiorem cibi eſum, ſomnum item dulciorem longioremque, qui corpus à laboribus recreet, & illud ipſum ad craſtini diei labores robuſtius reddat, conceſsit. Quapropter, non labores duntaxat, ſed etiam laborum ſolatia inſpice, & communem omnium gubernatorem hymnis celebra. Quid vero labores carpis, ò calumniator leuiſsime? Et quodnam ex omnibus, quæ homini contingunt, bonis citra laborem recte peragitur? Quam felicitatem hominum natura citra laborem percipit? Agriculturę bonis, nempe prouentuum fructibus, per labores fruimur. Vrbes ædificamus cum labore eas extruentes. Labore duce domus incolimus, veſte corpus velamus, calceamenta pedibus inducimus, & cibos omniuarios proferimus. Et quid attinet omnes rerum neceſſarios vſus exponere, quorum vtilitas nobis per labores cõſtat? Sed fucus quidam otio innutritus eſſe videris, qui ex alienis laboribus fructus percipis, ipſe vero nihil, præter ſolam linguam, quæ omnia carpere nouit, ad communem vitam confers. Atqui garrulitatem hanc nimiam otij abundantia peperit. Qui enim laboribus dat operã, pauca quidem loquitur, plurima autem opera peragit. Cùm itaque per labores ſingula bona recte riteque perficiantur, nequaquam, ò amice, ꝓpter labores ſeruitutẽ vituperaueris. Quin potius vide, vt plures domini non minus quã ſerui laborẽt, imò multo magis, ſi curas quoque illorum laboribus adnumeraueris. Et tu quidem eos, qui nunc induſtrij habentur, inſpice: ego autem veteres illos, qui plus quàm ſerui laborauerunt, demõſtrabo. Noam quippe illum beatum ſpectato, qui & ligna ſecat, & eadem aſcia dolat, & ad angulos rectos exæquat, arcam quemadmodum iuſſus erat ex lignis quadratis extruit, clauis compages conſtringit, hoc denique modo totam illam ędificat, bitumine ſimul & pice illinit, & aquarũ influxum hiſce arcet. Præterea illum Abrahamum, octodecim & trecentorũ vernarum dominum, ipſum opus aggredi, hoſpitibus miniſtrare, ad armenta currere, vitulum attrahere, vxorem ad panes conficiendos vrgere, & eandem illam ſimiliter farinam ſubigere, ſubcinericios panes coquere, nec ancillis miniſterium hoc iniungere, ipſum vero admirandum illum ſenem hoſpitibus aſtare, & ad menſam quidem non accumbere, eius vero miniſterium omne exequi, contemplator. Similiter Rebeccam, Bathuelis filiã, Nachoris neptem, nubilem iam & forma pręſtantem vide: quæ nequaquam in thalamis purpurata deſidere ſuſtinet, ſed aquas geſtat, & ad fontem extra vrbem excurrit: nec ignem modo domum defert, ſed & hoſpitibus officium præſtat: quę (inquam) & aquas haurit, & tam ipſis quàm camelis affert, & pulchrum illud continentię donum incolume cuſtodit, & virginitatem illibatam conſeruat, interim vero laboribus omni alacritate ſtudet, his potius conſpicua eſſe, quàm formæ dono ſplendere deſiderans. Inter hos eiuſdem filius, eiuſdem (inquam) filius, magnus ille Iacob, viginti annos tranſegit, quibus & greges pauit, & cum feris colluctatus eſt, æſtuſque moleſtias ſuſtinuit: qui ſomno ſaturari ne noctu quidem potuit. Simul autem eiuſdem vxores, propter quas labores hoſce perpeſſus eſt, oues pauiſſe in hiſtorijs legimus. Sed & huius filij paſtores ac operarij fuerunt, multiuarium ſeruorum laborem ſuſtinentes. Ad hæc diuiniſsimus Moſes quadraginta vitæ annos hoc modo abſoluit. Et huius coniunx, cùm ſacerdotis filia eſſet, oues pauit, & ab improbis paſtoribus huius auxilio liberata, ipſi matrimonio iuncta eſt. Atqui ſuperuacaneum foret ſermonem longius extendere, omneſque eos è ſacra ſcriptura producere, qui per labores vitæ huius ſtadium emenſi ſunt. Quod ſi ergo non ſeruorum modo, ſed & dominorum proprium eſt laborare, quam ob cauſam ſeruitutem propter labores accuſas? Serui enim ipſos heros laborum ſocios habent, ipſi vero dominorum curis minime participant. Quod ſi autem labor quidem ſeruorum & dominorum communis eſt, cura autem dominorum propria, qua ratione mouebimur, ne beatos iudicemus eos qui à curis liberi ſunt, ſed eoſdem miſerorum numero aſcribimus? Quoniam itaque etiam hinc ſummi illius omnium rerum gubernatoris prouidentia demonſtrata eſt, agedum ſingula, quæ dicta ſunt, in vnum collecta ſummatim repetemus, & clariorem faciemus illorum conſiderationem. Demonſtratum ergo eſt, vt vnam ab initio naturam Creator condiderit, & eandem ratione libera dignatus ſit. Deinde, quod hæc libero mentis arbitrio minime vſa in peius declinarit, & in infinitas delictorum ſpecies impegerit. Legibus ergo peccati impetum refrenare oportebat, hæ vero legiſlatores poſtulabant. Vnde neceſſario humanum genus bifariam diuiſum eſt, & hi quidem vt imperarent, alij vero vt magiſtratibus obedirent ordinati ſunt, vt ſcilicet Legum metus & magiſtratuum timor nimium peccati curſum vel progreſsionem ſiſteret. Ciuitatibus ergo principes, vicis vero gubernatores, exercitibus imperatores, vtriſque autem Leges, naui nauclerus, athletis pædotribæ præſunt: pueris etiam literator, ſuis quoque diſcipulis coriarius, ſimiliter & faber ferrarius, ijs qui ab ipſo artem perdiſcere volunt. Quapropter domui quoque paterfamilias præ-

Labores neceſsarij ſunt.

Gen. 6.

Gen. 14. & 18.

Gen. 28. 29. & 30.

Gen. 42.

Act. 7.

lias præest. Nec enim fieri potest, vt domus aliqua sine patrefamilias salua sit & incolumis: quod hæ ipsæ testantur, quæ cùm his destituuntur, tantum non prorsus desolatæ videntur. Simile imperium vel primatum angelorum quoque populi habent. Nam quod supra caput nostrum est Cœlum, non angelos modo, verumetiam archangelos habere incolas, è sacris scripturis didicimus. Et hi quidem præsunt, illi vero obediunt: atqui illi eum, qui omnis iniquitatis expers est, locum inhabitant. Ad hæc angelorum natura, quæ vt corporum conditione præstat, ita affectibus quoque cunctis superior est, hunc ordinem nequaquam detrectat: sed hi quidem obedienter parent, illi vero rite & decenter imperant vel præsunt. Quid ergo stomacheris ò homo cùm inter homines, vbi plurima est ad malum propensio, & magistratuum potestatem & huic parentes subditos esse vides? Magistratuum enim gubernationem, tanquam pharmacum quoddam depulsorium peccati hulceribus rerum Creator imposuit. Præterea pater liberis imperat, & eosdem petulantius viuentes corrigit, & modestiæ studiosos collaudat. Pueris item præceptor est, & vir coniugi, & seruis paterfamilias, qui reliquis obedientiores magisque industrios probat, & honoribus, imò libertate sæpius dignos iudicat: ignauos vero & improbos castigat, & honestis præceptis instituit. Eundem ordinem inter sacerdotes quoque communis omnium Deus esse voluit: & hos quidem sacerdotio dignos iudicauit, alijs vero horum imperium concredidit, quin alios quoque his inferiores ordines aut classes instituit. Quod si vero dominos aliquos nimium crudeles & insolentes admodum esse, similiter & magistratus aliquot ius muneribus vendere videns offenderis, & ideo mihi contradictorium quiddam parturis, ego prauum illum mentis fœtũ præripiens dico, quod istiusmodi hominibus non Deus imperium commiserit, sed subditorum nequitia horum imperium sibijsi contraxit. Cùm enim non aliquem fructum ab ijs, qui bene & honeste rempublicam administrauerunt, percipere voluerint, sed improbissimis suis moribus omnẽ illorum disciplinam contumeliose tractarint, diuina cura seipsos spoliauerunt. Deinde huius consilijs & gubernatione destituti, istiusmodi duces & principes receperunt, vt peiores experti meliorum recordarentur, & illorum honestam bonamque disciplinam in memoriam reuocarent. Sed & Deum illum summum propter immensam hominum malitiam & improbitatem habenas sæpius laxare inuenimus, & vt humanum genus pro suo feratur arbitrio, permittere. Id ipsum nos per prophetã docens ad Israelem dixit: Et dixi, Non pascã vos: quod moritur moriatur, & quod perit pereat, & ex reliquis deuoret vnusquisque carnem proximi sui. Cùm ergo magistratus improbi rebus præsident, & heri immanes ac diri domus gubernant, summo illi rerum gubernatori supplices nos fieri oportet, & vitæ conuersione morumq; mutatione placidiorem efficere, ac in auxilium nobis excitare, feruentibusque precibus, vt temporis difficultatem in melius trãsmutet, insistere. Quod enim ipse, qui bonus est, & misereri naturaliter nouit, imò misericordiæ fons est, eos, qui ex syncera mente profectis precibus ipsi occurrunt, exaudire facilis velit, ipse testis est, qui supplicantibus auxilium suum pollicetur hæc dicens: Quoniam tu vocabis, ego vero te exaudiam: adhuc loquente te, dicam: Ecce adsum. Quod vero nec ij quoq;, qui iniquissimi sunt, & impietate sua omnes opprimere conantur, eos lædere possint, qui ratione sana vtuntur, & pietatis studiosi cultores sunt, in sequenti sermone, Deo adiuuante, demonstrabimus. Nunc autem eum, qui publica & priuata munera hominibus largitus est, & infinitis quodammodo bonis genus nostrũ affudit, decantemus. Ipsi sit gloria in æternũ, Amen.

Heri & magistratus inqui.

Esa. 65.

SERMO VIII.

Quod hi qui sanæ & bonæ mentis sunt, nihil ex eo lædantur, quod prauis dominis seruiant.

ON equidem me latet magnis admodum tam linguæ quàm ingenij viribus illi opus esse, qui tantum orationis argumentum suscipere instituit: quoniam ita ferè natura comparatum est, vt in verbis rerum maiestas periclitetur. Iuxta horum etenim infirmitatem vel vim de rebus iudicare consueuerunt, qui non rerum naturam, sed verborum potius vim obseruant. Ego vero argumenti viribus confisus, mentis conceptus, verba nequaquam iuxta hoc metiri volui, nec huius paruos & exiles partus expendi: sed eò dũtaxat respexi, vbi veritatis lux ijs qui ipsam videre cupiunt, manifesta est, quemadmodum & Sol ijs, quorum oculi integri & sani sunt. Et sanè licet nemo defendat, clamat tamen ipsa Creatoris & saluatoris nostri prouidentia. Nihil ergo absurdum vel reprehensione dignum me facturum putaui, si linguæ meæ officium huius quæ vndique personat voci præstarem, ipsamque obturatis ingratorum hominum insonarem auribus. Atqui paupertatem & opulentiam vitæ nostræ necessariam & vtilem esse, tum seruitutem & herilem potestatem ceu pharmaca quædam peccati hulceribus animarum medicum imposuisse, abunde satis, diuinæ gratiæ beneficio adiuti, demonstrauimus. Quod autem seruitus ijs, qui huius iugo subiacent, nihil damni afferat, quin potius ijs qui volunt plurimum prosit, mox Deo sic volente demonstrabitur: hoc enim nos dicturos esse, heri promisimus. Atqui poterit quis, siquidem velit, etiam omissis veterum exemplis, conseruos examinare, & multos virtutis studiosos cernere, qui

Serui ingenui.

qui seruitutem beneuole & prompte obeunt, nec vlla necessitate compulsi ex animo quod decet faciunt, & dominorum curam sponte capessunt: quos ideo etiam libertate donari, & opum maximarum dominos fieri, ac fideliter peractæ seruitutis præmia percipere videmus. Non tamen ab instituto nostro alienum fuerit, quosdam eorum, qui olim seruierunt, in medium producere, & pietatis thesaurum detegere, quem illi congregauerunt, ad eos reprehendendos, qui seruitutem vituperare conantur, & hanc maioris blasphemiæ causam faciunt, dum hinc contra Dei prouidentiam iacula emittere audent. Primus ergo omnium prodeat primarius ille Abrahami patriarchæ famulus. Hic etenim cùm senio iam correptus patriarcha, ac naturæ terminum vitæque finem (senectus enim mortis præludium est) coràm cernens, de filio ipsi mandaret, & veterum promissionum verbis confisus illi è propria aut paterna gente vxorem adducere, & Chananæorum cognationem fugere hortaretur: tunc ille, inquam, admiratione dignus famulus, primo quidem diligenter singula heri verba examinat, & iuramenti, quo obstrictus erat, religionem metuens, summumque illum omnium inspectorem oculum reueritus, primo num filiũ mulieri profectionem detrectante ad patrium solum reducere debeat, quærit. Cumque id negaret Abraham, & puerum nõ abducendum, quin potius Deo, qui ipsum vocauerat, confidendum, & illius gubernationi credendum esse diceret: soluit quidem ex herili domo famulus, & multas stationes emensus, tandem sub seram vesperam ad Charras peruenit: vbi camelos quidem recumbere finit, quiete nimirũ illorum laboribus mederi volens: ipse vero donis, quæ secum ferebat, & omni diuitiarum splendori longum valere renuncians, manibus in cœlum extensis Deo supplicat, vt is herili filio pronubus esse, & illi puellam, quę heri moribus conueniat, despondere dignetur. Dignum vero est, vt hæc supplicis verba audiamus: Domine, inquit, domini mei Abraham, ecce ego sto ad fontem aquæ: filiæ autem habitatorum vrbis egredientur ad hauriendum aquas: & erit virgo, cui dixero, Declina hydriam tuam vt bibam, & dixerit mihi, Bibe, quin & camelis tuis hauriam donec biberint: hanc præparauisti seruo tuo Isaac. Et in hoc cognoscam quod feceris misericordiam domino meo Abraham. Et quis non ob pietatem hanc virum admiretur? Quin potius quis singula, quæ dixit, digne collaudet? Precationem enim videre est, fide simul & sapientia & pietate ornatam. Quod enim omnibus alijs renunciat, & profectionis causam diuinæ prouidentiæ committit, quis non & pietatis & supernæ sapientiæ opus esse dicat? Quod vero domini sui iustitiæ confidit, & eum, qui communis omnium Deus est, huius Deum vocat, & propter hunc preces lætum finem accepturas, & petitionem ratã fore sperat, num aliquem fidei excellentissimũ gradum sub se relinquit? Quod vero ijs quæ petijt potitus est, Dei amicũ fuisse demonstrat. Nec enim tam facile ijs potiri potuisset, nisi in largitorem fuisset gratissimus. Gratitudinem vero hanc animæ virtus elaborauit. Atqui hunc statim voti compotem factum esse, docet historia. Priusquam enim finirentur preces, Rebecca aduenit, & hospitalitatis signum exhibuit. Nam cùm pauxillum aquæ ab ipsa peteretur, se omnes camelos adaquaturam esse promittit: quin non sine labore aquam hauriens iumentorum simul & hominum sitim restinguit: quo facto & fortitudinis & humanitatis specimen præbens, eius puellæ, quam precationis verba depinxerant, exemplum plene expressit, & se Abrahamica domo dignam demonstrauit, vtpote quæ mentem hospitali socero optime conuenientem possideat. Hæc enim fidelis ille famulus petierat: non formam, non corporis staturam, non genarum florem, non oculorum venustatẽ, non elegantes superciliorum lineas, non generis splendorem, non diuitiarum abundantiam: sed mentem hospitalẽ, mores placidos, mansuetam & modestam facundiam, æquum & humanum animi habitum, & herili domo dignum, quæ ad omnem hospitum aduentum patebat, varias excipiebat hominum formas, & omnibus, prout commodum erat, ministrabat. Hæc perijt, hæc accepit. Nec statim nullo adhibito examine vel iudicio arripuit, sed singula eorum quę fiebant, expendens, videre volebat, num Dominus prosperauisset viam ipsius, seu minus. Postquam vero signa quæ petierat, vidit omnia, ne tunc quidem ante gratiarum actionẽ desponsationis symbola dedit, nec voluptate victus largitoris oblitus est. Sed donum coràm videns, se doni quoque largitorem videre credidit, & prius pro virili ipsum collaudauit, deinde hoc modo munus oblatum suscepit. Sciscitatus enim quæ esset, & quibus progenita parentibus, cũ & Bathuelis filiam esse, & diuersorium pabulumque camelis sufficiens habere cognouisset, illico adorauit, & dixit: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non dereliquit iustitiam suam & veritatem à domino meo, & me prospera via deduxit in domum fratris domini mei. Postquam enim plura quàm postulauerat accepit (nec enim potum solummodo puella dederat, verumetiam hospitium vltrò pollicita erat, cibumque tam ipsi quàm camelis se exhibituram esse promiserat, sed & cognationẽ omnem, quod non petierat, vnà cum ijs quæ interrogarat, expositam cognouit) quantis potuit laudibus beneficij huius authori gratias retulit, & diuinis promissionibus veritatis testimonium tulit. Benedictus enim, inquit, Dominus Deus domini mei Abraham. Iustus equidem (ait) existis, qui plurimam & magnam piorum curam geris, & tuum promptissimum seruum, meum videlicet benignum dominum, omni cura dignaris. Veritatem vero verborum tuorum res ipsæ prædicant. In liberis enim promissiones

Gen. 24.

missiones confirmas, quas domino meo dedisti. Et postquam hoc modo munificentissimum Deum celebrauit, puellæ despõsationis symbola offert. Et aures quidem, vtpote quæ hospitum petitiones facile excipiebant, auro exornat: similiter & manus, vtpote animæ magnanimitati pulchre subseruientes, eodem vestit. Postquam autem domum ingressus parentes illius vidit, & domini sui mandata exposuit, Dei item auxilium presens sensit, & seipsum humaniter & studiose (vtpote notum iam) tractari conspexit, num domini sui oblitus est, & à curis stimulatus dominum neglexit? Num propriam quietem & otium seruitio, quod illi debebatur, prætulit? Nequaquam. Sed cùm & pater & mater virginis, tum ille etiam, qui omnium dolorum cum his particeps fuerat, illum vt maneret enixe rogarent, vt puella mox peregre abitura paucis duntaxat diebus frui possent, sic dixit: Ne detineatis me: quoniam Dominus prosperam fecit viam meam. Dimitte me, vt abeam ad dominum meum. Et sermones suos vbique diuini nominis mentione exornat, & bonorum largitionem inde trahit, atque ea quæ in se erant, ad illius prouidentiam refert. Quid hunc, dic mihi, læsit seruitus? Et quisnam eorum, qui in libertate enutriti sunt, & liberis parentibus gloriantur, tam eximium de se virtutis specimen præbuit? Quem (inquam) hic summæ pietatis gradum non attigit? Porrò dicet fortasse aliquis eorum, qui calumnias texere, & optima quæque reprehendere norunt, quod heri sui philosophia hunc à pueris sic instituerit, & quod in hunc ceu speculum quoddam respiciẽs inde virtutis characteres contraxerit. Quibus vero mali sunt domini, inquiunt, ij sui quoque exemplaris formã exprimunt, & malitiæ primordijs inde desumptis, malitiæ & iniquitatis operarij fiunt, dum in seipsis doctores quoq; suos exprimũt. Sed agedum horum mendacium arguemus, & tam virtutis quàm malitiæ possessionem nostri arbitrij esse, famulumque, si in malitia vitam suam transigere nolit, nullis mali domini exemplis aut viribus cogi posse demonstrabimus. In medium vero producatur diuinissimus Ioseph, mulieris istius nepos & Abrahami patriarchæ pronepos, qui in vere, in vigore, in temporis parte vegetissima (nam anni partium vegetissima ver est) qui, inquam, in vere ætatis & in temporis flore, corporis quidem formam splendidam, animam vero longe splẽdidiorem habuit. Patri autem charissimus & vnice dilectus fuit, non modo quod in senecta natus esset, sed quod & moribus illius maxime conueniens patriæ virtutis esset effigies. Hic postquam somnia illa vidit, & audiẽtibus fratribus patri narrauit, mox ab inuidia oppugnatur, & conuitiorum telis, quæ illa pepererat, petitur. Non multo pòst autem, vt ad se venientem puerum conspicati sunt, qui somniorum felices pollicitationes minùs ferre poterant, vt feræ in agnum, qui à grege separatus pastoris ope destituitur, irruunt, & nec patris canos reueriti, nec eiusdem senectutem puero hoc ceu scipione suffultam miserti, nec naturæ legem, nec cognationis ius, nec eandem illam fraternitatis radicem, nec ætatem teneram & omnis malitiæ expertem, nec inuitum (vtpote in somnis oblatum & quauis tunc vmbra incertius) imperium respicientes, tunc quidem ipsum perimere, manusque fraterno maculare sanguine conati sunt. At cùm Ruben cædem detrectaret, & tantæ infamię notã effugere hortaretur, ipsum in cisterna quadam paulisper absconditum, paulò pòst Ismaelitis mercatoribus vendunt, & venditione cædem mitigant, cùm in somnis regnantem ne aspectu quidẽ dignari possent. Tales ergo pro somnijs pœnas exoluens Ioseph, in Aegyptum deducitur, vbi secundo venditus Putiphari (qui regiorum coquorum princeps erat) traditur. Sed in ea quoque conditione agens patriam libertatẽ custodiuit, & maiorũ nobilitatẽ retinuit, nec animũ tempore conuertit, nec morũ alteratio calamitates hasce secuta est, nec mentis voluntatẽ vel arbitriũ instar coloris mutauit. Sed licet vitæ conditionẽ subijisset aliã, & ex libertate in seruitutẽ esset prolapsus, pristinæ tamen sententiæ firmiter inhæsit, & in omnibus tam dictis quàm factis suis pudorem fronti prælucentem habuit. Quapropter mox omni honore dignus iudicatur, & herilis domus administrationem suæ commissam fidei regit. Et heris quidem beneuolentiam, conseruis autem æquitatem sedulo præstat. Ad hæc erga eos, qui honore illum donauerãt, gratus existens, eorum quoque conuenientem curã gerebat, qui ipsius consilio regẽdi erant. Vnde tam his quã illis charus habebatur. Gratiam enim virtuti suę respondentem diuinitus acceperat, imò multiuarios potius laborũ fructus percipiebat. Quamobrem quæcunq; faciebat, Dominus prospera reddebat in manibus ipsius. Cæterum mox inde alia illum tempestas excepit, & seruitutis fluctum alia difficilior procella secuta est: & hic quidem illum deseruit fluctus, ille vero apprehẽdit. Interim per tantas fluctuum ventorumque procellas iter faciens nauim ab omni fluctuum inundatione liberam conseruauit. Iuuenis enim, vt modo dictum est, erat ætatis vigore splendens, & ceu flos quispiam è calycibus aut folliculis primum prominens, cuius genas prima lanugo obrepens, & coronæ instar ambiens vestiebat, & facies formæ splendorem decore mixtum, ac ingenuitate temperatum emittens pudorem fronti, suadelam labijs insidentem gestabat. Hæc quotidie videns hera, cùm inde vtilitatem aliquã haurire deberet, in intemperantiæ foueam incidit. Vbi vero per aspectus materiã concupiscentiæ flãma intrinsecus in altum excitata est, nec ratio scintillam statim extinxit, ignẽ qui postea in immensum excreuerat nõ amplius extinguere potuit. Tũc impudentiã conatus sui sociã assumẽs, iuuenem verbis irretire tentauit. Vbi aũt quouis reti fortior fuit fera hæc, & fixam sibi retium indaginem

Ioseph.

Gen. 37.

daginem facile transilijt, ac sermones quos non sine obtestationibus meretricios & voluptatum illecebris coloratos protulerat, irriti & inutiles abierunt, tunc verbis valere nuncians ipsa re negotium experiri studet. Et thalami solitudinem in facti auxilium arripiens, iuuenem, quem affectuum seruum non dominum putabat, corripit. Hic vero hominum absentia non confisus est, sed Dei vbique præsentem oculum contemplabatur. Et nec seruilem conditionem animo suo voluit, nec illius imperium timuit, nec calamitatis quam sustinebat atrocitatem expendens affectibus habenas laxare voluit, quasi videlicet neminem esse putaret, qui res humanas inspiciat, & iniuste agentes puniat. Sed seruituti & herili potestati, vitæ mutationi, concupiscentiæ viribus, ætatis ardori, sermonibus persuasorijs & nugacibus, quos seruo adhibebat domina, accusatorum absentiæ, calumniæ item quæ expectanda erat, alijsque innumeris, quæ enasci poterant calamitatibus rationem opposuit. Et primo seruitutis legibus longum valere renuncians consiliarij & doctoris officium subit, & temperantiæ patronus ac intemperantiæ accusator fit. Ad hæc iuuenis seniori, heræ seruus, nuptæ item (quæ concupiscentiæ ardorem legitimo thoro explere poterat) celebs adhuc, sed grauibus iam concupiscentiæ incursionibus exercitatus, admonitionem de temperantia institutam adhibet. Dignum vero est, vt hæc quoque sanctissima casti illius iuuenis verba audiamus. Si dominus meus, inquit, nihil scit propter me in domo sua, & quæcunque habet in meas manus tradidit, & nihil est in domo hac quod à me excipitur præter te, eo quod vxor illius sis, quo pacto faciam rem istam nefariam? peccabo coram Deo. Non vides, inquit, quem ipse video. Nam tu quidem affectibus ebria es, ego vero ebrietatem illam non admisi, qui totius huius machinæ gubernatorem video, qui singula quæ fiunt perspicit. Nec enim huius oculi ãciem ab ijs, quæ inspicere vult, vel tectum, vel murus, vel occlusæ fores prohibent, nec etiam noctis tenebræ illius visum impediunt. Hic mentis quoque cogitationes probe intelligit, & animo adhuc conceptos sermones priusquam edantur exacte perspicit. Hunc ego videns timore & metu tangor, & matrimonium, generis nostri fontem, & viẹ ad vitam hanc deducentis ianuam, violare non ausim: cuius beneficium est quod humanum genus non deficit, quod idem naturam hanc morte aboleri non permittit, sed plantatione sua secantis manum vincit, & germinatione metentis falcem superat: quod verni temporis naturam imitatur, quod post eam quæ hyeme facta est prædationem apparens, quę per hyemem spoliata & exuta sunt, denuo vestit. Iugum subijsti, ò hera. Iugum ergo studiose ama. Lora ne disrumpas, nec ea quæ foris sunt respice, sed coniugi adhærere studeto. Vt cum illo agriculturæ aratrum trahas, destinata es. Connubiales leges & naturę terminos ne dehonestes, nec thorum à Deo honoratum contumelia afficito. Vt in alios dominium obtineas ordinata es, ne ergo voluptatum seruam te facias, nec herilis potestatis iusiurandum tam nefaria seruitute violes, nec seruiles concupiscentias animæ dominas constitue: ordinem ne inuertas, rationis imperium ne auferas, nec affectibus habenas tradito. Ego sanè te quoque affectu hoc liberari cupio. Quod si non parueris, nec ab ebrietate hac liberari vis, ego tamen aliquid hic iniquius agere vel peccare nolo. Corpore enim, non anima, seruus factus sum. Sed aliàs quoque nefariæ rei iniustitiam abominor. Cumq; multa vobis, ò hera, beneficia debeam, nunquam certe herum contrarijs remunerare sustinebo. Nam cùm pecunia emptus sim, domi vestræ natis prælatus sum: & qui heri vel paulò antè domum hanc sum ingressus, nunc omnium administrationem suscepi. Me omnium, quæ in domo sunt, curatorem dominus constituit, & nuper emptum nouitiumque seruulum omnibus præesse iussit. Te solam, matrimonij leges reueritus, intra sui iuris limites consistere voluit. Quibus ergo oculis tanti honoris authorem aspiciam, si hanc illi gratiam retulero? Abominabilis, ò hera, est acceptæ gratiæ obliuio & beneficiorum immemor animus. Grauior autem his, imò longe grauissima est iniustitia, & ea cum primis, quæ aduersus benefactorem committitur. Heri opes & bona custodire non suffurari iussus sum. Minime igitur prædonem pro fideli custode me effici patiar. Quæ à mei officij iure excepta sunt, non tango: nec Adamum progenitorem imitor, qui cùm omnium plantarum & arborum potestatem accepisset, in eam tamen manum extendit, quæ sui iuris & dominij non erat, & dum vnicam illam appetit, ab omnibus simul excidit. Huiusmodi verbis seruus ille apud malam illam heram perorauit. Nec illi vel seruitus vel heræ malitia aliquid damni attulit: quin potius ipsum tanquam aurum aut gemmam aliquam splendidiorem exhibuit. Postquam vero dicendo non persuasit, & vi petitus aufugit, pallioque abiecto nudus exilijt, solo temperantiæ vel castitatis velamento amictus (nec enim vt Adam post transgressionem pudore suffusus est, sed qualiter hic ante delictum circa corporis nuditatem affectus fuit, taliter hic quoque affectus exiuit) tunc illa quidẽ calumnias molitur, viro persuadet, & castitatis insidiatorem vocat, qui eius defensor fuerat. Hic vero heri sententiam tacitus suscipit, nec heræ improbitatem prodere cupit: quin potius calumniam silentio confirmare mauult, quàm insidiarum tragœdiam omnem exponere, & heræ intemperantiam palam arguere. Consilium enim, quod decebat, adhibuerat. Sed quasi indicta causa damnatus, nec iudici præsens, nec accusationem audiens, latam contra se sententiam suscepit, carcerem incoluit, & cum maleficis vinctus est: omnia tamen aduersa generoso animo sustinuit. Nam assidua illa & alternis

Gen. 39.

alternis se vicibus excipiens variarum calamitatum tempestas, nec animę institutum abstulit, nec fortitudinem eius in timiditatem conuertit. Tanta autem in aduersis quoque lætitia & consolatione instructus fuit, vt & alijs vinctis solatio esset, & si quando animo dolentes videbat, consolatione sedula recrearet. Ferè enim animæ affectio vultu proditur, & animi motibus non modo faciei color, sed & oculorum motus & superciliorum contractio remissioque respondent. Et iræ quidem insolentiam oculorum terribilis visus notat, eiusdem vero gratiosam remissionem palpebrarum rugæ risum simulantes arguunt: curas autem superciliorum in medio coitus prodit, & eorundem in altum reflexus fastum ostendit. Quoniam ergo plerique animæ motus in vultu prodi consueuerunt, admirabilis ille athleta vultus mutationibus, tanquam quibusdam animæ nuntijs vsus, tristes consolari satagebat. Et cùm aliquando duos regios famulos mœstos videret, pincernarum nempe & pistorum principes (propter commissa enim facinora illic detinebantur) ambos accedit, interrogat & tristitiæ causam inquirit, ipse tantis calamitatum vndis obrutus, pronepos quidem Abrahæ, Isaaci autem nepos & Iacobi filius, qui illi vnicè dilectus, instar luminis habitus, vnica lætitiæ causa fuerat: nunc autem seruus factus tantam calamitatem passus erat, non quidem à feris barbaris bello captus, sed fratrum inuidia in seruitutem venditus, qui illum nullius sceleris conuicerant, sed sola insomnia inimicitiæ suæ causam & occasionem arripuerant: qui denique nihil horum expenderant, nec seruitutem consequentia incommoda, nec de temperantia habitos sermones, nec damnationem post victoriam, nec pœnam pro coronis impositam, nec carcerẽ pro laudis præconio redditum. Ille (inquam) alios animi dolore confectos consolaturus accedit, & concaptiuos suos interrogat dicens: Quid
Gen. 40. quod vultus vestri tetrici sunt hodie? Cumque illi se insomnia vidisse, & interpretationis ignorantia animo turbari dicerent: non in miserabilem luctum diuinus ille vir erupit, vbi somniorum mentio facta est, nec propriæ calamitatis & infortunij recordatus plorauit, nec ignobiles emisit lachrymas, nec eiulauit, nec affectuum tragœdiam in medium produxit: sed etiam nec immensum risit postquam de somnijs illi dixerunt, quorum mendacium & vanitatem antea manifeste perspexerat, nec captiuis dixit: Ignoratis, vt videtur, ò amici, quæ sit somniorum vanitas, & horum dolos ante hac (quantum conijcio) non experti illorum interpretationem desideratis: ego autem experientia magistra edoctus vos hæc ridere iubeo: nihil enim veri illa prædicant, sed omnia veritati contraria nunciare solent. Olim equidem somnijs fidem habens, me fratribus imperaturum, & paternæ domus principem futurum speraui, at non modo imperium non assecutus, verumetiam libertate spoliatus in miseram seruitutem redactus sum. Et nec seruus quidem secundis fortunæ flatibus vectus sum, sed & illic infinitis implicitus infortunij procellis carcerem inhabitare cogor. Nequaquam ergo vos nocturnæ phantasiæ obturbent. Insomniorum genus à veritate alienissimum est. Nihil horum dixit Ioseph, imò ne cogitauit generosus ille vir, quin sic ait illis: Nónne per Deum horum manifestatio est? Annunciate ergo mihi. Et vbique Dei nomen circunfert, & hoc animam simul atque sermones suos exornat. Ac cùm interpretationem Dei esse dicit, aliquid in hac audet, vt qui se diuinum quoddam adytum parauerat: Ipse vero interpretabatur, & quæ ænigmatis speciem præ se ferebant ac obscuriora erant, explicabat. Postquam vero interpretationem absoluit, pincernæ dicit: Cæterum memento mei, cùm bene tibi erit: quoniam furto sublatus sum de terra Hebræorum: & hic nihil mali commisi, & in lacum domus huius coniecerunt me. Et nec ipsa necessitate iubente fratrum malitiam detegit, sed furti prætextum infert, ac in eos qui ipsum seruitutis iugo subiecerant, ne verbo quidem stomachari studet, sed ingenito sibi pudore iniustitiam ipsorum tegit: nec fratres solummodo accusare non vult, sed nec heræ suæ nequitiam ignaris huius manifestauit: & cùm tantam illius petulantiam, lasciuiam, mendacium, calumnias ac insidias probe perspectas haberet, nihil quidem horum in medium adduxit, sed simplicem duntaxat sui excusationem protulit. Quoniam furtim (inquit) raptus sum de terra Hebræorum, & hic nihil mali feci, & coniecerunt me in lacum carceris huius. Inspice verborum philosophiam: inspice mentis magnanimitatem. Inspice liberam & imperterritam sapientiam. Inspice animã semper sibi similem, quæ nec prosperitate effertur, nec infortunijs deijcitur: sed omnia simul tam tristia quàm iucunda vitæ huius deridet, solam vero virtutem miratur, & hanc exequi studet. Quid ergo abominabilis illi nocuit heræ improbitas? Quid illũ eiusdẽ nequitia læsit? Minime ergo pronuncies dominorum iniquitatem seruis nocere. Nam fieri potest, vt qui malis heris seruit, malitiæ imitationẽ pro virili effugiat. Vt vero intelligas nec herilẽ potestatem malitiæ magistrã, nec diuitias vitiorum authores esse, illum ipsum manumissum iam, & secundũ à rege factum inspice: qui throni maiestate non effertur, sed principatũ mansuetudine temperat, & imperium non nisi curam esse docet. Qui, inquam, fratres mortem sibi Gen. 42.
molitos coràm videt, non tamen interficit, & somniorum quidem recordatur, inuidiæ autem inde exortę obliuiscitur. Fames enim fratres in Aegyptũ traxit, & necessitas quẽ ignorabãt adorare coegit: tunc illorũ conatibus oppugnata insomnia per eosdem insidiatores impleta sunt. Quiq; fratrem propter somnia vendiderant, ne ipsum aliquando, vt somnijs prædictum erat, adorarent, venditione sua

adoratio-

adorationem promouerunt. Venditus enim seruiuit. Seruum agens calumniam sustinuit. Calumnijs accusatus carcerem inhabitauit. In carcere detentus aulicis somnia exposuit. Hinc regi notus fit, quem somnijs turbatum omni cura liberat. Cumq́ue ea euidenter interpretatus esset, & quod faciũdum erat consuluisset, eorum quæ cõsuluerat administrator electus est. Ibi frugum abundantia futuram terræ sterilitatem temperat, & fertilitatem in famis remedium reseruat: & non Aegyptiorum modo, sed & fratrũ nutritor fit, qui ipsum alijs deuorandum propinauerant. Verè itaque illum adorant, quos somniorum inuidia exagitauerat, quique in somnis factam adorationem admittere noluerant, veram adorationem perficiũt. Hic vero adorari quidem se patitur, fratribus autem non paria refert, sed alit, curat & frumentum gratis largitur. Postremo vterinum fratrem conspicatus, & insidiarum fabulam texens, vbi illos pro puero decertare, & vetuli patris salutem proprię libertati preferre vidit, deposita quã sumpserat persona, omnibusq; prætorio exire iussis,
Gen. 45. Ego (inquit) sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Aegyptum. Et ne subito timore perculsi apoplexiæ discrimen subirent, mox infert: Et nũc ne timeatis, nec id vobis durum videatur, in vitam enim misit me Deus ante vos. Quia enim illos omni excusatione destitutos, & linguam ipsorum peccati conscientia astrictam nouerat, ipse infinitas hasce aduersitates passus, accusationem quidẽ omittit, excusationem vero infert. In vitam enim misit me Deus ante vos, vt aleretur populus multus. Non vestrum, inquit, sed Dei hoc opus est. Nec mea vobis doleat seruitus, quæ Dei est administratio. Timorem deponite: nihil hinc difficultatis euenit. Per seruitutẽ totius Aegypti imperium consecutus sum. Per hanc secundum à rege locũ teneo, & mihi tantæ gentis habenæ commissæ sunt. Talis hic fuit & seruiens & regnans. Talis in prospera & aduersa fortuna. Talis cùm affligeretur & prospere ageret. Proinde nec opes, nec imperium, nec paupertas, nec seruitus malitiam pariunt: sed vbique mentis arbitrium regnat. Quod vero seruorum virtuti dominorum malitia nihil noceat, ex alijs quoque exemplis fa-
3. Reg. 17. 18. 19. cile disci potest. Quis eorum, qui sacris literis instituti sunt, Achabi malitiam & Iezabelis impietatem, adeoque contra Deum conceptam rabiem ignorat? Nihilominus tamen ijsdem ijs Abdias seruiens, & officium quoddam ab illis commissum administrans, non modo herilia vestigia non secutus est, sed longe aliam ab his viam est ingressus. Nam hi quidem contra Dei prophetas insanientes omnes mactari præceperant, & seruorum Dei internecionem voluptatis loco ducebant, in hoc incumbendo, si fortè pietatis scintillam omnino extinguere possent. Hic vero profanos dominorum conatus oppugnabat, & in hoc erat vt pietatis flammã saluam seruare posset, centumq́; prophetas in duabus speluncis absconditos, alebat, cùm grauissima fames, quã Helias hominibus induxerat, impietatis pœnas ab ipsis exigens, reliquam terram omnem occupauisset. Atqui illum nec belluina dominorum mens perterruit, nec piorum cędes timore perculsit, nec famis tyrannis & alimentorum penuria eum circa prophetarum curam parciorem reddidit: sed illorum quidẽ crudelitatem abominabatur, his sufficientem victum afferebat, illorum salutem proprię securitati præferens, & vitam, quæ sine illis transigenda esset, mortis loco ducens. Et in ijs quidem, quibus Deus oppugnabatur, nequaquam debitum officium heris suis detulit, leges vero contra vniuersalem omnium creatorem promulgatas, ridendas putans, harum quidem authores odio habebat, eorum vero qui iussa exequi cogebantur, miserabatur: & cùm istud obsequium summam putaret perniciem, quos perdere iussus erat, salute dignabatur: mortem videlicet pietati iunctam vita impia honestiorem iudicans. Proinde nequaquam illi abominabilis herorum impietas nocuit, sed eorundem malitia insignem omnibusque conspicuum reddidit. Nihil enim animo pietatis studio destinato firmius, nihil anima, quæ vitijs seruire non vult, vehementius ac robustius. Sed nescio quid mihi accidat, dum optimorum virtus sermonem vrgens illum æquo longius extendere cogit: agedum ergo vlterius hunc protra-
hentes ad aliud exemplum transeamus. Sede- 4. Reg. 24.
chias quidam vltimus Iudęorum rex fuit, qui 25.
& ipse graui impietatis morbo laborauit, & diuini verbi oracula audire non sustinuit. Hic Iere. 34.
diuinissimum Ieremiam, qui tunc temporis prophetam agẽs Dei oracula hominibus reddebat, in cisternam graueolenti cœno fœtidam demisit, eo quod tristia valde & molesta fata prædiceret. Sed Abdimelech quidam fa- Iere. 38. 39.
mulus Aethiops Eunuchus, nec aulæ regiæ fastum, nec regnantem in hac impietatem, nec contra prophetam conceptum furorem, nec seruitutis miseram conditionem animo voluens & meditans, iniustam regis sententiã reprehendit, iniquissimum vero in prophetam patratum facinus accusat, & summum rerum omnium inspectorem monstrat, aulamque iusta pœna perterret. Atque regis cõsiliarius fit famulus, viri eunuchus, inquilini alienigena, Israelitæ Aethiops, quique è Cham oriundus erat eius qui genus ex Sem deducebat. Sed & regẽ pijs sermonibus persuadet, prophetamque ex amaro isto, obscuro & graueolenti carcere liberat, ac toto obsidionis tempore sufficientem illi victum largitur. Tum à Deo benedictionem pietatis præmiũ accipit, & cùm capta vrbe aulici cæderentur, hic iuxta Dei promissionem salute fruitur. Constat ergo quod bonis famulis non modo non nocent mali domini, sed quod illi magnam quoq; ex ijs vtilitatem percipiunt. Et hoc aliũde quoque videre licet. Postquam enim vrbs illa pro-

Dan. 2. 3. 4. pter multam iniquitatem vastata est, multisque bello absumptis, reliquos in Babylonem captiuos Chaldæorum rex abduxit: deinde selectos eos, qui è nobilioribus nati corporis forma splendebant, inter regiam habitare iussit, regijs nimirum obsequijs exequendis destinatos: prius vero corporum valetudinem infirmiorem, quam ex obsidione & profectione contraxerant, lautiori victu, cibis item & opsonijs à regia mensa ablatis, exuere vel curare præcepit: illic mihi diuinorum illorum iuuenum generositatem inspice. Nec enim vrbis excidium, nec diuini templi incendium, nec adytorũ & sanctissimorũ locorum vastitas, nec sacra vasa barbarorum manibus direpta, nec regum cędes, non sacerdotũ mactatio, non tam procul à sanctis remota sedes, non peregrinatio in aliena terra, non doctorum inopia, non dominorum impietas, non seruitutis necessitas, non graue regis iugum, non ætas tenera, non vitæ desideriũ, non mortis metus, non quidquam horũ aliud persuasit, vt vel paululum delinquere, & legis mandata transgredi vellent. Sed eum, cui illorum imperium commissum erat, obsecrant, vt leguminum cibum illis largiatur, regias epulas abominati, & omniuarias illas conuiuiorum lautitias exosi. Has enim idolorum appellatione pollutas videbant. Tanta autẽ animi fortitudine, amore item & fide erga patriũ Deum præditi fuerunt, vt suo procuratori pollicerentur, legumina ipsos splendidiores facturaijs qui regijs cibis alerentur. Nec spe sua frustrati sunt, sed fidei fructus perceperunt. Omnibus enim alijs qui splendide epulati fuerãt, integriores, habitiores, forma præstãtiores & corporis viribus validiores apparuerunt, sicut polliciti fuerant. Postquam vero tempus procedens ipsos ad virilem ætatẽ perduxit, vbi virtutis suę specimen dederunt, indigenarum rectores constituuntur, qui bello capti fuerãt: vbi mox aliud rursus illis aperitur stadium. Arrogans enim ille & sceleru fastu patrem imitans, maximã illam statuam ex varia materia & auro conflatam erigit: omnes vero imaginem ceu Deum adorare iubet. Hanc autem adorare nolentibus suppliciũ decernit caminũ, quem aliměti insatiabili rabie ad summũ augebat. Tunc sanè multi quidẽ regi gratificari volẽtes iussa fecerũt, multi vero quod alias solebant facientes cultum hunc ceu alij cuipiam idolo obtulerunt: erant itẽ qui ignis metu animas proiecerunt, & licet conscientię stimulis agitarentur, diuinum cultum tamen ad imaginem transferebant. At generosi illi & nobiles animi, Ananias nẽpe, Azarias & Misael, illi inquã legis alumni, Abrahamicæ fidei hæredes, pietatis athletæ, gratiæ præcursores, fidei propugnatores, corporibus quidem serui, animis aũt liberi, captiui illi, animabus autem ipsis regibus excellentiores, nõ modo volentes non adorarunt imaginem, sed accusati quoque nullam prorsus excusationẽ afferunt, quin palam se adoraturos negant, & alta voce clamant: Est Deus in cœlo, quem nos colimus, Dan. 3. qui nos poterit liberare ex camino ignis ardẽtis, & ex manibus tuis, ò Rex, liberabit nos. Quod si minus, notum tibi sit, ò Rex, quod Deos tuos non colimus, & imaginem auream, quam statuisti, non adoramus. Nec enim pro mercede Creatori seruimus: nec salutem pietate eminus, nec omni qualicunque oblata ratione vitam seruare cupimus, sed Domini voluntatem amamus: qui si ex aduersis liberet, gratias agimus, & si illis nos incidere permittat, adoramus. Nam quod nos quidem omnibus supplicijs, quę tu minaris, superiores reddere possit, nobis minime dubiũ est: num vero idem velit, nescimus. Inaccessa enim est diuinæ prouidentiæ altitudo. Nihil ergo cunctare, quin præparatis pœnis nos tradito. Nobis enim pietati coniuncta mors, vita impia suauior est. Et hi quidẽ hæc dixerunt, ipse vero nequaquam annuit, quin camino iuuenes transmisit. Porrò ignis ferrea quidem vincula dissoluit, ipsos vero seruauit incolumes, nec ausus est datum sibi alimentum contingere, quin fugit & terga dedit, ac proprios inuasit cultores: Dei vero seruos illæsos custodiuit. Et sanè nouum & præter omnium expectationem eueniens spectaculũ contigit. Qui enim in medio ignis erant, & prunis inambulant, ignis vires non sensérunt aliquas. Qui vero foris steterunt, ac camino materiam seu alimentum præbuere, ab igne consumpti sunt. Et hi quidem incensi ac ardentes eiulabant, illi vero hymnos canentes tripudiabant, & creaturam omnem in hymnorum communionem vocabant, atque elementa ab insanis adorata benefactorem laudare iubebant. Tanta autem illius miraculi virtus erat, vt & ipse arrogãs & furibundus tyrannus accurreret, eosq; qui imaginis culturam detrectauerant, adoraret, & vt omnes subditi horum Deum colerent, mandaret. Similiter & magnus ille Daniel, qui eandem cum his calamitatẽ sustinuit, bello captus licet, & inter barbaros vitã agere coactus, patriam tamen legem diligenter custodiuit, & secundum hanc commissum sibi publicum munus administrans, animam puram ac synceram conseruauit, tantumque virtutis splendorem emisit, vt & immanem ferumque tyrannum illius fulgore percelleret: & primo quidem quę ignorabantur somnia manifestauit, deinde quod opus erat exposuit, & quod vtile futurum erat monstrauit ac monuit. Et quidnã omnia, quæ ab hoc egregie gesta sunt, dicere attinet? Quomodo nimirũ rex, ne quis precibus Deo supplicaret, prohibuit. Quomodo hic, cùm prius rite orauisset, idque clam, postquam impia lex rogata est, Deum palam precatus sit, & legem deridẽs, & legislatorem contemnens. Quomodo item leonibus proiectus sit. Quomodo hos quoque pietatis radijs terruerit, ac diuinæ imaginis lineamentis ceu frenis quibusdam rabida illorum ora constrinxerit. Quomodo ad miraculi contemplationem impium regẽ pertraxerit. Vt ipsum docuerit, quod Hebræorum Deus omnium creator sit & dominus. Quomodo præterea idolorum fraudes arguerit. Singula enim horum ex historijs cognoscere licet, & manifesto intelligere, quod fieri possit, vt qui malis dominis seruiunt, nullam inde malitiam contrahant, sed summum virtutis fastigium apprehendant, tum hos quoque errore liberent, ad veritatis cognitionem perducant, & multis alijs salutis exemplar sint propositi. Nemo igitur vel seruitutem accuset, vel malorum potestatem ac dominium seruorum virtutem vincere existimet, sed vbique Dei prouidentiam aspiciat. Sed dicat fortasse aliquis: Quanam de causa eos qui iniuste vixerant summus ille omnium Deus Babyloniorum regi subiecit, simulque iustos quoque captiuos duci passus est? Et qualenam hoc prouidentiæ opus? Quale iustæ sententiæ exemplum? Quæ non in his est inordinata & confusa rerum conditio & peruersio? Cæterum hæc dicere conantur, qui diuinæ gubernationis abyssum ignorant. Initiati autem & qui diuinorum mysteriorum gustũ aliquem perceperunt, horum causam simul & radicẽ nouerunt. Delinquentium enim curam gerit, & eosdẽ castigat Deus ille hominũ amantissimus, nec quenquam mortalium neglectum relinquere vult. Quapropter iniquos in captiuitatem mittens, simul cũ ijs quasi pædagogos & magistros misit, virtutis studiosos homines, vt ceu lucerna quadam illuminati ac deducti iuxta illorum vitam & sermones rectam semitam aliquo modo ingrederentur. Porrò quod horum captiuitas non contribulibus modo salutis causa fuerit, sed & alienigenas Dei cognitione illuminauerit, historia abunde satis testatur. Si itaque ipsi per certamina claruerũt & insignes facti sunt ac conspicui, posterisque salutis exemplar reliquerunt, concaptiuis autem salutis fuerunt argumentum & causa, sed & barbaros iuuerunt, dum pietatem exacte custodiunt, & per hanc magna miracula edunt, quid prouidentiam, hęc tam sapienter instituentem, accusas? Cur non potius animarũ œconomũ, & mundi gubernatorem, qui omnia tam sapiẽter & cõmode dirigit, hymnis celebras? Ego itaq; ex diuinis oraculis demõstraui, quod possibile sit, vt qui malo hero seruit, malitiam fugiat, virtutẽ consequatur, & heris quoque multas salutis occasiones offerat. Tu vero eos qui nũc conserui sunt inspice, & multos videbis, qui intemperantibus quidem seruiunt, intemperantiam autem abominantur, & temperantiam colunt, nec quicquam vitij ex dominis contrahunt, sed eorum, quos modo recensuimus, vitam imitantur. Quare cùm tam ex ijs quæ dicta sunt, quàm ex ijs quæ videntur, naturæ nostræ arbitrium liberũ edoctus sis, & diuinæ prouidentiæ sapientiam didiceris, palinodiam cane, & quam modo præmisisti blasphemiam in hymnum conuerte, ac linguæ tuę soni, qui modo contra Deum editi sunt, in Dei gloriam cedant, & prouidentiam Creatoris, Christi Dei nostri, decantent. Ipsi gloria in sæcula, Amen.

SERMO IX.

Quod iustitiæ studium infrugiferum non sit, etiamsi fructus eius in præsenti vita nullus appareat: tum resurrectio rationibus è natura desumptis probatur.

SI salubrem illam admonitionem omnes audire dignarentur, quæ diserte clamat, Difficiliora te ne quæras, & altiora te ne scruteris, quæ præcepta tibi sunt hæc cogita: non equidem multis verbis opus esset, dum Dei, quę circa omnia versatur, prouidentiam demonstrare volumus. Procliue enim & facile erat ijs, qui superuacanea & vana illa curiositate liberati sunt, hanc omnium gubernatione occupatam, & sapienter omnia administrantem inspicere. Quoniã vero multi volentes videre nolunt, sed oculos claudunt, & aures obturant, vocemque vndiq; illatam audire dedignantur, & quæcunque à Deo bene & pulchre fiunt, suggillant, blasphemijs lacerant, conuitijs proscindunt, & infinita quædã connectunt, dum falsas accusationes contexere student, non immerito equidem (meo videre) illorum, quam contra prouidentiam effuderunt orationem excepimus, hanc scilicet calumniam, non dignam aliquam aut iustam causam esse, demonstrare instituentes. Et sanè prouidentia, quam illi oppugnãt, in auxilium vocata, illaque in defensionis nostræ aciem primam constituta, octo iam sermones emẽsi sumus, dum ingratorum blasphemiã arguimus. Et ingratitudinis horum accusatores simul & testes in medium produximus Cœlum, terram, mare, aerem, & quęcunque his continentur corpora, animata & inanimata, rationalia & irrationalia, volatilia & pedestria, aquatilia & amphibia. Ad hæc humani quoque corporis fabricam, quæque in singulis membris relucet Dei sapientiam & prouidentiam. Tum diuinum illud rationis donum, cuius beneficio agriculturam, nauticam, medicã & Grammaticam scientiam, & omnes alias vel artes vel scientias, quæ hominum vitam iucundiorem reddunt, humani ingenij natura reperit. Præterea Dei auxilio animalium tam cicurum quàm sylueſtrium vsum, diuitiarum & paupertatis fructum, seruitutis & herilis potestatis necessitatẽ demonstrauimus. Ad hæc, quod serui nullam à malis dominis noxã aut damnum sibi contrahant, siquidem ipsi melius sapere velint. Et horum quidem demõstrationes è sacræ scripturæ adytis produximus. A cerbis autẽ illis prouidentię accusatoribus, eorum, qui nunc seruiũt, inquisitionem considerationémue reliquimus. Nam & nũc multos videre est, qui cùm malis heris seruiant, non modo herilem non imitantur malitiam, Ecclef. 3.

ſed illam plurimum abominãtur, honeſtatem amplectuntur,& diuerſam à dominis viam ingrediſolent. Sed aliam fortaſsis hinc anſam arripient,qua diuinam accuſare poſsint prouidentiam:&virtutis alumnos fruſtra laborare,in petris ſeminare,& (vt prouerbio dici ſolet) cribro aquam haurire, multaq; huiuſmodi facere dicent,cùm nullis inde bonis fruantur fructibus.Alij equidem,inquiunt, cũ paupertate conflictantur,& ęrumnis deſtinati maximam vitæ partem peragunt. Alij vero graue ſeruitutis iugum trahunt,& aſsiduis ſubiacent laboribus: quodque his omnibus moleſtius eſt, multi malitiam exoſi malis dominis ſeruire coguntur. Quam ergo iſti mercedem referunt? Quas virtutis retributiones? Quæ laborum præmia? Quis ſudorũ fructus? Qualia certaminum horũ brauia? Nec enim omnes qui ſerui facti ſunt, libertate tandem potitos eſſe videre licet: nec omnes, qui paupertate preſsi, virtuti operam dederunt, in diuitum catalogum tranſiuiſſe cernimus: ſed plures in priori illa miſeria perſeuerauiſſe conſtat. Atque tu, ò miſer & abiecte homo, ventre genis & ſupercilijs felicitatem metiri ſoles: & beatitudinis finem eſſe arbitraris, alto curru vehi, ſatellites item, veſtem ſplendidam, equos ad pulchritudinem exercitatos, frontalibus & antilenis pulchris inſignes, præconem clamantem, domũ alto ſurgentem faſtigio, & ſtatuas Euboicis Theſſaliciſque lapidibus florentes, pictoriaq; arte variegatas, toros denique, annulos, ſupellectilia, pocula, vina odorifera, conuiuium Siculũ & Sybariticum, & quęcunque alia mollem, otioſam & delicatam vitam efficiunt. Hæc vero omnia, quicunq; vere ſapiat non modo felicitatem eſſe negat, ſed extremam infelicitatem & miſeriam nominare cõſueuit. Nec enim diuitias in hunc finẽ ſummus ille rerum adminiſtrator conceſsit hominibus, vt intemperantia has dilapident,& malitiæ irritamentum faciant: ſed vt has rite diſpenſando,& ipſi rebus fruantur neceſſarijs, & egenis ex illarum abundantia largientes, eas temperantiæ & iuſtitiæ materiam reddant. Nec Deus ſolummodo hęc ita inſtituit,& ſancti viri dominum ſequentes intra poſitas ſibi metas ſe libenter continent,ſed & vos qui extrema laboratis ingratitudine,eos vituperare ſoletis, qui tam male diuitijs vtuntur: quin potius hos venia dignos iudicatis, in ſummum vero rerum omnium gubernatorem blaſphemias expuitis,vt qui malis hominibus diuitiarũ copiam fecerit. Proinde vobis quoque ea eſt ſententia,quod iſtiuſmodi voluptas nequaquam felicitas vocanda ſit, ſed iuſtam ac temperantem vitam laudari, & ſuprema laude dignam iudicari, & ſiue inter diuitiarum abundantiam, ſiue in paupertate comparuerit, paribus coronis exornari debere cenſetis. Sed exiſtimo quod vos quoq; eos qui in paupertate virtuti operã dant, vtpote maiori patientia claros, duplici corona ornaturi ſitis. Atqui non hæc merces Dei cultoribus propoſita eſt, nec ad hanc retributionem reſpiciunt, qui diuinarum legum ſtudio tenentur. Hominum nempe laus multis ſæpenumero nocet. Alacritatem enim remiſsiorem facit, & curſui obſtat: & arbitratus aliquis ſe ad curſus metam peruenisse (hoc enim laus perſuadere ſolet) currere deſinit,& victoria excidit. Id-ipſum Deus quoque omniũ dominus per prophetam innuens dixit: Popule mi, qui vos beatos dicunt, ſeducunt vos, & ſemitam pedum veſtrorum turbant. Laudibus enim alacritatem vehementẽ diſſoluunt,& metã apprehendere non ſinunt. Et ſic beatus ille Paulus cucurrit,nec laudantibus ſe,nec conuitiantibus aures præbẽs, ſed ea quæ à tergo ſunt, inquit, obliuiſcens,ad ea vero quæ à fronte ſunt enitens, iuxta præfixum ſignum inſequor ad palmam ſupernæ vocationis. Proinde eã quæ ab hominibus proficiſcitur laudem, nequaquam laborũ mercedem iudicant diuinarum legũ cuſtodes, ſed diuinas promiſsiones expectant, certaminum ſuorum præſidem operiuntur, coronas immarceſcibiles & diuinitus donanda expectant brauia, iuſti, inquã, iudicis ſententiam expectant, nempe corporũ reſurrectionem, aſcenſionem in cœlos, gaudium cum angelis,& ante omnia hæc aſsiduum & indefinentem eius quem tanto amore proſecuti ſunt, conſpectũ: propter quem vitę pelagus traijcientes malitię fluctus ſuperauerũt, & per multos labores enatando ſubmergi noluerunt, ſed portus deſideriũ laboribus coniugantes, infirmitatem fulcierunt. Portum vero habent qui ſummum apprehenderunt virtutis faſtigiũ, non vitam, non reſurrectionem, non aliud quiddam eorum quę grata ſunt, ſed eum ipſum quem deſiderauerunt, propter quem ærumnas delitiarum loco habuerunt, & laborioſam operationẽ ſuauiſsimum ſomnum, vitamque in deſerto vrbiũ inhabitatione iucundiorem, vitam in paupertate ea quæ in diuitijs tranſigitur ſplendidiorẽ, & amarã ſeruitutem omni dulciorem tyrannide iudicarunt. Hanc inquã virtutis operarij mercedem expectant. Hęreditas enim eſt colentibus Dominum, vt Eſaias propheta clamat. Teſtatur etiam beatus Dauid gratiſsimum hymnũ bonorum largitori contexens & dicens, Hęreditatem dediſti timentibus nomen tuum Domine. Qualia nimirũ & Chriſtus Dominus in ſanctis euangelijs hoc modo enumerat: Beati (inquiens) pauperes ſpiritu, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipſi hæreditabũt terrã: & reliqua quæ ſequuntur, facilius, qui volet, ſacros libros euoluens, diſcere poterit. Eadem enim in talentorum quoque diſtributione inueniet, & in decem virginum parabola, & in figurata agnorum & hœdorum ſegregatione, & in ſeminatore, qui zizania recepit, & in ſagena quam in mare demiſerunt piſcatores, indiſcriminatim vero piſces capientes, poſtea illos apte ſegregauerunt. Cæterum innumera huiuſmodi in apoſtolica doctrina inuenire licet. Hæc itaque ſtudioſis

Eſa. 3.

Phil. 3.

Quæ piorum merces.

Eſa. 55.

Pſal. 60.

Matth. 5.

Matth. 25.

Matth. 13.

ſtudioſis inquirenda relinquens, vt quæ ſermonem æquo longius extenderent, ad continuam orationis materiam tranſeo. Nam & alioqui ſuperfluum & ab inſtituto alienisſimum virtutis remunerationẽ è ſacris literis demonſtrare. Fideles enim qui Deum omnium eſſe credunt, noſtris verbis nequaquam indigent, ſed fidei oculis contenti ſunt, & oraculorum à Deo inſpiratorum doctrina. Infideles vero & incredulitatis tenebris obſeſsi, ac ingratitudinis morbo in Creatorem laborantes, diuinæ ſcripturæ oracula audire dedignantur. Quamobrem omiſsis ijs quę inde deſumi poſſunt demonſtrationibus, phyſicis rationibus illos confutabimus. Interrogamus itaque ipſos, num temperantiam & iuſtitiam reliquaſque virtutis partes, bonas & bonorum cauſas eſſe exiſtiment, vel num has vitijs connumerent? Atqui hoc nec ipſe vitiorum pater vnquam dicere auſus eſt. Quo ore enim, qui harum cultores quotidie oppugnat, & temperantiæ quidem intemperantiam & iuſtitię iniuſtitiã opponit ſemper, hoc diceret? Neceſſe ergo eſt, vt & ipſi idem cum ſuo magiſtro confiteantur, nec malitia eius parentem vincere conentur. Nec enim eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, iuxta Domini vocem. Rurſus ergo illos interrogabimus: Si ergo hęc honeſta ſunt, & honeſtorum honeſtiſsima, & bona bonorum omnium optima, nec quiſquam niſi valde delirans, & ratione deſtitutus his contradixerit, horum vtiq; cultores honeſtos & bonos nominare conuenit, ſed & fructum habere, non modo laboribus æqualem, ſed multo quoque vberiorem. Quomodo enim non abſurdum videretur, agricolam qui ſemina telluri mandat multiplicem inde fructuum prouentum referre, ſimiliter & hortulanũ arbores inſerentẽ fructus enatos conſolationis loco habere: eos vero, qui virtuti vacant, & diuini illius paradiſi cultores ſunt, multumque ſudorẽ, labores plurimos, & curã diligentem in plantas haſce conferunt, ſolos laborem obire infrugiferum, & ſudorem ſuo carentem præmio ſuſtinere? Et eos quidem, qui vel corpus, vel vocem cantando exercent, coronis frui & brauia accipere, & ſpectatorum applauſu redimiri: virtutem vero athletica & pugilũ arte inhonoratiorem videri? nec ſpectatores, nec certaminum præmia ſtatuentẽ præſidem, nec honorem, nec brauium, nec coronam habere certamen hoc longe maximum? Atqui tragœdiarum & comœdiarum mimi habent, cuius reſpectu artem exercent, & coronarum ſpe labores ſuſtinent: & curruum aurigæ pericula audacter ſubeunt, dũ & victoriam ſperant, & ſpectatorum laudes expectant, ſimulq; ab equorum nutritoribus mercedem recipiunt: atque gubernator portus reſpiciens fluctibus congredi audet, & lucri cupiditate refocillatus procellarum impetus ſuſtinet: pręterea ſutor & fabèr omniſque qui artem exercet aliquam, laborum finem expectat, & commodi ſpem labori, qui circa artem ſuſtinendus eſt, ex æquo conferens, voluptate ſudoribus permixta afficitur. Solam vero virtutũ, vel artem vel pugnandi certandique ſcientiam, vel agriculturam & plantationẽ (nam hæc illi omnia conuenire poſſunt nomina) non habere finem aliquem bonũ putabimus, qui laborũ tempore conſolationẽ afferre poſsit. Sed fruſtra quidem temperantiæ ſtudent tẽperantes, & multiuarijs affectibus reſiſtunt, dũ horum ardorẽ extinguere conantur? Fruſtra vero iuſtitiæ cultores cũ iniuſtitia colluctantur, dũ alienis abſtinent, & proprias opes profundunt? Inutilis item fortitudinis eſt poſſeſsio ſuis cultoribus, qui licet aduerſa quæ imminent generoſo animo ſufferãt, agonothetam tamen nullum habent? Sed non ſunt hæc, non ſunt. Admirabilis enim eſt, & digna acquiſitu virtutis poſſeſsio. Et hoc vos quoque dicetis conſcientiæ nimirum neceſsitate compulſi. Naturaliter enim hæc notitia hominibus ingenita eſt, nec quiſquam eorum, qui hac poſſeſsione potiti ſunt, alijs aliunde aut diuinitus allatis, vel ab hominibus adductis rationibus indigent: ingenita enim nobis ratio ad horum doctrinam ſufficit. Teſtantur id ipſum vitiorum operarij, qui & clam illa patrare, & deprehenſi apologiam, qua ſe defendant, moliri conſueuerunt. Nam murorum & ſepulchrorum effoſſores, fures, adulteri, homicidæ,& quicunque alia huius generis facta patrare audent, tenebrarum ope vſi, hæc facere conantur. Si quis vero hęc interdiu facere tentet, ſolitudinem vel hominum abſentiam ſibi ſeruientem obſeruat. Illo ipſo itaque, quod latere ſtudent, oſtendunt quid ipſi de facinoribus ſuis iudicent. Nec enim latere vellent, ſi ſe bona agere opinarentur. Cùm vero latere conentur, & deprehendi metuant, ea quæ ab ipſis fiunt, mala eſſe fatentur. Sciendum ergo & vobis, ò ingratiſsimi homines, quod virtutis poſſeſsio bona eſt, & quod plurimos ſibi labores coniunctos habet. Conuenit ergo vt quæ ab omnibus tam amicis quàm aduerſarijs collaudatur, & qua nõ ſine laboribus frui datur, digna ſe præmia habeat. Atqui in præſenti hac vita multos quidem hanc ſectari, & multos pro illa labores ſuſtinere, non omnes vero laudem & honorem propter hanc conſequi: ſed alios quidem tanquam huius amatores in omnium ore verſari & celebres fieri, & morte ſublatos indelebilem gloriam poſt ſe relinquere: alios vero ignotos prorſus latere, & margaritæ in profundo adhuc delitеſcenti & oſtreo concluſæ, ſimillimos eſſe videmus. Quapropter cùm hæc videamus, conſideremus penes nos ipſos, quam ob cauſam eorum, qui diuina magni faciunt, nonnulli quidem valde clari, nonnulli vero prorſus ignobiles ſint. Deinde cogitemus quod cùm iuſtus ſit vniuerſalis ille omnium conditor & iudex, ſuis athletis iuſta haud dubie munera retribuet, nec iuſtum perire ſinet iuſtitiæ trutina. Deinde cùm & hos & illos vita functos videmus, & hos quidem magna cum gloria, illos vero

Virtuti ſua eſt retributio.

Matth. 10. Luc. 6.

Vitam eſſe æternam probatur.

vero valde ignobiliter ceu vulgares quosdam homines, aliam vitam hunc ordinauisse cogitemus, in qua pro dignitate eos remunerat, qui vitam bene transegerunt. Eo enim quod nonnullos gloria honorauit, virtuti coronas suas esse repositas manifestare voluit. Quod vero non omnes in hac vita claros & insignes reddit, futuram illam vitam detegit. Et honor quidem quibusdam exhibitus diuinæ iustitiæ signum fit. Quod autē non omnes eorundem operum studiosi æquālia hic præmia percipiunt, futuram vitam innuit, & eorum quæ expectantur spem confirmat. Ideo non omnes qui bene & honeste vixerūt in hoc sæculo deprædicat summus ille omnium administrator, nec omnes malos similiter punit: sed alios quidem supplicio tradit, & iudicij iustitiam ostendens, & horum pœnis reliquos terrens, & ad pœnitentiam inuitans. Dum vero non omnes qui mala operantur perdit, rursus futuram vitam nobis demonstrat. Quod si nulla est alia post obitum, quo ex hoc sæculo eximus, vita, iniuriam certe patiūtur quotquot hic pœnas dant, cùm alij pœnas effugiāt. Iniuriam quoque palam patiuntur, quotquot sapientiæ amplectuntur studium, & nullam inde vel vtilitatem vel honorem auferunt, cùm alij similiter bene & recte multa facientes vitam cum gloria transigant. Cæterum iustitiæ fontem iniustum nominare omnem blasphemiam superat, nec vllam maioris blasphemiæ causam relinquit. Quod si vero iustus est (vt reuera iustus est) summus ille omnium inspector, & quæ fiunt perspicit & iuste iudicat, iudicijque bilancem rectam tenet, & si quo pacto inclinari velit, gratiæ quidē, non autem iniustitię calculum imponit: aliud vtiq; iudicium est, in quo & hi qui hic pœnas effugerunt, iustas pœnas persoluunt, & qui nullum in præsenti vita pro virtute honorē recepere, laborū præmia referunt. Sed idem fortassis & vos fatebimini. Nam & Græci cùm nec prophetam nec apostolum nec euangelistam pręconem acceperint, sola tamen natura ducti, hæc sic se habere senserunt, licet multo errore detenti sint, dum fabulas veris suis immiscuerunt sententijs. Quoniam ergo tam poetę quàm philosophi, & malorum pœnas, & iustorum honores post exitum è vita hac fore crediderunt tradideruntque, & doctrinā literis mandatam posteritatis memorię reliquerunt, par equidem est, vt & vos naturæ rationibus persuasi & hæc edocti, tum etiam ijs quæ modo diximus moti, in nostram sententiā transeuntes, hęc sic se habere confiteamini. Porrò animarum duntaxat vel liberationem vel punitionem fieri, corpus vero tanquam inutile prorsus & brutū, putredine consumendum proijci, qua ratione suspicabimur vel dicemus? vt nimirum anima, quæ vnà cum corpore certamina sustinuit, sola coronetur, aut corpore exuta sola tradatur supplicio? Castigata enim nō immerito his verbis compellaret iudicem: Non sola, ò Domine, leges tuas transgressa sum, sed vnà cum corpore in scelerum scopulos impegi: quin potius, si verum dicere oportet, illud me in peccati foueam pertraxit. Huius oculis inescata aliena cubilia deprædata sum, formam ad alium pertinentem solicite ambiui, opes & pecunias concupiui, illis has me videre cogentibus. Inde in iniustitiæ profundum incidi. Huius enim affectus me seruituti subiecerūt, & libertatem quam dederas, abstulerunt. Seruire enim coacta sum, ceu cognata & conserua, & illius ministrare vsibus. Venter in gulę vitium me compulit: gulę studium vero iniustitiæ cogitationes in me peperit. Nonnunquam inuita & ægre ferens carnis necessitati cessi, & anxia ac valde dolens huius cōcupiscentijs seruire coacta sum. Et sępe quidem resistebam, & illius impetus repellebam fortiter. At belli assiduitas me sæpius deuicit, & misera soror huius rationibus persuasa capta sum. Corpus si quādo premebam, ipsi mihi mœrendum erat, & omnis ad me redibat dolor: quod si idem enutriebam, petebar insidijs: illius enim insultus denuo excipiebam, & quidnam faciendum esset ignorabam. Huius enim miseria magnæ mihi tristitiæ causa erat, cura autem eius & incolumitas pugnam vehementiorem mihi exhibebat, & dissijciebat aciem. Ne ergo me solam, ò Domine, supplicijs addicito, sed me aut cum hoc malis libera aut illud vnà mecum pœnis adiudica. Sed & corpus, quod animæ nutibus rite obedijt, similiter iudici dicat, siquidem vocis vsum habeat aliquem: Vt primum me condidisti Domine, animam insufflauisti: quod si vero principij respectu omnem naturæ viam terminare oportet, ego prius creatū sum, deinde demū vitalem mihi indidisti animæ potentiam. Cum eadem & ego vitæ in paradiso transactæ consors fui. Commune & idē tempus conceptionis in vtero transegimus: simul etiam partus vijs apertis in hanc vitam egressi lucis huius splendorem percepimus, & aeris vsum attraximus: simul vitæ viam percurrimus. Nihil vnquam boni ipsa per se solam effecit, sed meo (carnis nimirum) auxilio vsa virtutis thesaurum comparauit. Ego ieiuniorum, vigiliarum, humique iacentium cubilium omnisque alterius miseriæ curas sustinens thesaurum inde acquisitum ipsi collegi. Ego oranti lachrymas subministraui. Ego suspirare coactæ cor ad spiritus seruitium exhibui. Mea lingua te celebrare consueuit. Meis labiis ceu instrumentis vsa laudes tibi obtulit. Meas manus in cœlum extendens, tui amoris fructus percepit. Meis lata pedibus ad sancta tua adyta cucurrit. Ego ipsi auditum, vt oracula tua percipere posset, exhibui. Meis oculis vsa Solem, Lunam, stellarum chorum, cœlum, terram, mare omnesque creaturas visibiles cernens ad tui contemplationem deducebatur: & ex eorum quæ videbantur maiestate & pulchritudine te creatorem animi imaginatione concipiebat. Per meos oculos in scripturis absconsum thesaurum abstulit. Meis digitis

Corporum resurrectio.

instrumentis vsa diuinas tuas institutiones literis exculpsit, & immortalem harum reliquit memoriam. Per meas manus quę per totum terrarum orbem sunt Oratoria extruxit. Me cooperario vsa charitatis leges impleuit. Meis manibus sanctorum pedes abluit. Meis manibus afflictorum necessitati succurrit, ægra corpora cura fouit. Ne me ergo à compari mea separes, quæ de superne mihi coniuncta fuit: nec soluas coniugium, quod non simpliciter vel temere coaluit, sed quod cœlitus tua operatione decretum est: sed vnam & eandem coronam ijs qui similia fecerunt retribue. Hoc enim tuæ æquitatis proprium est. Hoc decet iustum tuum iudicium. Hæc, inquam, corpus quoque diceret, quod animæ vtilem in certaminibus operam præbuit, siquidem vocis vsum aliquem reciperet. Sed nec corpus hæc dicet, nec altera illa quę iniquitati inseruiuit anima. Nec enim tali supplicatione iudex indiget: sed quemadmodum sapienter regit, ita iuste iudicat: & cùm corpora animabus reddat, similiter pro dignitate singulis retribuit. Quomodo enim non absurdum foret, fortissimum militem qui ex acie victoriam retulit, & cui statuę honor à suis delatus est, cum ea armatura qua vsus hostes fugauit, vel pingi vel fingi vel sculpi, siue lapis siue æs siue tabula imaginis materia fuerit: & si arcu vicerit, cum arcu repręsentari, si vero hasta, galea & clypeo, ijsdem rursus armis exculpi: animam vero quæ corpore simul iuuante certamen confecit, & inuisibiles hostes superans victoriam retulit, quæque pictorem habet vniuersalem omnium creatorem, nudam & omni armatura spoliatam prostare? Nec vero imperatorem solummodo sic honorari videmus, sed athletam quoque & pugilem & cursorem, tragœdiarum mimum, & curruum habenas regentem aurigam. Horum enim singuli eo, quo vicerunt, habitu in statuis proponuntur. Et hic quidem cum pulpito prostat & chlamyde imperatoria. Oenomai cuiusdam aut Creontis personam gerens, omnibus tantum non dicens, quod horum personas egerit, & cum his victoriæ præmio potitus sit. Hic vero nudus currit, ipse quoque certaminis speciem referens. Alius luctari videtur, vel coronam tenet, & ignaros docet quale certamen sustinuerit. Alius item pugnat & aduersarium ferit. Alius habitu & flagello ostendit, quam artem exerceas victoriam retulerit. Ne ergo naturam, per quam omnia hæc rite fiunt, his inhonoratiorem constituas: nec Deum, qui iustitiæ fons est, hominibus iniustiorem existimes, nec etiam illum suos victores hominum more honorare suspiceris. Nam si homines, qui sæpenumero non magnam iusti æquique rationem habent, quin ea potius omnino negligunt, vilium huiusmodi & inutilium certaminum victores sic honorare solent: multo magis insignes istos magnosque victores pugnæ illius legislator simul & agonotheta honorabit, coronabit, & ipsam iustitiam munerum magnificentia vincet. Scio tamen vnde in hanc blasphemiam impegeris: infirmitate enim diuina metiris, & tuam infirmitatem diuinæ potentiæ terminum constituis: quæque tibi impossibilia sunt, similiter Deo quoque impossibilia factu existimas. Sed nequaquam hæc ita sunt. Nec enim idem, quod figulus, potest lutum, tametsi ex eadem vterque natura constet. E terra enim tam figulus quàm lutum est: idemque Iobi colloquens homo testatur dicens, Ex eodem luto factus es tu & ego. Nihilominus tamen cùm ex vna natura tam lutum quàm figulus constet, non tamen æqualem in ambobus potentiam inuenire licet. Hic enim mouet, lutum vero mouetur: & hic quidem fingit, illud vero fingitur: hic macerat, illud maceratur: hic format, illud formatur, & in quamcunque figulus voluerit figuram transit. Si vero vbi vna & eadem natura est, non æqua tamen est potentia: multo magis vbi diuersa natura est, diuersa quoq; potentia erit. Cęterum ne conferre quidem possibile est, quę incomparabilia sunt. Quomodo enim quod è nihilo facti est, cū eo quod semper fuit, conferetur? quod temporis initium habuit, cum eo quod æternum est? quod ex luto factum est, cum cœli & terræ creatore? Ne igitur quæ tibi valde impossibilia sunt Deo quoque impossibilia esse existimes. Omnia enim diuinæ naturæ possibilia & valde facilia sunt. Potest itaque cùm vult corporis naturam, quæ semel in saniem diffluxit, deinde in puluerem reducta, & vndiquaque dispersa est in fluminibus, in fretis, in volucribus, in feris, in igne, in aqua (nam omnes quas incredulitas profert rationes, in medium adducere liber) denuo colligere, & in priorem magnitudinem & formam reducere. Nam voluit solummodo, & factum est cœlum, & inflexum est quantum voluit. Voluit & substrata est terra, & suspensa est, non aliud quàm à Deo præscriptum limitem, fundamentum habens. Dixit, & facta est lux. Iussit, & congregata est aquarum natura: præcepit, & à terra separata est. Annuit, & ornata est terra segetibus, syluis & pratis omniuarijs. Dixit, & productæ sunt animalium infinitæ species, terrestria nimirum, aquatilia & aeria. Qui hæc verbo effecit, facilius multo ex his corporis naturam resuscitat. Multo enim facilius est quod vetustate consumptum erat innouare, quàm ea quæ non sunt sine materia facere. Quod si huic fidem negas, Paulus, magnus ille orbis doctor, dicet tibi: Stulte, tu quod seminas, non viuificatur nisi mortuum fuerit. Et hoc quod seminas, nō corpus, quod nascetur, seminas, sed nudum granū, exempli causa, tritici aut alicuius ex cæteris. Sed Deus illi dat corpus vt voluit. Si vero huius quoque doctrinam delirium quoddam & fabulam esse putas, en naturam accipe, quæ resurrectionem docet & prædicat. Nam agricola primo quidem sulcos excindit, & ceu sepulchra quædam effodit, deindę semina ijs mandat, & quasi corpora sepulturæ tradens operit. Nec

Gen. 2.

1. Cor. 15.

rit. Nec quicquam amplius præter hæc ille facere potest: nisi cùm aquarum copia ipsi fuerit, hanc solam fortè præbere poterit. Deus vero cœlitus pluit, vel aquam è fontibus & fluuijs deductam seminibus exhibet, deinde irrigans illa & humectans, & putredine tanquam humana corpora resoluens, illa quidem inutilia in posterum ad esum hominibus, vtilissima autem ijs, quæ ex ipsis nascenda sunt, corporibus efficit. Vbi enim humorem exceperunt, & dilatata sunt, radicum fibras pariunt, quibus illa proximam sibi terram apprehendunt: deinde humorem ex hac per radices ceu fistulas quasdam attrahunt, & herbam sursum crescentē germinant: & paulatim quidem eo quem diximus modo nutriuntur, & calamum in altum emittunt, & spicam absconsum in se fructum continentem, atque aristis ceu satellitibus quibusdam stipatū proferunt. Ne ergo resurrectionem negare pergas, cū quotidie resurrectionis exempla videas, & eiusdē audias subinde præconia. Porrò vt firmā de resurrectione fidem cōcipias, denuo ad plantarum historiā mihi reuertere, & vitium palmites, vel ex arboribus auulsos surculos, vel ex radicibus enatos stolones inspice. Hi etenim amputatione quasi mortem subeunt. Defossi autem quasi sepulturę mandantur. Deinde terra operti & putrefacti Dei volūtate radices deorsum agūt, & sursum germinant, & vigent, & in altum extolluntur, & fructu gemunt, adeo vt quæ enatæ sunt plantæ sepultis palmitibus longe pulchriores sint. Sed quid palmites & arbores ac semina dicere opus est, quin tuæ ipsius naturæ officinam accedito. Tuæ formationis materiam inspice, quàm vilis sit, parua & à pituita non multum differens. Nihilominus tamen vilis hęc & parua, tum inanimata quoque, spiritu carēs & insensibilis materia, omnino Deo sic annuente, homo fit & cùm ipsa vnam & eandem formam habeat, in infinitas tamen transformatur, & has quidem solidas & duras, alias vero faciles & molles, alias item longas & perforatas, alias densas & crassas, & alias quidem pingues & leues, alias vero tenues reticulares & membraneas, alias rursum fistulares & tibijs similes, alias solidas & omni cōcauitate carentes. Et sanè ex parua illa materia enasci videmus sanguinis ductus, & spiritus canales, & solida vincula, & carnium mollitiem, ossium ariditatem, oculorum rigiditatem & splendorem, pupillæ puritatem, genarum leuitatem, pilorum tenuitatem, & alia membra quæcunque habet genus humanum: quorum vsum & operationem multi quidem in his sagaci & solerti ingenio præditi enarrare tentarunt, victi autem Creatoris sapientia sermonem in hymnum finiuerunt, idque cùm non ad nostra septa pertinerent, sed ex foris errantium ouium numero essent. Nihilominus tamen læta hæc pascua carpentes, solaque natura moti & edocti, pastorem, gubernatorem & Creatorem omnium pro virili celebrauerunt. Tu vero præter naturam legem quoque habes, & doctorem, & prophetas qui diuina tradunt, tum apostolorum cœtum, qui de præsentibus docet, & futura prædicat. Excipe ergo vndiquaque collatum salutis beneficium. Ad hæc sola fœtuum natura primaque hominum in vtero matris formatio dormientium hominum resurrectionem sufficienti demonstratione docere potest. Finge maternum vterum esse terram, matricem sepulchrum, semen vero naturæ paruulas illas & puluerem referentes corporis reliquias: quod cùm cunctis hominibus omnino inconspicuum sit, Deo tamen facile cernitur, & oculum illum nemo effugit. In manu enim eius sunt *Psal. 64.*
termini terræ, & ipse metitus est manu aquas,
& cœlum palma, & terram omnem pugno, & *Esa. 40.*
facile illi est ea quæ in manu sunt perspicere. Nam & tibi idem facillimum factu est: & si miscere simul voles milium & lentes & triticum & hordeum, eadem facile discernis rursus, prout voles. Si itaque in manu Dei sunt termini terræ, facillimū ei est ea quoque, quæ omnino commixta sunt, exacte discernere. Finge igitur matricem esse sepulchrum, semen vero iacentes illic reliquias, creatorem vero qui vere creator est, partus vero dolores nouissimum vitę diem & horrendam archangeli vocem. Nam tuba clanget, inquit, & mor- *1. Cor. 15.*
tui excitabuntur incorrupti. Tunc eorum quæ in vita commisimus postulabimur, tunc eorum quæ vel bene vel male fecimus, rationem reddemus, tunc absconditæ mentis nostræ cogitationes omnibus manifestæ fient. Tunc omnes sistemur ad tribunal Christi, vt *2. Cor. 5.*
reportet vnusquisque ea quæ fiunt per corpus, iuxta ea quæ fecit, siue bonum siue malum. Hæc ergo timentes, ò homines, infestos aduersus prouidentiam animos deponite, fugite malam hanc inimicitiam, blasphemia omni excusatione destituta abstinete. Amicitiam Creatori spondete, vt nos tanquam amicos gubernet, non quasi inimicos è naui eijciat. Laudibus celebrate prouidentiæ gubernacula, vt ab his gubernati præsentis vitę fluctus effugiatis, & portubus istis tranquillis tutisque potiamini in Christo Iesu Domino nostro, quoniam ipsum decet omnis gloria in sæcula, Amen.

SERMO X.

Quod olim Deus non Iudeorum modo, sed omnium quoque hominum curam gesserit, & de Saluatoris incarnatione.

Mpenetrabile quidem esse diuinæ sapientiæ & prouidentiæ pelagus, euidentissimè noui. Memini etiam sanctissimi prophetæ clamantis: Iudicia tua abyssus multa: memor item sum magni illius *Psal. 35.*
veritatis præconis, diuini Pauli, qui in talem vocem erumpit: O profunditatem diui- *Rom. 11.*
tiarum

tiarum & sapientię & cognitionis Dei: quàm imperscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius. Non tamen imprudenter prorsus ea ad quæ penetrari nequit aggredimur, sed diuina pro virili admiramur, & quantum ex ijs nostri ingenij viribus percipi potest, laudamus. Nam eos quoque, qui Solem amplius quàm oportet intueri conantur, nec ea quę cupiunt percipere, sed visum quoque hebetare, & nō modo lucem inde nullam trahere, sed & tenebras sibi conciliare nouimus. Idem hoc humanam quoque mentem pati facile cernitur. Dum enim amentia seductus homo scrutari studet quid sit quo terra fulcitur, & quod rursum huius fundamentum, & super quo illud ipsum quoque vehatur, vel qualia sint quæ supra cœlos sunt, quæ item extra mundum hūc vniuersum existant: non modo eorum quæ quærit nullum inuenit, sed tenebris simul magnis & dubitatione impletus redit. Talem esse mentis infirmitatem Paulus intelligens hortatur dicens:
1. Cor. 8. 13. Quod si quis putat se scire aliquid, adhuc nihil nouit quemadmodum nouisse oportet. Et rursum: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Ast vbi venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur. Et alibi: Cerno nunc ceu per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tūc vero cognoscā quemadmodum & cognitus sum. Et rursum: Cùm essem puer, vt puer loquebar, vt puer sentiebam, vt puer cogitabam. At vbi factus sum vir, aboleui puerilia. Hæc autem omnia dicit diuinus vir, persuadere volens omnibus, vt & mentis incredulitatem, ne impossibilia aggrediatur, refrenent, & futuram in venturo sæculo integram rerum conditionem expectent. Quapropter eam, quæ nunc nobis data est, notitiam puerilem vocat: & legali quidem doctrinæ hanc conferens, ipsam perfectam nominat. Eandem vero impassibili & immortali vitæ conferens, iuuenilem appellat. Et hoc quidem diuinę prouidentiæ argumentum est. Qui enim sapienter omnia administrat, nostręque arrogantię fastum cognitum habens, ne sanctis quidem integram diuinorum cognitionem dedit. Scientia enim, vt be-
1. Cor. 8. ato Paulo & veritati visum est, inflat. Sed ipsam virtutis brauium proposuit, vt postquam in præsenti vita bene decertauimus, & affectus in vniuersum exuimus corpusque induimus à corruptione & affectibus liberum, tunc etiam perfectam percipiamus scientiam: nullum in posterum (vtpote affectibus liberati, & extra pugnæ periculum constituti) damnum accipientes. Ne ergo ea, ad quæ peruenire nequit, penetrare conemur: sed ea quæ accepimus, amplectamur, & prout possumus bonum illum Dominum nostrum celebremus, ijsque quas habemus, benefactorem laudibus vehamus. Videmus viros virtutis cultores in gloria, honore & cultu viuere, adoremus virtutis legislatorem & agonothetam, qui ipsam rectè iusteque deprædicat. Videmus alios eodem quidem vitæ studio occupatos, qui tamen non eadem ab hominibus premia auferunt, ne ægre feramus, ò Philotes: sed credamus, ipsos quidem bene certare patientiæ certamen, pro hoc autem in futurum sæculum demum celebrandos esse, quemadmodum in proxima oratione diximus. Nec blasphemos contra prouidentiam sermones eiaculemur. Absurdum enim est & multa amentia, imò extrema insania plenum, illos ipsos quidem qui per fluctus nauigant, & procellis feriuntur, & multis ærumnis vitam transigunt, gubernatorem laudibus vehere: eos verò qui extra teli iactum (vt prouerbio dicitur) constituti & spectatores potius quàm certatores sunt, certaminum præsidem blasphemis verbis petere, cùm factis non possint. At pietatis alumni non modo dum secundis ventis feruntur, verumetiam cum fluctibus & tempestate colluctantes summum illum omnium Deum celebrant. Beatum sanè illum Dauidem, virum qui omnem vitam in bellis consumpsit, & infinitis ærumnis collu-
ctatus est, clamantem audimus: Quid retri- *Psal. 115.*
buam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Similiter & beatum Danielem audire li- *Daniel. 3. 4.*
cet, tum etiā sanctos illos iuuenes, qui in ipso periculorum assultu Deum laudant, & se pro delictis pœnas exoluere confitentur, non autem se coronis dignos dicunt, nec iudicij sententiam inique ferunt. Fame pressus magnus *Gen. 12. 20.*
ille Abraham patriarcha, qui promissiones illas diuinitus acceperat, famis vires generoso animo pertulit. Bis coniuge spoliatus hanc apud barbaros homines cernēs, gratias tamen vocanti se persoluit, & promissionum finem expectans, placida mente fluctus superauit. Et quænam oratio illius magnanimitatem æquare posset? Quis illius summam philosophiam pro dignitate miretur? Studiosis ergo historiæ lectionem relinquens, vt inde huius fortitudinem, patientiam, temperantiam, laborum tolerantiam, amorem Dei, breuiter summum virtutis fastigium plenius cognoscant, ipse ad noui testamenti homines sermone meo contendo. Petrum ergo & Ioan- *Act. 5.*
nem, pietatis turres, veritatis columnas, ecclesiæ ædificium fulcientes inspice, à Iudæis quidem flagellis cæsos, lætantes vero & gaudentes, quod digni iudicati essent, qui pro nomine Christi infamia afficerentur. Qui enim hæc conscripsit, cùm dixisset quod virgis cæsi essent, non dixit ipsos patienter & fortiter sustinuisse flagra, sed gauisos & exultantes exiuisse. Atque magna est inter gaudere & sufferre differentia. Nam fert quidem aliquis aduersa cùm ingruunt, sed dolens & tristis. Qui vero gaudet, animæ solatium prædicat. Sic beatus Paulus clamabat, maxima illa prædicationis tuba: Placeo mihi in infir- *2. Cor. 12.*
mitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in anxietatibus pro Christo. Non dixit, Fero aut patiens sum, sed placeo mihi, quod insignem virtutis vim significat. Item alibi: Nūc gaudeo in afflictionibus pro *Col. 1.*
Christo.

Christo. Et rursus: Non sunt dignæ afflictiones huius sæculi, &c. Et iterum: Quis nos separabit à dilectione Christi? Num afflictio, num angustia? &c. Sed deficiat me dies, si omnes istiusmodi magni illius institutoris athletarum pietatis sermones colligere velim. Si itaque ij, qui omnes virtutis species simul apprehenderunt, vitæ huius, quæ mare est, tempestatem non modo non ægre ferunt, verumetiã feruente æstu & illidentibus ventis ac procellis & turbine pelagus miscente, perinde ac si secundis ventis veherentur lætati sunt, ipsis vtique studio fuit, non curiosius scrutari quæ fiebant, sed gubernatorem dignis celebrare laudibus. Quid itaque vos cùm extra fluctus constituti & terrestres potius quàm marini sitis, ea quæ fiunt carpitis, & certatores quidem laudatis, certaminis præsidem vero reprehenditis? Atqui decebat, vt qui athletarum virtutem admirantur, illorum quoque amplecterentur iudicium. Illi vero maximi beneficij loco receperunt eam, quæ pro verbi prædicatione subeunda erat, miseriam, cædes, lapidationes, combustiones, flagra, conuitia, carceres, pericula in terra, in mari, in ciuitatibus, in agris, à domesticis.

Rom. 8.

Christi saluatoris incarnatio.

Quoniam vero in hos sermones digressi sumus, agedum de Saluatoris quoque nostri incarnatione pauca dicamus, quod sanè summum diuinæ circa homines curæ caput est. Nam immensam huius bonitatem nec cœlum, nec terra, nec mare, nec sol & luna, nec stellæ, nec tota illa visibilis & inuisibilis creatura, quæ solo verbo creata, quin potius iuxta huius voluntatem verbo producta est, ita demonstrat, vt quod ipse vnigenitus Dei filius (qui in forma Dei fuit, splendor gloriæ, character substantiæ, qui à principio fuit, & apud Deum fuit, imo ipse Deus fuit, per quem omnia facta sunt) serui formam assumpsit, vt in hominis similitudine esset, & in hominis figura inueniretur vt homo, & in terra videretur, hominibus conuersaretur, infirmitates nostras susciperet, & morbos ferret. Et beatus ille Paulus hoc maximum Dei erga homines amoris argumentum agnouit, & clamat dicens: Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Et rursum: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest vt non & cum eodem omnia nobis donet? Assentitur his diuus quoque Ioannes: Sic enim (inquit) dilexit Deus mundum, vt filium suũ vnigenitum daret pro eo, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non itaque simpliciter homines curat, sed amans simul horum cũram gerit. Tanta autem est amoris huius excellentia, vt filium vnigenitũ, consubstantialem, ex vtero ante Luciferum genitum, quo cooperario vsus mundum creauit, medicum & Saluatorem nostrũ decerneret, & per hunc adoptionis in filios Dei donum nobis donaret. Postquam enim Creator naturam nostram ad acerbum tyrannum sponte transfugere, & in ipsum scelerum barathrum delabi, simulque naturæ leges audacter calcari, ac Creaturam hanc visibilem loqui quidem & creatorem prædicare, eos autem minime persuadere posse vidit, qui in extremam indolentiam inciderant, sapienter & iuste nostram salutem operatur. Nec enim omnipotentia sola vsus libertatem nobis donare, nec miseri cordiam solam aduersus humani generis plagiarium armare voluit, ne ille iniustam hanc diceret misericordiam, sed viam molitur amore plenam & iustitia pulchre ornatam. Ipsam enim deuictam naturam sibi vniens eam ad certamen deducit, & vt acceptam clademvlciscatur, eumque qui olim male vicerat deuincat, & illius qui nos amaro seruitio subiecerat tyrannidem dissoluat ac pristinam libertatẽ recipiat, instruit. Idcirco Dominus Christus è muliere quidem perinde vt nos nascitur, habet vero partus hic quiddam amplius & peculiare, nempe virginitatem. Virgo enim erat, quæ Dominum Christum concepit & peperit. Porrò cùm Christum nominari audieris, vnigenitum illum Dei filium, verbum ante sæcula ex patre natum, animo concipe, qui humana natura circũdatus est, nec existimes sordidiem quandam esse hanc, quæ prædicatur, Dei administrationem: nihil enim polluere potest naturam illam inuiolabilem. Si enim Solem, qui corpus est (visibilis enim & corruptioni obnoxius est) per mortua cadauera & graueolens cœnum, atque per multa alia fœtorem afferentia transeuntem nihil inficere potest: quanto magis Solis factorẽ & omnium Creatorem, qui incorporeus, inuisibilis, inconuersibilis & semper sibi similis est, nihil horum polluere potest? Et hæc quidem se hoc modo habere, sic intellige. Naturã eius infinitam esse & dicimus & credimus. Ipsum enim audiuimus dicentem: Nónne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus: & cœlum mihi thronus est, terra vero scabellũ pedum meorum. Et quis aquas mensus est manu, & cœlum palma & omnem terram pugno? & quæcunque huiusmodi sunt testimonia. Et beatus ille Dauid clamat: In manu eius sunt termini terræ: & diuinus Paulus, In ipso enim viuimus & mouemur & sumus. Si itaque in illo viuimus & mouemur & sumus, iuxta Apostoli vocem, nulla vtique mundi pars Deo destituta est. Sed in rebus creatis alia quidem sancta sunt, alia vero profana: alia item bona fragrantia, alia vero fœtore redundant. Et hominum quidem alij pietate ornantur, alios vero profana inuoluit impietas. Qui vero omnia implet complacitum habet in timentibus se, odit autem omnes qui operantur iniquitatem, & perdit omnes qui loquuntur mendacium, & virum sanguinum atque dolosum abominatur Dominus, nec cohabitat illi qui mala agit. Nihil itaque ei nocet, qui inuiolabilis est. Si enim qui medicam artem exercent, non ipsi quoque vulnera accipiunt dum vulnera curant, sed bonam valetudinem

Rom. 5.

Rom. 8.

Ioan. 3.

Isai. 23.

Esa. 66.

Psal. 94.

Psal. 5.

tudinem infirmis conciliant, nullum autem inde damnum referunt: multo magis optimus ille artifex Deus, qui impassibili natura & omni mutatione superiori præditus est, nec alterationem recipit, nullum omnino è nostri curatione, dum nobis medetur, inquinamentum contraxit. Ipsum itaque admiremur, qui nostri curationem non angelis mandauit, sed ipse hominum medelam in se transtulit. Ad hunc modum ergo natus Christus Dominus, materna quidem, perinde vt nos vbera fugit, in præsepe autem brutorum animalium mensam ponitur, simul hominum brutam & ratione carentem naturam accusans, & suum erga homines amorem manifestans, quod cùm ipse nutritor sit Deus, secundum humanitatem hominum cibus fit, qui magna & brutali ignoratione laborabant. Nunc vero cùm brutorum ignorationem humana natura abiecerit, & rationis vsum receperit, mystica hunc excipit mensa ipsa præsepij illius typus facta, & homines erudiens: quod cùm homo in honore esset, non intellexit, comparatus est iumẽtis irrationabilibus, & similis factus est eis: præsepe diuinũ illum & spiritualem cibum suscepit: postquam vero in seipsam transijt natura, & imaginem diuinam circumiacere manifeste cognouit, tunc postea super rationalem mensam cibus ille transiuit. Sed & circuncisionem accepit & sacrificia obtulit. Nam homo erat. Oportebat vero per legis obseruationem naturæ conferre victoriam. Tum vt homo in Aegyptum fugit, qui vt Deus vbique præsens est, & omnibus astat, vt diuina scriptura inquit. Venit præterea ad Ioannem Baptistam, qui peccati sordes non susceperat: baptizari tamen se patitur, vt omnem impleat iustitiam. Et cœlitus à patre prædicatur, & à spiritu sancto monstratur. Pater enim cœlitus clamabat, Hic est filius meus dilectus in quo complacui. Sanctus autem spiritus in figura columbæ apparens, vocem ad se pertraxit, & astantes docuit quisnam esset, qui à patre testimonium acceperat. Hinc ad certamina contra tyrannum pergit: & stadium quidem certaminum desertum fit, spectatores vero, angelorum populi: aduersarius autem qui veritatis aduersarius est, qui primo quidem cùm vocem audiuisset, & propheticorum oraculorum esset recordatus, pugnam pertimuit: & virtutis ipsius fulgorem non quidem potuit sustinere, sed contra pugnare cogebatur, certamen tamen timuit vocis illius memor existens. Cæterum naturæ nostræ creator & propugnator, coronator & agonotheta, hostem non timuit, nec belluam abigit, sed confidenter expectat & ad pugnam prouocat, vt priorem illam auferat victoriam. Et corpori, quod quadraginta dierum spatio ieiunauerat, famem conciliat: non tamen eorum qui olim ieiunauerant, limitem transcendere sinit, vt vera illius crederetur humanitas. Vidit infelix hostis famem, & victoriam sperauit, pugnamque confidenter aggressus est. Atque Adamum se videre putauit, vbi famis passionem cernit. Cæterum tanquam Adamum accessit, sed Adami creatorem, Adami natura amictum inuenit, & ait ad eum, Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant, & producit quidem vocis cœlitus delatæ confirmationem, ipsam vero panum miraculosa effectione confirmari petit. Hinc probe perdiscere licet, quo pacto à nobis ipsis belli occasionem hostis ille arripiat. Famem enim conspicatus, ex illa ceu edito loco tela immittit. Sed Saluator ille noster esuriente licet corpore & cibi indigo miraculum edere non vult. Verbo autem scripturæ tyrannum petit, & ait, Non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo quod exit per os Dei. Vt homo autem responsum dedit, & diuinitatem ad tempus abscondens, hominibus similiter victoriam contulit. Nec enim, inquit, solus panis hominibus vitæ auxiliator est, sed omne verbum à Deo prolatum sufficientem vitam famelicis hominibus præbere credimus: adeo vt Deo volente absque pane hominum natura vitam conseruare queat. Cùm hoc modo aduersarij machinationes dissoluisset, simulque secundum ac tertium eius assultum inanem esse demonstrauisset, ceu homo demonstrationibus vsus, vt perditam hominibus recuperaret victoriam, ipse quidem noxium illum hostem in fugam vertit, & communem hominum perniciem tyrannide exuit, ab angelis autem, qui victoriæ spectatores fuerant, prædicatur. Accedentes enim (inquit scriptura) angeli, ministrabant illi. Inde infinita edidit miracula. Vinum sine vitiũ palmitibus & terra ex aqua fecit. Quinque panibus multa millia cibauit. Verbo claudos celeres reddidit, leprosorum lepram abstersit. Manus languentes versatiles effecit, oculis visu captis sensum integrum donauit. Sepulchro aperto mortuum, qui & vinculis constrictus & fœtidus iam erat, currere, & mortis quidem manus fugere, ad vocantem autem Creatorem, nec mortis foribus nec vinculis impeditum, festinare fecit. His inquam & innumeris alijs operibus editis, Iudæorum inuidia petitur, insidias autem voluntarie sustinet, salutem nimirum quæ in hominibus euentura erat præuidens: & hæc olim per prophetam prædixit: Ego autem, inquit, non sum inobediens, nec contradico. Sed tergum meum dedi ad flagella, genas vero meas ad alapas, faciem autem non auerti à pudore sputorum. Hæc vaticinatus, hæc passus cruci affigitur, non peccatorum pœnas persoluens (peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius) sed nostræ naturæ exoluens debitum. Ipsa enim debebat, Creatoris nimirum leges transgressa. Postquam quæ debito tenebatur soluendo non fuit, ipse Dominus manifeste debiti persolutionem molitur: & humana quidem membra ceu pecunias opẽ sue assumens, & eadem sapienter iusteque administrans, debito satisfecit, & naturam nostram liberat. Horum testes Esaias & Paulus sunt: ille quidem ante passionem

Psal. 48.

Matth. 2.

Matth. 3.

Matth. 4.

Deut. 8.

Esa. 50.

nem hæc vaticinatus, hic vero post euentum oracula interpretatus: idem vero in vtroque locutus est spiritus. Esaias vero eminus clamat: Homo in plaga existens, & sciens ferre infirmitatem. Ab eo enim quod viderat illi nomen tribuit, quandoquidem quod ille vidit, passus est. Hic (inquit) infirmitates nostras fert, & pro nobis doloribus afficitur: nos vero putauimus illum in labore esse, & in plaga à Deo, & in afflictione. Qui enim ligno affixum videbant, ipsum pro plurimis peccatis puniri, & propriorum scelerum pœnas exsoluere putabant. Propterea medium quoque inter duos facinorosos Iudæi affixerunt, mala nimirum suspicione illum apud populum grauare cupientes. Sed spiritus sanctus per prophetam docet, quod ipse vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras. Idemque euidentius per ea quæ sequuntur demonstrat. Castigatio enim (inquit) pacis nostræ super ipsum. Liuore eius nos sanati sumus. Nam cùm hostes Dei essemus, vtpote qui ipsum offenderamus, castigationem debebamus & pœnam: Atqui hanc quidem nos non sumus experti, ipse autem noster ille Saluator illam sustinuit, & hanc sustinens nobis pacem cum Deo fecit. Manifestius autem hæc significant quæ sequuntur. Omnes (inquit) vt oues errauimus, homo via sua seductus est. Propterea tanquam ouis ad mactationem ductus est, & vt agnus coram tondente se mutus. Decebat enim ipsum, vt simili per simile mederetur, & per ouem ouium errorem reuocaret. Ouis autem fit, non in ouem transmutatus, nec conuersionem vllam passus, nec à propria substantia deficiens, sed ouis naturam euidentissime induit, & quemadmodum gregis ductor aries dux gregis factus, vt oues omnes se sequantur effecit. Vt ouis itaque sacrificium quoque factus est, & pro toto genere oblatus est victima. Nec sine causa mactationis simul & tonsionis mentionem fecit propheta, sed quandoquidem Deus erat & agnus, corpore vero mactato impassibilis permansit diuina natura, necessario vtique diuinus quoque Esaias ouis mactationem simul & agni tonsuram nobis demonstrauit. Nec enim solummodo, inquit, mactatus, sed etiam tonsus est. Nam secundum humanitatem mortem sustinuit. Vt Deus enim viuens & impassibilis permanens, corporis lanam tonsoribus dedit. Sic beatus quoque Esaias salutares illas passiones nobis demonstrauit, & passionum causas docuit: & diuinissimus Paulus diserte clamat: Christus nos redemit ex maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Nam scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Dum autem dicit, *PRO NOBIS*, ostendit, quod innocens ipse & omni peccato liber nostrum debitum persoluerit, nosque innumeris debitis pressos, & propterea seruire coactos libertate dignatus sit, nos & redimens, & proprium sanguinem pretij loco deponens.

Esa. 53.

Gal. 3.

Propterea idem alibi clamat: Pretio empti sumus. Hac de causa & crucis mortem suscepit: quandoquidem maledictum erat secundum legem hoc mortis genus, simul autem maledicta erat nostra natura, vt legem transgressa (maledictus enim, inquit, omnis qui non manserit in ijs quæ libro legis continentur, vt faciat ea) ideo communem maledictionem suscipit, & iniusta mactatione illam soluit. Nam cùm maledictioni non subiaceret (peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius) peccatorum tamen mortem sustinuit, & contra communem naturæ nostræ hostem, dæmonem, litigat propugnator simul & patronus nostræ naturæ factus, & merito ad dirum nostrum tyrannum dicit: Captus es pessime, & tuis proprijs retibus comprehensus es, & tuus gladius in cor tuum penetrauit, arcus tui contriti sunt, foueam fodisti & incidisti in illam. Dic enim, quare corpus meum cruci affixisti, & morti tradidisti? quam peccati speciem in me conspicatus es? quam legis transgressionem vidisti? En diligentius nunc nudum in cruce hoc videns scrutare. Inspice linguam omni probro carentem, & auditum omni noxa liberum, oculos item qui nullam extrinsecus corruptionem senserunt, & manus ab iniustitia quidem alienissimas, omni autem iustitia ornatas: pedesque non in malitia (vt propheticis verbis vtar) currentes, sed virtutis stadium emensos. Scrutare quàm diligentissime omnia corporis membra. Inquirito animæ motus. Si itaque vel minimũ aliquod delictum inuentum fuerit, bene vtique & iuste me detines: præmium enim peccatorum est mors: quod si vero nihil eorum inuenis quæ diuina lex prohibet, quin potius omnia quæ hæc præcipit, non sino te detinere quod detinere nefas est. Imo alijs quoque mortis carcerem aperiam, te vero solum concludam, vtpote qui legem diuinam transgressus sis. Diuina enim lex peccatores morti tradidit, tu vero etiam peccati expertem mortis vinculis tradidisti, & insatiabilis tua libido extremæ tibi crudelitatis causa fuit: cumque vnum iniuste ceperis, omnibus simul subditis iuste spoliaris, & qui cibum vorauisti non edendum, omnem antè deglutitum euomes, & docebis omnes præsentibus contentos esse ijsque quæ ad se non pertinent abstinere. Recordare propter quid humani generis progenitor Adam morti traditus sit. Hic cùm ipsi omnium paradisi arborum copia facta esset, ijs quæ data erant non contentus, arborem scientiæ tangere ausus est, cuius fructum Creator vetuerat: vnde insatiabili cupiditate laborans, & vetita concupiscens, toto paradiso priuatus est. Istis te quoque supplicijs subijciam. Iniustum enim foret, eum qui seductus fuit istiusmodi pœnam sustinuisse, seductorem vero non eodem supplicio puniri. Quoniam itaque & tu, qui potestatem in peccatores acceperas, corpus inuasisti nullius peccati reum, pote-

1. Cor. 7.

potestate tua discedito, tyrannide desistito, omnes à morte liberato. Non simpliciter dominij potestate vtor sed potestate iusta. Debitum enim pro humano genere persolui. Qui mortem non debui, mortem sustinui: quique morti subiectus non eram, mortem suscepi. Insons cùm essem, sontibus ascriptus sum: quique à debitis omnibus liber eram, in debitorum ordinem constitutus sum. Naturæ ergo debitum persolui. Et dum mortem immeritam sustinui, meritam dissoluo: quique iuste detenti fuerant, ipse iniuste correptus è carcere dimitto. Vide naturæ chirographum sublatum, ò amara mors. Vide illud ipsum cruci affixum, & sublatas ex eo peccatorum notas aspice. Vide vt malitiæ subscriptionem non acceperit. Huius ergo corporis oculi oculorum qui male spectauerant, soluerunt debitum: huius aures pro inquinatis satisfecere auribus: similiter & lingua, manus ac membra reliqua pro membris quę peccata qualiacunque commiserunt. Debito igitur persoluto, conuenit vt qui propter illud carceribus inclusi fuerunt, carceribus liberentur, & pristina libertate fruantur, ac ad patrios locos redeant. Hæc fatus Dominus proprium corpus excitauit, & hominum naturæ resurrectionis spem seminauit, sponsorem omnibus dans proprij corporis resurrectionem. Nec aliquis hæc nos nugari existimet: è sacris enim euangelijs & apostolicis traditionibus hæc sic se habere instituti sumus. Nam ipsum Dominum audiuimus dicentem: Venit mundi princeps, & in me inueniet nihil. Nullum enim, inquit, habeo peccati indicium. Corpus habeo omni peccato liberum, veruntamen licet nihil inueniat, quasi innumeris obnoxiũ debitis morti tradet: ego autem id patior, ipsum sua tyrannide iuste eijcere volens. Quapropter alibi idem inquit: Nunc iudicium est mundi huius: nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Cùm enim iudicium fuerit, condemnabitur, & tyrannide eijcietur, vt qui iniustam contra me sententiam tulerit. Edocens deinde, quod non suum modo corpus è mortis potestate liberaturus sit, sed vniuersam simul humani generis naturam, mox infert dicens: Et ego, cùm exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum. Nec enim patiar illud quod ipse assumpsi, solummodo corpus resurgere: sed omnibus hominibus resurrectionis copiam faciam: ideo enim veni & serui formam assumpsi: tum ad mactationẽ ductus sum, & ceu agnus coram tondente se mutus fui. Eadem beatus Paulus quoque inquit Colossensibus, & per hos cũctis hominibus scribens. Nã & vos (inquit) cùm essetis mortui per delicta & per præputium carnis vestræ, simul cũ illo viuificauit, cõdonans nobis omnia delicta, deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta: & illud sustulit è medio, affixum cruci: expoliatosque principatus & potestates, id est, omnes aduersas potentias, ostentauit palam, triumphans de illis per semetipsum. Id est, Innocens & peccatis carens corpus suũ & animam illis spectandam exhibens, & iniustam illorum contra se prolatã sententiam arguens: hęc vbi fecit, simul secum omnẽ humanam naturam viuificauit. Atque infinita alia testimonia in scripturis inuenire licet, quæ hæc ita se habere docent: sed si singula colligere & conuenientem ipsis expositionẽ addere velimus, infinitæ verbositatis opus cõficiemus. Studiosis ergo hęc colligendi laborem relinquens, ad ordinem orationis constitutum transeo. Hoc itaque modo Dominus vtpote mortis viribus dissolutis & salute nostra parta, in cœlos rediit, & pietatis alumnis eiusdẽ ascensionis spem reliquit. Cùm enim (inquit) exaltatus fuero, omnes trahã ad meipsum. Tanta Dei illius omniũ domini erga homines cura fuit. Tantam Deus erga ingratum opus prouidentiam exercuit. Tanta primi illius exemplaris circa suam imaginem prospicientia est. Ab initio cõdidit, similitudine sua dignatus est: ipsa vero ingrata erga factorem facta est, & diuinã imaginem corrumpens, belluarũ characteres assumpsit, & ex diuina in ferinam & belluinam, mutata est. Sed non neglexit hanc Opifex, quæ nunc belluinam formam induerat, sed innouauit ipsam, & ad pristinum decorẽ reduxit, veteremque venustatẽ reddidit, eosq; in filios suos adoptauit, qui ne seruire quidem dignierant. Sed sunt quidã, qui nihil operis faciunt, vt D. Paulus inquit, sed inutilibus rebus dediti curiose inquirunt quæ non fas est, & diuinæ sapientiæ abyssum proprijs rationibus metiri studentes dicunt: Quam ob causam non ab initio statim hæc instituit Dominus, sed post tot demũ annorum millia? Cęterum quod talia curiosius scrutari nimium audax sit & temerarium facinus, ipsi quoq; dicent, qui talia scrutantur. Porrò vt Deũ hęc non erroris pœnitentia instituisse & administrauisse, sed olim & ab initio statim sic ordinauisse, demonstremus, agedum sacras scripturas in medium adducamus, & primo ipsum Christũ Dominum audiamus qui in euangelijs dicit: Venite benedicti patris mei, possidete regnum, paratũ vobis ab exordio mundi. Si vero ante mundi creationem apostolis & ijs qui per hos crediderunt, regnum præparauit, constat certe quod olim hęc ita voluerit dominus, & ne quaquam nunc quidem hęc, nũc autem alia sentiat. Singulis autem temporibus quæ commoda sunt peragit, & hominum facultate doctrinæ suæ institutiones metitur. Idcirco Adamo, quasi nuper edito infanti præceptum de arbore prescribit. Superuacanea enim illi fuisset tota lex de adulterio, de cæde & reliquis præcipiens. Cum qua enim adulteriũ committeret, vnica tunc temporis existente fœmina? Quem occideret, cùm non esset à quo irritaretur? Contra quem item vel falsum testimonium fingeret, vel iniustitiam operaretur? Quapropter illud solummodo de arbore pręceptũ accipit,

Ioan. 14.

Ioan. 12.

Col. 2.

Ioan. 12.

Christi mysterium ab æterno sic institutum est.

Matth. 25.

Gen. 2.

puerile quiddã & modo natis infantibus conueniens. Rursum vero aucto iam post multorum annorum numerum humano genere,
Gen. 67. ipsi Noe de cibis leges tulit, & omnibus liberè carnibus vesci, mundis scilicet, (nam & horum discrimen ipsum edocuit) iubet, solius autem sanguinis esu ipsi interdicit. Inde
Gen. 12. &c. post longi temporis euolutionem, Abrahamum quidem vocat, patriam domum relinquere iubet, ducit vero ipsum in regionem, quæ olim quidem Chananæorum, nunc autem Palæstinorum dicitur, & circuncisionis præceptum illi dat, vt qui ex illo enascendus erat populus superfluorum ablationem religionis signum habeat. Famis autem necessitate inducta, pietatis præconem circunducit vndique, tam Aegyptijs quàm Palæstinis suum ostendens cultorem. Et permittit
Gen. 20. quidem rapi à barbaris illius coniugem, raptam vero defendit, & raptores flagellauit, quique mulierem ceu venatores ceperant, eosdem capta fera potiri non siuit, sed ijs quæ intra casses suos erant frui non potuerunt. Ipsi vero retibus inuisibilibus capti sunt, & experientia magistra hospitem suum Deo amicum gratumque esse didicerunt. Et hospitem, aduenam nimirum ac peregrinum accersunt, qui gentium illarum reges erant, & hospiti supplices fiunt. Hic vero excusationem accipiens pietatis præcepta ignorantibus attulit. Et in iustitia pietatis viam aperuit, ac iniqua illegitimaque cupiditas Dei cognitionem conciliat. Similiter ea quoque quæ Isaaco & Iacobo contigere, disposuit. Nam il-
Gen. 24. &c. le quidem in Abimelech beneficia contulit: hic autem Labano verum Deum monstrauit, & eorum qui cùm non essent Dij, tamen vi-
Gen. 36. debantur, infirmitatem arguit. Eadem ratione res Iosephi administrauit. Et permittens quidem prius seruum fieri, per seruitutem, calumnias & vincula, Aegyptiaci regni habenas illi tradidit. Et hic quidem vnum Deum pincernæ prædicat, deinde ipsi regi eandem illam doctrinam affert. Indè rerum gubernationem suscipiens, totam nauim sapienter re-
Exod. 1. 2. 3. 4. &c. git. Sic Israelem immensum auctum Aegyptiaca seruitute liberare volens, per multa & magna signa liberat, inde gloriam & magnificentiam ipsis concilians. Hanc etenim gentem vt omnibus gentibus ad Dei notitiam magistra esset, delegit. Et quemadmodum ad huius gentis curam nunc quidem Mosem, nunc vero Iosuam, Samuelem item, & aliàs aliũ quempiam prophetarum delegit, & per vnum hominem veræ sapientiæ studiosum, toti genti benefecit: ita per vnam Israelitarum gentem omnes gentes eadem natura præditas, ad pie-
Iosue 2. tatis consortium vocauit. Et hæc quidem vera esse Raab meretrix testatur, quæ alienigena quidem & meretrix existens, sola tamen fama contenta per hanc pietatem suscepit, & domesticos quidem destituit, alienos autem amplexa est. Audiuimus enim (inquit) qualia fecerit dominus Deus vester Aegyptijs, & cecidit timor vester super nos. Propterea cum speculatoribus conuenit, & conuenta iureiurando confirmat. Testes etiam sunt Palestini alienigenæ arcæ præsentiam timentes, & sibi inuicem dicentes: Hic Deus est, qui percussit Ae- 1. Reg. 4.
gyptum. Væ nobis allophylis. Ideo Deus allophylis arcam quidem tradit, populi iniquitatem argués (Nec enim oportebat legẽ propugnatorem suum facere eos, qui legem palam transgressi fuerant) traditæ autẽ maiestatem tuetur, allophylos docens, quod non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem. Propter- 1. Reg. 5.
ea Dagon quoque, quem illi ceu Deum adorabant (idolum vero hic erat mutum, & omnis sensus expers) ante arcam corruere facit, & eundem cultoribus illius spectandum exhibet, vt allophyli discrimen discerent. Illi vero eundem stolide rursus erigunt: denuo autem collapsum vident, & tamen adorant. Deinde magna amentia ducti & discrimen videre non volentes, experientia magistra sapere didicerunt, & castigati resipuerunt, & ignorantiæ ebrietate excussa, arcã vt decebat suis cultoribus remittunt, & anathematis eam honorantes castigationes suas prædicant, eosque qui illam suscipiebant reditus modum docent. Idem erga Balthazarem fecit Deus. Post- Dan. 5.
quam enim in multam impietatem impingentem populum captiuum in Babylonem transmisit, & sacra vasa hostium spolia facta sunt, Nabuchodonozor quidem hæc vtpote diuina & sacra à profanis vsibus longissime remouit, & in templa eorum, quos ipse pro Dijs habebat, intulit. Illius autem filius, Balthazar scilicet, paternis calamitatibus non satis edoctus, nec expendens quantas ille arrogantiæ pœnas exoluisset, licet hæc, vt illi moris erat, sacra vasa honorasset, in medium quidem profert, quæ semel Deo consecrata erant, ex ijsdem vero potat homo infelix, simulque compotoribus offert quæ tangere nefas erat. His autem transactis, mox contra infelicem sententia profertur, & cuiusdam inuisibilis manus parieti Dei sententiam inscripsit. Tunc quidem animo hæsitabat, cùm nec legere, nec eorum quæ scripta erant sensum percipere posset, mater vero Danielem, qui patrem sæpius istiusmodi dubitatione liberauerat, in medium adducit. At hic legit simul & interpretatus est, & pœnæ causam docuit, dicens: Quemadmodum nos peccatorum pœnas exsoluentes captiui facti sumus: & hęc vasa, quę à nobis consecrata captori Deus tradidit, nos nimirum docens, quod non ceu indigus sacrificantium hæc tulerit, sed quoad pietati studuimus hęc à nobis oblata suscepit, nos curare volens: quando vero ad impietatem impegimus, ipse etiam oblata à nobis reiecit munera: sed hæc quidẽ pater tuus aliquo modo castigatus, vt mos est, honorauit, ab humano quidem vsu illa longissime remouens, ijs vero quos ipse deos putabat offerẽs. Tu vero nec eũ quidem, qui ab illo his habitus est, honorem considerans, in arrogantiæ barathrũ delapsus es &

es & in sacris vasis voluptatis libidinem explere studes. Propterea horum dominus docet te, qualis arrogantiæ finis sit, non quidem inanimatorum curam habens, sed hominibus sua prouidentia prospiciens: & per tua supplicia multis hominibus modestiæ exemplum proponens. Hæc quidem ille dicebat. Hic vero ea nocte pœnas persoluit. Vide ergo, vt omnium hominum semper curã habuerit sua prouidentia summus ille omnium Creator, non eorum modo, qui genus ex Abraham deducunt, sed omnium qui ex Adam sunt. Et per vnam gentem omnes gentes ad Dei cognitionem perduxit. Nec modo cùm pietatem sectarentur, horum doctrinam omnibus hominibus obtulit, verumetiam cùm iniquita-
Esa. 10. tis pœnas ab ipsis exigeret. Quippe Nabuchodonozorem illum, arrogantem, tyrannum, qui auream statuam erexit, qui dicebat, Super astra ponam thronum meum, vltra nubes ascendam, & ero similis altissimo, & apprehendam manu totam terram quasi nidum & ceu oua derelicta tollam: nõ per angelos summus ille Deus castigauit vt saperet, sed per eos qui ab ipso captiui ducti fuerãt. Vt enim ille tres pueros, qui regium edictum non implerant, horrendum illum ignem ceu rem ludricam contemnere, & super prunas ardentes quasi super rosas incedere, ac tali flamma circundatos Deũ laudibus celebrare vidit, miraculo quidem obstupescit, perculsus autem miraculi authorem pertimescit. Omnibus vero imperat vt horum Deum adorent, ipsumque altissimum nominat, & omnium Deum ac regem vocat. Sic Assyrium illum contra se insanien-
4. Reg. 18. 19. tem & insanis illis verbis vsum, Quoniã non liberauit vos dominus Deus ex manu mea, & sunt Dij gentium: vt propriam infirmitatem agnosceret castigauit, & solum a fugere coegit, multa illa hominum millia, quibus superbiebat, breui temporis momento per vnum angelum morti tradens. Sic Ionam Ninciuitis pœnitentiæ præconem transmisit, & iussa exequi nolentem, sed fugam stulte molientem fluctibus quidem cõstringit ceu carcere quodam, & ceto tradit. Irrationalis autem piscis rationalem hominem eo deduxit, vbi prædi-
Euangelij in omnes gentes prædicatio. care iussus erat. Postquam vero magnum illud suæ administrationis mysterium perfici, & diuinæ incarnationis pręconium per totum terrarum orbem dispergi debuit, tunc reliquum illum populum, quem beneficio singulari ab initio ex omnibus populis elegerat, in totum terrarum orbem dispersit, vt omnes audire assuefierent, qui Deorum multitudine decepti erant, quod videlicet vnus Deus est, cœli & terræ conditor, & prædicatio quoque per diuinos apostolos facilius fieret. Sed dicat fortasse aliquis, quod Iudæi doctrinam Christi non modo non adiuuerint, verumetiam valde ei obstiterint, ijsque qui ex gentibus credituri erant fuerint obstaculo. Sed si quis diligenter rem excutere velit, Iudæorum resistentiam, gentium fidem plurimum adiuuis- se inueniet. Disceptatio enim cum Iudæis & è lege ac prophetis desumpta demonstratio, manifeste illorum insaniam arguebat, gentibus autem demonstrabat Christianam politiam olim prædicatam esse. Et testimonium quod ab hostibus ferebatur eum qui prædicabatur sermonem fide dignum reddebat. Huius enim sermonis præcones in medium producebant, & Abraham patriarcham, qui easdem promissiones accepit, & Isaacum promissionis fructum, & Iacobum, qui eandem benedictionem à patre retulit, & Iudam, qui paternam benedictionis sortem suscepit, & Mosem, qui hæc prędixit, & regem Dauidem, qui eadem vaticinatus est, & Esaiam, Ieremiam, qui eadem prædixerunt, Ezechielem & Danielem, qui hęc per spiritum prędicarunt, totum præterea prophetarum chorum, qui nostra hæc euidentissime antè ostendit. Hæc cùm viderent auditores, simul ipsi quoque assentiebantur, Iudæorum nempe hasce voces diuinas esse: miracula autẽ quæ in Christi nomine perficiebantur, conspicientes, & signa ceu fideiussorem sermonum accipientes, prędicationem quidem facile recipiebant, credebant autem Deo qui prædicabatur, & Iudæorum impias nugas abominabantur. Proinde Iudæorum incredulitas diuinæ prædicationi non modo impedimentum non fuit, sed ijs potius quibus resistere conabantur, sermoni fidei authoritatem conciliauerunt. Contradictio enim Domini testimonia producere coegit: illa autem mendacium confutauerunt, & virtutis lucẽ ostenderunt. Olim itaque vniuersalis ille omnium Deus hominum salutem studiose administrauit, & singulis temporibus commodam curam adhibuit. Et hæc docens beatus Paulus dixit: Quandiu Galat. 4.
heres puer est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad tempus quod pater præscripserit. Sic & nos, cùm essemus pueri, sub elementis mundi eramus, in seruitutem adacti. At vbi venit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos qui legi erant obnoxij, redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus. Quod vero ad hanc dispensationem non pœnitentia prioris instituti peruenerit, sed ab
æterno ita instituerit, idem testis doceat, Co- 1. Cor. 2.
rinthijs præcipiens & scribens: Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam autem non sæculi huius, neque principum sæculi huius, qui abolentur: sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quę est recondita, quam præfinierat Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum sæculi huius cognouit. Nam si cognouissent, haudquaquam principem gloriæ cruci fixissent. Nec enim hominum felicitati inuidentes, summæ beatitudinis occasionem illis præbuerunt: sed ignorantes mysterij finem, contra saluatorem animarum nostrarum insaniuerunt, iniusti autem summa bona nobis propinarunt. Pro-

inde abſconditum quidem myſterium, ante ſæcula autem prædefinitum fuit myſterium. His igitur cognitis, & illius per omnia penetrantem prouidentiam edocti, & inſcrutabili eius erga homines amore viſo, immenſaque eius perſpecta miſericordia, benefactorem celebrare diſcite. Gratis ſermonibus beneficia rependite. Sacrificate Deo ſacrificium laudis: linguam blaſphemia ne polluatis, quin laudis organum efficite, quæ in hunc vſum facta eſt. Diuina opera quæ quidem videntur adorate, abſcondita vero nõ curioſius inquirite, ſed cognitionem horum in futurum tempus expectate, quãdo exuemus affectus, tunc perfectam cognitionem accipiemus. Ne imitemini Adamum, qui vetitos fructus decerpere auſus eſt: ne tetigeritis abſcondita, ſed ſuo tempori illorum cognitionem relinquite. Sapienti obtemperate, qui dicit: Ne dixeris: Quid hoc eſt? In quem finem hoc eſt? Omnia enim in vſum ſuum creata ſunt. Vndique ergo hymnorum occaſiones corrogantes, & vnam inde hymnodiam conficientes nobiſcum offerte Cretori, bonorum datori, & Saluatori Chriſto, vero Deo noſtro. Ipſi gloria & adoratio, & magnificentia in nunquam finienda ſæcula ſæculorum, Amen.

FINIS SERMONVM
DE PROVIDENTIA.

THEODO-

THEODORETVS LEONI ROMAE EPISCOPO.

SI Paulus præco veritatis, tuba ſanctiſsimi ſpiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus contendebant ab ipſo afferret ſolutionem; multo magis nos qui abiecti ſumus & puſilli, ad Apoſtolicam veſtram ſedem currimus, vt eccleſiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos eſſe conuenit. Multis enim quibus ſuperiores eſtis ornatur veſtra ſedes. Alias enim vrbes ornat vel magnitudo, vel pulchritudo, vel multitudo eorum qui inhabitant: nonnullas autem ijs priuatas dona quædam illuſtrant ſpiritalia: veſtræ autem redundantem bonorum copiam dedit is qui eſt bonorum largitor. Ea eſt enim omnium maxima & præclariſsima, & quæ præeſt orbi terrarum, & eorum qui inhabitant abundat multitudine. Accedit his quòd hoc quoque quod rerum potitur peperit imperium, & propria ſua appellatione eos quibus imperat impertijt. Præcipue autem & inſigniter eam exornat fides, & fide dignus teſtis diuinus Apoſtolus qui clamat: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Si autem diuinæ prædicationis ſtatim ſuſceptis ſeminibus, mirabiles hos fructus & tam vberes tulit: quænam ad eam quæ nunc in ea verſatur pietatem laudibus celebrandam ſuffecerit oratio? Habet autem communium quoque patrum & veritatis Doctorum Petri & Pauli ſepulchra, quæ fidelium animas illuminant. Horum autem beatiſsimum par & planè diuinum, exortum quidem eſt in Oriente, & radios omnem in partem emiſit: in Occidente autem prompto & alacri animo vitæ ſuſcepit occaſum, & nunc illinc orbem terræ ſuis radijs illuſtrat. Ii veſtram ſedem effecere magis illuſtrem, ea eſt veſtrorum bonorum colophon. Illorum autem Deus nunc quoque illorum ſedem claram inſignemque reddidit, cùm veſtram ſanctitatem in ea collocauerit, quæ radios fidei orthodoxæ emittit. Atque huius quidem poſſunt multa quoque alia inueniri indicia: ſufficit autem vel veſter zelus in nefandos infauſtosque Manichæos, quem veſtra nuper ſanctitas aperuit, oſtendens veſtræ in Deum pietatis ſtudium. Satis ſunt etiam quæ nunc à vobis ſcripta ſunt, ad ſignificandum veſtrum characterem Apoſtolicum. Incidimus enim in ea quæ ſcripta ſunt à veſtra ſanctitate de ſuſcepta à Deo & Seruatore noſtro humanitate, vt quæ accuratè ac perfectè ſcripta eſſent admirati ſumus. Vtraque enim ſimul declarabant, & æternam vnigeniti ex æterno patre diuinitatem, & quæ erat ex ſemine Abrahæ & Dauid humanitatem: & quod quæ ſumpta erat natura erat nobis ſimilis in omnibus; ſolum autem erat diſsimilis quòd ab omni peccato permanſerit alienus, quandoquidem id non à natura, ſed ab animi inſtituto & libero arbitrio naſcitur. Habebant autem hæc quoq; ſcripta, quòd vnus quidem eſt vnigenitus Dei filius, eſt autem eius diuinitas impatibilis, immutabilis, & in quam non cadit alteratio, ſicut is qui genuit ipſum pater & ſanctiſsimus ſpiritus: & ideo patibilem ſuſcepit naturam, quandoquidem in diuinam naturam non cadit paſsio, vt ſuæ carnis paſsione largiretur impatibilem ijs qui in ipſum credidiſſent. Hæc & quæ ſunt his ſimilia, ſcripta continebant. Nos autem ſpiritalem admirati ſapientiam tuam, quæ per vos locuta eſt ſanctiſsimi ſpiritus gratiam lau-

dauimus: hortamurque, rogamus, obsecramus, & supplicamus sanctitati tuæ, vt quæ tempestate agitantur Dei ecclesijs opem feras. Nam cùm per ea quæ à vestra sanctitate Ephesum scripta sunt speraßemus fore vt sedarentur fluctus, in grauiorem procellam incidimus. Iustißimo enim Alexandrinorum Præsuli non suffecit iniqua, atque adeò iniustißima depositio sanctißimi, & religiosißimi Constantinopolitanorum Episcopi Domini Flauiani, nec eius expleuit animum similis cædes aliorum Episcoporum: quinetiam me quoque absentem calamo similiter iugulauit, cùm me nec in ius vocasset, nec præsentem iudicasset, nec quid de suscepta à Deo & seruatore nostro humanitate sentirem interrogaßet. Atque homicidas quidem, & sepulchrorum effossores, & eos qui aliena cubilia violauerint, non prius condemnant iudices quàm ipsi accusationem confeßione sua confirmauerint, vel ab alijs apertè conuicti fuerint. Nos autem, is qui in diuinis legibus est eductus, triginta quinque dierum spatio remotos condemnauit vt voluit. Et nec hoc nunc solum fecit, sed etiam anno superiore, cùm duos viros qui in morbum Apollinaris inciderant, illucque excurrerant, & calumnias in nos contexuerant, excitasset, nos in ecclesia notauit anathemate, idque cùm ego ad eum scripsißem, & quæ sentio literis significassem. Ego autem ecclesiæ quidem defleo tempestatem, quietem autē amplector. Nam cùm viginti sex annis mihi ab vniuersorum Deo creditam ecclesiam per vestras preces rexerim, non tempore beatißimi Theodoti Orientis Præsulis, non tempore illorum qui ei in sede Antiochena successere, quantumuis leuem subij reprehensionem: sed mihi diuina opem ferente gratia, plusquam mille animas liberaui à morbo Marcionis: multos autem alios à secta Arij & Eunomij adduxi Christo Domino, & vt in octingentis ecclesijs pastor essem mihi sortito obtigit: tot enim paræcias habet Cyrus, in quibus per vestras preces ne vnum quidem remāsit zizanium; sed ab omni errore hæretico liberatus fuit grex noster. Nouit qui omnia intuetur, quot à nefandis hæreticis lapides à me immissos sustinuerim, quàm multa in multis Orientis ciuitatibus certamina susceperim, aduersus gentes, aduersus Iudæos, aduersus omnem hæreticum errorem. Et post tot sudores & labores ne in ius quidem vocatus sum condemnatus. Ego autem Apostolicæ vestræ sedis expecto sententiam: & supplico & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi opem ferat iustum vestrum, & rectum appellanti iudicium, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem. A me enim scripta sunt alia quidem ante viginti annos, alia verò ante decem & octo, alia ante quindecim, alia ante duodecim, partim quidem aduersus Arrianos & Eunomianos, partim verò aduersus Iudæos & Gentes, partim verò aduersus Magos qui sunt in Perside: alia rursus de vniuersa ac generali prouidentia, alia rursus per diuinam gratiam à me sunt explicata de Theologia, & diuina humanæ naturæ susceptione, & scripta Apostolica, & Propheticæ prædictiones: & ex his facile sciri potest, an seruauerim rectam, atque inflexam fidei regulam, an rectitudinem eius transilierim. Sed supplicationem meam quæso ne respuatis, nec miseram meam caniciem despiciatis, quæ post tot labores affecta est contumelijs. Ante omnia autem rogo vt sciam à vobis, an in iniusta hac depositione me oporteat acquiescere, an non. Vestram enim expecto sententiam, & si iudicatis me stare iusseritis, stabo, nec vlli deinceps homini molestiam exhibebo; sed quod flecti non potest Dei & seruatoris nostri expectabo iudicium. Mihi autem, vt Dominus Deus est testis, nec honor curæ est nec gloria, sed tantum scandalum quod factum est, quòd multi ex simplicioribus, & maxime qui ex diuersis hæresibus à nobis capti sunt, sedem eorum qui nos condemnarunt attendentes, existimabunt nos fortasse hæreticos, vt qui quod sit rectum perfectumque dogma videre ne-

re nequeant. Quòd autem cùm tot annis fuerim Episcopus, non domum possederim, non agrum, non obolum, non sepulchrum: sed sponte electam amplexus sim paupertatem, & quæ nobis à parentibus obuenerant, post illorum mortem statim distribuerim, norunt omnes qui in Oriente habitant. Ante omnia autem supplico vestro sacro & Deo amico capiti, vt precum mihi præbeat auxilium. Hæc per religiosißimos & Dei amantißimos Presbyteros Hypatium & Abramium Chorepiscopos, & Alypium præsidem eorum qui sunt apud nos Monachorum, vestram docui sanctitatem, quandoquidem ne ad vos venirem me Imperatoris literarum vincula retinuere. Sicut ergo alios, rogo etiam sanctitatem vestram, vt eos paternè aspiciat, & inflexas aures beneuolas eis præbeat, & quæ calumnijs appetitur & temere oppugnatur senectutem meam vestra dignetur cura ac prouidentia, & ante omnia fidei cui insidiæ tenduntur, omnibus viribus curam gerat, & ecclesijs paternam suam conseruet integram hæreditatem, vt pro his quoque remunerationes accipiat sanctitas vestra à liberali & munifico Deo.

DILECTISSIMO FRATRI
THEODORETO EPISCOPO,
LEO EPISCOPVS.

*REMEANTIBVS ad vos fratribus, & consacerdotibus nostris, quos ad sanctum concilium sedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionē tuam superno adiutorio, nobiscum tam Nestorianæ impietatis, quàm Eutychianæ vesaniæ, extitisse victricem. Vnde gloriamur in Domino, cùm Prophetа canentes, Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro prius ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt verè à se prodijsse ostenderit, quod prius à prima omnium sede formatum, totius Christiani orbis iudicium recepißet, vt in hoc quoque capiti membra concordent, in quo amplior nobis in hac re fit gaudendi materia, dum & tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros sæuius insurrexit. Nam ne aliarum sedium * ab ea, quam cæteris omnium Dominus statuit præsidere, consensus aßentatio videretur, aut alia quælibet subrepere poßet aduersa suspicio, inuenti prius sunt qui de iudicijs nostris ambiguerent. Et dum nonnulli * ad dißensiones incitati ab authore contradictionis, ad insana bella prosiliunt, ad maius bonum, malum eius, authore totius bonitatis dispensante, peruentum est. Dulcius siquidem munera gratiæ diuinæ proueniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Et minus bonum videri solet, pax continuata per otium, quàm reddita post laborem. Ipsa quoque veritas & clarius renitescit, & fortius retinetur, dum, quæ fides prius docuerit, hæc postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officij meritum splendescit, vbi sic summorum seruatur authoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exercendi fiducia, vt vincatur aduersitas, ne quod per se probetur reprobum, silentij præiudicio videatur oppreßum. Exulta igitur, charißime frater, & in vnico Dei filio victor exulta.*

Psal. 123.

* aliàs, ad eam.

* aliàs, ab dißensionum conciti authore ad contradictionum bella.

Vicit per nos ille, cuius carnis veritas negabatur: vicit per nos, & pro nobis ille, cui vicimus, per quem secunda est post aduentum Domini hæc orbi festiuitas. Reditum seculo est, prædone prostrato, incarnationis diuinæ mysterium, quod humani generis inimicus, quia rebus ipsis auferre non poterat, calumnijs obscurabat. Quinimo ab incredulorum corde perierat immortale mysterium, quia nihil prodest tanta salus incredulis, ipsa veritate suis dicente discipulis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur. Solis iustitiæ iubar, densis per Orientem Nestorij & Eutychetis nebulis impeditum, purè ab Occidente resplenduit, vbi * commercium in Apostolis & Doctoribus principaliter collocauit, quamuis nec illic vnquam defuisse credendus sit, quo confessores sibi egregios reseruauit, ita vt dum denuo conaretur hostis antiquus, per secundi Pharaonis impœnitens cor, fidei Abrahæ semen, & filios repromissionis extinguere, Deo miserante, languescens, nisi sibi nocere, nihil possit. De quo & illud omnipotens mirabilius egit, quia & quos sibi socios ad Israelitici populi cædes asciuerat non cum tyrannidis authore submersit, sed cum suo populo congregauit. Et sicut reuera se dignum, & soli sibi possibile fons misericordiæ nouerat, victos à nobis, nobiscum fecit esse victuros. Nam dum solus vere sit humani generis hostis spiritus falsitatis, omnes de illo iam triumphare non dubium est, quos sibi veritas vendicauit. Nunc prorsus illa Redemptoris nostri dicta, quàm sint diuinæ authoritatis, apparet, dum contra hostes fidei sic aptantur, vt de ipsis dubitare dictum non liceat. Vos, inquit, ex patre diabolo estis: Et desideria patris vestri vultis implere: Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. Quando loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius. Nihil ergo mirandum est, quòd hi, qui in veritate Dei nostræ naturæ mendacium crediderunt, patri suo & circa ista concordant, quicquid visum, quicquid auditum, quicquid denique (teste Euangelio) tactum est, atque palpatum, in vnico Dei filio, non eius, cuius probatum est, asserentes, sed coæternæ, & coessentialis patri fuisse substantiæ, quasi aut diuinitatis natura, crucis ligno transfixa sit; aut inconuertibilis, crescere per ætates, & in sapientia proficere, sapientia sempiterna, vel spiritu Deus, qui spiritus est, subinde repleri potuerit. In hoc quoque se acerba vesania, ex quo authore processerit, prodit, quòd quantum in se est, vniuersis nocere molita est. Nam qui nos persequendo afflixit, cæteros ad consensum sceleris impellendo deprauauit. Sed nec nos, licet in singulis fratribus (quia membra nostra sunt) vulneraßet, à speciali dolore fecit exceptos, quibus noua & inaudita prius, atque incredibili audacia inferre contra suum caput est molitus iniuriam. Sed vtinam vel post tot peßima resipiscens, non nos etiam de suo æternæ damnationis interitu contristaret. Quam mensuram sceleris prætermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quod nec viuis parcendo, nec mortuis etiam in sanguine innocentis & catholici sacerdotis pollutas iampridem abdicata veritate, atque approbata falsitate, manus intinxit? Et quum scriptum sit, Qui odit fratrem suum, homicida est, ille (quod odio iam fecisse, addictus est) impleuit operibus, quasi nec audisset illud, quod Dominus ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est. Dignus diabolici prædicator erroris Aegyptius vastator inuentus est, * quia tanquam sæuissimus tyrannus, ecclesiæ nefandas blasphemias per violentam seditiosorum turbam, & per cruentas manus militum venerandis fratribus imponebat. Et cùm voce nostri Redemptoris firmatum sit, vnum eundemque homicidij & falsitatis authorem, ille pariter vtrunque compleuit, quasi non vt caueantur, sed vt perpetrentur, scripta sint,

Marc. vlt.

* alias, culmẽ summum.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Matth. 11.

* alias, qui.

sint, ad perditionis suæ cumulum trahens, quæ Dei filius monuit ad salutem. Illud quoque surda nimis aure præteriens, quod ab eodem Domino dictum est: Ego quod vidi apud patrem meum, loquor, & vos ergo, quod vidistis apud patrem vestrum, facitis. Igitur dum sanctæ memoriæ Flauiano vitam præsentis seculi moliretur auferre, se * serenæ vitæ luce priuauit. Dum vos ab ecclesijs vestris conaretur expellere, se à Christianorum collegio segregauit. Dum trahit plurimos, & impellit ad erroris aßensum, multiplici animam suam vulnere sauciauit, solus vltra omnes, & per omnes, ac pro omnibus reus, qui caussa reatus omnibus fuit. Sed licet his tua fraternitas, solido cibo firmata, indigere minime videatur, tamen vt, quod nostri loci est, impleamus circa vocem dicentis Apostoli, Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? hoc præcipue præsenti occasione credimus admonendum, frater charißime, vt quotiescunque, diuina gratia administrante, illos, qui foris sunt, fonte doctrinæ aut submergimus, aut purgamus, in nullo ab illis, quas spiritus sancti diuinitas in Chalcedonensi concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter vtrunque hostem nouellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela libremus, non iam (quod absit) tanquam de dubijs disceptantes, sed authoritate sua, quæ bene definita sunt, astruentes, quum & in apostolicæ sedis epistola vniuersali sanctæ Synodi assensu firmata, tanta diuinæ authoritatis testimonia nouerimus esse congesta, vt nullus queat vlterius dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit, quum synodalia gesta, vel quibus primum definitio fidei legitur esse formata, vel quibus præfatæ literæ apostolicæ sedis, etiam tuæ fraternitatis studio defensæ sunt, & maximè ad pijßimos principes totius concilij allocutio, tot sit præcedentium patrum testimonijs roborata, vt quamuis imprudenti ac pertinaci animo, si tamen non iam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, valeant suadere. Vnde hoc quoque contra hostes ecclesiæ prouidere condignum est, vt eis nullam calumniandi occasionem (quod ad nos attinet) penitus relinquamus, nec vnquam contra Nestorianos, aut Eutychianos agentes, alteri eorum videamur terga vertisse, sed vtrosque Christi hostes æqua lance vitemus atque damnemus, ita vt nos, quoties audientium quantalibet poscit vtilitas, cum dogmatibus eorum digno anathemate promptißime atque euidentissime feriamus, ne si à nobis hoc, quod obscurius fieri videatur, aut tardius, putetur inuitum. Quod quamuis prudentiam tuam res ipsa admonere sufficiat, nunc tamen & experimenta docuerunt. Sed benedictus Deus noster, cuius inuincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te, secundum sedis Apostolicæ iudicia demonstrauit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probauimus ac probamus, pro vniuersalis ecclesiæ defensione seruaueris. Nam quod Deus omnium calumniosorum fallacias soluit, maximam beatißimi Petri curam pro nobis cunctis agnoscimus, qui postquam suæ sedis iudicium in fidei definitione firmauit, nec circa cuiusquam vestrum, qui nobiscum pro catholica fide laborastis, personam, quicquam reprobum videri permisit, quia nec poterat, spiritu sancto indicante, quisquam ex eis non victor exire, quorum iam vicerat fides. Quod superest, exhortamur, vt quia illic nonnullas Eutychiani ac Nestoriani erroris reliquias cognouimus remansisse, nunc etiam sedi Apostolicæ collabores. Victoria enim, quam Christus Dominus Deus noster suæ donauit ecclesiæ, quàm diu in hoc mundo versamur, licet fiduciam maiorem tribuat, non tamen in totum solicitudinem perimit, nec vt dormiamus donata est, sed vt suauius laboremus. Vnde in hoc quoq; tuæ vigilan-

Ioan. 8.

* alias, serenæ.

2. Cor. 11.

vigilantiæ solicitudine volumus adiuuari, vt tua relatione currente, quòd apud illos religionis doctrina dominica proficiat, Apostolicam sedem festines instruere, quatenus illius religionis sacerdotes, in quocunque vsus necessitas exegerit, adiuuemus. De his verò, quæ in supradicto concilio illicita, contra venerabiles Nicænos canones, præsumptione tentata sunt, ad fratrem & coepiscopum nostrum Antiochenæ sedis præsulem scripsimus, * *adijcientes & illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorundam, religionis vestræ verbo mandastis per vicarios nostros, & hoc specialiter statuentes, vt præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, seu monachus, siue ille sit laicus, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur. Quas tamen literas pro vtilitate vniuersalis ecclesiæ, per prædictum fratrem & coepiscopum nostrum Maximum, ad omnium volumus peruenire notitiam, & ob hoc, hic nolumus earum exemplar adijcere, quia quæ prædicto fratri iniunximus, non dubitamus implenda. Et alia manu. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data quarto Idus Iunij, Opilione viro clarissimo consule.*

* adijcimus.

FINIS TOMI SECVNDI ET VLTIMI BEATI THEODORETI OPERVM.

Τῷ Θεῷ δόξα.

COLONIAE AGRIPPINAE
APVD IOANNEM BIRCKMANNVM.